uitis neglecta degeneratin labruscã 49
uitis morbi qui,& remedia 265.12 (28 17 & 266.52 & 347.2
uitis melliginis usus 26.8.19
uitium medicinæ 268.43

Vitis theriaca quomodo fiat 266.30
uitibus lachryma 265.7 & 268.48. &
uitibus humor aquosus 11.3 (269.12
uitis nigræ consideratio 660.47
uitis nigræ radix qualis 16.9
uitis nigra clauiculis arbo. scădit 18.44
uitis nigra smilacis frõde luxuri. 28.22
uitis albæ summaria consideratio 660.2
uitis alba innectit se fruticibus 18.43
uitis albæ fructus qualis, nigræ item qualis 36.29.30
uitibus malum pessimũ quod 265.44
uites quando carbunculantur 469.10
uiti ne conuoluulus innascatur 21.26 & 268.14
uites hircire quando dicuntur 265.14
uitibus inimica 42.51.et 97.11.& 265 37.& 266.44.49.& 352.47
uitis & oleæ concordia 205.20
uitis syluestris ampelos agria 270.45 & 659.23
uitis syluestris, labruscæ cõsid. 270.39
uitis caprea cur dicta 7.10.et 264.20
uites insanæ quæ dicuntur 265.9
uitis ubolima Græcis 265.9
uites incredibilis magnitudi. ubi 266.2
uitis capnia uuaq; eius 49.26.et 265.11
uitis Hircaniæ 265.53
uiticulæ 7.47
uitulus marinus pinum sumit, sed nunquam deuorat 338.9
uituli marini tergoris uis 96.46.& 98.2.& 392.28
uitulos quid uocant Suessionenses 305.3
uituli capistrum Gallis placẽta 395.17
uitulus placenta 305.5
uitreolum uulgo helxine 59.6
uiurna Gallis quid 244.30
Vlceraria herba ranunculus 427.22
ulcera oris, quære Oris ulcera.
ulceribus manantibus, quæ opitulentur 142.30 & 162.44.47 & 166.1 & 198.24 & 205.45 & 210.51 et 211 49 et 242.22 et 244.38 & 261.24 & 269.24 & 278.29 & 279. 44 & 329.50 & 344.31 & 358.12 & 412.35 & 417.45 & 421.49 & 423.2 & 446.52 & 552.12 & 566 18 & 568.24 & 596.5 & 647.52
ulcerib. uetustis quæ prosunt 167.42 & 186.16 & 262.50 & 269.33 & 325.45 & 525.37 & 562.41. et 611 47.& 625.17
ulcera quæ purgant 111.44 & 127.22 & 198.23.36 & 206.39 & 208.12 & 229.9.36 & 261.41.& 283.17 et 397.13 & 556.44 & 623.41
ulcerib. q̃ cõmodãtur quauis ex causa 142.21 & 173. 8.36 & 198. 41. 45 & 205.34.36 & 206.23.24.28 & 210.44 & 219.15 & 226.49 et 227 3 & 242.5 & 263.5 & 269.22 & 271.11 & 276.5.50.51 & 286.20 et 307.27 et 334.28 et 341.41 & 344 38 & 362.49 & 369.4 & 399.52 & 406.47 & 412.13.53 et 417.13 & 418 & 419.2 & 423.23 & 428 35 & 433.22 & 435.20.37 & 437 53 & 449.31 & 454.8 & 456. 9 & 458.24 & 474.36 & 475. 9 10.11.27 & 478. 48. 49 & 480 48 & 482.28. 34 & 490. 29 & 491.1 & 492.46 & 500.20 et 507 50 & 508.49 & 525.44 & 540 51 & 543.1 & 550.3 & 552.33. 50 & 553.4 & 559. 53 & 563. 29 & 572.41 & 580.33 et 582.10 & 590 32 & 597.7 & 606.14.43 & 609 44 & 615.26.36 & 625.24 et 626 53 & 627.47 & 650. 24 & 652 20 & 656.33
ulcera & uulnera quæ repleãt aut glutinẽt 229.45 et 250.51 et 261.3.4.41 & 363.40 & 543.5 & 548. 51 & 556.11 & 562.41 & 577.6 et 593 38 & 595.23 & 600.38 & 606.11
ulceribus quæ serpũt uel depascũt quæ auxiliãtur 152.26 & 184.51 et 185 7 & 196.1 & 198.46 & 201.5 & 205.41 & 219.33.41 & 227. 4 & 229.15.34 & 235.14 & 242.18 & 243.30 & 254.42 & 278.51 et 286 20 et 331.30 & 341.49 et 343.16 et 364.40 et 384.8 & 419.14.et 430 37 & 431.33 et 455.20 & 473.49 & 522.31 et 525.24 & 531.10. 17 et 549.50 & 563.48 & 577.6 et 581 18 & 593.16 & 598.51 & 512.22 et 622.22.& 623.2 & 664.17
ulcera maligna, difficilia ac deplorata q̃ sanant 198.13 & 229.10 et 246.11 & 328.2 & 344.25 et 525.24. 25 & 617.48 & 661. 43
ulmus ab radicibus brachiata 19.33
ulmus in longitudimem excrescit 19.43
ulmus ubi prouenit 43.45 & 281.1
ulmo q̃lia folia 21.51 & 22.53.et 280.32
ulmi folia, cortex, rami qb. uirib. 281.7
ulmus nullum fructum gerit 44.15
ulmus quando germinat 29.15
ulmi summaria consideratio 280.15
ulmi genera 280.16
ulmus uitis patitur insitionem 68.53 et
ulmi usus 12.9 (280.30
ulochyton, mola salsa 302.49.et 313.39
ulophonũ, ixia 480.40 & 481.34
ulophonũ q̃re dictũ 83.20 & 482.40
ulpicum conseritur quomodo et quãdo 39.41.45 & 401. 2
Vmbella in herbis 4.18
umbilicis prociduis uel infantium eminentibus quæ cõferãt 365.53.et 540 40 & 611.47.& 612.2
umbilico ueneris folia q̃lia 23.23.27
umbilici Veneris flos 58.26
umbilicus terræ cyclaminus 8.25.et 412
umbilicus in pomis 9.12 (2
Vncia unde dicta 51.45 & 52.24
uncia quid 30.51 & 51.45 et 52.17.24
unedo quid 73.13 (& 53.25
unedo quomodo frondescit 21.14
unedoni cortex sponte cadit 20.19
unedoni corpus quale 34.15
unedo quæ & epimelis 193.12
unguis odoratus quid 290.20
ungues in rosis 5.26 & 246.21 et 248 23 & 643.25
unguibus mobilibus 270.3.10
unguibus scabriciem q̃ tollant aut alios morbos 152.22.& 166.1 & 208.15 & 229.12.32 & 272.52 & 263.3. et 279 37 & 320.27 & 331.31 & 355.15 & 360.2 et 407.6 et 427.32.& 432.7
ungula caballina arctiõ nõ est 628.21
ungula caballina officinis, est bechion 557.18
unionẽ ueteres Græci uocauerũt cepã, & Galli nomẽ retinẽt 14.50 et 398.31
unioneta nũc Gallis bulbus 419.47
uoci q̃ conferunt 194.53 & 256.14 & 300.29 & 338.43 & 357.45 & 362 21 & 396.51 & 397.16.27.35 et 404 2.& 450.50 & 476.44 & 566.15 & 641. 53
uolucri foliũ plãtagini simile 28.3
uolucrũ maius Rom. periclymenos 586
uolucrũ maius, clymenõ 586.2 (23
uolubilis maior clematis altera 582.41
uolubilis officinarũ, cõuoluulus 447.21
uolucra animal uuas prærodẽs 265.19
uomicis q̃ utilia 215. 16 & 293. 47 & 276.5 et 366.7 et 407.41 & 411.50 & 491.45 & 508.47 & 533. 28 & 550.3 & 553.20 & 557.29 et 597.7, & 611.53 & 615.13

Vomitiones quæ creant, uel faciles red dant 117.36 & 131.28.35 & 183.50 & 283.9 & 342.16 & 352. 46 & 353.20.36 & 381.13 et 419. 14 & 422.5 & 500.17 & 503.2 et 532.53 & 538.29 & 574.20 & 577. 40 & 595.1 & 610.18 et 615.31 & 623 43 & 642.48 & 644.17 et 647 35 & 649.31 & 651.22 & 652.30 & 659.1

Vomitiones quæ cohibeant quale ſcunq; 106.41 & 118.4 & 179.52 & 191 41 & 213.33.51 & 268.51 et 281.48 & 289.25 & 325.48 & 338.47 & 369.3 & 370.51 & 371.41 & 504 52 & 508. 50 & 513.30 & 528.45 & 530.26 & 577.41 & 579.44 & 59332

Vpupa mutationem ſentit 96.8

Vpupa in quos uſus adianto utatur.95 52. & 638.27

Vrbanis nõ eſſe florem bicolorem 30.7

Vrbana ſilueſtribus ſui generis minus odora ta 61.20.30

Vrceolaris, herba parietaria 568.53

Vrceolaris, helxine 596.48

Vredo omnis unde 466.44

Vredini medentia 278.29 & 279.4

Vrentia medicamenta qualia 93.47

Vrinas ciens uis unde 91.45 & 99.14

Vrinas quæ cient, pellunt, uel trahunt 94.25 et 99. 14. et 101.33.53 & 102. 2 & 106.27.47.52 & 108.37 & 109 10.39.40 & 111.44. 49. 52 & 113. 8 & 114.7 & 119.52 & 124.7 & 127 6.24.25.30 & 132.6 & 136.50 et 138 6 & 142.32 & 150.16.20 & 152. 19 & 166.5 & 173.4 & 180.24 & 181 53 & 184.50 & 185.79 & 191.41 et 198.18 & 212.7.13 & 214.52 & 215 14.16 & 226.47.49 & 227.5.17 et 230.9.17 et 241.53 & 242.31 et 246 8 & 248.14 & 250.36 & 252.12.51 52 & 258. 18 & 259. 17. 20 & 263 39 & 271. 12 et 280.6 et 283.43 & 284.13 & 286.19 & 299.35 et 293 19 & 294. 13 & 295. 15. 29. 35 & 297.6 & 307.34 & 309.52 & 322 7 & 334.28.34 & 335.17 & 342.14 & 346.15.21 & 353.13.36 & 354. 17 22 & 367.32 & 369.41 & 371.20. & 380.15. & 381.2 & 386.40 & 387.15 & 388.29 & 393. 47 & 397. 51 & 403.18.24 et 406.9 et 411.39 et 415 26 & 417.4 & 419.5 & 422.43.et 423.9 & 430.28 & 437.48. 50 & 440.18 & 444.15 & 445.39 & 455.45 & 482.49. 52 & 484. 14 & 487.14 & 489.39 & 500.40 et 504.53 & 510.2 et 511.5 & 512.23.32 & 513.27 et 522.47 & 526.19 et 527 2 & 528.3.35 & 530.46 & 532. 46 52 & 533.19 & 535.37 & 537.10 & 541.28 & 555.32 & 556 & 558.20 & 562.16 & 568.23 & 571.35 et 572 31 & 576.2 & 538.13 & 581.9 et 586 38 & 587.46 & 590. 17 & 600. 35 & 604.26 & 605.7 & 606.44 & 607.26 & 612.48 & 623.8 et 630.41 & 638.32 & 642.13 et 643.15 et 660 17 & 661. 12

urinæ arenoſæ remedia 208.8

urinis immundis datur aſarum 292.34 & 609.43

urinæ incõtinentiã quæ reprimunt 322 38 & 505.6

urinis cruẽtis remedia 367.48 & 524 2 & 530.35 & 545.44

urinæ quæ conferunt 271.6

urinæ tormina quæ diſcutiũt. uide Strã

urinæ crimnodes quæ 313.24 (gurias.

uroſci græcis quid 255.28

urſus unde candidus 56.37

urſæ maioris mutatio 470.3

urticæ cauli, ſcaber, ſpinoſus 18.2

urticis folia qualia 22.45 & 24.22 26. 44

urticæ mordax aſperitas 24.27

urtica iners & mortua, lamiũ 455.18

urticæ remedia 623.33

urticæ in cibo præſtantia 623. 50

urtica unde dicta 89. 48

urticæ ſummaria conſid. 623.11

urtica labeo Rom. galeopſis 624.21

urtica uiua & griaca quæ 623. 29

urtiea alba & mortua Gallis quæ 455 21 & 623.28

urucæ puibuſdã eruce 333.21

uruncum inſpica quid 6.29 & 297.37

urtia Gallis quid 623.23

Vſtis quæ proſunt 205.35

uteri abſceſſus prohibentia 106.40

uteri malis, uide Locoſis mulieribut & utriculi quid 299.11 (uuluis

uua quibus conſtat 8.3

uuæ cute teguntur 83.43

uuæ inter ſe denſæ 34.2

uuis ſuccus qualis 11.45.6.7. & 63.29

uuæ ſucco placent 34.6

uuæ unde colorantur 55.15

uua dæmonum 140.13

uuarum acini, uide Acini

uuis plures ſapores 63.20 & 64.31.32

uuæ paſſæ unde dictæ 8.17

uuæ pẽſiles unde magis olent 60.47

uua duracina 8.10

uuæ duracinæ & Aminææ opportuniſ/ ſimæ ad ſeruandum 276.21

uua taminia Romanis eſt uitis nigra 660. 48

uuæ ne tangantur à animalibus 265.19 & inde. & 276.25

uua quomodo ſeruetur 267.6

uuam græce ſtaphylem à Staphilo Li/ beri patris filio uocant 267.16

uua dæmonum quid 149.13

uuæ in faucibus quæ auxiliẽtur 163. 49 & 184.11.15 & 200.51 & 229.30.16 239.24 & 242. 21 & 269. 32 & 338 36 & 362.18 & 406. 7 & 503.22 & 529.24 & 543.7 et 596. 4 et 623.38

uulneribus quæ conferant uarijs modis 124.36 & 131.32 & 152. 25 et 155.46 49 & 163.2 & 166.11 & 211. 50 & 202.53 & 243.28 & 258.9 & 259.13 & 263.3 & 264.8 & 266.52 & 271 6.14 & 281.10.14 & 357. 47 & 362 10 & 362.40 & 378.31 & 415.30 & 421.33 & 422. 6 & 428.42 & 429 29. & 430.30 & 433. 49 & 436.3 & 438.1 et 439.31 et 446.12 et 447 3 & 450.35 & 454.1 & 455.22 & 460.6 21 & 473.12 & 475. 11 & 476.44 & 477. 51 & 488. 4 & 495.4 & 503.31 & 525.27.50 & 531 14 & 540. 34 & 548.50 & 549 36. 50 & 556. 4. 51 & 561. 24 & 567.37 et 572.52 et 577.44 et 579 32 & 581.51 & 584.18 & 585.26 & 586.19 & 591.15 & 593.1 et 594. 20 42 & 595.21 & 601.16 & 606.11.43 & 626.32.40 & 627.48 & 631.47 & 650.16.18

uulpes necantia 126.48. & 127.27

uultũ iuniorẽ præſtat aniſum 528. 25

uulſis medentia. uide Conuulſis.

uuluis ſtrangulantibus aut ſuffocantib. 132.4 & 162.37 & 180.25 & 256.10 14 & 279.24 & 290.10 & 293.20 & 369.8 & 471.37.43 & 514.53 & 522.21 & 525.39 & 527.8.41 et 528 37 et 530.27 et 539.25.32 & 540.45 & 544.10 & 545.6.12 & 552.49 et 566.20 et 570.49 & 574.56 et 578 10 & 623.43 & 636.33 & 637.1

Vuluarum procidentiæ quæ conferunt 150.19.& 165.52.& 185.4 & 198.24 40.et 254.44 et 278.34.50 et 474 39 & 475.15 & 591.31 & 623.39.& 624.9 & 633.21

uuluis profluentibus quæ prosint 165.52 & 170.19 & 196.14. & 219 36.44.45 & 242.35 & 269.34 & 369.23 & 595.25 & 601.49

uuluis inflammatis,contractis,uel duris,uel inflatis quæ conferãt 199.15 & 109.17 & 142.31 & 515.32 & 525 32 & 569.11

uuluis quæ utilia & earũ uitia emendãt 108.7.37 & 109.14.42 & 111.42 & 116.50 & 124.7 & 181.53 & 185.45 & 193.48 & 196.1 & 199.3 & 211 43 & 212.14 & 229.12.17 & 230.18 & 235.14 & 248.8 & 250.38.48 et 256.10 et 263.47 & 264.3 et 276.4 & 279.47 & 284.15 & 286.19.22 & 288.43 & 295.52 & 307.27 & 329.49.& 330.1.6 & 331.40 & 340 3 & 341.48 & 353.34 & 355.21 & 357.51 & 358.18 & 397.31 et 411.40 & 428.32 et 439.30 et 453.18.et 461 38 & 478.1.10 & 491.38.42 et 497 1.& 499.45 & 504.44 & 505.1.et 521.48 et 522.20.21 & 524.4 et 525 28.& 530.4 & 538.33 & 540.50.& 545.19 & 548.45 & 552.4.7 et 558 8.19.21 & 559.28 & 560.31 & 567 37.46 & 570.56 et 573.8 et 576.49 & 578.17 et 582.32 et 595.53 & 603 38 & 605.8 & 606.13 & 615 21.& 628.10 & 642.6 & 651.41.& 655 19.& 660.45

X

Xanthion quid 639.16

Xanthium olfactu nasturtij 26 10 & 39.49

xanthio semen quale & quantũ 38.10

xãthiũ decussatim folia coronãt 27.14

Ξανθὸς color 56.53

xyli consideratio 463.27

xylina lina quæ 463.32

xyloaloe 112.12

xylobalsami consideratio 110.47

xylocerata Græcis siliquæ 251.29

xylocinnamomum 101.10.47.50

xylomacer,uide Macer 105.26

xiphij radix qualis 15.2

xiphij folia turbinantur 24.1

xiphium quid 285.31 & 572.16

xiphidium,sparganium 589.31

xiris seminium ubi & quale 37.7

xyris quid 589.52

Z

Zaceltides qd dicantur 345.1.2

zadura,uel zaduara qd 106.36

zambachũ & zambachinũ oleũ 167.16

zapetion,uide zibettum

zarnabum siue zarnabadium. 106.5

zeæ natura & uires 311.35 & 312.18

zea potibus seruit apud Eburões 510.28

zeæ summaria consideratio 311.5

zedoaria 106.10.42

Ex zeopyro semine panis 412.11 & qualis 17

zeopyron Bithyniæ 311.46 & 312.5

zerua nonnullis cyperus 284.25

zeuge græcis 128.6

zeugitæ calami 129.2

zibettum quid 104.9

zygis serpyllum syluestre 512.50

zygia q̃ arbore & quare sic dicta 124 20 & 137.19

zymites panis 299.27

zinziber 101.47

zinziber,uide X ylocinnamomum.

zythi descriptio & uires 309.6

Ζειάλωρος ἄρουρα Homero 311.15

zizanion,lolium 325.13

zizipha serica Gale.188.45.51.281.40

ziziphi summaria consideratio 281.21

zoophthalmon,aizoon maius 621.32

zopyron, clinopodium 549.5

zopissa quid,& uires 229.19

zoroastrem uixisse xx.annis caseo tantum 475.49

zoster quid 368.53. & 622.23

zoster fuci marini species 625.38

Zura Afris paluri semen 215.12

zurmbeti 106.9

FINIS

ERRATA CASTIGATVRO OBSERVANDVM EST, priorem numerum paginæ esse, posteriorem uersus.

Pag.20. uersu 20. linogenistæ. ibid. 42.canabis 23.31.chamæsyce 25.49.& 354.36. seu pro ceu 37.17 patientia 42.32.capi 45.1.allidit 70.3.Easdem 72.28.quod 75.29.Lapsana Ibid. 38. malopen teste 116.17. alijs splanch. Ibid.40.Cancanum. 158.42.ablaqueatis 159.49.κλαυθμὸς. 170.36.lienosis. 179 20.oxy pro ex Ibid.21.uocare. 223.39.utriq; 255.3.Spinam Ibid.ult.Arabes pro arbores 271.9.prodest 276.35.stræum. 307.48.Polenta à farina,&c. 319.7.adaugeat 325.11.censu 365.4.Adscititiam 369 33.in profluentibus. 391.48.aliqui 422.3.uentris 479.30.folio,uerum 515.52.cum sit 577.9.15. psychrotrophon 594.18.inguinum 601.13.Columellæ Ibid.22.Tragion 628.37.petasite 650.42.anagallidi 660.32.manduntur 664.52.conuersa 665.42.nomine.

IOANNIS RVELLII
CANONICI PARISIENSIS ET MEDICI, DE NATVRA STIRPIVM LIBER PRIMVS.

De arbore, herba, frutice. Cap. I

STIRPIBVS quas terra rerum parens ædit, quædam in arbores attolluntur, aliæ in frutices exiliunt. Sunt quę humiliori statu cõtentæ, solum exeunt in herbas. Arborem solemus appellare, quicqd ab radice statim simplici caudice, brachiatum ramis, surculosum, dissolutuq; cõtumax assurgit: quemadmodum olea, ficus, & uitis conspiciuntur. Fruticem uero, quod ab radice, caudice multiplici, ramosumq; sese profert: qua nobis appellatione rubus, hedera, paliurus continetur. Herbam, quod ab radice foliatum, sine caudice proueniat, sæpiusq; semen caule ferat: ut frumẽta, olera. Iis itaq; tribus ueluti fastigijs summis res arboracea, fruticãs, & herbacea comprehenditur. Possunt nimirũ quædam cultus mãgonio à sua natura descisscere, ut ad aliud genus permeare uideantur: ut malua, beta. nam illa senis septenisue mensibus tanta crassitudine longitudineq; proficit, ut instar hastę grandescat, arborescensq; ad usus baculi ueniat, & identidem adminiculi uice fungatur. hæc tempore longiusculo grande capesit incrementum, ut in arborem defecisse cõspiciatur. Frutices quoq; nonnulli, præsertim uetustate, degenerant in arbores: ut uitex, hedera, paliurus. Arbusculæ etiam quędam si dimittantur sylueſcere, transeunt in frutices. Illi quòd per adultam ætatem, uendicato sibi robore, præduros fundant ramos: hæ quòd surculis luxuriãtes, solidos ita ramulos infirment, ut in frutices identidem elangueſcant. Hoc naturarũ germanitas præstat, ut una stirps in aliam se facilè uertat. Exemplaq; mutationũ huiuscemodi multa suis locis dabũtur. Non desunt herbæ, quæ figura reliquaq; facie ueras arbores mentiantur: ut ricinus, & aliæ permultæ, quæ postmodũ peculiaribus ipsarum mentionibus docebũtur. Arbor igitur à frutice ita dissidet, uti frutex ab herba. Est enim Frutex ut quidam Latinorũ sentiunt, qui ad iustam magnitudinem arboris non assurgit, & statura similis est multis herbis: sed nõ demoritur, neq; uelut herba perareſcit, uerum perẽnis edurat. Inter frutices est soboles quoque illa arborum & plantula. Porrò ex herbarũ genere quædam fruticantur, quæ ramulis compluribus surculisq; lignosis scatent, sed minutis cõstant foliȷs. has ueluti fruticum rudimenta quædam, Suffrutices aliqui maluerunt appellare, Græci φρύγανον nominant. Horum itaq; stirpium cognitio à natalibus locis, uiuendi conditione, partiũ habitu, quantitate, conuenientijs ac discriminibus, item à dotibus naturæ, peti debet. Quod ad uitalem sortẽ pertinet, quædam urbaniores sunt, quas ijs placet nominibus distinguere. Ergò mites, quæ fructu, aut aliqua dote, umbrarum ue officio humanius uiuant, non improbe dicantur Vrbanæ. Quædam Sylueſtres ac feræ, quibus nullus labor adhibetur, nec ope gignũtur humana, sui cuiusq; ingenij semina ferunt. Priora fuisse sylueſtria satiuis, id est euidentius, quàm ut debeat enarrari: cùm eorũ permulta cultu, domita feritate, mansueſcant in hortis: in permultis quoq; generibus & sylueſtre, & satiuũ inueniri, nemo ibit inficias. Inculta sylueſtribus horrent: sata sibi mansuetos situs usurpant. Nemora ueſtiuntur quercu, subere, fago, cerris, ilicibus, oleastris, tamaricibus, pomiferisq; sylueſtribus: ut sunt græcæ siliquæ, albæ spinæ, iuniperus, lotus, pinus, cornus, arbutus, paliurus, atque achrades pyri. Culta pubeſcũt iuglandibus, pomis, prunis, amygdalis, persicis, cotoneis, & alijs id genus. Similiter & in herbis satiuæ quædam habentur, ut olera, fruges: è frugibus frumenta, legumina: in quibus & erratica quædam dicuntur, quæ sua sponte nata, omni humano cultu carent, nullaq; olitoris lege coercita, libere uagantur & errant: ut intubus erraticus, fœniculum erraticum, erratica paſtinaca.

De partium habitu. Cap. II

SEd melius fuerit à partium finitionibus negotium auſpicari, ſine quibus arborum, herbarũ fruticumq; iuſtas deliniationes aſſequi nõ poſſumus. Radix igitur eſt id, quo alimentum allicitur, & terræ cohæret. Caulis uerò, in quod idem defertur nutrimentũ, ſimplexq; ſupra terram aſſurgit. is ſi in ſtyli modum ſurſum prorepat, aut in altum feratur, Scapus Latinis nominari cõſueuit, ducta à columnaribus ſcapis ſimilitudine. Varro tradit uiciæ capreolos quibus ſurſum uorſum ſerpit, ad ſcapum lupini, alium'ue calamum, ut hæreat, uinciri. Plinius inuentum eſſe meminit ſcapum, centum fabis onuſtum. Iis conſtat claſsicis authoribus, ſcapum pro caule frequenter uſurpatũ, Idem quoq; quòd in uirgulæ modum, uel teli rectitudinem cõſurgat, Thyrſi nomen ſibi uẽdicauit. Sed Caudex uerius id, in quod fruticis uel arboris à radice defertur alimoniũ, ſimplexq; ſupra ſolum proſilit. ut hoc inter caulem & caudicem interſit: ut Caulis ad herbas, Caudex ad frutices & arbores dũtaxat pertineat. Porrò illa coliculorũ ſoboles, inutilisq; fruticatio è radicibus, Stolones appellantur. ij arboribus euulſi uiuunt. Quo in genere cum parui ſunt, eruuntur: partemq; aliquam è matris quoq; corpore ſecum auferũt, fimbriato ſegmine. Hoc modo plantãtur coryli, ſorbi, meſpili, fici, imprimisq; uites. à ſtolonibus, à quibus ne parentem luxuriantes enecarent, auulſis, Pampinatio inuenta dicitur. Ii Licinio Stoloni propter diligentiã culturæ cognomen confirmarunt: quòd nullus in eius fundo reperiri poterat ſtolo. quòd effoderet circum arbores è radicibus, quæ naſcerentur è ſolo, quos ſtolones appellabant. Legemq; tulit, uetantem plus quinquaginta iugera ciuem Romanum habere. Succreſcens nepotum ſucceſsio, Soboles, ab oleſcendo dicta eſt. Cæterũ ut caudex caulis'ue radice: ſic rami caudicibus fulciuntur. Rami ſunt, qui in caule fiſſi multiplices ſparguntur, quos nõnulli Nodos uoluerunt appellare. Is cum ſuo fructu decerptus, aut ex arbore direptus, Termes ueteribus dicebatur; præſertim cum foliis repletus eſt, & minus glaber. ſic termitem oliuæ nominat Horatius. Auulſum cum fructu è palma termitẽ, Doricos Spadica uocitare, author eſt Agelius. Surculus, quod ex ramis ſimplex ac indiuiduũ oritur, quale præſertim germen apparet, quod ex ſurculis naſci Pompeius eſt author: unde germanos dici tradit, eadem ſtirpe genitos. ſed hæ partes primæ communesq; plurimorũ. neq; tamen caules, neq; ramos, neq; ſurculos omnes herbæ proferre conſpiciuntur. Verum quæ ſemen aut fructũ ędunt, caulem fundere nulli dubium eſt. Caulis etenim non niſi ſeminis gratia promitur: quaſi cum ſemina parturiunt, geſtientes caulem emittant. Cortice omnes ueſtiuntur. Cortex, pars eſt ultima à ſubiecto corpore ſeparabilis, ueluti cruſta quędam, ad tegendum data: quí ſi uelut ambiens membrana cingat, Tunica à tuẽdo corpore dicta eſt. pars tamen cortícis interior quæ ligno preſsius adhæret, propriè Liber erit. is, quibus ſcribimus libris nomen dedit. Corium tamen doctis non tam facies ſumma, q; ſtatumen quoddam craſsius, cui & aliud ſubeſſe poteſt, nominatur. Thalliam priuatim cepæ folliculum Feſtus intellexit. Sunt & partes quædam, quæ ex animaliũ partibus appellationem ſibi mutuantur. habent enim Neruum, quod continuũ, fiſsile, prælongumq; ſpectatur, ſed in ſociabile, ac germinis infœcundũ, & uenas habens. Venæ ipſæ cætera neruo ſimiles, ſed maiores craſsioresq; ſunt, & ramulos & humorem habentes. Item alia lignũ, alia carnem ſibi uendicauerunt. Lignum, fiſsile eſt. Caro, omnibus diuidi poteſt dimenſionibus: quomodo terra, & quæ ex terra conſtant. unde fit, ut inter neruum & uenam media interceddat. Matrix, quod in medio ligni reſidet, & tertium à cortice continetur, uelut in oſſibus medulla: hanc nõnulli Cor, alij Medullam malunt appellare. Lignum igitur neruo & humore conſtat, interdũ etiam carne: ut quũ indureſcens ferula, uel palma tranſit in lignum: uel cartilaginoſa quędã radix in lignoſam duritiem coaluit. Matrix carne & humore conflatur. Cortex tribus illis interdũ concretus eſt, ut roboris, populi, pyri, nonnunquam humore & neruo, ut uitis. Folia humor & caro creant. Iſtæ tamen partes tanquam omnium communes & uelut elementa ſtirpium habentur, humor, neruus, uena, caro. Iis enim uniuerſa plantarum natura cõſiſtit. Quædam tamen quaſi annuæ partes accedunt, quæ fructuum partui potius accõmodantur, ut folium, flos, pediculus. Pediculus, ſiue quod idem habetur Petiolus, id eſt quo folium, fructus aut flos dependet. Fructus, quod carne & ſemine com-

mine compactum est. frequenter tamen pro eo, quod in uolucro perinde quasi carne & se
mínio coactum est, accípi solet. Folium, humore & carne concretum cernitur. Flos, gau
dium est arborum herbarumq;. Concipiunt enim uarijs diebus, & pro sua quæque natu
ra grauida partus gerunt, quod Germinatio ideo uocatur. Pariunt cum florent, floscq; ru
ptis constat utriculis. sed Educatio in fructu est. Sunt etiam quædam peculiaria parturien
tis arboris indicia, quæ nec fructũ, nec florem proprie dixeris: Cachryas Græci uocant,
Plinius Pilulas in medicina urendi uim habentes. Suntq; sublonga panicularum modo
nucamenta, quæ squamatim compacta propendent è ramis, ueluti quidam foliorum con
ceptus, quibus arbores intumescũt grauidæ, germina parere gestientes. Ea uidentur quæ
dam pineæ nucis rudimenta, sed habitu multo longiore turbinantur. Crescunt hyeme, ue
re dehiscunt in flauescentes squamulas, & prodeunte folio, caduca pereunt. Qualia in la
rice, picea, platano, iuglande, tilia, abiete, & alijs permultis uidere licet. Verum quod in
auellana nuce corylóue, compactili callo racematim cohęret, & ueluti pręlongus uermis,
singulari pediculo pensile nititur, Iulum tam Græci quàm Latini uocant. Porrò quicquid
sublonga uel subrotunda specie tumet, Panicula dici ferè potest: ut quæ pendet è picearũ
uel roborum ramis, Græci Cyttaron nominant. Sic rosæ quædam priusquam dehiscant,
conuolutas habent foliorum paniculas. Lanosam quoque comam in milio, panico, arun
dine, & qualem in aruis complures herbæ, & in palustribus iunci gerunt, Latini Panicu
lam, Græci anthelen dixere. Cæterum ea quæ callo squamatim compactili pendent è ra
mis nucum, roborum, picearum, appellantur Nucamenta: uel ideo quòd sint quasi quæ
dam naturæ rudimenta, pineam nucem facere condiscentis: uel quod apertissimè in nuci
bus propendere cernuntur. Græci etiam Cyttara appellare consueuerunt. Sunt etiã her
barum permultæ partes, quæ ab humanarũ similitudine nomen emendicarunt, ut coma,
caput, alæ, sinus, genicula, latera, capillamenta, fibrę, uertex, cacumen. Coma quicquid hi
lari uenustate crinium modo, summa ramorum uel coliculorum exornat, ut frondes, cum
foliatum est cacumen. sępe & corymbi, & flores sua uenere comant. Id quod sursum deor
sum ue in globum extuberat, aut in orbem glomeratur, Caput dici consueuit: si magnitu
dine cesserit, Capitulum. à quo multa herbarum capitulata uisuntur fastigia. Radices non
nullæ, ut porri & ceparum extuberant in capita: unde & Capitatum porrum sibi nomen
usurpauit. Sic radix quæ tubere globoso concreuit, sibi capitis appellationem arrogauit.
Verum cohęrentes bulbi, in quos allij caput extumuit, qui seorsum consiti nouam creant
sobolem, & Nuclei & Spicæ Latinis authoribus appellantur, sicuti Græcis Gelges, Agli
thes, & Aglidia grana dicuntur, quibus caput allij compactum est. Quinetiam rotundæ
radices suis membranis tunicatæ, Bulbi nominantur: siue pluribus capitulis coagmenten
tur, uno folliculo omnes ambiente: siue quadamtenus distinctæ separentur. quales sunt
croci, liliorum, narcissi, scyllæ, arundinum, colocasię. Hæ bulbosæ radices sic sub terra cre
scunt, ut ad nouam quotannis sobolem decerpi aliqua portio possit. Ad hæc particulæ te
retes & oblongæ in capilli modũ extenuatæ, Capillamenta dici consueuerunt. quæ si con
torta crispentur, Cirri mutuãtur appellationem. Dissident Cirri tamen ab Acetabulis. illi
enim tota polyporum flagella sunt: hæc in flagellis cirriscq; rotundæ cauitates ac cauerno
sæ, quibus animal id nititur, & uelut adminiculis fultum exurgit: ascita tam Grecis quàm
Romanis à cotyle & acetabulo similitudine. Cirros ab κείρω dictos putant, quod possunt
detonderi. Capillamentis germanæ sunt Fibræ, quæ herbarum arborumq; minutiores
sunt radiculę, in quas uelut extremas, crassiores effusæ spargũtur. Antiqui, si Varroni cre
dimus, Fibrum dicebant extremum: hinc iecinorum fibræ. sic quòd extremas fluminis
oras animal incoleret, Fiber dictus est, Greci Castorẽ uocãt. Vnde etiã in sagis, Fimbriæ,
uestiũ extremitates: à quibus & Fimbriata folia dicũtur. Sicuti & radices multæ fibris ca
pillatæ, necnon etiam capillamentis fibratæ pinguntur, quæ ueluti crinibus quibusdam
cirratę comantur. Atqui partes quæ in quosdam nodos intumescunt, tam Articuli quàm
Genicula nominantur. à quibus persæpe uel Geniculatim uel Articulatim ramuli prodi
re dicuntur. Quod inter artus uel genicula medium intercedit, Internodium dici consue
uit: ut Interuenium, hoc est spatium, quod inter uenas intercipitur. Geniculatæ quoque
radices nominantur, quæ nodis quibusdam interstinctæ protuberant, rotundæ & leuiter

capitulatæ. Partes crassiores nodis conglobatæ, in quas internodiorum extrema coeunt, nominantur Vertebræ. sæpiusq; alterum alteri pyxidatim cohæret, aut infertum alteri subit, aut insolubili nexu committitur. Lateribus etiam prædítæ sunt herbæ, quibus Laterales fundũtur rami, aut utrinq; in ordinem digesti prodeunt. Verum cauus inter caulem & ramulos anfractus, unde sinuatim noua proles egreditur, Alæ dicuntur, facta ab humanis alis translatione. Velut in utrorunq; complexu angulus in quem coierunt, Sinus. Sic alarum caua sinusq; idem sibi uelle fatebitur, qui bonos authores euoluerit. Gemmula illa in earum surculis, primum germinationis argumentum, Oculus dicitur: quòd persæpe in huiusce modi alarum sinu uideantur oculi. is Inoculationi nomen fecit. Cæterũ pars illa à capitatis radicibus prodiens, prælonga, teres, quòd in colli speciem figuretur, Cer- 10
uix uocitanda est: ut in cepis, porris, & id genus similibus. Præterea Adnata, uel Adnascentia, siue potius Appendices dicere malis, uelut ramuli dicuntur, quos coles nonnunquam ex se mittunt, quasi nouam ascititiamq; prolem, contra primum naturæ consilium, uelut rudimenta quædam surculorum spargunt, quæ foliis tantum ornare destinarat. eáque quòd quasi adnascantur & superaccedant, Agnata nostri, uelut Græci, quòd circum caulem erumpentes accrescant, παραφυάδας appellarunt. Vertex, Fastigium, Cacumen id esse constabit, quod longissimo ab radice distiterit interuallo: ut Crus, quod proximum sit pedi. In ijs Vmbella summatim insidet, quæ est floris seminis ue pedamentum, in plures digestum longiores pediculos: qui simul ex fastigio eodem orti, in latius continuò radiantur, singulicq; florem uel semen sustinent, in orbem circumactum. Quod 20
quoniã umbellę, qua mulieres uultum uindicãt ab sole, & æstum arcẽt, circinatã effigiem gerit, Græci primũ hunc floris habitũ σκιάδιον: mox Græcos imitati latini, dixerunt umbellam: qua non inuenuste fœniculũ, anisum, sambucus, daucus, & alia pleraq; coronantur. Hanc non silentio prætermisit Martialis, eius uim numeris explicans,

Accipe quæ nimios uincunt umbracula soles:
Sit licet & uentus, te tua uela tegent.

In orbem quoq; radiatas herbarum comas, cacuminaq; in fasces coacta, Latini Muscaria uocitarunt, à flabri similitudine, cuius uentilatu muscæ conuiuijs abiguntur. Commendauit idem Poeta pauonina muscaria his uersiculis, 30

Lambere quæ turpeis prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Nanque gemmantibus pauonum caudis nonnũquam fieri solebant ad arcenda inuolantium muscarum agmina: sicuti ad excutiendum uestibus puluerem è bubula cauda factitari tradidit idem ijs numeris,

Sordida si flauo fuerit tibi puluere uestis,
Colligat hunc tenui uerbere cauda leuis.

Ex herbis, frondibus, & ramis quodam topiario opere scenæ fiebant, ut in castris alijs ue locis, frondibus, culmis, uiticulis, alijsq; rebus temporaria struuntur domicilia: quales ad umbram in hortis erigebantur, uti per æstatem homines ab insolatu sese uindicarent. antiquiores Latini Ategias uno nomine dixerunt. Topiarium intelligitur opus, quod ex ar- 40
bore, frutice, uel herba ad decorem cõponebatur in testudines aut cameras fornicatum. hinc Topiariæ dici merentur arbores, uel herbæ quæ nimirum huic operi, quòd flexiles sunt & suo lentore sequaces, accommodantur. Vides autem hederam, buxum, concamerata & hortorum fastigia conuestire: herbas quasdam, frutices q; topiario habitu, quadrupedes, alites, & quaslibet animantes imentiri. Sed satis topiarij uocabulum, aperta fronte græcam fatetur originem. Hæc obiter, ne forsitan studiosum lectorem aliquando remorentur, & perinde quasi partes ad exactam deliniationem pertineant, memoriæ tradidimus. Sed iam de quibusdam promiscuè particulis agamus. Cymæ quidam scaporum delicatiores teneriores q; coliculi, quos à prima sectione præstant. Nanq; cum uernum tempus appetit, primo quoq; foliorũ pullulatu, præclusis adhuc florum calycibus, quosdam 50
quasi turiones olus subministrat, in quibus floris primum, mox seminis fœtus concluditur, Græci κύημα quasi partum dicunt, ducta felici translatione à uentrem ferentibus fœminis ad brassicam, quæ ineunte uere turgens succo & complurimum cymosa sobole gra-

uida coli-

uida, coliculos enititur. Nec me fugit recentes quorundam olerum germinatus, turiones ue, uelut armoraciorum, sinapis, naporum, rapi, Cymas classicis authoribus appellari. Cyma quoq; licet muliebri sexu frequentius soleat usurpari, nonnunquã genere neutro græcorũ imitatione legitur. ut apud Columellã in carmine quod hortorũ cultui nũcupauit,

Tunc quoq; conseritur, totoq; plurima terræ
Orbe uirens pariter plebi regiq; superbo,
Frigoribus caules, & ueri cymata mittit.

Sic in fico Cradas dixerũt, & in olea Thalliam summos ramorum coliculos teneriores, nec à foliis sua mollicie magnopere diuersos. Flos quoque suis constat particulis. Calyx, folliculus est, quo flos primũ, mox seminis fœtus claudítur. Quæ in medio calycis erumpunt stamina, Apices dicuntur. Stamina, quod ueluti filamenta ab intimo floris sinu prosiliant. Habent apices sæpius in summo quidpiam crassiusculum, à qua similitudine nomen, ut arbitror, meruerunt. Cæterum flores sæpe medium alterum florem continent, foliisq; pluribus sepiuntur, qui duplices ostenduntur, ut anthemidis, lilij, nigræ uiolę. in qui busdam quædam uisitur uilloſa flosculorum congeries, quæ quod confercta sit densaq; floreſcat, Muscus dici cõsueuit: ut in liguſtro, & compluribus alijs. huiuscemodi partes, cum in alijs, tum in hac uelut facilè principe rosa conspicuæ sunt. Germinat omnis primùm incluſa generoso cortice, quo mox intumeſcente & in uirides alabastros fastigiato paulatim rubeſcens dehiſcit, ac seſe pandit in folia, in medio sui stanteis complexa luteos apices. Lanuginem ex floribus aut fructibus deciduã, tam Græci quàm Latini Pappum dixere. Sic lanosi quidam uilli, qui defloreſcentibus aliquot herbis remanent, & postmodũ in auras euaneſcũt, Pappi sunt, ut in carduis, senecione, soncho, & pleriſq; alijs fit. Pompeio tamen pappi fuere carduorũ flores, qui Lucretiũ citat in teſtem, ita canentem,

Veſtem nec plumas auium papposq; uolanteis.

Quum inuolucro fatiſcente pappi à suo consortio diſſoluuntur, abeunt in auras, & per aera prouolitant. Vngues in rosis & foliatis floribus ueteres intellexerunt, imas suorum foliorum partes, quibus in capite suo cohærent, decoloresq; dependent, medicinæ plurimum damnatas, quòd nullo insolatu conditi, colorem uel odorem contraxerunt, & incocto inutiliq; referciantur humore. quare flores exungulati, oleis, acetis, aut huiuscemodi condituris adijciuntur, ne facilè putrilaginem aspergine contracta sentiant. Herbæ quædam, arbores ue quadam lanugine pũbẽt, quæ est lanata quædam hirsuties, qua stirpium aliquot folia, coliculi, termites ue caneſcunt. Sunt etiam fructus qui lanugine quadam uestiantur, quæ si spiſſior fuerit, & uelut in lanificij glomum coeat, Floccorum nomine uenit. Continent fructus aliqui flocculos, lanosis uelleribus non abſimiles. Quarundam herbarum semina denſioribus floccis occuluntur. Lanosum quoque florem qualis in ſumma arundine per autumnum, & paluſtribus multis exit, Paniculam uocitari suprà memorauimus. Quibusdam & foliis, & colibus ineſt aculeata mordacitas, ut urticis. Aliæ ſpinarum armantur uallo. Quòd prętenue in durum mucronem occalluit, sic ut uellicet, uel stimulo quodam laceſſat, Spina uocatur: non aliter, quàm si comprimum à tãgentibus sentiatur, Sentis consuèuit nominari. nanque multæ partes herbarum, arborumq; durantur in ſpinas. Aculei, quæcunq; duriuſcula in cuſpidem turbinata punctionem inſligunt ſpiculorum modo. Quicquid numeroſa congerie aculeorum stipatur, siue tegmen, siue caput, siue cacumen, Echinus est: sic dictus quòd globoso ſpinarum agmine, maris herinaceum mentiatur. Armatum castaneis echinato cortice uallum est. Dipsaci caput echinatũ traditur. Nec longè secus Murex paucioribus sæuit aculeis. Sic carduis muricata sunt cacumina. Sic multa ſpinaceorum genera muricatis minantur uerticibus. Quod ad semina pertinet, ea multis & uarijs conceptaculis recipiuntur, siliquis, ualuulis, folliculis, loculis, uaſculis. Folliculus, theca rei cuiuslibet, quæ granum uel semen cõtinet inuolutum. Siliqua, tegumentum est, quo uel grana leguminum, uel herbarum semina concluduntur. nam non legumina modo, sed & complures quoque & herbæ & frutices siliquãtur. Valuuli cum cæterorum leguminum folliculi, tum pręsertim fabarum appellati sunt, quia uallo quaſi ualiuoli grana excutiãtur. Vaſcula reliqua seminum inuolucra, quæ si ueluti parũæ capſulæ ea recludant, Loculamenta dicuntur: si pecuniarij ſacculi follicularẽ formam

referet. Vulgæ ſibi nomen aſciſcit. Non deſunt, quæ nonnunquam curuentur in cornicula, ſunt & quæ ſcutulatam referant imaginem. quædam lenticularem figuram ſibi uendicarunt. Tenuis cortex & ueluti membranaceus, quo uel arbor uel radix inueſtitur, Tunica eſt. Sic cepe folliculis tunicatum eſt. Quod intercurſat, uel ambit quadam corij ſpecie, Membrana nominatur. Circinatus item florum uel foliorum ambitus, qui coliculos aut ramulos herbarum coronat, Verticillum eſt: ab inſtrumenti muliebris ſimilitudine dictum, quod fuſo uertendi gratia ſolitum eſt adhiberi. Marrubij coliculus uerticillatis floſculorum ſertis inſeritur. Sunt & aliæ partes permultæ peculiariter frumento & uiti dicatæ, quæ non niſi quadam proxima ſimilitudine, ſuam cæteris nomenclaturam elargiuntur. Culmus, frumenti calamus eſt, qui ſpicam ſuſtinet: ea & ſpicus, & ſpicum dicitur à Cicerone in Arato. Spica, quod culmus extulit. hanc antiquitus ruſtici ſpecam uocabāt, & à ſpe uidetur nominata. eam enim quòd ſperant fore, ferunt. Spica mutica dicitur, quæ non habet Ariſtam: & mutica quaſi mutila nominatur. Quæ mutica non eſt, in hordeo & tritico, tria habet continentia, granum, glumam, ariſtam. & etiam cum primitus oritur ſpica, ſtipulæ folia ſunt, culmum ambientia. Eſt autem Culmus idem quod calamus. Granum, dictum, quod intimum ſolidum eſt. Gluma, folliculus eius. Ariſta, quæ ut acus tenuis eminet è gluma, ſiue eius folliculo. proinde ut grani theca ſit gluma, & apex ariſta. Sunt autem ariſtæ partes in ſpica primæ, quæ à Græcis ἀνθήκιλοι dicuntur, & ἄθηροι. Ather in hordeo propriè, ut Galeno placet, cuſpis ipſa ſpicæ. Granum omnibus conſpicuum, gluma uerò paucis. uidetur tamen uocabulum etymum habere à glubendo, quòd eo folliculo deglubitur granum. itaque eodem uocabulo appellant fici eius, quam edimus, folliculum. Ariſta dicta eſt, quòd areſcit prima. Granum, à gerendo. id enim ferítur, uti ſpica gerat frumentum: non autem glumam, uel ariſtam. Sicut uitis ferítur, non ut pampinum ferat, ſed uuam. Gluma, tenuis grani tunicula, quòd id glubatur dicta. inde pecus glubi dicitur, cuius pellis detrahitur. Ariſtæ enim quaſi cornua ſunt ſpicarum, quæ primitus cum oriuntur, neque plane apparent. In qua ſublatent herba, ea uocatur Vagina: uti in qua latet conditus gladius. Illud autem ſumma in ſpica iam matura, quod eſt minus quàm granum, uocatur Frit: quod in infima ſpica ad culmum ſtramenti ſummum, item minus quàm granum eſt, appellatur Vruncum. Sic Frit, ut ſummo ſpicæ cacumine: ſic Vruncum ima parte geritur. Quod terræ hæret, poſtea ſubſecatur, Stramentum eſt. Contrà, quod cum ſpica ſtramentum hæret, & corbibus in aream deferebatur, ubi diſcedit in aperto loco palàm, à quo nominata, poteſt eſſe Palea. Alij ſtramentum à ſtando ut ſtramen dictum putant: alij ab ſtratu, quòd id ſubſternatur pecori. Paleas, ut Pompeius eſt author, Græci uocant ἄχυρα. Itaque frumentum & panis non ſine paleis, Aceroſus dicitur. Acus eſt, quod Græci ὀλύβαλον dicunt, id eſt purgamentum frumenti. Apluda genus fuit minutiſſimæ paleæ ueteribus, ſiue frumenti, ſiue panici. Non deſunt qui putent apludam ſorbitionis liquidiſſimum eſſe genus. Cum uentus inſpirat lenis, frumentum ſubiactari uallis aut uentilabris ſolet: ita fit, ut quod leuiſſimum eſt in eo, atque appellatur acus, euannetur foras extra aream, ac frumentum quod eſt ponderoſum, purum ueniat ad corbem. Seges tamen quum in articulum exibat, priuſquam uagina explicaretur in ſpinas, cædi quandoque ſolebat. Hinc Ocymum dictum à uerbo græco ὠκὺς, quod ualet cito, quòd citat aluum bobus: & ideo datur, ut purgentur. Id genus pabuli ſunt ſegetes uirides ſectæ ante, quàm ferant ſiliquas: contrà, ex ſegete, ubi ſata admiſta, hordeum, & uicia, & legumina, pabuli cauſa ſunt. Inde quòd far ferro cæſum, Farrago dictum: aut quòd primùm in farracia ſegete ſeri cœptum. Farrago peculiariter appellatur id, quod ex pluribus ſatis pabuli cauſa datur iumentis. Hæc duplex ſentit diſcrimen, quædam ex recrementis farris admiſta nonnunquam uicia, ſerebatur: nonnunquam ex hordeo, quæ Hordeacea farrago dici ſolita eſt. Hanc eſſe puto, quam Græci uocant graſtin: quanquam & multi non indoctè ſemiaridum fœnum interpretentur. Sunt & pleræque partes uiti priuatim attributæ, quæ etiam cæteris ſui cōſimilibus, liberaliter ſuam fœnerantur nomenclaturam. Nanque uitis, quòd inuitetur ad uuas pariundas, dicta primò uidetur: & à pariendo Parilema, ex imminutis literis, ut in multis, dici cœpta eſt Palma. Sar-

ma. Sarmenta, prælongæ uitium uirgulæ, in quas uitis luxurians spargitur. Palmites, eadem uitium sarmenta appellantur, quòd in modum palmarum humanarum uirgulas quasi digitos ædunt. Horum duo genera sunt, alterũ quod ex duro prouenit: quod, quia primo anno plerunque frondem sine fructu affert, Pampinarium uocant. alterum quod ex anniculo palmite procreatur: quod, quia fructu induitur, & protinus creat, Fructuarium apppellant. Emucidum sarmentum propter infirmitatem sterilescit, neque potest ex se ejicere uitem: quam minorem, uocant flagellum: maiorem etiam unde uuæ nascuntur, palmam. declinata: à uenti flatu flabellum prius, flagellum posterius. Coliculus intortus ut cincinnus, Capreolus est. is enim uites ut teneat, serpit ad locum capiundum: ex quo à capiundo capreolus est dictus. à quo & ueteribus Caprea uitis cognominata, quod capreolum pareret. Hæc caduca est, & nisi sit fulta, fertur ad terram. eadem, ut se erigat, clauiculis suis quasi manibus, quicquid est nacta, complectitur. quam multiplici serpentem lapsu & erratico, amputans coercet ars agricolarum, ne syluescat sarmentis, & in omneis parteis nimia fundatur. Ineunte uere, in ijs quæ relicta sunt, existit tanquam in articulis sarmentorum, ea quæ Gemma dicitur, à qua oriens uua sese ostendit. quę & succo terræ, & calore solis augescens, primò est peracerba gustatu: deinde maturata dulcescit, uestitaq; pampinis nimios solis defendit ardores. Sunt enim Pampini frõdentium ramusculorum comæ coliculiq; fructum fouentes, & ab impendente uindicantes iniuria. Hinc Pampinare est ex sarmento coles qui nati sunt, de ijs qui plurimum ualent, primum & secundum, nonnunquam etiam tertium relinquere, reliquos decerpere: ne relictis colibus, sarmentũ nequeat ministrare succum. Focaneus palmes uocatur, qui solet in bifurco medius prorepere. idcirco ueteres hoc uocabulo appellãt, quòd inter duo brachia, qua se diuidit uitis enata, uelut fauces obsidet, atq; utriusque duramenti alimenta prærípit. Is tanquam æmulus diligenter abnodandus, priusquã roboretur. Malleolus uerò nouellus est palmes innatus prioris anni flagello, cognominatus à similitudine rei, q; in ea parte qua decidítur ex uetere sarmento, prominens utrinque malleoli speciem præbet. uel quòd capitulatus utrinque & surculatus solebat seri. differt enim à sarmento sicut pars à toto: uerum rostratam ostendit imaginem. Sagittam prudentes rustici uocant nouissimã partem surculi: siue quia longius recessit à matre, & quasi emicuit atq; prosiluit: seu quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit. Surculos qui nihil attulerint, ijdem Spadones appellant: sicut Pampinarios, qui ex malleolo prorepserunt. ij frugibus sunt inhabiles: tempore tamen sequentis anni acquirunt fœcunditatem, quòd inhæreant stirpi suæ, quæ est natura ferax: misti adhuc parentis alimẽtis & fœcundi partus seminibus, ac uelut altricis uberibus educti paulatim fructum ferre cõdiscunt. Clauiculæ, colículi sunt, quibus quasi manibus proreptans uitis adminicula comprehendit. Gemmantes uere citat oculos in articulis, quibus ipsa germinat & pampini pullulant racematim. si tamen ij fructuarij penitus oculi in terram deprimantur, radices nõ materias creant. Extremam uitis partem Caput appellant, id est ultimum & productissimũ flagellum. Propago quoq;, uetula uitis est per inflexos arcus suppressa, ut ex una plures emergant. Nam cum fuerit anicula, supra terram iuxta suum adminículum curuatur, atq; ex alto scrobe submersa perducitur ad uacantem palum, tum ex arcu uehemẽter citat materiam. sequente anno insecatur superior pars curuaturæ medullatenus: ne totas uires matris propagatum in se trahat flagellum, & ut paulatim discat suis radicibus ali. bima deinde præciditur proxime palmam. Virgas quas è radicibus aut caudicis lateribus ciet quasi nepotum partu grauida, Sobolem dicunt, rustici malunt Suffraginem appellare. Ea quæ radicibus adhæret, explantanda est: quæ uerò lateribus prorepit, detrahenda, non aliter quàm qui excreuit pampinus suis nepotibus orbandus est, nisi propter caluitium loci sumatur in propagines. Cęterum uiticulas non palmites aut sarmenta herbariæ rei prudentes uocitarunt, sed à quadam similitudine Flagella, quæ uitis modo reptantia longè lateq; uagantur, ac uicinos frutices nacta, sic intricãt eos, ut ijs perinde quasi pedaminibus abutantur: uel eos scãdentia suis irretiũt clauiculis, quibus quasi digitis hærent: quales in cucumeribus, cucurbitis, & pleriscq; alijs inueniũtur. Sed iam ad uitis partũ descẽdamus, quę annua uice ęterno quodã puerperio,

læta mortalibus díſtenta muſto demittit ubera: ínter quæ fauente Líbero, fœtis palmitibus uel generis albi, uel flauentís ac rutili, uel purpureo nítore mícantis, undíque uerſícoloríbus pomis, grauídus collucet autumnus. Vua ſcopo & frequentíbus acínis compacta. Scopus, ramoſum id, quo dependent acíni. quíbuſdam etiam propríè racemus exíſtímatur, etſi plerunque cum uua confundatur. Scopi cum follículis ſubíjciendi ſub prælum, ut ſi quíd relíquí habeant muſti, exprímatur ín lacum. Acíni conſtant follículo, uínaceís, muſto. Follículus, omnibus euídentior eſt, quàm ut debeat declarari. Vínacei, grana ſunt acínorum, γίγαρτα Græcis appellantur, quæ preſsis uuís cum follículo abíjciuntur. Vua ſuo callo grata eſt, ut poſſit ínueníſſe Duracíni nomen, durus acínus. Nanque genera, magnítudine, colore, ſaporíbus acíní numerata. híc purpureo lucent colore: íllic fulgent roſeo, nítentq; uíridi. candídæ etiam nígræq;. tument mammarum modo Bumaſti. prælongís dactyli porríguntur acínis. Eſt & ílla naturæ laſcíuía, ut prægrandíbus adhæreant pergulís, mites & ſuauítate certantes, λεπτόρυγας has uocant. Durant alíæ per hyemem, penſíli concameratæ nodo. alía ín ſua tantùm continentur anima, ollís fictílibus, & ínſuper dolíjs incluſæ, ſtipatæ uinaceís circunſudantíbus. Quoníam & à patiéntía nomen acínis datur Paſſis. quanquam ut alíjs placet, Paſſum quod ín rugas eſt contractum. Vnde Vua paſſa dícta eſt, quòd ſit rugis ímplícita: ut Paſſa frons & Caperata dícitur, rugís quíbuſdam exaſperata. Sic myrtus nígra Catoní in umbra perareſcit dum erít paſſa, & ad uíndemíam ſeruatur condiendi uíní gratía. Conduntur & muſto uuæ, ípſæq; uíno ſuo ínebríantur: aliæ decoctæ ín uíno dulceſcunt. Inter acínos & baccas tamen hoc intereſſe putant, quòd Acíní ínter fœtus mínutíores herbarũ, frutícum, arborum ue denſius enaſcantur: Bacca uerò díſperſius & rarius. Inter acínos enumerantur grana uuæ, hederæ, ſambucí, ebulí, malí punící: addunt etíam morum, & quícquíd hís eſt ſímile. Inter baccas uerò partus laurí, olíuas, corna, fructum lotí, quam fabam græcam appellant, myrtí, lentíſcí, ſímílíumq;. nonnunquam tamen acíní & baccæ índifferenter poní audío. quod Vírgílíus teſtatur canẽs,

Sanguíneís ebulí baccís mínioq; rubentem.

Multorum quoq; fructus multís granís perínde quaſí acínulís compacti, racematím cohærent: alíj ſuís ſemínibus ín unum corpus coeuntíbus, coaleſcunt ín uuam. Corymbi dícuntur hederarum uuæ dependentíbus acínis coactæ. transferũtur tamen ad multos herbarum fructus. Faſtígía multarum acíní íucunda uenuſtate comant, ut ſuís locís oſtendátur. Poma, duntaxat fructus ſunt grandíuſculí, íj quíbus ueſcímur. Ceraſum, prunum, meſpílum, appellatíone pomí ueníunt. ab hoc quòd índigent potu, Poma dící poſſe putat Varro. nanque cum ínferuntur ſíccitatíbus, aquam poſtulant. Malum ídem eſſe cum pomo, pleríque omnes teſtantur. Sunt de agrícultura ſcríptores, qui ſíc malum à nuce diſtínguunt, ut Nuces dícant omne pomum, quod foris duro tegítur, & íntus habet quod eſuí eſt: Malum uerò, quod foris habet quod eſt edendo, & durum íntus íncludat. Quòd ſi punícum malum deſcíſcat ab hac fínítíone, non ínfirmare tamen debet præceptum, cum nihíl temerè ſtatuí perpetuum ín hís poſſit. Nam exotíca quædam non ímmeritò, cum ad nos ín poſterum ueníſſent, receptís apud nos nomínibus donata. non enim uno uel altero, præſertím peregríno contraueníente, latam pro uernaculís legem antíquare uoluerunt. In punícο malo putamen, quod Malícorium dícítur, ab uſu cíbarío prorſus abhorret: edules tamen íntus concípit acínos. Malí genera, cotoneum, aſſyrium, armenium, conditiuum, muſteum, martianum, præcox, punícum, perſícum: de quíbus ſuís locís díſſeremus. Nucũ genera ſunt, íuglans, auellana, ſeu pontíca, uel heraclíotica: nux caſtanea, nux græca, quæ & amygdala dícítur, & thaſía: nux moluſca, quæ (ut placet quíbuſdã) per ſícum eſt, ſcílícet ꝙ cæteris omnibus mollíor ſit: nux tarentina, quę íta mollis eſt, ut uíx attrectata, frãgatur: nux pínea. Iuglans notíor eſt, quàm ut debeat repræſentarí, fructu multís ínuolucrís occultato: calloſo primùm, herbaceóque cortíce: hínc compactílí carínarum loculo: mox tenuí tunica, críſpí íntus nuclei quadrípartitò dígeruntur, lígnea ínter cedente membrana. Gulíocas íuglandíum ſumma & uíridía putamína ueteríbus nomínata legímus. Nuces ponticæ, quas præneſtínas, alíj heraclíoticas maluńt nomínare, molli primùm calículo teguntur, mox lígnoſo quídem, ſed fragílí putamíne. cui tenuis

ſubeſt

ſubeſt membrana, rotundum operiens nucleum, in cuius umbilico quaſi peculiaris alter includitur nucleus. Perſicum malum Sueuius Moluſcam nucem uocauit, carnoſo pomo, ſucculento, extrinſecus lanuginoſo, dura intus & ſcabra nuce, in qua nucleus qualis amygdalis. matureſcit autumni exitu. malum cũprimùm fugax. Nux græca, quæ & plurimis Amygdala dicitur, geminis protecta operimentis, puluinati primum calycis, mox ligneí putaminis, cui ſolidus ſubeſt nucleus, acriore etiamnum callo obductus. Pinea nux conis coagmentatur lignoſis, frequenti nucamento in turbinatã effigiem compactilibus, in quibus nuclei ſingulis cameratis toris incluſi. Nux caſtanea callo conſtat intus plano, triplici teguminis ambitu, membrana primũ amara, mox lento cortice, poſtmodũ echinato calyce. Pyrum à figura nomen accepit, dictum quòd ad metæ ſimilitudinẽ è lato in acutum ſpectet, & in mucronem turbinetur. Sed pyrorum plura traduntur genera, quàm ut hic ſuccinctè poſſint enumerari, alibi ſuis mentionibus explicanda. Vmbilicus in pomis id eſſe debet, quod in eis medium uel prominet, uel cõditur. Iulius Pollux idem eſſe quod Fundum teſtatur. Glans magis arboribus quibuſdam peculiaris, qua quõdam homines uictitaſſe feruntur. nunc hoc pabuli genus ſuillum pecus uſurpauit, quo liberaliter ſaginatur in ſyluis. nanque hyeme tota gregem ſaturat. Glandes tamen opes fuiſſe multarum gentium, etiam pace gaudentium, conſtat. Necnon inopia frugum, arefactis olim molebatur farinis, ſpiſſabaturq; in panis uſum. Necnon per Hiſpanias ſecundis menſis glans inſerebatur, dulcior eadem in cinere toſta. Cautum erat præterea lege duodecim tabularum, ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. Genera earum permulta diſtant fructu, ſitu, ſexu, ſapore. Nanque alia fagineæ glandi figura, alia quernæ, alia ilignæ. præterea ſunt aliæ ſylueſtres, aliæ placidiores, quæ culta obtinent. diſtant ſexu mares & fœminæ. item ſapore dulciſsima omnium fagi, ut quà obſeſſos etiam homines in oppidis, duraſſe Cornelius Alexander affirmauit. harum proprietates naturæ, ſuis mentionibus edocendæ. Sunt & alia, quæ potius ad figuram uidentur pertinere: ut tamen futuris herbarum deliniationibus fundamenta iaciantur, non erunt ſilentio diſſimulanda. Cuiuſmodi ſunt mucro, turbo, meta, puluinus, torus, ſtriæ, ſtriges, crenę, laciniæ, fimbriæ. Acumen in quod pars quæcunque deſinit, Mucro dici poteſt. eo nomine foliorum multorum, ſiliquarum quarundam, & ſpinarum omnium extrema in mucronem acuminãtur. nec ſecus quod exit in acutum, faſtigiatur in mucronem. contrà, Turbo dicitur, quicquid ex acumine tendens in amplius ſpatiatur. Turbinis effigies ita ſe habet, ut ex anguſtiſſimo quoque continẽter prodeat in latius, quem ſubinde uerſatum uerbere, puer oblectamenti gratia, per plana citum agit. Siquidem hoc iocularis inſtrumenti genus, à faſtigiata cuſpide creſcit in amplum, & in latum ſe diffundit. Turbo inuerſæ metæ ſpeciem exhibet, inde turbinata conſpicitur pyrorum forma. Sic permulta herbarum folia in mucronem turbinãtur, & inuerſo habitu fructus nonnulli uel partes in turbinem mucronantur: quamuis in re idem eſſe mutatis ſolum formis, nemo dubitabit. Nanque ſi rem ex acumine in latius continuo duci contuearis, potius quòd ea ſit turbinis facies, dicetur turbinari. contrà, ſi rem è latiore figura in arctiorem protrahi contempleris, dum in acutum faſtigetur, aptius credetur Mucronari. Quanq; identidem inter ſe confundantur: eſt tamen meta idem, quod inuerſus turbo, Conus à Græcis appellata, uel Pyramis: ſicut rectus turbo, Calathus: ſic fœminæ cupreſſi meta in faſtigiũ eſt conuoluta. Puluinus eſt, quod inter uerſus aut ſulcos eminulũ protumet, dictus q; quãdam refert puluinorum in quibus ſedemus ſimilitudinẽ. Prominentes partiũ calli, & in ſe pulparũ modo collecti, Tori nominãtur. ſic & multæ radices toroſæ depinguntur. Striæ, partes quædã, & (ut ita dicam) femora ſunt, quæ protuberãt, βόχας græci nominãt: ſicuti caua canaliculiq;, Striges, ſi Vitruuio credimus, appellãtur. Strigas tamẽ Feſtus interpretatur, ordines rerum cõiunctim inter ſe collocatarum, à ſtringendo nominatas. Striatus caulis dicitur, qui huiuſcemodi ſtrijs eſt præditus, aut ſtriaturis exaſperatus. Crenæ, quędam ſunt in extremis oris inciſuræ, à quibus Crenata herbarũ folia declarantur. ſicuti quæ per ambitũ ſecta, & ſerræ modo dẽticulata, doctis appoſitè Serrata tradũtur. In ſagitta quoq; partis extremæ ſectio, in quã neruus inſeritur, arcũ tendere uolẽtibus Crena dicitur. ſumma quoq; arcus cornua crenas habẽt, in quibus collocatur inſidetq; neruus. Lacinię, partes ſunt extremę,

particulatim

particulatim decoris causa concisæ, orarumq; summarum cęsuræ. inde folia membratim perflexuras digesta, uel natiuis segminibus discreta, Laciniata uocitantur. multarũ arborum frondes laciniãtur. Quamuis Lacinioſum frequenter docti pro sinuoſo usurpent: ut, quæ in ambitu folia in quasdam fimbrias exeunt, meritò Fimbriata dixerunt. Sed ne longius forsitan noster aberret sermo, cohiberi debet: & quod supereſt, in uerba conferri pauciſſima: ne hunc longiorem aures uel delicatæ nimis, uel moroſæ faſtidiant, ijs partibus finem faciamus, modo unum uel alterũ explicuerimus uocabulũ. nam fœtus arborum herbarũue in orbiculos circinatè coeuntes, Pilulas ſolent appellare. Pilulæ paruæ corticiæ, quę naſcuntur in cupreſſo, propriè Galbuli ſunt, in quibus primigenia ſemina dedit natura. In cæteris, Nuces & cum generali uocabulo dici putantur. Nec ſecus Groſſi appellantur fici, quæ non matureſcunt: priuatim tamen in bifera fico, eas intelligunt, quæ per meſſes maturãtur. Has groſſulos græci dicunt ὀλυνθους. Sed de ijs hactenus. Multa in ſingulorum hiſtoria narrabuntur exactius, ſed ea craſſiore quadam (ut ita dicam) muſa, pro ſequentium arborum fruticumq; deliniatione, fuerant prælibanda.

De partium officijs, nutricatu, & humore. Cap. III

ID proculdubio uerũ eſſe ratio nos admonet, ſi modo in corporibus noſtris propria ſunt officia cuiuſcunq; membri, ſic et frugiferarũ ſtirpium partibus propria munia. Videmus hominibus inſpiratã uelut aurigam rectricemq; membrorũ animam, ſenſusq; iniectos ad ea diſcernenda, quę tactu, naribus, auribusq; & oculis indagãtur, pedes ad greſſum cõpoſitos, brachia ad complexum. Ac ne per omnes uices miniſteriorũ uageture inſolenter oratio, nihil aures agere ualent, quod eſt oculorum: nihil oculi, quod eſt aurium. Nec generãdi quidem data eſt facultas manibus, aut plantis: ſed quod hominibus ignotũ uoluit eſſe genitor uniuerſi, uentre protexit: ut diuina præditus ratione, rerum æternus opifex, quaſi quibuſdam ſecretis corporis, in arcano atq; operto ſacra illa ſpiritus elementa, cum terrenis primordijs miſceret, atq; hunc animantis machinæ ſpeciem effingeret. Hac lege pecudes & uirgulta progenuit: hac ſtirpium genera figurauit, quibus eadem ipſa mater & parens primum radices, uelut fundamenta quædam iecit, ut ijs quaſi pedibus inſiſteret. Truncum deinde ſuperpoſuit, uelut quandam ſtaturam corporis & habitus, mox ramis diffudit quaſi brachijs. Tum caules & ſurculos elicuit, ueluti manus: eorumq; alios fructu donauit, alios fronde ſola ueſtiuit, ad protegendos tutãdosq; partus. Ex his igitur quædam ſunt genitalia membra conceptu atque fœtu grauida: quædam tanquam tegmina & umbracula eorum, ut quę fructibus uidua ſunt. Sic prior ſermo colligebat unicuique corporis parti eſſe attributum officium, quod ſcilicet ei conuenit: ut ſurculo qui opportuno loco natus eſt, fœcunditatis uis inſidet. quòd ſi nonnunquam ceſſet à partu, non tamen ut orbus uel ſterilis, à choro fertilium erit explodendus. ſurculis itaque genitalis ſedes aſsignatur. Sed cum omne quod adoleſcit augeturq;, capeſſat alimentum oportet, hoc non niſi concoquentis caloris beneficio ſuppeditatur. ſtirpes itaque principium aliquod caloris habeant, eſt neceſſum, quę ſuis radicibus alimentũ ex nutricio terræ ſinu, uel altricis uberibus, integrum & confectum hauriunt. Terra enim perinde atque uentre utuntur, ſuccumq; alendis partibus ea diſpenſat, ac ſuis ſeminibus ad educandam nouam prolem conſpirat. Ratio educationis hæc. Radices proximo terræ atque illibato ſucco aluntur. Hæ uelut altricis uberibus eductæ, ſugunt: dein ad reliquas trunci partes humor omnis & alimentum quod à ſolo miniſtratur, tranſcurrit, dum ad ultimum proueniat. Naturali enim ſpiritu omne alimentum uirentis, quaſi quædam anima, per medullam trunci, ueluti per ſiphonem, quem diabetem uocant mechanici, uel cæcos meatus trahitur in ſummum. Quò cum peruenerit, ibi conſiſtit, atque conſumitur. inde uides multa in capitibus germina. Quòd ſi alimentum nimis redundans reflectatur in crure radicibus uicino, ſtolones multi prorepent, huc conuerſo humore. Herbæ certis temporibus ſilent, nec prius in caulem exeunt, quàm ſuo fœtu prægnantes parere geſtiant. In ijs quæ reſtibili radicis fœcunditate regerminant, turgens ſucco radix nutrimentum cauli, ramulis, ſurculisque per quoſdam quaſi tubulos uel uenulas impertitur. Sed ijs quæ caduco parentis ſemine renaſcuntur, prius in radicem creſcunt, quæ poſtmodum alimenta reliquis partibus ſubminiſtret.

Sed humor

Sed humor quoq; cortici arborũ ſubeſt, qui ſanguis earum intelligi debet: nõ idem omnibus, ficis lacteus, huic ad caſeos figurandos coaguli uis: ceraſis, gummoſus: ulmis, ſaliuoſus: lentus ac pinguis, malis: uitibus ac pyris, aquoſus. uiuaciora quibus lẽtior. Fructibus ſuus ineſt ſuccus: uinoſus pyro, moro, myrto, minimè quod miremur, uuis. At pinguis, oliuæ, lauro, nuci iuglãdi, amygdalis: dulcis uuis, fico, palmis: aquoſus prunis. Magna eſt in colore differẽtia. ſanguineus moris, ceraſis, cornis, uuis nigris, ſambuci & ebuli baccis: cãdidus uuis albis: dilutus herbis multis: plurimis è tritis uirens. luteo ſucco madet Chelidonium maius. Argemone crocatũ ſuccum remittit. Glaucũ croceo liquore turget. Hyperici coma floſq; detritus ſanguineũ ſuccum profundit. folia Androſæmi cõtrita huma no cruore manant, unde nomen inditũ. Aſcyri ſummi partus attritu digitos cruentãt. Attractilis uulnerata, aut membro mutilata, ſanguineũ ſuccum fundit. ſi à Gnico ramulus euellatur, cruore quodam perfundetur. Sylueſtris Gnicus aliqua ſui parte caſtratus, cruenta tabe ſuggillatur. Anchuſæ radices meſsibus ſanguineũ ſuccum plorant: ob id mulierculis non incognitæ, quæ iucundo colore uitia palloris occulunt, & nimium faciei candorem hoc fuco mentiuntur. inde ceras quoq; non inelegãter inficiunt. Radix Centauri maioris rubro liquore dum uiret, eſt imbuta. Sic Lithoſpermon parte exteriore radicis, rubore perfunditur. Rubia tingendis lanis ſuo rubro liquore cõmendatur. Lycopſis radix rubro rutileſcit colore. Verũ quæ rubræ ſint radices, nec multo pòſt declarabuntur. Lacteo ſucco complures herbæ comperiuntur prædítæ. Lactuceis omnibus candidus ineſt ſuccus. Lactuca tam ſatiua, q; ſylueſtris lactat, ideò nomen adeptæ. Hieraciarũ lac nouerunt accipitres, quòd eam ſcalpendo, ſuccoq; oculos tingendo, obſcuritatẽ cum ſenſere, diſcutiant. Sonchus & Tragopogon exiguum lac illato uulnere collachrymant. Sed hę pauco quidem & innoxio liquore contentæ ſunt: aliæ copioſiore turgent. Thapſiæ radix laxato plaga cortice, lacte manat copioſo: quare fornicem in ipſa excauant radice, mox operiunt, ut merus confluat liquor: poſtridie eò ſe conferentes ſuccíſam tollunt, tum contuſa, & organis atq; fiſco expreſſa remittit ſuccum, quem fictili ſuſceptũ ſiccant. ſed ſilente cælo lachrymam hanc elíciunt: ne ſi forſitan uentus aſpiret, faciem ignis ſacer puſtulis ac fœdis ulceribus obſidat. Hippophaes quoq; lacteo ſucco diſtenditur. Tithymali genera omnia lacte referciuntur. pityuſa, lathyris, peplos, lacte non immodico madent. Scammoniæ radix lacte tumens preſcinditur, facta in teſtudinis modũ cauerna, in quam lachryma confluat. Chamelæa lacteo liquore ſcaturit. Papauer quoq; lacte diſtentum inuenitur. Radix herbæ, quæ Apios Græcis dicitur, digitis friata candidũ oſtendit liquorem. Radicis dulcis folia gummoſo lentore tenacia tangentibus hærent digitis. Radici Cyclamini ſecũda lentitia manuum ſequax inſidet, ſic ut inuiſcatæ uix ea poſſint explicari. Pinguis & glutinoſus maluis ineſt: oleoſus myagro. unde oleoſam ſaniẽ ſemẽ reddit, qua ad lucernarum lumina utuntur. Multis herbarum ſeminibus, præſertim uetuſtatem ſentientibus, uel recẽtibus uernaculus liquor in oleoſum degenerat. Quo fit, ut è grano gnidio, cnico, raphani ſeminio, melãthij, ſinapis, hyoſcyami, papaueris, napi, rapi, oleũ nõnunq; exprimatur. Multæ herbæ aquoſo ſucco madídæ ſunt: aliæ pauco uel nullo imbui conſpiciuntur.

De carne, neruis, uenis. Cap. IIII

SVbeſt cortici Caro: quod materiæ optimũ fuerit. Oſſa uocant. proximi ſuccis Adipes. Ii uocantur à colore Alburnum, mollis & peſsima pars ligni, facile putreſcens, & teredinibus obnoxia: quare uelut marcori patens ſemper amputabitur. Alternant fructus, quibus ſiccius lignum, ut olea, magis q; quibus carnoſum, ut ceraſus. Nec omnibus carnes adipes ue largè noſcuntur. neutrum habent buxus, cornus, olea: nec medullam, minimũ etiam ſanguinis. Sicuti oſſa non habent ſorba, carnem ſambuci: ſed plurimã ambæ medullam. Arundines maiore ex parte carne uacant. In arborum carnibus pulpæ uenæq; reſident. Sed differentiam quandam efflagitant, uenæ latiores candidioresq; ſparguntur, pulpæ fiſsilibus inſunt. ideò fit, ut aure ad caput trabis quamlibet prælongæ admota, ictus ab altero capite uel graphij ſentiatur, penetrante rectis meatibus ſono. Quorundam carni perinde quaſi corporibus humanis glandia ſubtument, quodam callo carnis in ſe conuoluto. hoc pretioſum inuenitur in citro & acere. Cętera menſarum genera fiſsis arboribus circinantur in pulpam. alioquin

fragilia

fragilis esset uena in orbem cæsa. fagis pectines trāsuersi in pulpa, quarum lignum potius in longitudinem fluctuat. Quibusdam pulpa sine uenis mero stamine & tenui cōstat. hæc fissilia maximè traduntur. alia frangi celeriora quàm findi, quibus pulpa nō est. Sic oleæ, uites, magis fracturæ ꝙ fissurę patent. At contrà, totū à carne corpus fico. Tota ossea ilex, cornus, robur, cytisus, morus, ebenus, lotus, & quæ medulla carent. Fulua cornus in uenabulis nitet, incisuris nodata propter decorem. Cæteris nigricās colos. Cedrus, & larix, iuniperusq; rubent. Qui frutices, herbæ, uel arbores recto neruorū stamine coaluerunt, quòd frangentem magis cæteris uiolentiā respuant, uinculis fascium dicatæ sunt. Hinc genistæ, populnei ramuli, ulmei sanguinei frutices, betula, arundo fissa, & folia earundem, uitis, recisisq; aculeis rubi, atq; intorta corylus alligant. Mirumq; contuso ligno alicui maiores ad uincula esse uires. Hac in re salici præcipua dos. Quæ materie constant spississima grauissimę iudicātur, ut ebenus, buxus. neutra in aquis fluitat. Nec ijs pondere cedit aspalathus, qui demersus aquis cōfestim sidit, nec unquā solet emergere. Suber si cortex exi/matur, pessum it: cortex tamen semper supernatat. ideo uerriculorū funiculis appendens illigatur, ut enatātes supersint. His proxima est cornus, inestq; spissa firmitas. Ilex & olea ster, castanea, populus, crispantur aceris modo. ramis deputatis castratio illis est, admitq; uires. Robori tanta duritia est, ut terebrari nisi madefactū non queat, & ne sic quidē adactus auelli clauus. E diuerso clauum non tenet cedrus. mollissima tilia. Sed magnum caloris argumentum afferunt, quòd citissimè ascias retundat. Calidæ: laurus, morus, hedera, & omnes, quibus igniaria fiant. Teritur lignum ligno, ignemq; concipit attritu. Etenim cum ad excutiendū ignem non semper adsit lapidis occasio, hoc rerum magister usus edocuit, excipiente materia aridi fomitis, fungi, facillimè conceptū. Cæterum uelut quædam superiora breui repetebantur formula. Medullæ inter se discrepant. Quibusdam carnosa subest, alijs lignosa, alijs membranacea. Carnosa uiti, fico, punicæ, sambuco, ferulæ, rubo. ideoq; fungosi generis existimātur. Sicut adacta rude, sambuci medulla excutiatur, canora buccina tubáue audiri possit. Lignosa sentitur larici, abieti, pino: sed hinc præcipuè, q plurimum tedæ ingerat. His durior, spissiorq; ut ossea uideri possit corno, ilici, robori, cytiso, moro, ebeno, celti, quem nuper lotum diximus. quæ quidem inter se coloribus distant. omnes enim nigræ conspiciuntur. quinetiam robori talis, quod nigrū cognominant, non omnes lignis duriores. quamobrē flexui nulli sunt opportunæ. aliæ tamē alijs solutiores. In fruticosis duntaxat & humili genere membranis similes nimirū inueniūtur, ut in arundine, ferula, & reliquis huiusmodi. Membranosam ne ullæ quidem possident. Sunt quæ prægrandem contineant & omnibus perspicuam, ut ilex, robur. quædam exiguam incertioremq; gerunt, ut olea, buxus. Quapropter quidā non in arboris medio sibi sedem uendicasse defendant, sed per totum dispergi lignum asseuerent. Nec desunt, quę nullam omnino medullam habere credantur. Medulla radicibus ubiq; inest, sicuti caudicibus & ramis. Laricum lignum nullis fissile rimis, quod medullæ proximū est. Cedrus durissima, quæ medullæ proxima, uelut in corpore ossa. Sambuci quoq; interiora mira firmitudine traduntur, ita ut ex ea uenabula factitari legerimus, quæ omnibus præferrentur. ex cute siquidem constat, & ossibus. Radices herbarum quæ sunt edendo, multa carne sunt munitæ, uelut raphani, naporum, rapi: imò nonnullæ quandam cartilaginis speciem præ se ferre conspiciuntur. quapropter & Cartilagineę nominantur. Hisce radicibus & tori quidam & pulposa nonnunq; caro deprehenditur. Torosa est inulæ radix. Continent tamen pleræq; ligneum quiddam, quod medium transcurrat, Cor quasi medullam rustici uocāt. senescens radix olerum ligneścit. Ferunt, si medullam inserendis surculis uel uiuiradicibus osseo stylo subtrahas, fructū sine ossibus et ligneis nucleorū putaminibus proditurū, perinde quasi medulla parētis altrix sit & nutricia eorum, quę osseam duritiē cōtraxerūt.

De radicibus arborum, fruticum, herbarum. Cap. V

AGna est radicum differentia, ut ab elatiori genere nunc exordiamur, tandem ad humilius descendentes. Copiosę fico, robori, platano: & si sedem nactæ sint expeditam, subire quantumuis & euagari poscunt. Breues & angustæ malo, & puniceo: singulares abieti & pino datæ sunt, ita ut una prægrandis pessum eat qua nitatur, quàm minimis in latere dispersis. Earum quæ radice firmātur

dice firmantur unica, quædam prægrandem, quæ ex medio proficiscitur, in altum agunt, ceu amygdala. Paruam defigit olea, cæteras grandiores, ramosas ac contortiores exigit. Crassiores lauro & inæquales. Dissident quoq; spissitudine uel asprituđine: quanquam quod terra cõditũ latet, semper multo rarius habeatur, quàm quod supra ramosum emersit. sic aliæ spissiores magisq; surculosæ funduntur. Oleæ ramosæ, abieti neruosæ, robori carnosę potius. robora suas in profundũ agunt. Quòd si Virgilio credimus, esculus quantum corpore eminet, tantum radice descendit. Sunt quibus per summa cespitũ diuagentur, ut punicæ, oleæ, malo, cupresso: alijs recto meatu, ut lauro: alijs flexuoso, ut fico. Minutis hæc capillamentis hirsuta, ut abies, multæq; sylvestrium, è quibus montani prætenuia fila decerpentes spectabiles lagenas & alia uasa nectunt. Quidã non altius radices descendere putat, Theophrastus, quàm solis calor possit tepefacere: quod falsum cõmẽtitumq; Plinius arbitratur. Longè maxima spatio & plenitudine cedri est: ab ea platani, roboris, & glandiferarũ. Quarundam radix uiuacior superficie, ut lauri. itaq; cùm trunco inaruit, recisa etiam lætius fruticat. Sunt qui radicum breuitate celerius senescere arbores existiment: quod coarguunt fici, quarum radices longissimæ, & senectus ocyssima. Prostratas restitui plerunq;, & quadam terræ cicatrice reuiuiscere uulgare est. Familiarissimum hoc platanis, quæ facile deturbantur, quòd uim uentorum concipiant propter ramorum densitatem. Iuglandes quoq; sua sede luxatis turbinis impetu radicibus in suam scrobem restituuntur. Sic multæ arbores ruentis procellæ uiolentia refixę, si confestim in natiuã scrobem relegentur, iterum cõprehendent. Insuper, radices quædam sobolis procreandę uim possident, ut punicæ, uitis: aliæ nepotes nonnunquã creant, ut cupressi, pini, abietis: siquidem nulli stolones imo crure, uel radicũ capitibus prorepunt. sunt quę radicibus careant. Tubera terra undiq; circũdantur nullis fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec extuberante loco in quo gignuntur, aut dehiscente in rimam. Fungi quoq; sine radice nascuntur. Sed iam quod fueramus polliciti, ad humile genus descendamus. Frumenta multis radicantur fibris siue ramis. Legumina omnia singulas habẽt radices, præter fabam, easq; surculosas, quia non in multa diuiduntur: altissimas autẽ cicer. Olerũ ferè maior pars radice cohæret singulari, ut brassica, apiũ, beta, rumex. Hortẽsibus omnibus ferè singulæ radices, quæ pro corporis sui ratione altius q̃ arbores profectò radicantur. Amplissima uerò rumici, ut quæ descendat ad tria cubita. Sylvestri, minores, tumidæ. effossa quoq; diu uiuit. Quibusdam tantum capitatæ, ut apio, maluæ: quibusdã surculosæ, ut ocymo, erucæ: alijs carnosæ, ut betæ: multo magis aro, hastulæ regiæ, aut magis etiamnũ croco. Aliquibus ex cortice & carne constant, ut raphano, rapis. Quorundam geniculatæ nascuntur, ut gramis, arundinum: quarũ radices fibris innixæ corradicantur. Quædam rectam non habent radicem, statimq; plurimis nituntur capillamentis, ut attriplex, blitum. Nonnullæ multiplicibus tunicis corticatæ, nõ nisi in rectũ radicantur, ut scylla, bulbi, cepe, allium, quæ tot & tantis tunicis uestiuntur, ut aliqua semper eximi queat. itaq; duplex radicis genus exhibere uidentur. Capitatarũ corpus ferè carne & cortice tutum est, tenui folliculo totum inuestiente. Quapropter non immeritò uenit in dubiũ, si hę in radicum numerum ascisci deb eant. etẽ quod subter terræ cohæret, radix esse creditur: quod è diuerso promitur, nullam radicis cõditionem nancisci putamus. Siquidem radicis is est habitus, ut parte posteriore semper extenuata, in gracilitatẽ quasi in mucronem acuminetur. Radix scyllæ, bulbi, cepæ, contrà crescit, ut in latius tendens inolescat. Item cæteræ lateribus fibras iaciunt: illæ potius glabræ, medio capite capillamenta quędam fundunt, quibus pars extuberans alitur, quo nomine fructus uideri satius posset q̃ radix. Attamen ut omnis ambiguitatis facessat suspicio: nempe id genus capitulata se radices esse fatentur, quòd sub terra distenta condantur, & suopte ingenio caulem citent. radicis itaq; nomenclaturã sibi non immeritò uendicabũt. Nec forma in metam acuminata, uel in globum coacta quouis modo refragatur. Hoc tamen peculiare sortiũtur. illa carnosa radix à capillamẽtis allicit nutrimentum, uiuaxq; solo eruta frondescit. Herbarum quoq; radices magnam iterũ sentiunt differentiam. quædam magna grandiq; radice fulciũtur: aliæ paruis & exilibus contentæ sunt. Magna radice firmatur utrunq; heleniũ: prægrandi dracunculus uterq; nititur. Capparis sua abutens magnitudine ultrò citroq; diuagatur, cogitq; solum sterilescere, nisi primum

area in defossum cauata ripis undiq; circunstructis lapide coerceatur. Aloæ radix ceu palus in terram depactus figitur. Centauriũ maius, radice uasta, bicubitali longitudine descendit. Libanotis, quæ & Rosmarinũ dici nostris debet, radice iustæ magnitudinis sustinetur. Sphondylion cum raphano corporis similitudine contendit. Oenanthæ radix magna in multa (contra multarũ morem) capitula tandem extuberat. Syluestre lilium radice grandi, quamuis bulbosa, præditũ est. Astragalus etsi humilis frutex ferè cæteris cedat, magnitudine tamen cum raphano audet certare. Mandragora radicibus magnis implicatur. Syluestris cucumis Anguinus nomine, ingenti radice roboratur. Contrà hydropiper exigua radice gaudet. sic & catanance genus secundũ. Ranunculum exigua radice cõtentum est: centauriũ minus pusilla. Panaces asclepion, & chironium, parua gracilíq; lætatur. Phalangiũ exigua, trifolium tenui donãtur. Anthyllis radice parua subsistit. Phalaris minutis radicibus abutitur. Onobrychis parua, bretanica tenui cõstant. Cicutæ radix nõ altè demittitur. Onagra, leontopodion, phyteuma gracili paruaq; cohæresc unt. Mollitie item & duritia discrepant. Radices equiseto in lignum cõcrescunt: æthiopidi durantur, ut cornua possint uideri. Smilax aspera radicis duritie pollet. Poterion suas radices firmat, leucacantha robustam gignit. Astragali radix adnascentibus præduris, & uelut in cornua conplicatis riget. Characiæ tithymali durescit in lignum. Aliæ mollitie cedunt, ut polygonati, quæ præmollis sentitur. Hypophæston molli radice sustinetur. Sunt quę singulari radice nitantur, ut uerbenaca, ephemeron, peplos. Contrà numerosis radicibus gaudet asaron. Duplici montanum nardum detinetur: multiplici lycium spargitur. Critamon ternis quaternis ue fruticat. Capparis complurimas surculosasq; conspergit. Chelidonium masus multos colligit callos, in tritici modum aceruatim cõgestos, quorum tres aut quatuor in longitudinem exeunt. Asclepiadis radix numerosis atq; prætenuibus fibris capillatur. Circæa triplici ferme, quadruplici ue radicatur. Alcæa quinis senis ue cubitalibus ue suffigitur. Aethiopis numerosis scatet radicũ fibramentis. Veratrum candidũ multis capillamentis ab oblongo capite ceparum modo coalescentibus cõfibratur. Nigrum uerò, prætenuibus capillamentis ab uno fastigio dependentibus, cepitiorũ cirrorum more capillatur. Gramen multis proserpit radiculis. Filicis radix compluribus cirrata capillamentis horret. In ceparum uerticibus fibræ capillitiq; modo fruticant. In allij consimiliter cacumine plusculum fibrarum crispatur cirrorũ specie. Vertex bulborũ porrorumq; densis crinibus non ineleganter comatur. Auriculæ muris alterius radix, frequenti capillitio comata fibratur. crassitudine et tenuitate radices dissident. Phu radice primori minorem digitum æquat. Critamum treis aut quatuor digiti crassitudine fundit. Plantago digitalem crassitudinem implet. Orobanchæ radix pollicis crassamentũ refert. Muris auriculæ secundæ radix digitali crassitudine grandescit. Aristolochia tuberibus radicũ rotundis intumet: alterius rapo non dissimilis in orbem cõglobatur. Cui gentiana crassamento respondet. eius radix, quæ Græcis apios dicitur, turbinatur in pyrum: inde nomen inditum puto. Centaurij maioris radix in amplum corpus excrescit. Chamæleonis albi radix locis pinguibus et lætis crassescit: in montuosis & ieiunis gracilescit. Radix anemonæ complet oliuæ magnitudinem. Chrysogoni radix ut rapũ extuberat. Niger chamæleo crassa radice ut carduus firmatur. Eryngij radix pollicari crassitudine turget. Pastinacæ radix pollicem crassa, dodrantalis extenditur. Elaphoboscí digitũ crassa, quadrãtalis ferè porrigitur. Daucí radix digitali crassitudine & longitudine palmari adolescit. Pyrethri radix pollicari crassamento succrescit. Peucedanũ radice crassa nititur. Pæoniæ maris radix crassitudine digiti, & palmea longitudine coalescit. Polygonatũ radicem crassitudine digitali mittit. Symphytum petræum crassum. Periclymenum in orbem coactam crassamq;, medium radice baculi crassitudine peræquat. Corniculati papaueris radix crassa per summa cespitum aprica tur. Dorygnion radicem digitum crassum submittit. Ebuli radix in digiti crassitudinem exit. Cepe uerò uel capitata, multis cartilagineis tunicis compacta est. Quæ ferè citra cer uicem in singulare caput extuberauit, Vnionem rustici appellant, uel pluribus coagmentatur bulbis. Allij bulbus frequentibus spicis coactus est, grãdiore folliculo omnes simul ambiente, ut in caput comatum coaluisse uideantur. Porrum simplici capite ex albæ cerui cis angustijs extuberante concrescit. Bulbi radix multis congesta nucleis in crassum extumescit

meſcit caput. Multæ & herbarum radices bulboſæ traduntur, ut croci, lilij. Narciſſi radix in bulbum rotũ datur. Xiphij radix in duplicem ordinem digeritur, quarum una ceu bulbis paruis inſidet alteri, inferiore gracili, ſuperna ſemper habitiore, adultioreq; . Satyrij radix bulboſa mali modo coacta conſpicitur, intus album oui ferè concludens. Pancratij radix inſtar bulbi prægrãdis inoleſcit. Orchis quem teſticulũ uocamus, radice bulboſa inſignitur oliuę modo gemina: ſuperiore, quæ durior & calloſior eſt: inferiore, quę mollior & rugoſa. Serapias orchis ſua radicis effigie teſticulos mentitur. Colchici bulbus mediã habet rimam, qua flos erumpit. Hyacinthus radice bulbacea cõſtat. Ariſari radix oleę tuberculo uiget. Dracunculus radicẽ gerit bulboſam, raphano nõ diſſimilem. hanc prorſus ari radix æmulatur. Haſtula regia radicibus oblongis quaſi glandibus ſcatet: perinde quaſi bulbus eſſet, multis allij nucleis coagmentatus. fœminę pæoniæ bulbi radicibus ceu glandes circiter octo uel ſeptem aſphodeli modo coaceruantur. Cyperi radix in oliuarũ tuberculainuicẽ modicis interuallis cõmiſſa coit. Bulbina & uomitorius bulbus ſuam appellationem bulbacea radice ſatis fatentur. Sed iam ad tenues redeamus operępretiũ eſt. Aſari radices in tenuitatẽ gracileſcunt. Minor plantago tenuioribus, ſed piloſis horret. Coronopus exilem poſſidet radicẽ. Origanum ſylueſtre gracilẽ & eandem inutilem ſortitũ eſt. Panaces aſclepiũ in tenuitatem ſuã acuminat radiculã. aſclepias tenuibus ſed numeroſis radicibus capillatur. Atractylis tenui radice nititur. Phalãgiũ radicula gracilis ſuſtinet. Tuſſilaginem tenuis fulcit. Ambroſia cõſimili lętatur. Onoſmatis radix tenuis & infirma procumbit. Anthyllis gracili cohæret fibramento. Phalaris thyrſulos fundit à tenuibus & ſuperuacuis radicibus bipalmes culmorũ ſpecie. Rubia tenuem promittit radicẽ, Cepæa tenui fibra cõprehenditur. Aliſma tenuibus ueratri nigri radiculis fibratur. Betonica tenuibus radicũ capillamentis hirſuta perhorret. Britanica radice tenui cõtenta eſt. Echium in exiliorem digito radiculã exit. Chamæſyce radice protenditur tenui. Chryſocomæ radix ueratri nigri modo hirſuta traditur. Supinæ uerbenacæ radix tenuis ſubeſt. Catanance radiculã mittit in iuncũ extenuatã, quæ flacceſcens flectitur, & ad ſpeciem unguiũ exanimati milui ſe cõtrahit. Veratrũ nigrum in tenues gracileſcit. Seſamoides gracili radice cõtinetur. Sunt radices quæ ſucco diſtentę lenteſcũt. Prægnãs ſucco centaurij magni radix. Madet eodem peucedani. Althæa glutinoſo lenteſcit humore. Iris recẽs uliginoſo ſcatet: quare facile ſentit ſitum, & olet aſperginẽ. Sed iam ſuprà de ijs abunde dictũ eſt. Sunt & quædam radices geniculis interſtinctæ, quæ prominulis articulorũ toris inſignes notãtur. Iris radicem oſtendit geniculatã. Acori radix quibuſdã diſtincta internodijs articulatur. Aſari quoq; geniculis intercipitur. Radices arũdinũ multis geniculãtur articulis. Phenij quæ & anemone dicitur, geniculis diſtincta eſt. Polygonati radix frequens geniculis pręmollibus ſubit. Iam & nõnullæ ſtatim à fronte uel potius ab operis ueſtibulo quædã enumeratæ ſunt, geniculis nodoſæ, quæ hinc repeti poſſunt. Aliæ quoq; lentiores ſunt, q; ut conſeſtim frangi poſſint: aliæ fractu nõ contumaces, quæ non multũ frangẽti renitãtur, ſed conſeſtim cedant: quæ tãgentibus euidentiores ſunt, q; ut declarari deſiderent. Coloribus inter ſe diſſident. rubeſcũt aliquæ: flauent aliæ: ſunt & quæ nigricent: candicãt aliæ: ſubrubeſcunt helenio. Filici fœminę ex flauo nigrãt, aut ex nigro in luteũ flaueſcunt. Aliquæ etiã num in eis rubræ inueniũtur. Maiori centaurio radix rubeſcit. Rubet (ut dictũ eſt) & ſuccus. Pentaphyllũ ſubrubra radice ſplendet. Pancratij radix ruffo colore purpuraſcentéue ſaturatur. Rubię radix rubro colore lanas inficit: quæſtu nõ modico pollet. Acãtho ruffeſcit. Satyrio fuluet. Onoſmati rubeſcit. Symphyti petræi radix rubro rutileſcit colore. uetonicæ radix tota rubet. Sylueſtri iridi rubicũda cernitur. Anchuſę ſanguineo colore per æſtatẽ manus inficit. noueruntq; pallidæ mulieres hoc fuco uernaculũ faciei colorẽ ementiri. Anchuſa quoq; onochelos cognomine radices ſpargit rubras: nec ſecus quæ lycopſis appellatur. Chryſogoni radix foris nigricans, intus, qua ruberrima, rutilat. Somniferi ſolani radix cortice leniter rubro nitet. Phu fibræ in ſufflauũ colorem pallent. In chamæleone nigra ſubfulua intus apparet nigrãti cortice ueſtita. Satyriũ erythroniũ ſuum corticem ruffat. Pygnocomon in luteũ colorẽ languet. Cypero radices obnigreſcunt. Nardus montana nigra ſpectatur. Helenij ſecundi radix atro cortice ſubterpallet. Cyclamínus radice corticis nigri tumet. Chamæleo niger nigrãti radice ſuggillatur. Carduus pulla radice nigricat

gricat. Libanotidis radix foris obnigra cernitur: quæ si frangatur, exalbida relucebit. Peucedani radix nigritia suffícitur. item & leontopetali. Nymphæa radice decoratur nigella. Symphytũ radicibus extrà nigris, intus candidis uiuit. Epimedium nigris radicibus sustinetur. Echium subnigra serpit. Astragalus nigris radicũ appendicibus in cornicula implicitis irretitur. Mãdragoras radicibus extrà nigris, intus albis intricatur. Aconitum lycoctonum nigricantibus marinæ squillæ cirris capillatur. Personata radice foris nigranti, interius albicante degit. Thapsiæ radix nigro induitur cortice: interna tamen pallor inficit. Pygnocomi colos ex pullo in luteum degenerat. Filicis masculę radix nigra summa terræ cute spatiari lætatur: fœminæ ex flauo nigrescentes in obliquũ repunt. Vitis nigræ radix foris atra uisitur: interna tamen buxeus pallor decolorat. Sunt & permultæ radices, quæ emaculato candore nitent. Aliæ ex candido in subruffum spectant. Helenij radix in pallidum albescit. Plantago candidis fibratur radicibus. Dracunculus candidã præ se fert radicem. Aron albam non longè ab hac euariantem ostendit. Ranunculũ, candidis hellebori modo fibris capillatur. Chamæleo qui caule deficitur, albus est, is fundit candidam radicem. Anonis, liguſticũ, eryngium, alba potiuntur radice. Panaces cõpluribus ab uno principio candidis radicibus brachiatur. Olusatrum, elaphoboscũ, candidas radices in usum ministrant cibariũ. Libanotis, sphondylion, circea, nymphæa altera, albam radicem possident. Alceæ, pæoniæ mari radices cãdidæ tributæ sunt. Polygonatũ subalbida, holosteon candida donatæ sunt. Tragum, trifoliũ, radices albas nanciscuntur. Narcissus albam sibi uendicauit. Colchici radix delibrata exalbet: quam tamen rubescens in nigro cortex inuestit. Sunt & quę summo gaudeãt cespite. Acorus summa tellure radices in obliquũ dispergit. Tragacãthæ surculosa radix prominet extra terrã. Cornuti papaueris radix per cespitum summa reptat. Spumeũ quoq; summam soli cutem, herbosumq; cespitẽ amat. Filix radices summo terræ corio collocat. Phyteuma per summa terræ diffundit. Sic radices magnitudine, exilitate, duritia, mollitia: multitudine fibrarũ, paucitate, crassitudine corporũ et gracilitate, lentitia, fragilitate, nodoso habitu, uel enodi, simplici multifidoq;, necnon etiam positu summo uel imo, item natiuis coloribus, uti demonstrauimus, differunt.

De caulibus herbarum. Cap. VI

FRugum duo sunt prima genera, frumenta, ut triticum, hordeum: legumina, ut faba, cicer. quorum differentia notior est, q̃ ut índicari debeat. Legumina dicta uult Varro à legendo, q̃ ea non secantur, sed uellendo leguntur. Fruges nominantur, quicquid ex fructu terræ sato in alimoniam nostram uertimus. Frumenti ipsius totidem genera per tempora satus diuisa. Hyberna, quæ circa uergiliarum occasum terra per hyemem nutriuntur. Aestiua, quæ ante uergiliarum exortum seruntur: ut milium, panicum, sesama. In tritici genere pars aliqua pabuli quadrupedum causa sati, ut farrago: & in leguminibus, ut uicia. Frumentum per hyemem in herba est, uerno tempore fastígiatur in stipulam, si hyberni sit generis. Igitur frumenta pluribus culmis fruticant, & ij sunt eorum caules: tum etiam in articulos exeunt. à genu tertio spicam incipiunt concipere, nonnunquã à quarto etiamnum occultam. Genicula sunt tritico quaterna: farri sena: hordeo octona. Sed non ante supradictum genicu lorum numerum incipiunt in uertices exacui, in quibus conceptus est spicæ: quæ quòd spem sui fecerit, putatur à Varrone nominata. Fabæ in folia exeunt, ac deinde caulem emittunt, nullis distinctũ internodijs. Reliqua legumina surculosa sunt. Quorundam caules sparguntur in terram, si non habeant adminiculum: quod si non habuere, deteriora fiunt. Leguminum unicaulis faba sola. Vnus est lupinis, cæteris ramosus prætenui surculo: omnibus uerò fistulosus. Milium ex India huc inuectum intra paucos annos, adolescit ad pedes quinq;, prægrandibus culmis, amplum grano, & arundinaceum folio. Calamus altior frumento, q̃q; hordeo. Herbarum coles in magna sunt differentiarum ambage. Quibusdam crassus emicat, alijs tenuis assurgit, alijs longus profertur, alij breuiore cõtenti habitu. Quibusdã articulatus, & prominulis nodorũ torulis interstinctus prosilit: alijs prorsus enodis exit. Quædam singulari simplicíq; colículo sustolluntur. aliæ multiplicibus coliculis pluritidisq; fruticãt. Scabritia, item leuore, rectitudine, curuitate dissident inter se. Dracunculo caulis baculi crassitudinẽ æquat, uersicoloribus lituris insignitus. Chamæleo

niger

niger caulem mittit baculi crassitudine dodrantalē. Spinæ albæ pollicari crassitudine pro tuberat. Acantho digitali crassitudine lætus adolescit. œnanthæ crassus: elaphoboſco fœniculaceus: panaci heraclio, & secūdi generis symphyto, ferulaceus exurgit. Apollinaris crassis fruticat coliculis. Petasites pediculo prodit pollice crassiori & cubito lōgiore. Semperuiuum maius pollicarem crassitudinē non excedit. Lathyris digiti crassitudinem implet. Tenuis orobanchæ, ornithogallo gracilis. Smilaci flexu clauicularū adiunctas impediens frutices adolescit in tantum, ut operi sufficiat topiario. Thlaspe, ranunculū, anemone, exilibus prorepunt coliculis. syluestre glastum tenues scapos & multifidos, ligulis foliculariḃus exornatos profert. Liguſticū panaces, asclepium, prætenui caule notātur. Pedano tenuis & macilētus emicat, iuxta terram dense comosus. Artemisia monoclonos graciliore singulariq; procedit: inde Vnicaulis cognomentū sibi uendicauit. Altera habitiore & fruticoso uiget. phyllo, cynocrambæ, buphthalmo subtenues. alismati, betonicæ, tenuis attollitur. Sanguinaria coliculis serpit humi sessilibus, qui nunq; à terra tolluntur. Echium, Limoniū, tenui scapo subrigūtur. Eupatorium scapi lignosa tenuitate riget. Adianto ramuli erumpunt prætenues, sed qui nigro colore niteant. Sed modum quendam sibi familiarē desiderant, in quem magna ex parte adolescunt. Quædam bicubitali longitudine porriguntur. aliæ minori modo cōtentæ cedunt. Dracunculo scapus cubitis duobus altus extenditur. Gentiana Gentij regis Illyriorū inuentū, binum cubitorū altitudine scapum extollit. Glastum satiuum duū cubitorum altitudinem excedit. Albæ spinæ scapus binos superat cubitos. Acanthus duum cubitorū longitudinem implet. Conizæ maiuscu læ caulis in binum cubitorū altitudinē exit. Altheæ scapus ad bina cubita sustollitur. Symphyti secūdi caulis supra binorum cubitorū altitudinem erumpit. Hortensi maluæ scapus tanta magnitudine proficit, ut in adminiculum homini, & baculi usum ueniat. Plantagini maiori caulis altitudine cubitum æquat. Ranunculo altitudine cubiti consurgit. Phu cubitalis prodit. Chelidoniæ maiori altitudine cubiti scapus inolescit: quanq; minor caule uidua humi proreptet. Baccari cubiti iustam altitudinem petit. Panaces asclepium, libanotis, sphondyllion, cubitales ædunt. Satyrion instar cubiti prosurgit. Alisma, betonica, proceritate parum cubiti longitudinem excedunt. Aliæ sunt humiliores, quæ nō cum ijs proceritate certāt, cedunteq; antedictis longitudine. Orobanchæ coliculus duos palmos altus est, aut paulo excelsior. Ornithogallo binum palmorū altitudine surgit. Thlaspe semipedali caulículo furculosum erigitur. Gnecos scapis sesquipedalibus exit. Tripoliū palmeo caule in mucrone diuiso pullulat. Dodrantalem emittunt hyacinthus & Aron, Sesamoides palmarem, syluestre cuminū dodrātalem, albus chamæleo, & caucalis, daucumq; creticum fundunt. Leontopetalū nunc pedali nunc dodrantali fruticat. Testiculus canis, hypericum tertiū syderitis genus, scapos altitudine dodrantali promunt. Nodis etiam quidam herbarū caules scatent. Ebulus densis articulis geniculatus, folia ab nodulorū toris expandit. Phu quibusdā geniculatur articulis. Auena quæ græcis bromos dicitur, in culmum prosilit geniculatū. Cyclaminos secunda geniculatis caulibus reptat, arboribus cla uiculatim se cōuoluens. Gentiana scapum gerit geniculatū. Panacis asclepij caulis genicu lis interceptus scandit in altū. Polycnemon multis cingitur geniculis. Crategonon pluribus calamis geniculorum agmine stipatis emicat. Phalaris thyrsulos creat bipalmes calamis non dissimiles, multis cinctos geniculis. Polygonium multis scatet geniculis. inde nomen cōtraxit: nostri sanguinariā appellāt. in quo genere fœminæ genicula in sese farciuntur, densaq; quasi pyxidatim cohærent, quæ conuestiunt apices frondibus piceæ nō dissimiles. Equisetū frequentibus atq; farctis in sese geniculis tumet. Scapus cicutæ quibusdā geniculatur nodis. Pityusa densis munitur geniculis. Caules etiam leuoris & scabritiæ discrimínibus apertissimè notātur. Leuis inspicitur dracunculo. Phu, hastula regia, scapo leui quem uocāt Anthericū, donata est. Typhæ caulem glabrum enodemq; densus summatim inuestit flos, qui in lanuginem pappum uocatam euadit: quam aliqui anthelen solent appellare, quasi paniculæ florem intelligāt. Nymphææ scapus nulla horrens asperitate leuigatur. Syderiti, quæ tertiū sibi genus usurpauit, caulis glabrescit. Chrysanthemon leuibus caulículis fruticat. Aconitū quoq; quod lycoctonon cognominat, leui stylo in cubitalem altitudinē prorepit. Is itaq; caulis reputabitur leuis, quē nulla innascentiū rerum du-

titia quæuis exasperauit. Scabritia multis contrahitur modis. Nanq; nõnulli caules spissa canescunt lanugine, sed prorsus innoxia. Alij spinosa induuntur, ut urtica, cui aculeata inest mordacitas. mirum est sine ullis spinarũ mucronibus noxiam esse lanuginem, & tactu tantùm leui pruritũ pustulasq; confestim adusto similes existere. Syluestris quam uocant fœminã, mitior est. Caulis symphyti lanuginem modicũ asperam nutrit, quę ipso tractatu prurigines mouet. Cardui caulis spinosa obducitur lanugine, estq; nimirũ mordax. Syluestris cnicus multis horret aculeis. Dipsaci caulis durarũ spinarum armatur uallo. Poterij totus cortex hispidus est spinis, & lanugine copiosa mordet. Acanthion araneosa lanugine circũdatur. Agriacantha densis sæuit aculeis. Scolymos copiosioribus stipatur spinis: sed quæ arescente folio desinũt pungere. Vepres nocẽtioribus rigent aculeis, quibus pertinaciter hærentes propter transeuntiũ uestimenta uellicent. Nec sunt uidui spinis ruborum caudices ouibus inimici. Nam quanto lana prolixior in pecore concrescit, tanto magis obnoxia ruborum aculeis: quibus uelut hamis inuncata à pascentiũ tergoribus euelli tur. Quarũdam thyrsi senticosa lanugine pubent, ut echij, lycopsis. Quibusdam angulos tantũ sentes obsident, ut crissio: sed mitiores & innoxij morsu. Quibusdam scapi spissiore flocco canescunt, ut poterij: sed qui spinulis horridulus sentiatur. Quidam tam spissa uestiuntur lanugine, ut hac collecta telas bombacinis similes ordiantur: ut acanthij. coliculi asari scabritia leui subasperantur. Caucalo subhirsutus, mentastro horridulus, orobanchę hirsutulus noscitur. Scaber est pastinacæ hieraciæ maiori, sic ut aliquantũ tangatur spinosus: hirsutus ballotæ. Rubiæ caulis spinosa mordacitate defenditur. Squarosus equiseto, ueratro nigro. æthiopidi asper: itẽ rhœadi, papaueri. Pilosus uerbasco, ut flomidibus plumosa sunt folia, & ob id ad lucernarũ lumina utilia. Non parum quoq; discriminis caules inter se nouerũt. Alij perinde quasi perpetuò sessiles in terra proreptãt: alij proceri sursum eriguntur. Sunt & qui mediam nacti cõditionem sua fragili & caduca sorte sæpius humi serpant: & nisi sint frutice uicino perinde quasi adminiculo fulti, feruntur per terram. ij ut sese cum datur facultas, in altum extollant, uel clauiculis suis quasi manibus, aut peculiaribus uiticulis perinde atq; capreolis freti, quicquid sunt adepti cõplectuntur: & lapsu multiplici, uel erratico reptatu intricantes irretiunt, huicq; tanq; alienam operam efflagitãtes acquiescunt. Quòd si non offendãtur, ultro citroq; per humum reſides diuagantur. Sic uires adminiculo standi non sunt cucurbitæ, cucumeri. nanq; simili modo reptantibus flagellis scãdentes tecta parietes'ue cõuestiunt. tam est natura sublimitatis auida uelocitasq; pernix, ut umbra leui cameras ac pergulas opere topiario cooperiãt. Verum si pensilis hisce concedatur libertas, nõ ægrè unde digressæ fuerant, reduces in terram descendunt. Sic hedera circa parietes repit, arboresq; radicosis brachijs amplectitur, quibus etiam incolumes & solidas arbores fugit ac strangulat: sed tam uiuax est, ut etiam pluribus interciſa locis eduret. Sic smilax hortensis flexu clauicularũ proximos quosq; frutices reuincit, ut ijs impediti uix unq; possint explicari: adolescuntq; in tantum, ut quodã topiario opere con camerata tentoria ategiasq; hortorum inuestiant. Tam aspera smilax q̃ leuis arbores scandunt se crebro uolumine eis intorquentes. Pisi, uiciæ caules sparguntur in terram, si non fulciantur adminiculo. Sursum uorsum enim serpunt ad scapũ lupini alium'ue calamum, ad quem ut hęreant, suis capreolis se solent uincire. Pisum enim nisi roboretur ramicibus, solet degenerare. Periclymenus in aruis ac sepibus cõuoluit quibuscunq; fruticum pedamentis propter assidentibus. Alba uitis innectit se fruticibus qui sunt in proximo capreolis cõprehendentibus. Nigra uitis clauiculis arbores scandit. Sic cyclaminus circum arbores se clauiculatim uoluit. Equisetũ maius proximos arborum caudices cõscendit, obuolutumq; dependet comis multis. Lupus salictarius sensim proserpens arborũ fastigia petit, sese uiticosis sarmentis intorquẽs, percq; uertices rotatus multis implicat uoluminibus, quasi gaudeat summatim euagari. Ea uolubilis est natura, tamq; frondẽtibus comis cacumen implicat, ut herbosum cespitem uindicet ab sole, à quo sæpius impendens humũ caducus repetit. Supradictorũ ferè cunctorũ caules lenti sunt flexiles, atq; uieti, nulloq; uernaculo rigore freti proserpũt. Sunt etiam qui humi procumbãt, ut coronopus, cauliculis per terrã serpentibus. Reptat & per terrã serpillum. Gramen nunq; se ab solo protollit, flagellis teretibus articulatis in terra iacentibus. Syluestris cneci genus alterũ humicaule cernitur: nanq;

nitur:nanq; thyrſulorũ mollitia declinãs,humi decumbit.Halicacabi caules cum increue/re in terrã proclinati langueſcunt.Contrà plurimis recti proſiliũt,ut paſtinacæ: betonicæ procerus attollitur.Sion habitu ſubrecto nititur.Dracunculi ſcapus rectus emicat.Limo/nio,lycopſi,eupatorio,equiſeto ſecũdo,in proceritatẽ exit.Elichryſon recto caule promi/tur.Staphys agria coliculos in rectũ erigit.Eſt & differentia quædã inſignis non faſtidien da.Quibuſdã herbis caulis inanis & uacuus oſtenditur.Oleribus omnibus fiſtuloſus.Mi lium & panicũ in concauum culmen faſtigiãtur.Culmorũ tritici internodia in fiſtulas ex/cauantur.Arundinibus caulis aſſurgit fiſtuloſus:noſtratibus fungoſior ſubeſt natura,car tilagine bibula,cauo intus corpore.Ex calamis quidã totus concauus eſt, quẽ Syringiam uocant,utiliſſimus fiſtulis.Alius eſt cõtinuo foramine hians.hic tibijs utilior, fiſtulis ille. Eſt & alius craſſiore ligno,tenui foramine peruius.In rotundũ teresq; dehiſcunt foramen tibialis & aucupatoria.Arũdines quaſdã in India Theophraſtus tãta cauitate tradidit,ut ſingula internodia alueo nauigabili,ternos interdũ homines ferãt.Multorũ caules in ina/nitatem patent.Phu ſonchoq; cauus ineſt coliculus.Gentiana ſcapũ habet inanẽ:item fœ niculũ,cicuta,erratica paſtinaca.Hieraciũ utrũq;,apiũ,hippomarathron.eſt & inanis ſym phyto.hippuri,ueratro cãdido,ricinoq; cõcauus ſubeſt.Sunt & aliqua figurarũ diſſidia. quidã caules quadrati: ut ſatiuæ ſideriti,apiaſtro:uel quadrãguli,ut ballotæ.à quorũdam angulis uerruculæ prominent,ut ſymphyto:plurimi tamen herbarũ thyrſi teretes noſcun tur.ſunt & aliquibus ſtriati, ut aloæ.Sunt herbæ cõplures (ne illud quidem ſilentio tran/ſeamus) quæ caule uacant.Chamæleo albus caule uiduus eſt.Cynogloſſum caule defici/tur.Filix nullum caulem creat.Dryopteris,polypodiũ,nullo caule faſtigiantur.Sic igitur tenuitate,craſſitia,breuitate,longitudine,internodiorũ diſtinctu,uel æquore prorſus eno di,ſcabritia,leuore,curuore,rectitudine certãt inter ſe. De ramis & cortice. Cap. VII

SEquitur,ut de ramis poſt truncos arborum & herbarũ coles diſſeramus. Ar borum quædam ſimplices,quibus à radice caudex unus, & rami frequentes prodeunt:ut oliuæ,fico,uiti. Quædam fruticoſi generis:ut paliurus,myrtus, item nux auellana.quinimo melior & copioſior fructu,in plures diſperſa ra/mos.In quibuſdam omnino nullus:ut in ſuo genere buxo,loto tranſmarinę. quædã bifurcæ atq; etiam in quinas partes diffuſæ.quædã indiuiduæ, nec ramoſæ,ut ſam buci.quædam indiuiduæ,ramoſæ,uelut piceæ. quibuſdam ramorũ ordo,ſicut piceæ,abie ti:alijs incondítus,ut robori,malo,pyro,Abieti quidem ſubrecta diuiſura: rami in cælum ſpectant,non in latera proni: quorũ cacuminibus deciſis moritur,totis detrũcatis durat. Aliæ ab radicibus brachiatæ, ut ulmus: aliæ in cacuminibus ramoſæ, ut pinus,lotos quã fabam græcam Romani uocant, à ſuauitate fructus ſylueſtris quidem, ſed ceraſorum pe/ne natura.tanta ſiquidem huic ramorũ petulantia,ut uel latiſſima expatientur umbra,uel in uicinas arbores tranſiliãt,nulli rami longiores aut ualidiores. Verum ſylueſtres feræq; arbores urbanis ſunt ramoſiores,ſurculoſioresq;. Mares fœminis nodoſiores, ubi ſexus habetur uterque.& in ſumma montanæ campeſtribus,et ſiccæ paluſtribus ſurculoſiores: & quæ in apricis magis, q; umbroſis degunt. Ramorum aliqui cæci, qui non germinant. quod natura fit,ſi non eualuere:aut pœna,cum amputatos cicatrix hebetauit,oris uulne/ris undiq; callo quo tumeſcant,obſeſſis.Quæ diuiduis in ramo natura eſt,hæc uiti in ocu/lo,arundini in geniculo:nodoſiores cenſentur.Quæ breuiore internodiorum diuortio ſe/iuncta ſunt,in longitudinem excreſcũt:abies,larix,palma,cupreſſus, ulmus,& ſi qua ſunt uniſtirpia.Ramoſarum etiam ceraſus.Omnium terrę proxima craſſiora.quædam ſtatim in ramos ſparguntur,ut mali.Quæ ſimpliciore prodeunt caudice,quæq; non multis radi/cibus nituntur,neq; ramis frequentibus patent.Vitis maximè,ſi dimittatur ſylueſcere, ni ſi putatione cohibeatur,ſarmentis,flagellis,et pãpinis luxuriat.Legumina ſurculoſa ſunt: ex ijs ramoſa,cicer,eruum,lens.Leguminũ unicaulis faba ſola:cæteris ramoſus,prætenui ſurculo.Frumenta non exeunt in ramos, ſed ſtatim à tertio uel quarto geniculo ſpicam cõcipiunt.Sunt & herbæ frutices q; ramis frequẽtes:aliæ paucis cõſtant.Sunt quæ longis ſpatientur.Sunt & breuibus uirgulis cõtentæ, quæ nõ latius diffundũtur.Ramoſus eſt ci ſtus.Halicacabus ramis frequẽtibus & caudicoſis expãditur.Aſparagus multis ramulis fruticat:poteriũ,largis,,pceriſq;.Saluia ſurculoſis: marrubiũ,meliſſophyllũ cõſimilibus.

Tricha foliis frequentibus circum ramos comatur. Stachy uirgulæ plures ab una radice prosiliunt. Soporiferum solanũ ramosis caudicosisq; consurgit. Daphnoides ramis surculosis. scãmonia prælongis abutitur. uitex proceris uirgis fertur. Clematis uiticosis, aristolochia longiusculis palmitibus scatet. Dulcis radix bicubitales spargit uirgas. Viticeos ramulos frequentesq; ruscum fundit: poterium, proceros. Sylueſtre origanũ prætenues uirgulas ferè quadrantales. Spartium uirgas emittit prolixas, uinculorum usu præcipuas. Festucandis uitibus alligandisq;. Tragacanthę breuibus ramulis gaudet: anchusa tenuibus: unico tenuiq; chamædaphne. Aristolochia longa gracilibus & dodrãtalibus opacat. Tertia quæ clematites cognominatur, tenuissimis. Origanum sylueſtre prętenuibus uirgulis: sylueſtre serpillum exilibus lignosisq;. Ocymastrum ramulis palmum longis. Quinquefolium ramulos extendit festucæ tenuitate. Anthemidi rami dodrantalem nõ excedunt alis multis membratim concaui. Lithospermon ramis innititur surculosis iunci tenuitate gracilescentibus. Aiugæ secundę rami cubitales in anchoræ speciem incuruati, in magnã gracilitatẽ extenuantur. Alij densis latisq; comantur, ut peplis, alypon. Sed tam caules quàm rami, caudices quàm radices cortice cutis loco ueſtiuntur: cuius ratione discrimina colliguntur. Cortex alijs tenuis, ut lauro, tiliæ: alijs crassus, ut robori: alijs leuis, ut malo, fico. Idem scaber robori, palmæ: squarosus suberi. Omnibus per adolescentiam leuior: in senecta rugosior crassiorq;. Quibusdam rimosus rumpitur sponte, ut uiti: quibusdã etiam cadit, ut adrachnæ, unedoni, malo. Carnosus suberi, populo, robori: mẽbranaceus uiti, arundini. Libris similis, ceraso: tunicis multiplex, ut abieti, tiliæ, lignogeniſtæ, cepis. Quibusdã simplex fico, arundini, lolio. Quibusdam neruosus & idem macilentus, ut tritico. Cortices e fago, tilia, abiete, picea, in magno sunt usu rusticorum: qui uasa, corbesq;, ac patentiora quædam messibus conuehendis uindemijsq; factitant, atq; prætexta tuguriorum. Omnibus arboribus mors est cortex in orbem detractus: quamuis à subere & adrachne impunè possit eximi. Quibusdã fruticibus uel arboribus cortex in rimas dehiscit, quæ sunt insectorum animalium cubilia. Quare cum in ridicarũ usum ascisCuntur uel caudices, uel rami, delibrandi sunt: ne in huiuscemodi latibulis conquiescentes bestiolæ uermiculos creent, frugibus & herbis noxios, qui interdum teneros herbarum partus erodant. Herbæ quoq; uel crassiore, uel tenuiore, fragili, uel disruptu cõtumace, lento, leui, scabro, simplici, multis corticulis tunicato ueſtiuntur. Leuis sentitur cortex dracunculo, phu, hastulæ regiæ, nympheæ, typhæ, chrysanthemo, tertiæ syderiti, sphondylio: scaber asaro, caucali, pastinacæ, rubiæ, aiugæ, uerbasco, mentastro, orobanchæ. Squarosus nigro ueratro, rubiæ, symphyto, hieraciæ, equiseto, æthiopidi: uel si quæ consimilis conditionis inueniantur. Asper omnibus cortex, qui aculeoso spinarum horrore riget: item qui lacunosa facie rimarum hiat: aut denticulato spiculorum habitu minatur: aut uerrucoso tumore scabrescit, ut symphyto: aut tomentosa lanugine circundatur. de quibus abundè suprà, quum de caulium discriminibus ageremus, disputatum est. à quo etiam corticum lentorem, fragilitatem uel frangendi peruicaciam, ut breuitati consulamus, repetere satius erit. Nanque si scaber uel squarosus fuerit caulis, huiusce generis corticem haberi euidentius est, q̃ ut probari desideret. si lentus & fractu contumax scapus fuerit: & talem cortex sortiatur conditionẽ, necessum est. sed iam ad alia transeamus. Velluntur herbarũ quarundam cortices magnis hominũ usibus. Nanq; linum & canabus tundũtur in lanæ mollitiem ad linteorum texturas, & ad funes intorquendos. utraq; enim post uindemias lucubrationibus decorticata purgãtur, sed prius passa: deinde in pensa coguntur, quæ particulatim tracta digeruntur in glomos, quibus telas plurimũ generi humano cõmodantes ordiuntur. Ratio parandi hæc. Post messem uirgę ipsæ merguntur in aquã solibus tepefactã pondere alio quo depressæ. nulli enim leuitas maior. ubi satis fuerunt maceratæ, ut prius, sole siccãtur, id quod intelligunt, cũ mẽbrana laxior sentietur. Mox arefactę in saxo tundũtur stupario malleo, qui alternis ambientis ligni quasi mãdibulis insertus, leni demissu cõfringit. quod proximũ cortici fuit, appellatur Stupa, lucernarũ luminibus apta. Pectitur tamen ferreis hamis, donec omnis mẽbrana decorticetur. Segmina quoq; decussa clibanis et furnis prębent usum. Quod supereſt pexũ clauis semp iniuria melius redditur, instrumẽtoq; distrahitur dẽticulato, ferreis mucronib. dẽsissime stipato, quo purgamẽta & stupæ retineãtur.

Hoc mu-

Hoc mulieribus uerè decorum est ministerium. Differunt etiam cortices coloribus. Nigri cant aliqui, ut adianto, polytricho, quæ atra quadam cute nitent. Candicant multis, præ/sertim cum iam maturitate flaccescunt, ut frumentis. Purpura quædam rutilant, ut phu, & complurimis fructibus. Quidam in luteum elanguescunt, ut botry. Sunt qui uersicolo ribus macularũ lituris uariegãtur, ut dracontio. de quibus inter radices dictum est, remq; dum de coloribus differemus, fusius prosequemur.

De foliorum inter se discriminibus. Cap. VIII

ARborum quædam omnino sylvestres: quædam urbaniores, quæ (ut dictum est) fructu, aut aliqua dote, umbrarum ue officio humanius uiuãt. Arborum præterea alijs decidunt folia: aliæ sempiterna coma uirent. Ex urbano gene/re perpetua fronde pubẽt, olea, palma, laurus, myrtus, cupressus pini genus, rhododendron, quæ latinis herba dicatur sabina. Sylvestrium generis folia non decidunt abieti, larici, pinastro, iunipero, cedro, tiliæ, piceę, buxo, ilici, aquifolio, suberi, taxo, tamarici, acutæ spinæ. Inter utraq; genera sunt adrachne in Græcia, & unedo. ubi que hæ perpetuo cacumine uirent: quũ tantum inferiorẽ frondem dimittãt, ac ordine sem per præpostero succrescant, deciduis, præterq; in cacuminibus, folijs. Non decidunt autẽ in frutícum genere hederæ, rubo, arundini, ramno: in herbarũ genere, rutæ, brassicæ, rosæ, uiolæ, abrotono, sampsucho, serpillo, origano, apio, hipposelino, papaueri, & complurí/bus sylvestrium generibus. Ex his quoq; nõnulla fastigio uigẽt, quamuis reliquorum fiat iactura, uelut apium, origanum, hipposelinum: omnia tamen tam in ijs, quàm reliquis ge/neribus quæ perpetua fronde comantur, folijs constare angustioribus, & pingue quid & uliginosum reddere, necnon iucundum spirare odorem Theophrastus deprehendit. Pli/nius falsam putat definitionẽ, nõ decidere ijs quarũ succus pinguior sit. quis enim potest (ut inquit) in ilice intelligere? Cæteræ omnes extra prædictas, quas enumerare longum esset, folia deperdunt, obseruatumq; non arescere nisi & lata & mollia. quæ uerò non decí/dant, callo crassa & angusta esse. Verum locorum quorundam tanta uis esse creditur, ut nullæ arbores frondem dimittant, ne uites quidem. Id Græcis authoribus proditum, qua re nõ debuit sileri. Cadunt plurimis autumno: quædã tardius amittũt, atq; in hyemes pro rogant moras. Iactura tamen foliorũ germinationi non respondet. Nec interest maturius pullulasse, utpote cum quædã primæ germinẽt, & inter nouissimas nudentur: ut amygda la, fraxini, sambuci. morus nouissimè germinat, & cum primis folia dimittit. Magna & in hoc soli uis. Prius decidũt in siccis macrisq;: & uetustæ prius arbori, quàm nouellæ. Mul/tis etiam anteq; matureſcens fructus percoquatur: ut in serotina ficu, & sylvestri pyro, & malo granato, est pomum tantũ aspici in matre. Neq; ijs quæ retinent comas, eadem folia durãt: sed subnascentibus alijs, tunc arescunt uetera, quod euenit circa solstitium. Sunt ex mathematicis, qui Sole scorpionem transeunte, syderis ui, ut quodam aeris ueneno, fron/des exui credant: quod falsum Plinius iure miratur. cur eadem causa non aduersum om/nes polleat? quæ mihi futilior est uisa, quàm ut refelli mereatur. Foliorum unitas ac simi/litudo in suo cuique genere permanet, præterquam populo, hederæ, ricino, quem Græci nunc crotona nunc cici uocant. Huic nigræ & ricino folia in iuuenta circinatæ rotundi/tatis inueniuntur: uetustiora in angulos exeunt. è contrario hederæ angulosa rotundan/tur. In aliquot etiam herbis per suarum ætatum curricula faciem mutant. Sisymbrij carda minaci folium cum primùm emicat, rotundum est: simulac adoleuit, in erucæ folium laci/niatur. Contrà lepidio prima foliorum rudimenta q̃ plurimis segminibus laciniata prode unt, sed quę in laureas frondes in pubertate figurentur. Lathyri folia in caule amygdalinã speciem præ se ferunt: in cacuminibus ramulorũ prioris oblita formæ in hederacea dege/nerant. Eius quã consiliginẽ pastores uocant, septena uel octona folia ex uno styli mucro ne, breuibus nixa petiolis exeunt, ferè saligna specie: in summo tamen uertice in plantagi neam frondẽ desciscunt. Acãthus folio multo longiore lactuca, erucæ lacinijs diuiso. cum excreuit, in caulem tam minutum erumpit, ut quasi nucamentum quoddam spinosum re præsentet. Peculiare quod ulmo, tiliæ, oleæ, populo albæ, & salici prouenit. Circumagun tur enim folia post solstitiũ, uertuntq; supinas partes: nec alio argumẽto rustici certius in/telligunt confectũ sydus. Nec mirũ fuerit, si arbores memoratæ annuas solis uices sentiãt:

cum multo

cum multo magis loti herbę ſcapum & florem, nedū papauera ſolis noſſe tam ortum quotidianum, quàm occaſum tradit Theophraſtus. Caulem & florem ueſpera mergi, uſq; in medias noctes totum abire in lacum, ut ne demiſſa quidem manu poſſit inueniri: uerti deinde, paulatimq; ſubrigi, & ad exortū ſolis emergere extra aquam: tum florem patefacere, atque etiamnum exurgere, ut altè abſit ab aqua. Addit papauera ea comprimi & integi foliis, ad ortum autem aperiri: cuius rei cauſam calori frigoriq; retulit. Comprimitur enim flos humore coacto & quaſi concreto: tum deſtituitur ſui caloris facultate. ſeſe utiq; aperit diffuſo iam calore, relaxanteq; quod frigus coegerat. id ergò ſoli fertur acceptum. Quæ deſcendunt altius, imbecillitate quadam ſidere & quaſi peſſum ire conſtat, ſolis abſentia gliſcente: præſentisq; munere uegetiora reddi, atq; eo uelut adminiculo fulta, emergere. Sed quæ undis conduntur feruentioribus æſtuoſisq; magis, has euntis & redeuntis gnorunt ſyderis uices. Cæterum folia ſolſtitio circūaguntur, quòd eo tempore uelutí profluuio tentatæ arbores elangueſcant. Frondes quaſi ſenio cōfectæ ac marcore flacceſcentes decidunt: reliquæ uelut affectæ minus, duntaxat inuertuntur. id ergo plurimis euenit. Verum longè conſpectius in iis eſt, quibus maximo coloris diſcrimine pars prona diſcrepet cum ſupina, ut in ſupradictis uideri poteſt. Hæc enim uiridi ſpectatur colore: hæc potius incana & uliginoſa. Non deſunt quę quotidie cum ſole circūagantur, horasq; agricolis etiam nubilo demōſtrent, ut lupinus. Tithymali genus unū, quem uocāt helioſcopon, ſolis iter ſequitur, & prono ſemper uertice cū eo pergit ad occaſum, perdiusq; ſemper ad eum ſpectat, ita ut nōnunq; uideatur eius intorſiſſe coliculū: tanta eſt auiditas ſectandi ſyderis. Nec minus mirandū quod fit in herbis, quas uocant heliotropia, quæ cum ſolis declinatione folia circūagant. Maluæ quoq; folia cum ſole conuerti conſtat, ſeſeq; eodem inclinare quò ſydus feratur. Multos etiā flores uidere licet ſectari ſolem: ſic ut nō apertū nubibus ſolem prodant. Id ergo potius euenire ijſce cōſueuit, quę permulto humore madēt. Ea nanq; dum uí caloris identidē exhauſta ſugantur, eodem ferri, pronaq; ſæpius inclinari par eſt, quò ſol humorē feruefaciēs prouocarit. Igitur horum omniū ſol eſt author, qui alliciens ad ſe hærentē ſuccum, folia ſecū trahens rapit ſic: ut is cieat, illa procliuia ſequantur. Eſt etiamnū publica foliorū differentia. In ipſis nanq; pars inferior à terra herbido uiret colore: ab eadē leuiora neruos, uenas callumq; & articulos in ſuperiore habent parte: inciſuras uerò ſubter, ut manus humana. Igitur omnia, uel certè plurima parte ſupina conſpicuò propendēt. ea ſi ſole illuſtrentur, aut iugiter expoſita ſint, plerunq; uerſus eum uergunt. Sic omniū folia quotidie oſcitāt ad ſolem, interiores partes tepefieri uolentia: tanq; ea plurimū apricari gaudeant, quin & ad ſyderis calorē optent pandiculari. Non ſunt audiendi, qui ſupinæ parti per pronā alimentum miniſtrari credant, ea nixi ratione, q madidior ſemper atq; lanuginoſior ſentiatur. Nutrimentū enim per uenas ac neruos æquè ad utranq; defertur partem. Ex altera in alteram permeare nulla poteſt iniri ratio, cum meatus non habeat neq; ima quæ ſubeat. Folia compluribus inter ſe differentijs diſtare uidentur. Latiſſima ſunt uiti, fico, platano: anguſta myrto, punicæ, oleæ: capillata pino, cedro, abieti. Carnoſa, q pulpa conſtent, cupreſſo, tamarici: craſſiſſima alno: arundinacea palmæ, coici, ac cęteris quæ angularibus cōſtant foliis: ac nonnullis paluſtriū, ut acoro, gladiolo. Duplicia item ſunt hæc, & in medio dorſo carinata, per quod amplius in longitudinē fertur meatus. Diſſidēt iterū figura. Circinata ſunt pyro: mucronata malo: angulosa hederæ, diuiſa platano: multifida & per extremū ſerrata uiti: laciniata ſorbo: fraxino inſecta: pectinum modo piceæ, abieti, cedro, larici: ſinuoſa toto ambitu robori: ſpinoſa cute rubo: aculeata aquifolio, & iliciū generi. Mordacia ſunt quibuſdam, ut urticis: pungentia, ut pino, piceę, abieti, aquifolijs. nam iunipero ſpina pro folio eſt. Rurſus folia quædā pediculo breui pendēt, ut oleæ: longo, uitibus, platano: tremulo, populis, & ijſdē foliis inter ſe crepitantia. Iam & in pomo ipſo mali quodā in genere, parua mediis emicant folia. Sunt quæ prorſus pediculo uidua ſint: ut ſcylla, bulbi. Illud quoq; diſcrimen affert, quòd non eiſdem partibus propendeant. plurima germine: nonnullis circum ramos, aliis in cacumine ramorum. Diſcrimen iterum publicum, ut iam denſa ſint, ac rara, lata & anguſta, ſemperq; lata, rariora: diſpoſita myrto: inordinata pomis: cōcaua buxo: plura eodem pediculo exeuntia malis pyriſq;. Ramuloſa ulmo & cytiſo. Nec eſt hæc differētia faſtidienda, ut quędam

fructum

fructum foliis interceptũ gerant, ut alexandrina laurus. Quibuſdam medio frondium umbilico tam flos quàm fructus proſilit, ut ſylueſtri myrto, quem ruſcum Romana conſuetudine uocant. Acantho ſimiliter è medio foliorũ nucamento tam flos quàm bacca prodit. Item populorum foliis grandiſſima ſubeſt lanugo, euolat candidæ, ut uilli. Superior pars omnium quantulamcunque habet, quæ aliis gentium lana eſt. In oriente ualidos funes è palmæ foliis factitant. Quibus proueniũt locis, uereq; palmas à matre decerpunt, ſiccantq; ſub tecto quaternis diebus: mox in ſole expandunt noctibus relictas, donec candore pereſcãt. in opera diuidũt. Adiecit Cato decidua querna, populnea, animalibus iubens dari, non perarida: bubus quidem & ficulnea, ilignaq; & hederacea dantur, & ex arundine & lauro. Decidunt ſorbo uniuerſa: cæteris paulatim. Folia granatis & amygdalis rubent. Sed multo plura in genere materiæ humilis inueniuntur diſcrimina. Nanq; folium quædam ab radice mittunt, quædam à cacumine. frumentum uerò, hordeum, uiciaq; & quicquid in ſtipula eſt, in cacumine unum folium habet. Sed hordeo ſcabra ſunt, cæteris leuia. Multiplicia contrà fabæ, ciceri, piſo. frumentis folium arundinaceũ: fabæ rotundũ, & magnæ leguminũ parti. Longa eruiliæ, piſo, faſeolis: uenoſa ſeſamæ: & irioni ſanguinea. Cadunt folia lupino tãtum & papaueri. Oleribus maiore ex parte folia ab radice exeunt: ut cepæ, allio, intubo, haſtulæ regiæ, bulbo, eryngio: & in totum bulboſis, quorum caulis minimè foliatus inoleſcit. Carnoſa ſunt betæ, braſſicæ: ſed pulpa potius in latũ diſtenta, non in callũ rotundatur. Arundini, gladiolo, acoro quaſi duplicia, medio leuiter carinato percurſante canaliculo. E foliis ſunt, quæ cortice, neruo, & carne concreta ſunt, ut ficulnea, uitiginea: alia neruo tãtùm, ut arundinea, ſtipulæ frumenti. Carnoſa ſunt glycyrrhizæ, tuſſilagini, portulacę, roſmarino, aloę, lycopſi, ſedo, quod aliàs ſemperuiuũ appellant: item ueneris umbilico, lychnidi, perſonatę, æthiopidi, ſcãmoniq. Pinguia halicacabo, quam & ueſicariam appellamus: crithamo, orobanchæ, thlaſpi: cuidam etiam ranunculo, chelidoniæ minori, dulci radici, quæ & gummoſo quodam lentore digitis tacta cohæret. item acãtho, aloæ, ſmyrnio, conizæ, teſticulo cui ſerapiæ cognomẽ eſt: aiugæ, echio, hyoſcyamo, quem nunc apollinarem, nunc altercum Latini nominant: ſolano ſoporifero, ueneris umbilico, lychnidi. Craſſa ſunt, quę multo carnis callo coaluerunt: & ob id itidem carnoſa ſuperius nominantur. Tenuia traduntur catanãcæ, uitici, ſoncho, ariſtolochiæ, ſampſucho liguſtico, gnaphalio, onoſmati, anthylli, aiugæ, betonicæ, lyſimachiæ, ſanguinariæ, fidiculæ, uiolæ purpureæ, narciſſo, chamæſpicæ. Diſſident quoq; multitudine & paucitate. Paucis admodũ lychnis, uidelicet ternis uel quaternis. ernion quinis ſenisue foliatur. Multa fronde pubent, helenium, halicacabũ, crithamon, ſtachys, chelidonium. multis foliolis ſcatent, aſparagus, fumaria, millefoliũ. Folioſa ſunt aſplenium, lonchitis, chelidoniũ. Multis quoque fruticant limonium, anchuſa. Sunt quæ nullis omnino comentur foliis: androſace, tragum, ſpartion, quę fronde uidua creſcunt. Latiſſima colocaſiæ, etiam ſi ad arbores comparetur, tam ſpectabili capacitate, ut qui Nili dotibus gaudent, iis in uariam ſpeciem uaſorum implexim potare ſit gratiſſimum. Secundi meriti eſt petaſites tantæ amplitudinis, ut olim laruarũ galeris dicaretur: inde duxiſſe nomen apparet. Magna ſpargit mãdragoras: item cucumis & cucurbita: longè maxima perſolata fundit, quòd nonnunq; quoſdam indueret, qui perſonati ludis prodirent: hinc inditũ putauerim nomen. In prægrandem ſpatiantur magnitudinẽ hippolapathi folia, ut apud nos inuoluẽdis caſeis ſint addicta. In amplitudinem extenduntur folia tuſſilaginis, mandragoræ, cucumeris, ricini. lycopſis, perſonatæ nullum amplius, iis cedit elaphoboſcũ. Anguſta ſunt barbulæ hirci, auriculæ muris, thlaſpi, elichryſo, narciſſo, phyteumati. In capillamenta quædã extenuantur fœniculo, buphthalmo, anthemidi, altili aſparago. Corrudę aculei pro foliis inſunt. Parua ſunt anagallidi, cẽtaurio minori, poterio, anoni, tragacãthæ, ſtœchadi, dictamno, thymo, ſampſucho, delphinio, roſmarino, gith, triſſagini, gnaphalio, aiugæ, mari polygonio, periclymeno, polemoniæ, adianto, fidiculę, equiſeto. Longa ſunt echio, catanãcæ, thlaſpi, ptarmicæ, centaurio minori, crocodilio, dipſaco, acãtho, elaphoboſco, phyllitidi, delphinio, filici. Breuia lithoſpermo, aloę, limonio. Circinatę rotũditatis ſunt aſaro, ciſtho, anagallidi, ariſtolochię rotundæ, chelidonio minori, bechio quæ tuſſilago dicitur. Orbiculata utriq; flomidi, poterio, ſampſycho, alyſſo, marrubio, apiaſtro, ſertulæ campanæ, loto herbæ, trifolio, althææ,

anchuſæ

anchusæ fastigata in exilitatem, in mucronem per extrema turbinantur gramini, xiphio, iridi, coronopo. Quædam in turbinẽ mucronãtur: ut barbulæ hirci, narcissi, tithymali fœminæ, canis testiculi, phyteumatis. Non desunt quæ cultellatis oris ambiãtur, ita ut ea tractantes manus nõ sine uulnere abeant, ut cypiro. Sentiunt & pleraq; alia discrimina. nanque ueratro nigro, ranunculis, coronopo, caucali, pæoniæ, dissecta sunt: laciniata erucæ, acantho, eupatorio, senecioni, laueri, sisymbrio cardamínaco cum adoleuit, stœbæ: multifida pæoniæ fœminæ, uerbenaçe, papaueri rhœadi, alcææ: sinuosa lactucarũ generibus: lunata hemioniti, dracunculo: striata aloæ: serrata mentastro, cumino sylueştri, betonicæ, eupatorio, pentaphyllo, papaueri corniculato, adianto, ebulo. Item trissagini diuisura quercus, & ab ea serram inuentã esse ueteres tradidere. Quibusdã folia in orbem interuallate collata, & circum articulos stellis quibusdam circinata. quare stellatim decussantur aparinæ, rubiæ, gallio. stellæ modo radiata sunt asteri, alysso, & si quæ similia decussentur in stellas. Nam circa articulos folia uelut in stellã decussatim radiata, uel in multas decusses dissecta circinantur in orbem. nam ut author est Columella, nihil refert iugum in stellam decussari, id est diduci. uitisq; dimissis pluribus flagellis in stellam diuiditur. Aliter etiam duas regulas in speciem literæ x decussauit. Sic rapam salgamarij decussatim lunato ferramento concidebant. Sunt etiam quædam in uersus quosdam digesta. Gentianæ iugi serie, sed ex interuallis maiusculis funduntur fidiculæ à lateribus in uersum & ordinẽ quedam utrinq; conditæ. Auriculæ muris per interualla continuè geminantur. Echio minuta utrinq; folia se pandunt. Tithymalo qui paralios nominatur, folia circa coliculos in ordinem digesta conduntur. Dispositа multis, ut myrto, rusco, ebulo, phu, santonico, absinthio. fimbriata sunt urticæ. Muris auriculæ ab latitudine in mucronem se cõtrahunt. Gramini ex latitudine paulatim in exilitatem fastigantur. Arundini folia per extrema in tenuitatem cacuminata. Aculeatarũ genera distinguenda: quædam herbarũ spinosa sunt: quædam sine spinis. Spinosarum multæ species. in totum spina est corruda, scorpio: nullum enim foliũ habet. Quædam spinosa foliata, ut carduus, eryngion, urtica. ijs omnibus foliis inest aculeata mordacitas. aliqua & secundũ folium habent spinam, ut tribulus, ononis. Multa folia et in caule gerũt. Hippophaes spinis geniculatũ est, tributaq; ei proprietas, ut spinosum fructum habeat. Sed ut per folia discurramus, permulta spinis horrent. Chamelæonis folia aculeos erigunt. Dipsaci folia, susq; deq; tubercula quasi bullas spinosas unci nato sentibus dorso demonstrant. Eryngij cum adoleuere per multa fastigia spinose mucronantur. Spinæ albæ folia aculeis infesta sentiuntur. Attractylis multis armatur spinis. Acanthio oręq; tantum aculeis stipatæ. Agriocinara multis sæuit aculeis. Sonchi folia cum creuerint, spinis horrida cognoscũtur. Carduus folio & caule spinosas lanugines habet. Dura sunt stachy, lysimachiæ, gramini. Mollia catanancæ, apollinari, uitici, soncho, aristolochiæ, sampsycho, gnaphalio, onosmati, anthylli, uettonicæ, lysimachiæ, polygonio, aiugæ, liguştico, uiolæ, semperuiuo. Quibusdam folia scabra tangũtur, uel aspera, ut helenio: cistho hirsuta, caucalidi pilosa. Menta, ononis, ranunculũ, folio constãt hirsuto: sed multo mentastrũ hirsutiore. Alba spina hirsutulo: baccaris aspero fruticat folio. Panaci heraclio tam insigni scabritia tanguntur, ut ficulnea possint uideri, quinquepartito per ambitum laciniata. Aspera sunt marrubio, ballotę: scabriora satiuę, pauloq; callosiora, sic ut extritarum uestium similitudinẽ præ se ferant. nec secus hormino utriq; tam hortensi, q̃ uoluntario, nunc uerrucosa, nunc lacunosa facie scabrescũt. Hirta sunt & rugosa marrubio, ballotæ: paulo minus apiastro. mordax asperitas inest urticæ, symphyto. Anchusis hirsuta scabraq; sentiuntur. Et, ut in uniuersum pronuncietur, quibus aut asper, aut squarosus fuerit caulis, eisdem & folia & rami respondent: semper tamen inferior pars longè magis neruorum puluinis, tuberoso pulpæ callo, & uenarum torulis asperior horret: superna leuior. Lanugine pubent permulta. Dictamni tomentosa lanugine circumdantur. Acanthij frondes araneosa sepit lanugo, qua collecta uestes quædam bombycinis similes fiunt. Althæa, mentastrũ, uerbascum miti lanugine canent. Flomidum plumosa sunt folia, ob id ad lumina lucernarũ utilia. Gnaphalij foliis minutis mollibusq; pro tomento utuntur. Nonnunquam subter hirsuta flauescũt, superne leuia uirent, ut asplenio: hemioniti à terra uermiculosa puluinorũ facie scatent, super iugi leuore glabra nitẽt. Nõ longè secus phyllitidi

interius

interius leuor, auersis scabritia subest. Siquidem à tergo pensiles quasi uermiculos præ se ferunt. E foliis plurima pediculo propendent, sed differentia ijs longitudine & breuitate. Filici alarum modo pediculo cubitali folia fulciũtur. Petasiti cubitũ excedit pollice crassior. Tribuli, illius inquam cuius coma aquis extat, & aculei uado cõduntur, folia prælongo nituntur. Chelidonio minori perinde quasi stolones radicũ callis annectuntur. Nymphææ folia quædam aquis emergũt longo sustentata pediculo: uerum quæ uado condun tur, breuiore. Pediculorũ alij neruo tantum constare cognoscuntur, ut arundinis, frumenti: alij eisdem quibus caules. Sed folia quædam caules in serti modum coronãt, ut ononis: alia suos inuestiunt scapos, quæ pediculo uidua potius dici debent. Quædam articulatim caules complectuntur cauo alarum sinu, in quo imber aut humor pluuius, aut rore collectus subsistit, ueluti labro ueneris, quem dipsacũ, quasi siticulosum ab hoc aquæ congestu sibi reseruato, Græci nominant. Est & etiamnum discrimen non fastidiendũ. Humi nõnulla sparguntur quasi caduca sint sorte. Panacis folia, item & moly in terram iacent. Coronopi graminis humi serpunt. Anchusæ per terram strata. Mandragoræ radici suæ circundantur. Lithospermo iacent humi, quę ab radice prosiliunt. Cynoglosso, glaucio, sternuntur humi: item catanãcæ secundi generis. Reptant humi onosmati, & canis testiculo, glaucio. & ut summatim rem cõplectamur, quæ caule uidua esse uoluit natura, & folia per terram quasi sessilia consident. Item quorũ coles in terra proserpunt, & folia humi conquiescere necessum est. Sunt & in foliorum coloribus non parua discrimina. quędam prorsus nigricant: alia incana spectantur. Sunt & quæ rubore quodam perfundãtur. Nec desunt quæ uersicoloribus lituris uariegentur. Habentur quoq; quæ subter incana, supernè uiridia uisantur. Id tamen silentio dissimulandũ non est, ꝙ in foliis non illi meri quidem colores, ut in floribus relucent. non enim frondes aliquæ prorsus nigrę comperiuntur: uerum pleræq; omnes uirent. Sed quæ atro quodam uirore sunt insignitæ, nigræ nominantur authoribus: ut quæ cedunt infectu dilutiori suffusæ, uirides. nec sunt quæ niueum cãdorem illum mentiantur: uerum cuiusdam alboris rudimenta præ se ferunt. Subalbicãt critamo, echio, ranunculo, abrotono, absinthio, saluiæ, uerbenacæ, maro, periclymeno, nepetę, cor niculato papaueri: incana marrubio, stachy, mentastro, altheæ, polio, inde nomen. Candida uerbasco, & mandragoræ mari. ambigunt quædam sic, ut una parte candorẽ, altera colorem alium prodant. Rosmarinũ intus candicat, extrà uiride cõspicitur. Tussilaginí à radice continuò prodeunt: à terra subalbida supernè uirentia. Sic artemisiæ subter canent, suprà herbido uirent colore. Glauci auersa canicie pubent, supernè uiridia cernuntur. Populus alba folio bicolor, supernè candicãs, inferiore parte uiridi, ut suprà dictum est. Illud multo fuerit mirabilius, chamæleonem cum terra in qua nascitur, foliorum mutare colores: sic ut hic uiridia, illic subcandida, alibi cyanea, alibi coccinea conspiciantur: à qua uarietate animantis sese in uarios colores demutãtis appellationem mutuatur. Sunt & aliæ quædam hoc bicolori foliorum uultu notatæ, quæ suis locis referentur. Nigricant tiliæ, personatæ, auriculæ muris, uiolæ purpureæ: nigrantia anchusæ, echio, osyri, eupatorio, apollinari, hortensi solano: folia granatis & amygdalis rubentia. Rhus quem & coriarium fruticem uocant, ꝙ qui pelles cõdensant, spissandis corijs utantur, rutilum fert folium. Helix coccineo splendet colore. Cyclamino purpura rutilat, etsi uarium nonnunq; spectetur, sic ut supra infraq; albicent maculæ. Gentianæ quadantenus rubet. olusatri folia suppuni cant. Cori, ascyro, & hyperico, lonchitiq; rubescunt. Osyri per initia nigricant, dein mutato colore subrubent. Fuci marini folia rubore quodam perfunduntur: auersa peplidi rutilant. Sesamę & irioni sanguinea. Generis cuiusdam bliti & atriplicis saturata nitent purpura. Betæ nigræ ex atro in sanguineũ uergit. Alypum subrubro colore conspicuum. Sic igitur candido colore, nigro, rubro, uel purpureo distinguuntur. Sua & in odore miracula. Quibusdam acutus, ut qui olfactu nares feriat, ut sinapi, lepidio: quibusdam dilutus, ut oleribus. citreis odor acerrimus, multis nullus. odorata folia nardo, asaro, laueri ceu sio: odoratiora sisymbrio, rotundæ aristolochiæ. Iucundè olent ononi, cum recens in coronæ modum foliatur, anteq; spinas erigat. Suauem spirat odorẽ mentha, à quo nomen hedyosmi, id est iucundi odoris inuenit. Menthastrum odorem sisymbrio grauiorem uibrat. Nepeta gratum pulegij odorem æmulatur. Saluiæ odorata sunt uehementer, sic ut quadante

nus uirosa sentiantur. Dictamno tertij generis foliis ineſt odor, inter ſiſymbriũ & ſaluiam iucundiſſimus. Thymum, ſerpillon, thymbra iucũdo placent odore, & ob id coronamentis quæſita. Longè ſuauiſſimum ſampſucus expirat. Ocymum odore nimio caput tentat. Odorata item ſunt ocymaſtro, liguſtico. Smyrnio ſuauitas ineſt medicata: acrimonia tamen gratiam exuit. Stachys ſuaui fragrat odore. Botrys mira iucunditate ueſtes etiam in armarijs commendat. Artemiſiæ minoris folia odorem ſampſuci referunt. Sunt quæ ab alijs odorem uidentur emendicaſſe, quaſi, & quem aliæ herbæ uel arbores peculiariter ſibi uendicarunt, mutuantes arrogant. Sic ſcordium odore quadãtenus allium reddit. Trifolium erucam ſubolet. Apiaſtrum citreum malum odore repræſentat, unde ei nomen citragini. Aiuga penitus olet pinum. Marrubium odorem mali aliquantum refert. Xanthij folia oliactu naſturtium imitantur. Graui odore ſunt abſinthium marinum, aloe, ballote. Polium graui quidem, ſed non prorſus iniucundo, & capitulo paruo in corymbi ſpeciem coacto capillitium hominis cani ſimilitudine quadam effingit: inde nomẽ ſuum reportat. Cãnabis folia grauiter olent: item anagyris, cuius ſi quiſpiam fruticem uel ramos commoueat quatiãtue, tetrum quendam odorem remittet: inde uenit in adagium uulgare non parum apud græcos celebratum, ἀναγυεῖν λυπεῖς, id eſt anagyrim cõmoues. Foliis mandragoræ uirosus ineſt odor, cicutæ graueolentia. Apocynũ uinculis malè olentibus fruticat. Glaucíũ ut tetri & faſtidiendi odoris reſpuitur. Condrylla amara eſt, & acri in radice ſucco. Amara & aphace, & quæ picris nominatur, & ipſa toto florens anno: nomen ei amaritudo impoſuit. Braſſica propter amaritudinem in Ægypto non eſtur. Sylueſtris non ſine amaritudine eſt. Scãdix guſtu ſubacriuſculo ſubamaroq; deprehẽditur. Aloe inſigni amaritudine pollet, item abſinthium: quare pueris amarorem iure faſtidientibus ſalubritatis gratia dant in fico, ut amaritudinem fallant. Cedit aliquanto ſantonicum, cum quo marinum certat. Hyſſopum, ſtœchas leuem reſipiunt amaritudinem. Paſtinacæ folia ſubamaro guſtu ſentiuntur. Triſſagini, marrubio, ſcordio, glaucio, chameleæ ineſt amaror. Empetrum falſo guſtu: ſed quo propius terreno fuerit longiuſq; receſſit à mari, eò amarius reſipitur. Symphytum petræum guſtu dulci: ſyderitis non iniucundo inuenitur. Ciſthi folia acerbo ſapore guſtantur. Hydropiperi guſtu piper repræſentat, citra tamen illam odoris gratiam. Eryſimum ſuo ardenti ſapore linguam uellicat. Lepidij acris natura & exulceratrix: item & ranũculi. Naſturtium ſuo acri ſapore uentri negotium faceſſit. Sinapis uis in ſublime fertur: quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetret, ſuoq; acremento ſternutamenta ciet. Naſturtium ſinapis & erucæ guſtu ſaporem fatetur, nomenq; accepit à tormento narium: & inde uigoris ſignificatio prouerbio id uocabulum uſurpauit, uelúti torporem excitantis & animum exacuentis. Dictamnũ acrimonia pollet: huic reſpondet pſeudodictamnum mitiori aliquanto præditum acremento. Omnium calaminthæ generũ folia guſtatu os accendũt, impenſeq; ſunt acria. Sua acrimonia diſplicet utraq; ruta: uerum montana ſylueſtriorq; plus ſatiua faſtidítur. Stœchas acrimoniam quandam reſipit, quæ in amaritudinem degenerat. Stachys acris guſtatu ſentitur, Phyllitis acerba. Crategonum foliis ſummopere acre: ita & clematitis in tantum, ut linguam uellicans exulceret. Foliorum daphnoidis guſtatu os & fauces incenduntur. Chamælææ foliata mordaci ualent acrimonia: ut & linguam & fauces guſtatu confeſtim obulcerent. Oxytriphyllon, rumex ſuo acore à guſtu gratiam inierunt. Habes itaq; foliorum diſcrimina, quæ carnoſa ſint: pinguia uel craſſa: pauca, uel numeroſa: ampla, anguſta: magna, parua: longa, breuia: orbiculata, & in acumen faſtigata. Item laciniata, ſerratim diſſecta, necnõ ſtellatim decuſſata, lunata, ſtriata. Habes & odoris & ſaporis inſignes eorundem differentias. iam ad foliorum inter ſe ſimilitudines eſt tranſeundum.

De ſimilitudine foliorum inter ſe. Cap. IX.

IAm de ſimilitudine foliorum eſt nobis diſſerendũ, ut futuris herbarum delíniationibus firma iaciantur fundamẽta. Sed imprimis neceſſum eſt, ut nota quædam uulgo proponantur, cum quibus alia quandam inierunt ſimilitudinem: qua uelúti certa coniectura colligentur, quę nec aliàs niſi quadam æmula facie noſci poſſunt. ab hederaceis, ut quæ neminem quantũuis ruſticum lateant, rem auſpicari par erit. Aſarum igitur, cyclaminus uterq;, dracũculus, ſmilax, chelidonium

chelidonium minus, marina braſſica, æthiopicũ ſeſeli, periclymenus, aſclepias, epimediũ, gramen parnaſi, apocynon, uiola purpurea, chamæciſſos, leuis ſmilax, ſuis foliis hederam imitantur. Nec refert, ſi quædam inter hæc uel maiora uel minora cernantur: nanq; magnitudo rerum ſimilitudinẽ non tollit. Scammonia partim helxinæ, partim hederę folio communicat: ut cynocrambe nunc mercurialem, nunc hederam foliis æmulatur. Hortenſe ſolanum, circæa, halicacabũ, ueſicaria, labruſca conſimilibus pubent foliis. Sed longè fuerit melius rem literatim proſequi, quò facilius inueniantur ſimilitudines foliorũ in ſuas claſſes digeſtæ. Alba ſpina, acanthium ſimili conſtant folio. Abrotono fœminæ folia ſeriphi modo diuiduntur. Agnus, anagyris folio non diſſimili uirent. Apium, caucalis, ſecũdum dauci genus, laſerpitium ſeſe foliis imitantur: ſed longè ſmyrnium latiora ſibi uendicauit. Bunion foliolis apio ſimilibus ſcatet, ſed multo tenuioribus, & quæ modo quodam tribuli folia ſequantur. Amygdala, rhododendron conſimili comantur fronde. Aniſi folia iſopyrum planè referret, niſi in pampinos intorqueretur. Anagallidem antirrhinon æmulatur. Atriplicem, xanthium, aparinen, galium, aſtera, decuſſatim folia coronant. Ad bulbi frondem hyacinthus, colchicon, bulbus uomitorius proximè accedunt. Buxus & lycium conſimili fronde uirent. Vitem albam amomum folio repræſentat. Betæ folium mandragoras maſculus, limoniũ, potamogeton, beta ſylueſtris æmulãtur. Veratrum album plantaginis, uel ſylueſtris betę ſimilitudinem retulit. Bugloſſon & cirſion conſimili ſunt folio. Cichoriũ, condrylla ſimili modo foliantur. Cyperum typha quadam tenus imitatur. Cnecum atractylis refert: chamæleonem nigrum crocodilium: chamæleonem album ſilybon. Coronopi folia habent catanãce, pſyllium, holoſteũ. Coriãdri ſimilitudinem præ ſe ferũt partheniũ, altera ſyderitis, omnia ranunculi genera, & phæniũ: & tam quod in cultis q̃ ferís naſcitur: dauci genus tertiũ, bunion, thalictrum, adiantum, capnos quem fumariam appellamus. Cannabis folia profert aut quinquefolij eupatoriũ, ſed quæ quadripartito diuidantur. Cotoneę mali frondem exhibent arbutus, halicacabũ, capparis, ſolanum ſomniferum, ſaluia. Cupreſſi effigiẽ ſabina altera promit. Calamínthæ uel ſanguinalis quandam imaginem præbet polemonia. Ciſtus & ladanus folio cõueniunt. Ciceris ſimilitudinem oſtendunt teucrium, ſecuridaca. Cyclamini folium habet aconitũ. Cumini ſylueſtris, ſtratiotes, chiliophyllon, cicutæ myrrhis. cucurbitæ perſonata, colocynthis. Daucũ ſylueſtre folio pyrethrũ imitatur: dracunculũ hemionitis: ericam coris. In fœniculi folia extenuantur altilis aſparagus, panaces Aſclepij, ſeſeli, daucum creticũ, anthemis, erraticum fœniculum, libanotis, buphthalmos, millefolium, thapſia. Phænij folio geraniũ ueſtitur. Fici frondes panacem, ficum Aegyptiam, quæ & ſycomorus dicitur, morumq; comant. Filicis folio ſunt ſyderitis quoddam genus, adiãtum, fidicula, filix fœmina, dryopteris. Ferulam cicuta demonſtrat: graminis folium repræſentat moly, coronopus, holoſteon, gramen arundinaceum. Glaſto tripolium ſimile eſt. Helxinæ folia reddunt anagallis, muris auricula, alſine. Oluſatri folium exprimunt phu, lauer. Quæ in hederaceum circinantur, paulo ante expoſuimus. Hypericum & centaurium minus folio non diſcrepant. Phœnice hordeo ſimilatur. Iuglandis folium præſtãt gentiana, centaurium maius, pæonia mas, ſabucus. iris folium imitatur acorum, medium ſylueſtris iris. gladioli folium iridi ſimile erat, niſi minus & anguſtius uideretur & in gladij ſpeciem mucronatum, inde nomen. Sparganium æmula facie gladiolum repræſentat. Iunceis foliis articulatim equiſetum capillatur. Lenticulæ folium helenium alterum, anonis, paluſtris lens, fidicula, polygala glaux referunt. Lauri folium ſimulant polygonatum, clematis, daphnoides, chamædaphne. Lilij folia ſpargunt pancration, ſatyrion, ephemeron, onagra. Lenti ſimillima ſunt anthylli, aphacæ, onobrychi, chamæſycæ. A lentiſci folio glycyrrhiza, tragumq; non degenerant: nec à lepidio arabis. Lactucæ folia fundunt crocodilion, dipſacus, ſylueſtris lactuca, lycopſis, anchuſa, ſylueſtre glaſtum, niger mandragoras, quæ fœmina intelligitur. Linguæ bubulæ proxima ſunt ſymphyti alterius folia. Myrti ruſcus habet & tithymalus fœmina: ſed rubo canis longè maiora. Mentæ hortenſis folio frondent ſiſymbrium, hydropiper, pentaphyllon. Marrubij folium poſſident ballote, apiaſtrum, horminum, ſyderitis. Mercurialis folio uirent helxine, elatine, cynocrambe. A naſturtij folio hiberis nunquam deſciſcit: nec ab oxymo hortenſe ſolanum: nec à mercuriali helxine. Oleam fronde repræſentant halimus,

ptarmica,tilia,liguſtrum,uitex,conyza, thelygonũ,teſticulus canis,lithoſpermon, dory/
cnion,hypophaes. Plantagini non diſſimilia ſunt folia rumicis, oxalidis,glaſti,gentianæ,
aliſmatis,uolucri,candidi ueratri. Platanũ folio æmulantur ſphondylium,aconitum alte/
rum,nigrum ueratrum,ricinus. Paſtinacæ folio gingidiũ eſt. Portulacæ effigie folia faciũt
telephium,cepæa,critamon, tribuli genus unum,tithymalus helioſcopus,ſemperuiuum
tertium,ſylueſtris portulaca. Porri folia præ ſe ferunt cyperus,haſtula regia,teſticulus ca/
nis,lonchitis,uettonica,narciſſus. aloe ſcyllæ ſimilitudinẽ habet. Piraſtro acuta ſpina,me/
ſpilis folijs proxima ſunt. Pulegium, dictamnũ,calamintha conſimili cõſtant folio. Piceæ
ſanguinalis fœminæ, pityuſæ ſimilia ſunt folia. Querna fronde ueſtiuntur triſſago, ſcor/
dion,betonica,ſyderitis. Rutæ folio pullulant acacia,centaurium minus, ſerpillum ſylue/
ſtre,ambroſia,polygonũ, androſæmon,polemonia,peplos, hypecoon, apios quæ iſchas
cognominatur. Rumicis folio donantur dracunculus,aron,phyllitis,bretanica. Ruſcum
imitantur folio hippogloſſum,alexãdrina laurus. Saligna fronde lyſimachia fruticat. Ser/
tulæ campanæ liguſticum folio ſimulatur. Siliбus,chamæleo, cardus,ſpina alba,ſyueſtris
carduus,conſimili modo foliantur. Scolymus, chamæleo niger,crocodilion,folijs inter ſe
non diſſident. Semperuiui minoris folium extenuatur. Aiuga tertia ariſtolochiæ ſpecies.
Scolopendriæ folijs ſimilia ſunt ſecunda muris auricula, lonchitis altera, tragium quem
ſcorpium cognominant. Solani folij quandam præferunt imaginem, circæa,halicacabus
ueſicaria, labruſca. Sampſuchi folium panaces chironium æmulatur. Sanguinariæ folio
calamintha,& polemonia quadamtenus ſimiles ſunt. Aloæ folia ſcyllæ ſimilitudinem ha/
bent. Serpillo clinopodium ſimile eſt. Satiuę folium ſyderitis, horminum,uerbaſcum ſyl/
ueſtre ferũt. Smilacis fronde uitis nigra luxuriat. Tamaricis folio ſabina altera uiret. Tri/
tiij ſtipula ueſtiũtur cratæogonon,auena,thymum. Stœchadem,ſatureiam ſimile comat
folium. A trifolij folijs non abhorrent lotus ſylueſtris, medica, cytiſus, ſertula campana.
Verbaſci folia pandunt helenium, papauer corniculatum,æthiopis, arction,bugloſſum,
tithymalus,latifolia. Verbenacam alcęa folio prodit. Vrticæ fimbrias labeo demonſtrat.
Siſymbrium folio pſeudodictamnũ æmulatur. Sic habes herbarum folia in claſſes quaſ/
dam nominatim relata,ut facilè quiſquam ut diſcrimina ſuperius norit,ita germanitatem
cognationemq; perdiſcat, quæ in dignoſcendis herbis non paruam adfert utilitatem.

De conceptu,germinatione,& floribus arborum herba/ rum'ue. Caput decimum.

PRimus annuo ordine naturę conceptus eſt, poſtquam incipit perflare Fauo
nius: exinde Februario. hoc enim maritantur uireſcentia è terra, hic eſt geni/
talis ſpiritus mũdi, à fouendo dictus ut quidam exiſtimauere. flat ab occaſu
æquinoctiali,uer inchoans. geſtit enim natura ſemina cõcipere, isq; animam
inſpirat omnibus ſatis. Cõcipiunt uarijs diebus & pro ſua quęq; natura: alia
protinus: tardius aliqua diutiusq; grauida partus gerunt, non aliter q; iniecta genitalibus
animalium locis ſemina celerius aut maturius animantur. hoc Germinatio in arboribus
uocatur. Pariunt uerò cum florent, floſq; ille ruptis conſtat utriculis: ſed educatio in po/
mo eſt. hoc et germinatio earum eſt. Flos pleni ueris indicium eſt,& anni renaſcentis: flos
gaudium arborum. tunc ſe nouas aliasq; quàm ſunt oſtendunt: tunc uarijs colorum pictu
ris in certamen uſq; luxuriãt. ſed hoc negatum pleriſq;. Nanq; nec omnes florent, ſed ſunt
triſtes quædam, quæq; non ſentiant gaudia annorum. Nam neq; ilex, neq; picea, larix, pi/
nus, ullo flore exhilarantur, natales'ue recurſus pomorum annuos uerſicolori nũcio pro/
mittũt: nec fici atq; caprifici. Protinus enim flores fructum gignũt. In ficis mirabiles ſunt
abortus, qui nunquã matureſcunt. Sed de floribus harum uaria ſententia eſt. Quidam ro/
bur, nucem auellanã, caſtaneam, pinum,& piceam florere putant, quòd ante germinatio/
nem uerni temporis ſublonga panicularum modo nucamẽta compactilibus callis coacta
propendent è ramis, uelut quidam foliorũ conceptus, quibus arbores quaſi grauidæ con
tumeſcant germina parere geſtientes. ea uidentur quædam pineę nucis rudimenta, ſed ha
bitu longiore fereq; æquè craſſo, tandem per extrema in mucronem turbinantur. ea hye/
me creſcunt. aperitur uere pilula tota,& dehiſcit in flaueſcentes ſquamas: tum in longitu
dinem quæ ternos æquet pollices protẽditur, prodeunteq; folio cõcidens euaneſcit: tunc

calyculacea

calyculacea tegumenta totidem quot flores, ſuper pediculum contracta prominent. Ferunt hanc pilulam robora, quam cachryn Græci nominãt. Gignitur & in abiete, larice, picea, tilia, platano, poſtquam folia cecidere, hyeme durans. Sed nuci auellanæ iam caduco fructu ſquaroſum quiddam minutulis ſquamulis racematim compactum ueluti prælongus uermis erumpit, quod ſingulari fultum pediculo penſile nititur: iulum tam Græci q̃ Latini uocant. Alij antedictas florere prorſus inficiantur, ſed ſuæ germinationis præludia quædam oſtentare putant, quibus futurus foliorum partus etiam præſagitur. Nec iunipe ri florent: ferunt protinus baccis ſubnaſcentibus, quæ biennio hæreant. Sic multis arborum ſors natiuaq̃ conditio ſine flore eſt: omnes autem germinant, etiam quę non florent. Magna & locorum differentia. Quippe ex eodem genere quæ ſunt in paluſtribus, priora germinent: mox campeſtria: nouiſſima in montibus, ut Macedones tradiderunt. Multæ cum urbanis incipiũt germinare: pyrus ſylueſter paulo tardius. Primo fauonio germinat cornus, tam mas quàm fœmina: proximè laurus: paulo ante æquinoctiũ tilia, acer, fagus, ficus. Inter primas uerò nux iuglans, quercus, ſabucus: atq̃ etiam magis quę ſteriles ſunt, & lucis gaudent populus, ulmus, ſalix. feſtinat & platanus. Cæteræ uere concepto ut caprificus, acuta ſpina, paliurus, aquifolium, terebinthus, caſtanea, iuglans: ſerotino autem germine malus: tardiſſimo ſuber, thuia, taxus. Sunt quæ reſtibili fertilitate uel nimia ſoli ubertate, neque non inuitantis cæli uoluptate regerminent: quod multo magis in herbis ſegetum euenit, in arboribus tamẽ nimia germinatio elaſſeſcit. Sunt, ut Theophraſtus eſt author, naturales quædam germinationes, quę ſuis conſtant ſyderibus. una Arcturi exortu poſt uer omnibus communis arboribus: ſentitur enim maximè in fico, in uite: punicis denicq̃ omnibus, quæ uberius coaleſcunt, præſertim ſi pingue lętumq̃ ſolum reſpondeat. Aeſtiua Canis ortu plurima in Theſſalia Macedoniaq̃ ubi copioſa tũc ficus exeat: multo maximè ſi autumnus placidus ac longus educet fauente cæli mollitia: in Aegypto ęterna ferè germinatione quadam exultant. Hyberno Aquilæ ortu reliquæ quidem arbores ut primum cœpere continuant germinationem. Robur & abies & larix intermittunt tripartito, ac turgentes terna ædunt germina. Ideoq̃ ter corticum ſquamas ſpargunt, terq̃ ſquaroſæ cernuntur. quod omnibus arboribus in germinatione euenit, quoniã prægnantium rumpitur cortex. Fit utique germinatio prima ineunte Februario, iterum germinãt tranſeunte Gemínos ſole, id eſt intermiſſis triginta diebus aut paulo pluribus. Sic fit, ut dum prima cacumina propelluntur, ſe cutis aperiat geniculato incremento uelut articulatim, uel ſurſum, uel in latera ſe fundentibns ſurculis. Idq̃ fieri ſolet exitu Martij: quo tempore naſcitur galla tam nigra quàm candida, erũpens noctu ſemper uniuerſa. Creſcit uno die candidior, & ſi excepta eſt æſtu, areſcit protinus, neq̃ ad iuſtum incrementum peruenit, alioqui magnitudine ampliori grandeſceret: quò fit, ut pleræque nucleum fabæ non excedant. Nigra diutius uiret, creſcitq̃ ut interdum mali compleat magnitudinem. Tertia earum eſt ad ſolſtitium breuiſſima Aprili menſe: nec diutius ſenis aut ſeptenis diebus durat, clareq̃ tunc cernitur creſcentium cacuminum articulatio. Vitis ſola bis parturit, cum primum emittit uuam, iterum cum digerit. Germinationes arborum cum in pleriſq̃, tum maximè in abiete pinuq̃ deprehenduntur: quoniam genicula in uerſus rectos porrigantur, ramíque ex æquo conditi procedant. Verum germinatio ſimilis ubique completur: quò cum uentum eſt, non in longitudinem amplius, ſed in corpus incrementa uertuntur. Eorum quæ non florent, partus tantum eſt & maturitas. Quædam ſtatim in germinatione florent, properantque in eo, ſed matureſcunt tardè, ut uites. Serotino quædã germinata florent, maturántque celeriter, ut morus: quæ nouiſſima urbanarum germinat, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum. ſed cum cœperit, in tãtum uniuerſa germinatio erumpit, ut una nocte cum ſtrepitu peragat. Ex ijs quæ Aquila oriente concipiunt, floret prima omnium amygdala, menſe Ianuario. Martio uerò poma matura. ab ea proximè florẽt armeniaca: dein præcoces. Ordine autem naturæ, ſylueſtrium prima ſambucus, cui medulla plurima eſt: & cui nulla, cornus maſcula. Vrbanarum malus, paruóque poſt, ut ſimul uideri poſſit, pyrus, & ceraſus, & prunus. Sequitur laurus, illamque cupreſſus, deinde punica, fici. At uites, & oleæ florentibus iam ijs germinant. Concipiunt Vergiliarum exortu, hoc ſydus illarum eſt. Floret ſolſtitio uitis, & quæ paulo ſerius incipit olea

pit olea. Defloreſcunt omnia ſeptenis diebus, non celerius: quædam tardius, ſed nulla pluribus bis ſeptenis. Nec ſtatim fructus ſequitur. In aliquibus, quæ gummi gignũt, poſt germinationem aperiuntur: gummi uerò non niſi fructu detracto ſpiſſatur. Cæterum florum differentiæ ita ſe habent. Siquidem florum alij lanuginei, ut uitis, mori, hederæ: alij foliati, ut amygdalæ, mali, pyri, pruni. Item alij grandes habentur. Oleaginei quidem foliati, ſed puſilli. Cunctorum alij bicolores, ut in herbaceo genere permulti. Nullus flos urbanis bicolor: & ſi quis inueniatur, ſylueſtrium generi aſſignabitur. Flos enim abieti croceus: alij concolores, ijdémque magna ex parte candidi: quippè cum tantum ferè punicæ phœniceus exit. Item quarundam amygdalarum ſubruffus emergit. Item nonnulli duplices conſpiciuntur, qui in foljs alterum florem medium inſidentem gerunt, ut roſa, uiola, lilium. alij ſimplices erumpunt. Non deſunt qui foliorum agmine ſtipati emicant. Diſſident iterum inter ſe ortu. quædam nanque ſuo flore fructum ambiunt, ita ut floſculi uideantur perforati, ut uiti, oleæ. Maior ferè pars hærentem in floris medio fructum continet. Quanquam non deſint, quæ ſuper fructum inſidentem floſculum emittant, ut punica malus, amerina, prunus, myrtus. In fruticum genere roſa, maiórque pars coronariorum ſemen ſub floribus conditum geſtant: ſed in roſa quòd calyx extuberet, perſpicuum deprehenditur. Non deſunt, quæ cum ſeminibus flores ædant, ut acorus, cnicum, atque omnia quæ florem numeroſo folio ſtipant. ſingulis enim ſeminibus ſingulos annexos flores proferunt. In oleraceo genere flos in poſtremo fructus inſidet, diúque crescenti defixus ſeruatur, ut cucumi, peponibus, cucurbitæ. Sic in herbaceo quibuſdam in fructus uertice flos adoleſcit, ut gith. Alijs longè ſecus euenit, ſed modo quodam peculiari, ut hederæ, moro. Etenim florem in totis fructibus concipiunt quaſi medijs inculcatum, non in poſtremo decumbentem, neque ſingulas partes ambientem. Fœcunditatis argumentum mali medicæ floribus affirmant, ſi rectus apex colus ſpecie à medio ſinu proſiliat: reliquos utpote ſteriles repudiant. Copioſus & creber punicis emicat: denique ſui pomi magnitudinem modo quodam æmulatur. Flos ſimplex in poſtremis cucumerum ſarmentis emergit: qui uelut infertilis, à reliquorum conſortio debet explodi. Sed in herbaceo genere tanta florum uarietas, ut rerum parens natura in ijs depingendis felix, tam multiplici luxu pingat, támque in magno fertilitatis gaudio laſciuiat, ut ne uis humana quidem tam diuerſis imaginibus reddendis ſufficiat. Triticum quatuor, aut quinque tardiſſimè diebus incipit florere: totidem aut paulo pluribus defloreſcit. In flore fabæ lugubres literæ reperiuntur: ob id flaminem non ea ueſci tradidit Varro, utpote cum etiam in ea peculiaris ſit religio. Ex herbis multæ particulatim florent, ut erraticum intybum, quod poſt Vergilias naſcitur. Aphace ſubinde marceſcente flore emittit alium, tota hyeme, totóque uere uſque in æſtatem. Quædam æſtate florent, ut helxine. Scolymus quoque floret ſerò, & diu: mirum'que quòd ſine interuallo tota æſtate, aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit. Mira anthemidis natura, quòd à ſummo flore incipit: cum cæteræ omnes, quæ particulatim florent, ab ima ſui parte incipiant. In croco quidem flos impellitur: caule ſero floret, ſeróque germinat Vergiliarum occaſu. In ſcylla uerò caulis exit, deinde flos ex eo emergit: eadémque ter floret, tria tempora ſationum oſtendens. Bulborum generi quidam hanc adnumerarunt. notabilis illius crociqúe natura: quæ quum omnes herbæ folium primum emittant, móxque in caulem rotundentur, in ijs caulis prior intelligitur quàm folium. Notabile in lappa quæ ueſtibus adhæreſcit, quoniam in ipſa flos naſcitur non euidens, ſed intus occultus: & intra ſe germinat uelut animalia quæ in ſe pariunt. Mirabilius in ruſco. flos è medio foljj umbilico puſillus exit, ueluti fœtus grauido: quo tandem excuſſo, grandis bacca cohærens propendet, quaſi folium fructus prægnans uice fruticis parturiat. Picris toto anno floret: nomen ei amaritudo indidit. Haſtula regia exitu menſis Martij & initio Aprilis florem ædit. Florum prima uer nunciãtium, uiola alba. Tepidioribus quoq; locis hyeme non exacta, quum cælum fuerit clementius, emicat. poſtea quæ appellatur purpurea, ſæpe bis anno, uere & autumno, æſtates hyemes'que fugit. Seriores prædictis lilium & narciſſus, quæ poſt Arcturum & circiter æquinoctium florent. Sequitur œnanthe, cui odor idem qui germinantibus uuis, atque inde nomen. Ex ſylueſtribus heliochryſos: & alterum

genus

genus phœnij, quæ limonium cognominatur. Post hanc gladiolus & hyacinthus. nouissima rosa. Siquidem ijs omnibus ut serior erumpit: ita fugax eadem, prima deficit. Cæterum in syluestrium genere hyacinthus maximè durat, & uiola alba: nigra per annum, si cultus adhibeatur. Item cœnãthe plurimũ, si crebro deuulsa prohibeatur semẽtescere. Flos ut labruscæ candidus racematim coit. hyacintho ita discurrunt uenæ, ut literarũ græcarũ A I legatur inscripta. Et uerni quidẽ flores ij sunt. Succedũt illis æstiui, lychnis, Iouis flos, et alterum genus lilij: item tiphyon, sampsuchum phrygiũ. Sed maxime spectabilis pothos. Duo genera huius, unum cui flos hyacinthi est: alterum decolor candidum, qui ferè tumulis nascitur, quoniam fortius duret. Iris æstate floret & radicula: flos aspectu quidem pulcher, sed inodorus. Alij rursus subeunt autumno. Tertiũ genus lilij, crocum tam montanum quàm satiuum. Vnum hebes, alterum odoratum, primis omnia imbribus emicantia. Coronarij quidem, flore acutæ spinæ utuntur, cuius caulículi inter oblectamenta gulæ condiuntur. Item smilacis flore utuntur. Ordo florum ita se habet. uiolis succedit rosa, huic interuenit lilium. Rosam cyanus excipit: cyanum amarantus. Vincaperuinca, cum æterna fronde uireat, inopiam hybernorum florum aliquãdo supplet. Nec tamen hyems ipsa floribus est uidua, nec id tempus semper hoc munus negat: præsertim quum autumnus suos flosculos diutius prorogarit, succedens'que tempestas suis gelicidijs non rigeat, apricis tractibus suam continuant successionem: alioquí inclementia frigorum frequenter interpellantur. Vita uiolæ albæ trimatu peragitur. Ab eo senectam sentiens degenerat. Incanos senio parit flores. Rosa quinquennium perfert, non recisa, nec adusta. Illo siquidem tempore uegeta iuuenescit: ueterascens priorem gratiam exuit. Flores primùm multis herbarum calycibus concluſi, postmodum intumescentes explicantur in folia: ut hirci barbulæ, androsæmo, gentianæ: id quod euidentissimum est in rosa. Germinat omnis primò incluſa generoso cortice: quo mox intumescẽte, & in uirides alabastros fastigato, paulatim rubescẽs dehiscit, in calycis medio sui stantis cõplexa luteos apices. Lilijs est calycis & staminis in colore differẽtia. Nec ullis florum excelsitas maior, interdũ cubitorum ternũ languida semper ceruice, non sufficienti capitis oneri: flore emaculati candoris, effigie calathi: folijs ab angustia in latitudinẽ paulatim sese laxãtibus, extrinsecus striatis, resupinis per ambitũ labris, emicantibus ex calycis fundo luteis apicibus tenuíq; filo crocis. Hunc æmulantur iris, acorum, narcissus, qui flore est candido & calyce purpureo. Est & flos non dissimilis in herba, quam conuoluulum nominant, nascens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac ueluti rudimentum naturæ lilia facere condiscentis. Sunt & altilis uettonici flores, quos uulgus nunc caryophileos ab odore, nunc ocellos à figura nominat, qui rosis non inferiores uideri possint, cum'que eis de principatu certant: quando nec colore superãtur purpureo, uermiculato, candido, nec odore: nisi forsitan quòd à longinquo plus olet recens rosa. Sed iam nihil rosa fugacius, longissimáque decerptis mora dies: his in triduum & amplius uita uigórque durat. Aliquibus tanta magnitudo, ut orbem utraque manu complecti ferè nequeas, folia quaterna quináue: nonnullis rosæ modo numerosa, mirabili quorundã alabastro cum dehiscit, aliam statim prodente pandentem sese paulopost in florem. Omnibus teres longiusculus herbaceus'que calyx, summatim'que denticulatus, geminis utrinque emicãtibus stamineis apicibus, floribus omnium speciosissimis: caryophilli odoratu, sed longè suauissimo, coloris uarij: quoniam alius cocco rutilat: alius saturata nitet purpura: alius emaculato blanditur cãdore: alius uersicoloria uariegatur mistura. Est & in folijs differentia, q̃ ijs cõstent lentè fimbriatis: alij frequentiore coma stipentur, & profundioribus incisuris crenentur: quæ cum fuerint prorsus explicata, radiatum orbem circinãt, per extrema serratũ. Vsus propè coronis nimius, & frequenter ad hybernã usq; tempestatem parere nõ cessat. E maluaceo caule rosæ quædã iam patent: quædã nascẽtibus similes, nũc primũ exeunt: aliq; adhuc cõuolutis foliorũ paniculis nondũ dehiscũt, sed capitula quædã in mucronem leuiter fastigiata primũ à caule prosiliũt, ijsq; paulatim intumescẽtibus prægnãtia florũ inuolucra fatiscũt, & in rosas sese explicãt, folijs structili quadã serie numerosis, calycibus apices paucos ostẽdẽtibus, qui lutei medijs emicãt. Ii flores maluarũ horten-

ſium uenuſtate roſis nō cedunt,nec colore uincuntur niueo uel purpureo: odore tantum ſuperari conſtat.non uſq; eò nati coronis.Multis herbarum & capituli uertice flos erumpit:ut hieraciæ,melanthio,centaurijs.Nymphææ flos candidus, lilij ſimilitudine multipliciter foliatus extuberat,prono ſemper collo nutanteq;, quòd grauitati floris par eſſe non uideatur:exterius foliū quaſi calyx eius herbaceo uiret colore:intus niueo relucet. ſtamina quoq; mōſtrat crocatis apicibus capitulata: cum excuſſis iam folijs defloruit,papauer oſtendit ſeminio turgens.Alterius nymphææ flos luteo nitet aſpectu,roſæq; potius ſimilitudinem imitatur.Proxima ijs,ſi credimus Herodoto,lotus ægyptia,Nili proueniens in undatione,colocaſiæ ſimilis: folijs denſa congerie ſtipatis:flore candido,lilijs haudquaq; abſimili:papaueribus grano milij plenis,ex quo panē incolæ conficiunt.Anthemidi è rotundis capitulis flores prominent in orbem foliati,alios intus aureos flores cōtinentibus. Sic parthenio flores per margines candidi ſparguntur, in medio lutei.Buphthalmo flores oculorum orbem imitātur crocis anthemide maioribus.Pæoniæ flos admirationem mihi ſimul & uoluptatem attulit,calyce floris roſeo in lata folia ſe explicante, quibus deciduis plurimum quini ſubriguntur hirti craſſiq; folliculi, mox reſupinandi:ijs fatiſcentibus uarium intus ſemen altero coloris contextu conſpicitur.Nanq; ſiliquis ſenſim dehiſcētibus hic baccas ex atro, illinc acinos cocco niteſcere contueri licet. Altheæ flos roſeus emicat. Omnibus,quibus à protuberāte capitulo flos proſilit,intus ſemen latitat conditū,ut gith, centaurio,& multis prædictorū.Dipſacus inter echini ſui ſpinas flores condit candicātes. Chamæleoni,carduo,ſcolymis,cinarę,cneco,atractyli,& bonæ ſpinarū parti flores in ſpinoſorum capitulorū uerticibus erumpunt criniti capillataq; lanugine cōpacti, quæ grandeſcente ſeminio turgida diſſiliunt:floſculi flacceſcētes in pappos euaneſcunt.Non ſecus ſenecioni flos cōpactili canitie pubeſcens abit in auras. Sic in arundinis faſtigio ſeneſcente denſius excreſcit tomentū,ad farciēdas cauponias culcitras haud inutile. Tiphæ cacumen florum multitudine denſa capitatur, quæ ſoluatur in pappos, quam lanuginē aliqui nomināt.Conizæ flos ſqualidus eſt,luteus aut ruffus,qui tandem in lanugines amittitur. Omnium herbarū, florum qui deſciſcunt in pappos, ſemen habent in ima lanugine latēs. Sunt & flores herbarum plurimi, qui ſummis umbellarū radijs emicant.Ex aculeatis chamæleo albus florem geſtat ſpinoſum,tenuem,uiolaceum, uerſicolorem. Sabuco,arabidi, ebulo, circinatæ rotunditatis umbellæ, quæ extremis ſtylorum mucronibus florem fundunt.Dauco rotata ſpargitur floribus ultrò citroq; candidis,axe tantum purpureo. Caucalis,panaces liguſticum,ſeſeli,anethum,flores in umbellis ſuſtinent.Oluſatri,elaphoboſci,peucedani,cicutæ,libanotidis,cacumina umbellæ occupant,in quibus flores propendent. Achilleæ faſtigium in umbellam rotundatur, in qua flores uel candidi, uel purpurei,uel auri æmuli cohærent.Pyrethrum cacumine circinat umbellam,in qua flos exit.Origanum,millefolium,in muſcarijs florem concipiunt. Peucedanū in folioſa coma florem creat. Verum omnibus quæ uerticibus ſuis umbellas obtendunt,flos & tenuis & paruus inſidet.Flores etiam aliqui ſuos coles non inuenuſtè coronant,ut in ſiſymbrio:in clinopodio tamen ſpeciem lecti pedum exhibent.Flores in marrubio per intercapedines uerticillato coitu ſcapos decorāt.In ballote caulis circinato florum ambitu uerticillatur. Non desunt quibus orbiculato cinctu ſuos ſcapos perpulchrè uinciant, ut ſtachy. Diſſident rurſus inter ſe flores. Nanque grandes ſunt medio,ſolano ſomnifero,onagræ,anemonę.Amplíſſimi maluæ hortenſi, lilio,iri. Graciles glaſto, chamæleoni nigro, ſupinæ uerbenacæ. Tenuis ac paruus artemiſiæ,aſtragalo.Puſillus inſidet alcææ:quāuis effigiem roſæ præ ſe ferat.Item aliſmati,androſæmo,lycopſi,tertiæ ſideriti,ſtratioti, millefolio,pityuſæ.Numeroſus quibuſdam.Hyacintho coma procūbit incurua,floris purpurei plena.Smilax leuis ęterno flore numeroſoq; exhilaratur,ob id operi topiario dicata,quò uultus delicatos per æſtatem uindicet ab ſolis æſtu.Alypum quoq; florū copia gaudet.Labruſcis crinitus flos & muſcoſus exilit.Liguſtro muſtaceus cādicat.Tuſſilagini flos prætermodū fugax: nāq; uere momēto ferè caducus flore exuitur. hinc pleriſq; data eſt occaſio credēdi,q; ſcapo & flore uidua naſcatur.Sunt tamē nōnullę herbę ueluti ſteriles,quę florē nullū pariāt,ut adiantum,filix,polypodiū. Nam neq; florem,neq; ſemen creant: ſed ueluti triſtes ſolis folijs contentæ colibus deficiūtur.Chamæſyce nunq; floret. Hypophæſton nullo lætatur flore.

Sunt &

Sunt & nõ parua colorum in floribus discrimina, de quibus, postq; de fructibus breuiter egerimus, capite priuatim ijs dicato, per florum fructuũq; colores progressi, disseremus.

De fructibus, & seminijs. Cap. XI

FErtilium pars maior fructum in medio flore cõcipit, alit, fouetq; tantisper in amplectentis utriculi sinu, dum flauescens emarcescat, aut pereat caducus. fructus flore exutus sensim increscens ad maturitatem perducitur. Fructus alij carne & neruo constant: alij carne tantum concreti. Nonnulli cute tegun tur: sed humore omnes imbuti madent. Carne neruoq; pruna cucumeresq; coguntur. Humore & cute mora punicaq; coaluerunt. sed publica hæc distinctio, ut pars exterior cortex, interior caro intelligatur. Quibusdã quoq; nucleus sequitur. Postremum in omnibus semen interne decumbit. hoc humorem in se caloremq; insitum possidet: quibus cum semen exuitur, sterile infœcundumq;, sicut urinum ouum reijcitur. Semen principium est oriundi. Quod est duplex. unum quod latet sensum nostrũ: alterum quod est apertum. Latet, si semina sunt in aere, ut Anaxagoras physicus ait. Si in aqua, quæ fluit & in agrum inferre solet, ut scribit Theophrastus, quod apparet agricolis, id diligẽter est uidẽdum. Quædam enim ad oriendũ sunt usq; adeò parua, ut sint obscura, ut cupressi. Non enim galbuli qui nascuntur tanquam pilulæ paruę corticiæ id semen: sed in ijs intus primigenia semina dedit natura. Reliqua inuenit experientia coloni. Num prima sine colono priusquam sata nata: secunda, quę ex ijs collecta neq; prius quàm sata nata: Prima semina uidere oportet, ne uetustate sint exucta, aut ne sint admista, aut ne propter similitudinem sint adulterina. Semen uetus tãtum ualet in quibusdam rebus, ut naturam cõmutet. Nam ex semine brassicæ uetere sato nasci aiunt rapa: & contrà ex raporum brassicam. Secunda semina ne uel nimiũ cito, uel tardius tollas. Tempus idoneum, quod scribit Theophrastus, uere & autumno, & Caniculę exortu. neq; omnibus locis ac generibus idem: de quo infra nõnihil dicetur. Tertium genus seminis, quod ex arbore per surculos defertur, ut eo tempore sit deplantatum, quo oportet. Id enim ante fit, quàm germinare aut florere quid incipiat. Sed ad rem nostram redeamus. Quorundam semen illico post ambiens tegmen subest, ut palmæ, nuci amygdalæ. Sed quæ pluribus cinguntur, & caro sæpe & nucleus intercedit, ut oleæ, pruno. Sed naturas arctius colligi par est. Alia siliquis includuntur, ut leguminum. alia uasculis, ut sesamæ, papaueris. alia spicis continentur, ut tritici, hordei: muniunturq; uallo aristarum quadruplici. Quædam nuda, ut anethi, fœniculi, anisi, & quæ umbellis sustinentur. Milium & panicum tantum in frugum generibus paruis auibus exposita sunt indefensa: quippe membranis continentur. Panicum cacumine languido, nutante, paulatim extenuato culmo penè in surculum, prædensis aceruato granis, paniculaꝝ coma complectẽte, quæ fimbriato capillo curuetur. Arborum nulli semina nuda: sed carne, cute, uel crusta uestiuntur. Alia siliquis gignuntur, ipsis dulcibus, semenq; complexis amarum: quum in pluribus semina placeant, in siliqua damnentur. Alia baccis, quarum intus lignum, & extra caro, ut in oliuis, cerasis. Quæ baccis natura, eadem & pomis. Aliquorum intus baccæ, foris lignũ, in Aegypto. Aliorum intus corpus & foris lignum, ut nucibus amygdalis. Alijs foris corpus, intus lignum, ut persicis, prunis. Nullum uasculo semen arboris concipitur: nisi conum hoc nomine placeat appellare, quod à fructibus absolui debet. Putamine clauduntur nuces: corio castaneæ. detrahitur hoc ijs: at in mespilis manditur. Crusta teguntur glandes: cute uuæ: corio & membrana punica. Carne & succo mora constant: cute & succo cerasi. Quædam statim à ligno recedunt, ut nuces, palmæ: quædam adhærent, ut oliuæ, lauroq;. Quorundam generi utraque est natura, ut persicis. Etenim duracinis adhæret corpus, lignoq; auelli nequit, quum in cæteris facile separetur. Quibusdam nec intus nec extra lignum, ut myxis. Quorundam extrà uitium est, ut castaneis, amygdalis, iuglãdibus: uerum in ijs geminatur. Quorundam natura trigemina est: corpus, deinde lignum, rursusq; semen in ligno. Dimicant etiam non parum inter se. Alia nanque discretu gaudent, ut cucurbitæ, cucumeris, fici, mali: alia in societatem quandam promiscuè coeuntia. Congestorum quædam aluo continentur, putamine uel tunica concluſa, ut punicæ, mali, pyri, fici: quædam simul collecta quidem, sed nullo prorsus inuoluta patent, ut quæ contextu denso spicantur: nisi quis spicam ambientem

membranam

membranam esse putauerit. Quædam inter se densa, quæ ramos circundantia aceruatim ex omni parte degrauant, ut uuæ, sorba: alia rara, ut persicis. Verum dependent alia pediculis, ut pyra, mala. Alia racemis, ut hederæ, sabuci. Alia ramis adhærent, ut in lauro: quædam utroq; modo, ut oliuæ. nam & breues & longi pediculi. Quædam uasculis constant, ut punica. Sed diuersa ijs gratia & cõmendatio. Carne placẽt palmæ: crusta thebaicæ: succo uuæ, & caricæ. Detrahitur ficis uirẽtibus, ut putamen. Eadem in siccis maxime placet. Hac procul absunt siliquæ prædulces cibo, in his cortex ipse manditur. Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata pollicari latitudine. Quæ carnosi generis sunt, ea bac cis atq; carnibus distant. Alia acinis caro, alia moris, alia unedonibus: & alia acinis intercutem succumq;, alia myxis, alia oliuis. Moris succus in carne uinosus: trini colores, candidus primo, mox rubens, maturis niger. In nouissimis, ut dictum est, florent: inter prima maturescunt. tingunt manus succo matura, eluunt acerba. Nascuntur & in rubis multum differente callo. Mollius est corpus terrestribus fragis: aliud congeneri eorum unedoni, quod solum pomum simile fructui terræ gignitur. Acinorum quoq; magna est differentia. Primum inter uuas ipsas callo, teneritate, crassitudine, interiore ligno: alijs paruo, alijs etiam gemino, qui minime feraces musti. Differunt plurimum hederæ sabuciq; acini. In figura etiam. Punici anguloſi, quippe soli. Nec cutis ulla singulis præter communem, quæ est candida: totisq; succus & caro est, ijs præcipue quibus paruulum ineſt ligni. Magna item baccis differentia. Aliæ nanque sunt oliuis, lauris: & alio modo loto, cornis: alia myrtis, lentisco. Aquifolio ac spinæ sine succo: medioq; etiamnum genere inter baccas acinosq; cerasis. Pomum ijs candidum, & fere omnibus baccis. Mox alijs uiresci, ut oliuis, lauris: rubet uero cerasis, cornis, moris. Deinde nigrescit moris, cerasis, cornis, quæ etiam uentri nata uidẽtur: deinde nigrescit moris, cerasis, oliuis. Nux pinea exiles intus nucleos lacunatis includit toris, uestitos alia ferruginis tunica. Est & genus quoddam digitis fragili putamine: ob id auium furto expositum. Aliud sapineum, cute uerius quàm putamine uestitum, ita ut possit mandi. Mala constant cute, carne, semine. semen corio & carne. Medica multũ præter hæc continet humorem intercursantibus cartilagineis membranis conceptum, semine intus demerso. Turbinatior pyris figura, quę etiamnũ sæpe calculosa manſu sentiuntur. Genera glandium multa: quam propriè ferunt, robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, suber. Continentur hispido calyce plus minus ue per genera item complectente. Glans optima in quercu atque grandissima, mox esculo: roborí parua: cerro tristis, horrida, echinato calyce ceu castaneæ. Distant cutis tenuitate. item quòd alijs subest rubigine scabra: alijs protinus candidũ corpus. Probatur & ea, cuius in balano utrinque ex longitudine extrema lapidescũt in duritiem. Melior cui in cortice, quàm corpore. Præterea alijs ouata, alijs rotunda, alijs acutior figura, alijs colos nigrior, alijs candidior quæ præfertur. Glans fagea suem hilarem facit: carnem coctibilem, & utilem stomacho. Iligna suem angustam, nitidam, strigosam, ponderosam: querna diffusam, & ipsa quidem glandium dulcissima. Iligna tentantur sues, nisi paulatim detur. Fungosam carnem fieri esculo tradunt. De gallis alio loco disputabitur. Palma sola in spathulis habet fructum racemis propendentem. Reliquis sub folio pomum tegitur: excepta fico, cui folium umbrosissimum est. In palmis prima nascitur pomi caro: est autem oblongum, non ut oliuis orbiculatùm: cæsum præterea à dorso puluinata mediáque in aluo fissura, plerisque umbilicatum, unde primum spargitur radix. Seritur pronum, & bina iuxta composita semina, supérque totidem: quoniam uix nisi quaterna coalescunt. Sed iam ad humile genus redeamus. Omnium satorum fructus aut spicis continetur, ut tritici, hordei, munitur'que uallo aristarum quadruplici: aut includitur siliquis, ut legumínum: aut uasculis, ut sesamæ, papaueris. Frumenti grana in stipula crinito textu ſpicantur. In faba leguminibus'que, alternis lateribus siliquantur. Tunicæ frumento plures. Hordeum maxime nudum: sed præcipue auena. Calamus altior frumento, quàm hordeo. arista mordacior hordeo. Sed unum eius genus, quod hexasticum quidam cantherinum appellant, salubrius hominem, quàm malum triticum pascit: nec aliud in egenis rebus magis inopiam defendit. fragili culmo est, & granum eius nulla uestitur palea: far in uaginulis granũ seruat ad satus. Milium & panicũ in folliculis: sed suis furfuribus euoluta, pultem

quamuis

quãuis inopia maxima, cũ lacte nõ faſtidiendã prębet. Siliquãtur omnia diuerſis diebus. Ab ima primum parte paulatim flore ſubeunte, ſicut & particulatim florent. Siliquæ rotundæ ciceris: cæteris leguminũ longæ, & ad figuram ſeminis latæ: piſo cylindraceæ. Eualuantur ſemina leguminum, cum maturuerunt. Nonnulla tamen cum ſuis ſiliquis in uſum ueniunt cibarium, cum tenereſcunt adhuc uel cocta, uel patinis frixa. Fabarũ ſiliquæ cauleſcę gratiſſimi ſunt pabulo pecori: ad id fabalia præſertim maturæ ſationis recondunt. Poſt ſpicilegium meſſe facta, ubi iumentorum ungulis uel perticis è ſpica exteruntur grana, è terra ſubiactantur uallis aut uentilabris, cum uentus ſpirat lenis: ut quod leuiſſimum eſt in eo atque appellatur acus, euannetur foras: & quod eſt ponderoſum, purum, peruenìat ad corbem. Palea ad pabula iumentorum accõmoda, ſpica tãtum aurificum ad uſus. Milij & panici & ſeſamæ apludam uocant purgamenta. Sunt etiam quædam herbæ ſpicatarum generis, quæ ſemina frumentorum more ferant in ſpicis, ut plantago, nardum gallicum, ſaliunca. Hirculus frutex pumilus ingẽtem fundit ſpicam. Stachys nomine ſuo græco ſpicam ingenuè fatetur. Alopecuros ſpicam habet mollem, & lanugínem dẽſam, non diſſimilem uulpium caudis. Thymbra ſuis uerticibus exiguè ſpicatur. Phœnix herba ſpicas erigit ſeptenas octonas ue lolio ſimiles. Aegylops ariſtas capillaceas exerit. Verum in fruticeo uel herbaceo genere baccæ, acini, ſiliquæ, uaſcula, pilulæ, corymbi in fructum cenſus aſſeruntur. Non deſunt herbæ, quæ mala ferant ut mandragoras: cuius pomum oui uitellum æmulatur, in quo ſemen quale pyrorum ineſt. Cucumeris anguini pomum ouata glandium facie creſcit, turgetcę ſucco & ſemine: quod quum tangitur, exilit oculorum periculo. Cæterum in baccis & acinis foris corpus, intus lignum: ut acutæ ſpinæ, myrtis, liguſtro. Sylueſtris myricæ fructus gallæ modo lignoſus eſt, inæqualiter ſquaroſus: ſed mitiori floris ſimilitudine muſcoſus concretu. Carne quædam modica & multa ſanie cõſtant, quibus ſeminula uidentur innatare, ut ſolanis ueſicariæ baccis, bryoniæ, cyclamino ſecundæ. Nanque ſi digitis maturæ premantur, copioſa profluet pituita, quæ lenta quibuſdam tenaxcę ſentitur, ut cyclamino ſecundæ: cæteris dilutior. Paliuro fructus præpinguis & fuligínoſus tangitur. Viſci acinis tam glutinoſus ſubeſt, ut pennis auium tactu ligandis inuenerit gratiam. Nanque amiſſis corticibus carne interiore lenteſcunt. Ea ſiquidem putreſcente & in uiſcum coacta inſidias auibus moliuntur. Acini fruticis excoriarij parte corticia cõſtant, quæ ſemen ipſum complectatur. Acanthi bacca parte exteriore carnis callo tumet: intus luteum ſemen fabuli ſimilitudine condit. Quapropter non immeritò Vergilius cecinit,

Baccas ſemper frondentis acanthi.

Pæoniæ ſiliqua parte exteriore nucem græcam refert, cum maturitate diſſilit. Acini mali punici rubentes, purpurei, nígrantescę intus inueniuntur. In ariſtolochia quę ex flore emicuit bacca, turbinatur in pyrũ, multos ſeriatim digeſtos acinos cõplectens. Ricinus aſperas uuas dentato frequẽter orbe promit, quæ corticibus exutæ ſemina ricinorum effigie qui bubus hærent, demonſtrant. A capite germinũ lathyris pilula protuberat, loculamentis tribus inſignis, in quibus ſemina terna tunicilis inuicem diſcreta concipiuntur. Tithymalus fœmina fructum alternat nuci ſimilem: ſed cum annuam conditionem interpellauit, reſtibilem repetit fœcunditatem. à nuce caryitis cognomentum adoptauit. Paralius ſemen pilula complectitur, quod magnitudine eruum æquat, uario colore. In tithymali tamen characiæ coma iunci dependent caueolæ ſoliolis balnearũ ſimiles, in quibus ineſt ſemen. In cappari excuſſo flore glans oblonga coaleſcit, quæ ſeſe pãdens, demum acinulos oſtendit rubẽtes, quales in punico malo ſpectãtur: ſed antea quandã oſtendit oliuam, qua dehiſcente flos candidus erumpit. Rubus canis oblongam bacculam nucleis oliuarum ſimilem promit, lanea intus natura, flocculocę cum ematuruit ſpiſſo. Aſparagus altilis baculas ædit, quæ maturitate rubeſcant, granis aliquot intus duris munitas: ſed hæ baccæ ſecretæ ſunt, nec in unã reclamante genio coaleſcunt. Sunt & racemoſæ, quum plures oxycãthus baccas profert rubẽtes myrti magnitudine, quę racematim depẽdeãt. Tilia quocę gignit acinos ſubdulces, nígros uuarũ more congeſtos. Excoriario frutici, quẽ rhoon græci nominant, acinuli denſis racemulis prodeunt, qui ſemen ut diximus, parte corticia concipiant. Liguſtrũ ſabucinos gerit acinos racematim dependẽtes. Amomum ceu racemus

è ligno

è ligno conuoluitur in uuæ modum, ac in ſeſe replicatur. Aſaro ſemen in floribus acinoſum reſidet. Hydropiper fructum parit è ramulis puſillis ſecundum folia, continenti acinorum ſerie congeſtum uuæ modo. Cyclaminus ſecunda clauiculatim circũ arbores feritur, ſeſe conuoluẽs acinis uitigineis, qui hederæ corymbos aperte repræſentent. Dracunculo fructus in uertice uuarum modo collectus depromitur, herbaceo primũ colore: deinde cum maturuit, luteo: deinceps tanquam lingua concauo foliorum ſinu ceu rictu ſerpentis exeritur, & quaſi ſpectabili hiantis draconis forma medijs è faucibus emicat. Sic aro ſcapus in piſtilli ſpeciem faſtigiatur: ſuper quem croci colore fructus racematim aggeſtus inſidet. Piperis arbor mediam quandam naturam aſciuiſſe traditur: quòd primum ſiliquas ædat, quæ tandem in racemulos degenerent. Nanq; ſemina paruulis ſiliquis gerit, quales in phaſiolis uidentur. hæ priuſquam matureſcant decerptæ toſtæq; ſole faciunt piper longum, continentq; quiddam intus grano milij non diſſimile: eæ cum temporibus ſuis dehiſcentes ſeſe pandunt, in racemulos explicantur ferentes piperis grana, quæ ũidemus. Onidi ſemen in corymbis acinorum denſitate coit. Hippoſelino flos in corymbos aggeſtus ſumma prominet coma, quæ denſatur in ſemẽ pullum, farctum, oblongumq;. Polium capitulum paruum in ſummo gerit corymbi ſpecie, quòd hominis cani ferè capillitiũ effingat, inde nomen. Ambroſia ſemen ramulis fundit, congeſtum uuis depẽdentibus, odore uinoſo: nunquam tamẽ floreſcit. Botrys multis ſtolonibus fruticat, ſeminio circa totos ramulos racematim cohærente, ſic ut inde nomen inuenerit. Chryſocome comantibus hyſſopi figura corymbis coronatur. Solano ſatiuo acini rotundi primũ herbacei dependent: qui cum ematuruere, nigricant, aut certè rufeſcunt. Halicacabo ſemen in folliculis rotundis ad ſpeciem ueſicarum intumet, orbiculatum, rubens & leue, acinorũ uuæ figura: quo & coronarij utantur ſertulis adijcientes. Solano manico fructus racemis exit rotundus, nigerq; denis aut duodenis acinis conſtans, hederæ corymbis non diſſimilibus. Hypophaes corymbos hederæ ſimiles ſpargit, congeſtos racematim, imminentibus inuicẽ acinis mollibus, albidis, & parte quadam rubentibus. Staphys agria fert folliculos uerius quàm acinos uirides, ſimiles ciceri: & in ijs ſemen triangulum, ſcabrum, in nigro ſubrubrum. Ebulum acinis obumbratur ſabuci ex nigro purpureis. Labruſcæ fructus in uuas coit, poſt maturitatem rubentes, acinis rotundis. Vitis alba fructum habet in racemis rubentem. Nigræ uitis fructus in uua dependet acinis per initia herbaceis, poſtea nigricantibus. Mercuriali fœminæ ſemen uuæ modo acinulis coactum ineſt: mari uerò rotũdum, ſemper geminum teſticulorum modo connexum. Iis antedictis fructus racematim cohæret. Iam uidere licet nominatim herbas & frutices quæ ſiliquãtur. Acacia ſemina lupini in ſiliquis claudit. Item ſecundum acaciæ genus folliculis iugatis modo trilocis, modo quadrilocis grana lenticulæ concipit. Geniſtæ ſemen lenticulis haud abſimile in ſiliquis phaſiliorum modo naſcitur. Colutea in folliculis membraneis tumentibus atra ſemina dura, lata, lentis magnitudine continet. Spartion folliculos phaſiolorũ modo geſtat, & in ijs ſemen lenticulæ. Iris, acorum, lolium in ſiliquis longis angulatis per interualla ſtriatis ſemina congerunt. Fructus halimo folliculari ſpecie creſcit, non diſſimilis uerticillo. Halicacabus acinum in folliculo condit, ciceris magnitudine quina ſenáue erui ſemina cõprehendentem. Rapo ſylueſtri fructus in ſiliquis abditur calyculaceis: quibus dehiſcentibus, alia intus capitulata prominet ſiliquula, nigris referta ſeminibus. Maluis, ut Phenias eſt author, inuolucrum folliculare placentam ſpectabilem oſtendit. Nanq; ſemen omnino eius refert imaginem, quam fulcit columna pectinatim denticulata: à qua per medium placentacei corpuſculi foramẽtum aculeus erigitur umbilicatus, echinata eius radice, quod diſſecanti follicularem ſeminij globum facile conſtabit. Rumici ſemen in mucronem emittitur, foliaceis membranulis inuolutum. Barbulæ hirci ſcapus ingentem exerit calycem, cuius in parte poſtrema ſemen occulitur. Medicæ quædam prodeunt ſiliquulæ in corniculà contortæ, quibus ſemen lenticulæ cohæret. Eryſimon ſiliquas ſuſtinet gracilibus corniculis proximas, in quibus ſemen naſturtij ſpecie, guſtu ardenti latet. Gentiana ſemen facit in calycibus latum, aceroſum, quale ſphondylio uiſitur. Cumino ſylueſtri quædam cornicula ſpectant in ſublime, quibus ſemen gith figura concluditur. Delphinio ſemen in ualuulis milio ſimile concipitur. Circęa ſemẽ exhibet milij quibuſdam in corniculis naſcens.

Hormino

Hormíno cornícula prominent falcata, ín quíbus ſemẽ detinetur. Hedyſarum quod ſecuridacam nominauímus, folliculos ſpargít modo corniculorum aduncos, ſemen complectentes ancípitis ſecuriculæ fígura: quo argumento nomen adínuenít. Anagyris ſemen ín corniculís parít oblongís, renibus ſímile, uarium, quod uua matureſcente dureſcít. Hypericum ſiliquas gignit in longitudínem rotundas, hordeí magnitudíne, ín quíbus ſemen nígrũ reſinam ſubolens comprehendítur. Clymenus folliculos creat uelut ín polyporum cirris ímplexos, ín quíbus habetur ſemen. Xíris in folliculís ſeminium fabarum effigie condít. Ocymoides ſiliquas hyoſcyamí fígura ſuſtínet, ſeminis nígri plenas. Sylueſtre pa
pauer calycem geſtat nígro ſemine turgentem. Cornuto papaueri calíx puſillus ín cornícula deflexus, effigie fœnígræci ſemen exile recondens. Dorycnion cacumínibus folliculos exprímit ciceris, denſos, granís intus rotũdís quínís ſeníſue, eruí magnitudíne. Hyoſcyamus ſiliquís ſemen ſuum complectítur. Aconítum ſemen ín longas ſiliquas, quíbus eſt ſemen, corniculatur. Apocyno ualuulí obumbrãt fabarum, longitudíne dígiti, follículoſi: in quíbus ſemen nígricat. Rhododendrí fructus ín cornícula curuatur, quí dehíſcens intus laneam naturam floccoſq; lanugínibus papporum non díſſímíles oſtendit. Sed tam ſolers, tamq; díligens natura, ut quíbuſdam capitíbus aut uaſculís ſemína condí propoſuerit: ut auícularum prædæ patientía mínus ímpetantur, aut ſæuiente uentorũ flatu non decutiántur. Sed ut capitata ſam narremus ínuolucra, ab Aegyptía faba exordíamur, cuí caput duplící papaueris magnitudíne protuberat: quod ubí defloruit ueſparía fert ſímílítudíne quaſillorum, ín quíbus leuíter operculo ſuo exerta, bullantís ampullæ modo contumeſcit. Melanthium cacumínibus ſuís capítulum forma papaueris oblongum obíjcit, interíus loculoſa ſeptorum díſtínctíone, quæ pulla capiant ſemína. hæc cruſtis inſparſa cerealí ſapore panem mírum ín modum commendant. Nymphæa ín tubere malí, uel potíus papauere per orbem rotundo ſemen colligit pullum. Mírum ludentís naturę fígmentum, ut lõchítidí flores ceu pileola uel potíus galericulos, perſonís comicis ſímiles paruã exerentíbus línguam tríbuerít. Síquidẽ mímulis hiantíbus albugo quædam ín inferíore promínens labro ſpeciẽ línguæ repreſentat, à quíbus ſemen cum primũ exít. Syderítis ſecunda capítulís exurgít orbiculatís, quæ ſemẽ ad imagínẽ betæ cõtíneãt. Papauer rhœas cognomíne, oblongũ exerít caput, ín quo ſemen ruffum cõdítur. Cuminũ ſylueſtre capítula cacumínibus rotunda gerít, quæ paleaceũ ſemen cõplectantur. Aethiopís ſemen uaſculís contínet geminũ. Alyſſí fructus duplícís peltæ fígura ſemen modíce latum cõplectítur. Phalangio ſemen lenticulæ dimidíæ fígura ſcutulatum obtendítur. Thlaſpí fructus ſummatím in latitudínem affundítur, lenticulæ uel ludicrí díſcí uaſis effigie, cuí ſemen naſturtíj ſubeſt. Tordílium ſemíne rotundo ſcatet, quod clypeolarí forma geminatum ſpectatur. Críthamo fructus ceu líbanotídís hæret, quí ubí flacceſcens rũpitur, nucleum oſtendit tritící modo candídum. Auena ſuo cacumíne dependentes contínet ueluti permultas bípedes locuſtas, quíbus ſemen cõcipítur. Syluaticæ íſatídí, ſeu glaſto uaſcula ſummatím línguís ſímília dependent, ín quíbus ſemen reſídet. Aegílops ſemína uel terna quæ rubeſcant ſummo capíte geſtat: ín quíbus ariſtulæ capíllamẽtí modo prætenues obtendantur. Geranij in uertíce faſtígia conſurgunt nutantía capitulís gruum cum roſtellís, ín quíbus ſemen occulítur. Syderítis ſcapus uertícillís ex interuallo cíngítur, ín quíbus ſemen adeſt nígrum. Eupatorío ſemen plumoſum è medío caule proſilít inclínatum ín terram, quaſi nutans: quod quum aruerít, ínambulantíum ueſtíbus adhæreſcít. Leontopodío ſemẽ tam ſpíſſa lanugíne occulítur, ut uíx poſſít oculís deprehendí. Centaurío maíorí ſemen ín flore farctum inſídet, ut in lanígeris ſolet floríbus. Non eſt ſílentío prætereundum, ſemẽ ínterdum folíjs promíſcuum aut muſcaríjs inueníri. Laurus alexandrína ſemen magnitudíne cíceris rubrí ínter folía míſcuit. Chamædaphne fructus ammíxtus folíjs ſupernaſcítur. Myrtus ſylueſtrís fructum folío tuetur. Origanum ſemen ín muſcarío nõ ín orbem ſe colligente, ſed diuíſo defendít. Sunt & alia pleraque ſemína, nullís ſíliquarum uel uaſculorum inuolucrís protecta, quæ nuda rapientium auicularum furtís obíjciuntur: ut omnía, quæ ſummís umbellarũ radíjs obtenduntur. Caucalís cacumen occupat umbella, ín qua dependet ſemen. Arabídís umbella uerticem obuelat, ín qua ſabucí ſemen inhęret. Líguſtící cacumen obſídet eadem, ín qua ſemen nígrũ fígura fœnículí patet. Seſelí Maſſílienſe

anethi caput exerit, in quo granum oblongum resident. Dauci fastigio umbraculum occupat, in quo semen anethi sustinetur. Libanotidis in capitibus stolonum umbellę gestantur seminis plenæ candidi, rotundi, quod cachryn Græci nominant. &, ut in uniuersum dicatur, quæ in umbellis uel capitibus flores antea pandere notauimus, in eisdē & semina deferre necessum est. Sunt & quæ nullo siliquarum tegantur inuolucro. Lithospermon iuxta folia singulas ueluti barbulas gerit, & in earum cacuminibus lapillos candore & rotunditate margaritarum, erui magnitudine, duritia lapidea. ipsi qua pediculis adhæreant, cauernulas habent, & intus semen. Rubiæ semen exit rotundum, per initia uirēs, sed processu rubet: ubi plane maturuit, nigricat. Myagro semen protenditur ceruicis figura, oleosum. Antirrhino seminium ueluti naribus uitulorum assimile cernitur. Xanthio semen oliua grandius intumet, spinosa platani pilula uestium quum tangitur tenaci, qua transeuntibus iuxta se credatur insidiari. Ascyro semen hyperici resinosum, cum teritur digitos cruentans. Satyrio tertij generis semen uiticis inest nitidum, quo perinde quasi scinco libidinem stimulari tradunt. Daphnoidi semen quum præcoxit, in atrum desciscit colorem. Sunt & permultæ herbæ, quæ nullo semine fruantur. Dictamnum sterilescere creditum est. Phyllitis semine deficitur. Onosma, polypodium, filix utraque, adiantum, asplenium, hemionitis prorsus seminio uocāt. Differūt inter se semina. Plurimis rotunda, aliquibus oblonga: paucis foliacea & lata, ut atriplici: quibusdam angusta & canaliculata, ut cumino. Dissidēt & colore nigro candidoq; : item duritie furculacea. In folliculo sunt raphano, sinapi, rapo. Nudum semen apij, fœniculi, cumini. Cortice obducta bliti, betæ, atriplicis, ocimi: at lactucis in lanugine.

De hortensium semente, & quo tempore sata nascuntur. Cap. XII.

Sementes hortensium quibus seri singula solent, tres omnibus certe notantur, hyberna, æstiua, & quæ inter eas media cadit. Prima post brumā fit mense Maio: quo brassicam, radiculā, rapum, & quæ postea ceu betā, lactucam, rumicem, sinapi, coriandrum, anethum, nasturtium serere consueuerunt. Secundam post æstiuū solstitiū ineunte Octobri mense præcipiūt, quum porrum defigunt, apium, gethyum, atriplicē. Tertiam quam appellant æstiuam, ab Ianuario mense olitores auspicantur, qua cucumis, cucurbita, blitum, ocymum, portulaca, satureia panguntur. Multa tamen inter has sementes rectè possunt terræ mandari, quæ nihilominus comprehendent, ut radix, ocymum: nascuntur tamen omnia uel semine, uel auulsione. Quædam semine & furculo ut ruta, origanum, ocimum: præcidūt enim & hoc, quum peruenit ad palmæ altitudinē. Quędam radice et semine coalescunt, ut cepa, allium, bulbi, aron, & quæ generi capitatorum assignantur, & si quorum radicem annuiferorum relinquant. Omnia igitur semine possunt prouenire: quod tamen nonnulli in ruta inficiantur. Verum tardissimè coalescit: quamobrem furculum potius pangere solent. Eorum uerò quæ radice nascuntur, radix diuturna & fruticosa est: quare lateribus suis germina citat. & in plures sæpenumero digeritur, ut bulbæ, gethyi, scillæ. Fruticant & alia non capite, ut apium betaq; : siquidē radices fundunt, quibus folia caulesq; prosiliant. Gethyon quoque ac porrum subter ueluti quoddam caput bulbaceum suo latere depromunt, quod folia semine etiamnū sublato, & arefacto prorsus caule creat. Multis quoque tam syluestrium quàm urbanorum quæ diutius uitam prorogent, radices cient nouam germinum sobolem. Caule recisō fere quidem omnia regerminant: exceptis quæ caulem seorsum habent, ἀποκαυλα græci nominant. Est & in usu uero ocimum, brassica, lactuca, hanc suauiorem putant è regerminatione: siquidem caulem primum causantur lacte nimio turgere, indeq; amaritudinem contraxisse. Non desunt qui secūdum lacte refertum prodant dulciorem, quandiu tenerescat, sentiri. Brassica utique iucundior detractis foliis, ante quàm decaulescat. Hoc in raphano & rapis: nam & eadē direptis foliis cooperta terra crescunt, durantq; in æstatem. In horto satorum celerrimè nascuntur ocimum, blitum, napus, eruca: tertio enim die erumpunt. Lactuca quarto, cucumis & cucurbita quinto, portulaca serior iis exit, anethum quarto, nasturtium & sinapi quinto, beta æstate sexto, hyeme decimo, atriplex octauo, brassica decimo: gethium decimo, aut duodecimo: porrum decimonono, nōnunquam uicesimo prouenit. Contumacius coriandrum: quippe quod si

nouum

nouum ſit, omnino naſci recuſat, niſi conuoluatur. Cunila & origanum poſt trigeſimum diem exiliunt. Omnium difficilimè apium: quadrageſimo enim die, uel quàm celerrimè quinquageſimo maiore ex parte ſolet emergere. Eſt tamen animaduertendum q̃ magni refert, ſi ſementi ſerenitas aut tẽporis inclemẽtia ſuccedat. Nã maturius fauente cælo prodeunt, ut tepentibus locis & apricis, aut illuſtratis ſole citiſſime prorumpunt. Aliquid & feminũ ætas confert: quoniam recẽtiora maturius gignũtur in porro, gethyo, cucumere, cucurbita. Quamobrem quidã cucumis ſemen lacte uel aqua præmacerãt, quo uelocius exeat. Contrà ex uetere celerius proueniunt apium, beta, naſturtium, cunila, origanũ, coriandrum. Peculiare quoddam in beta tradũt euenire, quòd non tota uno anno gignitur, ſed aliquid ſequente, & aliquid tertio: itaque ex copia ſeminis exigua pullulat. Magni refert aprícitas cæli: nanq; calidis credita locis celerius caules creãt, & ſemen ocyus reddũt. Quædam anno tantũ ſuo pariunt, quædam ſæpius, & in bimatu, ſicut apiũ, porrum, gethyum, hæc ſemel ſata pluribus annis reſtibili fertilitate proueniunt. Quæ annua ſolũ uita contentæ ſunt herbæ, ſimul atque ſemen perfectum eſt exareſcunt. Omnes emiſſo caule frutificant, porrum, gethyum, cepe, allium: & in uniuerſum omnes, quæ lateribus ſuculos creant, ſimum aquámq; deſiderãt. Sed longè magis quæ infirmiorem nactæ ſunt cõditionem, q̃ & maiorem curam, & copioſius alimentum efflagitent. Quapropter ſi permittit horti ſitus, ſit pinguis locus ad quem riuus perueniat: uel ſi non ſit fluens aqua putealí fonte debet irrigari. Qui ut perennitatis habeat fidem, tum demũ effodiẽdus eſt, quũ ſol ultimas parteis Virginis obtinebit ante æquinoctium autumnale, tunc enim explorãtur uires fontium, quũ ex longa ſiccitate æſtatis terra careat humore pluuiali. Paſtinandi ſoli duo ſunt tempora, ſicut & duæ etiam olerum ſationes. Nam & autumno, & uere pluríma ſeruntur. Melius tamẽ uere riguis locis: quoniã ſitis æſtatis optimè reſtinguitur fontibus, Sed danda eſt opera, ut ager qui uere conſeri debet, autumno circa Calendas Nouembris paſtinetur. quem uoluerimus autumno herbis & oleribus inueſtire, Maio menſe cõuertemus, ut aut hyemis frigoribus, aut æſtiuis ſolibus gleba ſoluatur, & radices herbarum necentur: nec multo antè ſtercorari debet. Cumque ſationis tempus appetet, runcandus eſt ager, & prorſum exherbandus: dein ſimũ diligenter cum terra miſcendũ. Optimum ſtercus ad hunc uſum aſini, quia minimum herbæ creat: proximum armenti, uel ouillum. quod homo fecit, non eſt neceſſum adhibere, niſi quum alimenti uis deſideratur. Verum quod uernæ ſationi deſtinauerimus, poſt autumnum patiemur effoſſum iacere, ut & brumæ pruinis pateat, & frigoribus inuratur. Quippe ſicut calor æſtatis, ita uis frigoris excoquit terrã, fermentatumq; reſoluit. Quare peracta bruma tũ demum exhilaratur lætamine: dein circa Ianuarias Idus, humus refoſſa in areas digeritur. quæ tamen ſic ſunt informandæ, ut facilè runcantium manus admittant, ne, dum herbas perſequuntur, ſemina pedibus proculcẽt. nõ igitur latiores eſſe debent, q̃ ut dimidias, manus eruncantis poſſit ab intercedẽtibus ſemitis attingere. Semina quæ poſſunt autumno & uere ſeri, ſunt braſſicæ, lactucæ, cynaræ, erucæ, naſturtij, coriandri, cherephylli, anethi, paſtinacæ, ſi ſeris, papaueris. hæ Februario ſeruntur ante Calendas Martias. Tepidioribus tamen locis poſſunt circa Idus Ianuarias terræ cõmitti. Rurſus quæ tantum autumno conſeri uolunt hæc ferè ſunt, allium, cepæ capitula, ulpicum, ſinapis. Sed quo quicq; tempore terræ mandari plerunq; cõueniat, nunc per menſes digeramus. Ergo poſt Ianuarias Calendas recte ponetur lepidium: menſe autem Februario uel ſemine uel planta ruta pangitur, atq; aſparagus, iterum cepæ ſemen & porri. nam ſi uernum uel æſtiuum fructum uoles habere, rapæ napiq; ſemina obrues. nam allij & ulpici ultima eſt huius temporis poſitio. Circa Calendas Martij locis apricis licet porrum (ſi iam ingranduit) transferre, item panacem ultima parte Martij menſis: deinde circa Calendas Apriles æquè porrum atq; inulam & ſerotinam plantam rutæ. Item ut maturius naſcatur cucumis, cucurbita, capparis ſerẽda eſt. nam ſemen betæ quum punicũ malum florebit, tum demum optimè ſeritur. Porri autem caput circa Idus Maias tolerabiliter adhuc transfertur: poſt hoc nihil ingruente iam æſtate obrui debet, niſi ſemen apij. ſic enim optimè, ſi rigaturus es, per æſtatem proueniet. Cæterum Auguſto mẽſe tertia ſatio eſt, eaq; optima radicis, rapæ: item napi. Nunc de ijs quæ aliquam curam deſiderant eſt diſſerendum: quæ ſilentio ne prætereãtur, intelligi debent

bent nullam operam, niſi runcatoris poſtulare. Semper quæ interueniunt herbæ ſunt uel/
lendæ. Lactuca dicta eſt, quod copia lactis exuberet: amat ſolum ſubactum, pingue, humi
dum, ſtercoratũ. Quæ Ianuario menſe ſata eſt, planta eius Februario transferatur: & quę
Februario, Apríli. Certum eſt eam toto anno poſſe ſeri, ſi locus ſit lætus, ſtercoratus, irri/
guus. ante quàm pangatur, radices eius reſecemus æqualiter, & líquido fimo línamus: uel
quæ iam pancta ſunt, nudatæ lætamẽ accípiant. In latitudinem magis ſe fundet, ſi uel rari/
or ponatur, uel quum faciet caulẽ, eo leuiter inciſo gleba prematur aut teſta: eo ſiquidem
ponduſculo coercita latior reddetur. Candidæ fieri putantur, ſi fluminis uel litoris arena
frequenter ſpargantur in medias, & collectis ipſæ foliis allígentur. Si uitio loci, temporis,
uel ſeminis cito lactuca durescit, planta eius uulſa & denuò poſita tenerítudinẽ conſequi/ 10
tur. Itẽ multis ſeminibus condita naſcetur, ſi caprini ſtercoris bacca ſubula ſubtiliter exca
uata, & ſemine lactucæ, naſturtij, ocimi, erucæ, radicis immiſſo cauernulæ, inuolutaq; fi
mo bacca, ſolo optimè ſubacto, breui ſcrobículo demergatur. Raphanus nititur in radicẽ:
cætera ſeminia in ſummo lactuca pariter erũpente proſiliunt, ſingulorum ſapore ſeruato.
Alij ſecus hoc aſſequuntur. auulſæ lactucæ folia carpunt, quæ radicibus iuncta ſunt, & in
eorundẽ ſedibus ſurculo punctis, præter raphanum ſemina ſupradicta deponũt, ac fimo
línunt: ſic obruta horum ſeminum caulibus ambitur. Naſturtium humorẽ dílígit, eum ta
men deeſſe non curat: fimum magis aſpernatur: ſi cum lactuca ſeratur, egregiè proueniet.
Satureia pingui agro non ſtercorato, ſed aprico: ſed longè melius marí proximo, & cum
cepulis miſta ſeritur. Si cepæ ſemen ſeueris, in caput creſcit, & minus reddit ſeminis: ſi ca/ 20
pitulatũ ponatur ipſum, inaceſcit, & in caulẽ rotundatur. Largi ſeminis feracem terram ce
pæ deſiderant, pinguẽ, uehementer ſubactam, irríguam, ſtercoratã. Factæ areæ omnibus
herbis & radicibus líberãdæ. Sationẽ earum à ſereno die magis auſpicabímur: præſertim
cum eurus uel auſter inſpirat. Cepe ſolum olerum omniũ lunæ damna non ſentit, uicesq;
minuendi & augendi cõtrarias habet. reuireſcit enim & regermínat decedente luna: cõtra
autem inareſcit adoleſcente. Quare Peluſiotæ ſacerdotes Aegyptij cíbis cepas abdícabãt.
Quanquam ſint quí tradant, ſi minuẽte luna ſerantur, tenues acrioresq; prouenire: ſi cre/
ſcente, robuſtas & humectí domito acremento ſaporis. Rarius ponendæ, runcãdæ, ac ſar/
culandæ. Si in capita uoluerimus extuberare, folía omnia ſunt detrahẽda, ſic ſuccus ad in/
feriora cogetur. à quibus colligenda erunt ſemina, ubi caulẽ ceperint excitare, fulciantur 30
adminículis, ne uentorũ afflatu languidæ ceruíces deturbentur, ſeminaq; uẽtílatu crebro
decutiantur. Maturitatis præferunt índicia cum nigricarint. uellendi ſunt thalli ſemiſicci,
& in ſole ſiccãdi. Anethum omnẽ cæli ſtatum patitur, ſed tepidiore gaudet. Rigetur, ſi im/
ber nõ irroret: rarius ſeri lætatur. Sunt qui ſemen eius non obruant, arbitrantes quod hoc
nulla attingat auis. Braſſica quę & anno toto poteſt ſolo credí, terrã pinguem ſubactamq;
dílígit: argillam & glareã timet, ſabulonẽ & arenas odit, niſi perẽnis unda ſuccurrat. Nul/
lam cæli conditionẽ reſpuit, frigidum tractum tamen minus horret. Auſtro obuerſa citius
profert: ſeptentrioni, ſerius: quanquam & ſapore & robore uincat. Cliuis delectatur, ideò
digerendæ ſunt plantæ per arcarum puluínos. Stercore gaudet, & ſarculatu proficit. Cele
rius coquitur uirore ſeruato, ſi dum eſt trium uel quatuor foliorũ, nitrum tritum cribello 40
deſuper inſpergas, ut pruinæ cadentis ſpeciẽ imitetur. Columella tradit hanc ſi radix tri/
bus algæ tæniolis inuoluta pãgatur, celerius in coctura madeſcere, & uiridem colorẽ ſine
nitro conſeruare. Cum ſex erit foliorum, transferenda eſt: ſi hyems eſt, tepido iam die: ſi
æſtas, quum ſol ad ueſperam inclinatur. Vaſtior euadet, ſi terra cõtinenter operiatur. Se/
men braſſicæ uetuſtum mutatur in rapa. Mentha plantis uel radicibus loco humido, uel
circa aquas ſeri debet: apricũ ſolum, nec pingue nec ſtercoratũ deſiderat. Fœniculũ primo
uere ſeritur loco aprico & modicè ſaxoſo. Paſtinaca ſemine ponitur & plãtis: loco pingui
ſoluto, & altius paſtinato lætatur: rarior collocanda eſt, ut robur & incrementũ anguſtia
non interpelletur. Chærephyllum agrũ lætum, humidũ, & ſtercoratũ deſiderat. Beta po/
teſt æſtate tota ſeri, agrũ amat putrem, lætum, humidũ: transfertur, quum quinq; folia fe/ 50
cerit, radicibus fimo recenti perlitis: frequenti gaudet effoſſu, largoq; cupit ſtercore ſatu/
rari. Porrũ loco læto & maximè campeſtri area altè paſtinata pangitur. Si ſectiuũ haberi
ſit in animo, ſpiſſius: ſin capitatũ, rarius. Sarculãdus plerunq; locus & herbis extricãdus.

Cum

Cum digiti craſſitudinẽ implebit, à media parte præciſis foliis & runcatis radicibus tranſferatur. cum radices aget modicè cõprehendendum, alleuandumq; ſarculo: ut à terra ſuſpenſum, quod interuacauerit ſpaciũ, capitis tubere cogatur opplere. Tradunt ſi plurima ſemina in unum collecta deponantur, in prægrande porrum coaleſcent. Addunt, ſi capiti eius citra ferrum rapi ſemen inſeratur, in magnã molem excreſcere. Cuminum & aniſum terram poſtulant benè ſubactam, cui lętamen immiſceatur: ſed ſata herbis aſſiduè purgentur. Inula ſeritur oculis terra ſubacta effoſſa obrutis, excitatis ad lineam puluinis, quibus oculi trium pedum inter ſe ſpacio ſeiuncti defigantur. Colocaſiæ bulbi ſolo ſimiliter creduntur, amant ulginem, pinguẽ locum, & præſertim irriguum: fontes & riuos ſequũtur, ſoli conditionem negligunt, modo perpetuo foueantur humore: frondent ferè ſemper, ſi tegumentis uindicentur à gelu. Carduus terrã ſolutam & ſtercoratam diligit, melius prouenit, ſi creſcente luna ſolo mandentur ſemina, ſpatio ſemipedis diſcreta: ſi tamẽ in ſolido pangantur, proderit illis ne à noxijs talpis eruantur, quæ continuo ſolẽt areas eorum exarare. Non eſt commitendum, ut inuerſa defigantur ſemina, nam pumilos, debiles & incuruos creabunt. Nec altius debent imprimi, quàm ut terra demergentium digitorum primos attingat articulos. Cardueta continenter herbis liberentur. Si ſeminum cacumina confringantur, uidua ſpinis inoleſcent. Quòd ſi uelis rerum placentium ſaporem ementi, ſemina triduo macerabis oleo laurino, uel nardino, uel maſtichino, & ſiccata deprimes: ſic eius ſaporem referre ſentientur, cuius unguentum ebiberint: ſi ſucco roſæ prius made ant quàm mergantur, roſas itidem reſipient. Singulis annis carduí nepotibus orbandi, ne matres caulículorum familia fatigentur, ſoboleſq; per alia ſpatia diuagetur: qui tamen ſeruabuntur ad ſemẽtem. caſtrati omnibus pullis, cortice uel teſtula ſupertegi deſiderant, ne uel ſole uel imbribus ſemina uitientur, & euanida cõtabeſcant. Carduí mirum in modum patent aſſiduis talparum iniurijs, crebroq; horum animalium defoſſu ſæpe ruinas cardueta ſentiunt. Ad has igitur abigendas feles ſæpius areis ſunt immittẽdi, ut ſuo uenatu peſtẽ hanc diſcant arcere. Sunt qui ad hunc uſum muſtelas cicurent, quæ per cardueta uagentur, alij faucibus cuniculorum quos effoderunt has indere ſolent, ut in ſpiraculis cauernularũ ſubinde uerſantes captent. Sunt qui foramina earũ rubrica & ſucco ſylueſtris cumeris impleant: alij cauernas aperiunt, ut ſolis admiſſu territæ fugiant. Plerique in aditu cuniculorum laqueos ſetis pendentibus imponunt ad fugandas talpas: ruſticis ſatis eſt uirgam ſabuci defixiſſe. Melones rarius ſerendi. Diſtent inter ſe ſemina pedibus duobus locis ſubactis uel paſtinatis maximè areis. Odorati naſcẽtur, ſi eorum ſemina multis diebus inter roſæ folia ſicca mergantur. Si ſuaues effici uoles, eorum ſemina lacte per triduum maceranda ſunt, & ſiccata ponenda. Cucumeres ſulcis altitudine ſeſquipedali & trium pedum latitudine depreſſis mandantur, inter quos octo pedũ cruda ſpatia relinquantur, ubi poſſint liberalius euagari. Sarculo & runcatiõe non indigent, ſed herbis iuti melius adoleſcunt. Semina ſi ouillo lacte & mulſo maduerint, dulces creabunt fructus. prælongi prouenient, ſi aquam patenti uaſculo duobus palmis inferiorem ſubijcias, ad eam ſiquidem confeſtim prorepent: quare magis in longitudinem creſcẽtes effundentur. Tradunt ſine ſeminio naſci, ſi oleo ſeſamino delibuta deprimantur, aut herbæ ſucco delinantur, quæ culex uulgo, Græcis quantum exiſtimo conyza dicitur. Aliqui cucumeris florem cum uiticulæ ſuæ capitulo arundini, cui nodos articulorum omnes perforarint, inſerunt: inibi cucumim naſci profitentur, qui in magnam longitudinem protẽdetur. Nanq; quod latitudine per teretem uaſis anguſtiam demitur, ſecum paria faciens longitudine repenſabit. Si flos ſicut in ſua uite eſt, in fictili forma quæ uultum hominis uel alterius animalis imaginẽ exprimat, claudatur, talem cucumis figuram præſeferet: tam nouæ formæ auidus eſt, ut uaſis cui indideris, æmula facie repræſentabit effigiẽ. Lucius Columella autor eſt, ſi rubos aprico loco natos proxime terram reſcindamus, & ligneo ſtylo cauatos impreſſo foramini lætamine, cucumeris ſemen inſeramus, fructus enaſci qui inter frigora non necentur. Aſparagus pingui ſolo, humido, ſubactoq; pangitur, ſcrobiculis ad lineam directis, quibus bina ternáue grana ſemipedis ſpatio diſcreta mergantur. Stercore locus tegatur. Herbæ internaſcentes ſubinde uellantur, hinc poſt triennium erumpent aſparagi: ſed multo celerius ſpongiæ fructũ miniſtrabunt quæ ſic fiunt. Aſparagi ſemina

quanta tribus digitis potes comprehendere, pingui & stercorato solo in singulas fossulas obruis: ijs coeuntibus radix connexa & multis irretita capillamentis coalescit, quæ uocatur Spongia. Sed hæc biennij moras habet, estq; simo & runcatione continua nutrienda. Verum si hinc post æquinoctiũ autumni trãsferatur, uere asparagum dabit. Sed eæ spongiolæ sulcatim erunt disponendæ, & in summo porcæ dorso collocandæ, ne loci sentiant uligine. Asparagus qui primo ferẽ cõfringi debet, ne inualida adhuc radix moueatur: alijs annis uellendus qui ad autumnũ seruatur, ut semen ministret: ubi legeris scopas eius, igni concendes. Ruta seritur locis apricis, solius cineris respersione contenta: loca deside rat altiora, quibus humor elabatur. Ramuli cum aliqua corticis parte conuulsi, uerno tempore pro plantis conualescent, sed tota translata morietur. semina folliculis adhuc clausa singulatim affiguntur: si suis inuolucris exuta sunt, iactantur, rastroq; obducta cooperiuntur. Sunt qui ramulos pertusæ fabæ inserant, aut bulbo, atq; ita obruant, sperantes alieno uigore seruatum iri. Gaudet umbra fici, quare sub ea lætior adolescit: furtiua, ut asserunt, melius prouenit. Serentes eam antiquitus maledictis prosequebantur. Optat uelli, non effodi, immundæ mulieris omnem reformidat contactum. Coriandrum amat terram pinguem: quanquam & macrũ solum non aspernetur. Semen quo fuerit antiquius, modo uetustate non exuctum, eo melius reputabitur: humore delectatur. Curcurbita solum pinguedilígit, humidum, stercoratumq;. Hoc in eis insigne notatur, quòd longas pariunt & exiles, quę in earum ceruice leguntur semina. Quæ aluo latuerant, cucurbitas creant crassiores: quæ in fundo uentris, latas, si inuersis cacuminibus obruantur. ubi cœperunt adolescere, iuuentur adminiculis. Quæ sationi dicantur, usq; ad hyemem in sua uite dependeant, deinde sublatæ in sole aut fumo seruentur: alioqui semina marcore putri confecta tabescunt. Blitum nullum solum, modo sit cultũ, respuit: quod olus neq; runcari neq; sarculari flagitat. Cum semel satum cõprehenderit, per multa secula caduco semine reuiuiscet, ut etiam si uelis, uix unquã possit aboleri. Serpillum plantulis & semine prouenit: uerum lætius frondebit, si iuxta piscinam, lacum, uel putei margines conseratur. Anisum & cuminum locis lætioribus melius enascitur: item & cæteris, si humore satietur & stercore. Apium locis calidis & frigidis prouenit, si modo quis subest humor: quãuis siccis etiam nasci nõ deneget. A primo uere ad autumnũ usq; seri non recusat. Ex ipsius genere hipposelinũ durius & austerius. helioselinum molli folio & tenero caule, lacunis familiare: petroselinũ aspera sequitur. Hæc omnia possunt mangonio cultus et diligẽtia mansuescere: apium tamẽ multo maius feceris, si semẽ quantũ tribus digitis capiti potest, linteolo clausum scrobiculo merseris: sic omniũ seminũ germina in unũ radicis caput coeunt. Crispabitur apium, si tundantur semina, uel super enascentes areas ponduscula uolutent, aut pedibus enata proculcentur. Semen apij uetustatem sentiens citius nouello prosilit. Atriplex ab exitu ueris ad autũnũ potest seri, amat iugi humore satiari. Semẽ statim atq; sparsum est obrui debet. Internascẽtes herbulę subinde radicitus eruendæ: trãsferri nõ postulat, melius tamẽ inolescet, si rariore spatio pangat. Succo lætaminis & humoris exhilaratur. Si ferro tamẽ rescindatur, cõtinuo repullulatu luxuriabit. Ocimũ cito nasci proditur, si statim q; seueris aqua calida perfundas. Rem mirã de ocimo narrãt quòd modo purpureos, modo cãdidos flores, modo roseos pariet, si ex eo semine frequẽter serat, modoq; in serpillũ, modo in sisymbriũ degenerabit. Napi riguis solo putri et soluto protuberãt: quanuis deuexo & fabuloso gratiores cibo nascãtur. Solũ stercoratũ uersatumq; conquirũt. soli proprietas napũ mutat in rapũ: uti rapa biennio sata in alio solo degenerant in napos. Radix, præsertim quæ hyeme sui ministret usum, serenda circiter Augustũ. amat terram pinguem solutam & diu subactã, tophum & glareã reformidat. Gaudet cæli statu nebuloso: post pluuias debent semina deponi, statim operiri, sed larga intermittantur spatia. Si non incesserit imber, rigatione solicitentur. Suauiores redduntur radices, si salsa aqua frequenter aspergantur: paleis operiundæ, lætamen non est ingerendũ. Maiores euadent, si sæpe sublatis tolijs omnibus terra operiantur. Si dulces ex acribus fieri uoles, semina die & nocte macerabis melle uel passo. Radix non secus atque brassica uitibus creditur inimica: nanque si circa se serantur discordante natura, refugiunt. Papauer locis siccis & calidis cum alijs oleribus seminatur. fertur utilius erumpere, ubi uirgæ & sarmenta

fuerunt

fuerunt cõbusta. Thymũ plantis melius prouenit, quãuis etiã semine: agrum diligit apricum, maritimum, macrũ. Origanũ circiter æquinoctiũ seritur. amat aspera loca saxosaq; stercorari tamen & rigari donec cõualescat, appetit. Capparis late serpit, suo succo terris nocet: uerũ ne reptans ulterius plus æquo diuagetur, circũueniente fossato uel luto structis parietibus debet cohiberi. Ieiuno solo & gracili gaudet, æstate floret, herbas in uicinia sponte persequitur. Sub occasu Vergiliarũ capparis exarescit. Intyba amant humores & terram solutam, arenosis, salsis, atque maritimis summa prosiliunt. Area planior ijs apparetur, ne radices terra fugiente nudentur. quum quatuor folia fuerint adepta, transferantur ad locum stercoratum. Sunt qui radices fimo tingant. Sinapis terram diligit aratam, & si fieri potest aggestitiam: quanquam nullum recuset solum. puluere fouetur, quare debet sarculari, ut eo subinde respergatur. uliginem nequaquam respuit. Semen quod esui parabis, robustius plantæ translatu reddes: quod uetus, uel sationi uel usui habetur inutile. Id fractum si intus appareat uiride, nouum iudicabitur: si candidũ fuerit, uetustatem fatebitur. Malua pinguí solo lætatur, humidóque lætamine gaudet. transfertur quum folia quatuor habere cœpit. Melius quæ tenera est cõprehendit. Maior translata lãguescit. sed ne citius erigantur in caulem, in medio earum glebulæ uel lapili leniter apprimantur: siquidem hoc ponduſculo degrauatę in latitudinem se diffundent. rara ponenda est. sarculum postulat assiduum. liberandæ sunt herbis, sic tamen ne motum radix sentiat: in qua si nodũ feceris, sessiles humi procumbent. Porrũ uerno tempore satum, autumno transferri debet, ut capite grandescat. sarculis circũfodiatur assiduè, & cõprensa porri planta uelut forcipibus alleuetur, ut inanitas spatij quæ radicibus suberit, incremento capitis supplea-tur. Ocimum citius enasci fertur, si aceti imbre leuiter infusum respergatur. Allium appetit liratim seri, quapropter aream in sulcos digeres, & summo porcę dorso collocabis: sed caput prius in spicas diuidatur. eásque puluinis deponi præcipiũt, ne infestentur hyemis uligine, digitorũ quatuor spatio discretas, neque altius pressas. Sarculatu solicitatæ plus crescũt. Si capitatum fieri uoles, ubi cœperit caulis prodire, proculcabis, sic succus reuertetur ad spicas. Tradunt, si ille nocte uel sydere sub terris condito aut pungatur aut eruatur, allium odoris fœditate carituru: sic, ut fama est, olentis animæ tædium & graue uirus oris aboletur. Februario mense deponenda sunt arundineta defossis breuissimis scrobibus, & oculis arundinum per singulos scrobiculos obrutis, qui semipedis spatio inter se distare debebunt. Si calidæ & siccæ sint prouinciæ, ualles humidas uel irriguas arundinetis destinabimus. Si frigida regio est, locis medijs deputentur, sed succo uillarum subditis: si aridis infixa sint, crebris rigationibus animentur.

Arborum, herbarum, fruticumq; genitalis situs. Cap. XIII.

NAtales situs arbores, frutices, herbæ uelut accommodatiores suę naturæ sibiq; familiariores uendicarunt, in quibus consentiente loci genio lætiores prosiliant. Quædam enim aquosos & palustres amant tractus: quædam editos quærunt situs apricosq;: aliæ potius umbrosis & à uento silẽtibus exultant: aliæ locis nunquã à sole illustratis contentę prodeũt. Montes amant cedrus, larix, teda & cæterę è quibus resina funditur: itẽ aquifolia, buxus, ilex, iuniperus, terebinthus, tilia, cornus, ornus, populus, carpinus. Montes & ualles diligit abies, robur, castaneæ, tilia, ilex, cornus. Aquosis gaudẽt acer, fraxinus, sorbus, tilia, cerasus, Non temerè in montibus uisæ sunt prunus, punicæ, oleastri, iuglans, morus, sambuci. Descendunt etiã in plana cornus, corylus, quercus, ornus, acer, fraxinus, fagus, carpinus. Subeunt & in montosa ulmus, malus, pyrus, laurus, myrtus, sanguinei frutices, ilex, tingẽdis uestibus nascentes genistæ. Gaudet frigidis sorbus, magis etiam betula. In eosdem situs comitatur spina quæ antiquitus nuptiarũ facibus erat auspicatissima, quoniã inde fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas: postea facibus carpinus & corylus familiarissimæ. Aquas odere cupressi, iuglandes. odit & quæ appellatur Iouis barba, in opere topiario tonsilis & in rotunditatem spissa, argenteo folio. Non nisi in aquosis proueniunt salices, alni, populi, siler, ligustra. Quæcunque communia sunt montibus planisque, maiora fiunt, aspectuque pulchriora. Quæ campestribus, meliora materie: crispiora quæ in montibus exceptis malis pyrisque. Nemora permulta uestiuntur fago, quercu, subere, cerris,

ilicibus,corylis,tamaricibus. Syluæ permultæ pubent pomiferis ſylueſtribus: ut ſunt al/
bæ ſpinæ,græcæ ſiliquæ,iuniperus,lotos,pinus,cornus,arbutus, paliurus. Sed quo tem/
pore quæq; ſemina ferant,& quæ infelices exiſtimentur,eſt docendum. Cornus fructum
circa ſolſtitia reddit primò candidum, poſtea ſanguineum. ex eo genere fœmina poſt au/
tumnũ fert baccas acerbas & inguſtabiles cunctis animantibus. Terebinthus meſſibus
ſemen reddit,& acer,& fraxinus,nuces,& mala,& pyra,præterquam hyberna aut præco
cia. Autumno glãdiferæ,ſerius etiamnum Vergiliarum occaſu: eſculus tãtum autumno.
incipiente autẽ hyeme,mali,pyriq;,item ſuber. Abies ſemen præbet poſt uergiliarum oc/
caſum: pinus autem & picea præueniunt germinatione quidem quindecim ferè diebus,
ſemen uerò poſt Vergilias & ipſæ reddunt. Cedri,iuniperus & ilex anniferæ habentur, 10
nouuſque fructus in ijs cum autumno pendet. In maxima tamen admiratione pinus eſt.
gerit fructum matureſcentem: habet & proximo anno ad maturitatem uenturum, ac de/
inde tertio. nec ulla arbos auidius ſe promittit. Quo menſe ex ea nux decerpitur, eodem
matureſcit alia. Fructum arborum ſolæ nullum ferunt tamarix ſcopis tantum naſcens, po
pulus,alnus,ulmus,attinia,alaternus. Infelices autem damnatæq; religione, quæ neq; ſe/
rũtur unq;,neq; fructũ pariunt. Nouellæ arbores fructu carẽt quandiu creſcunt. Perdunt
autẽ facillimè ante maturitatẽ ficus,amygdala,malus,pyrus. Ocyſſimè autẽ ſalix amittit
ſemẽ,antequã omnino maturitatẽ ſentiat,ob id ab Homero dicta eſt ὠλεσίκαρπος,id eſt fru
giperda. Sed iã ad genus humile noſter ſe cõuertat ſermo. Herbæ quædã paludibus ena/
ſcũtur,aliæ in lacubus exiliũt,aliæ in fluminum uadis emicant,quædam paluſtres omni/ 20
no ſpectantur: quædã in aquis degere nequeunt & humentes horrent tractus, aridaq; lo/
ca ſequuntur: quædã litora ripaſq; deſiderant. Non deſunt quæ uitã ancipitẽ agant. Sunt
quæ ſegetibus naſci cupiant, & quæ uinetis lætentur. Aliæ quaſi uernaculæ iuxta urbes
macerijs aut ruderibus proueniũt. Plãtago paluſtribus locis enaſcitur ſecus aggeres atq;
ſepta,ſed in humidis multo lætior exurgit. Ranunculũ humidis gaudet limitibus. Lauer
riuorũ aquis innatat,item Cardaminacũ ſion,quaſi cũ illo uideatur quoddã inijſſe cõſor/
tiũ,comes & alumnus riguorũ. Helioſelinon humidis locis emergit. Sphondylion palu/
ſtribus & uligine cõmadẽtibus locis erumpit. Aliſma aquoſos amat tractus. Lyſimachia
gaudet aquoſis. Chelidonio minore limites humidi uirent. Epimedion madentibus pro/
ſilit,aquoſis uerbenaca. Cyperus paluſtribus locis exit. item typha & circa reſides aquas. 30
Nymphæa paludibus & ſtagnantibus undis prodit, folijs parũ extra aquã eminentibus,
alijs in uado conditis. Malobathrum in paludibus Indiæ gignitur, aquis innatãs paluſtris
modo lẽticulę. Oriza paluſtri ſitu & uliginoſo familiaris. Hippolapathon paludibus uer/
naculũ ſpectatur. Oluſatrũ opacis iuxta paludes emicat. itẽ Scordion quanquã & in mõ/
tibus inueniatur. Paluſtris lens aquis reſidibus & nullo lapſu repentibus innatat. Lotus
Aegyptia traditur in aquis ueſpera cõdi, totãq; abire in lacũ, deinde ad exortũ ſolis emer/
gere extra aquam. Aegyptia quoque faba lacubus infixa protollitur. Tuſſilago gignitur
circa fontes,ac ſubeſſe aquas credũt,& hoc habẽt ſignũ aquileges. Hippoſelinon naſcitur
in opacis,& iuxta paludes. Conyzæ genus tertiũ humẽtibus exhilaratur locis. Millefo/
liũ,quod ſtratioticẽ cognominãt, paluſtria flagitat. Tribuli genus id quod aquis familia/ 40
re uireſcit,nõ niſi amnibus gignitur,coma dũtaxat aquis extãte,aculeis uado cõditis. A/
diantõ paluſtribus & umbroſis circa parietũ aſpergines & fontium ſpecus exoritur: nec
ſecus filicula aſpergino ſos ſequitur tractus. Tam lacunoſis promiſcuè q; paluſtribus erũ/
punt cyperus,plãtago,aliſma,lens paluſtris,& aquatilis tribulus. Potamogeton amat na/
ſci aquoſo uidelicet & paluſtri, inde nomen quaſi amnis uicinum retulit. Sunt quæ maris
afflatu uel aſpergine gaudeãt: quare uel in cõtinente collibus mari uicinis naſcuntur, uel
ſcopulis & crepidinibus, aut locis quæ allidit unda recedẽsq; dimittit. Heleniũ Aegyptiũ
ſecundũ mare collibus innaſcitur. Critamũ in maritimis petroſis. Chamæleo niger mariti
ma diligit: itẽ artemiſia. Aloe maris inſulis ut in Andro prouenit. Androſaces quoq; tra/
gon,corniculatum papauer,tertium genus apollinaris in maritimis prodeunt. Solanum 50
ſomniferum in petris, nec longè ab afflatu maris. Dorycnion uerò ſcopulis non procul
à mari prominentibus proſilit. Rhododendron naſcitur in maritimis ſecundum amnes:
itidem bryon ſcopulis teſtaceiſq; non procul à mari. Tripolium in maritimis exurgit
ubi alludit

ubi alludit unda, iterumq; retro cõmeat, neq; in mari planè, neq; in ſicco. Glaux quoq; iuxta mare frequens inuenitur. Hippophaes, & hippophæſton in maritimis fabuloſisq; gignũtur. Tithymalus paralius maritimos natales ſuo cognomento manifeſte fatetur. Peplis, alypon, marinis locis gaudẽt. Empetron montibus maritimis guſtu non inſulſo: ſed quo propius terreno fuerit, eò ſentitur amarius. Seriphũ maris litora cõueſtit, inde marini abſinthij duxit appellationem. Sunt & quæ uelut fluuiatiles uel ſi placet amnicæ litoribus & ripis producãtur. Vitex cõuallibus ſecundũ amnes naſcitur. Hydropiper ſecundũ aquas ſtagnãtes, aut pigro lapſu repentes exilit, ambitioſosq; ſequitur riuos. Rha quod ponticũ cognominãt, latinis radix pontica dicitur, ab Rha flumine nomẽ traxit, in cuius ſupercilijs gẽtili huius regionis uocabulo gignitur radix, ad multiplices medelarum uſus proficiẽs. Huic uicinus Tanais qui inter Caucaſeas oriẽs rupes per ſinuoſos labitur circũflexus Aſiã ab Europa diſterminãs, in Mæoticis tandẽ paludibus deliteſcit. Populi nigrę litorales fluuiorũ etiã incolę uiſuntur: in quas Phaetontis ſorores fratris mortem lugẽtes uerſas poetæ fabulãtur: hinc populnæ profluẽtes lachrymæ ſtillãtesq; ſole rigeſcunt, dẽſanturq; in electra, quæ lucidus amnis excipiat. Terreſtres herbæ aut arida loca amãt, aut aſpero, tenui & ieiuno gaudent ſolo, aut fabuloſa uel rudera aut ſaxoſa ſequuntur. Aſarũ lætatur macris & ſitiẽtibus locis. Helenium opacis naſcitur & ſiticuloſis. Tilia tractibus aſperis prouenit. Lycium ſolo gracili ieiunoq; naſci petit. Cyclaminos altera ſitus diligit aſperos. Capparis gracilibus aſperiſq; diuagari poſtulat. Eryngium campeſtribus ſolo gracili proſilit. Saluia gaudet aſperis. Nepeta mõtes adamat. Thymum petroſo gracilique ſolo naſci uult. Satureia aſperis gracilibuſq; prodire cupit. Baccaris gracili ſolo nec humente prorumpit. Sylueſtris ruta montes abditos quærit, quare quæ in Macedonia proximè flumen Haliacmon naſcitur, uenenatam tradunt, & qui ederint, euadere negantur, quòd montanus is eſt locus & uiperis ſcatens. Liguſticũ altiſſimis aſperrimiſq; montiũ crepidinibus, itẽ opacis quibus rigua ſubſunt, exit. Cuminum ſylueſtre gigni ſolet in collibus. Smyrnion ſaxoſis collibus & angulis terrenis exurgit. Petroſelinon præruptis crepidinibus exurgit in Macedonia. Libanotis ſaxoſis & aſperis emicat. Alyſſon in montanis gracilibus exoritur. Triſſago petroſis exultat & aſperis. Stachys montes & aſpera diligit. Phalangiũ gignitur in collibus. Onoſma in aſperis. Anthemis macro ſolo iuxta ſemitas uere legitur. Lithoſpermon eminentibus locis macro ſolo contentũ eſt. Lonchitis aſperis & ſitientibus locis enaſcitur. Hypericon macro quidem ſolo ſed cultu gaudet. Polemonia mõtibus & macris. Polygonaton mõtibus familiare conſpicitur. Holoſteon collibus uernaculũ. Chryſocome in opacis petroſisq; gignitur. Stratiotes qui myriophyllõ, id eſt millefoliũ cognominatur, in agris macriuſculo ſolo prouenit. Viola purpurea in opacis & aſperis inuenitur. Veratrum candidũ naſcitur in montibus & aſperis: item tithymalus characias. Phyllitis in opacis hortiſq; prouenit. Sunt & quæ uelut ancipiti uita donatę nunc humẽtibus & riguis, nunc mõtoſis & aſperis exurgãt. Vitex cõuallibus propter amnes, item aſpero loco prodit. Chamæleo niger campeſtribus ſiccaneis, collibuſq; necnon etiam maritimis uiret. Smyrnio tã humidi tractus q̃ ſaxoſi montes pubent. Scordio tam montes quàm paludoſa ueſtiuntur. Smilax tam paluſtribus quàm aſperis exit. Sunt quæ naſci in campis & ſegetibus uelint. Aliæ in uinetis, aliæ in macerijs & ruderibus prope oppida emergunt. Aphaca in aruis oritur. Orobanche inter legumina prouenit & ea ſtrangulare ſolet, unde nomen eſt adepta. Eryngio campi ſcatent. Calamintha cãpeſtribus exilit. Gith frumẽtaceus ager uiret, itẽ buphthalmo. Leontopetalon in aruis frumentario agro naſcitur. Elatine in ſegetibus & cultis. Phœnix herba in aruis, quãuis & tegulis quoq; recẽs oblitis. Hypecoõ in ſegetibus & aruis emicat. Pſyllium in aruis ac terrenis inuenitur. Thalictron, itẽ uerbaſcum. Stratiotes chiliophyllos cãpeſtribus exilit. Bugloſſum fabuloſis & planis aſſurgit. Telephion naſcitur inter uites & locis cultis, ſic & ſylueſtris portulaca. In uineis ſideritis tertiũ genus inuenitur, quanquã interdũ in macerijs. Peplos inter uites aut in hortis gignitur. Helxine prodit in uineis, ſepibus, & parietinis. Sunt etiã quę in macerijs & ruderibus, & iuxta oppida ſepimẽtis emicãt. Thlaſpe in monumentis, ſcrobibus, & uallis erumpit. Eryſimum circum urbes in ruderibus hortiſq; gignitur. Marrubium collapſis ædificijs ruderatóque ſolo gaudet. Buphthalmos

& chryſan

& chrysanthemon propter oppida nascuntur. Tribulus quoq; & apollinaris genus tertium ruderibus hærent. Galiopsis prouenit circa sepes, ædificia, semitas, & ruderibus passim. Natales arborum, herbarum, frutícum ita se habent.

De coronarijs, & usu coronarum, Cap. XIIII

COronæ primum inter sacra tantum & bellicos honores suum nomen uendicarunt, quum è floribus fierent serta. Arborum ramis coronari in certaminibus mos erat primũ, postea uariari cœptum est mistura uersicolore, florumq; inuicem odores colores q; succedere: sic coronis è floribus receptis paulo mox subiere quæ dicuntur hybernæ, tum cũ terra flores negat, ramẽto è cornu tincto: paulatimq; subrepsit appellatio corollis, inter initia propter gracilitatem nominatis, mox & corollarijs. Sunt qui coronas à choro, licet careat aspiratione, dictas putent, siue quòd honorent eos quibus imponuntur. Auctorem & inuentorem coronæ Ianum biformem fuisse Græci prędicant: eamq; in Græcia factitatam à Stephano primũ afferunt. ob id & nomen sertis datum, ut Stephani uocarentur. Militares multorum generum ueteribus usurpatæ sunt. Triumphales quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ fuerunt, postmodũ ex auro fieri cœptæ sunt, quæ imperatori uictori ob honorem triumphi præferebantur. Oleagineis coronis ministri triumphantiũ donabantur, quòd Minerua dea belli putaret. Vtebantur qui non fuerant in prælio, sed triumphũ procurabant. Obsidionalis corona est, quæ dabatur Imperatori, qui obsidione liberauerat hostibus obsessos. ea fiebat ex gramine uiridi ex eo loco decerpto, in quo erãt inclusi. hæc magnę auctoritatis fuit. Herbam uictorię signum fuisse apud antiquos constat. hinc herbam dare Plauto significat se uictũ fateri, quod est antiquę & pastoralis uitę indiciũ. Nam quum in prato cursu aut uiribus contendebant, cum erant superati, ex eo loco in quo certamẽ inierant, decerptam herbam aduersario tradebãt. Inter obsidionalẽ et ciuicam hoc intererat, quod altera singularis salutis esset, altera diuersorum ciuium seruatorum. Ciuica, ilignea fuit frondem habens perennem. hanc dabat testem uitæ salutisq; perceptæ ciui, à quo liberatus fuerat in prælio. ea è fronde querna texebatur, quoniam cibus uictusq; antiquissimus quercus capi sit solitus. Ex ilice quoq; factitabatur, quod genus superiori proximum est. Ciuica dignus censebatur qui ciuem seruasset, ut à fortiter pugnantibus retineri non queuerit. Myrtea corona Papyrius usus est, quòd Sardos in campis Myrteis superasset. Muralis erat, quæ ab Imperatore donabatur ei qui primus murum subijsset, uicq; oppidum hostium ascendisset: idcirco quasi muri pinnis erat decorata. Castrensis, qua donauit Imperator eum, qui primus hostiũ castra pugnãs introiuisset. Nauali corona maritimo prælio solebat donari, qui primus hostium nauem armatus transilijsset, ea quasi nauium rostris erat insignita. Muralis, castrensis, & naualis ex coronario auro factitari solebant. Oualis corona erat myrtea, quam gerebant Imperatores qui urbem ouantes introirent, cum bella non erant rite indicta aut sine sanguine confecta. Huic aptam Veneris frondem credidere runt, quòd non Martius sed quasi Venerius quidam triumphus foret. Ouandi uerò non triumphandi gratia donabatur, quum uel bella cum hoste non iusto sunt gesta, aut subito deditione facta, incruenta uictoria successit. Fuerũt & pactiles & sutiles coronæ solennes etiã cœnis. Trãsiere deinde ad rosarias, eoq; luxuria processit, ut nõ esset gratia nisi mero folio, sutilibus mox petitis ab India. Laudatissimæ habebant quæ ex folio nardi necterentur. Damnarũt coronamẽtorũ usus Mnestheus atq; Callimachus medici, quòd nocerent capiti: quoniã & in hoc est aliqua ualetudinis portio, in potu atq; hilaritate præcipuè odorum ui subripiente fallaciter solertiã. Mos tamen antiquis inoleuit, ut post cœnam circumferrentur conuiuis: sed aut frondibus arborũ ut lauri, hederę struebantur, aut herbarũ floribus uersicolore commistu, Illas grauibus uiris dignas putauit Ammonius, has ludicras magis puellaresq; uirginibus ac fœminis accõmodatiores, quàm philosophorum choro. Quòd si uersicoloria florũ uenustate placẽt, oculosq; cõtuentes pulchritudine pascant, necnõ odorũ suauitate nares alant, per quos sensus licet tanquã per alias animi fenestras uoluptatẽ afferant, miraq; iucunditate recreent: auriũ tamen delitias ac gratã illam amœnitatem excludunt. Sed hæc ioco dicta non serio putantur. siquidem odorum colorumq; quos parens natura produxit, amœnitate liberaliter fruimur. Verũ ea quum nihil frustra

ſoleat moliri, hæc odoramẽta coloreſq; ſolius oblectamẽti gratia creditur ædidiſſe, quũ nihil aliud præſtent cõmodi, niſi quod uiſum odoratũq; reficiunt. Frutices, herbas, arbores frondibus ueſtiuit, quò ſuos fructus ab iniurijs æſtus ac frigoris uindicarent. Flores uero creaſſe uidetur nõ alterius cauſa, quàm ut nobis utentibus iucunditatẽ quandã ſubminiſtrent: ijs præſertim illecebris non parum uiſus olfactuſq; capiuntur, utpote quum flores miros efflent odores, inenarrabilemque colorum uarietatem repræſentent. Nec in ullis rebus alijs laſciuiens natura in magno fertilitatis gaudio tam uarie luſit. flores odores ue cõtinuè gignit. ſed nec pictura quidẽ ſufficit imaginibus colorũ reddẽdis mixturarũq; uarietatibus. Auulſis, ut tradunt, folijs, exulcerationis noxa indecenſq; glabritia cõcipitur, quæ arbores herbaſq; caſtratas ijs partibus malè habeat. quare nõ ab re præcepit Empedocles nõ modo laurus folijs manus abſtinẽdas, ſed & alijs omnibus quoq; parcendũ: uetuitq; ne quis uſquã frondibus quibuſcunq; uiolenter raptis ſeſe quouis modo pernaret. Porrò florũ collectio decerptuſq;, uindemijs ſimilitudine reſpõdet, fitq; ut illa citra noxam: quos niſi quis ſuo tempore legat, flaccidi marceteſq; procident, & caduci perè cõtabeſcent. Quapropter è floribus tantũ texendas eſſe coronas proponũt. Sed uetuſtiſſimi quiq; arborũ frondibus ramuliſq; coronamenta torſiſſe ſuis ſcriptis abunde teſtãtur. Liber uini repertor quũ medicamentum ſuauiſſimũ ſimul & uehemẽtiſſimum adinueniſſet, fertur hederã ſuis uiribus huic repugnantem, in honorem ac pretium adduxiſſe, eaq; coronari debacchantes edocuiſſe, quo minus uini noxam ſentirent, hedera ſuo frigore tẽmulentiam reſtinguente. Iuglandem quoq; coronamentis abdicandam nobis græca nomenclatio ſatis oſtendit, quæ κάρυαι à capitis grauedine propter odoris uirus creditur dicta. nanque grauem expirat halitum, eóſque ſopore tentans lædit qui ſub arbore decubuerint. Narciſſum tamen Sophocles magnũ deorum terreſtrium coronamentũ appellauit, ita dictum quòd neruos hebetaret, membriſq; torporem ſenſus ſopiens, afferret. Tradũt rutam peganon Græcis à facultate dictam, quòd calore ſiccitateque genituram coagularet: ideòque geſtantibus uterum inimica etiam coronis inſerta putatur. Hallucinantur plane qui amethyſtum herbam exiſtimẽt contra ebrietatem pollere, gentilemq; hinc gemmam ita nominari, quod uinolentiæ refragetur, utraq; enim à colore ſibi nomen aſciuit. De calculo ſatis cõuenit. Cæterũ amethyſti herbæ foliũ meracioris uini calorẽ æmulatur. Iis itaq; iã dictis nomina uires indiderunt. Quum ergo merum caput occuparit, arcemq; ſenſuum obſederit, mirũ in modum hominẽ cõturbat: cui mitis aura florũ naribus hauſta ſuccurrit, caputq; ab ebrietate propugnaculi uice tutatur. Quinetiã laxant, ſi calida prædita ſunt natura, ſpiracula quibus uinoſus euadat uapor. Quæ uero frigidis floribus ut uiolis roſisq; coronæ ſtruuntur, noxios halitus repellunt. quippe quum & aſtringant ſua ui, & odore capitis grauitatem corrigãt. Liguſtri flores, croci, & baccaris, odore ſomnos alliciũt, & ad placidã quietẽ potos perducũt. expirãt enim lenẽ aurã ac blandũ odoris effluuiũ, quo in temulẽtorũ corporibus inęqualitates obortæ aſpritudineſq; ſenſim diſſipentur: atq; ſic exterantur, ut conciliata trãquillitate crapula retundatur & excoquatur. Atqui quorundam florum odoribus irrepentibus ad cerebrum, ſenſiles meatus repurgantur, ac humores citra iniuriam uel concuſſum leniter à calore diſcutiuntur, eoq; frigidum natura cerebrum fouetur. Sic flores bifariam coronamentis inſerentur, uel ut capitis ipſius grauitatem abigant, aut ut ſomnum placidum accerſant. Verum quæ floribus concinnatæ ceruici colloq; tanquam penſiles geſtantur, Græcis ὑποθυμίδες appellantur. hinc odores naribus rapti, ſuo calore cerebrum feriunt. Non enim quod huiuſcemodi coronarij torques quaſi cordis animum caſtrametati uiſantur obſidere, nominãtur Græcis hypothymides, quũ potius licuiſſet epithymias appellare, quoniam collo ſupra cor nexi propenderẽt: ſed eo nomine, quòd halitum & auram ſurſum expirent. Nec mirari debemus ſi coronarum uapor tantam ſibi uendicet facultatem. nanq; fertur umbra taxi ſubter dormientes enecare, præſertim quoties in ſenſum graue uirus illapſum proruit. Sic papauer quum eius lachryma decerpitur, tam uehementem auram eructat, ut qui non ſibi cauerint, ueterno correpti concidant. Nam alyſſon herba uel manu geſtata, uel oculis conſpecta rabie liberat, ideò propter ouilia, caprarum greges, & armentorũ cubilia ſeri perquam utile putãt. Roſa Græcis rhodon nominatur, q̃ ſanè ſuo eſu copioſum

remittat

remittat effluuium: quare fugax quàm celerrime marcescit. Refrigerat autem, suoq; flammeo conspectu non ineleganter rutilat: siquidē tenuis quædam aura per summa rosæ fane uiget, quæ pulsa ui caloris expuitur. Igitur non ab re ioculari cōuitio Momus eos increpare solebat, qui capitibus corollas gererent, argumento quòd tam gratus odor uelut fugax inutiliter euanesceret: si uerò subditæ sensibus deferrentur, suauitate nares, uarietate colorum oculos recrearēt. Troianis temporibus iam floribus erat honor, & hos certè treis Homerus laudat, loton, crocon, hyacinthum. Rosarum usus propè nimius est in coronis. Lilium rosæ nobilitate proximum est, quadam etiam cognatione coronamēti. Narcissus florem suo cacumine profert candidū, calyce purpureo, quem donat coronis. Violis proximus honos, maxima authoritas luteis. Cæterum coronarum quæ sola uarietate placēt, duo genera: quando aliæ folio, aliæ flore cōstant. Florem dixerim genistas: nanq; in ijs decerpitur luteus. Item rhododēdron. In uepribus nascitur cyclaminum, cuius flos colossinus in coronas admittitur. Folia smilacis & hederæ coronamentis se dedere, coronæq; earum obtinent principatum. In coronamenta folio uenere cunilago, melissophyllon quod apiastron, & meliloton quod sertulam campanam uocant. Coronas ex hac antiquitus factitatas indiciū est nomen sertulæ quod occupauit. placet maximè foliis breuissimis atq; pinguissimis. Folio coronat & trifolium, cuius tria genera, asphaltion maiore folio, quo coronarij utuntur: alterum acuto ὀξυτριφυλλον: tertium ex omnibus minutissimum. Vtuntur hederæ foliis, corymbis, & flore purpureo. in ijs colos tantum delectat, odor autem abest. Amarantus quoq; sine odore noscitur, spica purpurea uerius q̄ flos aliquis: mirumque in eo, gaudere decerpi & lætius renasci. Prouenit Augusto mense, durat in autumnum, decerptus asseruatur. mirumq;, quum defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas facit coronas. Summa eius natura in nomine est, appellato quoniam non marcescat. in nomine eius est & cyani colos, item holochrysi: quanq; ij flores in usu non fuerint Alexandri magni ætate, quoniam seculi illius authores prorsus siluere de illis. quo manifestum est postea placuisse. à Græcis tamen repertos quis dubitet, non aliter Italia usurpante nomina illorum? Petilius ab exilitate nomen duxisse uidetur. est autem Plinio flos autumnalis circa uepres nascens, foliis paruis, quinis, calycu lo uersicolori instar rosæ syluestris, in quo luteum semen. folia eius haud nasci traduntur præterquam inflexo & retorto floris cacumine. Bellius quoq; coronis inuenit gratiam, quum in pratis sponte nasceretur: iámq; eorum gratia in hortis studiose colitur, flore pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronato. Pratenses ij flores & sine usu, ideò fere plerisq; nominibus defuncti: de ijs tamen sparsim suis locis differemus. Heliochrysos foliis abrotono similibus nascitur, cauliculis tenuibus, aureo & immortali flore cacumi natis. huius flore Theophrastus scribit se plerosq; coronare, ut gratiam incāt & uitæ gloriam existimationemq; concilient, si prius unguento perfusi fuerint, auri ignem nō experti scobe conspersa. Origanum quoq; coronamētis quæsitum, thymum quoque. Folio tātum coronant Iouis flos, amaracus, hemerocalles, abrotonum, helenium, isymbrium, serpillum. Colore tantummodo placet Iouis flos: odor abest sicut illi quæ græce phlox dicitur. reliqua & ramis & folio odorata sunt, excepto serpillo. Duo conyzæ genera in coronamenta uenere, mas & fœmina. differentia in folio, constrictius fœminæ angustiusque, imbricatum maris & ramosius. Nec excludi debet œnanthe, quū sit dicata corollis: item phænij genus utrunq; sertis addictū noscitur. Lychnidis flores uiolæ magnitudine, odore nullo, coronis inseruntur. Spinæ acutæ floribus utuntur etiam coronarij, quum caulículi eius inter oblectamenta gulæ condiantur. Vincaperuinca semper uiret in modum lineæ, foliis geniculatim circundata. Topiaria herba inopiam tamē florum aliquando supplet, sæpe nobis hyberna ministrat coronamenta. Non fuit in usu prioribus seculis altile betonicum, quum authores illius nō meminere. Volūtarium passim in parietinis spectatur, altile in plenū lætius, quod culturæ diligentia subinde componatur: neq; specie neq; odore tamen quouis modo dissident. horum flores omniū specioſissimi tam æstiuas q̄ hybernas replent coronas. Nanq; ij garyophylli placent odoratu, sed longè suauissimo, coloribus relucent uarijs: quandoquidem alius cocco rutilat, alius saturata splendet purpura, alius niueo blanditur candore, alius uersicolore uariat cōmistu. nec rosis inferiores uideri

uideri possunt, uerum cum eis de principatu contendunt, quando nec colore superantur purpureo, uermiculato, candido, nec odore: nisi quod à longinquo plus olet recens rosa, sed diuturniore mora uincitur. Betonico supra triduum uita uigorq; durat. Rosa nihil fugacius, longissima decerptis mora, dies: in quo flaccescentes uenerem & gratiam exeunt, suiq; decoris pulchritudinem fragiles amittunt. Philostratus rosæ fruticẽ amori dicatum quadam epistola tradidit, quod ut ille Cupido iuuenescit, ita recens rosa iuuenta pollet, mollis delicataq; uidetur, ut ille. aureis uterq; crinibus comatur. Si reliqua libeat comparare, rosæ sagittarum loco spinas, ac pro facibus fuluos apices gestant. foliis perinde quasi pennis alatæ spectantur. Tempus ullum neq; rosa neq; Cupido nouit. Siquidem amor ut fugaci formæ pulchritudiniq;, sic proueníentibus rosis creditur inimicus. Qui Romæ, ut idem inquit, flores circumferebant, in cursum conciti properabant, hoc celeritatis testimonio nobis innuebant, formæ uigoriq; non esse fidendum, quod illa cõfestim irreuocabilis fugiat. Cursus quoq; documẽto nobis fuit, ut pulchritudo facillimè uanesceret, magna, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreant celerrimè marcescere.

Mutationis exempla quæ maleficio proficiant.

De morbis satorum & remedijs. Cap. XV

ARbores ac herbas quas naturę debeamus, tribus modis nasci dictũ est, sponte, semine, radice. neq; omnia in omnibus locis nasci certũ est, nec trãslata uiuere. hocq; uel fastidio, uel contumacia, aliàs imbecillitate, aliàs cęlo inuidente, aliàs repugnante solo euenire solet. Quòd si nonnunquam possit à solo impetrari, ut alienas alat aduenasq; nutriat, cælum nullo modo quit flecti: quòd si clementia cæli fauet solo reclamante, quæ nascentur aut inuita parient, aut mutationem aliquam fructuũ aut arborum fieri contendunt, quæ quidẽ aruspices ostenta esse dicunt, non aliàs quàm si punicum acidum ædat dulce, aut cõtrà dulci acidum proueniat. item ex caprifico ficus, ex fico caprificus nasci nonnunquam solet: ex nigra fico candida. Ex uua nigra candidam prodire in uite quam capneiam uocant, Theophrastus est autor. In reliquis plantis opera quædam cultu, quædam ipsius soli natura mutantur. Typhæ semen si pistum seratur in triticum uertitur. Sylueſtre hordeum triticumq; cultu feritate mitigata in cereale mansuescunt. Legumina si nitro pridie macerata serantur, longe facilius excoquentur. Lentem ut crassescat paxillo demittunt. Cicer ut grãdescat, cum siliquis obseritur. Triticum sæpe degenerat in lolium. item omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem conuertitur in siliginem. Nam tritici uicium est: & quanuis candore præstet, pondere tamen uincitur. Populus alba in nigram cõmeat. Ocymum solibus expositum in serpillum transit. quod fieri uisitur, quum accedente maiori siccitate foliũ decrescit inopia alimenti, & odoris acrimonia gliscit. Sisymbrium nisi cultura coerceatur, odore in mentham, figura in nepetam desciscit. Nec aliter de noualibus syluestre menthastrum in mentham conuertitur, inuersis cacuminibus dispositum, quæ res feritatem deponit atq; edomitam reddit. Neglecta uitis degenerat in labruscam. Ex semine brassicæ ueteris rapa fiunt: atq; inuicem semẽ uetus tantum ualet in quibusdam rebus, ut naturam commutet. Nam ex semine brassicæ uetere sato, nasci aiunt rapa, & contrà, ex raporum, brassicam. Sæpe etiam explorata nobis semina naturali uitio desciscunt. id quod Poeta uelut surdis ueritatis indulget differendo.

Vidi ego lecta diu & multo spectata labore
Degenerare tamen, ni uis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret, sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Rapa campis & locis humidis lætantur. Napus glareosis fabulosisq; aruis melior exit, lociq; proprietas utriusq; semen commutat. Nanq; in alio solo rapa biennio sata conuertuntur in napum: in alio napus raporum accipit speciem. Nec modo in ijs, uerum in nonnullis animalibus euenire notatum est, siquidẽ ex tinea eruca, ex eruca papilio gignitur, quare id uelut absurdum ab ratione non abhorrebit. Cæterum sata quædam iniurijs lacessita melius prouenire credidit antiquitas. Nanq; uti metalla longo contritu magis subinde nitent, & nisi sic exerceantur, rubiginem contrahunt: ita stirpes nõnullæ identidem specio-

ſiores emergunt probris opportunæ, quibus ſi non adficiantur, uelut ieiunæ ſatiſcunt. Sic gaudet calcari & atteri pede crocus, pereundoq; lætior prorumpit. Incẽſus aſparagus ubẽrior renaſcitur. Qua ratione cum ſpinam fecerit, collectis ſeminibus ipſis ſcorpiones ita ut ſunt ſuo loco perurendi, & quo maturius fuerit incẽſus, hoc lætius proueniet. Sic arundineta niſi uetuſtatẽ ſentiant, eodem more incenduntur, ita uegetiora renaſci produntur. Criſpum fiet apium qualitercunq; ſatum, ſi quum eſt natum, incrementum eius ſuperuoluto cylindro coerceat olitor, uel ſi ſemina ante tundant, aut pedibus proculcentur enata, uel ſi ſuper areas naſcentes aliqua pondera uolutẽtur. Rutam dum conſeritur maledictis proſequuntur, ita uegetiorẽ reddi ueteres crediderunt. Ex hoc etiam genere ocymũ intelligitur. Gaudet & ipſum, quum obrutũ terra ſemen eſt, pauicula uel cylindro diligẽter inculcari. maturius exibit feruenti conſperſum aqua. Sentiunt & morbos terrę ſata. nanque ocymum ſe necat. Aſparagus recens enatus per hyemẽ rigore peruritur, ſuccurritur ſtramentis operientibus: ſed primo uere ſtatim aperiatur. Enecatur cyminum ab imo dorſo niſi repurgetur: aliàs priuatim cumini morbus ſcabies. ocymum quoque ſub Canis ortu palleſcit. omnia uerò acceſſu mulieris menſtrualis flaueſcunt. Si ad eum locum in quo cucumis aut cucurbita conſitæ ſunt, mulier admittatur, contactu eius langueſcũt incrementa uirentium: ſi uero fuerit in menſtruis, uiſu quoq; ſuo nouellos fœtus enecabit. Beſtiolarum quoque genera innaſcuntur. culices napis, raphano erucæ & uermiculi: item lactucis & oleri. Vtriſq; hoc amplius, limaces & cochleæ. Infeſtant & culices hortos riguos, præcipuè ſi ſunt arbuſculæ aliquæ: ſed ij galbano accenſo fugantur. Ferro non expedit tangi rutam, cunilam, mentham, ocymum. Formicæ non minima hortorum exitia ſunt, contra quas remedium putatur limo marino aut cinere obturatis earum foraminibus: ſed efficaciſſime heliotropio herba necãtur. Quidam & aquam diluto latere crudo inimicam eis putant. Naporum medicinæ ſunt, ſiliquas unà ſeri, ſicut olerum cicer. arcet enim erucas: quæ ſi iam natæ ſunt, remedium abſinthij ſuccus decocti inſparſus. Veteres quidam autores ut Democritus, præcipiunt ſemina omnia ſucco herbæ, quæ ſedum appellatur, medicanda. eoq; remedio aduerſus beſtiolas utendum. quod uerũ eſſe docuit experientia. Frequentius tamen, quoniam huius herbæ minus larga eſt facultas, fuligine quę ſupra focos tectis inhęret ſatis tueri poſſumus incolumitatem plantarum, ſi collecta pridie quàm ſatio fiat cum ſeminibus miſceatur & aqua conſpergatur, ut tota nocte ſuccum trahant. Semen olerum ſi ſucco ſedi quam aizoon uocant, madefactum ſeratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. Ne hyemis gelicidijs ſemina perurantur, ſtramentis ſupra iactis ab ijs & pruinis defendũtur. Vbi apricis regionibus poſt pluuias noxia inceſſerint animalia, quę Latinis appellant erucę, Græcis κάμπαι nominant, matutinis tẽporibus frutices olerũ concuti debent: ſic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, facile decident, nec amplius in ſuperiorẽ partem ſtupentes prorepent. Sed ſi prius ſucco herbæ ſedi macerata ſunt ſemina, nihil ſic medicatis erucæ nocebunt. Democritus adfirmat has ipſas beſtiolas enecari, ſi mulier quæ in menſtruis curſibus eſt, ſolutis criníbus & nudo pede unamquanq; aream ter circumeat, poſt hoc decidere omnes uermiculos & ita emori. Aduerſus erucas cancrum fluuiatilem in medio horto ſuſpenſum auxiliari narrant. Sunt qui uirgis ſanguineis tangant ea quæ nolunt ijs eſſe obnoxia.

De menſuris quibus longitudines herbarum dimetimur: item rationibus ponderum. Cap. XVI

QVoniam autores explicandis herbarum magnitudinibus, certis rerum modis utuntur, non alienum mihi fuit uiſum ſingulas ſubijcere menſurarum rationes, quæ omnibus etiam in rebus apprimè uidentur neceſſariæ. hæ ex corporis humani membris colligũtur, ut palmus, pes, digitus. Corpus enim hominis ita natura cõpoſuit, ut pes ſui corporis eſſet altitudinis ſextæ: cubitus uerò quartæ: reliqua mẽbra ſuos habẽt cõmenſus proportionis. Verum ut à minima parte omnibus tamen cõſpicua herbarum modos auſpicemur: digitus ſextadecima pars pedis cõſtituitur, ut uncia duodecima. ſed ipſius digiti ſimplex obſeruatio nõ eſt: nã alius uocat quadratus, alius rotũdus. Quadratus, tribus quartis decimis ſuis rotũdo maior. Rotundus tribus undecimis ſuis quadrato minor eſt.

Palmus

Palmus quatuor habet digitos: ita efficitur ut contineat. Pes sedecim digitos. Cubitus sex palmis constat digitisq; uigintiquatuor: totidem quoq; sesquipes. In quo noscendum nobis est, quoties uocabulum hoc sesqui cum aliqua mensura uel modi, uel numeri, uel temporis collocatum fuerit, non integrum modo id explicare cui iungitur, sed integrum & semis. Sic sesquilibra, sesquimensis, sesquicyathus usurpantur Latinis. est enim sesquilibra, libra una & semis: sesquimensis integrum mensem cum dimidio ualet: sesquicyathus integrum cum dimidio complet. Cæterũ quẽadmodũ cubitus sex est palmorũ, ita in Græcis ciuitatibus factũ est, ut in drachma ex æquo sex quos appellãt obolos quadrãtesq; obolorũ, quæ alij dichalca, nõnulli trichalca, pro digitis uigintiquatuor in drachma cõstitueren tur. Latini in denario denos asses æreos collegerunt, & ea re cõpositio nummi denarij nomen retinet. etiam quartã eius partẽ, quòd efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse, sestertium uocitarunt. & quoniã animaduerterũt utroq; numeros esse perfectos & sex & decem, utroq; in unum cõiecerunt & fecerunt perfectissimũ decussissexis. Huius aũt rei autorem inuenerũt pedẽ. è cubito enim quum dempti sunt palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorũ. Quapropter pes in herbarum longitudinibus perueſtigandis as statuitur, quod capiat totidẽ digitos, quot denarius asses. Vtrunq; sexdecim partibus cõstare diximus. Cuius sextans dicitur sexta pars assis, in quo digiti sunt duo cum quarta parte. Quadrans quarta pars assis numeratur, hoc est digiti quatuor, qui etiam alio nomine palmus à nobis fuit appellatus. Verum ne nomenclaturarũ uarietates quandam pariant confusionẽ, notandũ est palmum ueteribus fuisse duplicẽ. Minor digitorũ quatuor habetur, Græcis palæstes uocatus: maior digitorum duodecim, spithame Græcis dictus: quæ differentia ex Varrone, Vitruuio facile deprehenditur. Plinius libro septimo narrat, Spithamæos esse Pygmęos, ternas spithamas lõgitudine, hoc est ternos dodrãtes non excedere. Qua cõstat etiã citati autoris sentẽtia, spithamã cum dodrante modo cõuenire. Sunt qui dispithamæon bipalmẽ aut duum palmorũ magnitudinẽ interpretentur, & palæsten modum quatuor digitis constantẽ cum spithama, quæ duodecim constituitur, confundant. Nos dispithamiæon binos dodrantes æquare putamus, qui uigintiquatuor cõtinent digitos, siue aliàs sesquipedẽ. Nam quatuor & uiginti digiti integrũ pedem & dimidiatum complent, quæ sesquipedalis altitudo clarior cognoscitur, q̃ ut egeat cõprobari. Suas tamen partes possent tueri, si de maiore palmo intelligerent: uerũ id ad abolendã magnitudinis controuersiam fuerat exprimendum, ne nobis ambiguitas turpiter imponeret, omnisq; fallacis sensus suspicio faceſſeret. Nemo tamẽ potest inficiari modos rerum aliquos nomenclatione sola ab alijs, non re ipsa discriminari. Nam palmus cum quadrante conuenit, uterq; quaternis constituitur digitis, nonne bini dodrantes iustè sesquipedem implent? nempe ambo uiginti quatuor referunt digitos. Nũ cubitus idem cum sesquipede ualet? uterq; nimirũ senis palmis digitisq; uigintiquatuor cõstare cognoscitur. quare non magni refert, siue sesquipedalẽ, siue cubitalẽ, siue binos dodrantes altam dixeris longitudinem, quum prorsus idem hæc tria sibi uelint, nomine tenus uariata. Num eadem bipalmea cum sesquipedali longitudo creditur? utraq; sanè binis cõsurgit palmis, id est octo digitis. quare parui interest, siue bipalmarẽ, siue semipedalem appellaueris caulículum. Verum ut ad rem reuertamur, Dodrans, pars est dimidia & tertia assis, dicta quasi inde dempto quadrante, in quo sunt digiti duodecim. Dodrantalis caulículus dicitur, qui longitudine duodenos æquat digitos. Triens, tertia pars assis & una duodecima, in quo digiti quinque cum unius duodecima portione. Sextans, pars est assis sexta, in quo sunt digiti duo cum dimidio unius et duodecima parte. Vncia, duodecima pars assis, ab uno dicta, si Varroni credimus. Sextula, sexta pars unciæ, sicut semuncia dimidia pars. se particula in quibusdam ualet dimidium, ut in selibra, semodio, semuncia. Semis, assis dimidium constituitur. Quincunx, à quinq; & uncia conclusum. Assis pars tertia & una duodecima, cõtinet digitos quinq; et quartam unius portiunculam. Sic quincunciale folium, quod modo numeratam magnitudinẽ implet. Septunx, pars assis dimidia & una duodecima, hoc est in quo sunt digiti septẽ cum quarta alterius parte. Bes, duę tertiæ assis partes, in quo nouem inueniuntur digiti, adiecta quarta alterius portione. Bes, ut Varroni placet, olim desdicebatur, quasi dempto triẽte. Deunx, duæ tertiæ & una pedis quarta, dicta quòd à decẽ una

sit dempta uncia, ut dextans dempto sextante, in quo est pars pedis dimidia & una tertia. Sed exempli gratia caulium longitudines aliquæ declarentur. Bicubitales crissio, dracunculo, gentianæ, glasto, albæ spinæ, acantho, althææ, maiori conyzę, symphyto. Cubitales plantagini, ranũculo, chelidoniæ, baccari, phu, sphondylio, libanotidi, betonicæ, alismati, satyrio. Dodrantales hyacintho, caucali, aro, sesamoidi, chamæleoni nigro, sylvestri cumino, cretensi dauco, orobanchę, hyperico, testiculo canis, leontopetalo. Sesquipedalis ornithogallo, thlaspi, cneco. palmeus tripolio. Sed de magnitudinibus abũde diximus, quum caulium discrimina superius referremus. Sed locus etiam is exigit, ut rationes ponderum & mensurarum quibus utantur medici, breuissime colligantur. Scrupulus qui Græcis gramma dicitur quasi primum ponderis elementum, duos continet obolos. obolus pendet siliquas treis, quæ græce κεράτια nominantur. Siliqua chalcos continet duos, hoc est, ut uolunt, quantum lentis octo semina. Tres scrupuli drachmam faciunt, quod est denarij pondus. Sic prudentes obolorũ quæ dichalca Græci nominant, uiginti quatuor in drachma cõstituũtur. Drachmę additus scrupulus sextulam creat, in qua sunt scrupula quatuor. Duplex drachma siliquum facit, in quo sunt scrupula sex. Sextulas uncia senas habet: hinc sextulæ nomẽ possidet, quod sit sexta pars unciæ. Semuncia dimidia pars uncię, in qua sunt scrupula duodecim. Sextulæ duæ duella uocantur. octo drachmæ reddũt unciam, in qua scrupula continentur quatuor ac uiginti. sed uncijs duodecim Romana libra constat. Nanq; Attica, ut aliqui tradunt, minor est, ut quæ drachmis cõficiatur septẽ & septuaginta, cum Romana sex & nonaginta. Sic drachmæ centũ minam cõstituere tradunt, maiorẽ drachmis quatuor Romana libra. Paulus tamẽ Aegineta eo libello, quẽ in operis sui calce ponderibus ac mensuris dicauit, minam Atticam & Aegyptiam sexdecim uncijs constare prodidit, minã uero Romanam uncijs uiginti. Sed ut inter omnes conuenit, assis loco ponderibus medicaminũ libra statuitur, cuius uncia quæ ab uno dicitur, duodecima pars est. Sextans pars sexta, id est unciæ duæ, in quo sunt scrupula quadraginta octo. Quadrans, pars libræ quarta, id est unciæ tres, in quo continentur scrupula duo & septuaginta. Triens, tertia libræ portio, id est unciæ quatuor, in eo sunt scrupula X C V I. Quincũx, pars est tertia libręt una duodecima, id est uncię quinq; in quo numerant scrupula centũ & uiginti. Pars dimidia libræ semis dicitur, quasi semis as, quæ etiam selibra nominatur, in quo cõtinent scrupula centũ quadraginta quatuor. Septunx, pars est dimidia & una duodecima, id est unciæ septẽ, in quo sunt scrupula centũ sexaginta octo. Bes partes duæ tertiæ, id est unciæ octo, in quo sunt scrupula C X C I I. Dodrans tres quartas capit, id est unci as nouem, in quo sunt scrupula ducenta sexdecim. Dextans pars assis dimidia & tertia, id est unciæ decẽ, dictus quod desit assi sextãs, in quo sunt scrupula ducenta & quadraginta. Deunx duæ tertiæ & una quarta, id est unciæ undecim, in quo scrupula sunt ducenta & sexaginta quatuor. Sequitur integrum quod est as, in quo sunt unciæ duodecim, & scrupula ducenta & octoginta octo. His partibus ueteres non medicamenta modo, sed integra omnia quoq; diuidere solent. Diximus de ponderibus, nunc uerò de mensuris est disputandum, illis inquã non quibus agros, sed aut fruges aut liquores dimetimur. Amphora quæ Græcis ἀμφορεὺς & κεράμιος autore Dioscoride dicitur, octo cõgios capit. Duplex amphora modius est, aut si mauis græce medimnus. Cõgius qui græce χοῦς dicitur, senos capit sextarios, inde forsitan ductum sextarij nomẽ, quòd eum sexies cõgius capiat. Triplex quoq; amphora efficit sextariũ. Dimidium sextarij hemina est, à græco ἥμισυ oriunda, quòd eius sit dimidia pars. Graijs cotyla nominatur, & sæpe tryblion. Quatuor sextarij chœnica cõplent, ut decem metretam. Scribit tamẽ Iulius Pollux cotylã chœnicis esse tertiã partem, chœnicas octo & quadraginta medimno contineri. Hemina sex impletur cyathis. Sesquicyathus acetabulũ implet. Cyathus Paulo autore, duo mystra continet. Sed ut Plinio placet, pendet per se cyathus drachmas decem. Quum acetabuli mensura dicitur significat eidem heminæ quartam partem, id est drachmas quindecim. Mna quam Latini minam uocant, pendet drachmas Atticas cẽtum. Sed non parui refert in liquidorũ modis quem laticem metiamur, quòd æqua lance trutinata quædam plus alijs habeãt momenti. Quare gratia exempli nobis oleum, uinum, mel proponuntur. Mel itaque uino quarta parte ponderosius existimatur, capit enim integram huius mensuram & insuper trientem. mel

ex media

ex media parte oleum pondere degrauat. Continet enim totum eius modum & ultra ſe/
miſſem. Vinum oleo nona parte ſupereminet,quando integrum ipſum capit, & eius do/
drantem. Verum ut dicta manifeſtiora reddantur, ſingularum menſurarũ pondera bre/
uiter ſubijciemus, hos liquores publico omnium cenſu conſpicuos in uſum proferentes,
oleum,uinum,mel.Italica amphora capit olei libras ſeptuagintaduas,uini octoginta,mel/
lis centum & octo. Congius continet olei libras nouem, uini libras decem, mellis libram
cum ſcrupulis decem. Acetabulum capit olei drachmas octodecim, uini ſextantem, uel ſi
malis, uncias duas & ſcrupula duodecim: mellis quadrantem, & ſcrupula nouem. Cya/
thus olei pendet per ſe drachmas duodecim,uini ſeſquunciam & ſcrupula quatuor,mellis
ſextantem,drachmas duas. Myſtron paruum olei tenet drachmas ſex, uini ſcrupula ui/
ginti,mellis drachmas nouem. Myſtron maius capit olei quadrantem,uini tres uncias,&
octo ſcrupula,mellis trientem,uel,quod idem eſt,uncias quatuor. Oribaſius autor eſt,Ita
licum ſextariũ menſura uini continere uncias uiginti quatuor, in pondere libram & beſ/
ſem: mellis uero ſextarium, duas libras & ſemiſſem pẽdere. Galenus memoriæ prodidit,
Sextarium olei octodecim uncias poſſidere,uini uiginti,heminam dodrantem. Aegyptia
artabe modios quinq; cõtinet. Chœnix ſextarios duos. Sextarius hemínas duas. Hemina
cyathos octo. Medimnus Atticus hemiecta capit duodecim. Hemiecton chœnicas IIII.
ita ut medimus minas capiat quadragintaocto, ſextariosq; nonagintaſex. Culeus omniũ
maximus creditur,quem uiginti amphoræ complent,continetq; urnas quadraginta. Co/
lumellæ,Plinioq; ſeſquiculiare dolium ſexaginta urnas capit. Pars tertia myſtri cyame di
citur,quæ duo cochlearia capit. Attica mina & Aegyptia ſi Galeno credimus,uncias con
tinet ſexdecim, Romana uiginti. Itaq; ut rem breui ſermone perſtringamus, libra pendet
uncias duodecim, uncia drachmas octo, drachma ſcrupulos treis, ſcrupulus binos obo/
los, obolus ſiliquas treis, ſiliqua chalcos duos. Hæc ex diuerſis autorum ſententijs defun
ctorie ſubdidimus, quæ Lector optime boni conſules.

De colorum uarietate. Cap. XVII

Lores herbarum tam uario colorum ornatu laſciuiens natura depinxit, ut
nulla in re tam magno fertilitatis ſuæ gaudio uſq; eò luſiſſe uideatur. Luxu/
ria quoq; ueſtibus prouocauit eos flores, qui colore cõmendentur. Verum
ut à primordijs breuiter colorum rationes auſpicemur, Simplices colores
dicuntur qui elementa ignẽ,aerẽ,aquam,terrã ſequũtur. Aer et aqua ſuapte
natura candidi ſunt. Sol & ignis flaui. Terra niſi tincturam ebiberit, aut aliunde ſibi colo/
rem aſciuerit, candida cernitur,cineris eius argumento,qui exuſto humore tincturam cre
ante,natiuum candorem reſumit, ſed non emaculatum, quòd fumo qui nigricet, inficia/
tur: inde manans lixiuium flaueſcit,flammeo & atro aquam colorãtibus. Niger colos ele/
mẽtorum miſturam ſequitur. Atrum aliquid tripliciter apparet,uel quum à nobis uideri
non poteſt,uel quum nihil luminis in uiſum eiaculatur. Item nigra omnia reputãtur,à qui
bus repercuſſum lumen reſilit. Sic umbræ corporum nigritiæ prębent imaginem. Sic opa
cum iudicatur nigrum. Lumen ignis ipſius eſt colos. Sed hæc magis ad ſenſus extimatio/
nem pertinent. Alter color contrahitur,quum aer & aqua ab igni concrementur. quapro/
pter ambuſta cuncta ut titiones,ligna, carbones reſtincto igni nigreſcunt. Fumus quem
candentes igni lateres eructarunt excreto humore quam nigerrimus exilit. Cæterum
albor & nigritia ſimplices cenſentur,& reliquorum colorum primordia,utpote quum eo
rum cõmiſtu cæteri uelut mediĳ creentur. Si nigrum & album miſceantur, fuſci referent
ſpeciem. Atrum & opacum lumini promiſcuũ, puniceũ parit: indicio, quòd nigrum lumi/
ni ſolis uel ignis permiſtũ,colorẽ puniceũ mentietur. Atra quoq; omnia quę flagrant igni
in puniceũ colorem degenerãt, quales fuliginoſæ flammæ & carbones quũ incanduerint
ſpectãtur. Purpura dilutior enitebit,quũ candido mediocri & opaco infirmus ſolis ſplen/
dor ſe cõmiſcuerit. Quare quum ſol ad ortum uel occaſum ſpectat, aer inibi purpura ruti/
lat. Sic mare purpuraſcit,preſertim quũ undis in ſublime iactatis reclinãs opacatur. nanq;
quando in ſedem ſe recipit fulgor ſolis imbecillus inſinuans ſeſe, purpureũ colorẽ uiſui re
præſentabit. Atqui quum nigro mero collucẽtiq; ſe ſplendor aeris inſeruerit, colos nigel/
lus excitatur, qualis in acinis uuæ reperitur, œnopon Græci uocãt. Cæterũ ubi maturita/

tem ſentientes uuæ nigrantur, phœniceus color in purpuram deſciſcit. Solis itaq; & ignis lumen, aer & aqua ſuo uario commiſtu omnes, ut ſummatim loquar, nitidos pariũt colores. Etenim alitum pennę ſolis fulgorem admittentes, multas oſtendunt colorum uarietates. Sed colorum innumera ferè proueniunt diſcrimina, quoties lucido & opaco inæquabiliter miſturæ coierint. Item non paruam adfert differentiam in coloribus ſplendidum, ſi uel rutilat, aut hebes & obſcurum caliget. Splendor tamen nihil aliud eſt, quàm luminis continuata denſitas. Auri colorẽ quidpiam tum æmulabitur, quum flauum nonnihil & ſolare lumen in denſum coeuntia ſplenduerint. Ideoq; torquatæ columbarum ceruices & aquarũ ſtillæ aureo colore ſplẽdent regeſto lumine. Non deſunt quæ detrita ſuum exuant colorẽ, ut ęs, aurum. nanq; ſi perfricta terantur, non aureã uel æneam ſed nigrantẽ relinquent liturã. Quippe quum meatus ſpiraculaq; eorũ attritu rumpantur, quibus tinctura ſubibat, par eſt ut priſtinus color obliteratus nobis deliteſcat propter diſſipatam hoc attritu tincturã, uernaculusq; qui niger erat, refricatus, tum nobis conſpicuus. Ex tribus colores omneis qui lumine percipiũtur, miſti, conſtant aqua, aere, & tertio quodam, id eſt ſubiectis coloribus, à quibus lumen reflectitur. Candidũ pellucet. Verum quum rarum corpus inuenerit, aerium colorẽ præſeferet. Si denſum, quædã offundetur caligo, ut in aqua, uitro, & aere, quum craſſior eruperit. In iſs nõ exactè perſpicere poſſumus, quæ intus condita iacent, cũ propter raritatẽ à lumine uincantur. Aer cominus oculis obſeruatus, nullũ nobis oſtendit colorẽ: eminus tamen conſpectus, ubi denſior illuxerit, ſplendor cæruleus emicabit. Item etiã cominus ſi quis aerem intueatur in profũdo ſpecu demerſum, propter raritatẽ iudicabit cæruleũ. ſiquidẽ qua parte lumine deficitur, ea tenebris interceptus cæruleus offundetur. Si uelut in aquã denſeſcat aer, longè omniũ candidiſſimus effulgebit. Porrò permulta tingentiũ rerũ colores ebibũt: permulta floribus, corticibus, lignis inficiuntur: multa quoq; terra, multa ſpuma, multa atramẽto, quędã animaliũ ſanie ut purpura quędã uino, fumo, quędã lixiuo, quędã mari, ſed quæ fulua reddunt. Quũ colores imbutarum rerũ meatibus ſeſe demerſerint, ubi fuerint reſiccatę, illorum colores firmiter retinẽt: ſępe tamen diffluentibus earũ ſpiraculis ijdem emaculati perluũtur. quare res aſtringẽtes rebus inficiendis quò pertinacius colos hæreat, non parũ exhibent cõmodi. Cæterũ ut infectiui uellerũ colores cãdido obiecto magis illuſtrati nitẽt, ſic nigro in aduerſum cõſidente opaciores caligãt: quare ſaturata purpura obuerſo nigro magis cẽ albo florida placebit. Meracior ſiquidẽ incidente nigri ſplendore iudicatur. Sic em̃ ſpatiola quæ inter meatus intercedunt, ob exiguitatẽ nigri cauſa non cernuntur. Cæterũ flores, fructus, herbæ, frutices, arbores cõcoctione quadã colorũ uices capeſſunt. ſuntq; talium colorum primordia quædã, quæ mutationes huiuſmodi præbeant. In omnibus aũt plantis herbaceũ quoddã coloris rudimẽtũ ineſt, quãdo & germina, fructus, folia inter initia herbaceo colore uirẽt. Quod in plurimis imbribus uidere quis poteſt, ubi diutius reſides alicubi perſtiterint: ſi reſiccari cœperũt, herbarũ colligunt colorem. Qua ratione primũ omnibus enaſcẽtibus herboſis is colos inſidere deprendit. Quandoquidẽ aquę oẽs diutius immoratę ſi ſolis ſplendoribus tẽperentur, uirorẽ primũ concipiunt, paulatimq; nigreſcentes, iterũq; uiridi permiſtæ, herbaceũ creant colorẽ. humor em̃ per ſe inueteraſcens quũ exareſcit, nigratur: quẽadmodũ quæ ſemper apud aquas reſidẽt, ea nigrore ſuggillantur, ꝙ in ijs refrigeratus humor ſicceſcat. ſed qui partim exanclatus latex inſolatur, propterea ꝙ flauũ nigro tẽperatur, diluto uirore nitebit: qui uero longe magis nigricauerit, ſaturato placebit uirore, quin etiã porraceo. Quapropter ueteres germinatus omnes plus nouellis nigreſcũt. Iidẽ in flauum elangueſcẽt colorẽ, ſi nondũ in eis humor nigricarit. In quibus incremẽta proueniũt tardiora, humor diutius permanẽs refrigerat, ob id maiorẽ cõtrahit nigritiã. quare meracior nigro tẽperatus, porraceũ ſibi colorẽ uendicabit. Ceterũ in quibus humor ſolis ſplendori non ammiſcetur, horũ color permanet candidus, niſi longiore mora ſicceſcens prius nigricauerit. quare ſtirpium nuper in lucem ædítarũ que ſupra terrã emerſerunt, uiridia cernuntur: quæ uerò terra cõduntur, candida, ut radices. Germina quoq; quæ terra occuluntur ſunt alba: detracto q; ſolo aperta, ut iam dictum eſt, herbacea. quoniã humor per germina colatus, talem referat coloris naturam, ipſeq; in fructus incrementum abiens, mature conſumatur. Quum uerò non amplius adoleſcunt, tũ quia profluens alimonium

calor

calor nõ cohíbeat,ſed cõtrà humor à calore digeratur,matureſcantq; fructus humore eorum cõcocto à ſolis & aeris calore,à plãtis ſibi colores adſciſcunt:nõ ſecus q̃ à floribus in fectiui panni.quare paulatim colorẽ capeſſunt,præſertim qui obuerſi teporibus,ſole conſueuerũt illuſtrari.Sic colores fructus per maturitatis tẽpus demutãt.quippe qui per adoleſcentiam herbaceo colore uireant,iam matureſcentes in uernaculũ colorẽ trãſeunt, candidiq; uel nigri,uel fuſci uel flaui cõſpiciantur, & nulla nõ nobis oſtendant colorũ diſcrimina.Plurimi tamen promiſcuo eorũ coitu contrahuntur.ideò conſtat colores eaſdẽ ſortiri miſturas.Siquidẽ cretus humor colatuſq; ea proluens per quę fertur, omnes allicit ad ſe colorũ uires.qui per maturitatis horas in fructibus à ſolis et aeris feruore cõcoctus,per ſe ſingulas creat colorũ facies:ſed quaſdã maturius,quaſdã ſerius.quemadmodũ in tingẽtiũ officinis euenit,quũ tuſarũ purpurarũ ſaniem eluerint,& cortinis profuſam coxerint, nihil inter initia coloris infectis uelleribus illucet, ſed paulatim cõcocta ſanie magis atq; magis ammiſtis inuicem coloribus imbuta purpuris uellera,uarias ſentiunt differentias. Hoc idem in fructibus euenit,ut aliquem prius colorem, tãdem etiam poſterius alterum ebibant,ut uuæ & palmulę:interdum puniceę uiſuntur:ſed atro in ſe coaleſcente,in nigellum uini colorem degenerant.Denique cæruleæ redduntur,ubi puniceum meracíore nigro fuerit temperatum. Sed qui poſtremi ſuccedunt colores, quũ emicuerint priores obliterant: quod in nigris fructibus conſpicuum inuenitur. Plericq; ex herbaceo permixta paululum puniceũ cõcipiunt colorem, factáque mutatione in fuluos abeunt, illicoq; deſciſcunt à fuluo,quòd atrũ purius in his inſideat. Indicio ſunt folia ſarmentaq;, quæ in ijs antedictis atro uirore nitent. Sed colores punicei naſcendi conditione nigris ſuccedere cognoſcuntur.quòd ſubgrundijs & ſtillicidijs pauimenta, quæ mediocri imbre uel aqua perfunduntur, opacis locis primum omnia ex herbaceo coloratu in puniceum abeunt, ſolumq; tanquam iugulati animalis ſanguine cruentatur,præſertim qua exuctionem ſenſerit: herbaceum uirus denique in atrum tranſit, poſtremo cæruleum ſequitur. Simile quiddam in fructibus euenire nemo ibit inficias. Sed quum natu poſteriores colores euicerunt priores,fructus quandam mutationem ſentire conuenit.ſiquidem punicum malum & roſarum folia per initia albicant,tandẽ ſanie per cocturam colorata,in luteum langueſcunt colorem: demum in ſaturatam purpuram & puniceum perueniũt. Non deſunt quæ multo plures colores ſortiantur, quemadmodum è lachryma papaueris candida primum emicat,ut punicum malum: dein exalbata, in puniceum ſe uertit colorem: poſtremò nigrore ſuperata, in cæruleum commeat. quare ſuperna papaueris folia faciem in puniceum uergentem oſtendunt,ob celerem impetratam concoctionem. Nigricant quæ radici uicina ſunt,hoc colore ſicut in fructu principatum obtinẽte,qui tandem in nigrum abit. Cæterum in quibus plantis unus colos inuenitur,ut albus, aut niger, aut puniceus, aut purpureus,ſemper fructus unã & eandẽ coloris ſibi uendicauit naturã,quoties ſemel ex herbaceo in aliũ ſe uerterit colorẽ.Porrò flores aliqui ut punici mali ſuo pomo ſunt cõcolores.In quibuſdam uerò longè coloribus diſſident, ut in lauro, hedera: in quibus flaueſcit flos,baccæ tamen nigreſcunt.purpureus eſt mali flos,interdum candidus: pomum tamen flauum conſpicitur.Papaueris flos puniceus,fructus uel albus uel niger exiſtit: q̃ ideò fieri cõtingit,q̃ ſucci quibus imbuantur,alijs atq; alijs tẽporibus concoctionẽ adipiſcantur. Manifeſtũ huius uarietatis argumentũ in quibuſdã floribus, quorũ pars folij nigra,pars alia punicea,in alijs portio cãdida,alia purpurea relucet:ut in iridis flore,qui uerſicoloria ſpecie propter cõcoctionis diſcrimina notatur,quod & in matureſcentibus uuis animaduerti paulo antè diximus.Ideò florũ extremæ partes melius coquũtur:ſed intimę quibus ſuæ cohærẽt origini,longè magis pallore decolorãtur.In quibuſdã ferè prius amburitur humor, q̃ uernaculã coctionẽ cõceperit:ideò flores in ſuis coloribus permanent, fructus uerò ſanie cocta mutantur. Sunt quæ propter alimenti penuriam celeriter exco quantur, fructus propter humoris copiam in omnes natiuos colores concoctionis uiſe demutent: quod apertò liquet in uelleribus quæ ſufficiuntur, ſtatim atq; inter principia ſaniem tinctores coniecerunt, obſcuro, uel atro, uel aerio imbuuntur ſucco, dein quum abunde coxerint,florida purpura relucet. Sic ergo nonnulla coloribus præſtãt. Alia ſuopte ingenio cedunt, quod perfectæ uel imperfectiori cocturæ acceptum ferendum eſt.

Est discrimen aliquod in fructibus & floribus nō fastidiendū. Plericq; tandem flauescunt, quoniā alimento defecti prius inarescunt, & in genitiuum colorē præuenti perducantur: quando è fructibus caducis sunt, qui ideò flauescunt, quòd ante coctionem alimonia desit. Fruges & cerealia ferè cuncta postremò flauēt: humor etenim in eis quū maturè siccatus nō nigretur, coloris mutationē adfert. quin & nigrescens uiridi temperatus, herbaceū uti dictum est, creat. Porrò nigrum si paulatim infirmetur, in uiridem degenerat colorem. idem in flauum postremo langueſcet, pyri & portulacæ, & quorū aliorū folia per coctionē puniceū colorem referunt. Cęterū quæ ex ijs arescunt, celeriter flaua redduntur. siquidem ante coctionē nutrimentum ea deficit. Colorū ratio in stirpibus ita se habet. Fiunt & pili equorū, iubę setęq;, uellera ouium, capilli humani, uilli cęterarum animantiū, alitumq; pennæ, candidæ, fuscæ, fuluæ nigrę, cōsimilibus causis. concoctu candida hęc redduntur, quū humor propriū retinens colorem inaruit. Nigra uerò cōtrà, quoties humor genitalis ueteraſcēs longiorémque faciēs moram sui copia nigricarit. nec secus horum cutis nigra gignitur, fuscæ quoque flauæ, fuluæ, aut alijs prædítæ coloribus animātes nascuntur, quū præuentus humor prius sicceſcit, quàm perfectè se uerterit in nigrum. Euariant colores quibus horum diuersitas acciderit: uerum omnia cutem colorémque eius consequuntur. Hominibus flauis capilli flauent, rufis ex candido fulueſcunt, nigris nigricant. Quòd si pars corporis alba macula, uel uitiligine uitietur, candidū creabit capillum: si fusca macula litura, concolorem pilum euocabit. Sic pili, setæ, auium pennæ tam priu atim quàm publicè cutem imitantur. Candidis animātibus, ungulæ, rostra, cornua candida prodeūt, & nigris nigra. hoc præstat cutis alimentum, quod in exteriora colatum offunditur, nec ab ratione quidem hoc abhorret, quum causa facile possit iniri. Infantibus capita ineunte ætate flaueſcere solent propter penuriam alimenti, qua de causa etiam capilli breues, rari & tenues erumpunt: procedente tamen ulterius ætate nigreſcunt, suppedítata copiosius alimonia. nec secus pubertas, quum primum erumpit, propter humoris inopiam flaueſcit. Verum eò loci quum uberius se contulerit nutrimentum, rursum nigricat. Diutius pueri flaueſcunt propter alimenti penuriam, quod tum creſcenti corpori adoleſcentibus impenditur. In ijs qui promiſſiore sunt capillo, proxime corpus magis nigrant, & summa quæq; ruffeſcunt. Sic & auium nigrarum pennæ prope corpus nigriores quàm summis partibus conſpiciuntur: hæ tamen ceruices colláque magis rufant, quòd paucum alliciāt nutrimentum. Quum corpus peruenit ad complementum, pili fulueſcent, si quod superest alimentum, confestim sicceſcat. Si iterum per imbecillitatem partis, calor non alliciat nutrimentū, humore celeriter reſiccato, pilus exiliet cādidus. Quod in ueterinis facilè deprenditur, quorū mutilis partibus albus exit pilus. & ut summatim loquar, imbecillæ partes, aut quæ uitio laborarūt, citius sentiunt caniciem, præsertim tempora. Animātes cunctę quæ siue imbecillitatis causa, siue cæco naturę uitio præcoci paucoq; uictu sustinētur, candidæ proueniūt: sic lepus inuenitur candidus. Itē ceruus & ursus, & in auibus coturnix, hirūdo, perdix: præsertim quū quandā à primis statim uitæ rudimentis imbecillitatē retulerint. Sic genæ, supercilia, per senectā canicię contrahunt. Quæ in genere eodē incana inueniūtur, ea nigris infirmiora cōuenit esse. Siquidē nutrimento ante crementum ob exiguitatē excocto, caneſcūt: uti in ijs qui male ualent fructibus, frequenter euenire dixímus. Verum quoniā de coloribus sermonem agitauímus, quū plura uideātur in sensibus oculorum discrimina, quàm certæ nobis appellationes, nonnihil de generibus colorū, tā Græcis quàm Latinis usurpatis, quæ potiſſimum ex herbarum floribus colligi possunt, paucis perstringere decreuímus. Nanq; ut alias concinnitates omittamus, genera colorū in multas species sese spargunt, plurimæq; sunt eorum facies nō satis uocabulis cognitæ. Quare ex herbarum floribus eos repræsentare non duximus alienum. Ruffus enim colos à rubore quidem uidetur appellatus: sed quum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrū, aliter crocū, has singulas ruffi uarietates, etsi singulis propriisq; uocabulis latina nō demōstret oratio, omnia tamē ista significat una ruboris appellatione. quū tamē ex ijs rebus uocabula colorū mutuetur, & igneū aliquid, flammeū, sanguineū, croceū, ostrinū dicit esse. Ruffus enim color habere quasdā distātias uidetur uel augentes uel remittētes, uel mista quadā specie tēperantes. ut flauus, ruber, rubidus, quē ξανθὸν & ἐρυθρὸν uocant,

& fuluus

& fuluus & puniceus. Nec hæc ſola ſunt uocabula, ſed rutilus, luteus, & ſpadix appellationes ſunt ruffi coloris, aut acuẽtes eũ quaſi incendẽtes, aut cũ colore uiridi miſcẽtes, aut nigro infuſcãtes, aut uirẽti ſenſim albo illuminantes. Nã phœniceus, quẽ detracto ſpiritu, & oe literis in unũ u coeũtibus, dicimus puniceũ, itẽ rutilus & ſpadix germani ſunt & cognati colores. exuberantiã ſplendoremq; demonſtrant ruboris, quales ſunt fructus palmæ arboris, non admodũ ſole incocti: unde ſpadicis & phœnicei nomen uenit. Spadica enim Dorici uocant auulſum cũ fructu è palma termitẽ. Fuluus uidetur ruffo atq; uiridi mixtus in alijs plus uiridis, in alijs plus ruffi habere. ſic fuluũ aurum, fuluam aquilã, fuluũ leonem, fuluã arenam, Poeta uocabulorum diligentiſſimus nominauit. Flauus contrà uidetur uiridi, ruffo & albo concretus. ſic flauentes comæ, frondes olearũ flauæ Virgilio dicuntur. Rubidus autem & ruffus atrore & nigrore multo mixtus. luteus contrà. Ruffus color eſt dil ucidior, undeq; ei factum eſſe nomẽ uidetur. Proximũ eſt melinum, quod ex loco in quo foditur habet nomẽ. eius uis inſulæ cycladi Melo dicitur eſſe. Sed cæruleus, quem Græci cyaneum, & cæſius, quem ijdẽm glaucũ nominant, uiridi & albo temperantur. uterq; à cæli colore duxiſſe uocabulum creditur, quaſi dixiſſes cælium pro cæſio, uel cæluleum pro cæruleo. falluntur qui à cera dictum exiſtimant, plurimum reclamante coloris natura. Sed à floribus, aut fructibus, interdũ animalibus, purpurei diuerſitates ſunt petendæ. Purpuræ inuentionem Tyrij teſte Iulio Polluce, Herculi aſſignant, qui, ut produnt, indigenam nomine Tyron nympham adamans, uſum eius caſu quodam reperit ſui canis roſtro, qui ſaxis irrepentẽ purpuram demordiſſet cruore ſuffuſo: cuius labra cum in ſolenti inuiſoq; prius infectu florere cõſpexiſſet puella, Herculem negauit ſua conſuetudine potiturum, prius quàm ueſte hoc eleganti colore ſaturata, donaretur. Hercules itaq; ſanie collecta, & feruentibus cortinis incocta uellus intinxit, quod coloratu purpureo diluceſceret. Tres animaduertũtur eſſe principales. Vnus in cocco qui in roſis emicat, quo gratius nihil uiſitur aſpectu. Alius amethyſtus, qui in uiola relucet, ipſeq; in purpureum, quemq; appellant ianthinum, tẽdit. Tertius qui proprie conchylij intelligitur, multis modis nitet. unus plerunq; ſaturatior, alius in purpurã inclinans, ut in malua, alius in uiola ſe rotina, conchyliorum uegetiſſima. Tẽperandi conchyliati coloris ratio hæc eſt. ueteribus quũ ſunt lecta, ferramentis circunſcinduntur, è quibus plagis purpurea ſanies uti lachryma profluens, excuſſa in mortarijs exterendo cõparatur: & quòd ex concharum marinarum teſtis eximitur, ideo oſtrum eſt uocitatum. Id autẽ propter ſalſugínem cito fit ſiticuloſum, niſi mel habeant circumfuſum. hoc oſtrum excellentiſſimam habet aſpectus ſuauitatem, id excipitur ex marino conchylio, è quo purpura inficitur. Fiunt & purpurei colores infecta creta rubiæ radice & hyſgino. Non minus ex floribus alijs colores comparantur factitij. Itaque quum uolunt pictores ſil Atticum imitari, uiolam aridam conijcientes in uas, cum aqua feruefcere faciunt ad ignem: dein quum eſt temperatum, conijciunt in mortarium aquam ex uiolis coloratam, & ex ea eretriam infundentes, & eam terentes efficiunt ſilis Attici colorem. Eadem ratione uaccinium temperantes, & hac miſcentes, purpurã faciunt elegantẽ. Itẽ herba, quę lut eũ appellatur, cæruleũ inficiunt, & utuntur uiridiſſimo colore, hæc autẽ infectiua appellatur. Sunt quoq; natiui à metallis & factitij colores, uel auſteri uel floridi. Vtrunque natura uel miſtura prouenit. Floridi ſunt quos dominus fingenti præſtat, minium, armenium, cinnabaris, chryſocolla, indicũ, purpuriſſum. Cæteri auſteri. Ex omnibus alij naſcuntur, alij fiunt. Naſcũtur ſinopis, rubrica, paretoniũ, quod ex locis quibus eruitur traxit nomen: melinum, eretria, auripigmentũ, cæteri fingũtur. Præterea è uilioribus ochra, ceruſſa uſta, ſandaracha, ſandix, ſyricum atramentum. Sinopis inuenta eſt primum in Ponto, inde nomen à Sinope urbe. Sed de his inter metalla differendũ eſſet. Cæterum ut ad inſtitutũ redeamus, operæpretium putauimus à floribus colorũ diſtãtias edocere, quando paucis noſtra æſtate uidẽtur colores exactè cognoſci. Vt ergo ab ignorantiæ tenebris aſſerãtur, per flores herbarũ qui quotidie noſtris oculis obuerſantur, in cognitionem lucemq; reuocari conueniet. ſiquidem fieri non temere poteſt, quin ex tanto ſuccreſcẽte florũ aceruo, unus aut alter cuiuſq; generis etiam ab imperitiſſimo quoque intelligatur. Nigritia & candor ſatis omnibus conſtant. Nigri florũ colores perquã pauci reperiũtur. nigricant tamen dictamno, circææ, lonchitidi, manico,

ſolano

ſolano,leontopodío. Candídi flores innumeri ferè notantur. Albus eſt narciſſo, liguſtro, ſanguinariæ, polygonato, ciſto fœminæ, crithamo, orobāchæ, acaciæ. Albet & alteri phę/nío, thlaſpi, arabídi, cyclamino ſecundæ, ariſtolochiæ rotundæ, poterio, daphnoídi, acan/tho, thymelææ, phalangio, achilleæ, dorycnio, cicutæ, ſeſamoídi, ſphondylio, ſcammoníę, títymalo fœminæ. lacteus emicat hyberídi, ornithogallo, in altero ranūculi genere & phę/níj. Lacte candícat moly. Ruber erumpit ſcordio, canabi, lyſimachiæ, halicacabo, ſolano ſomnífero. Puniceus relucet anagallídi, papaueri rhœadi. Purpureus nitet aſaro, betoni/cæ, glaucio, uiolę purpureæ, uitíci, ciſto mari, cyclamino, ueratro nigro, quibuſdam ranū/culi & phænij generibus, argemonæ, glaſto, ariſtolochiæ ſecundæ, centaurio minori, cha/mæleoni albo, calamínthæ, ſpinæ albæ, delphinio, aſteri, fumariæ, onagræ, triſſagini, leon/topetalo, onobrychi, medio, anchuſæ, lycopſi, gladiolo, ſideríti, ſupinæ uerbenacæ. Sed in íjs floribus diligenter eſt attendendum, quoniã nonnulli ſaturata, alij dilutiore rutilãt pur pura. Cæruleo colore placent flores cyani & intubi, tam ſatiui quàm erratici, quod cicho/rium ſolent appellare. item altera muris auricula, anagallis fœmina, cęruleo exhilarantur flore. Flos iris partim cæruleus enitet, quanquam uaria colorum miſtura inſtar cæleſtis arcus polleat, qui uerſicoloria facie díuerſos mentitur colores, lucentiq; colorum nitore oculorum aciem præſtringit, ſic ut noſtro uiſui credatur imponere. Glaſtum etſi inſigni/bus uirore cauliculis notetur, ſucco tamen inficit cæruleo. hinc traditum eſt, olim Britan/nos oblinere ſeſe, ut cæruleo colore metum hoſtibus adferrent. Lutei flores emicant hy/perico, aſcyro, androſæmo. celticæ nardo, & elaphoboſco flos in luteum inclinatur. Oro/banche, eriſimum luteis floribus ueſtiuntur: item ranunculi genus unum luteis floribus nunc coronamenta nectit, pulchritudiníſq; gratia iam à ruſticis noſtris ſtudioſe cœpit ſeri, præſtititq; cultus diligentia, uti fructili denſóque foliorum ſtipatu nunc in hortis flores colluceſcant, qui prius folioſa ſimplicitate limitibus irriguis frequentes gaude/bant. Sylueſtri glaſto flos luteus exit, item panaci, peucedano, atractyli, tuſſilagini, uiolæ albæ, nymphææ ſecundæ, buphthalmo, ſenecioni, thapſiæ, alteri Veneris um/bílico, gallío. Fœminæ uerbaſco flores ex luteo palleſcunt, mari luteum auri ſplendorem æmulantur. Panaces Aſclepij aureo flore coronatur. botrys frutex totus in luteum elan/gueſcit. Aiuga, quinquefolium, hieracía, corniculatum papauer, aſter, florem luteum pa/riunt. Lyſimachiæ ruffus aut aureus ineſt colos, conyzæ luteus aut fuluus nitet. Anthe/mídi flores erumpunt uerſicolori facie, in medio lutei, circinato orbe candídi, melini, in/terdum purpurei. Agerato flos aureis bullis illucet. Achilleam candídi flores purpurei uel aurum imitantes decorant. Sed grande in tripolio naturæ prodigium. Fama eſt flo/res colorem ter in die demutare. Siquidem mane candídi, meridie purpurei, ſero puni/cei cernuntur. Cauſas itaque colorum, rationes atque temperaturas abundè ſuprà red/didimus. Verum ut firma diſputationi noſtræ iacerentur fundamenta, ex Ariſtotelico philoſophiæ penu coloribus nuncupato pluríma deprompſimus, quibus ferè ſingu/lorum cauſæ ac rationes breuiter collígi poterunt. Iam ad odores & ſapores noſter ſe conuertat ſermo.

De odoribus & ſaporibus. Cap. XVIII.

DE plantarum odoribus & ſaporibus poſt colores eſt diſſerendum. Odor eſt partis ſiccæ ſapidæ in pellucido corpore demiſtio. idem aeris & aquæ com/mune intelligitur. Odorem permiſtione quadam contrahi, nobis argumen/to eſt, quòd ſimplex corpus nullum expirat odorem, niſi quandã miſturam conceperit. aer, ignis, aqua, terra, níhil odoris remittunt. Admiſtione non ua cant aquæ, quas odor aliquis comitetur, ut mare, & reſides aquæ, quæ putrem ac tetrum eructant odorem. Magnum omnibus in odore momentum, & magna cum ſapore cogna tio. Ipſe nullus eſt aquis, aut ſi ſentitur, omnino uitiũ eſt. In tribus tamen generibus odo/res uerſantur, in plantis, animantibus, & íjs quæ hominum parantur arte. Odorum gene/ra ſeptem putantur eſſe ſicut ſaporum colorumq;. ſed planius noſcentur in herbarum fructuumq; natura. Malis odor ineſt acutus, perſicis dilutus, dulcibus nullus. nam & ui/nũ tale ſine odore eſt, tenue odoratius. Citreis odor acerrimus, aſper coroneis. neq; om/nes odores appellationibus reddi poſſunt. Nemo amarũ odorẽ, ſalſum, pinguem, acerbũ

ſtatuerit

ſtatuerit. Genera tamen communiora quibus authores utantur, hæc ſparſim tradita colligũtur: Suauis, grauis uel graueolens, acer, acutus, aſper, dilutus, uiroſus, teter, putidus, dulcia raro odorata, ſicut odorato ſapor raro ulli non amarus. Itaq; uina odoratiora muſtis: ſylueſtria omnia magis ſatiuis. Quorundam odor ſuauior è longinquo, propius admotus hebetatur, ut uiolę. Roſa recens à longinquo olet, ſicca propius. Omnis autem uerno tempore acrior & matutinis. quicquid ad meridianas horas uergit, hebetatur. Nouella quoque uetuſtis minus odorata: acerrimus tamẽ omniũ odor æſtate media. Roſa & crocũ odoratiora, quũ ſerenis diebus legũtur, & omnia in calidis magis q̃ frigidis. In Aegypto minimè flores odorati, quia roſcidus & nebuloſus aer eſt à Nili flumine aromata quoq; minus odora ſentiuntur. Myrti mirũ in modũ odoratæ conſurgunt, ad fragrantiã non parũ annus uidetur conferre, quũ præcipuè ſqualidus inceſſerit. Montibus, ut ſimplici tranſigã ratione, roſæ, uiolæ, & reliqui flores odore cedunt. Quorundã ſuauitati gratias ineſt. quædã quum uirent, non olent, propter humorem nimium, ut buceros, quod eſt fœnogræcum. Acutus odor non omnium ſine ſucco eſt, ut uiolæ, roſæ, croco. quæ uero ex acutis ſucco carent, eorum omnium odor grauis, ut in lilio utriuſque generis. Abrotonũ & amaracus acres habent odores. Quorundã flos tantum iucundus, reliquæ partes ignauæ, ut uiolæ ac roſę. Hortenſiũ odoratiſſima quæ ſicca ut ruta, mẽtha, apiũ, & quæ in ſiccis naſcuntur. quædã uetuſtate odoratiora ut cotonea, eademq; decerpta quàm in ſuis radicibus. Quædam nõ niſi defracta aut ex attritu olent: alia nõ niſi detracto cortice: quę dam uerò nõ niſi uſta, ſicut thura myrręq;. Flores triti omnes amariores quàm intacti. Aliqua arida diutius odorem continent, ut melilotus: quædã lucum ipſum odoratiorem faciunt ut iris, quin & arborem totam cuiuſcunque radices attingũt. Heſperis noctu magis olet, inde nomine inuento. Quibuſdam flores odorati, folia uero inodorata. Quibuſdam è diuerſo folia magis & rami redolẽt, ut coronario generi: quibuſdam fructus, aliis radix, aliis neutra pars. Iris radice tantum commendatur, unguentis & medicinæ naſcens. Nardum odore uehementer iucundo placet cuſtoditq; ſuaueolentiam pertinaciter. Olet utique cyperum. Gallicum caule tantum & radicibus odoratum habetur: quare ut frugi ſyncerumq; recondatur, in manuales faſciculos digeritur, & pauimẽto humenti charta prius inſtrato componitur, & poſtridie diei huius ſordes & puluis quo obſitum erat eximitur. Aſarum totum ſentitur odoratum, ſed radicibus odor ineſt cinnamomo proximus. Permulta nardum odore ſimulant. Phu radici iucundus odor, uim quandam nardi referens, non ſine tamen uiroſa grauitate. Malobathrum odorem nardi reddit, ut aſarum, & Neris. Amomum odore origanũ æmulatur. Caſia uinũ naribus obolet. Cinnamomo odor ſere, qualis in cardamomo inuenitur, niſi caput acrimonia tentaret. Coſtum odore ſuo nares ualidè ferit. Iuncus odoratus confricando roſæ odorem emittit. Aſpalathus ſuauiter olet, item calamus odoratus. Agalochum odore iucundo ſuauitatem commẽdat animæ, colluto iure decocti ore. Helenij radix odorem expirat non iniucundum. Croci ſubacutus odor ſi non incolume ſitũ redoleat. Saliunca tantæ ſuauitatis eſt, ut ueſtibus eam interponi ſit gratiſſimũ. Iucundè olet ononis quum recens eſt: ſenectam ſentiens, totã exuit gratiam. Laueris folia trita odorem ſpirant ſuauem. Mentha & menthaſtrum non inſuauem uibrant auram. Nepeta gratum pulegij odorem imitatur. Saluia uehementi fragrat odore, ſic ut quadam tenus oleat uirus. Dictamno inter ſiſymbrium & ſaluiã odor ſubeſt iucundiſſimus. Thymum, ſerpillum, thymbra iucundum efflant odorem. quapropter coronamentis naſcuntur. Longè ſuauiſſimum ſampſucus ædit. Ocymum odoris uehementia caput ferit. Smyrnio ſuauitas ineſt medicata, uerum acrimonia gratiam diluit. Botrys mira iucũditate ueſtes cõmendat, quare conſpergitur armariis. Artemiſia minor odorem ſampſuci refert. Non deſunt herbę, quę ſibi aliorũ odores adſciſcãt. Scordiũ allij odorem mutuatur. Aiuga pinus odorẽ emẽdicauit, unde ei nomen chamępitys. Trifoliũ erucam ſubolet. Xanthium olfactu naſturtium æmulatur. Apiaſtrum citreum malum olet. Hypericí ſiliqua digitis friata reſinoſum reddit odorẽ. Marrubium olfactu pomũ repręſentat. Smyrneon odore myrrham mentitur, ita ut alterum alterius loco cedat. Paſtinacæ dauciq; radices odoratæ eſculentæque ſi coquantur. Grauí odore prædita ſunt, marinum abſinthium, ballote, aloe. polium, cannabis & apocynum grauiter olent. Mandragoræ

uiroſus

uiroſus ineſt odor. Cicutæ graueolentia. Anagyris tetrum quẽdam eructat halitum ſi uel rami moueantur, uel frutex ipſe quatiatur. Sed de iſs multa quæ ad differentias foliorum pertineãt ſuperius memorata ſunt. Verum quòd in eadem ſtirpe aliquæ partes odoratæ, aliæ prorſus inodoræ ſentiuntur, id excoctioni ferendum eſt acceptum. Quæ uel in flore potius uiget, aliis in fructu, aliis in frondibus & ramis. Roſa ſuauem efflat odorem. item croci flos. eorum tamen matres aut olent, aut odore penitus uacant, in quibus quæ infirmiori ſapore prædita ſunt, odoribus etiam ſuis grauitatem quandam repreſentãt, ut lilijũ. Quædam nullam penitus reddunt ſuauitatem, ſed graue uirus redolent. Quę diluta nihil linguæ reſipiunt, hæc omnia pene ſentiuntur inolida. Siquidem odor in miſtione quadã conſiſtit. Verum quæ nimio humore ſunt imbuta, nimiam aquæ uim reddunt, quæ non recte permiſceri poteſt. Sapor etiam natura aquoſa conſtat. Atqui humor & aqua principia quædam habentur inolida. Alterum miſtionem reſpuit: alterum copia ſui nõ ſuſtinet, quæ res ab odoris ratione prorſus abhorrere dinoſcitur. Porrò quæ uberiore ſatiantur alimento, ſeu quæ paluſtribus degunt, hæc odores nutrimentum planè referentes, graues eructãt. Ergo cum radicibus, caulibus, ramis, eadem inuenietur mixtura, idem ab iſs odor expiratur: quibus uaria, diuerſus exibit. Minores arborum flores odoratiores ſemper erumpunt. plus enim terræ in maioribus ineſt humori. Si tamen hæc non placet ratio, alia abs te melior ineunda eſt. Multis floribus nullus inſidet odor, utpote quum in eo prima & leuiſſima peragitur coctio, ſiue ſiccitas, ſiue aliqua ſucceſſerit mutatio. Odorati quoq; flores erumpente primũ fructu ſuauitatis ſuæ gratiam exuunt, quòd iam plus inſit humoris: niſi ſint qui ſuopte freti ingenio ſub hac ui ſuum ualeant odorem tueri. in ſumma fructus qui ſuaui guſtu ſunt, bene olent. Ex dulcibus nulli, & eo minus, quo dulciores ſentiũtur. Mala dulcia odorem minimè remittunt: nanq; ſuccus dulcis, craſſior atq; terreſtrior eſt, quum in fructu fuerit miſtus. Odor autem humore tenuiori, ſicciore, proſpiratuq; facili cõflatur: ſic dulce pertinacius eſſe cenſetur, quàm ut tenuem poſſit auram in nares expirare. Odor ut ſummatim loquar, inuenitur, ubi nonnihil acrimoniæ aut pinguitudinis ſubeſt, ut lauro, cedride, terebintho, Fructus item uinoſi, ut myrti baccæ odore pollent. Nec ſecus frutex talium parens odoratus apparet: nec mirũ, quum acrementum aliquod præſeferant. Eadem & coronamentorum ratio, ut ſerpilli, ſiſymbrij, & quorundam quæ in olera recipiũtur, ut apij, menthæ, rutæ, quibus ſiccitas aperte ſentitur. Porrò quicquid ſapidum fuerit ſicco remiſtum, uim aliquam pariat odoris definiẽdum eſt. Quę ſiccaneis, tractibusq; quibus placidior arridet aura, ſuauiora odoratioráq; proſiliunt. Quippe quũ exhauſta parte quadam humoris calor melius ſuo fungitur munere, reliquiaſq; cõcoctui cedentes perficit. Siccitas enim nõ parum odori ſuffragatur, eoq; ſpectant odorata. cuius rei fidem facit, quòd æſtuoſis regionibus, meliora odorum genera proueniunt. Non deſunt quæ ſiccata redoleant, uiridia nullum proſpirent odorem, quo in genere calamus & iuncus odorati nunc aſſignantur. Nonnulla poſtquam inaruerint, uegetiorem reddũt odorem, ut iris, ſertula campana, œnanthe. Sunt tamen quæ contrariam nacta ſint cõditionem, quare uel odores exiles ſpirantur, ut in floribus fere cunctis qui uirides atq; recẽtes notantur odoratiores. Verum curriculo uel potius momento temporis euaneſcente halitu fugaces hebeteſcunt, aut certe ualidiores edurant, ut eorum quibus terreno magis aquoſa uis ammiſcetur, qua per uetuſtatem exareſcente, quodam temporis ſpatio ualidiorem uibrant odorem. Hoc in genere cotonea mala collocantur, & è coronamentis quę odoris acrimonia ualent ut abrotonum, ſampſuchum, crocum. Quædam etiam ſuis arboribus decerpta fiunt odoratiora, quòd alimento defecta longè maiorem humoris iacturam faciant, quæ à parẽte non poteſt quum eruta ſint reſarciri. quare nullo amplius fulta cibo marceſcunt. Sic penſiles uuæ, quòd per ſe nonnihil concoctionis adipiſcantur, magis olent. Sic in herbaceo genere uirentia quædam nihil repręſentant odoris, ſiccata tamen redolent, ut fœnum græcum. Vinum quoq; uetuſtate ſibi ſuauiorem conciliat odorẽ, quòd efflata parte aquoſa diſcuſſoq; uapore perficitur. Sic multa quidem ignaua alioqui ſibi per ſenectam adſciſcũt odorem. Cæterum debilium odor ut fugax, ita celeriter euaneſcit, ut uiolæ tam nigræ quàm candidæ. Roſa odorem ſuum ſicca tuetur, quanquam à longe uirides etiam gratum eiaculentur, ſiccæ nõ niſi propius admotæ. Nanq; iam duratæ uernaculi

naculi caloris inopia halitum efflare nequeunt. Habentur & aliqua quę nimium reſiccata deterius oleãt, ꝙ acriorem durioremq; iactent odorem. Serpillo, ſiſymbrio, rutæ, multisq; ſylueſtribus herbis odor ineſt durus omnis expers dulcedinis, urbanis eiuſdẽ generis mitior. Perſæpe flos in eorum genere quæ odorata ſunt, non ſpirat, ſicut in multis odore carentibus flos iucundo odore percipitur. nanq; floris ipſius naſcendi conditio quædã tradidit. Quod uerò coquitur, alijs quàm prius eſſet mutationibus obnoxium ſe fatetur. Igitur in ijs quę uacant odore, flos horum, quum humor excoquitur, odorem nonnullũ contrahit, quia concoctio in quadam mutatione uerſetur. Contrà quæ odorata ſentiuntur, odorem hac permutatione uarient neceſſum eſt. quòd ſi planè teſtentur odorem, flos minus exiliet odoratus. Hæc enim diuerſitas priſtinum odorem hebetat, & eius ſuauitatẽ retundit, uernaculumq; calorem infirmat. quare flos merito à ſuæ parentis gratia degenerabit. Fidem facit huius rei, quod in ſuccis euenit qui ſolem ſentiunt, uel ignem experiũtur. Quippe facta mutatione quidam in melius uergunt, alij in deterius prolabũtur. Vis enim caloris alteros concoctione perficit, alteros ex ſua conditione perfecta deturbat. Porrò cũ res aliqua ſuo fine fruitur, permutans in deterius ruat neceſſum eſt. Ignauia quædam hebetatioq; ſynceri odoris accedit, quum emollitus ipſe cœperit elãgueſcere: fitq; ut ſuccus ſuapte natura ſiccus in floris prouẽtu diluatur. quum aliàs flos gigni nequeat, aliqua fiat odoris iactura par eſt. ſi dulces fructus natura creet, flores dulcedinem quandam ex parte maxima reſipient, quaſi mero uidelicet acremẽto iam detracto dulceſcat odor ac hebetior exoleſcat. Fructus ſylueſtres atq; feri, ſui generis urbanis traduntur odoratiores, ut mala, pyra, ſorba, meſpila. ipſorumq; malorum tam agreſtium ꝙ ſatiuorum quæ ſunt acerbiſſima, ſuauiſſimè redolent. Atqui quum odor coctura quadam cõtrahatur, quæ maximè cocta fuerint, ea melius olere putandum eſt. Verum odoris ratio in cõcoctione minus abſoluta ꝙ ſaporis uerſatur. argumento quòd mala pyraq; plus reddunt odoris, ſi in plenum cocta non ſint: plus tamen ſapiunt, quum perfectam aſſequuntur concoctionem, quod in primis ſuccorũ mutationibus deprehendi nõ fuerit difficile. Nam quum flatilis quædam ſit odoris conditio, excoctus iam ſuccus pauciorẽ halitum ac auram poteſt expirare. tum ergo minus odoris eiectabitur, quumq; concoctu craſſior exultat, dulcedinem ſenſui gratam uſurpabit. Sylueſtre genus itaq; priori coctione contentũ uehementiorem concipit odorem. Vrbanum ꝙ perfectiorem adipiſcitur coctura, alimentoq; ſaturetur, ſuccos in dulcedinem uertit, ſed odoris ignauiam ac hebetudinem colligit. Porrò nõ parui refert in odoribus, ſi ſiccitas, alimenti parſimonia, diffłatio commoda proceſſerit. quandoquidem quæ ſiccaneis erumpunt, pauciore contenta nutrimento. Item quæ placido perflãtur ſpiritu, proculdubio noſcuntur odoratiora. Etenim humor ſeſe largius immiſcens, odorem obtundit & eius hebetat acrimoniam. Quæ dilutis & opacis tractibus degunt, inodora percipiuntur. Cæterum genus ſylueſtrium aridius cernitur, ieiuniore donatum habitu, nec ſi lens à flatu, ſed magis atque magis auræ patens: hinc feruentior natura, quæ proſpirat, tenuiorq; ſuccus halitui facilè cedens, quum nec ſuccum urbani modo carni permiſtum gerat; quibus in unum coeuntibus, non minimè gliſcit iutus odor, quod in uino licet perſpicere. Vinum enim dulce utpote quod pingue ſit ac craſſum, nullum effundit odorem: ſed quo tenuius fuerit hoc ſentietur odoratius. fitq; cũ fex ſidit ac ijt peſſum, ut humoris partisq; terrenæ diuortium efficiatur, aquoſamq; ſortem calor exhalet, ſic ut illa ſuauis olentia ijs tribus concilietur, extenuatione partium, diuortio, & halitu. Nam in dolio, uinum quod feci uicinũ iungitur, minus redolet. Atqui quæ largum exhibent odorem, infatuam guſtui mollitiem repræſentant: quippe cum odor ſuauis & plenior illa uehementia, in eadem uerſari ſede nequeunt. Quare ſi cauſæ tamen odoris ſaporisq; modus adſit, quod ex ijs conflabitur ſuauiſſimũ erit. Cæterum quorũdam florum odor ſuauiter ſpirat è longin quo, propius allatus hebetatur, ut uiolæ. Id autem eſt cauſæ, ꝙ ad remotiorem locum merus odor ſyncerusq; defertur. manant enim à cæteris partibus herbæ nonnulla, quæ permeare longius nequeunt, ꝙ terrena craſſioreq; conſtent natura. quippe odorum ſynceritas generi imbecilli ualentiore miſtura cõmodior eſt. exempli cauſa. Myrtus mulſo macerata, melius ꝙ ſyncera redolere incẽſa putatur. odor enim melior & dulcior redditur temperatus. Sunt & ſucci qui miſturam deſiderẽt ad conquirendã ſuauitatem. Omnino odo-

f res pluri-

res plurimi ſynceriores mane ſentiuntur, die creſcente minus, meridie minime, ꝙ omnia ſol reſiccet. Ad iuuandos odores magni refert cæli temperies: quod in herba heſperide patet. hæc enim noctu plus redolet ꝙ interdiu, inde nomine inuento. Vetuſtæ porrò plantæ nouellis odoratiores ſentiũtur, ꝙ minus ijs inſit humoris ob inopiã imbecilli caloris. Nouella plus alimẽti ſugit ꝙ poſſit cõficere: quapropter copia humoris hebeteſcit odor. tam frigore ꝙ gelu odores denſatu quodam retundi manifeſtũ eſt. Nihil enim cõcreta coactáue poſſunt exprimere, ut uelut uiolentia frigoris obliterari uideantur. nullum expirat uaporem quod frigore gelatũ coaluit. Arbores ſitusq; odoratiores fieri tradũtur, in quas cæleſtis arcus inflexus incubuerit. ſed id arcus nõ per ſe, ſed magis euentu quodam exhibet: præſertim ſi qua ſubſit ambuſta proxime materia, id ſuopte conficit ingenio. Aliàs locis quibus cõſtiterit, imber procidit, qui cõbuſtæ permiſtus materiæ uaporem quẽdam odorem q; ciet. ſiquidem neq; copioſus delabitur, ſed magna ex parte ſtillatim irrorant guttæ, ita ut caloris ſiccitatis q; modus nõ deſit. Cæterũ & crematio & permiſtio creant odorem, argumento eorum quæ incenduntur: ea modice ignem experta ſubolent. Nec omnia genera odoratorũ locis omnibus feruidis prodeunt, cũ ea tamen odoris fertilia eſſe debeãt. Nanq; locis eiuſmodi hebetiora permulta traduntur. Quippe cæli & alimenti conditio imprimis cõſideranda. Etenim in Aegypto flores cæteraq; coronamenta omnium fere deterrima gignuntur, quia cęlum caliginoſum & roſcidũ habeatur, in quo nullus penè odor cõtrahi poteſt, quippe coquendi abeſt facultas: aridis longe melius excoquitur. Quæ uero circa Cyrenã proueniũt, nõ niſi ratione ſiccitatis odorata cõſiſtunt, tum cętera tum uel maxime roſa & crocum. Ager enim tenuis, ſiccus, nec nimio feruore flagrans, cælo puro ſitient i q; luſtratus, odoribus creandis aptiſſimus iudicatur. Roſa uero & crocum, pauco alimento cõtenta ſunt, & proinde cæteris odoratiora creantur. Sed occurrit miraculo dignum, quod de myrtis Aegyptijs proditur. Illæ odoris ſuauitate præſtant: quanq; cæteræ penitus inodoratæ ſentiantur. Quippe tenuis illa myrtus Aegyptia eſt, fructu exiguo, nigro, quæ facies nihil odoris rationi repugnat, utrunq; enim ſiccitati fertur acceptũ. Quapropter frondis anguſtia maior, exiguitas fructus, nigricans q; colos, maiorẽ fatentur odorem. Et in ſumma, ſylueſtres herbæ urbanis odoratiores, quæq; in apricis degunt, pręſtantiores umbratilibus exeunt, præſertim ſi ad meridiem ſpectent. ita obuerſæ minus alimenti rapiunt, hauſtumq; melius excoquunt. Cęterum odoratorũ quæ tractus frigidi pariunt rationem, calori in terra cõcluſo referre debemus: uis enim caloris utiq; percoquit. Quin & cõpulſus à frigore calor obuerſans etiam cõcoquendi naturam poſſidet, ſed neq; limoſam neq; pinguem glutinoſam'ue terram deſiderat. humore ſiquidem obſeſſus lentoreq; calor, minus probe ſuo fungitur officio. Hac de cauſa iris in Illyride melior exit, q; in Macedonia. In Thracia uerò cæteriſq; frigidioribus locis ac coctura repugnantibus, odore penitus caret. Porrò iuxta coronarias herbas, acria ut cepas, allia, & id genus ſerenda præcipiunt, id enim multum conferre ad creandam odoris ſuauitatem adfirmant. Quod ſi uerum fuerit, ad alteram harum cauſarum referre cõuenit. aut quantum inibi mali odoris adfuerit, ea ad ſe allíciunt: alitur enim unumquodq; re ſibi conſimili, attrahens cognatum uicinumq;, quo ſummoto reſiduũ purius odoratiusq; relinquitur. aut quòd locum ſuo edaci calore reſiccent: ſiccis enim locis omnia proueniũt odoratiora. Succi præterea expreſſi odores facile trahũt, & maxime oleum & uinum, quod aſſignari cauſę minus poſſe uidetur. Aqua tamen quę & tenuiſſima omniq; odore ſaporéque uidua, nitidáque, nullum poteſt odorem contrahere. At quæ craſſa, ſapida, olida, recipere poſſunt. Vinum etſi non ſit odoratum, iuxtà poſitum odorem quemuis ad ſe poteſt allícere, quòd calorem in ſe contineat, qui attrahendi naturã habet. Aqua ſuapte natura frigida nihil attrahere poteſt. Item quod excipere tueriq; odorem debet, tam tenue, ſimplex ac exile noſcitur, ut odor in eo ſuſceptus elabatur atque effuſus euaneſcat. quaſi ſedimẽtum inſit nullum quo figi & cohærere ualeat odor. Etenim denſius tantum corpuſculum calloſius'que, odoris tenax intelligitur: quod & uinum & oleum habent. Oleum odorem omnium maxime & ſeruare & tueri ualet, quòd incõmutabile permaneat. quapropter inſtitores unguentarij odoramenta in oleo mergunt, ut eorum ſuauitatem cõbibat. Ex ſiccis ea potiſſimum quæ ſoluta, inolida atq; prorſus inſipida ſunt, ceu lanę, ueſtimenta, & alia generis eiuſdem. permulta tamen armarijs

men armarijs inferuntur ut ueſtes odore commendent. Verum enimuero quod odorem contrahit, neq; præaridum ut cinerem & arenam, neq; præhumidum eſſe conuenit. illud nullo odoris tranſituí peruium patet, hoc diffundit ac diluit omnem odorem. Hinc ueſtigia leporum leuiter irrorato ſolo certius obolent, altius enim impreſſa firmiter hærẽt, nec ſublimiter uagantia deliteſcunt, quemadmodũ cum arida humus eſt: nec demerſa in profundum abolentur, ut cum terra ob imbrem uel auſtrum limoſa eſt. flatus enim & aquę ad uerſantur extinguuntq; odores. Roſa exilis & ieiuna nullum ferè odorem ciet. debito caret humore. Neque uiola candida locis admodum ſitientibus atque tenuibus odorata ſentitur, nec ubi cęlum uehemẽter feruet, quia nimis reſiccatur. Serpillum, helenium, & nonnulla generis eiuſdem, ſiccitatis ratione acrius olent: cum tamen in urbanum habitum traducuntur, mollius ſubolent. Omnia mediocritatem efflagitare certum eſt. quare magni refert temporum ratio. Neq; permulta hyeme & æſtate propter nimium humorem uel aridiratem redolent: autumnus in ijs temperiem ſeruat. Nec mirum quòd in meridie magis hebeteſcunt odores: mediam quoque temperiem aeris poſtulant. Iam ad ſapores tranſeamus. Sapor partis ſiccæ terrenæq; in humore demiſtio eſt, uel partis ſiccæ per humorem uí caloris percolatio, quod ferè nihilo differt. eadem ferè ſaporis & odoris affectio. Saporum genera numero cõplecti facile fuerit, cum & dulcis, pinguis, auſterus, acerbus, acris, ſalſus, amarus, acidus inueniatur. Saporum genera tredecim aliquibus reperiuntur, dulcis, ſuauis, pinguis, amarus, auſterus, acer, acutus, acerbus, acidus, ſalſus. Præter hæc, tria genera ſunt mirabili maxime natura. unum in quo plures pariter ſentiuntur ſapores ut uuis: nanque in ijs & auſterus & acutus & dulcis & ſuauis, omnes alieni. Alterum eſt genus in quo ſit & alienus quidem, ſed & ſuus & peculiaris, ut in lacte. Siquidem ineſt ei (quod tamen iure dici non poteſt) dulce & pingue & ſuaue, obtinente leuitate, quæ ipſa ſuccedit in ſaporis uicẽ. Nullus hic aquis, ne ſuccus quidem, ut tamen eo ipſo fiat aliquis, ac ſuum genus faciat. Sentiri aquæ ſaporem ullum ſuccum'ue, uitium eſt. Magnum in ijs omnibus in odore momentum & magna cognatio. qui & ipſe nullus eſt aquis: aut ſi ſentitur, omnino uitium eſt. Mirum tria naturæ præcipua elementa, ſine ſapore, ſine odore, ſine ſucco. Ergo ſuccorum uinoſus, pyro, moro, myrto, minime quod miremur uuis. Pinguis oliuæ, lauro, iuglandi, amygdalis. dulcis uuis, ficis, palmis. aquoſus prunis. Sua & in odore miracula. malis acutus, perſicis dilutus, dulcibus nullus. Nam & uinũ tale ſine odore, tenue odoratius. multóque celerius talia ad uſum ueniunt quàm pinguia. Quæ odorata, non eadem guſtu tenera quia nõ ſunt pariter odor & ſapor. Quamobrẽ citreis odor acerrimus, ſapor aſperrimus, quadã tenus & cotoneis. nullus odor ficis. Odorato ſapor raro ulli nõ amarus. Econtrario dulcia raro odorata. Sylueſtria omnia fere ſucco ſunt acriora, ſicut cunila, origanum, ruta. ſolummodo ex omnibus, ſylueſtre lapathũ melius. Vſus eius in cibis leniorem gratiorémque ſaporẽ præſtat. Quæ ſunt ſylueſtria in ſatiuis, ſicciora intelliguntur & acutiora. Sunt autem acres ſapores cunilæ, origani, naſturtij, ſinapis: amari abſinthij, centauriæ: aquatilis cucumeris, cucurbitæ, lactucæ. Acuti tantum cunilę. Acuti & odorati, apij, anethi, fœniculi. Salſus tantum è ſaporibus non naſcitur, alioquí extra inſidit pulueris modo, & ſiliquis tantum. Panax piperis ſaporem reddit, magis ſiliqua ſtrum, ob id piperitidis nomine accepto. Libanotis odorem thuris. Smyrnæum olus myrrham reſipit. Sapor is in herbis internoſcendus. Symphytum petræum guſtui ſiquis linguam conſulat, dulcedinem repræſentat. Graminis radices dulces in ore ſentiuntur. Sylueſtris braſſica non ſine tædio amaritudinis eſtur, quare cum lixiuo coquitur, ut ſapore non iniucundo palatum titillans, magis placeat. Scandix guſtu ſubamaro ſentitur. Lactuca ſylueſtris ſapore amarulento nõ diſplicet. Seris guſtatu amarorem plane fatetur. Paſtinacæ folia amaritudinem reſipiunt. Abſinthiũ inſigni pollet amaritudine. Aloe odore grauí guſtatuq; amariſſima. Stœchas guſtu notatur ſubamaro. Triſſago planè ſentitur amara. Chamælea ſuo amarore linguam uellicat & fauces exaſperat. Empetrum quo terreno propius fuerit amarius ſentitur, maritimis mõtibus guſtu ſalſo potius deprehenditur. Lepidio ſapor acris ac guſtum uellicans, item anemonæ: quapropter raptus naribus ſuccus à capite pituitam elicit. Hydropiper citra ullam odoris gratiam acrí piperis guſtu reſipitur, unde nomen & ab aqua duxit. Aron acre, ſed multo magis ariſaron: quare non niſi

domita coctione prius acrimonia estur. Nasturtium non paruum gustui repræsentat acrementum, quare ut arbitror, à torquendis naribus appellationem adinuenit. Dictamnum acre traditur, sed longe minus pseudodictamnum. folia nepetæ acri gustu sapiuntur. Cratægonum suo acremento linguam magnopere uellicat: nec secus clematis secunda. Rumex gratum acorem gustui sumministrat. Sapor permistione quadam efficitur, argumento quòd elementorum nullum ut aer, ignis, aqua, sibi saporem adsciuerit. Siquidem insipida est aqua: & ut ueteres testantur, talis aqua creditur, qualis terra per quam influit. nam & mare quod salsum est, & nitrosæ aquæ acidæq; mistura non carent. Terra lapis'que nisi quampiam istiusmodi mistionem capessant, nullius saporis existimari uidentur: & si terra cæteris elementis euidentius aliquem contrahere saporem liquidò constat. Nam quæ adustionem sit experta & in cinerem redacta, sentitur amara. Argilla uero dulcis, ratio tamen in promptu est, quòd partis terrenæ permistu sapor conflatur. Metalla uerò & lapidum genera nonnulla saporem gustui repræsentare certum est. Nanq; tam cinis qui exustionem expertus est, tam reliqua quæ igni domantur, saporem quendam contrahent, uel simplicia, uel humoribus commista. Sapores uersantur in tribus fastigijs, plantis, animalibus, atque ijs quæ arte parantur. In stirpium genere natura eò tendere uidetur, ut dulcedo cruditas sit, aut defectæ coctionis rudimentum. Semper enim natura par faciens, consimile nutrimẽtum reddere molitur, tam in animalibus quàm plantis. neque enim dulces sapores omnes hominibus conueniunt. nanque alij mouent insaniam, ut radix quæ carduo similis est: alij somnum accersunt, & si copiosius dentur mortem inferunt, ut mãdragoras. nonnulli lethales omnino putantur. Fidem huius rei faciunt qui pluribus in locis radices ignotas dulces atque suaues edissent, mortem oppetierunt. Contrà pleraq; amara ac prorsus insuauia iuuant, ut absinthium, centauria. quorundam sapor qui cibis repudietur, pro cõdimento cæteris cedit, ut salsus atque acutus. Cæterum dulces sapores ad alendum promptiores propius'que ad naturam accedũt. Sapor enim dulcis omnibus gratus est, nisi forsitan ob imbecillitatem humani sensus oblitescat, ut dictum prius est. Porrò stirpium omnium quibus insunt sapores, dulcem, amarum, aut pinguem dico, eos concoctione prouenire declarauimus. Siquidem omnes plantæ in suis saporibus creandis per excoctionem transeunt ex uno saporis genere in aliud. Alia ex amaro in acerbum commeant, ceu oliua: alia ex acerbo in dulcem aut acutum, ut pyra. Etenim quæ acuta sunt acerba prius fuere. Alia primum acerba fuerunt, mox acuta, deinde dulcia sentiuntur, ut uuæ. Quippe plurimas mutationes uua recipit, & omnino quæ saporem uinosum sortiuntur. primum enim dilutus quasi sapor sentitur, proxime acerbus, tum acutus, hinc nouissime dulcis. Sic morum acutum ex acerbo, & dulce ex acuto conficitur. & in alijs idem hoc usu uenit. Quippe uinosæ dulcedini proxime sapor acutus adiacet. Morum cum rubet acutius est quàm cum albescit. quo tempore propius ad excoctionis finem accedit, tunc creatio destinati saporis obtingit: cum albescit autem, acerbitas à dulcedine remotior est. Qua de causa & siccius albescens est morum, humentius cum rubescit, ceu iam succum saporem'que suum adipisci cœperit. Fructus omnino primum siccus, deinde humescit. & hæc est saporum creatio humore plenius influente, ac uelut articulato perfectius augẽte. Nec temere maior pars fructuum acerba principio esse solet, quoniam sicca est. sed omnium humidorum siccissima esse putantur, quorum succus lacteus est, ut ficus: quibus gradatim ad perfectionem transitus fit. Cæteris pro fine interdum cruditas est. Sunt enim fructus complures qui & amari & acerbi & acuti suapte natura perficiuntur. Porrò quędam principio uelut insipida dilutáque sunt, quorum perfectio protinus aduenit ante quàm plures fiant mutationes, ut frumenta, triticum, hordeum: neque dulcedo procul abest. itaque nihil uaria mutatione fuit opus. Quapropter gemina gignendi saporis ratio est. Altera ex crudis ac pluribus ad perfectionem transit: altera insipida insuauisq; simplici uia ex natura cõfici solet, aut in annuis aut in arboribus. nam amygdalũ principio aquosum sentitur, quamdiu uiride fuerit: siccescens autem, pinguiusculum. Sic & alia quædam in eo genere perficiuntur, quorum uel putamina uel acerba sunt, uel acuta: quòd omnes sordes omnem'que terræ callum eò uis naturæ secernat. sic natura ex commistis saporibus simplicem excernere saporem proiectione noscitur. Quocirca res contra quam in cęteris

euenire

euenire creditur. Quippe cæterorum creatio permiſtione conficitur, iſs detractione, ſeiunctioneq́, principio dulci. Sic ſaporum creationes ex contrarijs in contrarios trahi putandum eſt. Omnium cõmunis materia humor ſubeſt. Agit & immutat calor, tum internus, tum externus, qui generi ſtirpium accõmodatior habetur. Sunt certe mutationes ſuccorum, quemadmodum fructuum cum expreſſi fuerunt, in ſapores coctionis & corruptionis. quod liquet in uino, quod adultum & ſuo uigore, & in ſenecta fugiens, certis ſaporibus indicatur. uetuſtate ſiquidem amareſcit, quod aeri offuſo ferendum eſt acceptum. Enimuero exigitur id quod tenue atque potui fuerat idoneum: quo exoleſcente terrenum amarum'que relinquitur. quod ſi per uiolentiam atque præter naturæ inſtitutum demutetur, coaceſcit. Corruptionis labe uitiatũ degenerat in acorem. nam ex acuto in acutum uelut materiam reſoluitur. Quod corrumpitur, perhumeſcit & ſæpenumero coaceſcit: quod ſeneſcit ac uetuſtate conficitur, reſiccatur, parte terrena duntaxat extante. cum uitium corruptionis ſenſit, raro ad ſe redire poteſt. Cum per ſumma uinum fuerit immutatum, aut ſyderis ortu aut maris permiſtione, idem uitium contrahere ſolet. Saporum genera in plantis & fructibus præter ſalſum inueniũtur. In genere ſtirpium ſalſugo nulla ſentitur: quanquam ſint quorum ſummam partem ſalſilago quædam obducat, ut cicer. Salſum nihil alit, nihil quoque creat. argumento, quòd ſalſis tractibus nihil prouenit. Nam ſalſum & erodit ac gignẽdi uires eximit. Addo quòd ſalſus humor à nullo hauritur, quòd & ponderoſus ſit & minime cibo idoneus. allicit enim unumquodque quod ad alendum fuerit aptiſſimum. nullam enim uel mutationem uel corruptionẽ ſentit: quin potius alia omnia uindicat à putrilagine. Quæ tamen in aliquibus inuenitur ſalſilago, ſummis in partibus reſidere cognoſcitur, tanquam ex aere, uel uapore qui ſurſum feratur contracta: aut radicibus ſummatim tracta tãquam ſordes erumpit. Ciceri familiaris & perutilis ſalſugo eſt. abluta enim ciceris herba dum floret aut ſiliquatur, radicibus arefactis emoritur. id enim natura ciceri cõdonauit ut uernaculum quo poſſet ſe tueri ac cõſeruare. Quæ uero in ſolijs ſuis talem adoptarunt ſaporem, ablutione in aqua relinquunt. is guſtu ſi lingua conſulatur, aperte deprehenditur. Cæterum non in carne ſed putamine fructuum ſalſilago reſidet, ut incluſum ſemen à corruptionis labe uindicetur. itaque nonnullorum ſiliquas natura muniuit, ſaporis ſui cuſtodiendi gratia. nanque & ab internis tanquam intrinſecus æditum excerni tanquam alienum, expuiq́; foras conſentaneum eſt. ſicuti cucumerum amaritudinem per ſumma ſentimus. Genus quoddam pyrorum tradit Theophraſtus Cariæ familiare, quod tam ſalſa obducitur lanugine, ut non eſtur niſi frequenter aqua ſublua tur. Nec mirum in glandibus amaritudinem inſidere, & bulbis cacumine, & allijs acritudinem ſtylo ſpicæ inteſtino teneri. Quapropter latiſſime patet, & ſi ſolum nihil ſapiat ſalis, quod ibidem naſcetur pro naturæ cõditione nonnihil hauriet ſalſuginis. Multa etiam & ſuauiora & meliora eo ſapore redduntur, ut braſſica. acritatem enim & amaritudinem braſſicę inſitam abſumit ſalſilago. Fragile etiam quoddam efficit corpus totum, nimio humore ſublato. quippe ſal ad exhauriendum abſumendum'que humorem aptiſſimus. Ea cum mandatur igni melius coquitur, tenereſcit, dulcis'que ſentitur. Nanque & iniectum & teneritudinem & decoquendi facultatem leguminibus adfert. Salſugine roſa ægrotare traditur: quanquam rigatu non inſulſo multæ iuuentur arbores. Natura ſalis, ut Plutarchus ſcriptum reliquit, defuncta corpora à putrilaginis labe uindicat. Nam cum mortuis inſpergitur, iſs repugnat quæ ipſos trahunt in corruptionem, & ea debellans harmoniam retinet, & mutuam partibus amicitiam conciliat, uelut diuina quædam anima quæ uiuentes tuetur, nec in marcorem fatiſcere patitur: ſed uitam retinet, nec corporis molem uel labi uel corruere ſinit. Sapor & ſuauitas aliquibus oleribus & herbis inſidet radicibus, cæteræ partes minime reſpondent. item aliorum caules plurimum dulces & cibi aptiſſimi ſunt, folia minime. Cauſa creditur quòd ſuperiora dilutiora, humidioráque, radix tamen & caulis quia minus habent humoris, dulcedinem reſipere queunt. aut contrà: ſi ſuperiora nimium ſicca, ut in arundinaceis, pars eorum ſuperior areſcit, inferior roſcida eſt. Sapor neque in ſiccitate neque in humore nimio reſidet. ita efficitur, ut graminis radix dulcis habeatur, partes ſuperiores ſiccitatis cauſa inſuaues ac inſipidæ noſcantur. In apio radices carnoſæ ſunt & gratæ palato, folia acriora animaduertuntur. In Aegypto, ut ferunt,

arundo tota dulcedine scatet, sed pumila & breuis, ut tam superiora quàm inferiora humore satientur. Verum ut summatim dicamus, sapores naturæ uires nobis ostendunt. Astringens terrestri frigidaq; constat substantia, quapropter contrahit, densat, repellit, refrigerat, siccat. Acidus aquosa & tenui frigidáque, proinde citra calfactionem incidit, extenuat, diuidit, uellicat, obstructiones laxat. Amarus terrestris à calore bene laboratus tenuior astringente, ideo citra apertũ calorẽ expurgat, deterget, digerit, menses mouet, è pectore pus elicit. Insipidus sapor frigidus est & aqueus, ideo cogit, contrahit, incrassat, extinguit, densat, stupefacit. Acris eximiè calidus igneæ naturæ: quapropter extenuat, purgat, calfacit, attrahit, digerit, urinas molitur, sudores excernit, mẽses ciet, exest, adurit, crustas gignit. Salsus sapor terrestrem calidam que possidet naturam: ideo cogit, densat, contrahit, absterget, resiccat, diuidit. Dulcis sapor naturæ amicus paulo nostrum superat calorem, quare concoquit ac maturat, laxat, rarefacit. Oleosus humectat, mollit, laxat, aeria conditione. Etsi inodora crassis constare partibus, & odorata fere tenuibus constitit inter omnes, non tutum tamen fuerit uires & temperaturas ijs experiri. Nam quantum uel caloris uel frigoris illa referant, aut hæc quantam tenuitatem partium aut quãtum calorem, compertum non est. nec certum à coloribus ferri potest iudicium, quòd in unoquoque colorum genere & calida, frigida, humida, sicca reperiuntur. De ijs tamen omnibus noscendis, ad gustum tanquam iudicem æquum referri conuenit, qui continuo talium occursu dimouetur, ut merito super ijs sit consulendus.

De insitione. Cap. XIX

SAtionem arborũ aues primum docuere deuorato raptim per famem semine, & aluí madido tepore cum fœcundo fimi medicamine in mollibus arborum lecticis abiecto, & uentorum impetu sæpius in hiulcas corticum rimas trãslato. Vnde uisitur enata cerasus in salice, platanus in lauro, laurus in ceraso, & bacteæ simul discolores. Tradunt & monedulam semina in thesauros cauernarum cõdentem, eius rei præbuisse causas. Hinc nata inoculatio, quæ operiens in arbore oculum excíso cortice, gemmam ex alia sublatam includit. Insitionem casus magister ad hunc modum exposuit: Agricola sedulus casam sepis munimento cingens quo minus putrescerent sudes, limen ex hedera subdidit. at illæ uiuaci morsu apprehensæ ex alieno fecere uitam, truncus que pro terra fuit. ratio postea duplex. Prima inter corticem & lignum inserendi. Timebant prisci truncum findere. mox inforare ausi, in medio, ipsiq; medullæ calamum inserentes unum imprimere. neque plures capiebat medulla subtilior. postea ut mortalitati eorum succurreretur, ratio numero uel senos adiecit, succurrere per suasa trunco per media fisso, cuneóque tenui fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus. Tria sunt inserendi Græcis genera, aut sub cortice, aut in trunco, aut emplastro. primum encentrismon, secundum emphyllismon, tertium enophthalmismon uocant, nostri inoculationem. Quæ densiore libro uestiuntur arbores, & ex terra copiosum sugunt humorem, quales noscuntur ficus, olea, cerasus, sub corticem inseri desiderant: sed ante cuneus tenuis ualido ligno constructus quo facilius imprimatur, inter corticem & lignum paulatim adigatur, sed tam diligenti manus libramento, ne corticis fascia disrumpatur, subductóque leniter cuneo statim surculus mergitur. hanc inserendi rationem emphyllismon appellant. Porro quæ tenui cortice cinguntur, pauciori humore contentæ & foris exuccæ, tanquam humor relicto cortice in interiorem medullam se recipiat: quales citrea malus, & uitis, & aliæ complures intelliguntur, fisso ligni medio surculi infiguntur. hunc modum insitionis Græci uocant encentrismon. In utroque genere confestim inserendum surculum præcipiunt, ne diuturniore mora nativus humor exancletur. Surculi qui inseruntur sint nitidi, fertiles, nodosi, ab arboris parte quæ ad Aquilonem spectat acutis falcibus decisi, de nouo nati, leues, frequẽtibus gemmis prægnantes, bifurci uel trifurci, ab imo crure simplices, crassitudine digiti minoris, bimi, nam anniculorum saliua sursum recurrens auocatur. Falcis mucrone ab una parte instar scriptorij calami salua medulla rescindantur, sic ut lignũ ligno & cortex cortici possit committi. Surculi derasum acumen cum fistula & hiatu in quem imponi debet, æquali constet magnitudine, ita ut exacutio & fissura stylum excipiens, binos digitos non excedant

cedant: quibus iuste coeuntibus nihil adimendum suadent. Vulnus tantum argilla mu-
niendum, quòd flaua terra caudiculos exurat. Porro magnam insitio affert utilitatem,
quòd arbores in se etiam comprehendentes & uberiorem & pulchriorem fructum largi-
untur. Surculos finiente luna uel silente uellendos, decem aut paulo plures dies ante insi-
tionem iubent, operto sic uase ne qua expiretur aura. Cæterum oportet surculos adhuc
occlusos non dehiscere, insitos'que ad germinationem properare. quare decem antè die-
bus aut plusculis, qui insitioni destinantur, legendi sunt. Sed edocenda ratio cur statim
eruti non sint inserendi, quippe si feruens adhuc turgens'que surculus in capacem rimam
immittatur, necessum est quippiam eius emarcescere antequam in unum coalescat cor-
pus: fungosam laxitatem inter excipiens lignum, & hospitem surculum intercedere, in
cuius rimas hiantes subiens aer, prorsus in unitatem coire non patitur. Quòd si dies ali-
quot prius uase claudantur, faceret omnis iniuriæ suspicio, neque uinculorum laxans
mollities infestabit, neque inspirans aer officiet, sed breui tempore comprehendent. Sur-
culi aquilonio flatu ruente non sunt inserendi, austro spirante potius. quoniam ut imber
insitionibus in trunco prodest, sic insitioni sub cortice nocet. In trunco, ad Aequinoctium
autumni usque celebrari optime potest: in cortice, aduscꝫ brumam, et post Fauonij flatus,
qui septima Februarij die spirare incipit, uscꝫ ad solstitiũ. Sunt qui optimã in trunco præ-
dicent post Canis ortum: rursumcꝫ æstate post restinctos Caniculæ feruores. Si surculi à
longinquis tractibus deferantur, infixi luto in uase diligenter oblito, ne uentum sentiant,
asportantur. Multa in ijs generibus seruanda. primũ omnium quæ patiatur coitum talem
arbor, & cuius arboris calamus. subesse debet omnibus succus, sed uarie, nõ eisdem parti
bus. Vitibus ficiscꝫ media sicciora, & summa parte cõceptus. ideo illinc surculi petuntur.
Oleis circa medias succus, inde & surculi, cacumina sitiunt. Facillimè coalescunt quibus
eadem corticis natura, quæcꝫ pariter florentia eiusdem horæ germinationẽ surculorumcꝫ
societatem habent. Lenta enim res quoties humidis repugnant sicca, mollibus corticũ du-
ri. Obseruãdũ item ne fissura in nodo fiat, repudiat quippe aduenam inhospitalis duritia,
ut in parte nitidissima, ne lõgior multo tribus digitis, ne obliqua, ne trãslucens. Virgilius
ex cacumine inseri uetat. Certumcꝫ est ab humeris arborum orientem æstiuum spectanti
bus surculos petendos, & è feracibus & è germine nouello, nisi uetustę arbori inserantur.
ij enim robustiores esse debent. præterea ut prægnantes, hoc est germinatione turgentes,
& qui parere illo sperauerint anno. bimi utiqꝫ, nec tenuiores digito minimo. Ante omnia
gemmantes nitere conueniet, nihil usquam ulcerosum, cicatricosum aut retorridum. Spei
fauet medulla calami, si in matre ligni corticiscꝫ iungatur. calami exacutio medullã ne nu-
det, tenui tamen fistula detegat, ut fastigatio leui descendat cuneo, tribus non amplior di-
gitis. Calamus ad corticem uscꝫ suum deprimatur, ne laxetur, ne replicetur in rugas. ideo
lachrymantes surculos inseri non oportet, nec etiam aridos: quia illo modo labat humore
nimio cortex, hoc uitali defectu non humescit nec concorporatur. Id etiam religionis ser-
uant, ut luna crescente utraque calamus deprimatur manu. Validius demissi tardius fe-
runt, fortius durant. contrarium ex diuerso. ne hiscat nimium rima, laxéque capiat, aut ne
parum exprimat, aut compressum necet. Hoc maxime præcauendum, ut prætualide acci-
pientis trunco in media fissura relinquatur. Quidam uestigio fissuræ falce in truncis fa-
cto, salice prę ligant marginem ipsum, postea cuneos figunt, cõtinente uinculo libertatem
dehiscendi. si crassior truncus inseratur, inter corticem & lignum inseri melius est. Ficus,
ut Diophanes est author, inseritur moro & platano. morus uero castaneæ & fago, malo,
pyro syluestri, terebintho, ulmo, albæ populo quo coniugio candida nascuntur, moro. Py-
rus inseritur punicæ malo, cotoneo, moro, amygdalæ, terebintho. si pyri surculi moro fi-
gantur, rubra pyra creabunt. Malus inseritur omni pyrastri generi. eadem cotonei coi-
tu fœcundata, poma dabit præsertim quæ Græci melimela nominant. similiter & pruno
adigitur: sed inito platani consortio, rubra mala proueniunt. Nux in arbutum solam inse-
ri uoluit, cæterarũ fere societatem horret. Punica uarijs arborum adulteris gaudet, ut sali-
cis, laurus, fraxini, damascenæ pruni, & amygdalæ. quibus omnibus miscerí lætatur. Da-
mascena syluestri pyro cuiuscunque generis, cotoneæ malo, & pomo impacta coalescit.
Castanea iuglandi, fago, & robori infixa cõprehendit. Cerasus nec persici nec terebinthi

reſpuit hoſpitium: nec contra, ceraſi terebinthus & perſicus. Cotonea oxyacãthæ conſortium non aſpernatur. Myrtus ſalici inſeritur, & prunus damaſceno & thaſiæ nuci, hoc eſt amygdalæ. Citria malus cum tenui libro ueſtiatur, uix ſubter cutem recipit aduenam ſurculum, in nutritio parentis ſinu potius alitur. Poſt coalitum emarceſcit, quod ſæpius probaſſe Diophanes aperte teſtatur. quòd ſi fructum pareret, in cedromela ſcribit degenerare. ſi tamen quis citrium in morum inſeuerit, rubra feret poma. Cotonea malus & caprifi cus, arboris cuiuſcunq; conſortium ineunt, nec ulli ſurculo denegant hoſpitium. Citriam malum in punicæ trunco fixam ali Didymus in Georgicis ſcriptum reliquit. Florentinus inſitam ceraſo uitem uuas uere ferre promittit: eandem'que oleæ impactam fructum promere, qui utriuſque parentis adoptione elæoſtaphylos Græcis dicatur. Odorata pyra q̃ optime, ut Diophanis teſtatur experientia, in malis comprehendunt, ea myrapidia nominat. Emplaſtratio & ipſa ex inoculatione nata uideri poteſt. craſſo autem maxime cortici conuenit, ſicut eſt ficis. Ergo amputatis omnibus ramis ne ſuccum auocent, nitidiſſima in parte, quáque præcipua cernatur hilaritas, exempta ſcutula, ita ne deſcendat ultrà ferrum, cortici imprimitur ex alia cortex par cum ſui germinis mamma, ſic compage denſata ut cicatrici locus non ſit, & ſtatim unitas fiat, non humorem, non afflatum recipiens: nihilominus tamen & luto munire & uinculo melius. Hoc genus non pridem repertum uolunt qui nouis moribus fauent, ſed apud ueteres Græcos inuenitur. Emplaſtratio ſolis arboribus conuenit quibus pinguis ſuccus in cortice eſt, ut ficis, oleæ, perſico. fit autem hac ratione: ex nouellis ramis feracibus & nitidis gemmam quæ adoleſcendi ſpem tibi dabit, duobus digitis quadratis circumſignabis, ut ipſa ſtatuatur in medio: & ita corticem ſubtiliter acutiſſimo ſcalpro ne gemma lędatur, leuabis. Item ex arbore cui uelimus inſerere, ſimiliter cum gemma tolletur emplaſtrum, nitido tamen atque uberi loco. tunc ibi conuenienter aſtringitur, et preſſum circa gemmam uinculis cogitur ſine germinis offenſa cohærere, ut ea quæ appoſitè redditur locũ gemmę prioris includat. tunc luto ſuperlines, & liberam relinques gemmã. Ramos ſuperiores arboris ſecabis ac ſtirpes, & uiginti diebus exactis reſoluto uimine uinculorũ inuenies externi ſeminis gemmam mire in arboris alienæ membra tranſijſſe. Didymus inoculationem ante æſtatis ſolſtitium tempeſtiue celebrari prodidit, quamuis ipſe circiter uernum æquinoctium cum germinatione turgent arbores, & gemmis grauidæ geſtiunt, à die tranquillo cum cælum ſilebat, inoculationem etiam ſpei fauentem auſpicatus eſt. Sed quæ inoculatur arbor nodis & agnaſcenti ſobole, comáque debet eliberari, relictis uberioribus nitidiſſimis'que ſurculis, qui huic inſitioni deſtinantur. Fœcundæ arboris ex anniculo germine nitidum oculum ceu gemmam aſciſcere conuenit, circumraſo acie ſcalpri diligenter cortice, & caudici in alterius ueſtigium imprimere. Purum corticem erugatum nec ulla ſui parte cicatricoſum ligare exacte decet, & lignum integrum & inuiolatum ſeruari. Hoc enim perquam neceſſarium fuerit. Feliciter cedit ſi recepta hoc hoſpitio gemma in alterius ſedem incidat. nam ita dubio procul comprehendit. Citra quoq; gemmam uel oculum in pullulatione, altera caudicis parte inſitionem hanc moliri nihil uetat. Cæterum cortices craſſitudine pares eſſe debent. & ubi coaluerunt, amputandum quod ſupra compagem prominet, ne eò loci feratur alimentũ, & à coalitu ſuccus auocetur. cum ſurculi tria monſtrabũt folia, uincula ſunt reſoluenda. Didymus ſæpe non detracta ab anniculo ſurculo gemma, ut refert, per ſe relicto in ſurculo inſigni oculo inſeuit, à tergo gemmæ corticem delibrans & lignũ inſtar ſcriptorij calami ſcalpens, cum ligno quod remanſit, in ueſtigium uel lacunam impreſſit, generoſioresq; ſibi arbores comparauit. Siniſtra ſurculorum latera quæ inoculationis bene ficio coaluerunt, ſuos partus liberaliter fœnerãtur. Nec eſt prætereundum ſilentio, quòd prudentes agricolæ adfirmant omne inſitum procul dubio cõprehendere, ſi depoſitis ſurculis, uiſcum nõ temperatum in ipſa plaga pariter mergamus, quaſi glutino quodam ſucos utriuſq; materiæ miſturum. Quartũ inſitionis genus ſic retulit Columella. Gallica tenebra medulla tenus arborẽ perforandã, plaga interius leuiter inclinata, ubi educto omni ſcobe uitem uel ramũ ad modum foraminis impreſſi delibratũ, ſuccidum tamẽ & humentem ſtricte imprimi una aut duabus gẽmis ſolis relictis. tunc argilla & muſco locũ diligenter operiri, ita & uites in ulmo inſeri poſſe cõmiſſas. Alij genus inſitionis nouę prædicãt,

quod in

quod in perſico fe fuiſſe expertos aſſerũt. ſalicis ramum brachij craſſitudine ſolidum, longum cubitis duobus, aut amplius, terebrari iubent in medio, & plantam perſici in eodem loco in quo cõſiſtit, ſpoliatã ramis ſolo capite relicto, per ipſum ſaligni manubrij foramẽ induci. tunc eundem ſalicis ramum terræ capite utroque demerſo in arcus ſimilitudinem debere curuari, foramen luto, muſco, uinculis ſtringi. Anno deinde exacto ubi infra medullam ſalicis caput plantæ cohæſerit, ut unitas ſit ex duobus miſta corporibus, plantam ſubtercidi atque transferri, & terrã aggerari, quæ arcum ſalicis cum perſici cacumine poſſit operire. Hinc perſici poma ſine oſſibus naſci. Sed hoc locis humidis conuenire uel riguis, & ſalices aquationibus adiuuandas, ut natura ligni uigeat, quæ delectatur humore, & ſuperfluentẽ copiam ſucci germinibus miniſtret alienis. Inſitionum hæc genera in priuatis ſingularum mentionibus docebuntur.

De ſtirpium nomenclaturis. Cap. XX

STirpium nomina nõnunquam ſuis aſſignantur inuentoribus, interdum regionibus unde in alios ſitus migrantes deuenerunt, quædam ab effectus excellentia appellationem traxerunt: aliæ ab euentu rei: nonnullæ ex aduerſo ſua ducunt nomina: quædam à fabuloſis ueterũ narrationibus, quæ tamen hoc uerborum inuolucro nonnihil earum proprietatis oſtendant. Sunt & permultæ quæ ab aliarum rerum ſimilitudine nomen mutuentur: & ut negotium paucis perſtringamus, Roſam triplex comitatur fabula, nõ niſi candidam per initia: mox uulnerato Veneris pede, dum Adonidi, quem Mars zelotypus interfecerat, opem latura præcipiti curſu per dumeta rapitur, adrubuiſſe: alij ſanguine Cupidinis ut Auſonius: alij nectare affuſo, ala Cupidinis in deorum conuiuio laſciuientis illiſa poculis. rhodon Græcis, ut Plutarchus inquit, nominatur, quòd largum odoris effluuium emittat, ideoq; roſa fugaci pulchritudine celeriter emarceſcit. Refrigerat ea rutilante non inelegãti conſpectu, in cuius ſummam faciem tenuis calor impulſus elucet. Myrtum arborem Græci Mineruæ dicant ut oleam, cõmenti fabulam, quòd Myrſine Athenienſis puella fuit, pulchritudine ac robore inſignis, amica Palladi, quã iuuenis ab ea curſu & palæſtra ſuperatus interemit. Fabuloſum Plutarchus exiſtimat, quod Praxiteles aſſeruit, inuentũ Melicertis corpus picea ſcaturijſſe à mari: eſſeq; Megaris locũ qui Caledromos cognominatur, quò puerum fruticibus arboris huius onuſtum remeaſſe uiderint in mare. ſic ut cõmuni populi iudicio picea Neptuni coronamentum exiſtimetur, & ſi Libero patri, ut Lucanus putat, ſacra dicetur. Quapropter ob honores Melicerti contributos, Neptuno, & item Libero patri, ueteres, nec ab re, conſecrarunt: quòd uterq; humentis fœcundi fertilisq; principij dominus habeatur. Cæterũ Neptuno priuatim nuncupatur, nõ ut Apollodorus exiſtimat, quòd maritima arbos uentis ut mare lætetur, eorumq; difflantes ſpiritus amet: ſed quòd fabricis nauigiorũ picea expetatur. Germanæ quin potius ſorores habentur picea, pinus, ſtrobili. nanq; materiam nauibus præbent, ſuamq; picem ac reſinam funditus oblinendam ſubminiſtrãt, ſine quibus in mari parùm fidelis compaginum eſſet commiſſura. Libero patri piceam fecere ſacram, quòd uina reddat ſuauiora: quippe uitem locis picea ſcatentibus, iucundius ac gratius uinum proferre produnt. calorem cauſatur Theophraſtus, argillam calidam eſſe, nõ niſi argilloſis piceam enaſci, dolia pice & reſina cerari, uina multis regionibus picari, non ad ſuauitatẽ modo conciliandã, ſed ut protinus nouitatem aquoſumq; humorem uinum calore iutum exuat. In Iſthmo uictores picea coronabãtur.

Oleã Græci fabulãtur, Athenis terra aquis abhuc obruta primũ emerſiſſe. cũq; de loci principatu certarẽt Neptunus & Pallas loci illius amœnitate capti, Iupiter cõtrouerſiã diluens, pronũciauit eum potiturũ dominio, qui de ciuitate melius mereretur, eãq; pluribus ditaret opibus. Neptunus hãc portu & naualibus ornat. Minerua in Acropoli oleã ædit fruticoſam, fertilẽ, qua ſe coronãs omniũ calculo uictrix ſalutata eſt. Hinc ſpectatores olea ſtro eos, q certaminibus uiciſſent, coronabãt. Vitex à uitiliũ uſu nomẽ traxiſſe uidetur, Græci agnon uocant, quoniã matronæ in Theſmophorijs Athenienſiũ caſtitatem cuſtodientes, ijs foliis cubitus ſibi ſternunt. Halimũ reperio in authoribus modo afflatã, quoniam maritimũ olus credatur, halmyris à ſalſilagine dictum Aetio, mihi placet aſpiratio: modo nude ſcriptam, mirabili ſi credamus, effectu, quòd admorſa ea, fames interdiu nulla

ſentiatur

sentiatur, ut nomen inde sit inditum ei, quasi famem arceat, nec aspirationem prior litera recipiat. Cupressos, à partu parilium ramulorum uocatas Græci uolunt, ὀπὸ λύειν τὰς ὠδῖνας τῶν ἀκρεμόνων. Easdũ Charitas appellari solitas Eteoclis filias fuisse adnarrant, quæ dum tripudio dearum subsilirent in puteũ eciderunt. Iuniperos dici putauerim, quòd iuniores & nouellos fructus pariant. sola enim ferè arborum fœtus suos in biennium prorogat, qui ne matureſcant quidem, nouis superuenientibus. Oleastrum Græci cotinon & agrielæam uocant. Clauam Herculi ex oleastro uolunt reuerso ex Hyperboreis fuisse, ignoto prius Græciæ, quæ mox sponte apud Trœzenios aut certe Alpheum amnem re floruit, si Pausaniæ credimus. Celebratur & olea cognominata strepte ab intorta specie, adiecta fabula circa Epidaurum euenisse ita ei circumactu manus, Hercule illac meante. Castanea græcè Διὸς βάλανος, hoc est Iouis glans uocatur: cum tamen iuglandis appellatio nucibus tantũ regijs dicata sit à Latinis. Nuces uocamus & castaneas, quanquam propriores glandium generi. ideò appellantur apud Græcos balani Sardianæ, quoniam à Sardibus prouenere primum. Euboidas quoque à Græcis dici quas nos castaneas uocamus, lego. Sed & castaneas primo dictas scribit Phocion, quòd ab oppido Magnesiæ, quod Castanon dicatur, aduectæ sunt: ut forte Diodorus castaniacas nuces inde nominarit. Quid si à castitate, cùm Plinius ieiunijs fere dicatas eas innuat? Ex ijs Græci pogonias appellant quæ barbulas quasdam habent, nisi quis lanatas earum intelligat. sunt enim aliquæ pilis hirsutæ. Tiberius Cæsar balanum nomen imposuit satiuis, cura multo excellentioribus. Pityn puellam ut Græci fabulantur, Pan adamauit, quam riualis Boreas zelotypus, quòd Pani potius adhæsisset, in saxa propulsans enecauit. miserta Tellus in arborem puellæ cognominem, manente apud eos uiuendi consuetudine, commutauit, sic Pana suis fruticibus coronat. Luget arbor collachrymans, quòd in eam Boreas inspiret.

Punicum malum à Carthagine laudatissimum, inde nomen, ut à Medis medicum. Græci & arborem hesperida & malum eius hespericum authore Iuba uocant, qui ab Hercule translatum id in Græciam & aureum malum uocari scripsit. Hoc & nuptiale intelligunt, qui æditũ à Tellure fabulantur, nunciato Iouis & Iunonis connubio. sunt qui & assyrium uocent. Item citrum. nam ut cecinit Virgilius,

Media fert tristes succos tardumq; saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum.

Nuces Græci caryas à capitis grauedine nominarunt. etenim arborum ipsarum foliorũq; uires in cerebrum penetrant. Hoc & minore momento in cibis nuclei faciunt, quibus & si celebrentur, capiti tamen sunt iniquæ. Plutarchus dictas censet quòd noxium halitum capitque grauantem expirent, quo sub arbore iacentes offendũt. Democritus duo censuit ponenda nucum discrimina: basilicam, & pontică quæ leptocaryon, hoc est nucula Græcis dicitur: & maiorem quæ regia cognominatur, siue quod idem est, basilica, hac ut arbitror ratione: Post gestum in Persas bellum, è finibus Graijs reges in suas regiones reportarunt, nouos fructus suis populis largientes, ut Sueuius uir longe doctissimus, huius rei testis est idoneus de basilicis loquẽs. Hoc nomen sic deniq; fertur, propterea quòd quondam cum rege Ponti nomine Alexandro Magno, fera prælia bello in Persas retulere suo: post inde reuentum hoc genus arboris in prælatis finibus Graijs disseuere, nouos fructus mortalibus dantes. molusca hæc nux est, ne quis forte insciius erret. Iis basilicam nucem uel regiam è Perside primùm in Græciam delatam cõstat: eandemque molusca dici nucem, scilicet quòd cæteris omnibus mollior sit: ut tarentina dicitur nux, quæ ita mollis ut uix attrectata frangatur. Tarentinam dicunt à tarento, quòd Sabinorum lingua molle traditur. Sunt de agricultura scriptores qui nuces & mala sic distinguant, ut nuces dicant omne prunũ quod foris duro tegatur, & intus habet quod esui est: malum cõtrà quod foris habet quod esui, intusq; durũ recludat. Quibus constat finitionibus, persicũ quod Sueuius inter nuces numerat, item molluscam nucem non inter mala debere collocari. quare mea opinione fallũtur, qui hæc de malo persico putent intelligẽda. Nux iuglans à glandis iuuamine, ut Seruius credit, dicta existimatur. Caius de uerborũ significatione refert iuglandẽ arborẽ dictam esse perinde ac Iouis glãdem. nam id arboris genus nuces habet, quæ sunt suauiore sapore quàm glans sit. Hunc fructũ antiqui illi qui egregium glandiq;

similem

ſſmilem ipſamq; arborem deo dignam exiſtimabant, Iouis glandẽ appellarunt, quæ nunc interliſis literis iuglans nominatur. Et Cloatius ita memorat: Iuglans quaſi diuglans dicitur. Nux auellana ſeu prænestina eadem eſt quę ex corylo arbore pendet, à Prænestino agro nominata. eadem et pontica dicitur, indito à loco nomine, in quo copioſior enaſcitur. hanc & heracleoticam & abellinam patriæ uocabulo nominant. In Aſiam Græciamq; uenit è Ponto, propterea nunc põticæ, nunc heracleoticæ dicuntur. quo nomine Macrobius caſtaneas intelligi falsò putat, Oppium ſecutus. Idem qui perſicum uulgo dictum, moluſcam nucem eſſe putat, aperte hallucinatus eſt: cum is non de perſico ſed de nuce regia & iuglande, quæ ſit è Perſide conuecta primùm ad nos, moluſcam intelligat. nam & perſicam nucem uocari tradit, Sueuij hominis doctiſſimi teſtimonio fretus. Tarentinarũ duo genera, fragili putamine & duro, quæ ſunt ampliſſimæ & minime rotũdæ: quas à frangendi mora moracias & moracillas ſunt qui uocent. præterea moluſcæ, putamen rumpẽtes. Nux græca ſuo nomine gentilem ſuam fatetur originem. nam eandem quæ & cum amygdala & thaſia Cloatius putat, alijs græca, uidetur eſſe iuglans. Columella tria facit genera, græcæ, iuglandis, amygdalæ. Naxias item amygdalas Athenæus ueteribus tradit appellatas, q; in Naxo inſula præſtantiſſimæ haberentur. Amygdalas Herodianus dici narrat, quòd poſt uiride putamen multis ſcateat rimoſis ſcarificationibus. Diocles, ut Athenæus refert, perſicas nuces non minus caſtaneis alere, ſed capitis dolorem ciere ſcripſit. Cerasum arborem ut Athenæus refert, à Ceraſunte pontica ciuitate primus in Italiam Lucullus intulit, debellato Mithridate: cuius malum appellauit ceraſium, gentili municipij cognomine. nunc trans Oceanum & in Britanniam quoq; uecta: in Aegypto nulla cura potuit euenire. quanquam Siphnius Diphilus longè Lucullo uetuſtior, cum Lyſimachi regis ætate floreret, ceraſiorum meminerit, quo tempore non deuenerãt in Italiam. Ceraſorum arborũ pomum ceraſiũ uocari Seruius præcipit: quod anteq; è Ceraſo urbe Lucullus adueheret, erat in Italia, ſed durum & cornu appellabatur: & poſtea miſto nomine cornoceraſium eſt uocatũ. Sed huic non eſt credendum, qui cornum in Italia fuiſſe ceraſum prodat, cũ alia res ſit cornus, alia omnino ceraſus cognoſcatur. Cydonia Græci appellant, quoniã ex Creta primùm illata fuerint. quorum genus unum chryſomelũ, hoc eſt aureum malum inciſuris diſtinctũ, colore ad aurum inclinato uocant. Cotonea primus Cato nominauit. Cydonia, ut teſtatur Athenæus, à Sidonte Corinthi uico dicta, codymala prius uocata: Ermon à Cretenſibus tradit. Alij ſtruthion malum cum dicunt codymalon intelligunt. Polemon floris genus eſſe refert. Melimela quoq;, dicũtur à ſapore melleo. Eadem à celeritate miteſcendi, Muſtea ut inquit Varro, uocabantur. Pomorum inuentio Libero patri tribuitur. quod Theocritus cecinit,

Atque ſinu medio Bacchus ſua mala recondit.

Poma, quòd indigeant potu dicta eſſe poſſunt. nam ſiccitatibus aquã addi Varro iubet. Mela Græci, nos mala uocamus. Perſica mala ex Perſide aduecta, ut ipſo nomine apparet, Theophraſti temporibus in Aegypto tãtum & uicinis locis ferebat. Rhodo primùm ab Aegypto uenienti fuit hoſpitium, ibique ad florem uſque tantum proueniens. Epirotica ex Epiro inuecta primùm argumento eſt nomen. Orbiculata, Latini appellant ex figura orbis in rotunditatem circumacti. Armeniaca ſiue armenia peregrina & ipſa fuiſſe ex nomine cognoſcitur. Armeniaca iam uocari deſita, & præcocia uel præcoqua dicitis eſt Galenus. Lotus faba græca, Seruio faba ſyriaca nominatur. Nympha in arborem ſui nominis conuerſa, quam Priapus fugientem comprimere quæſiſſet. geniſtam Latini uocant, quia fortaſſe genu modo flexilis ad nexus ſit & ligandis ideo utilibus idonea, uel quia genibus medeatur dolentibus. A taxo ſunt qui Taxica putent appellata, quæ nunc Toxica uocantur, quibus ſagittæ tinguntur. In Arcadia uenení uel præſentiſſimi. lethale quippe. Baccis in Hiſpania præcipue uenenum ineſt. Vaſa etiam uiatoria ex ea uinis in Gallia facta compertum eſt mortifera fuiſſe. Smilax Græcis dicitur. Refert Plutarchus taxum tam præſentis eſſe uenení, ut in eius umbra dormientes enecet. Repertum eſt innoxiam fieri, ſi in ipſam arborem clauus æreus adigatur. Nec taxus uulgo ſed literæ prioris immutatione naxus & naxius quoque dicitur. Quod nomen Dioſcoridi fuiſſe cognitum uideo, ubi uenena libro ſexto numerat, non taxum modo ſed toxum à Ro. dici credidit.

Sambucum

Sambucũ dictam puto arborem à Sabuca musico instrumento, quod alij pectida uocant, alij magadin. Sabuca porro ab authore uidetur appellata, cui nomẽ Sambyx fuerit. usam tamen ea primam omnium Sibyllam perhibent. Sabucus dicenda est si Serenio Quinto credimus. Corticem arboris canopon Græci uocãt. Paulus eius florem esse scribit. Arborem acten uocant Græci, ut ebulũ chamæacten pumilam sabucum. Thus à uerbo Græco deos aut sacrificium significante flectitur: aut forte à tusis glebis, ut tunc latinè scribi debeat. Cum in Fastis dicat Ouidius,

Tura nec Euphrates nec miserat India costum.

ex ijs locis in Vrbem comportari non ex Arabia solitũ. Arbor græcis libanos & dendrolibanos, lachryma uero libanotis à Galeno dicitur. Interim cõfundi usum comperies. Sophocles ut Galenus. Eurípides contrà, libanum pro lachryma, libanoton pro arbore thuris accipit. A iuuene Assyrio in hunc fruticem conuerso dictam Græci fabulantur, quem deos studiosissime colentem inuidi peremerũt: hinc nihil esse dijs gratius, & adhuc in templis eo supplicatur. Micas concussu turis elisas mannã Plinius est interpretatus. id autem fit gestatu atterentibus se glebis, ut inquit Aetius. hyposisma, quasi succussationem Græci nominant: ut chondros, glebulas uel grana thuris, ut Plautus in Pœnulo, Qui nullum, inquit, thuris granum sacrificant. Lentiscum dictam putauerim, & liquore quodam lentescat, nam & resinã ubiq; sudat: mastichen uero dictam in Chio tantùm insula ferè. Lentisci fructum Hippocrates schinida & arborem schinon nominauit. de qua libro de diuinatione Ciceronis carmen extat,

Iam uero semper uiridis semperq; grauata
Lentiscus, triplici solita grandescere fructu,
Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.

Sic hæc arbor ter floret, & arandi maturitatem ad signum floris accommodat. Laurus Apollini sacra propter Daphnen: quam Apollo adamauit in hanc arborem, si credimus Ouidio, deformatam. Alij è Græcis tradunt Soli dicatam, quoniam ignea sit. fulmine non icitur. Ignes abdicat salis modo crepitu, inde Græcis daphne quasi daophone nomẽ accipit, & inter urendum sonitum elidat. quod Theocritus testatur ita canens,

ὡς τὰ λάυρινοι μέγα λάμπυρίζεται, quo est, ipsa sonat igni crepitans. Prædicendi artem designat. Diuinationis deus Apollo censetur. Ea uictores Delphis coronabantur. folium eius Latini lauream uocant, Cato loream. Vni arborum Latina lingua, nomen imponitur uiris. Nam Tullius Ciceronis libertus Laurea nominabatur. Horatius laurum ipsam nõ solum imperatoribus sed uatibus dicatam cecinit: quod mirandũ, cum hedera poetarũ, laurus ducum fuisse legeretur. Victoriarum semper index, quapropter lignum eius uri prophanis usibus, sed ne aras quoq; ipsas accendi eo fas erat. Laureolos quosdam ueteribus dictos Iuuenalis et Martialis poetę satis indicant. Tiliam Græci phelyram, Latini quoque phelyram & philyram, sed tunicas eas tenuissimas appellant, coronarũ lemniscis celebres ueteribus, inter corticem & lignum membrana cõtentas: è quibus uincula tiliæ uocantur. Cortex chartæ modo coronis texendis inseritur. Acacali nomen frutici, à nympha datum crediderim Acacali, quæ ab Apolline compressa, Phylacidem & Phylãdrum ædiderit in Creta, miraculo ab Elyræis insulæ populis confícto, nutritos à capra fuisse: cuius rei monumentũ in Apollinis Delphici delubro monstrari tradit Pausanias. Apollonius poeta in Argonautico, Acacalin Minois regis filiam ab Apolline quidem uitiatam cecinit, sed quæ in Aphricam relegata filium ædiderit nomine Amphithoon, qui & Garamas quoque uocaretur, Nasamonis & Caphauri pater, ex nympha Tritonide. Palma Græcis phœnix, uictoriæ symbolũ est, quod Aristoteles & Plutarchus inquiunt, nõ cedit oneri quamlibet ingenti, nec intra flectitur pandatur ue, sed cõtra põdus resurgit. Ideoq; fere in coronarijs certaminibus aliud præmium q̃ palma non dabatur, ut ait Pausanias: etiam si Græcia quatuor tãtum locis oleastro, pinu, lauro, & apio coronare uictores mallet. Timæus scriptor tradit Corinthios cum Carthaginensibus bellum gererent, è Sicilia apium non detulisse, & plerique siniſtris auibus & inauspicato signo augurabantur. Sed ut Plutarchus refert, Isthmorum apij meminerat, quo uictores Corinthij coronabant. Quin & princeps Antigoni nauis, & sponte naturę circa puppim apium ædidisset, Isthmia cognominata

gnominata est. Pars palmæ unde fructus depẽdet spatha nominatur. Palmulas è mare plenes, è fœmina balanos appellari Iulius Pollux est author. Ipsos palmarum cum fructu termites baia & spadices Græci nominant. Siquidem in Delo Theseus cum certamen iniret, ramũ sacræ palmæ auulsit: quare ut Praxiteles memorat, Spadix, Plutarcho referente, nominatus est. Vbi primum ob honorem dei lauro & palma uincentes exornabant, quare νίκη quasi μὴ ἄκου Græcis uictoria dicitur, quòd nõ cedat. Palmæ caryotæ celebrantur cibo, capiti iniquæ, unde pomo nomen. In quo genere quæ longitudine præstabant, ab Augusto primum Nicolai nominatæ: ob honorem Peripatetici philosophi crebro ad se missi tantis, uiri & moribus & proceritate corporis insignis, ut notat Plutarchus. Siliquam Græci ceration uocant à corniculi similitudine. Hæc digitorũ hominis longitudine interim falcata, pollicari latitũdine, in siliquulæ formam corniculatur, inde nomen. Prædulcis cibo cortex manditur. Arbutus græcè comaros dicta: Latini quoq; & arborem & pomum unedonẽ appellant. Pomum inhonorũ habetur, cui ex argumento nomen sit unum duntaxat edendi. Galenus & Paulus arbutum comarũ unedonem à rusticis Italiæ uocari scribunt. Ficus Græcis syce uocatur. Quidam gigãtem nomine Syceã Ioue persequente à Tellure conuersum in ficum fabulantur. Vnde in Cilicia nomen sit inditum urbi Syceæ. Sunt qui sycen hoc est ficũ Oxyli ex Hamadryade filiam, ut alias quoq; arbores fuisse memorãt. Pherenicus, recitãte Athenæo, tradit à Syce Oxyli filia nomen duxisse. Oxylus enim Orij filius ex Hamadryade sorore multas nymphas sustulisse fertur, nucem, glandem, cornum, oream, populũ, ulmum, uitem, ficũ. Has quoq; Hamadryadas nymphas appellari: à quibus arbores permultæ suas appellationes detorserũt. Pausanias in Attica primum æditas ficus putari tradit Cereris munere, in memoriam hospitij Phytalo donatas, quod & in monumẽto eius testatum est uersibus hexametris. Fici pomum ἡγητήριον ab Atheniensibus, quasi ante alias fruges inuentũ author est Athenæus, & quibusdam festis præferri pompæ solitum. Naxij ficum ipsam melichen appellant, à quo & Liberum patrem Melichium ceu inuentorem eius uocant, ut Lacedæmonij Syciten. Græci pomũ sycа, arborem uero sycen & sycada: quanq; hoc nomine, ut Polluci placet, nouella ficus intelligatur. Nam ischades aridæ fici sunt, aut carycæ interdũ. Inuenias apud græcos ischadas recentes & ueteres dici. Sycomorus utriusq; parentis nomen retulit ficus & morus. Sycaminon proprie morus pomum uocãt, & arborem sycamineã, soli Alexandrienses morus nomen usurparunt. Salicem arborem appellant q̃ ea celeritate crescat ut salire uideatur. Iris ex argumẽto nomen accepit, q̃ species & colores arcus cælestis floribus repræsentet. ut arquus aquarius, q̃ est imago male solis expressi, caua nube recepta uarios mentitur colores, cæruleosq; uersus uirides aut purpureos uel luteos ducit: sic calathi floris concauum uersicolore linearum tractu rudimenta quædam arcus cælestis exprimit, non aliàs q̃ gemma radijs icta solis rutilo aeris repercussu in proximos parietes eiaculatur, iris donatur nomine. Eadem q̃ magna uarietate sui admirationem augeat thaumastos, quasi admirabilis dicta est. Acoron aphrodisiam quasi ueneriã Græci uocant, & piper apium, quandoquidem suspensa earum aluearijs herba, nunq; diffugere proditum reliquit Apuleius. Asaron inuenio uocitari, quoniam in coronis nõ addatur, quasi manualibus scopis quæ odoris gratia gestantur, minime solita sit herba inseri. Crocus iuuenis ob amorem Smilacis uirginis in florẽ eiusdẽ nõis cõmutatus est: quod Ouidius paucis explicuit,

Et crocum in paruos uersum cum Smilace flores Prætereo.

Helenium ab Helenæ lachrymis natum tradunt, ideo in Helena insula laudatissimum. fauere creditur formæ, cutem in facie reliquoq; corpore nutrire incorruptam. Præterea putant usu eius quandam gratiam ueneremq; cõciliari. Attribuuntq; hilaritatis effectum eidem potæ in uino, eumq; quem habuerit Nepenthes illud prædicatum ab Homero, quòd ea tristitia omnis aboleatur. Alij tradunt Helenam hanc primum seuisse, ut uescentes ea serpẽtes necarentur. Milium à milliaria summa deriuatũ nõ à græco Festus existimat, apud quos cenchros & Straboni cenchris dicitur. Hippocrates paspalen uocauit. Varro miliũ à Græcis deducit. nam id melinen inquit, uocãt. Dioscorides & Theophrastus melinen pro panico intelligunt. A milio aues quędam miliariæ dicuntur, ut Varroni placet. Durãtissimũ inter fruges panicum, ideoq; Diocles medicus mel frugum merito appellauerit, paruis

uerit, paruis racematum paniculis, unde nomen. Olyra siligo a Latinis authore Plinio uocatur. Siligo uitium est tritici. nam omne triticum solo uliginoso, post tertiam sationem conuertitur in siliginem. Est & olyra Galliarum propria, quæ cognominatur arinca, uel Italiæ copiosa. Farrago ex recrementis farris prædensa seritur, admista interdum uicia. Hanc Græci uocant graftin: alij uiride hordeum interpretantur, alij fœnum semiaridum intelligunt: utique Pollux herbam & pabulum. Alica Sexto Pompeio dicitur, q̃ corpus alat. Secale extrita una litera *secle* in Gallia nomen retinuit. hoc ut Plinius inquit Taurini sub alpibus asiam uocant, ad arcendam famem utile, nigritia triste, sed pondere præcipuum. Admiscetur ei far ut mitiget amaritudinem eius. Triticum dicitur quod tritum ex spicis est. Lolium Græcis ἄιρα corruptis è tritico & hordeo seminibus. è lino quoq; nasci non desunt qui adfirment. inebriat, uertigines facit. Lolium oculis officere testatur Plautus in Milite inquiens,

Miru' st lolio uicitare te.
Quid iam? Quia luscioſus. Item Ouidius ita canens,
Et careant lolijs oculos uitiantibus agri.

Fœnum græcum à Theophrasto buceras appellatur, epiceras Hippocrati, quoniã semen habeat simile corniculis, inde siliquam nõnulli appellant. Varro siliculã, Plinius siliciam.

Linum à Græco sumitur. Semen eius, linospermon appellatur. Legumina dicuntur Varroni quoniam uellantur è terra, nõ subsecentur ut fruges. Ea clarissimis Romanis cognomina dederunt, sic Fabij, Cicerones, Lentuli, Pisones, à faba, cicere, piso, lente cognomenta retulerunt. Rapam, quòd ex terræ rure quasi ruapa, Varro dictam putat. Alij q̃ passim rapiatur rapi nomen deflexum esse censent. A Græcis tamen manasse uocabulum facile uideri potest, qui rhaphyn, & ut Glaucus exempto spiritu rhapyn, congenerem napum buniada nominarunt. Is ut Athenæus est author, apud Theophrastum cum buniadis non meminit, masculi rapi nomine ueniat, cuius mentionem fecit. siquidem rapa biennio sata conuertuntur in napos: alio, napus raporum naturam ascisciț. Græci tamen à figura quæ plerũq; rotunda solet esse, uocabulũ detorserunt, appellãtes gongylen aut gongylida. Nanq; quod in rotunditatem coactum est, uel in orbem circumagitur, γόγγυλον, hoc est στρογγυλον dixerunt. Hippocrates hac persuasione fretus, gongylij uocabulum pro globulis orbiculisue qui deuorãtur, quasi catapotijs, usurpauit. Nec græcæ uocis nouitatem horruit Lucius Columella, qui carmine suo iubet peractis Vulcanalibus,

Nube noua seri cæli impendentibus undis
Gongylin, illustri mittit quam Nursia campo.

Algoribus dulcescit, per quos et in radicẽ non in folia capessit incrementum. Buniadis appellationem à tumente figura, quam præ se fert, Græci declinarunt. nãq; radix napi buniadis in amplitudinem excrescit, & in rotundum extuberat. Cliuos, colles, uerrucosaq; loca bunos nominant. Raphanus sibi nomen ἀπὸ τοῦ ῥᾳδίως φαίνεσθαι, id est quòd facile appareat adsciuisse constat. nam die tertio à satu prosilit. nostri radicem appellãt. Quamuis, ut author est Marcus Varro, hoc uocabulum è Græcia uenit in Latium, cum ueteres Græci radicem dixerunt quam nunc raphanum. Nisi quis arbitretur forsitan sibi radicis nomen arrogasse, q̃ cæteras amplitudine corporis superet, uel quàm paucissimis magnitudine cedat. Etenim plerunq; in tantã molem coalescit, ut frigidis locis quibus gaudet infantium puerorum magnitudinem æquet. Verum ne quẽpiam nomenclatio remoretur, attendendum est apud Atticos appellatione raphani brassicam uenire. Sic Aristophanẽ, sic etiam Theophrastum, & alios plerosq;, pro brassica constat usurpasse. Quæ rerum uariarũ uno nomine significatio apud diuersas græcorum familias, nonnullis imposuisse uidetur, præsertim Plinio undeuigesimo uolumine, qui genera raphani tria fecisse Græcos commemorat, foliorum differentia, crispi atq; leuis, & tertium sylueſtre: atque huic leuia quidem folia, sed breuiora & rotunda, copiosaq; atq; fruticosa: saporem autem asperum & medicamenti instar ad eliciendas aluos. quæ de brassica uerbotenus à Theophrasto historiarum septimo uolumine deprompta sunt. Ea brassicę non raphano referuntur. siquidẽ Marcus Cato ultima uoluminis parte, quam brassicę dicauit, tria fecit eius fastigia. prima est leuis, quæ nominatur λάπα, grandibus & latis foliis, caule magno: ualidã hæc habet naturam & uim magnam

nim magnam. Altera est crispa, quæ à similitudine apij πλατυφύλλου uocatur, hæc est aspectu & natura bona ad curationem, ualidiorq; ꝙ quæ supra scripta est. Tertia est quæ proprie crambe nominatur, minutis caulibus, tenuioribus foliis, et acerrima omnium istarum, succoq; uehementissima, & nulla est istius modi medicamentosior. quæ omnia Theophrasti uerbis suffragari constat. Sed ne longius aberret oratio, ad alias nomenclationes redeundum est. Lapathum uel uti Theocritus protulit, alapathum, ab effectu nomen accepit, quoniam exinaniat. etenim Attici ἀλαπάθας quæ nos inanitiones dicimus appellant: & λαπάθησιν, uacuare uel exinanire Græci omnes dixerunt. Omnium generum foliis decoctis mollitur aluus. Oxylapathum quamuis anceps in acidum saporem uel acutam figuram uideatur significatio, nomen sortitum est quòd folia desinant in mucronem. Oxalis tamen ideo nomine donata est, quòd in gustu acorem plane resipiat, à quo sapore nostrum uulgus acetosam nominauit. Hanc proprie Romani rumicem appellarunt: forsitan ut opinor, quòd ab ea succus nõ aliter atq; mamma, quam rumen ueteres dixerunt, sitientibus exugi soleat. Nam foliorum acor quibusdam hauritur, ut lac ab agnis, qui in suis matribus subrumantur. de quo Virgilius in Moreto cecinit,

Fœcundusq; rumex maluæ uiolæq; uirebant.

Nisi quis à teli similitudine ductum nomen existimet, quod sparo cognatum in modũ pedis recuruatur. cuius Lucilius meminit,

Tum spara tum rumices portantur tragula porro.

Nec magnopere folium ab hac effigie noscitur abhorrere. Siquidem Græci nomen indiderunt à calceorum soleis, quorum folia quandam imaginem præ se ferunt, anaxyrida uocantes: licet etiam sæpius pro calceamentis & fœminalibus uocabuli huius usurpetur significatio. Hippolapathum Græci quasi grande lapathum dicunt, magnis amplisq; rebus hippo præponere soliti, ab equo excellentis amplitudinis animali magnitudinem mutuantes. Grandem ergo procerumq; rumicem qui degit in hortis hippolapathum nominarũt, sicuti hippomarathrum & hipposelinum. Rumex ille etiam aquarum alumnus hydrolapathon nõnullis dicitur. sed quædam etiam genera paluſtribus familiaria, ut dictum est. sæpe tamen rumicis uocabulo omnia lapathi genera cõprehendi Latinis cõstat: quamuis peculiarius oxalidi & oxylapatho uendicetur. Lampsana, ꝙ foliis humum lambat, nomen inuenisse uidetur, ἀπὸ τοῦ λαμβάνω, quod lambere denotat. Blitũ nomen ex eo traxit, ꝙ iners & fatuum olus esset, sine sapore aut acrimonia ulla. Nam βλίτον pro stolidis Græci dixerunt. Pompeius oleris genus tradit. & à stupore appellatũ esse ex græco putatur, ꝙ ab ijs βλακὸς dicatur stupidus, quod nomẽ adhuc in uulgus nostrũ manauit socordes ignauosq; homines bliteros, uel potius bliteos græca imitatione nominans. Sic quoq; nisi memoria me deficiat, in Truculento bliteam meretricem Plautus appellauit. Quo nomine inertes mendici, & nullius momẽti homines, qui socordiæ passim insimulãtur, male audiunt, & hoc incessuntur conuitio. Malua nomen à mollienda aluo cõtraxit. maiorem Græci malochen teste Plinio uocant in satiuis. Alteram ab emolliendo uentre dictam putant malachen. Athenæus longe aliter sentire uidetur, qui secundo Dipnosophistarũ uolumine tradidit, Atticos maluam malachen appellasse: cæteros potius græcæ linguæ authores molochen, sic enim cum in plerisq; ueterum monumentis tum præsertim apud Antiphanem & in Epicharmo scriptum legebatur. Atriplex nunc dicitur herba quæ olim atriplexum, ut Pompeius refert, appellabatur, ab atro ut aliqui putãt colore, tanquam faceret hydropicos morbosque regios et pallorem: ideo damnatur à Pythagora. Addidere Dionysius & Diocles plurimos gigni ex eo morbos, quibus facies maxime decoloratur. Verum à uoce græca potius q̃ ab atrore fluxisse nomen arbitror, nam atriplicis olus atraphaxin Græcis dici Columella perhibet. Hippocrates adraphaxin appellat. Hesychius adraphoxon quòd ἄδρωξ αὐξῇ, id est statim in amplitudinem adolescat. siquidem octauo die à satu prosilit, cõfestimq; incremento proficere cõspicitur. Fidem celeris augmenti facit ereptũ in continio cæteris herbis alimentũ. Ac ne in hortis quidẽ iuxta eum nasci quicq; tradunt nisi languidũ. Atticis tamen d, literã in t, mutare frequenter amãtibus atraphaxis dicitur. Color atriplicis herbę in luteũ elangueſcit, unde chrysolachani, id est aurei oleris nomen à Græcis inditũ est: præsertim ꝙ olus hoc auri colorẽ repræsentet. Nec desunt

qui tradant atriplicem luteo cerni flore, quapropter ab auro chrysolachanī uocabulū adinuenit. Brassica ut inquit Varro, quasi præseca, quòd huius scapus minutatim præsecatur. idem Pompeius affirmat. siquidem nunc tonsili nunc cymoso caule spectatur. Sunt qui dictā existiment quasi passicam, ꝙ ex caule minutatim præsiccatur ut passa fiat. Brassicam uetus Græcia raphanon appellabat, quod & Aristoteles, ut Iulius Pollux tradit, & Theophrastus fere sequitur: quamuis à quibusdā dici cramben testatur Aristoteles quinto de Animalium historia cum inquit, Erucas nasci in uiridibus folijs, præsertim in raphano quā cramben, id est brassicam aliqui nominant. Crambe Græcis dicta censetur quasi coramble, quòd pupulas oculorū, quas Græci uocant coras, obtundat hebetetq; in qua sententia putatur Lucius Columella de cultu hortorum, inquiens,

Nunc ueniat quamuis oculis inimica coramble.

Attici quoq; coramben integro nomine protulerūt, alio sed potiore, ut existimant, etymi sensu, quasi κόρῳ ἀμβῶ uel melius ἀντίβω, id est crapulę satietatiq; cōtraueniat. Nā uino aduersatur, ut inimica uitibus. Antecedens in cibis ebrietatem arcet, & postea sumpta crapulam discutit. Olus hoc lachrymis Lycurgi à Libero patre uitibus adalligati natū prodidit Nestor, in eo libro qui Alexicepos inscribitur: perniciali forsitā cū ea odio flagitare hisce fabularum inuolucris innuens. Omnibus oleribus antepositi Cato brassicam: propterea ut inquit Varro, nomine oleris intelligitur, & ab olla dictum olus idem adfirmat. Verum quoniam præ cæteris grandi ualidoq; turgescit caule, sibi generis nomen arrogauit: præsertim cum ei principatus hortorum assignetur. Nunc enim cymoso nunc tonsili cernitur scapo, qui sæpius instar arborum tanta crassitudine proficit, ut insitionem nō horreat, sed surculos earum admittens suo sinu fouet & alit. Beta sibi nomen adsciuit, quoniam figuram b, literæ cū deprimitur ab olitoribus refert. quod testatum nobis reliquit Lucius Columella suo carmine de cultu hortorum ita canens,

Nomine tum Graio, ceu littera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri,
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio uiridis, pede candida beta.

Græci σεῦτλον ab impulsu nominarunt, etenim cultus ratione quadam incrementum capessit arboris, neque ulli hortensium latitudo foliorum maior. in binos pedes aliquando se pandunt, soli natura eis consentiente. quibusdam locis amplissimæ betæ proueniunt.

Asparagi ut Varroni placet, dicti quòd ex asperis uirgultis leguntur. Ipsi quoque scapi asperi sunt non leues. Nisi nomen è Græcis manarit, illic enim etiam dicitur asparagus. Pompeius herbam ita dictam prædicat, quòd in aspero uirgulto nascatur. Veteres Græci qui altiles asparagos non uidentur agnouisse, nomen eo deduxerunt, quòd sua sponte sine satu prosiliret. Quamuis quæ primum in lucem prodeunt olerum germina, priusq; in folia explicentur, recētissimiq; turiones qui edendo sunt, asparagi nuncupentur: quo nomine betæ, lactucæ, blitī, atriplicis, maluæ, rapi, sinapis, chamædaphnes, brassicæ, nasturtij, bryoniæ, pyrethri, radiculæ, primi cauliculorum partus cōprehenduntur. quibus asparagis Paulus Aegineta ueterum authoritate et Galeni iudicio fretus, caput unum uolumine primo dicauit. Athenienses, ut Galenus refert, asparangū pronunciāt. nec me præterit hac uoce Græcis guttur significari. Corrudam etiam dici nōnulli uolunt, ꝙ ubi adoleuit, facile corruat, decidat ue. Sic Attici horminiū appellarunt, ἀπὸ τοῦ ὁρμῶ, quod est ruo. Idem à patria, libycū nominatur. Arnoglossam nomē ab agni lingua mutuatur. Folia siquidē linguæ pecorum simillima sunt. Latini plantaginē ducto à planta uocabulo nuncuparūt. Maior foliis laterum modo includitur, quę quia septena sunt, heptapleuron etiam Græci uocauerunt: nos interdū graia, uti solet fieri, imitatione septineruiam. Quanq; Aeginetæ Paulo heptapleuron alia uideatur herba quàm plantago. id quod aperte in emplastro cui nomen est Botanicon, aduersus collectiones inuento demonstrauit. Quippe in quod tres quærantur herbæ, Plantago ternis uncijs, heptapleuron senis, leoneuron quoque ternis. Sion sibi nomen adsciuit à concussu quod Græci σείειν dicunt, nam excutiendi uim nactum est, utpote quod renibus calculos emoliatur, urinā & menses exigat. Lauer ut mea fert opinio, nomen à lauatu contraxit, ꝙ personantibus aquis enatū semper elui gaudeat. etenim

deat.etenim citato lapsu repentibus undis,aut etiam resedibus existit: sæpe uero intumescentibus demersum inuenitur. Sisymbrium dici putat Varro à Sisymbrio,quæ fuit,ut arbitror,ueteribus comœdijs meretricula.coronam Veneris dixere nõnulli, uel quòd ob odoris suauitatẽ quam præ se fert,eo iuuentus quæ amoribus gaudet coronata,in comessationibus suis blando odoris oblectamento suas illecebras cõmendaret:uel potius quòd sisymbrij caulis articulatim per internodia uerticillato florũ ambitu concinnè coronetur. Ab eleganti itaq; corollarum uenere nomen declinauit. Crithmon siue potius critha/mon à seminis figura Græci deduxerunt.habet enim semen crithami nucleum intus tritici uel hordei figura,quod uocant crithen. uel detorsum ἀπὸ τοῦ λεῖνεσθαι, id est secernendo, uocabulum,quòd rupto seminis inuolucro cerealem forma nucleum ostentet, excussis q; flatu segminibus à paleis aceribus'que secernatur. Batim Latini ex aduerso nominarunt, emendicata tamen à Græcis appellatione, qui baton accessibilem dicunt. Nanque batis emicat in marinis fere scopulis & crepidinibus inaccessis.ex diuerso itaque quasi inaccessa nomen batis adinuenit.Iam tamen ubique uernacula toros hortorum puluinos'que uestit,marinis licet oriunda litoribus. priora satiuis semper fuere sylueſtria.Olus cordũ Lucius Columella satiuam batim appellauit,quasi serotinum & nõ nisi appropinquãte uindemia condiatur,contra cæterorum morem quæ appetente Iunio,ante seminis maturitatem à salgamarijs reponuntur, non aliàs quàm Plinius fœnum cordum autumnale fuit interpretatus, quasi secundarium & autumno à fœnisecibus uelleretur. Qua ratione cordum pecus dicitur à Græcis opsigonum, quòd non præcoci sed serotino partu in lucem est æditum. Coronopus ideo græca appellatione donata est, quòd cornicis pedem effigie repræsentet. Sunt qui è Romanis sanguinalem uocent, quoniam aculeis armatur quinis in cacumine, quos conuolutos naribus inserunt ciendi sanguinis gratia. Sonchus sibi nomen uendicauit ἀπὸ τοῦ σῶσαι χέσαι, eo quòd salubrem fundat succũ,utpote qui sua sorbitione stomachi rosiones leniat, & lactis abundantiam nutricibus sumministret,genitalibus locis collectione laborantibus præsidio sit.Cicerbitæ tamen uocabulum,quo Hetruria adhuc utitur, nomenclaturæ cumulo uidetur accreuisse, cum nusq; à Latinis usurpatum inueniatur, nec legitima ueteresq; moneta percussum constat. Recens itaque adiectiumq; nomen Dioscoridi adscriptũ putamus. Nec illam ueterũ Romanorũ uenustatem olere liquido deprehenditur.Quapropter illo priscę latinitatis penu depromptũ non est.

Cichorium suo nomine Aegyptio uenit in Græciam & Latium: hinc Flaccus cecinit,

Cichorea leuesq; maluæ.

Quod etiam ab amaritudine picridis appellationem apud Græcos adinuenit. amarorem in Georgicis indicauit Maro scribens ita,

Et amaris intyba fibris. Nanq; intubus erraticus cichorium est,quem quidam Latinorum ambubeiam appellauere. Celsus ab intybo ambubeiã discreuit, sylueſtrẽ innuens intubum.Siquidem eo capite quod abstringendæ aluo dicauit,lenticulę intubum, uel ambubeiam,uel plantaginem,adijciendam tradidit: statimq; subiunxit, per se etiam ualet intybus uel ex plantagine uel ambubeia fricta. Erraticũ uel agrestem intubum cichoriũ ambubeiam & Græcis picrida eandem esse herbam censebit qui bonos authores euoluerit. Sed intubum Latinis utrunque complecti satiuum & sylueſtrem, uel si mauis erraticum, euidentius est quàm ut debeat probari. nam euellenda pratis intyba ac solstitiales spinas libro secundo Columella docuit, quæ de sylueſtribus intelligũtur. Satiua nanque pratis non exurgunt. Serim uero quam intybum dici Latinis Dioscorides tradidit,in satiuam & agrestem,quam picrida & cichoriũ nominat, distraxit. Cui uidetur astipulari Lucius Columella, qui conserendum præcipue genus intubi quod Græci appellãt serim in satiuum contraxisse duntaxat uidetur: qui tradit intubos non esse extra remedia,erraticum apud nos,quibusdam ambubeiam appellari,in Aegypto cichorium,quod sylueſtre sit:satiuum autem,serim.Iulius Pollux author est appellatione cichorij sylueſtria tantum olera uenisse. Chondrilla ab rei euentu nomen inuenit,quòd callum quendã tuberculo fabæ,gummi,mastichæ,aut nucleo thuris similem, quem chondrum Græci nominant,imis ramulis ostendat. ab hac tuberosa masticbe quam sudat,nomen merito sortita est. Cucumeres, ut Varroni placuit, dicuntur à curuore quasi curuimeres. Testaturq; poeta Virgilius in

uentrem augmentari. quare cum distenta tumescat aluo, quãplurimum summatim incuruari necessum est. Verba sunt Poetæ,

Crescere in uentrem cucumis, nec sera comantem.

Græci sicyn, aut Attico more, sicyon dicunt. Demetrius Ixion in etymis, ut Athenæus refert, est author, ἀπὸ τοῦ σύειν καὶ λύειν, id est quòd uenerẽ cieant, nomen contraxisse. cui sententiæ permulti non accedunt, præsertim cum ueneri refragetur: nisi forsitan ex aduerso sibi uocabulum adsciuisset, quòd appetentiam concumbendi minime stimularet. Hinc celebratum puto Græcis prouerbium, ut idem commemorat Athenæus, Texens pallium mulier cucumerem deuoret, quòd textrices magna ex parte (si credimus Aristoteli) impudicæ sunt & opportunæ ueneri. Vt ergo ijs impetus infrenetur & elãguescat, adagium edendos cucumeres textricibus cõsulebat. Nam uenereorũ auiditatem cohibere tradidit Diphilus. Matron suis carminibus Terræ filium nominauit. Heraclides Tarentinus hedygeon quasi terræ suauitatem. Cucurbitam à concuruatu dictam arbitror, quòd facile, si quid obstiterit aut fuerit impedimento quo minus extendatur, incuruescat. Græci, quantum equidem sentiam, ex aduerso uocabulum imposuere, colocynthen nominantes, quòd scilicet pumili breuesq; sint partus quos ipsa passim enititur, cum corporis mole omnes herbarum arborum'ue fructus uideantur superare. Euthydemus Atheniensis, libro quem de oleribus condidit, cucurbitam uocauit Indicum cucumerem, quòd semen eius ex India fuisset delatum. Menodorus Erasistrati sectator, duplicem esse cucurbitam profitetur: unam Indicam quæ cucumis est, alteram uulgarem cucurbitã. sed Indica, magna ex parte coquitur in aqua, cucurbita uerò torretur igni. Hellespontij longas, uocarunt cucumeres: rotundas, cucurbitas. Tanta porro naturæ cognatio est inter cucurbitas, cucumeres, pepones & melopepones, ut sæpenumero & proprietates & nomina Græci Latiniq; cõfundant. Ipsum quoq; uentrioſum instrumentum quod corporibus adfixum uel spiritu, uel leni scarificatu sanguinem elicit, Græci à cucumere, sicyam: Latini à cucurbita per diminutionem cucurbitulam cognominarunt. Latini siue cucurbita in globũ tumeat, siue teres in longitudinem extendatur, eodem uocabulo sunt complexi: docuitq; Columella qua ratione ex eodem seminio tam rotũda quàm longa nascatur. Globosę uerò cucurbitæ cum penitus inaruissent, à principio uenerunt in usus medicorum, nunc ex ære, cornu, uitroq; confinguntur. Gentiles cucumeribus sunt pepones: qui cum magnitudine excesserunt, aut in longitudinem processere, quales multis locis nascũtur, pepones quondam uocari cœperunt, ut inter omnes constitit, à maturitate ducto nomine: ita ut cucumeres, qui quãto matureſcunt magis, tanto solidiore cartilagine cõstant, lignosaq; crusta durãtur, in pristinæ nomenclationis ambage remãserunt. Sed qui iam mites ac teneri maturitate flaccescũt, pristino nomine defuncti, pepones dici uoluerũt. quod discrimen sentiẽtes Græci posteriores, à natura & euentu rei cucumeri uocem peponis sæpius adiecerunt, dicentes σίκυα πέπονα, id est cucumerẽ peponẽ, quasi innuant mitẽ & maturitate tenerũ cucumim. Cui sentẽtiæ Dioscorides subscripsit, qui statim postq; cucumeris medicinas prosequutus est, in speciẽ descendens peponis naturã percurrit, id est cucumeris eius qui pepo dicitur. Sed cum formã & effigiem mali referunt & humi rotundantur, melopepones Græci uocant, facto ex pepone & malo nomine, quasi inter eos nisi figuræ uarietas intersit. Totũ hoc genus Palladius melones quasi μήλωνας, id est pomosos appellauit: quod ferè nomen in omnem Italiã & Galliã abijt. A Theophrasto σίκυος, à Iulio Polluce quãdoque ἀσφαιπίας quasi seminarius dicitur. Speusippus in similibus pro pepone sicyæ nomen usurpauit, nusquã nomenclatura peponis usus. Contrà Diocles Carystius peponem ubiq; nominauit, silentio sicyæ uocabulũ obliterans. Lactucæ à copia lactis nomen adeptæ: nam primũ apud antiquos Italiæ hoc solũ genus earum fuit, quod meconis uocatur, à magna ui lactis soporiferi. quanq; omnes somnũ parere credantur. Purpureis & fucis & candidis à colore, crispis à figura nomen inditũ est. Cæcilianam Cæcilius Metellus nomine donauit. Laconica, Græca, & Cappadox gentile cognomentũ retulerunt. Ibycus Pythagoricæ familiæ philosophus author est, Lactucam excaulem quę in latum diffunditur eunuchion dici, quasi spadoniã, ꝙ hæc maxime ueneri refragetur. à mulieribus uerò astylida uocari. Nicãder Colophonius memoriæ tradidit lactucã apud Cyprios brenthim appellari

pellari, qua pastus Adonis ab apro interemptus est. Lactuca igitur à Latinis dicta est, ꝙ abundãtia lactis exuperet, quę si uiresci t aut fusco purpureoꝙ colore nitet, utraꝙ Cæcilia: si pexum densumꝙ folium pallor decoloret, gentilitio nomine Cappadocia dicitur: si crispissimum, Tartesiaca. quæ discrimina recte Columella ijsce numeris explicuit,

Iamꝙ salutari properet lactuca sapore,
Tristia quæ releuat longi fastidia morbi.
Altera crebra uiret, fusco nitet altera crine,
Vtraꝙ Cæcilij de nomine dicta Metelli.
Tertia, quæ spisso, sed puro uertice pallet,
Hæc sua Cappadocæ seruat cognomina gentis.
Et mea, quam generant Tartesi littore Gades,
Candida uibrato discrimine, candida thyrso est.
Cypros item Paphio quam pingui nutrit in aruo,
Punicea depexa coma, sed lactea crure est.

Chęrephyllum ideo dictum putant, quòd luxuriosa foliorum fœcunditate uirescat, & largiore coma frondescat. Erucam ideo dictam uolunt quòd erodat. & profecto si degustaueris eam, os & linguã satis acriter uellicabit: nam & bestiolas omnes innascentes corpori erodens conficit. Alij sic nominatam putant, quòd urendi licentiam nanciscatur, quasi dicas urucam, u in e uersa litera. Nec desunt, qui cum edendo sit, esucam primũ: dein facta s in r conuersione, ut fit in plerisque, erucam postmodum dictam contendunt. Apuleius ab hærendo quòd pertinaciter comprehendens cohæresca t: sed de bestiola teneras frondes erodente, quam Græci campen, Latini erucam uocant, loquitur. Græcis euzomum dicitur, quòd iura commendet habeat'que in eisdem peculiarem gratiam. Ocymum, ut Pompeius tradit, à nascendi celeritate dictum est, quod Varro confirmat. siquidem à satu tertio statim die emicat. Sunt qui significantius per z scribendum ducant ab ὄζω quod redolere denotat: quoniam herba tota suauissimum spiret odorem. Est tamen ocymum farraginis quoddam genus uocatum ut Varroni placet, ab ὠκὺς uerbo Græco quod ualet cito, uel ab eo quod citat aluum bobus, & ideo ijs datur ut purgẽtur. Id genus pabuli sunt uirides segetes sectæ antequam gerant siliquas. Contrà ex segete ubi sata admista hordeum & uicia & legumina pabuli causa sunt, inde quòd far ferro cæsum, farrago dictum: aut quòd primum in farracia segete seri cœptum. Ea equi, iumenta uerno tempore purgantur, ac etiam saginantur. Ocymum manibus carpendum iubet Cato. Quod si falcula secueris non renascetur. Sed eo usꝙ dandum bubus dum inarescat, id erat è segete uiridi desecta antequam gelaret. Plinius ocymum antiquos appellasse tradit pabulum umbræ patiens, ꝙ celerrime proueniat. Hæc nobis dicta sint, ne quis idem fuisse putet apud ueteres ocimum & ocymum, quæ tantum una litera dissidere uidentur, uario supra modum significatu. Meretricula Corinthi quædã in comœdijs Ocimum uocata legitur.

Orobanche ab erui strangulatu nomen adepta est, nam eruum & cicer circũligando se necat, strangulatꝙ legumina inter quæ nascitur. Cynomorion etiam eam appellauit antiquitas, à similitudine canini genitalis, non incõcinna repræsentatione si quispiam contemplet herbam, quæ glabro singulariꝙ caule prosiliens, conferctos inter se flores & quasi in glomum collectos præmonstret, genitalis canini effigiem præstare perueſtigabit: quod in summo crassius et quasi galericulo tectum cernitur. Tragopogoni uel hirci barbulæ supra caulem calyx latus funditur, à quo promissæ pendent barbulæ, inde sibi uocabulũ uendicauit. Ornithogalum à lacteo gallinarum candore nomen emendicasse uidetur, cum flores foris herbacei, intus lacteo colore niteant. nisi quis censeat ab oui candidi figura quam radix prę se fert dictum. Nam auicularum oua radix imitatur intus albissima.

Medica natales suos ipso nomine fatetur, locumꝙ unde uenerit uocabulum indicat. externa olim Græciæ à Medis est aduecta per bella Persarũ quæ Darius intulit, hinc gentile nomen retinuit. Porrũ, putãt dictũ ꝙ porro eat & longe lateꝙ grassetur. Græci prason dicunt, à quo praso curides quasi porricidæ uocãtur uirides bestiolę, quę hortorũ olera detõdẽt, ut tradit Theophrastus: quare Palladius apto uocabulo herbicidas exposuit.

Cepa uel in neutro cepe à capitis magnitudine dictũ uolunt, greçè crommyon, ꝙ oculi

pupillam comprimi cogat, Aristoteles in Problematis uocari tradit. nam oculos uellicando expressis subinde lacrymis contrahi pupillas oculorũ certum est. itidem testatur Athenæus. Scorodon, ut Aristophanis enarrator in Pluto tradit, dicitur quasi σκωμὸν ῥόδον, id est rudis & iniuria rosa. ꝙ aspere supra modum redoleat & olfacientium nares offendat. Athenienses cum inopia premebat annonę, aut cum publica fames ingruebat, allijs uescebantur. Latini alliũ uocant, ut puto, ab græco ἄλλειδαι, id est ꝙ exiliendo crescat, sed aphri uocabulum, ancipitem fecit ulpici allij nomenclaturam. Nam uel ab Aphrorum gente sibi uendicauit appellationem, quod & Columella testatur inquiens, Vlpicum quod quidam allium punicum uocãt, Græci aphroscorodon appellãt, longe maioris est incrementi ꝙ allium: id quod etiam Plinius non diffitetur, cum ulpicum alijs Cyprium allium præcipue Africæ celebratum inter pulmentaria ruris contendat. Vel ab spuma quam ijdem aphron uocant, ad quod satis accedere uidetur Theophrastus septimo de plantarum historia uolumine, qui Cyprium allium commemorat ad pulmẽtaria ruris usurpari, contritumq; turgentem flatu, mirum in modũ offam extollit. Cui Plinius astipulatur eadem uerbotenus ab eo detorquens. Celebratum inquit, inter pulmenta ruris grandius. allio trito in oleo & aceto mirum quantum increscat spuma. Liberum æstimantibus iudicium relinquitur. Nam siue aphroscorodon, spumosum siue puniceum uel africum interpreteris, nõ magni referet, nec quicq; authorum placitis uidebitur alienum. Sinapis nomen è Græcia uenit in Latium, censetq; dictum Athenæus sinapi, ὅτι σίνεται τοὺς ὤπας ἐν τῇ ὀδμῇ, uidelicet ꝙ olfactum luminibus officiat. Pleraq; Græcia napy nominat quasi naphy, ut idem interpretatur, quoniam nõ sine natura sit, sed acri et proinde incommoda donetur. Addit ꝙ uel pusillo sit corpore, nãq; ἀφυὲς dicunt quod natura priuatum sit, inde piscis apua nominatur detracta aspiratione. Alij napy per priuationẽ uidelicet νήπιον, quasi immite dici uolunt, quoniam acrementi uehementis particeps sit. Feruidum sinapis semen & acerrimum habetur, quod aperte Nicander in Georgicis testatur canens,

Semina tractanti morsum factura sinapis.

Quare festiue potius quàm ioculariter lepidissimus Græcorũ comicus Aristophanes in Equitibus suis, cum Cleonem ira percitum, rugosa caperataq; fronte, uultuq; rubicundo, truci aspectu, oculis uelut emissitijs, lumen ultro citroq; iaculãtibus, furorem hominis demonstrans, sinapi conspexisse dixit: quasi indignabundum excandescentemq; uirum innuens. Versiculum eius subiunximus.

κἄβλεψε νάπυ καὶ μετὼπ' ἀνέσπασεν: quod est sinapim conspexit & frontem contraxit.

Nasturtiũ ut Varro narrat, nõne uides in eo dici quòd nasum torqueat, uti uestipicam ꝙ uestem spiciat? Quem Plinius imitatus subdidit, nasturtium nomen accepit à nariũ tormento, & inde uigoris significatu prouerbij id uocabulum usurpauit, ueluti torporem excitantis: iubente nobis adagio mandendũ esse nasturtiũ, ut inertibus animi uigorem suscitet & mentis uim obacuat, ueneremq; coerceat. Nec dissimili, ut opinor, ratione ꝙ caput edomet quasi καρήδαμον Græci cardami nomen deflexerũt. nam arcem mentis obsidens suo ferit acremẽto, & ignea ui prædituꝫ caput tẽtat. Sunt è Græcis qui παρὰ τὸ κόρας μύειν, id est ꝙ pupillas oculorũ coeuntibus una palpebris absc̃odat ita dici cõmemorent: nam luminibus admotũ subinde cogit cõniuere & genam genæ cõmitti. A quo ut uolũt euẽtu καρδαμύπτειν uerbũ declinarũt, quod cõniuere nostra lingua dicimus. Nec desunt è Latinis qui hoc olus dictũ existiment, ꝙ cordi cõmodum & utile natura fecerit. Forsitan ꝙ eo Persæ homines olim frugi quotidie cum sale uescebãtur. hoc uiscus Græci καρδίαν appellant. sed nullis hæc ueterum placitis innitũtur, sed magnopere cum Græcorum etymo pugnant. Erisimon ἀπὸ ἐρέθειν nomẽ mutuasse creditur, id est à multiplici foliorũ sectione. nam erucæ modo laciniata cõspiciuntur. Nisi forsitan ab oleris præstãtia quis dictũ uelit, quasi eritimon, quod est pretiosum & nobile. Quare uulgus nobilẽ erucã appellat, Latini Irionẽ ab irruendo, quantũ existimo, dicũt: ꝙ ignea ui, & feruido sapore irruat in gustum.

Thlaspi, uel ut Galenus thlaspe, nomen inuenit à semine quòd lenticulæ sit effigie, nisi quòd infringitur. θλᾶν enim infringere est. Hydropiper nomẽ, ut Galenus est author, à locis quibus nascitur & piperis sapore quẽ præ se fert, possidet, quasi piper dixeris aquatile. nã iuxta stãteis aquas aut profluẽtes pigro lapsu prouenit. quare à natali solo & pipere quod

re quod guſtu imitatur, appellationem contraxit. Piperi peregrinũ nomen eſſe quod tandem uenit in Græciam teſtatur Athenæus, qui nullũ neutrũ in i finiri tradit præter unum meli. Reliqua ut gummi, cyphi exotica ſunt. nos Græcorum imitatione piper dicimus, quanquam & ĭ peperi pronuncient. Lanaria herba ob eximium in uetere lanificio & ſingularem uſum nomen habuit. Nam cum ſuccidæ lanæ œſypo ſpurcatæ, qui concretus in ſordes ouiũ ſudor intelligitur, colores reſpuerẽt, prolutæ radicis huius ſucco, ad quoſcunque ſuffectus imbibendos præparabantur, quibus œſypum erat impedimento. ſic ſordescentes hoc unguine lanas ueteres eluebant, ad munditiem contrahendã, quæ primum ab infectoribus quærebatur, ſordidis colores aſpernantibus: ſic quoq; Romanis à potiore uſu radicula nominatur. Quin & tota fere radice conſtat, quam ſummo ceſpite non in altum ultrò citroq; per longitudinem fundit, prodeuntibus ex interuallo quaſi geniculatim foliis, plerunq; quinis in unum coeuntibus, ex quibus coliculi cum floribus emicãt. à præcipua ergo parte & utiliore radiculam appellarunt. Græci ſtruthium, ſed unde nõ mihi ſatis patet, niſi forſitan à foliorũ poſitu quæ auicularum alas quadantenus imitantur, illi nomen indiderint, nam gens ea ſtruthium paſſerem & minores alias appellat aues. Vel forſitan quòd uenerem ſtimulet. nam laſciuos & procliues in concubitum homines ſtruthos nominant. Porro ſtrutheum ut eſt apud Feſtum, uocant obſcœnam partem uirilem: à ſalacitate uidelicet paſſeris, qui græce ſtruthos dicitur. qua imitatione Martialis Catullusq; paſſerem pro uirili membro in ſuis uerſibus uſurparũt, ut doctis audio placere, quibus uiſum eſt ut qui aliter cenſeant à ueritate profecto deſciſcant. Dracunculus nomen accepit q; uerſicoloribus anguium notis caulis ſuggilletur: ſiue, ut Plinius uult, à cauda quę illi rutila eſt, & draconis intorti modo conuoluta. Cyclamino nomen Græci fecerunt circumactam in orbem eius circinationem contemplati, ἀπὸ τοῦ κύκλου, quaſi ab orbe cyclaminum, id eſt orbicularem dixerũt. Romani rapum terræ, quoniam in terra uelut rapum extuberat: qua ratione terræ tuber, q; in molem quãdam intumeat, aut umbilicum terræ: quoniã ut umbilicus circinata forma emergit, ſic & cyclaminus ſub terra conſpicitur. ſiue libeat umbilicum mediam animantis partem, ſiue extremam uoluminis clauſuram, quæ uelut nodus opus finiebat appellare: quem cũ attigimus & finem aſſequimur, peruenifſe dicimus ad umbilicũ. Lepidium ſuam uim ipſo uocabulo fatetur, quòd lepidas & maculas in facie deleat & repurget, quas Columella uocauit fucas, inquiens,

Ponitur & lactis guſtum quæ condiat herba,
Deiectura quidem fronti data ſigna fucarum,
Vimq; ſuam iccirco profitetur nomine Graio.

emendat cutem in facie & lepras tollit. Batrachion ſiue ranunculum dici puto, quòd limitibus humidis opacisq; marginibus ranarũ more lætetur. Strumeã ab herbariis dici Plinius meminit, quoniã medeatur ſtrumis & panis, parte in fumo ſuſpãſa: uel ideo forſitan q; ſtrumoſa cõſpiciatur radice. Sunt qui uocent apiaſtrum, quòd foliis apium æmuletur: quanq; multi pro meliſſophyllo uſurparint. Anemone flos nunquam ſe aperit niſi ſpirante uento, unde nomen accepit: ſiquidem efflatu uenti ſtatim flores dehiſcunt, & in folia ſeſe explicant. Argemonę nomen effectus attribuit, ſic dicta, quòd albugines & oculorum uitia quę uocant argema, ac nubeculas abigat. uel forſitan quòd uenenis & ſerpentibus aduerſetur nomen habeat, cum ſit Arges Hippocrati nomen anguis, ut Galeno placet. Hederam Pompeius dictam cenſet q; hæreat, uel potius quòd edita petat, uel quia id cui adhæſerit edat. In tutela Liberi patris putabatur eſſe: nam ut ille iuuenis ſemper, ita hæc uiret. Nec ſecus omnia, ſicut ille mentes hominum, illigat. Atheniẽſes Citton, ut Pauſanias tradit, Bacchum appellarunt, quo nomine rigens hedera quæ ſine adminiculo ſtat, ſola omnium generum ob id uocata eſt ciſſos: ediuerſo nunquã niſi repens humi, chamæciſſos. Ciſſon, hoc eſt hederam puſionem Liberi patris fuiſſe Græcia cõfinxit, in nominis ſui fruticem conuerſum, dum miniſter cum eo Deo ſaliens, alliſus terræ perijt. Athenienſes antiquiſſimi duas literas σ̃ & τ̃ promiſcuo uſu alternabãt. quare & ciſſon & citton reliqua Græcia protulit. Dionyſiam à Baccho, id eſt bacchicã appellauit antiquitas, hoc honore Liberũ patrẽ dignata, qui primus ex Indis in Græciã hederã aſportauit. Chelidonio uel ſi placet, hirũdinarię hirũdo auis quę Græcis χελιδὼν dicitur, nomẽ indidit: uel q; hanc pri-

hanc primùm inuenit & oculis pullorum in nido restituit usum, ut quidam uolunt, etiam erutis: uel quòd florent aduentu hirundinum, discessuq; cõmarcescunt. pandioniam quidam è Græcis quoq; nominauerunt à Pandione Athenienſiũ rege. Is autem Progne genuit quam in hirundinem cõuersam poetæ fabulantur: quam mutationem perpulchre cecinit Ouidius sexto suę Metamorphoseos in calce, ubi figmentũ amplissime prosequẽs.

Alsine dicta est, quòd in lucis nascatur quos Græci ἄλση uocant, & nemorosis opacitatibus gaudeat. nãq; magna ex parte umbrosa sequitur, & maxime parietes hortorũ adamat. Myosota, id est auricula muris, nomen inuenit ꝙ foliis musculorum aures æmulẽtur, soricum auribus cum prorepit expressis. Telephium Telephi Mysiæ regis nomen adoptauit, qui uulneratus ab Achille, deploratis fere ulceribus consenuit, quę non nisi ab authore mali sanari potuissent. Putrilaginosis quoq; ulceribus auxiliari tradit Galenus, quibus quòd Telephus laborauerit, telephium cœpit appellari. Agaricum gentile sibi nomen asciuit. nanque Ptolemæus Agarum & urbem & amnem in Sarmatia uocari tradit. Appianus Alexandrinus Agaros Scythicam gentem contra serpentium morsus adhiberi solitam refert: propter quod Mithridates eos apud se habuerit. Rhaponticum à natali solo retulit appellationem. siquidem in ripis Rha fluminis supra Pontum & Cymerium Bosphorum nascitur. Is amnis Tanai uicinus est, in cuius supercilijs eiusdem nominis oritur radix, ad multiplices medelarũ usus proficiens. Celsus radicem ponticam uocauit: Plinius rhacoma, nisi deprauatus sit locus quod fere suspicor. Græci rheon: solus Aetius rhaon ausus est nominare. Gentianam inuenit Gentius rex Illyriorũ ubiq; nascentem, in Illyrico tamen præstantissimam, unde nomen reportauit. hanc uentosis suæ regionis montibus conquisiuit, & inuentam demõstrauit, ut pleniore beneficio remedij genus humanũ demereretur. Iamq; pridem, ut arbitror, uetustissimi regis famam deleuisset oblitio, nullumq; prorsus regiæ maiestatis extaret monumentũ, nisi renascens quotannis herba nobis perituram alioqui memoriam subinde refricasset. Aristolochię ut Dioscoridi placet, appellationem puerperæ tribuerunt, quoniam ἀεὶ εὖ λοχεύσασις, id est puerperis egregie salutaris, utpote quę remoratos menses, hærẽtes secũdas, & reliquias omneis à partu pellat. Plinio Aristolochiæ nomen grauidæ dedisse uidentur, ꝙ ἀεὶ εὖ λεχόσασις: uel, ut idem fatetur, à cõceptu admoto uuluis in carne bubula mares figuret. Nihil tamen grauidis & uterũ gestantibus opitulari cõstat: cum in calce uigesimi sexti menses & secũdas cieре idem tradat Plinius, & emortuos partus extrahere, myrrha & pipere additis pota, uel subdita: quod & Dioscoridis cõfirmat sententia. Nemo siquidem potest inficiari noxiam esse prægnantibus herbam, quæ genitalibus locis menses, secundas, & partus emoliatur, accersatq;: quare in nominis assignatione & uiribus parum sibi constare Plinius uidetur. Cicero libro de diuinatione primo, eius appellationem inuentori retulit inquiens, Quid aristolochia ad morsus serpentum possit, quæ nomen ex inuentore reperit, rem ipsam inuentor ex somnio? posse uideo quod satis est, cur possit nescio. Latinis ut Plinius est author, malum terræ dicitur, quòd tuberibus radicum rotundis præsertim fœmina conspiciatur, ac radix in globum rapi modo rotundetur, Græco tamen nobilior nomine quàm Latino. Nec me præterit Theodorum Gazam cyclaminum, malum terrę uertisse. Glycyrrhiza nomen acceptauit quòd magnã gustanti dulcedinem repræsentet. nanq; qui linguam consuluerit, suauissimũ saporem nõ deesse comperiet. igitur à grato dulcedinis sensu Græci fingendis nominibus felices, uocabulũ indiderunt. Latini eorum imitatione & ueluti uerbum uerbo reddentes, dulcem radicẽ nominarunt. Scythicã Theophrastus appellauit, nondum facta uocabuli recentioris adoptione, ꝙ Scythæ ad abigendam famem uescantur ea. Siquidem hoc exiguo uictu duodecim sæpe dies esuritionis incõmoda propulsant. Adipsi quoq; uocabulũ huic radici dicarunt, quòd excruciantis sitis querelas discutiat, & eius iniurias cõmanducatu leuet. Centauria nomẽ inuenit ꝙ curatus dicitur ea Chiron Centaurus, cum Herculis excepti hospitio, pertractanti arma sagitta excidisset in pedem. quare aliqui quoq; chironion uocãt. Nicãder in theriacis huius inuentionẽ Chironi assignauit, quã cũ in Pelio monte niuibus obsito reperisset, hac ut idẽ testatur, Pelethronius saltus scatebat. Quapropter id fuit causæ cur posteris pelethroniæ cognomen tũ usurpauerit. Aliqui quoq; ab ipsis natalib. appellationẽ indiderũt, ꝙ Maronius Thraciæ mons

ciæ mons huius sit centauriæ ferax, sicuti tenue centaurion libadion uocant, quod secundum fontes nascitur: Latini fel terræ nuncupant, propter amaritudinem summam: uetères Galli exacum, quoniã omnia mala medicamenta potum è corpore exigat per aluum.

Cur Chamæleo uocetur, à uarietate foliorum euenit. mutat enim cum terra colorem, hic niger, illic uiridis, aliubi cęruleus, aliubi croceus, atque alijs coloribus, humi in qua nascitur semper exprimit colorem: non aliter quàm animal chamæleo reddit semper quencunque proxime attingit, præter rubrum candidũq;. Nanque glaber est omnino, eximiáque cutis leuitate speculi modo proximantia quæcunq; æmulatur, & colorum uices alternat: quod Ouidius decimoquinto Metamorphoseon cecinit,

Id quoq; quod uentis animal nutritur & aura,
Protinus assimilat tetigit quoscunq; colores.

Simile quiddam de polypo traditur: siquidẽ cuicunq; cirris nixus hæserit saxo, huius coloris similem repræsentabit. Quinimò proximi cuiuscq; speculario corij leuore faciem mentitur. quo fit ut uersicolorio cutis nitore piscatorum oculos præstringat, & insidiãtium manus euadat, si Luciano credimus, hoc fretus præstigio. Chamæleonem album ixiam quoque dici uideo, quia quibusdam in locis uiscum gignit album sub alis foliorũ, maxime circa Canis ortum, quo thura nasci dicuntur, ex quo serpentes nasci fabulantur. Hoc ut magsticlie utuntur mulieres in Creta insula. Vt Theophrastus est author lachrymam fundit: nam hodie rusticos Cretes audio sagittarum pẽnas eo glutinare. Et quòd ricinos canum necet, iuuencas quoq; anginæ modo, quibusdã ulophonon uocatur, quasi cuncta necans: uel ut enarrator Nicandri tradit ὅλου φονεύκου, id est exitiale totum. Cynozolon quoque propter grauitatem odoris, quod est caninum uirus olens: sicut & cynomazon, q in offa, uel pulte necandis canibus detur. Dipsacus nomen inuenit quasi siticulosi, q concauo alarum sinu rorem uel imbrem concipiat, quo uelut ad abigendas sitis iniurias abutetur.

Labri uenerei nomenclationẽ à carinato foliorum habitu cõtraxit, quæ se anfractuosa sinuant ambage peluim uel lauacrum exprimentia, semperq; rorulenti latícis aut pluuij fidelię modo tenacia. E Græcia nonnulli onocardion quasi asini corculum dixerunt, quòd id animal magna cibi huius capiatur uoluptate, & ad eam cum senserit, magna celeritate feratur. Qui græcolatinam uocem quasi carduum asininum, ut eis uenit in mentem ita accipi uolunt, hallucinantur: quoniã felices fingendis uocibus Græci rarissime à Latinis uocabula mutuentur, quanto minus dimidiatis uelut latinogręci cõpositiones emendicent. Nanq; Dioscorides ut Romanæ linguæ uoces nõ horruit, sic uti proferebãtur ab eis medicinali materiæ commiscuit. Cinara nomen retulit q gentilem ei puellam in hanc herbam uersam cõminiscantur. Sunt qui à cinere dictam autumẽt, quo ut Columella & Palladius aiunt, lætatur: sed horum sententiæ non accedo. Quandoquidem ut statim liquebit, cynaræ uocabulum è Græcia uenit in Latium. Vetustissimi quique Grai cum poetæ tum oratores cynaræ spinæ meminerunt. Callimachus scriptum reliquit circiter Hircanicum mare montes editos uideri pubentibus syluis uirẽtes, in quibus spinosa cynara nascatur. Prodidit & idem Chorasmios solis ortum spectare, qui campos habeant & montes, syluestribus arbustis cynaraq; spina uestitos. addidit itidem propter Indũ amnem cynara campos quosdam uirescere. Polemon quoq; humum quãdam tradit uliginosam fontibus scaturire, & ductibus perinde quasi tubis aquam eructare, montes ibidem inhorrescere cynara. Deinceps alibi subdit, Hinc mõs ambitiosus ad amnem porrigitur, excelsus, syluestribus lucis & spina cynara rigens. Sopater Paphius Alexandri Magni ętate uiuens in commentarijs quos ædiderat, cynaræ uocabulum usurpauit. Ptolemæus Aegypti rex memoriæ prodidit iuxta Berenicem Libyæ, magnam cynaræ uim pleriscq; locis prorupisse, qua direpta, milites hunc secuti uictitassent, sibiq; spinis erutis uescendam obtulissent. Fecit & Sophocles cynaræ mentionem, sed in Phœnice cynaron protulit inquiens,

Spinam cynaron omnem implere uiam.

Didymus grãmaticus hunc exponẽs locum, cynosbaton, uel si mauis, canis sentem intelligi uoluit: q spinosus esset & rubeæ mordacitatis frutex. Quippe cum Pythia ligneum canem ipsum uocauit: & Apollinem cõsulenti Locro redditum est oracului, urbem inibi capesseret habitãdam, ubi ligneo cane morderetur. in crure tandẽ à rubo uellicatus oppidũ condidit

condidit. Iis patet ab omni scribentium æuo Græcis usurpatũ cynaræ uocabulũ: id quod fatetur Athenæus, eam statuens quæ Romanis carduus nominetur, proprie Græcis cynaræ nomen usurpasse. Carduo tamẽ Graiam reddidit originem, Romanis à Sicilia, quæ non procul abest, nomenclaturam detorquentibus. Cactos enim Siculis tantum uernacula, duarum literarum cõmutatione cardui nomen Latinis effinxit. Quamuis cynaros spina cum per y, uocalem scribatur, à cane quem Græci κύωνα dicunt, originem duxisse constat. Vt facile Didymo cynosbaton interpretãti quasi canis sentem uel rubũ assentiar. Igitur esto cynaros acantha, canina spina uel canis rubus. Sed cinara carduus edulis, quæ & sylvestris, agriocinara Græcis dicta, & altilis ubiq; nũc in hortis sata. Neuras nomẽ obtinuit quòd neruulenta torosaq; constet radice. phrynion quoq; dicitur, à rubetis quibus aduersatur: eas Græci phrynos uocant. Acanthion quasi dixeris spinulam: est enim spinæ albæ proxima, minoribus multo foliis. Acanthus pueri in florem sui nominis uersi fabula nobilis, παιδὶ ἐρωτικὸν à puerili, uti suspicor, amore Græci uocant. Aliqui topiariam cognominarunt, & historiali facilitate in omnes formas uegeta uirens q; trahatur, ut in uarias animalium effigies duci, & figuras exprimere rerum multarum possit. Græci quoq; melamphyllon appellant, & folium saturato uirore nigrescat alijs comparatum, quæ dilutiori colore placẽt. Marmorariam quoq; Latinis audio nominari: quæ uox omnibus Dioscoridis exemplaribus deprauata cognoscitur, & acanthi folia columnarum maxime Corinthiarum capitulis insculpebantur, quarum identidem tam scapi q; uertices marmore splendebant. Frondibus acanthi, ut Vitruuius scriptis mãdauit, columnas Corinthias uteres architecti coronabãt: quarum effigies adhuc hodie nostris sese frequenter oculis offert. Spina appendix uocata, quoniam baccæ in ea puniceo colore nominentur appendices, siue, uti ueteres dicebant, ampendices. Lumã pratensis spinæ genus appellabãt, & ab eo lumecta & falces lumarias, ut author est Varro, dictam & à terra luunt, id est soluunt eas agricolæ. Ononim dictã Phocion sentit, & asinos, quos ea gens ὄνους uocat, sese terentes ad illam, scabentesq; iuuet. Complures quoq; Graij herbam sic appellari prodiderunt, & in ea se uolutantes, spinis eius dorsum libenter affricent & scabant. Binominem antiquis scriptoribus esse, una tantũ litera mutata, cõstat, rem tamen semper eandem innuentibus. Sunt qui ononim, sunt & qui anonim malint uocitare. Anonis tamen à non iuuando, & forsitan nullo iuuamine polleat, dici uidetur. siquidem aratoribus inimica est, uiuaxq; nimis fruges opprimit, suis aculeis nocet. nisi quis ex aduerso nomẽ inditum putauerit. Tragacantham Theodorus hirci spinam interpretatur. potius tamen crediderim detortum à Græcis uocabulum, & tragi spinosæ senti Cretę familiari & congener & similis spectetur. Eryngion ex rei natura nomen creditur cõtraxisse ab eructatu, quem Græci dicunt ἐρυγγάω. Nam si qua forsan capella caulem eryngij morsu sectum ore subsustulerit, totus statim grex uelut attonitus subsistit, relictoq; pascendi studio rei nouæ spectaculo captus, non prius herbam demirari desinit, quàm raptũ caulem eructarit, aut pastor prorsus abstulerit: id quod Aristoteles in nouo grege præsertim usu uenire prodidit. post eum Plutarchus refert, & græci complures. Hanc à capitulorum numero centum capita cœperunt omnes appellare. Absinthiũ ab ἀπόθω quod tangendo dicimus, ex aduerso nomen Græci deflexerunt: & nullum animal ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat. Veteres Graiæ familiæ comici apinthion quoq; conformi etymo quasi impotabilem pronunciarunt, & hanc nemo ob insignem amarorem possit ebibere. Hinc Latini absinthium usurparunt, pro re quæ parum allatura sit uoluptatis, non tamen propter commoditatem respuenda. Sic uerebatur Fabius Quintilianus ne liber suus parum mellis, & absinthij multum habere uideretur, essetq; salubrior studijs q; dulcior. Sic aloen pro amaro, quòd à palato paucam iniret gratiam Iuuenalis protulit inquiens,

Plus aloes quàm mellis habet.

Santonicũ gentili regionis uocabulo quam Santones incolunt, ut Galenus est author, cognominant, quod & Dioscorides & Plinius cõfirmant. à Lucio Columella Santonica herba dicitur, quam iubet ad enecandos uitulorum lumbricos cum arida fico & eruo conteri, & formatum in offam sicut saluiatum demitti. Abrotonum sibi nomen usurpauit ut Nicandri testatur enarrator, & cõspectum, tenerum, molle, uel delicatum habeatur, aut &

difficilem

difficilem halitum prospiret. Dioscorides à quibusdam glycyn ancona dicit nominari: sa-
neq; uidetur ad historiam & uetus prouerbiũ respicere. ea est huiusmodi. Lydia gens in
libidinem effusissima, mulieres ingenuas constuprare in hortis ad hoc flagitium quæsitis,
amœnitatibus excultis, aliquandiu impune solita est. demũ Omphale fœmina, domina-
tione haud magno negotio effœminatis & luxu diffluentibus excussa, cœpit imperitare:
ubi eos cruciatibus uarijs affectos ulta est, in uxores eorum deseuijt: inclusas enim eisdem
septis prostituit seruitijs, unde uiridario nomẽ Glycys ancon. quod Thelyphthori et The
lythamni uocabulo significatur, ceu abrotono consitus fortasse locus is esset. Stœchas no
men auspicatur à locis in quibus prouenit, quippe à Stœchadibus Massilienſium insulis.
Origanum quòd mõtibus gaudeat appellationem inuenit apud Græcos ἀπὸ τοῦ ὄρους, id
est monte & χαρᾶς, gaudio. nanq; cliuosis lætatur. Herodianus quòd uisum exacuat nomẽ
duxisse testatur, ab ὁρᾶν uidere, & γανῶ clarifico, quasi aciem oculorũ illustret. nam ut tra-
dunt, præstat ut oculi clarius cernant. Theodorus grammaticus nomẽ ex aduerso datum
putauit, ab ῥιγῶ quod est algeo fieri riganon, quasi rigens censet: & tandem ascita, o, prin-
cipe litera, in origanon esse confictum, cõtrario tamẽ sensu, quòd minime refrigeret. nam
non frigida uelut etymum sonat, sed calida dote prędituin est. Ob has uocabuli uarias ori-
gines inter se certant Græci grãmatici de syllaba secunda sitne corripienda an producen-
da, quã relinquamus eis disputationẽ, id tamẽ dignum quod de eius genere sciatur apud
Aristophanẽ muliebri sexu legi, quem ferè omnes Attici sunt sequuti: apud Anaxandri-
dem uirili sexu proferri: neutro apud Epicharmũ in elegijs. quæ generum discrimina pro-
miscuè recentiores Latinos offendes usurpasse. Origani cognomina sunt heracleoticum,
onitis, tragoriganum, sylueſtre. Heracleoticum gentili Heraclíæ ciuitatis Ponti cognomi-
ne donatũ, in qua maiore pollebat effectu. Cæterę species magis à pecoribus cognomen-
tũ detorserunt. Onitis quod ab asinis impeteretur, appellationem deflexit, quare Nican-
der in theriacis ὀνοπευκάλφου origanũ cognominauit, id est asinifolium quòd ipsis grato ci-
bo cederet. Tragoriganon quasi hircinum origanum, nõ alia forsitan ratione quàm quòd
eius pabuli uoluptate animal caperetur. Simili modo Heracleũ à nobis dici cunilam galli-
naceam Plinius est autor, quòd à gallinis pascatur. In Ponto, inquit Plautus, absinthiũ fit
& cunila gallinacea. Dictamni, ut arbitror, appellationem à Dicte Cretensi monte Græcia
declinauit, quod inibi solum nec tamen adhuc spatiose nascatur: ubi ceruæ primũ dictam-
num ostendere uulneratæ, eo pastæ statim decidentibus telis, inde dorcidium quasi cerua-
riam Græci cognominarunt. Vocant enim sua lingua dorcades, quod nos inulos in cer-
uorum genere minores. A quo etiam effectu beloacos, id est telorũ remedium dixerunt.
Nam sagittas & missiles quoscunq; aculeos eo pastu confestim excutiunt. Quod Virgi-
lius duodecimo Aeneidos suæ non omisit sic canens,

Non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo uolucres hæsere sagittæ.

Hinc quidam belotocon, quod infixa spicula quasi partu quodam excluderet: Sic & arte-
midion quoq; uocant à uenatrice Diana quæ Artemis Græce dicitur. Si quas forsitan im
pressisset cuspides, capræ eo pabulo refigebant. Pseudodictamnum Theophrastus quasi
falsum illegitimumq; dici perhibet, quod à priore uiribus degeneret, non oblitum tamen
omnino prioris naturæ, sed quòd à natalibus descisçat & feracioribus locis lætius exiliat,
à priore facultate deficitur. solent enim nonnunquam loca quædam uires infirmare. Men
thæ nomen suauitas odoris (hoc enim significat hedyosmos) apud Græcos mutauit, cum
alioquí mintha uocaretur, unde ueteres nostri menthæ nomen declinarunt. Strabo in
Achaia montẽ esse iuxta Pylum scribit Mintham nomine, à Plutonis pellice in hanc her-
bam conuersa, Proserpinæ inuidia, quæ uocatur, inquit, à quibusdam hedyosmos, quod
Ouidius in decimi Metamorphoseon calce cecinit,

An tibi quondam
Fœmineos artus in olentes uertere menthas
Persephone licuit? Mentam quoq; dici putant, quòd odore mentẽ excitet. Non
desunt è Græcis qui minthæ uocabulũ ex aduerso ductum esse credant, quòd stercus rem
fœtidissimam sua lingua minthon appellent. sic mintham etymo aduerso quòd iucundis-

sime redoleat, Quanquam Galenus mintham quandam proposuit inodoratam, quam uocãt calamintham, quam nonnullis Grecis sylueſtrem mentham audio nominari. Hanc indigne ferens Ceres odio habuit: quare ſterilem feciſſe fabulantur. Calamintha dicitur quaſi uel bona uel utilis menta: nanq; nidore ſerpentes fugat. quod teſtatur Ariſtophanes iſs uerbis, σὺ δ' ὄζεις καλαμίνθης, ὄφεως ἐλασικός, hoc eſt tu calamintham redoles odore ſerpentes abigentem. Niſi quis putet ab κάλαι, id eſt ligno quaſi lignoſam appellari mentham. Thymus, qua etiam uoce ſignificatur animus, Græcis ab excitando quod θύειν dicunt, nomen inuenit. Aliis potius hoc placet etymum, Thymos quaſi thyæmos, id eſt ſanguinem impellens: ſic thymiama ſuffimentũ quaſi θυμοῦ ἴαμα, id eſt animi medela & ſolatiũ, quòd languescens eo recreatur, dictum putant. Non deſunt tamen qui ab thyo odorifera herba deductum uelint. Alij potius quod hoſtiarum nidoribus ueteres ſuffiebantur: inde thymiaſis ſuffitio eſt. Frugalis Ariſtophani thymus fuit herba, dicenti in Pluto, τῷ δεσπότῃ τἀυτὸμ θύμον φαγοντες, id eſt eundem cum domino thymum edentes, quod eſt herilem participantes. Thymbra ſoli natalis retinet appellationem. eſt enim ſi Stephano credimus, Thymbra oppidum in quo templum Apollini ſacrum: à quo Thymbræi retulit cognomentum. Alij locum eſſe tradunt, quem ſibi ſorte Lycij contumaces adoptarunt: habentq; teſtem Homerum Iliados decimo canentem.

πῶς θύμβρης δ' ἐλαχον λύκιοι, μυσοντ' ἀγέρωχοι,

Vbi Thymbræo Apollini ædes erat ſacra. A thymbra tamen, quæ acrimoniam guſtui refert, thymbrophagi, quaſi acriuoræ dicti, qui non niſi quibuſdam acrementis palatum titillent. Serpillum à Græco uocabulo, ut autor eſt Varro, profluxit una litera commutata, quod dictum ab eo quòd ſerpit. ab Fauonio uſque ab Arcturi exortum, recte è ſeminario transferri iubet. Hiberidem herbam comperit Seruilius Democrates aſſignato inuentioni eius ſenario. Radici odor naſturtij, de quo & cardamantice & cardamina & Apollonio cardame & hiberitis appellata eſt. Galenus hiberida eandem eſſe cum lepidio uocatam coniicit, carmenq; Democratis ipſius prætexuit libro qui Clinicus inſcribitur. Multa de hac Archigenes in epiſtola ad Ariſtonem: eamq; lepidium & agriocardamon, id eſt ſylueſtre naſturtium uocauit. Amaracus Cinaræ regis Cypri puer, qui caſu lapſus dum ferret unguenta, fregit alabaſtrum, deinde cum nimio dolore contabuiſſet, uerſus eſt in ſampſucum, quę ex eius nomine amaracus cœpta eſt appellari. Virgilius,

Vbi mollis amaracus illum,
Floribus & dulci aſpirans complectitur umbra.

Serpyllum dictum putat Varro ab eo quòd ſerpat. Melilotum Latini ſertulam campanam, Cato ſertam campanicam uocat, quia folium eius ſit coronamentis dicatum. unde melilotinæ coronæ Athenæo perquam odoratæ, quæ capiti impoſitę ardẽtes febres maximè refrigerant. Panaces ipſo nomine morborum omnium remedia pollicetur: ob id medicamento ad uina quæ corrumpi nolunt panaceæ nomen dedere ſcriptores Græci. Panaces Aſclepion dictum aiunt quòd is filiam Panaciam uocauerit. Ligusticon quòd Liguriæ montibus innaſcatur uocabulum detorſit. Galenus unius inuerſione literæ libyſticon appellauit. Paſtinacæ nomen à paſcendo ductum uidetur: natura ei calens ſapor uehemens, alit corpus, & uenerem ciere creditur, & ideo, ut Athenæus autor eſt, ab aliquibus philtron uocatur. Careum gentis ſuæ nomine nuncupatum & carium & caroum, culinis principale & in Caria laudatiſſimum. Caron Athenæus paſtinacam maiorem eſſe putat, multo præſtantiorẽ ſapore quàm uulgarem paſtinacam. Eſt & radix cara, qua in rebus geſtis à Cæſare Hircius lacti admiſta multum leuaſſe inopiam ſcribit ſimilitudine panis repręſentata. Meminit & Plutarchus, ſed nomen herbæ non reddidit ῥύτλω, id eſt rutam à Peloponenſibus appellari Iolaus eſt autor: à reliqua Græcia peganon, quòd genituram cogat. Plutarchus à ui nomẽ accipere tradit, quoniam ſiccitate, ſuo calore iuta genitale ſemen contrahat. Ob id prægnãtibus inimica prorſus intelligitur. Ruta in cibo utuntur propter uiſum. muſtela cum angue dimicatura rutam prius edit. Hieracea dicta ex eo eſt quod accipitres ſcalpendo eam, & oculis ſucco tinctis obſcuritatem cum ſenſere, diſcutiunt. Apium Græci σέλινον uocant, & ut Horus interpretatur, quaſi ἕλος σεινόμενον, hoc eſt paludibus impulſum. Quapropter Homerus ἐλειόβρεπτον σέλινον cognominat

minat, quòd paludosis enatum lætius exurgat. Honos ei in Achaia coronare uictores sacri certaminis. Defunctorum feralibus epulis dicari, &, ut Plutarchus inquit, sepulchra eo coronari, unde uetus adagium, Indigere apio, de ijs qui profligata ualetudine utuntur. Idem refert Achillem medicum equorum pabulis apium commiscuisse: nec ab re, quòd quum otiosis prẽter morem equis pedes laborent, nullum apio melius remedium, quo in Iliade usum Achillem inuenies. Smyrnio idem odor qui myrrhæ, unde nomen. hoc & petroselinon sylueſtre uocari scribit Galenus. Anacreon copsion maluit appellare. Hipposelinon à magnitudine nomen traxit, quippe cum Græci magnis rebus hippo & bu præponant. nanque etiam quòd in paluſtribus prouenit eleoselinon uocant. Nicander in theriacis eleothrepton selinon quòd paludis alumnum loco riguo gaudeat. Libanotidis foliis & radice thuris odor, unde nomẽ. Ferulam non minus à feruendo quàm ferendo dictam uideri facit Hippocrates, quin eam pleſtinga uocauit. Asinis gratissimæ sunt in pabulo ferulæ, cæteris iumentis præsentaneo ueneno. Qua de causa id animal Libero patri assignatur, cui & ferula. natura earum murenis infestissima, moriuntur ea tactæ. Peucedanum nomen inuenit à pinu, ut myrtidanum à myrto. quanquam & amaritudinem significat apud Poetas, celebrata inter primas herba. Ammoniacum dicitur quoniam stillet in arenis iuxta Iouis Ammonis oraculum resinæ modo aut gummi. ipsum thrausma thuris habet masculi similitudinem, phyrama uero pingue resinosumq;. Delphinij folia delphinorum effigiem repræsentant, inde tractum nomen. Alysson ita dictum quoniam rabiem canum defendat. Hanc herbam tradit Plutarchus non modo manu tenentes, sed aspicientes quoque rabie liberari. Quapropter consita speluncis prope ouilia, gregibus pecudum magnum adfert iuuamentum, quòd à rabiei periculo armenta uindicet. Atractylide pro colu antiquæ mulieres utebantur. unde proprie nomen. Clinopodion nominatur quòd flores ex interuallis lecti pedum speciem præbent. Lilium è Iunonis lacte natum Græci perhibent, respersa terra dum Hercule dormientis uberibus admoto, mox post suctum digresso late fluxit: ob id & Iunonia rosa lilium à nostris dicitur. Nicander Aphrodites charma, hoc est quasi Veneris uolupe cognominari à quibusdam cecinit. In Co insula ex Alexandri statua enatam in capite ambrosiam Caryſtius quæ nihil aliud sit quam lilium, memoriæ proditum reliquit. lilium Græci crinon, & fruticem eius crinoniam quasi liliarium nominant, ut rosarium & uiolarium. Honor uiolis apud antiquos post rosam & lilium. Violam idcirco dictam ion Græcis putant, quòd cum Io in uaccam ab Ioue cõuersa est, terra florem illum pabulo bouis eius fuderit. Nostri quoque uiolam imitatione græca quasi uitulam uideri possunt appellasse. Nanq; uitula extrita, t, litera in uiulam ad nos transit. Nymphæa nata traditur à nympha, zelotypia erga Herculem mortua: quare heracleam uocant aliqui, alij ropalon à radice clauæ simili. Gentianam inuenit Gentius rex Illyriorum ubique nascẽtem, in Illyrico tamen præstantissimam. Inuenit & Lysimachus lysimachiam quæ ab eo nomen retinet celebratã Erasistrato, aut quia uis tanta herbæ, ut iumentis discordantibus imposita iugo asperitatem cohibeat. quare à dissoluenda dissidentium pugna non inepte lysimachia uidebitur appellata. Ipsi Mithridati Crateuas adscribit unam mithridatiam uocatam, alteram scordion ipsius manu adscriptam. Polemoniam, alij philetæriam à certamine regum inuentionis appellant. Cappadoces chiliodynamin, quòd innumeris sit prædita uiribus. Eupatorium regiam autoritatem habet. Centauria curatus dicitur Chiron, cum Herculis excepti hospitio pertractanti arma, sagitta in pedem excidisset: quare aliqui chironion uocant. Aliud centaurium minus quod fel terræ uocãt, propter amaritudinem summam: Galli exacum quoniam omnia mala medicamenta potum exigat per aluum. Est & centauris cognomẽto triorchis. Theophrastus defendi eam impugnariq; colligentes tradit à triorche accipitrum genere, à quo nomen accipit. qui eam secat, rarum est ut non uulneret sese. Clymenos à rege appellata herba dicitur. Mulieres quoq; gloriam herbarum affectauere, in quibus Artemisia Mausoli uxor adoptata herba, quę antea parthenis uocabatur. Sunt qui ab Artemide artemisiam cognominatam putent, quoniam priuatim medicatur fœminarum malis. Euphorbiam Iuba Ptolemæi pater appellauit, nomine inuentoris medici sui fratris Musæ, à quo Cæsar Augustus cõseruatus est, dicato

herbæ priuatim uolumine.inuenere herbas & ſingulæ gẽtes. Scythia eã primũ quæ ſcythice nominatur,circa Bœotiã naſcens,prędulcis.aliã quoq; utiliſſimã quam ſpartaniam uocant.Magna & ea cõmendatio,q; in ore eam habentes famẽ ſitimq; non ſentiunt. Tradunt ijs duabus herbis duodenos dies Scythas durare in fame ſitiq;.Iſchęmonen Thracia inuenit,qua ferunt ſanguinẽ ſiſti non aperta modo uena, ſed etiã præciſa, ſic à cohibendo ſanguine nomen adinuenit. Vetones in Hiſpania eam inuenerũt quæ uetonica dicitur in Gallia. in eadẽ Hiſpania per Auguſti tempora à Cantabris reperta eſt cantabrica. Secuta ætas inuenit herbã in Marſis repertam in aquiculis circa uicum Neruefiæ, uocatur conſiligo. Britanica in inſulis oceani aut in confini Britaniæ oceano reperta,cuius florem uibones uocant. Strabo author eſt ad Vibonem oppidum è Sicilia Proſerpinam migraſſe ad legendos flores, ubi matronæ collectis eis texunt coronas, hinq; repertum coronis flores nectere. unde putandum uibonum florum nomem ueniſſe.Ii collecti antequam tonitrua audiantur & deuorati, ſecuros in totum reddebant milites Cæſaris Germanici à morbis, ut diximus in mentione huius.Propinqua uiboni Petilia,quę nomen petilio flori dedit in Lucanis: niſi quis à Petilio Romæ luco putet appellatum. Animalia quoq; inuenere herbas,in primis chelidoniam: hac hirundines oculis pullorum in nido reſtituunt uiſum. Et ut quidam uolunt, etiam erutis oculis: aduentuq; hirundinum floret, & diſceſſu marceſcit,unde nomen.Inuenerunt & canes canariam qua faſtidium diſcutiũt, eamq; in noſtro conſpectu mandunt.Elaphoboſcum ceruæ ſimplicius demonſtrarunt. Item ſeſeli enixæ. Dictamnum uulneratæ capræ eo paſtæ ſtatim decidentibus telis.Inter nobiliſſimas ariſtolochiæ nomen dediſſe grauidæ uidentur,quoniam etiam ἀεῖσαι λεχύσαις,hoc eſt puerperis optimæ: quanuis ut Ciceroni primo de diuinatione placet, nomen ex inuentore reperit, rem ipſam inuentor ex ſomnio. Vetuſtiſſima inuenta eſt pæonia autoriſq; nomẽ retinet. Alijs etiam cauſis nomina uidentur herbis indita. Fœniculũ dici putant, quòd ſatum magno cum fœnore ſemen reddat.Hoc nobilitauere ſerpentes guſtatu ſenectã exuendo,oculorum aciem ſucco eius reficiendo:unde intellectum eſt hominum quoq; caliginem eo releuari. Græci μάραθρον uocant. Cæcutientibus (ut Nicander tradit) anguibus,cum uere ſuas ſpeluncas exeunt,marathri ſucco acies oculorum hebetata reſtituitur.Addunt et dracones non id eſſe modo,ſed oculos quoq; linere.Marathrum Græcis dictum putauerim, à marceſcendo,q; ad cõdiẽda plurima cum inaruerit cõmendatiſſimum.Anagyris odore tetro prouerbium peperit in eos iactari ſolitũ,qui offutura ſibi cõmouẽt.Sunt qui nauteã à Plauto uocari putent in Aſinaria: ſed autorem non habent. Nauteam uero herbam eſſe grauem ſcribit Feſtus,qua coriarij utantur, à nauí dictam, quaſi nauſeam.Lithoſpermon Græci uocant,quòd ſemina tanquam calculos ferat candore et rotũditate margaritarum, duritia uero lapidea. Sũma amaranti natura in nomine eſt, appellato quoniam non marceſcit.Coris Hippocrates coren uocat, ut Galenus inquit, argumento ſeminis, quod pupillæ ſimilitudinem repræſentat. Androſæmon, quòd aut floribus aut coma tritis hominis ſanguinem referat. Gramen Marti conſecrauit antiquitas, quòd ex humano ſanguine procreatum crediderit.Quidam Saturno dicant,quòd ab eo ſatum primo perhibeant. Glaucum uero immortalitatem,huius herbæ cibo conſecutum Athenæus exiſtimat,Aeſchionis poetæ uerſibus hærens. Echion dictam uolunt quòd contra beſtiarũ ictus ſit utilis,alij quòd floreſcit capitulis uiperæ ſimilibus: rectius Dioſcorides quòd floribus inſunt ſemina uiperinis capitibus non diuerſa.Alcibion cognominari echin Nicander narrat,ut putant,ab inuentore:echin quòd ictos à uipera ſanet. Sideritis Achilleos dicitur quoniam inuenerit eam Achilles Chironis diſcipulus, qua uulneribus mederetur, & Telephũ ſanauerit. Alij primum æruginem inueniſſe tradunt utiliſſimam emplaſtris: ideoq; pingitur,ex cuſpide decutiens eam gladio in uulnus. Helxinæ in lappaceis capitibus ſemina ueſtibus adhærentia, unde nomen ductum uolunt. Hippuris uel equiſetum. eſt aũt pilus terræ,equinæ ſetæ ſimilis,unde tam græce quàm latine nomen.hanc Dioſcorides herbam à Romanis ſalicem uocari tradit, de qua fortaſſe Verrius homo doctus apud Feſtum intellexerit,cum dicit uirgulti genus eſſe ſalicem,non ridicule, ut idem Feſtus carpit, interpretatus,quòd ea celeritate creſcat ut ſalire uideatur:nam et iteam quaſi ſalicem & anabaſin à ſcandendi more uocitant. Lichen Græcis dicitur,quoniam contra lichenas remedijs

omnibus

omnibus anteponitur, aut quòd lambat petras: nam eis hærens semper adnascitur. Chrysocome comas habet auri fulgore splendentes, unde nomen. Helichrysos ad solis repercussum comantibus in orbẽ foliis fulgore auri, à quo nomen. Alij à uirgine Ephesia quæ hoc flore prima coronauerit Dianam. Coronari eo & deos Ptolemæus rex Aegypti diligentissime curauit, gloriam parere coronatis flore creditur. Galenus hãc amaranti nomine significat: nam corymbos eius nunquam marcescere Plinius scriptũ reliquit. Philostratus coronari quoq; sepulturas adfirmat, atq; Thessalos instituisse primos ad tumulum Achillis. Peristereon Græcis uocata, quòd columbæ in ea mansitent, à Latinis uerbena & uerbenaca, quam uel fœdera facturi uel bella indicturi ferebant. Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens eius quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore æditum: ita discurrẽtibus uenis, ut græcarum literarum figura AI legatur inscripta. Pausanias florem qui natus sit extincto Aiace apud Salamina credi refert æditum primo, nec hyacinthum, sed literis hyacintho similem uideri ex candido rubentem ac lilio minorem. Idem autor Cosmosandalon florem hyacinthum uidetur interpretari, quo coronatos festa, quæ Chthonia uocant agere tradidit. Dioscorides hyacinthum à Romanis affirmat uaccinium appellari, hyacinthumq; in carmine Virgilium uocasse testatur Seruius. Narcissum Græci fabulãtur Cephisi amnis & Liriopes nymphæ filium ob eximiam pulchritudinem à pluribus nymphis amatum, desiderio potiundæ nymphæ tãdem contabuisse, mutatumq; in florem sui nominis. Narcissum à narce non à fabuloso puero Plinius existimat, quòd neruis inimicus sit & caput grauet. Narcissum appellari Plutarchus memorat quòd neruos hebetet, grauitatemq; stupidam inferat. Ideo Sophocles magnorũ deorum, hoc est terrestrium uetus coronamentum appellauit. Idem Plutarchus refert eos hallucinari qui amethyston arbitrantur nominari tam herbam quàm lapidem quòd ebrietatem discutiat. uocatur utraq; à diluto uini colore quem gemma & folium herbæ referunt. Papauer Græcis μήκωψ à μὴ κωνεῖν, hoc est non ministrãdo dicitur: quòd suis fungi munijs uescentes non patiatur. Siquidem ut Plutarchus proditum reliquit, qui prodeũtem auram, halitumue cum legitur succus, non animaduertunt, otio torpentes cõcidũt. Hyoscyamum Græci uidentur appellasse quasi suillam fabam, propterea quod, ut Helianus inquit, pastu huius herbæ resoluantur & conuellantur apri, sed remedium nouere: aquas enim statim adeunt & cancros uenantur, atq; ita protinus saluti restituuntur. Psyllium semẽ in baccis effigie pulicis fert, inde nomen. Aconitum fabulæ narrant ex spumis Cerberi ortum extrahente ab inferis Hercule, ideoq; apud Heracleam ponticam ubi monstratur eius ad inferos aditus, gigni. Alij uomitione eius natum asserunt. nam Cerberus ab inferis euocatus, solis lucem non ferens euomuisse perhibetur, quo uomitu enatum aconitum fabulantur. Nascitur in cautibus nudis quas aconas uocant, & ideo aconitum aliqui dixere, nullo iuxta ne puluere quidem nutriente. Hanc aliqui rationem sequuntur. Alij quoniam uis eadem in morte esset, quæ cotibus ad ferri aciem detrahendam, statimq; admota uelociter sentiretur. Alij à pago, siue oppidulo, siue portu Mariandynorum ad Herculeam ita nominato. Alij quoniam procul & è longinquo mures necat myoctonon appellare malunt, nanq; solo tactu extinguũtur. Alij pardalianches, quoniam solo gustatu pantheras strangulet: alij lycoctonon quia lupos perimat. Alij thelyctonon quod tactis fœminini sexus animalium genitalibus eo die inferat mortem. Fungus ut quidam uolunt, à funere deflectitur. multi uenenati qui diluto rubore, rancido aspectu, liuido intus colore, rimosa stria, pallido per ambitum labro cognoscuntur. Græci mycetas ab ensis capulo uel summo uertice uaginam occludentis appellarunt, à quo procidente Mycenæ nomen deduxerunt: uel ab insigni nympha cuius Homerus meminit ita canens,

Alcmene, Tero, & sertis redimita Mycene.

Ephemerum dictum, quòd intra diem iugulet: seruorum in desperatione confugium. Vrticam ab urendo dictam putamus, quod pruritum pustulasq; igni similes excitet. Græce ἀκαλήφη ut Athenæus putat, quod prurigine cieat nec iucundo tactu. Cniden alij uocant, quòd uellicet & suo morsu sensum lacessat. Cytisus frutex in Cytno insula inuentus, inde translatus in omnes Cycladas, mox in urbes græcas, magno caseo prouentu. Adianti nomen ab euentu, quòd folium eius perfusum mersumq; aqua non madeat, sed simile sic-

co uideatur. Callitrichon & polytrichon à capillo dicitur quem tingit, crispum dẽsumq; faciens. Smilax omnibus sacris & coronis infausta, quoniam sit lugubris, uirgine huius nominis propter amorem iuuenis Croci mutata in hunc fruticem: id uulgus ignorans plerunque sua festa polluebat. Elleboron Græci uolunt appellari quòd cibum corporis eripiat. Sed melampodium iccirco dicitur, quia Melampodem inuentorem habeat, quem alij diuinationis peritum, alij pastorem fuisse tradunt, & furentes Prœti filias Elegen & Celænen dato caprarum lacte, quas elleboro purgatas animaduertisset, sanasse in Arcadia prope Clitorium fontem. Latini ueratrum ideo putant appellari, quòd mentem aduertat. Tithymalum Latini lactucam marinã, aliqui lactariam, quia & Græci galactida nuncupare soleant. Croton Latinis ricinus appellatur, utrunq; à similitudine animalis, canibus præcipuè infesti. Linozostis herba à Mercurio inuenta: ideoq; apud Græcos ἑρμῆ πόαν & ἑρμῆ Βοτάνην, hoc est herbam Mercurij multi uocant. Cnecon pro candido aut flauo Theocritus usurpat, cuius semen candidissimum conspicitur. Heliotropion Celso solaris herba dicitur, quòd circumagat se cum sole, ut ortum eius mane spectet, & eius iter ad occasum usq; etiam nubilo die sequatur. Noctu uelut syderis desiderio florem contrahit, ut nomen indicat. Sed de ijs hactenus, in priuatis singulorum mentionibus longe plura duce deo dabuntur.

Ratio medicaminum & uires. Cap. X XI.

Sed ut rem ipsam ab abstrusiori medicinæ penu abditisq; penetralibus repetamus, medicamentum id proprie dici solet, quod nostram immutat naturam. Cuius uis aut si mauis facultas, effectrix quædam causa noscitur. quæ aut protinus, & actu in opus exeat, uel excalfaciendi ut ignis, uel refrigerandi ut glaciei: aut futura quadam aptitudine, ut pyrethrum ad calfactionem promptum est, altercum ad refrigerationem natum. Vis medicamenti nomen accipit ab effectu quem præstat, à parte corporis cui præcipue dicatur, à uitio cui medetur. Effectus uel à principibus qualitatibus, uel ab ipsius substantiæ concretu, uel ab utrisque proficiscitur. Principes qualitates, calor, frigus, humor, siccitas. excalfacit calor, refrigerat frigus, humectat humor, arefacit siccitas. Substantiæ concretus aut crassus aut tenuis cognoscitur. Medicamentum sibi nomen ascisit aut è membro cui adhibetur, aut priuatim ac peculiariter auxiliatur, ut iecorarium iocineris uitijs opitulatur: splenaticum lienis morbis subuenit: oculare oculorum remedio est: stomachicum stomachi malis medetur: auriculare auribus incommodo tentatis succurrit. Sic ab alijs partibus quibus auxilio sunt, appellationes suas reliqua medicamenta contrahunt. A uitio quoque cui subueniunt nomina sua mutuantur, ut podagricum quod podagris auxilio est. Articulare quòd artuum cruciatibus prodest. Nephriticum quod renum uitia discutit. Ischiadicum quòd coxendicum mulcet dolores. Pleuriticum quòd laterum malis aut inflammationibus remedium præbeat. Tussiculare quòd tussis molestias lenit. Simili modo qui calculos comminuunt & lapillos frangunt, quæq; alios tollunt affectus, ab ijs appellationes sibi uendicant. Medicamentum ergo duplici ratione corpus immutare solet. Primario ac per se, ut quæ suopte ingenio uel refrigerant aut calfaciunt: aut per euentum rei non suapte natura: exempli causa, ut calida quæ excalfactum ab eis humorem eliciunt & euocant à corpore, summoto calore, refrigerare perbibentur. Frigida uero quæ densata cute sic intus calorem coerceant, ut nihil huius expiret corpus, retento calore calfacere usu uenit. Per se & primario calfacere, refrigerare, humectare, resiccare dicuntur, quæ adhibita corpori ab initio ad finem usque magis atque magis suum calfaciendi, refrigerandi, humectandi uel resiccandi munus prosequuntur. Id muneris certo naturarũ ordine præstatur, quare ueteres medici hæc officia in quasdam ueluti classes distribuunt, & in absessus quosdam uel sedes digerunt: ita ut nonnulla primæ classis censeantur, alia secundas sedes sibi uendicant, alia sibi tertios absessus usurpant, alia sibi quartum, quasi summũ ordinẽ arrogant. Primæ classis, uel ordinis, uel absessus (nam idẽ hac nominum ambage intelligitur) medicamentum censetur, quod calfacit, refrigerat, humefacit, exiccat in euidẽti quodã successu. Secundæ classi uel ordini dicantur, quæ manifesto refrigerãdi, calfaciendi, resicandi munus obeunt. Tertio absessui tribuũtur, quæ in suo quæq; genere uehementer citra tamẽ summũ, excalfaciunt, refrigerant, humectant, uel resiccant. Quar-

tam classem sibi arrogantia calida, urendi licentiam nanciscuntur, crustas adustis simi-
les creant. Frigida quæ quartum sibi adsciscunt ordinem, extinguendi sortiuntur effica-
ciam. In ijs sedibus quartis nec humida nec sicca collocantur, cum patientium nomen
meruerint, indignæ sunt qualitates, quæ summum hoc opus uel attentent, uel aggredi-
antur, nisi insigni calore iutæ, quo duce tunc agere conantur, alioqui sola patiendi con-
ditione contentæ. Quapropter in tertia classe siccum citra additum calorem aut frigus,
summam suam uim exequitur. Item humidum in eodem abscessu tertio summam hume-
ctandi possidet facultatem, si non adiuncti uel caloris uel frigoris beneficio suum munus
succrescat. Et idem secundarũ uirium quæ ex ijs principibus enascuntur qualitatibus,
ordines assignari possunt, ita ut stringens, densans, repellens: primo, secundo, tertio, quar
tóque recessu facile notentur. Porrò calidi frigidiq; munera uel effectus non parum iu-
uant concrementi tenuitas, aut crassities. Siquidem calida crassiorem coalitum nacta a-
crius mordent, ac uellicant, ac uehementius exulcerant. Calida quæ tenui concretu pol-
lent, calfaciunt quidem mordéntque interdum ac urũt, sed multo minus quàm quæ cras-
sam sortiuntur conditionem. Frigida uero quæ tenui ualent concretu, in altum acta pene-
trant, uehementiorem morsum imprimunt. Frigida crassitiem nacta extimam cutis super
ficiem non subeunt, nec uellicant. Cæterum tenuia perquam facile in minutissima quæq;
fatiscunt: crassa ægre dissoluuntur. Dura glutinosa uix aut nullo fere modo resoluta de-
hiscunt. fragilia molliaq; citra negotium modò glutine careant, dissolutioni patent. Vim
in suum actum uetat redigi partium medicamenti crassities, quæ minus dissolutioni est
oportuna. Huic suffragatur corporis duritia, quæ est impedimento, quominus quod
allicit calor, repugnante meatuum densitate imperuióque transitu per angustias euade-
re possit. relegat reducitq; natiuus calor intro ad se alliciens, extenuans, comminuens.
Tenue calidum humores digerit, nec in corpus propellit. Tenue uero humidum tepẽsq;
prompte membra subit, nec facile discutitur. ideo plurimo perfundit humore, præsertim
si leuiter astringat. Siquidem quod leui prædítum est astrictione, si humidum, tepens, ac
tenue fuerit, prætenues particulas in meatus ingressas in profundum impellens insinuat,
altiusq; subire cogit, præterea summam cutis faciem densans astringit. Quo fit ut quod
intrò propulsum altius insedit, regredi & foras euadere nõ patiatur, occlusis quibus eua-
nescat spiraculis: quare corpus imbuens efficacissime perhumectat. Cæterum frigida
crassiore concretu prædita superficiem densant, occludunt meatus, substantiam contra-
hunt, & obstipant, humorem intromitti uel subire prohibent: quapropter humectatio-
ni contrauenientia resistunt. Porrò à principibus qualitatibus, calorem dico, frigus, hu-
morem, siccitatémque, secundæ ducunt originem. Nempe uis emolliens calore & hu-
more prouenit: indurans frigore & humore nascitur: laxans humore gignitur immodi-
co: tensoria ex nimia siccitate proficiscitur: consopiens ex uehementi frigore. Et ne re-
liquæ ommittantur, ex substantiæ coalitu proueniunt extenuatoria uis incisoriáque te-
nuitate. Emplastica crassitie ex ijs ambabus nascuntur: astrictoria ex frigore & crassitie:
densatoria ex aqueo frigore: repultrix ex frigore & crassitie: incrassans ex frigore & cras-
sitie: rarefactrix ex calore & siccitate cum substantia tenui digerens ex calore & tenuita-
te: dolorem leuans quam uocant anodynon, ex calore & tenuitate. Detersoria ex calore
& crassitie: expurgatoria ex calore & crassitie, sed minori quàm detersoria: attractoria ex
calore & tenuitate: disrumpens ex igneo calore: amburens uis & exedens ex uehemen-
ti calore & crassitie gignuntur. mordens ex tenui frigore & crasso calore perficitur. Su-
dores & urinas ciens ex uehementer calida tenuiq; substantia. Excretionem iuuans ex
calida & incidente nascitur materia. Purgatoria ex calore & substantiæ similitudine pro-
dit. Lac creans à familiari & modice calida procedit substantia: augens lactis uberta-
tem ex calida nequaquàm resiccante: imminuens lactis prouentum ex frigida, cogente
& incrassante substantia: extinguens lactis abundantiam ex frigida, sicca, totáque substã-
tia. Nec secus semen genitale creans ex tota familiari & mediocriter calida prodit sub-
stantia. Genituram adaugens ex calida non exiccante conflatur. Cohibens uis ex frigi-
da cogente & incrassante uenit substantia: restringens genitura, ex frigida, sicca, familiari
aduersa contrahitur. Carnẽ creans nascitur ex resiccante & detergente sibi primã classem

uendicante materia: carnem absumens ex calida, sicca, tenuique prodit. Cicatricem ob/
ducens ex frigida & astringente fit substantia. Glutinatrix facultas ex sicca & cogente
materia. Crustam inducens ex calida & deurente. Delibutoria uis ex calido, frigido, hu/
mido uel sicco: quòd tota substãtia naturæ aduersetur. Resistens uenenis calore, frigore,
humore, siccitate, adiuuante totius substantiæ similitudine. Cæterum harum qualitatum
indices habentur ipsi sapores, dotésque naturæ nobis ostendunt. ij cognoscuntur hac
serie. Astringens, acidus, amarus, insipidus, acris, salsus, oleosus, dulcis. Quandoquidem
astringens terrestri, crassa, frigidaq; constat substantia: quapropter non immerito dotes
habet quæ contrahant, stringant, densent, repellant, refrigerent, exiccent, sed in superficie
magis. Acidus aquosæ, subtilis & frigidæ est substantiæ: proinde citra calfactionem inci/
dit, extenuat, diuidit, mordet, infarctus obstruẽtes expedit, repurgatq;. Amarus sapor ter
reus, à calore exactè elaboratus, tenuior astringẽte, & acri crassior, calidus simulq; siccus,
tenuis unaq; terrestris: idcirco citra manifestum calorẽ expurgat, deterget, attenuat, inci/
ditq;, menses ciet, à pectore pus extrahit, comitiali morbo medetur. Insipidus sapor frigi/
dus sentitur & aqueus: ideo cogit, contrahit, incrassat, densat, extinguit, stupefacit. Acris
eximie calidus ignea prædítus est dote: quapropter extenuat, purgat, calfacit, attrahit, di/
gerit, incidit, urinas pellit, sudores ciet, menses trahit, disrumpit, exest, adurit, carnem col/
liquat, incrustat, excreationes adiuuat. Acria naturæ aduersantur uel tota substantia uel
solo calore. Quæ solo calore contraria sunt, tenuem uel crassam sortiuntur substantiam.
Acria crassamentum nacta erodunt interna, intestinam concitant exulcerationem: te/
nuem possidentia coalitum acria, menses pellunt, sudores cient, halitum discutiunt, ex/
cretionibus auxiliantur. Sed acria quæ sibi humorem adsciuerunt, edendo sunt. Salsus
sapor terrestrẽ calidamq; sibi uendicat naturam: ideo cogit, densat, contrahit, cõstringit, le
uiter digerit, condit, absterget, exiccat. Dulcis sapor calorem hac lege possidet non ut no/
xã inferat, modicè tamen nostrũ uincit calorẽ: quare concoquit ac maturat, laxat, rarefa/
citq;. Oleosus sapor aqueã aeriamq; cõcepit naturã: quapropter humectat, emollit, laxat.
Duritia contrahitur cõgelatione, repletione, aut harũ coniugio. Congelationẽ uehemẽs
frigus adfert. causam exhibet frigoris quod foris incidit, aut propria partis intemperies,
aut humor confluus in partẽ decũbens. Foris incidit aer, aqua, medicamentũ. Siccitas cõ
trahitur uehementi insolatu, lõgiore inedia, ardenti febre, siccantiũ medicaminũ usu. Igi/
tur quod siccitate fuit obduratũ, humectationẽ desiderat: quod gelatu concretum obdu/
ruit, calfactionẽ efflagitat: quod plenitudine durescens turget, inaniri deposcit. Quę uerò
partim siccitate partim oppletione occalluerunt, & calfieri & uacuari postulant: quæ etiã
frigore & siccitate cõdurescunt, madefieri quærunt. Porrò emolliri proprie dicuntur quę
cõgelatu durítiã contraxerunt, in quibus humorem præter institutum naturæ coaluisse
certum est. Oppleta refrigerantibus inaniuntur, aut calfacientibus, peculiarius tamen
siccantibus. Refrigerantia uel introrsum humore propellendo, uel cum calore excluden
do uacuant. Calida uero inaniunt hac ratione quòd humorem digerant in uaporem
& per halitum excutiant. Resiccantia uacuant quòd humorem exhauriant ebibántque,
aut partem immutent. Itaque emollientia proprie calorem obtinent nostro maiusculum,
sed non uehementẽ, humoremq; nostro minorem, idcirco aliquantulũ resiccãt. Durítiam
tensio sequitur: mollitiẽ laxatio. Sensiunt laxitatẽ ligamenta, tendones, cutis ipsa, eiq; sub
diti musculi cum copioso humore imbuuntur. Tensionem experiuntur partes quæ per/
frictionum iniurijs patuerunt, aut aridítate rigent, aut inflammationibus obsidentur, aut
durítia tumẽtes occallescunt, aut copia carnis extuberãt. ita laxare credũtur quæ inaniũt,
emolliunt, humectant, calfaciunt, & quę tumorem præter naturæ decretum prosilientẽ di
scutiunt. Cæterũ quæ puri mouẽdo sunt, ac immaturorum concoctionẽ moliuntur, calo/
rem possident nostro q̃ simillimũ, uernaculumq; corporis humorẽ nec adaugent nec im/
minuũt, sed fouẽt ascititiumq; in spatijs receptũ digerũt. Quin & igniculos natiui caloris
fomites ampliãt: idcirco emplastricã uim adipiscãtur, oportet, simul ut cutis spiracula mea
tus suo infercto claudant, simul ut impedimento sint ne dissipatus calor euanescat, sed
hoc fretus adminiculo sese recolligat. Emplastícum medicamen aut glutinoso aut sicco
constat habitu. utrunque meatibus illitum tenax obhæret: sed siccum terrestri constat

natura

natura mediam calidorum frigidorumq; ſedem ſibi uẽdicat, aut paulum ad frigoris latus inclinans uergit. porrò glutinoſum aerio aquoſo terreſtriq; concretu conflatur. Ad idem ferè genus referuntur quæ ſordem creant, quibus aduerſantur ea quæ ſpurcitiæ detergẽdæ naturam conceperunt: quemadmodum cum emplaſticis pugnant, quæ meatus infercios expediunt, ecphractica græci uocant. Siquidem detergetur & cutis & ulcerum conſpurcata ſordes medicamẽto, quod corporis craſſamento pollet. Extricãtur impacti meatus, repurganturq; ijs auxilijs quæ tenuiorẽ nanciſcũtur materiã. Detergere ſolent amara, nitroſa, dulcia. infercius laxant ac expurgãt tã externos q̃ inteſtinos nitroſa amaraq;: ſed interius aſtrictionẽ deſiderant, foris exquiſitiori ſorte contenta: quando nitroſa & amara meatus grãdes, qui in conceptaculis interioribus patent, & in uiſceribus hiant, detergere & repurgare poſſunt: exiguos arctoſq; meatus, quales in cute cernuntur, prius aſtringendo claudunt quàm ſordem repurgare ualeant. Sic abſynthium intus purgare poteſt, foris nõ poteſt. Incidens medicamentum ſiue calida ſiue frigida ſit præditum natura, tenui ſubſtantia pollet. Quapropter tam cutaneos meatus quàm carni ſubditos ſubit, offendenſq; impactos illis humores etiam lentos minutatim diſſecat, diſſectos ut expulſioni facile cedentes, excutit. Ideo ab emplaſtico glutinoſo aduerſa natura diſſidet. Extenuans medicamentum calore, corporis ſui ſubtilitate fretũ, facile meatus ſubintrat, & craſſo occurrens humori, ſeſe cauſa ſuæ tenuitatis inſinuat, hac ratione extenuandi præbet effectũ. Incraſſans auxilium frigido, terreſtri, uel aqueo concretu gaudet, frigore cogens & coactu incraſſans. Rarefaciẽs præſidiũ modicè calidum & minime ſiccum noſcitur, partium tenuitate ualens: ideo diffundit, laxat, & cutis meatus dilatat, aut quod idem eſt, rarefacit. Aperiunt medicinæ bifariã, aut proprio ingenio & per ſe, ut quæ uenarũ ſpiracula laxent, earumq; ora aperiant. hoc munus præſtant calidæ nullã adurendi licentiã nactæ, craſſitudine particularũ inſignes & ignea ui pollẽtes acri uellicatu, anaſtomica Græci nominãt. Abeuẽtu & improprie aperiunt quæ detergendi, uacuãdi & repurgandi naturã habent. Pugnant denſantia medicamẽta rarefacientibus, & cõſtringentia aperiẽtibus. Denſant itaq; frigida nõ utiq; terrea nec aeria, ſed aquea. nanq; propter mollitiem leuiter contrahunt ac ſubſtringunt, tenues cutis meatus obdenſant, totum tamen inſtrumentũ conſtringere nequeunt. Cõſtringens ſeu contrahens medicamentũ craſſo corpore cõſtare debet, hiantia uaſorum ora concludere, exiguos meatus non ſubire, ſed foris incumbere. Siquidem ſuo frigore intro premit atque contrahit, humorem depaſcens reſiccat, roboratq; partem. Repellit frigidum craſſæ ſubſtantię coniunctum, meatus aſtringit. Conſtringens retro compellit humorem. Attractorium medicamentum aut naturæ naſcitur ſponte, ut thapſia: aut ex putrilagine originem ducit, ut fimum. Attrahit ſubſtantiæ ſimilitudinis cauſa, ut bilem ſcammoniũ, calore magis ſi tenuitas ſit adiuncta. quippe cum extenuando ſequacẽ atque prõptiorem tractui reddit humorem: ruborẽ ac puſtulas in ſuperficie elicíens excitat: digerit in halitum quod nec uehementi calore nec ariditate multa præditum eſt. Tenuitate partium pollens, ideo meatus aperit, humorem extenuat, tenuatum in uaporem exoluit ac diſſipat. Medicamentum quod dolorem abigit anodynum Græci nominant, duplex habetur: uerum, quod dolorem tantum mulcet: hoc temperamento calidius euaſit, ita ut quod partibus hærens inſedit atq; dolorem creabat, digerat, rarefaciat, extenuet, concoquat & ad æqualitatẽ perducat. In partes decũbit & eiſdẽ cohęret acris humor, lẽtus, craſſus. Inſidet & uaporoſus ſpiritus, algens tenax. Anodynum nõ uerũ uocant quodeximio frigore ſenſum ſopit: uel quod humoris acrimoniam dolorem creantis demulcens hebetat, ut lac, oleum, & alia dulcia. item quod affectum ſanat. Summe refrigerat quod ſenſum conſopit, ita ut delegatam à cerebro uim membrũ algens excipere nequeat: id non aſtringit, quòd aquoſam ſibi conditionem adſciuit. Quæ uehementem urendi licentiam nanciſcuntur eximium cum craſſa ſubſtantia calorem poſſident: quapropter erodunt, exedunt, excruciant. quæ mitiore adurendi ſorte contenta ſunt, calida noſcuntur, tenuitatéque partium ualent: ideo non uellicant, non morſu laceſſunt, nec cruſtas creant: ſed citra morſum, citra doloris ſenſum carnes colliquant. Porrò cæciorem doloris ſenſum adferunt, quæ nondum contractum immutant. Contrà maximum inflígunt quæ ſubito & affatim imprimunt, ac uiolento pene tractu ſubeunt. Putrefacientia

medica

medicamina in duplici traduntur discrimine, septica græci nominãt: uera, quę calorem & humorem nacta cum fœtore substantiam labe corruptionis polluunt. non uera, quæ sine fœtore adurunt, eliquant, absumunt, corrũpunt, & citra euidentem doloris sensum, ut arsenicum, chrysocolla, dryopteris, pityocãpe, aconitũ. Verũ enimuero putrefaciens utrũq; & citra dolorẽ & uellicatum labefactat. Corruptio uera cum fœtore putris marcor habetur, ut non uera sine fœtoris uitio putris est labes. Corruptionem sentiunt omnia caloris, frigoris, humoris & siccitatis excessu. Putrefactorum generis esse traduntur, quæ Græci cathęretica dicũt: sed imbecilliora ea uehementer resiccant, tantũq; extimã carnis superficiem detrahunt, sed in altum subire & penitus ferri non possunt, mediam inter ea quę ualenter detergunt & cicatricem inducunt sortita conditionem, non eandem tamen ijs quæ ulcera cicatricibus claudunt. Siquidem quæ cicatricem obducunt, carnem in cutem demutant: ideo quæ perducunt ad cicatricem, contrahunt, astringunt, stipant, densant, & instar calli durant, resiccant quod in fluxu decubuit, absumunt humorem qui in carne conceptus hæret, nonnihilque ex eo deradit, qui uernaculus parti natiuusq; consedit: ideo glutinatorio medicamine multo siccius censetur. Quando siccat quod aliunde in aliquam partem se contulit, ut ea superuacuis exoneretur, absumit quod per naturam redundauit, uerum iacturam carnis non resarcit, nec eget ea recreatione: quapropter plus exiccat quàm medicamentum quod carne replet. porrò non expurgat, sed substantiam omnem in unitatem cogit, ut in idem coeat corpus. Quod uerò carnem creat, primam siccantium detergentiumq; sedẽ obtinet; nanq; humoris abundantiã resiccare & sordem detergere, sui est muneris. Sudores euocant calida, quæ extenuent & digerant humores, meatusq; rarefaciant, ut incisus humor liberaliter eliciatur. Nanq; sudores duce natura prorũpunt, cum superuacuũ inanit humorem, egeritq; : aut cũ ea fuerit imbecillior q; ut humorẽ continere ualeat, hiantibus iam quibus erumpit spiraculis, extenuatoq; qui excernitur humore. Vrinam ciere proprie dicuntur calida acriaq;: quippe quæ urinas pellunt, sanguinem debent digerere, extenuare, fusiorem reddere, secernere, ut lac coagulare. Coit sanguis seroso ac tenui seorsum secreto, crassamento in se coalescente. Vrinas etiã mouent quæ lac creant, menses ciunt. Lacte mulieres deficiuntur quibus aut perpaucus adest sanguis, aut uitiatus. Si exiguus respondet, uictus rationẽ calidam ac humentẽ sequi oportet: si uitio tentatur, aut corruptionis labem sensit, aut à sua desciuit natura, ut bilis. Crudus nõ omnino censetur alienus, cũ concoctione probus effici possit. Si corruptionis labem cõtraxit, primum est mittendus, deinde calida & humida uiuendi ratio indicenda: si cruditatis languore laboret, excalfacientia primi aut secundi ordinis efflagitat, quæ tamen minime desiccent. Menses cient quæ lac creantibus plus excalfaciãt, nec tamen potenter resiccent. In menstrua purgatione uenæ magis aperiri & sanguis manantior euadere debet. quandoquidem menses in uenas uteri pulsi mittuntur, non trahuntur: sanguis uerò in ubera & impellitur, & ab eisdem elicitur. quare ut in mãmas feratur, leuiorem medicaminis opem desiderat. Lac augẽt quæ suo mediocri calore nullã adferant exiccationẽ. Lactis prouentum restinguunt sicca, aut frigida, aut quæ suapte natura lacti creando resistunt. Lac supprimunt tam medicamenta q; cibi qui refrigerent, cogant, incrassent, stabiliant. Genituram augẽt probè nutrientes cibi, flatuosi, familiares: nec secus medicamẽta quę calfaciant & spiritus creent. Genturã euocant calida flatuosa: cohibẽt ac supprimunt medicamenta alimentaq; quæ refrigerent, cogant, incrassent, statuant. Genturã extinguunt sicca, frigida. Excreationem adiuuant incidentia, calida, non admodum nec nimis exiccantia. Sed hæc cũ potionibus aut sorbitiunculis humectantibus adsumi debent. Aduersantur excreationi quę lotio ciendo sunt. quoniam humorem, qui debet expui, calfaciunt, exiccant, cogunt, ac tenues eius partes secernunt separantq; , & quod crassum ex secretione relinquitur, cogunt, & quod in ipso coactu feresci excernunt: quod uerò coaluerit siccatum, ægrè expuitur. Calculos comminuunt & exterunt quæ desiccandi naturam habent minimumq; caloris possideant: nam calculos creant quæ uehementer excalfaciunt. Purgans medicamentum & peculiariter & communiter dici conuenit. Quæ proprie purgant, uim attrahendi, unum, duos, aut complures humores substantiæ similitudine adipiscuntur, uomitus eliciunt, alui deiectionem moliuntur. communi uocabulo purgare di

gare dicuntur quæ quauis ratione uacuant: ut quæ sternutamenta mouẽt, humorem à cerebro per nares eliciunt, sine peculiari trahendi facultate. Gargarissatus & quę mansu humorem per os euocant, & per nares cerebri pituitam eliciunt, item quæ naribus hausta rapiuntur, errhina Græci nominant. Pessi tum calfaciendo tum extrahendo uterum inaniunt. Item fotus extenuantes, medicinæ aperientes, ac digerentes, & id genus aliæ reliquas corporis partes sine propria trahendi ui repurgant. Delibutoria uenena corpus offendunt una uel altera qualitate, totaq; substantia. officiunt suo calore, frigore, humore, siccitate: quare uenenum frigidum calfacientibus remedijs quæ uocant alexiteria debellatur. Frigidum calfacientibus abigitur. Humidum siccantibus discutitur. Calidum & humidum calida siccaq; desiderat auxilia. Et siccum frigidis & humidis expugnabitur. Frigidum & siccum calidis & humidis infrenabitur. Omne tamen delibutorium uenenum impositis forinsecus remedijs elicitur, calore & similitudine substãtiæ extrahente. Remedia quæ uenenum exigunt, similitudine substantiæ media inter corpus & uenenum esse debent, & moderata quantitate sumi. nanq; si exibitum alexipharmacum ueneno propinquius fuerit, ritu uenení corpus offendit, nec substantiæ similitudine retrahet: proinde nihil aut parum utilitatis sunt allatura. Eadem ratione quę uenena expugnãt alexiteria Græcis dicta, si largius adsumantur grauem corpori noxam inferunt: parcius desumpta uincuntur. quapropter aut parum aut nihil proderunt.

Concordiæ & discordiæ naturales rerum. Cap. XXII.

PErmulta rerum parens creauit natura quæ uel cæcis laborent discordijs, uel quæ consensu mutuo concordent: hoc sympathiam, illud antipathiam Græci uocant. quemadmodum Plutarchus secundo Symposiacorum scriptum reliquit. Quare non fuerit alienum paucis perstringere quę miraculo digna frequenter nobis occurrunt, quæ & studiosis rerum honestarum & elegantibus uiris non parum gratiæ & ornatus adferunt. sed ea neminem latere debent. Insanus ac furens elephas ariete cõspecto mãsuescit: idem subrumi suis grũnitum horret. Taurus quantũcunque ferox mitescit domaturq; fico arbori adalligatus. Equus à lupo mordicus apprehendẽte corrosus, & indolis probitate & pernici cursu pollebit. Ouillæ carnes quæ lupini morsus iniuriã sensere, suauiores tenerescũt: sed ouium earum lana pediculos etiã neta creat. Hæc Plutarcho referimus accepta. Pamphilus in naturalibus est author equos uestigia luporũ calcantes obstupescere, ac cruribus totis conuelli. Lupus uero scyllæ bubos contingens resolutus fatiscit. Homo quem lupus prior uiderit, ut Plato in Politia refert, obmutescit & grauem uirium iacturã facit. ita luporũ uisus noxius creditur, uocẽq; homini quem priores contemplẽtur adimere. Leo frondem ilicis supergressus obstupet. idem leo gallum ueretur, eundemq; galli gallinacei cantus magis terret. Hyænę umbrę cõtactu canes obmutescunt, quam præteriens ea, lucente luna ab alto tanquam fune nixa se demittit. Nestor asserit hyænã quæ uel hominem uel canem conspexerit dormiẽtem, suũ protendere corpus: & si dormientis magnitudinem excedat, dementiam excitare, eiusq; manus ut ne conetur quidem resistere, depascere: si uero se breuiore habitu imparíq; proceritate contueatur, pernici cursu celerrimisq; pedibus fugam arripit. Quod si in te forsitan sæuiens proruat, obsistendum prorsus ne à dextris inuadat, quoniam stuporem adferet, cui in uestigio hærens occurrere non ualebis: si ad læuam detorserit, intrepidus irruito, sic eam hoc impetu torporem confessam enecabis. Hyenæ linguam tenens à canum in cursu tutus seruabitur. Cancer obiecta polypodio herba callos pedum & ungulas exuens abijcit. Vespertiliones hederæ suffitu necãtur. Odor unguenti uultures extinguit. serpens iniectis frondibus quernis emoritur. in uestigio gressus hæret deiecta ibidis penna. uipera arundine percussa torpet, sæpius icta sese recollígit. Testudo serpentis esu morbũ concipit, origani postea cibo noxa discutitur: cõtra serpentes pugnatura hoc se munit. Vipera fagi ramulo contacta confestim obstupet. Ciconiæ platani folia nidis adferunt ut uespertiliones abigant. Hirundines ut silphas & blattas à nidis arceant, apium inspergũt. Cæterum ut noxias nidulis bestiolas fugent, ingerunt palumbes laurum, accipitres syluestrem lactucam, harpæ aues hederam, corui aron, upupæ adiantum, cornices supinam uerbenacam, turdus myrtum, perdix arundinem, ardeola careon, aquila callitrichum,

galerita

galerita gramen,unde græcum manauit adagium, ὑπὸ κορύδου κοίτῃ σκολιὸν κέκρυπται ἄγρωστις, quod est:graminis intorti lustro cassita recūbit. Vitice ut inquit Athenæus,in nidos suos parituri cygni ferūt. Aristoteles & Theophrastus memoriæ prodiderūt animalia bifariā gigni,aut coitu,aut sua spōte putrescente terra:adduntq; animantes quasdam ac stirpes à propria natura in alienam deficere. Eruca ascitis alis in papilionem abit. Erucæ quæ in fico nascuntur in cantharidas degenerant. Hydrus siccatis lacubus exhaustisque stagnantibus aquis in serpentem descisit. Cæterum sunt quæ statutis tantū temporibus huiusce modi mutationes sentiunt,ut accipiter,upupa,erithacus,& quæ phœnicurus appellatur: æstate hos transitus gnorūt. Fiscedula & atricapilla quæ Græcis melancoryphos appellatur,altera in alteram transit sic,ut quæ ineunte autumno fiscedula fuerit, uindemiarum exitu in atricapillam uersa conuolat. Marinę aues cunilam qua exulceratis rostris medeā tur,petunt. Raphanus impositu scorpionem necat. Si quispiam à scorpione percussus in caudam spectans asino insideat, pernicioſum sessoris uirus eliciet. transitus indicium est cum deflat & pedit asinus. Si punctus à scorpione in asini auriculā dicat, me scorpius icit, nullum sentiet dolorem, cruciatu protinus in bestiam transeunte. Formicæ ne recondita frumenti semina rursus in fruges exeant è terra,medullam granis eximunt, maiora ad introitum diuidunt. Semina quæ bubula cornua tempore sementis attigerint,igni nō absumentur. talia uocant Græci cerasbola. Magnes lapis ferrum ad se trahit, rursusq; abigit à sese si allio cōfricetur. sed ut extincta fere uis reuiuiscat,ac recreetur,hircino proluitur sanguine. Electrum lapis siue succinum paleas leues atque quisquilias omnes ad se rapiēs allicit,solum respuit ocimum. Aetites lapis duplici notatur discrimine:alter rarior altero in utero sonante cauus,alter solidus.is amuleti modo mulieribus alligatus quæ uētrem non perferunt,lubricos partus ac procidētes ad maturitatē continet. Coralius lapis in domo inuidiam omnem amolitur & insidias expellit. itidem assula hebeni & aspalathi radix,& odorata anagallis herba,item arescēs scylla in limine uestibuli suspēsa maleficiorū introitum pellit. Gagates lapis suffitus nidore serpentes fugat. idem frigida maceratus aqua & admotus igni flammā concipit quemadmodum testatur Nestor,oleoq; superiecto restinguitur. Amiantum ignibus inuictum etiam si medijs obruatur flammis nō ardebit. Salamandra exiguum animal ignibus indomita non deflagrabit. Tauri illitis rosaceo naribus oborta uertigine cōcidunt. Hæc Zoroaster ille qui ex delectis ueterū placitis geoponica condidit. Sed aliqua subijciemus non minore miraculo digna. Echineis Latinis remora, paruus admodum piscículus,sic dictus quòd naues teneat,aut remoretur.is, ruant uenti, sæuiant procellæ,imperat furori. uires tātas compescit & stare cogit nauigia,infrenat impetus & domat mundi rabiem. nō aliter quàm adhærendo,sistitur nauis contra tot impetus ut uetet ire nauigia. Echineis ut Plutarchus inquit, in causa est quapropter tardius repat & prolabatur nauis. Nanq; carina expeditior alacrius discindit & sulcat fluctuantes maris undas. Verum cum fuco,musco,uel cæteris irretientibus herbis implicita in lentā resídemq; fertur aquam,dissecans carinæ uis occursu lentoris hebetata, non facile tumētes maris fluctus resoluens expedit. Quare musci,algæ,fuci nautę deradunt impedimēta, quibus hærentem piscículum lētitiæ par est authorem haberi,non tamē causæ consequiū tarditatem parientis. Is nauem in Siculo mari tantisper remoratus tenuit,dum disquirentibus circa nauim adhærens sub prora captus est,corpore oblongo,capite acuto. hęc Plutarchus. Torpedine etiā pisce procul & elōginquo,uel si hasta uirga'ue cōtingantur quāuis prævalidi artus torpescunt. Eadem quamlibet ad cursum ueloces alligare pedes prodi tur,ut necessum sit fateri uim aliquam,quæ odore tātum & quadam aura sui corporis afficiat membra. Ficus arbor fulmine non icitur. Vituli marini tergus & hyænæ pellis de cęlo non tanguntur. Quare gubernatores ijs extrema uela muniunt,ne fulmine contacta deflagrent. Bulbus nō sui corporis exiguitate fulminis impetum euadit, sed aduersam & fulminis ictum retorquentem naturam possidet, antipathen appellant Græci. Icta fulmine corpora incorrupta manent,quapropter neq; ea cadauera ueteres urebant, neq; terra obruebant,ut ne ullam quidem ea sentire corruptionem omnibus perspicuum esset. Quare Clymenen Euripidis poetæ damnant, quæ Phaethontē de cælo tactum in uallibus cō putrescere cecinerit. unde Græci ab odoris similitudine θεῖον sulfur appellant,ab aura acri

& ignea

& ignea, quam experta fulmen corpora fusius eructant. Ob id & canes & aues huiusce modi cadaueribus abstinent. Syderataq; hæc corpora sulfur perinde quasi sal insparsus à corruptione uindicat. fulmen dormientibus parcit, quos ut cedentes nec ullo renitentes pacto feriri negāt. Eryngium ore capræ sumptum totum sistit gregem. Tenerescit gallus qui iugulatus in arbore fici pependerit. Hæc auram acrem, calidam & digerētem expirat. Aeneus clauus carnibus infixus eas putrilagine diutius illæsas tuetur. Rupicis auiculæ conspectu regius sanatur morbus. Reliquarum auium pennæ aquilinis permistæ in tabem resoluuntur. Hæc sparsim Plutarchus. Cæterum alijs atq; alijs concordiæ & discordiæ miraculis occursantibus, quercus & olea tam pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe depacta moriantur: quercus uero & iuxta iuglandem nucem. Pernicialia & brassicæ cum uite odia. ipsumq; olus quo uitis fugatur aduersum cyclamino & origano perarescit. Quin & ramosas etiam quæ sternantur arbores difficilius cædi, ac celerius inarescere tradunt, si prius manu quàm ferro tangantur. Lætiora proueniūt omnia cui scylla fuerit adsita. Arbores omnes infructuosæ adacto palo uelut initæ fœcundantur. Pomorum onera à iumentis statim sentiri narrant, nisi prius ostendātur ijs: quamuis pauca portent sudare illico. Ferulæ asinis gratissimæ sunt in pabulo, cæteris uero iumentis præsentaneo ueneno, qua de causa id animal Libero patri assignatur, cui & fere ferula. Cucumeres oleum mire oderunt, aquas diligunt, desecti quoq; ad eas modice distantes adrepunt, contra oleum refugiunt, aut si quid obest, uel si pendeant, curuantur. Idq; una nocte deprehenditur, si uas cum aqua subijciatur, à quatuor digitorum interuallo descēdentibus ante posterum diem: at si oleum eodem modo sit, in hamos recuruatis. Oleum omnibus satis inimicum. emoritur stirps quæ fuerit eo peruncta. Quare oleosæ arbores cæterarum insitionem respuunt, ut & pingues resinam aut picem collachrymantes reliquarum inoculati onis consortium aspernantur. Nam & quercus bona pyra ferre uisa est, & platanus poma, & punica mala myrtus. in picea uero & pinu insitus termes comprehendisse negatur, quia pingue quippiam cauato uulnere et oleaginum plorent. Nec cupressus nec picea nec strobilus nec pinus ab agricolis est conspecta, quæ alienos partus aluisset. Similis uis concordia ualentium. Pix oleo attrahitur, quando utrunq; pinguis est naturæ. Oleum solum calci miscetur, quando utrunq; aquas odit. Gūmi aceto facilius eluitur: atramētum aqua. Polline nimium salem & furfure cocí cibis eximunt. Prædulcium fastidium sal temperat. Nitrosæ & amaræ aquæ polēta addita mitigātur, ut intra duas horas bibi possint: qua de causa & in saccos uinarios addit. Innumera præterea alia quæ suis locis dicētur assidue. Nec minus mirabilia sunt quæ medicorum ingenijs reperta sunt. Vomitione canes, purgare aluos ibes Aegyptiæ curant. Auditum est pantheras quæ in Barbaria uenenata carne caperentur remedium quoddam habere, quo ut essent usæ, non morerentur. Capras in Creta feras cum essent infixæ uenenatis sagittis herbam quærere, quæ dictamnus uocatur, quam cum gustassent sagittas excidere dicunt ex corpore. Ceruæ paulo ante partum purgant se quadam herbula quæ seselis dicitur. Iam & illa cernimus ut contra metum & uim se armis defendāt cornibus tauri, aprí dentibus, morsu leones: aliæ fuga, aliæ occultatione tutantur. Atramenti effusione sepiæ, torpore torpedines, multæ etiam infectantes odoris intolerabili fœditate defendūt. In ijs rebus est ille uelut consensus, quam sympathiam Græci uocant. Hæc Cicero. Nec illud est prætereūdum silentio quod Plutarchus memoriæ prodidit, animo linqui equos & asinos qui aut mala aut ficos dorsuarij comportarint. sed maiore dignum miraculo remediū quo ipsis, & hominibus quoq; succurratur. Exanimata fere iumenta extinctosq; pene deliquio uirium homines obiectus panis reuocet. nanq; si pauxillum huius uorarint animātes, eę protinus cibo sese recolligentes roborantur, firmataq; pristinum iter prosequuntur. nec secus in hominibus eueniisse prodidit. Brutum per altas niues in Apolloniam proficiscentem cum animus defecisset, panis ab hoste muros urbis defendente datus postulante penuria recreauit. potitus tandem rerum Brutus de hoste bene meritus est. Sed quid est mirabilius? ut idem refert, grando pellicis sanguine uel menstruis auertitur. Caprificorum grossi satiuis appensæ ficis fructum procidere non patiuntur, sed caducum remorantur & ad maturitatem perducunt. Ceruæ salsum expetunt, sues dulci lachryma capiūtur. Apium cum uiret attritum calcatūq; melius

adoleſcit. Cuminum cum maledictis & probris ſatum lætius prouenit. Grandini Græci tradũt occurri crocodili pelle, uel hyęnæ, uel uituli marini per ſpatia poſſeſſiõis circũlata. nubem inimicam auerti oblato ſpeculo imaginem nubis accipiente. item ſemina horti uel agri malis omnibus ac monſtris ſucco ſylueſtris cucumeris tuta ſeruari. item equæ uel aſinæ caluaria, ſuaq; fœcundare preſentia, quæ ſpectant. Iactis iam dicẽdorum fundamentis, in præſentia externa proſequemur, & quæ ex alio petunt orbe. peregrinas etiam arbores & omnes quarum græca aut aliena noſcuntur nomina, quot ex incolarum numero cœperunt eſſe, dicemus paulo poſt inter fructiferas, à rebus maxime ſalutaribus exorſi.

Caſia. Cap. XXIII.

CAſiam Theophraſtus frutice ſalicis amerinæ magnitudine prodidit. multis ſurculoſis q; brachiatam ramis. craſſiore quàm cinamonum ſarmento: præterea ſcatente neruis, tenuiq; cute ueſtiram. Cuius ſolus cortex commendatur, nec obductus aliter detrahitur, quàm ſi præſutos bubulo corio binum cubitorum longitudine ſurculos enati uermes eroſerint. Sed quum dos omnis in cortice ſit, qui quoniam difficulter à materie ſeiungitur, bicubitales ſecant uirgas, easq; præſuunt recentibus boum cornis: ut iis putreſcentibus uermiculi prodeant, qui lignum eroſuri excauent, intacto ob amaritudinem cortice. Caſia iuxta cinamomi campos in Aethiopia naſcitur: ſed in montibus craſſiore ſarmento, neruoſo: tenui potius membrana quàm cortice: foliis anguſtis, roſaceo odore. Amplitudo frutícis trium cubitorum, colos triplex, qui pro arbuſculæ incremento euariat. Quum pedali emicat menſura, candicat: mox addito ſemipede, rubeſcit: cætero nigricat. Dioſcoridi in tractu Arabiæ odorifero gignitur, craſſi corticis ſurculo, foliis piperis. Eligitur quæ rubeſcat pulchri coloris, corallij æmula, foramine uehementer anguſto, prælonga craſſaq; fiſtulisq; confercta, mordaci guſtu, feruens & linguam adſtringens, odorata, uinumq; naribus obolens, atq; hæc ab indigenis appellatur achy, ab Alexandrinis mercatoribus daphnitis. Aliud habetur genus zegir uocatum, purpuræ nigrantis aſpectu, craſſiore ſarmento, roſam ſpirans, præcipui in medicina uſus, quæ priori præfertur. Tertia laus ei, quæ blaſtos, id eſt germen moſyleticum nominatur. Reliquæ uiles, inter quas aſymphenon dicta, colore pullo, odore ingrato, prætenui tunica, quæ etiã ultro dehiſcat, & abſcedat à corpore, ut quæ *citte* & *darca* dicuntur barbaris nominibus. Damnatur in totum candida. probatur à Plinio maxime recens. quæ ſit odoris molliſſimi, guſtuq; maxime feruens, potius quàm lento tepore leniter mordens: colore purpureo, quæq; plurima minimum põderis faciat, breui tunicarum fiſtula, non fragili. *lactam* uocant talem barbaro uocabulo. Alia eſt balſamoides, ab odore ſimili dicta: ſed amara, ideoq; utilior medicis. Nec multũ abſim, ut credam hãc eſſe, quam Dioſcorides zegir: Galenus gizer: Aetius ozem uocarunt. nigra unguẽtis expetebatur. His addidere mangones, quam daphnoidem uocãt, iſocinamum cognominatum. Adulteratur ſtyrace. & propter ſimilitudinem odoris cortice lauri, tenuiſſimis ſurculis. Serebatur olim in hoc orbe, extremo in margine imperij, qua Rhenus alluebat, uiuebatq; in aluearijs apũ ſata. Color aberat ille torridus ſole, ob id ſimul idẽ odor, ea apes oblectabantur. Forte eadẽ ſit caſia, quam negociatoribus daphnitim uocari ſcribit Dioſcorides. Caſiam nunc omnes officinæ *lignean* uocant. Non conuehitur caſia modo præterq; rariſſima inter xylocina mi faſciculos, nõnunq; nigritiæ argumẽto reperta. Huius & meminit Virgilius, quum cecinit. Nec caſia liquidi corrumpitur uſus oliui.

Et ſi fere duplici conſonãte ſcribat, Latini primã corripuere ſyllabã. Similior huic pſeudocaſia, quæ germana ſpecie uerã mẽtiatur, nomẽ eſt ſortita: ſed hãc ſubdititiã à legitima diſcernes guſtu neq; acri neq; odorato, corticibuſq; medullæ adhærentibus. Inuenitur & lata quædã fiſtula, minimo pondere, tenera, quæ alteri præferatur. Scabra reprobatur, tenuibus fiſtulis hircinũ uirus redolentibus & ſquaroſis. Sed ſciendũ inibi Mauritanos nõ hircinũ, ſed porraceũ uirus tranſtuliſſe: quaſi praſizuſam, non tragizuſam legerint. Sed periti iudicent, quibus nares conſulere per earũ præſentiã licet. ſi deferretur, facillime ſenſus diluueret controuerſiã. Caſias & cinamomũ fabuloſe narrauit Herodotus, nidis auiũ priuatim phœnicis ex inuijs rupibus, arboribuſq; decuti plumbatis ſagittis. Item caſiã circa paludes propugnante unguibus diro ueſpertilionum genere ut Theophraſtus, aligeriſq; ſerpenti-

ſerpentibus,ut alij referunt.ſed his commentis auxerunt rerum pretia. Porro forſitan fabulæ fuit locus ad meridiani ſolis repercuſſus,inenarrabilē quendā uniuerſitatis halitum è tota peninſula exiſtere,tot generum auris ſpirante concentu, ut tum uix locum adire liceat. Cæterum iam liburnicis nouum orbem longa nauigatione petētibus, delatum ex insulis ad nos lignū exarboreſcēte frutice,in nodos inflexo,ſcabioſo:cortice faciēq; lacuno ſa:materie dura criſpaq;:colore intus buxeo,cādido cingēte orbiculo, quod prorſus olet roſas:ita ut ſcobem eius,uel etiam ramentum ligni,pro roſis ueſtibus interponi fuerit gratiſſimum,nec odore cedit roſis, etiam ſi decoquatur igni. Iam ex hoc pectines depurgando capiti ob odoris gratiam non inſalubres fabricant: item alabaſtros,pyxides, & cætera id genus. An zigir fuerit,quod ſuperius diximus roſas redolere,non auſim aſſerere. Strabo caſiam odoratam è ſtagnis colligi,non ſolum ex arboribus in Arabia felice mæmoriæ prodidit. Excalfacit & reſiccat in tertio ordine, particulisq; tenuibus conſtat: ideo diſpeſcit, ſimulq; diſcutit ea quæ in corpore ſuperflua coierunt, eadem leniter aſtringit, ideoq; membra corroborat:ciet urinam:uiperarum ictibus pota reſiſtit:inteſtinis inflammationibus eodem modo medetur. Menſes commouet:renū doloribus, cōtractionibusq; uuluæ ſuffitu inſeſſuq; ſubuenit:cum melle lita lentigines eximit. Medicamētis oculorū ad concilianda uiſus claritatem compoſitis adhibetur. In ſumma uis eadē ferè, quæ cinamomo, cum quo ſubinde naſcitur. quod ſi defuerit,uicaria pro eo ſuccedit,duplicato pondere.

Caſia fiſtularis,ſeu nigra. Cap. XXIIII.

Gnota fuit Dioſcoridis, Plinijq; & Galeni ætatibus caſia,quæ recentioribus Græcis caſia ſyringodes, id eſt fiſtulacea: ab Actuario nigra caſia: ab aliquibus calamos,id eſt arūdo,ſeu potius indica canna nominatur. Arbor eſt magna, iuglandis folio, fiſtulis prælongis ac teretibus, utrinq; faſtigiatis,colore rubro nigricantibus, duum fere pedum proceritate: nigra intus carne, guſtu prædulci plane uendicato ligneis diſtingentibus membranis:oſſibus ſiliquarum, intercurſantibus laminis intus carnoſis,quas parietinæ diſcludūt. Actuarius fructum caſiæ fiſtularis ita nobis reddidit:fructus eſt oblongus,teres,concretum intus atramentū continens non una coaleſcens ſerie, ſed ex interuallis lignoſis tenuibusq; membranis ſeptū:immerſis oſſibus ſeminarijs, ſpecie & figura non abſimilibus ijs, quæ cognita nobis ſiliqua profert.ea partim in India,partim in Aegypto naſcitur.iam Aſiæ communis facta dicitur. Seritur etiam in noſtro orbe: uerum fruſtra, nec ad frugem peruenit, & celeriter frigoribus opprimitur. Deligere oportet ponderoſam,collucentem,perplenam: quam ſi concuſſeris incluſa intus grana non obſtrepant. Negotiatores in hortis Alexandriæ naſcentem præferunt. Refrigerari inquiunt Græci recentiores ea calores iocineris intemperatos, calidāq; & humectam primo abſceſſu perhibent. Flauam bilem per aluum detrahit. atrā illam medullam detractis ſiliquulis & membranis à loculamentis eruunt, & in offas cogunt, quibus aluī moliūtur deiectionem.eis prodeſt,qui per naturam pallore decolorātur.anginis, laterum doloribus,& pulmonarijs auxilio eſt. Actuarius eſt è Græcis autor,hoc atramentum ſufficienti modo datū incandeſcētem torridamq; bilem aluo citra moleſtiam exigere: dariq; audēter ac intrepide ijs, qui ob tenerā ætatē, aut aliam quamuis cauſam deijcientia aluum medicamenta reſpuunt. Addidit præcipue flauam bilem quæ in atram degenerauit extrahere: ſed tribus aut quatuor drachmis ſumptis uix aluum mouere, pituitam medio criter educere. Præbetur(ut idem refert)pueris, & fœminis uentrem ferentibus cōmoditate quadam & neceſſitate urgente, quibus potentius aliud medicamentum ſumi denegatum eſt: item quibus reliquorum medicaminum uſus incādeſcens febris aſpernatur. Sed quoniam huius,quod Mauritanis,Arabibus, & Græcis recentioribus māna dicitur,proxima eſt natura: fecit germanarum rerum conditio,ut de hoc nonnihil traderetur. Venit hoc ex aere Vergiliarum exortu,uel ſydere Sirio ſplendente,ſublucanis temporibus:ſiue ille ſit cæli ſudor, ſiue ſyderū ſaliua,ſiue purgantis ſe aeris ſuccus,ſiue aquæ ſit liquor, ſiue naturæ, quum prima aurora locis,quibus prouenire ſolet,folia arborum herbarūq; melle roſcida inueniūtur. & ſi qui matutino ſub diuo fuere,unctas hoc liquore ueſtes,capillūq; concretum ſentiunt. Hoc tanquam ros è cælo cadens,dum uenit, obuio terræ halitu concreſcens,in mellitos grumos coit,qui herbis,arboribus,& lapidibus interdum inuenitur

hærere. Hoc Galenus licet ſpeciali uocabulo, ſed generali tantũ in mellis titulo cõplexus eſt. Verba eius, quod ad rem faciant, ſubiecimus, ne multi ſua diſtorqueãt in manna Arabũ ingenia. In foliis, inquit, ſtirpiũ adnaſcitur quippiã, quod nec eorũ ſuccus, nec fructus, nec pars exiſtimari poſſit: ſed rorulentũ quiddã, nec tamẽ continenter, neq; copioſe prognaſci ſoleat. Nec me præterit per æſtatẽ in arborum, fruticũ, herbarumq; foliis plurimũ fuiſſe inuentũ: ſic, ut à ludentibus ruſticis Iupiter diceretur melle pluiſſe. præceſſerat tum nox frigidior, pridie calida ſiccaq; cæli cõditio diluxerat. Quapropter inter rerum naturæ peritos conueniebat, halitus quos terra uel aqua proſpiraſſet, extenuatos & excoctos nocturni frigoris beneficio coaluiſſe. Id in regione noſtra rarius euenit, in Libano monte quotannis: adeo ut extenſis pellibus arbores ſuccutiant, receptoq; quod profluit, ollas & fictilia cõpleant, priuatoq; nomine uocãt droſomeli, id eſt roſcidũ mel, & etiam aeromeli, id eſt mel aerium. hæc Galenus. Roridum uel aerium mel eſſe dulcedo ſufficiẽter teſtatur quę guſtu prorſus mellea ſentitur. In herbis et frõdibus ſtirpiũ coaluiſſe grumoſum docet concrementũ, quod ſtipulas, ſurculos, & foliola ſępius implicet. Interdũ, ſed raro in Pariſienſi agro arborũ comæ illa rorulenta melligine maduerunt, mulſuſq; liquor lambentibus repræſentatur. Sed quibuſdã in locis ros ille melloſus primum arboribus & herbis inſidens in guttas ſplendẽtes cogitur: dein cæli fauore, & benigno inſolatu in quoſdã quaſi grandinis callos concreſcit. id nõ ubiq;, ſed tractibus certis, qui roſcida melligine ſcatẽt, dẽnſari in niueos globulos cõſueuit. Quare quum nulla non ætate frutices hoc mellifluo ſudore rorari nõnunquã contigerit, id ueteribus incognitum non fuit, præſertim Galeno Plinio, Dioſcoridi, qui nihil intentatum reliquerant: ſed ſatis huic putarunt ſatisfactum, ſi mellis ſinu, noua nomenclationum aucupia reſpuentes complecterentur non aliàs quàm ſaccarum: uel forſitan ſpeciali mentione foret apud ipſos indignũ, quòd fugacius eſſet eo melle, quod ab apibus elaboratum eſt, citoq; lectum emarceſcat: mel uero diutiſſime & uiuit, & corpora uindicat à marcore. Cæterum huic mannæ recentiores Græci eandem, quam caſiæ nigræ uim tribuũt: ſed maiori modo ſumi debet, ſi aluum ciere placet, nanq; flauam bilem ſimplici ratione pellit. Caſia nigra bilem quoq; extrahit, ſed quæ retorrida deſciuit in atram. Vtraq; tamẽ dari ſolet ijs, qui certa ratione ualidius medicamentũ aſpernantur: deniq; pueris & fœminis uterũ geſtantibus, quum & cõmoditas uocat & neceſſitas urget, exhiberi tuto poteſt. Item quũ febricitantis malacia, reliquorum medicaminum uſus faſtidit. Magno inplicantur errrore, qui hanc mannã putent elæomeli ueteribus fuiſſe, quorum error facile explodítur, Nam elæomeli Palmyris Syriæ manat ex uetuſtis arborũ caudicibus pingue quiddam, unguinoſum, craſſius melle, reſina tenuius. hæc manna pertinaciter ijs, quibus inſederit, hæret: ſic ut non niſi cum fragminibus eorũ decerpatur. Elæomelite qui ueſcuntur, marcore torpeſcunt, & uiribus deficiuntur. quare crebro uellicandi ſunt, ne ueterno preſſi ſomnos captẽt. hoc iucundo ſapore uires recreet, & elangueſcentem appetentiã excitet. Vtrunq; ſapore dulci traditur: ſed elæomeli cõſtat reſinæ genus quoddam eſſe Palmyris familiare, quod è caudicibus profluebat, perinde quaſi nunc è lapidibus quibuſdã quod petrelæum nominant. non ſecus atq; locis pleriſq; uulneratæ arbores ſaniem reddunt copioſam, quæ in reſinam aut gummi coeat.

Cinamomum, Cap. XXV

Cinamomum frutice breui, repreſſo atq; humili naſcitur, ſurculoſoq;, duũ cubitorum altitudinẽ non excedente arido ſimili, folio origani: ſiccitate gaudet quum uiret parum odoratum, ſterileſcens imbre. Gignitur quidem in planis, ſed denſiſſimis in uepribus rubiſq;, difficile collectu. Quod gracilius prouenerit, eximium reputatur: ſed in craſſitudinem extũberãs, inutilius habetur. Verum ut tradunt, legitur per ſacerdotes hoſtijs prius cæſis: boum, caprarum, arietumq; extis impetratur uenia metendi. Sed quum litatur, obſeruant, ut meſſis nec ſolis ortũ anticipet, nec egrediatur occaſum. Quiſquis principatũ tenet ſacerdos, ſarmẽtorũ ſtrues haſta diuidit, quæ ad hoc munus ſacrata eſt, atq; ita portio manipulorũ ſoli dicatur: quæ ſi iuſte diuiſa ſit, radijs flagrans incendium ſponte concipit, reliquum mercator in naſſas condit. Verior ſententia eſt, naſci in Aethiopia, Troglodytis cõnubio permixta: non, ut fabuloſa tradidit antiquitas Herodoti teſtimonio freta, quo ſitu Liber pater educatus eſſet, ubi accolæ

colæ textos è fruticibus cinamorum nidos à lucorũ inacceſſorum iugis plumbatis decutiunt iaculis, deiectasq; ſarmentorũ congeries pretijs uẽdunt: non ex inuijs rupibus, auiũq; nidis, priuatim Phœnicis petũt. non in Arabia, ubi cinamulgus auis ſurculis cinami nidificat, eosq; decutiunt indigenæ mercis gratia. Illi uehũt per maria uaſta ratibus, quas neq; gubernacula regant, neq; remi trahant, uel impellant uela: præterea hybernum mare exigunt circa brumã euris tum maximè flantibus. Primus his portus Gebẽnitarũ Ocila. Produntur uix quinto anno reuerti negotiatores. cõtra reuehunt uitrea, & ænea, ueſtes, fibulas, cum armillis ac monilibus. Cæterũ ex cinamomi radicibus manant lachrimæ, quæ in grana durantur. Alioqui dos omnis in cortice eſt, quã ob rem ſumma gratia farmẽtorũ caminibus, ubi plurimus cortex. Lignum ipſum, quod xylocinamomũ dicunt, in faſtidio eſt propter origani acrimoniã. Probatur quod in planis gignitur, colore torrido, nigricãs uariumq;: ſurculis articulatis & per internodia læuibus, quum rumpitur odoratũ exhalãs puluiſculum. Certiſſima tamen æſtimatio ne ſit ſcabrum, atq; inuicem tritum contumacíter, frietur & inhorreſcat, guſtu mordax atq; cum ſalſore feruens. Dãnatur imprimis molle, uel cui albet cortex. Cinamomum Dioſcoridi in multas ſpecies degenerat, quæ gentilitium regionis, in qua naſcuntur, nomen retulerunt. Præſtantiſſimum Moſylon, ex ſimilitudine quã cũ caſia moſyletica refert, nomẽ cõtrahens. In quo genere probatur recẽs, colore nigro, & quum uino diluitur, cinereo: uirgultis gracilibus ac læuibus, frequentibus nodis uehementer odoratũ, cardamomũ imitans, acre mordensq; guſtu, & quodã non inſulſo ſapore feruens: quod tardè frietur, & in confractu puluerẽ ſcobẽq; ſpargat, læuibus tamẽ internodijs. Sed ſic experiri fragmenta conuenit. Quoniã aſſulæ adulteria planè ſunt, & míſcellæ, ſtatim in initio probationis euolans aura ſubit nares, obſeſſaq; prius halitu opimo olfactus arce, deterioris ſenſus explodítur. Montanũ aſperius eſt craſſiusq;, ſubruffo colore. Tertiũ habetur faſtigiũ nigricans, odore uehementer iucundo, qui caſiam æmuletur: ſurculoſum, paucioribus geniculis interſtinctũ. Quartũ fungoſum, candicans, aſpectu tuberoſo uilíq;, protinus fragile, grãdi radice, caſiã redolẽte. Redditur et quintũ cortice ſubruffo, coloris caſiæ æmulũ, ſolidũ firmumq; tactu, magnopere neruoſum, in caſiæ rubræ odorẽ degenerãs, ſtirpibus craſſis. Sextũ genus in Syria prouenit, appellãt caryopon, qui expreſſus eſt nuci ſuccus, multũ à ueri cinamomi ſurculo differẽs: uicina tamẽ gratia. Aetius cinamomi ſeptẽ facit faſtigia, gentile nomen à locis quibus naſcuntur, referentia. forſitan ſub hęc mẽtitũ cõplexus cinamomũ, quod pſeudocinamomũ dicitur. Omnibus tamẽ prętulit moſylon ab oppido Moſylę oriundum. Omnia, ut inquit, ſtomacho utília ſunt, cibi coctionẽ iuuant, lentitiã pituitę digerunt, inferctionis uitia expediunt, urinas cient, mẽſes pellunt, partus aborſu uitiatos abigunt, pota cum myrrha uel ſubdita uuluę: morſibus ſerpẽtũ & uenenatorũ animaliũ aduerſantur. Delibutorij ueneni uim trãsferũt: uitiligines èmendãt ex melle: aquæ inter cutem, & perfrictionibus mẽbrorũ auxíliantur. Quapropter peculariбus frigidorum & humidorũ corporũ condimẽtis cinamomũ inſerere conuenit: ſed ueſicã lædit. Optimũ tertiæ eſt calfacientiũ & reſiccantiũ claſſis. quod huic cedit, ſecundum ſibi uendicauit ordinẽ. Partium tenuitate ſic pollet, ut nihil eorum quæ æquam calfaciendi ſortiantur dotẽ, uſq; eo reſiccet. Stomachũ expurgat, tuſſibus humore concitatis prodeſt. Ventrẽ & hepar calfacit. Iecoris & aluí exiccat humores. Naſcitur in Aethiopia Troglodytis proxima, et ad Caucaſi radices, qua mare rubrum ſpectat. Cinamomum Gallis hodie *canella* dicitur, quòd ſuo uolumine tubos & canales imitet. Officinis pleriſq; nomen retinet. Coronas ex cinamomo interraſili auro incluſas primus omniũ in templo Pacis Romæ dicauit Imperator Veſpaſianus. Tradit & cõmentitium cinamomũ, unde nomen pſeudocinamomo deprehenditur, odore languido, marcidis uiribus. Appellatur uero & zinziber, quod xylocinamomũ eſt ipſum quoq;, cum cinamomo quandã cognationem habens, diſtans proceritate firmitateq; uirgultorum: item odore multo cedente. Quanq; non deſint, qui à cinamomo xylocinamum & genere & natura diſtinguãt. Xylocinamomũ Galenus cinamoidem quoq; uocari ſcribit, inquiens, Infirmũ uiribus habetur cinamomũ cinamoidis nomine, quod plericq; pſeudocinamũ appellant. Cinamomũ calidum & ſiccum eſt in abſceſſu tertio, partiũq; tenuium. Vis ei feruens: emollit, concoquit, extenuat. trahit menſes & partus, ſi datũ potui ſit, & appoſitũ quoq; cum myrrha. lotium uehementer impellit, oculorum caligines diſcutit. Vitia cutis in facie, & lentigines ex mel

le litum exterit, sedat tussim: pituitæ destillatiões cohibet: ad renum dolores, aquam inter/
cutem, urinæ difficultates expetitur. Succurrit cardiacis, somnos allicit, intestinos laxat in
farctus. Solet pretiosis unguentis cõfundi. Porrò ut diutius seruetur, terere cinamomum
oportet, & in pastillos ex uino digestum, in umbra siccare.

De Caphura & Santalis. Cap. XXVI.

NEc fuit secuta recentiorum ætas otiosa in disquirendis undiq; uorsum odo/
ramentorum cupedijs, inuenitq; quod de principatu cũ ijs antedictis certet.
Quapropter etsi Dioscoridis & Galeni seculũ multa reliquerit intacta: non
tamẽ silentio dissimulanda putauimus, quòd non minor apud omnes & su-
pradictorũ eruperit usus. Caphura (ut Aetius posteritatis memoriæ prodi/
dit) arbor in India tãta magnitudine uisitur, ut sub eius umbra hominũ centuriæ cõdi pos/
sint. Nascitur in mõtibus ínibi mari uicinis, materie leui, ferulacea, quæ gũmi aut lachry/
mam fundit, eiusdẽ quo arbor nominis. Quũ frequentibus cælum fulgetris coruscat, aut
crebro tonitru constrepit, uel quum terra motu cõcutitur, largioris huius prouẽtus augu/
rium est. Ea caphura in permulta recentiũ odoramẽta uenit, facitq; caphurelęum, id est ole
um caphuratũ, quo uerum mentiri balsamũ audent: quapropter ad permultas & cõposi/
tiones et unguenta medici usurparunt. Huius multa traduntur genera. Vna in interuenijs
ligni modo lamellarũ impacta figitur. Alia foras emergit, & arboris corticibus hæret, ma/
culis inter initia rubentibus: postmodũ uel calore solis extosta, uel igniũ ui cãdescit. Hanc
barbaro regis huius loci nomine *Riachinam* indigenę nominant, qui primus dealbãdæ ca/
phuræ rationẽ adinuenit. Hęc cęteris & bonitate & tenuitate præstat longioriq; durat tẽ/
pore. Alia crassior, nec pellucẽs, atro colore, nõ pretio sed durationẽ tantũ cedẽs. Tertia re
peritur uilior, fusco colore. Succedit huic impurior alia, quę fragminibus & assulis impli
cita, & more gũmis agglutinata lentescit, tuberculo nucis amarę, aut fabę, aut ciceris. Hãc
pontificũ & sacerdotũ suffimẽtis, sicut thus & myrrham, costumq; in tẽplis dicant. Sed hę
omnes in duo fastigia rediguntur. Siquidẽ uel rudis caphura dicitur, quæ nullã uim ignis
fuit experta, aut ignium sensit ardorẽ, sic ut album contraxerit colorẽ, in lamínas pellucen
tes digesta, & hæc uocatur elaborata. Frigida & sicca absessu tertio caphura perhibetur,
quæ quũ maximis (ut Aetius promittit) auxiliatur, tũ præcipitibus morbis. Capitis dolo
res quos calor creauerit, mulcet: incandescẽtes inflãmationes restinguit, præsertim quę ie/
cur male habeant. Renes & seminaria uascula refrigerat, sanguinẽq; cogit. Legitimi pro/
batio talis est. In caldo pane caphura ponatur, & si humore madeat, syncerę est argumen/
tũ: sin cõtra perarescat indita, spuriæ & ficticię certitudo est. Addunt aliqui somnũ conci/
are: sed cauendus eius nimius usus, quoniam peruigilia tandem adferet. sanguinẽ naribus
profluentem sistere cum succo uuæ acerbæ impositam uentrem supprimere. canitiem
crebro usu accelerare: ægrotationes parere frigidas, regionibus & naturis consentien/
tibus. Ab officinis ubique nunc *camphora* nominatur: uulgus gallicum, *camphram*, Aeti/
us, Actuarius, Psellus, caphuram nominant. Santalum. Græcis recentioribus San/
talum lignum est, quod India mittit. Huius tria genera. Candidum, rubrum, luteum.
Tertiam sibi frigidorum classem assumit, sed rubrum aliquanto frigidius cæteris existi/
matur: sicca tamen omnia in secundo recessu. Quod ad medicinarum rationem perti/
net, excalfactis auxilio sunt, imbecillitatem stomachi resarciunt. cardiacos affectus leuant,
quos irrepens bilis excitauerit. Trita ex stillatitio rosarum liquore, & illita tẽporibus, ad/
iecto caphuræ momento, ardentes capitis cruciatus mitigant. Item ex albo ouí liquore
fronti impositã, defluxionũ impetus, quæ ad oculos decumbunt, cohibent. Incandescen/
tibus articulorũ inflãmationibus, podagrisq; ex succo solani aut semperuiui, uel portula
cę, uel lenticulę palustris illinũtur, repelluntq; humores, qui eò loci se cõferunt. Rubrũ pri
uatim, utpote quod maiore refrigerãdi astringẽdiq; dote sit prædituũ, humores qui aliò de/
fluentes, partes alias implere solent suspendit. Pręgnantes gingiuas cohibet & stomachũ
firmat. Præsert tamẽ in ijs generibus luteũ, si pingui quodã scatet. Secũdas partes obtinet
rubrũ, tertiam sibi sedẽ arrogat album. Nomẽ medicamẽto triuiali indiderunt, quod ab il/
lo triplici santalorum commercio, trisantalum nominatur. Nunc nullæ non fere medico/
rum potiones ut gratiã à sumentibus ineant, ijs imbuũtur santalis. Quin & ut aliquid sibi
odoris iucundi adsciscant, paulisper in eis macerantur: quo fit, ut medicamenta à morosis

ægrotantiũ palatis longè minus reſpuãtur: nanq; cinamomi modo iſs qui medicinas horrent faſtidium abolent.

Moſchos, & ambarum. Cap. XXVII.

SEd prodigioſum naturæ miraculũ, animal quoddã Indicũ, pretioſiſſimum odoris genus ex umbilici uomica quotannis expromere, quũ in reliquis animantibus erũpentes abſceſſus non niſi quippiã olidũ, putre, ac fœtens eructent, quod ab Aetio, Paulo, cæteriſq; recẽtioribus Græcis moſchos appellatur. Is in pretioſa odoramẽta uenit: nunc & quotidianis ueſtiũ ſuffimentis eſt dicatus: quo tædia alarũ, nariũ, & graue ſudoris uirus aboletur, & ſi corpus halitũ expiret inſuauẽ, ille hac odoris gratia etiã occulitur. & ut ſummatim dicã, omnia, quibus miſcetur, odoris iucũditate cõmendat. Sed tã late fuſeq; iactat odorẽ, ut eius momentũ cõfeſtim domos impleat. huncq; diutiſſimè ſeruãt quęcũq; eo fuerint imbuta. Verũ nulli ſunt tã blandi odores, quorũ gratia non exoleſcat uſu continuo. Quare ut fragrãtia miteſcat, ſuauiora nõnulla, ne faſtidiũ pariat, admiſceri ſolent. Nũc quæ Aetius profeſſor de moſcho memoriæ mandauit, exponemus. Moſchi diſcrepantia ſunt genera. Primatum tenet, qui naſcitur in municipio quodã, quod magis q̃ Choraſa ciuitas ad orientis plagam ſpectat, hoc barbaro nomine Pat dicitur: colore ſubflauido. Secũdã ſibi ſedẽ arrogat, quod ab India defertur, priori bonitate cedens, colore in nigritiã uergẽte. eo infirmior exiſtimatur, qui à Senitarum agro mittitur. Moſchus omnis in umbilico cuiuſdam animalis gignitur, quod capreæ ſimile eſt, unico armatum cornu, prægrandi corpore. Siquidẽ quũ ruit in uenerem quaſi furijs ſtimulatum, ei umbilicus intumet, uomica prægnans, congeſto inibi craſſiore ſanguine: quo tempore & pabulo & potu fera abſtinet, in terraq; crebro uoluitur: qua uerſatione umbilicum lutoſo fœculentóque ſanguine, qui ibi coierat, turgentem exprimit, emiſſáque ſanies poſt aliquod tempus ſibi magnam odoris ſuauitatem adſciſcit. hæc Aetius. Sunt qui Tumbaſcinum anteponãt, odoriſque præſtantiam caprearum pabulo ferant acceptam, quæ nardo inibi ueſcantur copioſa, cæteriſq; odoratiſſimis herbis. In Senitarum quidem agro capreæ herbas odoratas paſcuntur, ſed odoribus impares. Aliam quoque metendi rationem cauſantur tumbaſcini. hanc ſaniem uomicæ folliculo non eruunt, & blandiente cæli ſerenitate merum legunt. Senici uero uomicæ uentriculũ exprimũt, & excluſa ſanie adulteria permiſcent, nubilo parumq; arridẽte cælo, & uaſis uitreis recondunt. Sed ut uolunt, hę peregrinę capreæ figura, colore, cornibus, ab alijs nõ diſſidẽt: ſed dentibus tantũ caninis diſcrepant, quos uerriũ more exertos palmi longitudine gerũt. His uenatores prætentis caſſibus aut laqueis inſidias moliuntur, & interdũ captant, aut ſagittis uel miſſilibus uomicæ folliculũ decutiunt, & ſanie quę in ſinu concreuerat immatura turgentẽ, præligant: ſed præcox adhuc is moſchos tetro & inſuaui odore diſplicet. Verũ tantiſper libero aere ſuſpendunt: dum abacto prorſus fœtore maturuerit. is hac cõcoctione perfecta miram ſibi conciliat ſuauitatem. Simile quippiã in arborũ fructibus fieri conſueuit, qui præcoces decerpti, tandẽ exuta acerbitate, & dulces & ſuaueolentes euadunt. In iſs uerò capreis, quę in mõtibus oberrant, & liberaliùs non captę uagãtur, concepta ſanies, antequam uomica rumpatur, ſuapte natura ad maturationẽ ſpectat: ad quã quũ uentũ fuerit, fera titillãtis humoris lancinatu noxio laceſſita, cotibus & ſaxis ſeſe lõgo inſolatu cãdẽtibus affricat magno oblectamẽto, donec facto uomicæ emiſſario, tota ſaniei uis à uẽtriculo ſupra lapides effundatur: nõ aliter, q̃ abſceſſus pure cocto fractus diſſilit, ita utriculus maturo humore per naturã exaniat, ulcuſq; poſtmodũ ducit cicatricẽ, rurſumq; ruens ſanguinis impetus eò ſe recipit, impletq; umbilicũ, dũ abſcedens in conſimilẽ uomicã extuberet. Cæterum indigenæ, qui loca ubi uerſantur huiuſcemodi ferræ ad unguẽ norũt, ſaxa facilè deprehendunt, quibus fuſa colluuies & candẽti ſole reſiccato cohæſit. Nec hoc animal hanc egeſtam ſaniẽ abditis cotibus cõdit, inuidia ſcilicet, ne tã pretioſa tabes tranſeat in uſum noſtrũ. Hunc igitur moſchũ incolæ metunt, & utriculis ferarum earum aſſeruant, quas uenatu captauerãt. Ille moſchus multi uænit, dignus quo reges & principes exornentur. hæc forſitan uerboſius Mauritana factio prodidit. Moſchus, ut Aetius ſcriptũ reliquit, calfaciẽdi, ſiccandi tertiã ſedẽ inuenit, ac partiũ tenuitate pollet. Quare imbecillas partes firmat, caput frigidũ roborat: reuocat quos animus deſeruit: elangueſcentes & penè diſſipatas uires recreat, quare recolligentibus ſeſe ſalutaris:

cardiacos affectus leuat,quoniã cor corroboret.ſed pallore utentium membra decolorat. Probandi quibuſdã ea eſt ratio. In peluim humore perfuſam,uel labellũ, poſt examinatũ trutina pondus immittunt,poſtea iterũ æqua lance põderant. Quòd ſi protinus ad ſtateram reductum ſuperferatur,ſyncerí & legitimi experimentum putant:ſin repens cedat & pondere degrauetur,ſpuríj indicium exiſtimant. Non deſunt, qui tradãt naribus inditũ, ſternutamenta ciere,& ſi coles ex cicino oleo linatur,uenerẽ ſtimulare.Sed experiẽtia nouimus,mulieribus uteri cauſarijs noxã adferre,ut eius nidore uel halitu naribus rapto,ſtatim eas ſtrangulatu uuluæ comprimi conſtet.Simile quippiam eruitur è genitalibus locis feræ animantis,quod Zibettum recentiores Græci nominant peregrino ſermone.Ea aũt feli qui ueteribus ædificiorum ruinis oberrat,non abſimilis:è cuius natura ſordes manat odoratiſſima,quæ ſolet præcipuè purgari, quũ pars ea hac ſcatet uligine, tum uaſe uitreo uel alio recipitur.Si cauernulæ umbilici admoueatur, tradunt cõuerſum in alterutrã partem uterum in ſuam reſilire ſedem:aut ſi ſurſum uerſus impulſus opprimat, ſubdito eo deuocari.tã amans huius odoramenti uulua,ut ad id undecunq; admotum irrepat.Reddũt interdũ & feles ſyluestres,& mures moſchi odore recrementũ,ut ſæpe in dirutis agrorum ædificijs uidimus. ſed id acceptũ ferendũ eſt odoratis fruticũ cibis,quibus aluntur.Nonnulli è recentioribus Græcis qui hoc animalis genus,ex quo odoratũ id recrementũ elicitur,Zapetion appellant:uulgus noſtrũ hodie *Siuettam* nominat.Quanq; celebratũ Græcis recẽtioribus medicamentũ,quod ex animalis moſcho, agalloco, & ambare cõſtet,officinæ *galiam moſchatam* malunt appellare:barbari *ſonc moſchatum*. Ambarum. Aliud habetur odoramẽti genus,quod recentiores Græci modo ampar,modo ambar nominant.hoc diuerſis in locis ſcaturit,uti Aetius literarũ monimẽtis tradidit.Sunt autẽ huius fontes quẽ admodũ picis,bituminis,ſulfuris,& ſimiliũ, qui huiuſcemodi ambarũ eructent. Sed in eo genere præfertur quod fuluum eſt,prępingue.tale in Indica ciuitate, quæ Selachitum nominatur,uẽdi ſolet.Aliud ſubalbidum,quod in oppido maritimo felicis Arabiæ, cui Sinchrio nomẽ eſt,gignitur. Tertium atro colore micat, quod uiribus infirmius eſt. Colligitur hoc ex piſcibus qui fontes & ambari ſcaturigines deguſtarint. Vim habet excalfaciẽdi,humorũ lentitiam digerit.quare medicamẽtis quę ſecandi naturã fortiuntur, immiſceri ſolet. Caput & cor olfactu roborat:ſed temulentis largius in uinum coniectũ, ebrietatẽ exaſperat. Cæterum Mauritanorum familiæ authores in mari tradunt ambar, non ſecus atq; in terra fungos naſci,ſæuientibuſq; procellis agitatum pelagus, cũ prouolutis impetuoſe ſaxis expuit in litus:tũ homines qui præſentiũt maris inſultus,ad uada ſe cõferunt, & quod eructarint ambarũ,cõgerunt. Præcellit quod in inſulis harũ regionum, litoribus eiectum inuenitur,colore cæſio,in globi formã coactum.Improbatur quod ſtruthiocameli oui more candicat. Damnatur quoque ambarum, quod è piſcium uẽtribus exemptum fuerit.nanq; cetaceus piſcis nimiũ auidus huius ambari,hoc eſu ſibi necem conſciſcit: præſertim dum copioſius eſtur.Azelum uernaculo nomine uocant piſcem:is emortuus fluitat,& undis maris emergit:tum inſulani cõiectis uncis & funibus extrahunt,ambarumq; cæſo uentre eximunt.Sed quod proxime ſpinam dorſi inuenietur coaluiſſe,longe magis præfertur:utpote quod & purius & ſyncerius tradatur,longioremq; moram in piſcis uẽtre fecerit. Addunt calfacere & ſiccare ambarum, cerebrum & cor roborare, omnéſque ſenſus uegetiores efficere:quare ſenibus & frigidis auxiliari. Officinæ noſtrę *ambram chryſeam* uocant.Cõfundunt ſub hoc nominis ambitu ſuccinũ magno errore.nam ambarũ peregrinũ nomen eſt,illius duntaxat rei proprium. Quapropter ſunt, qui ſentientes hoc diſcrimen,ne cõmitteretur error,oriẽtale ſuccinũ maluerunt appellare.Sed nos ut alia quędam,quod patrio uocant nomine ambar, edocti à ueteribus Latinis ambarum diximus, ſicut & ſachar ſacharum.Liberum tamen fuerit uel ambar uel ambarum proferre.

Moſchocaryon, & Caryon Indicum. Cap. XXVIII.

Moſchocaryon, quod & moſchocaridion Græcis dicitur recentioribus, India mittit: nos ea imitatione nucem moſchatam nominamus. Ea membranoſo primum ueſtitur calyce, foliato, fiſſili, per extrema fimbriato, flauescente:mox lignoſo tegitur putamine,fragili,cui compactilis ſubeſt globus nuclei uice, ab umbilico læuibus quaſi ſtrijs extrorſum uirgatus, fungoſo

corpore

corpore,cætèrarum nucũ more minimè cauernoſo:ſed coalitu intus rariore,intercurſantibus uenis rubris,candicantibus interuenijs. Tota dum recens eſt,ſucco pinguí & oleoſo madet,ſic, ut in unguentum exteri poſſit. unde multis myrepſica, id eſt unguentaria nux dici cœpit:& ſi pungatur aculeo,aliquid remittit humoris.Ea iucundiſſimum ſpirat odorem,ita ut cum cinamomo de odoris ſuauitate certet. Probatur recens quæ nullam ſenſerit cariem, ponderoſa,præpinguis, ita ut adacta acu confeſtim è uulnuſculo oleaginus exeat humor,colore in rubrũ inclinato:damnatur leuis,exucca,nigricans.Calfacit, exiccat, aluum aſtringit.diſtendentes ſtomachum ſpiritus diſcutit,oris ſuauitatem commẽdat, & fœtentis animæ uirus abolet.ſtomachum & iecur roborat.lentigines in facie & impetigines emendat.lienem incremento laborantem reprimit,& ut in uniuerſum pronuncietur, natura ei eadem quæ caryophyllis.Aſſignauit ſecundã calfaciẽdi & ſiccandi claſſem odoratæ nuci Aetius.ſic caryon aromaticum, id eſt odoratum uocat. Ventrẽ & ſtomachum & iecur firmare tradit,cibi coctionem iuuare.lõgis iocineris ualetudinibus opitulari: ſed pulmonibus officere.Quæ ſit nuciferę arboris facies,poſtmodum dicetur.Quamuis enucleatus globulus magna ex parte defertur ad nos exemptis duabus ſuperioribus mẽbranis,quibus in ſua arbore tegebatur:ea nux omnibus eſt notior,quàm ut alijs notis debeat explicari.Iam in ganeam & culinas deſcendit,ut opſonia ſuo ſapore condiat, nullumq; temere condimentum ſine hac moſchata nucula ſtruitur. Cæterũ de primo illo cortice quaſi nucamento nucem inuoluente non conuenit inter authores antiquos & recentiores. Nanq; Mauritanæ factionis principes, ad quos prior harum rerum tanquam uicinarum peruenit cognitio,macis nomine extimam intelligunt membranam ac folliculum,colore uel fuſco uel in flauum langueſcente, alteri lineo nucis inuolucro cohærentem. Addunt lignoſum illud putamen rotundũ,quod tenuis illa mẽbrana cingit,quódq; nucleũ operit, nullũ in medicina præbere uſum:quare ut inutile reijcitur.Macer cortex eſt rubens,arboris magnę.conuehitur ex India,guſtu acerbo, & cũ quadam acrimonia iucundè odorato. Lignũ arboris huius xylomacer appellatur: qualis ea eſſet arbos incõpertum habuit Plinius.Recentiores non arboris,ſed odoratæ nucis,quam caryon myriſticon,id eſt unguẽtariam nucem nominant, corticem eſſe contendunt,quod uero propius,& planè ita nũcernitur:nobis tamen litem hanc dirimere non licet,quando in Europa non prouenit.quí in officinis tamen ſpectatur,tralatitius eſt:ſed ſæpe nucem ſuam inueſtire deprehẽdimus. Antefertur cortex qui colore ruffo uel flauo rutilet, odore ſuaui, cum leui acumine, improbatur nigricans.Exiccat abſceſſu tertio,partiumq; tenuitate præſtat, cæteras habens ſuæ nucis dotes.Nucis autem huius quam myriſticam,id eſt unguentariam ,uel moſchatam aut odoratam appellari diximus, arbos uulgari perſico ſimilis traditur, roſeo flore, & nuce quam declarauimus,eſuſdẽ propè effectus,cuius & caryophyllon.de macere altero ſuo dicemus loco. Nux Indica,recentioribus Græcis caryon Indicon dicitur, ueteres huius nõ meminerũt.Fructus(ut Mauri putant)palmę cuiuſdam Indicæ pręmagnus atq; pinguis,cuius oleũ butyro quoq; præferũt bonitate ſucci.Nux ad nos hac effigie defertur omnibus notiore forſitan,q; ut debeat repræſentari. Globus eſt prægrãdis,circinatæ rotunditatis,inuolucris intectus,calloſo primũ herbaceoq; cortice,intus uilloſo,tenui tunica exterius ueſtiente,qua extrita ſolutus in capillamenta fatiſcit, capaci ſubtus orbe, duro,lignoſo:triplici foramine,concauo anfractu,grandi,nullis loculamẽtis interſtincto: dulci intus,quum recens eſt,liquore:nucleo molli,candido,carnoſo,quum inueterauerit, cartilaginoſo.Sanies interim recens eſtur,ſed is cibus ſtomacho grauis: licet noxiũ ſuccũ non pariat.ea corruptioni citæ eſt oportuna.Nux ab incolis, & quum pubet, & cum etiã adoleuit,detractis exterioribus tunicis comeditur.Sed pituitoſi ex melle pauco deuorẽt, & qui internam ſentiunt excalfactionem.acetum mulſum ſuperbibant,ut facile elabatur à ſtomacho,nec longam faciat inibi moram. Bilioſis eo eſu interdicitur. Calida perhibetur abſceſſu ſecundo,& humida in primo. Tineoſis uentris animalia pellit. Oleum quod ea exprimitur,quum ſentit uetuſtatem, flatus digerit. Lumborum & genuum dolores mulcet.Sanguini à ſpiraculis uenarũ ſedis mananti ſublinitur ex oleo,quod nuclei malorum perſicorũ reddiderunt.Atqui oleoſus liquor,quem recens nux preſſa ſtillauit,longè meliorem præbet ſuccum, quàm ouillum uel bubulum butyrum, quod ſtomachũ butyri

modo

modo non laceſſat,nec emolliat. Tradunt quoq; ueſicæ malis opitulari, & aluum ſiſtere.

Arnabo.Zadura. Cap. XXIX.

ARnabo ad unguenta quoq; pretioſa & magnas etiam compoſitiones quęri tur,quod arabonẽ Paulus,Aetius quoq; uocent. Sunt qui ex recentioribus modo carnabum,modo carnabadiũ appellent: ut alij zarnabum & zarnabadium. Arnabo Paulo odoramẽtis adnumeratur:quare unguentis expeti ſolet. Tertiam ferè ſibi calidorum & ſiccorum claſſem adſciuit, caſiæ & carpeſio cõſimilis naturæ. Quapropter Poſſidonius,ſi non adfuerit cinamomũ,eo cenſet utendum. Sed is arnabo Mauritanis nomine *zurmbeti* uenit, qui de ea re parum ſibi conſtãtes *zedoariam* alibi interpretentur,nomenclationis aucupio planè nobis imponentes. Verum id non eſſe teſtetur arboris facies,quam lineamentis exprimunt. Arbor eſt,ut uolũt in Oriente naſcens,foliis ſalignis prælongis, colore ex uiridi in luteum languescente, nullo fructu, ſed ſemper ſterileſcens, odore citrij mali. Hanc calfacere, ſiccare, & aſtringere promittunt,fluentem aluum tenere, dotes odoratæ nucis quam moſchatam dicunt, repræſentare:ſed tenuitate partium anteire. Quare ſternutamenta ciet,& doloribus capitis auxilio eſt, quos cauſa frigida concitauit. Stomacho & iocineri odoris beneficio ſubuenit. Sed arboris apud nos exoleuit uſus,nec à negotiatoribus ex Oriente ad nos amplius, quantum equidem uiderim,deportatur,neq; ſatis de ea re inter eos conſtitit. Porrò carnabadium uel carnabũ id putauerim eſſe,ut in conferendis Mauritanorum cõpoſitionibus, cum recẽtioribus Græcis & eorũ ſectatoribus Latinis comperi,quod omnes officinæ uocant *doronicum*. Nanq; radix ex Oriẽte defertur pollicari ferè craſſamento, nodis ſcatens, dura,ponderoſa. Cui familiæ Mauritanæ authores tertiũ in calore & ſiccitate receſſum aſſignarũt. Quare diſtendẽtibus inflationibus auxiliatur: ſpiritus uteri digerit,cor roborat,uenenatorum ictibus aduerſatur cum ficis potũ aut illitũ. Compoſitionibus magnis expetitur. Idẽ ferè Aetius de carnabadio memoriæ prodidit, aſſignans tertiã calidorum & ſiccorum ſedem. Cibi coctiones,ut ait,adiuuat: flatus diſcutit ſtomachum roborat, & uentrem retinet:alui tineas necat:urinas ciet. expedit infercus uitia:uerũ uſu crebro flauam in calidis corporibus bilem creat. Aliud oſtendũt ſeplaſiarij inſtitores & herbarij doronicum,quod romanum cognominãt. folio ferè acuti rumicis,radice graminis alba, crebrò tumentibus geniculis intercepta, internodijs longe gracilioribus, ſapore dulci, non ſic ut orientale feruente & linguam uellicante, quod forſitan noſtri cæli temperiei ferendum eſt acceptum. Hoc pro orientali, quanuis tum guſtu tum radicis effigie diſſideãt, officinæ magna ex parte utuntur. Niſi forſitan hoc Romanum id eſſet, quòd à Paulo mamira uocatur, cui ſatis deſcriptio fauet. Radicula inquit, herbæ eſt frequentibus tuberculis intumeſcens, quæ cicatrices & albugines extenuare creditur, quippe quum abſtergendi uim poſſideat: nec de ea ſcriptum aliud inuenimus. Zadura alijs zaduara, radix eſt teres,ariſtolochiæ rotundę non abſimilis, ſapore & colore gingiberis. hanc ad nos India mittit. Secundam & calfacientium & exiccantium ſedem obtinet, corpus lætiore ſagina reſicit, flatus diſcutit. graue uirus animæ,quod allium,cepa,uel uinũ excitauit, abigit: uenenatis morſibus opitulatur. Craſſiorem uentris ſpiritũ digerit: aluum retinet:abſceſſus uteri ſoluit:uomitiones cohibet:& colicos mulcet cruciatus. Nunc ferè noſtræ ætatis medici contra peſtilentis cæli contagia utũtur. Officinæ & medicorum uulgus *zedoariam* nominat. Zadura permultis recentiorum medicamentorum compoſitionibus expetitur.

Carpeſium.Caryophyllon. Cap. XXX.

CArpeſium ut Galenus eſt author, guſtu & uiribus appellatæ Phu non diſſimile:uerum tenuioribus conſtat particulis. ideò uiſcerũ obturãtes infarctus explicat:urinas ciet: renes calculis expedit, Cæterum tantũ partium tenuitate pollet,ut non præſente cinamomo pro eo ſubſtitui poſſit, quemadmodũ Quintus facere ſolebat. Præfertur ponticum carpeſium Laertio,neq; tamen cinamomi uiribus reſpondet: ſed optimæ caſiæ paulum cedit. Nomen utrumque à montibus quibus naſcitur deflexit. Plurimum in Syria prouenit. Paulus odoratum eſſe refert, tenuibus ualere particulis:infercus extricare uiſcerum: urinas pellere:calculos renibus exturbare. Actuarius à barbaris iam ſua ætate *cubebas* uel *combebas* dici profitetur, quod

nomen

nomen omnibus officinis tritissimum ac uulgatissimũ habetur. Non sunt igitur audiendi factionis Mauritanæ principes, qui carpesium, id est ut uocant cubebas, asserunt fructum esse rusci, quã oxymyrsinen Græci nominãt. Lõge alia res carpesiũ ab ruscí fructu, si quis utrunq; nouit. Siquidẽ ruscũ in medio folio baccas fert cerasis similes. carpesia uerò minuta cõspiciũtur grana, quæ Galenus libello quẽ theriacæ dicauit, fructus tenues, odoratos, gustu nõ absimiles radicibus herbæ quę phu nominatur: sed euidẽtius q̃ ut debeat demõstrari, baccas ruscí magnitudine cerasum malũ æquare, nullũ iucundũ odorẽ spirare. Dioscorides inter simplicia de carpesio nihil scriptũ reliquit. Caryophyllon, frutex in Oriente nascitur, sabuci forma, semine grano piperis grãdiori fragilioriq;, ex atro ruffescente, in clauí modũ capitato, exertis in aduersum quatuor dẽticulis sese stellatim decussantibus, prominulo apice, quadrati alueoli sinu medio umbiculatim prodeũte, à qua facie clauata Francis sibi nomẽ *clauí* caryophyllũ adoptauit. Non desunt, qui caryophyllum repræsentent buxi caudice, lauri folio, sed rotundiore. Huius nec Dioscorides nec Galenus in censu simpliciũ ullam fecerunt mentionẽ. Plinius in India quippiam piperis grani simile nasci tradit, quod caryophyllon uocatur, grandius fragiliusq;. subdit, in Indico luco gigni. Aduehebatur olim odoris gratia, nunc cibi quoq;, uelut septentrionibus populis. Paulus Aegineta eam silentio non prætermisit, caryophyllon quasi nucifoliũ existimans esse uocandum. etiam si hanc non habeat naturam quæ nomine prætenditur: uerum flores arboris cuiusdam Indicæ festucacei sunt, nigri, longitudine ferè digitali, acres, odorati, subamari. Tertij sunt ferè siccantiũ & excalfacientium ordinis. Multus eorum erumpit usus non ad opsonia modo, sed ad multa quoq; medicamenta: hæc Paulus. Aetio caryophyllõ fructus est arboris, secundam calfaciendi, siccandi classem adscíscens: quanuis & nonnulli tertiam ei assignarint. Iocineri, stomacho, & cordi auxiliatur. Contractam humore nauseam leuat: sed uiscera lædit. Caryophyllon halitus emendat grauitatem: quare ijs mandi solet & ore contineri quibus anima fœtet: nauseas sedat: corroborat stomachum, iuuat concoctiones: tollit oculorum caligines, atq; uisum exacuit: panos discutit, obstruentes iocineris infarctus aperit, uenerem stimulat.

Amomum. Cap. XXXI.

AMomum frutex est labruscæ similis, cæterum minor, uenosus, odoratus, ramulis duriusculis, colore sufflauo, baccis inter se racematim cohærentibus, flore uiolæ candido. Dioscorides Amomũ sic reddidit, Frutex est pusillus, ceu racemus è ligno cõuolutus, flore præparuo candidæ uiolæ, foliis uitis albæ similibus. Plinius amomí uuã in usu esse tradit, Indica uite labrusca, ut alij existimauere frutice uenoso: palmi altitudine. Carpitur cũ radice, manipulatimq; cõponitur protinus fragile. Laudatur quãmaximè punici mali foliis simile, nec rugosis, colore rufo. Secũda bonitas pallido, herbaceũ peius, pessimũ candidũ, quod uetustate euenit. nascitur in Armeniæ parte, quæ uocat Otene. Adulteratur foliis punici et gũmí liquido, ut cohæreat, conuoluátque se in uuæ modum. Dioscorides laudat quammaximè armenium, colore aurum imitante, ligno subrufo, perquam odoratum. Nasci quoq; in Media tradit in planis dilutisq; regionibus, sed procero imbecillius, quãquam procerius adolescat, uenosum, molli tactu, colore herbaceo, odoris origani æmulum. Pontico color subrufus ineſt, quod neq; fractu contumax est, racemosum, plenum seminis, odore nares feriẽs. Præfertur album, recens, quod neq; collectũ stipatum ue cohæreat, neq; se conuoluat, sed solutum diffundatur, fructu in uuæ modum conuoluto, ponderosum, suaueolens, gustu acri & mordente, simplici colore non uario, quódq; non senserit situm. Eadem erat Amomis, nisi minus uenosa, & durior angustioriq; odore esset, flore origani, sine semine, qua amomum adulteratur. Amomum, quod officinæ præferunt, sabulosa specie: nec odoris argumento, nec alia ratione congruit cum eo, quod à Dioscoride describitur. Nec mirandum, siquando scriptores inter se dissonẽt: quoniam nulla medicinę pars incertior, quàm quę ab alio orbe q̃ nostro petitur. Turpiter aberrant, qui herbam pedem columbinum uulgo dictam, amomum esse existimant, quum ea est foliis malvæ paulo candidioribus, caulículo semipedali, lanuginoso, flosculo purpureo, capitellis rostratis gruini capitis modo: unde princeps illi nomẽclatura geranion, uel si mauis, gruina. Amomũ indicæ uiticulę

genus

genus est è ligno se cõuoluens in uuæ modũ, odorato frutice, foliis bryonię, quę ex Indi importatur. illa nusquã non nascitur maluæ folio, minantibus in caulículorum cacumine gruum rostris, ea in nullũ medicinæ usum uenit: estq; apud Dioscoridem secundũ geranij genus, de quo dicemus suo loco. Excalfaciendi amomũ, siccandi atq; spissandi naturã retinet: somnum concíliat, & illitum fronti doloris noxam abigit: melicerídas & collectiones maturat atq; discutit. Iuuat qua scorpius icerit ex ocymo perlitum: podagricis subuenit: oculorũ inflammationes uiscerumq; cum uua passa demulcet: muliebribus malis adsessu aut pessorum appositu medetur. Decoctum eius epotum iocineroſis auxilio est. Galenus illi uires easdem tribuit, quas acoro: nisi quòd acorum magis exiccat, amomũ plus excoquit. Cæterum commonendi nobis sunt, ut qui syncero amomo uelint uti, fragmenta semper hastulasq; deuitent, & solidos frutices petant, id est qui surculos atq; ramos incolumes ex ima radice sustineant, ita nobilibus unguentis antidotisq; peti debet.

Costum. Cap. XXXII.

COsti frutex est nullo praterquam radice pretio. Tria eius genera. Arabicum ceteris præstat, cãdicans, leue, plurimo odore, solidum, minime friabile. Proximum nobilitate succedit Indicum, crassum & hoc, ferulæ leuitate, nigrũ. Syriacum graue, buxi colore, nares ualidè feriens. Radix costi gustu feruet odore eximio, frutice alias inutili. Plinius Indicum duntaxat nouisse costũ uidetur, primo statim introitu amnis Indi in Patale insula compertum. cuius duo fecit fastigia, nigrum, & quod melius est, candicans. Costo perinde atq; thure dijs suis supplicabat antiquitas: quare huius superstitionis gratia, aut unguentorum delitiarumq; causa emebat. Strabo costarium quoque nominauit diminutionis forma usus. Faciunt huic affinem nomine costum hortensem, quem uulgus *coquum*, alij *Mariæ herbam* appellant, simplici caule sesquicubitum alto, foliis betonicæ, nisi quòd castigatiora sunt, tenuiora, ac magis odorata, capitellis fulgore auri flauescentibus. Subscribit eorum iudicio Florentinus agriculturæ author, qui costum & balsamum in hortis seri uiuiradice, Nouembri mense prodit, odoratu perquam suauem: uti sampsuchum Aprili & maio. De herba uidetur nõ de peregrino illo costo hæc intellexisse: nam & balsamum sua ætas sisymbrium hortense, & costum herbã, quam nuper memorauimus, uidetur innuisse: nempe tam contumaces nostro orbi implacabilesq; huiuscemodi peregrinę arbores fruticesq;, ut nullis blanditijs, officijs, atque nostris denicq; obsequijs apud nos comprẽdere possint, etiam coactæ mitioribus locis uiuere: tantusq; patriæ natalíumq; suorum amor, ut nisi reduces in natiuam sedem relegentur, aut uelut effœtæ gracilescant, aut quòd solum uertentes extorrem agant uitam, desponden tes emoriantur. Sed hanc hortensem herbam siliquastrum & piperitim esse deliniatio fatetur, Castore hac forma demonstrante: caule rubro, lõgo, densis genículis, foliis lauri, semine albo, gustu piperis. de qua satis in hydropipere diximus. Costo natura concalfactrix: urinam ciet, menses pellit. Vitijs quæ uuluam malè habent, tam fotu quàm suffitu opitulatur. Contra uiperarum morsus potu prodest. Aduersus pectoris dolores, conuulsa inflationesq; uino & absinthio bibitur. Venerem in mulso stimulat: latas uentris tineas ex aqua dejicit, in horroribus febrium ante accessiones, item neruorum resolutionibus inungitur. Vitia cutis in facie cum aqua uel melle litus emendat: antidotis & malagmatis miscetur. Mangones adulterant ualidissimis helenij comageni radicibus. Sed facile dolus coarguitur, quòd helenium neque linguam accendit, neque odorem, qui olfactum tentare possit, expirat.

Iuncus odoratus Cap. XXXIII.

IVncus odoratus teres est, scapo exili, rubente, flore copioso, odorem rosæ in confricando emittens, fragmentis in purpurã uergentibus. legitur quàm recentissimus mordacitatis uinosæ ad linguam, fractu rosaceum spirans odorem, rubentibus fragmentis. Sed alium iuncum reddit Africa, alium Arabia, alium Nabathea, qui laudatissimus existimatur. Secundum eum Arabicus, quem nonnulli Babylonium malunt appellare. Improbatur Aphricus utpote deterrimus. in Campania inueniri tradunt, sed minus uiribus pollentem. In Arabia cum calamo odorato nascitur, nihil aspectu differens à cæteris. Prouenit & in Syria quoq; cœle

cognomi

cognominata. Iuncū hunc uinoſæ mordacitatis ad guſtū ſentiri perhibēt. noſcendū uerò Dioſcoridi Babylonium & Teuchitim pro eodem genere intelligi, uerū non ſic à cæteris. Quippe qui teuchitim eundemq; nobiliſſimū, qui è Nabathæa ſit appellent: proximū Babyloniū: deterrimū ex Aphrica & ſine odore. Iuncum odoratū Græci ſchœnon, Hippocrates ſchœnō hedyoſmon, ut Galenus libello quē uocabulis Hippocratis dicauit, id eſt ſuauē iuncū nominat. Cornelius Celſus iuncū rotundū, ut ab angulari differat. Officinæ *ſquinantum*, quanuis florē iunci odorati ueteribus dici placuit, uulgus *paſtum camelorum*. Ne tamen ſchœni nomenclatura pariat errorem, quum alterius iunci meminerunt quàm odorati, adiectione aliqua diſcriminant. Scribonius ſchœni uocabulum retinuit. Vſus multiplex radice, floribus, culmo. Vrinam trahit, menſes pellit, diſcutit inflationes: grauedines ciet, ac caput tētat: modicè aſtringit, maturat, comminuit. Venarum ſpiracula laxat: urinas molitur: flos eius in potiones adhibitus ſanguinis reiectiones ſupprimit: doloribus pectoris, pulmonum, iocineris, renumq; prodeſt: ſingultus compeſcit: medetur ueſicæ. Opiſthotonicis cum arida reſina imponitur: decoquitur ad muliebria mala: miſcetur antidotis. Radix maiore conſtringendi ui prædita eſt proinde faſtidientibus ſtomachis datur: exibetur etiā hydropicis conuulſiſq; cum pari pōdere piperis aliquot diebus. Decocti ſucco inflammationes uuluæ inſidentibus placantur.

Calamus odoratus. Cap. XXXIIII.

CAlamus odoratus uulgo aromaticus dicitur, arūdini ſimillimus aſpectu, nēpe multis geniculatus nodis, fuluus, cætero tactu mollis & cū frangitur ſciſſilis, intus araneoſus, caſiæ guſtu, fragrātiſſimo odore, adeo ut locum in quo naſcitur ingredienti, ſpiritus ſuauiſſimus ſtatim aſpiret. Calamus odoratus in Arabia naſcens, communis Indis atque Syriæ eſt, in conualle modica iuxta Libanum montem lacumq;, cuius exiccatis æſtate paluſtribus hi calami proſiliunt: non ut Strabo exiſtimauit propter Antilibanum lacu Genneſaretide, ubi conuallis amplißima & pulcherrima, quam Aulonem cognominant. Præcipua bonitas rufo geniculis frequentibus diſtincto, qui confractus in aſſulas multas diſſiliat, plenis araneo fiſtulis, ſubalbidus, in commanducando glutinoſus aſtringénſque linguam, guſtu acri. Sed calamus præſtantior odore ſtatim è longinquo inuitat, mollior tactu, meliorq; qui minus fragilis, & qui aſſuloſe potius quàm raphani modo frangitur. Ineſt fiſtulæ araneum (ut Plinius tradit) quod uocant florem, præſtantior eſt cui numeroſius, reliqua probatio ut niger ſit damnatur aliubi. Melior quo breuior & craſſior, lentuſq; in frāgendo. In Mæotide odoratum naſci calamū produnt, radice ſubalbida, ſine fiſtulis, intus plena & amara, ſpecie acori, de quo & falſi quidam ſunt, acorum ipſam putantes. quanto autē amarior tanto & calidior Indico. Vtrunque tamen genus acorum odore ſuperat. Teredinibus ut acorū inceſſitur. Ab Ionio ponto & Herculis columnis prorſus apud omnes qui mediterranea colunt Africæ, pro acoro uicarium ſubſtituunt, q̄ maxima uiſantur frui germanitate, ut authores plerique tradunt. Calamum odoratum Hippocrates myrepſicon, id eſt unguētarium appellauit. Officinę omnes *calamum* nominant. Vrinam potus exigit, eóque cum grāmine aut apij ſemine decoctus aquæ ſubter cutem fuſæ, ſubſtillo lotio, renum uitijs, ruptiſq; bibendus præcipitur. Menſes potu & appoſitu trahit. Tuſſi ſuffitus per ſe, uel ex reſina terebinthina, in os rapto per fiſtulam nidore medetur. Ad muliebres inſeſſus decoquitur. Quin & clyſtere ſubter inditur. eodē in ſuffimētis & malagmatis gratia odoris utūtur. Eſt ſecūdi ordinis calfacientiū ſed exiccantiū magis cōcretu terreſtri & aerio cōſtans.

Balſamum. Cap. XXXV.

DE Balſami frutice ut re peregrina parum inter ueteres conuenit. etſi quum Iudæa Romani ſunt potiti, tum ſunt propagati, ut iam latiſſimi colles ſuderent balſama. Similes uiticulæ ſtirpes habent, malleolis digeruntur, raſtris nitеſcunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus folijs ſemper inumbrantur: lignum caudicis attrectatum ferro ſine mora moritur. Eapropter aut uitro aut oſſeis cultellulis, ſed in ſolo cortice, artifici plaga uulneratur, ex qua ſuauitatis eximiæ gutta manat. Poſt lachrymam ſecundum in pretijs locum poma obtinent cortex tertium, ultimus honos ligno. Plinius balſamum uni terrarum Iudææ conceſſum

prodit.quondam in duobus hortis utroque regio, altero iugerum uiginti altero paucio/
rum: in totum alia est natura,quàm nostri externiq; prodiderant. Quippe uiti similior est
quàm myrto. Malleolis seri dicitur,nuper uincta ut uitis,implétque colles uinearum mo/
do quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent. Tondetur similiter frutificans, ac rastris nite/
scit:properat nasci intra tertium annum fructifera:folium proximum rutę. Cornelius Ta
citus memoriæ tradidit modicam esse arborẽ, ut quisque ramus intumuit, si ferri uim ad/
hibeas pauet, uenæ fragmine lapidis aut testa aperiuntur: humor in usu medentium est.
Iustinus Trogi Pompeij testimonio fretus incredibile tradit,quantũ opes Syriæ genti ex
uectigalibus opobalsami creuere,quòd his tantum regionibus gignitur.Est inibi conual/
lis,quę continuis montibus tanquam muro cincta instar castrorum clauditur, spatium lo
ci ducenta milia iugera nomine Hierico dicitur. In ea sylua est ubertate & amœnitate in/
signis:siquidem palmeto & opobalsamo distinguitur,& arbores opobalsami formam si/
milẽ piceis arboribus habent,nisi quòd humiliores sunt,& uinearum modo coluntur.Hę
certo tempore anni balsamũ sudant:sed non minor loci opacitas, q̃ ubertatis admiratio.
Quinetiam è Græcis Theophrastus rutę folio reddidit,sed exalbido. Dioscorides arbu/
sculæ magnitudine,flosculo candidæ uiolæ aut licij,folio rutæ proximo, sed cãdicantiore
coma perpetua,uni terrarũ Iudææ quadam conualle,& Aegypto concessa,terebintho si/
milem fruticem. Strabo prodidit nasci in Syria Cœle ualle illa fertili, quæ Libanũ & An/
tilibanum intercedat iuxta lacum Gennesaritim:in Arabia quoque Sabeorum tractu ma
ritimo. Pausanias in Bœoticis author est,palsamum p litera nõ b pronunciatũ,in Arabia
gigni,arbore uiperis obsessa,nam & similia ijs euenire nouit magnitudine fruticis myrti,
foliis sampsuchi herbæ. Angues in Arabia sub hac apricantur arbuscula,succóque huius
suauissimo alũtur,eximiéque fruticis umbra gaudent. Quum legendi succi Arabibus ap/
petit tempus,binas singuli ligneas aduersus hos adferũt scuticas, citatóque lignorũ stre/
pitu uiperas abigunt,quas necare nephas putant,nempe balsamo sacras. Quòd si quem/
piam à serpente morderi sors ferat, uulnus perinde atque illato ferri mucrone accipitur.
Cæterum ueneni timor abest,neque morsu quispiam extinguitur:sed tanquam pretiosis/
simum unguentum pastis serpentibus,ueneni lethalis noxa in mitiorem se conuertit con
ditionem. Sed Aetius recentior ex authoribus Græcis stirpẽ esse exiguum prodit, eiusq;
magnitudinem intra bina cubita subsistere:nasci proxime Aegyptũ in regione,quæ nunc
Fons solis appellatur quondam Heliopolis dicebatur. Quumq; rerum suarum potiretur
Aegyptus, ineunte autumno imæ prægnantis fruticis partes crebris ferri scarificationi/
bus uulnerabantur,è quibus succus oleo persimilis emanabat, qui balsamelæon appella/
tur. Incidi Dioscorides quoque est author ferreis unguibus. Plinio ferro amputari super/
uacua patitur, sed eo lædi uitalia odit. quare uitro,lapide, osseisq; cultellis præscindeba/
tur:sed incidentis manus librabatur artifici temperamento, nequid ultra corticem uiola/
ret,ultráque desquamare alienum erat. Succus è plaga manabat,quod opobalsamum uo
cant,eximiæ suauitatis:nanque omnibus præferebatur odoribus,sed tenui gutta,ploratu
lanis parua colligebatur in cornua:ex ijs in nouo fictili condebatur,crassiori similis oleo,
& in musto candida,rubescebat deinde simulq; durescebat è transluc̃ido. Vindemiæ ua/
ria fuit ratio. Theophrasti temporibus,& Alexandro Magno res ibi gerente, die æstiuo
unam concham impleri iustum erat, omni uero fœcunditate è maiore horto congios se/
nos,minore singulos,& cum duplo rependebatur argento. Dioscoridis ętate circa Canis
ortum flagrantissimo æstu uulnerati frutices,ex omni uindemia senos aut septenos con/
gios implebant. At Plinij æuo largior uena ter omnibus percutiebatur æstatibus. Dimica
tum pro succo fruticis est, uictíque Iudæis uindemia fisco credita est. Deputatur quoq;
frutex,& sarmenta in merce sunt:amputatio surculusq; uæniebat. Xylobalsamũ uocatur,
quod coquitur in unguentis,pro succo ipsæ substituunt officinæ. Corticis etiam ad medi
camẽta pretiũ erat. Præcipua autẽ gratia lachrymæ,secũda semini,tertia cortici,minima li
gno. Ex hoc buxeũ optimum est, quod est odoratissimum: ex semine autem maximũ &
ponderosissimum,mordens gustu feruénsque in ore. Lachrymæ probatio:ut sit pinguis,
tenuis,ac modicè rufa,& in fricãdo odorata. Secundus candidæ colos, peior uiridis cras/
susq;,pessimus niger.quippe ut oleum senescit. Ex omni incisura maximè probatur quod

ante

ante ſemel fluxit. Vitiatur ex ſemine ſuo, ut uix poſſit fraus deprehendi, maleficium tamen detegitur amariore guſtu: eſſe enim debet lenis, non ſubacidus odore tantum auſterus. Vitiatur oleo roſæ, cypri, lentiſci, reſina, galbano, cera cypria: nequiſſimè autem gummi, quoniam ipſum quoque inhæreſcit manu inuerſa, & in aqua ſidit. Quod cera & reſina permutatum eſt, in carbone nigriori flamma coarguitur: nam ementitum melle ſtatim contrahit muſcas: metopio adulteratum, in aqua circulo candido cingitur. Synceri probatio gemina eſt Dioſcoridi. nanq; ſi gutta ueſti laneæ cõſperſa & eluta nihil maculæ reliquerit aut ſordis, egregia eſt: quæ mutata fuerit, pertinaciter hærebit. Alia eſt, ut lac coagulet, quod quidem adulterinũ non facit. præterea ſynceræ gutta in lacte uel aqua celeriter ſidit, elacteſcitq; uitiata, olei modo innatat, & ſtellatim diffuſa radiatur. Syncera quoq; ſentit ætatẽ, craſſeſcenſq; deterior redditur. Errant, qui in aquam merſum primum deſidere putant ad ima uaſis, poſtea reciprocatum non diffuſum emergere. Eſſe debet lachryma recens, odore uegeto non ſubacida, dilui facilis & lęuis, guſtum aſtringens, & quadam tenus remordens. Huius lachrymæ, quũ uaſis fuerit recondita, triplex Aetio authore inuenitur euariatio. Vel enim in faciẽ ſummã uaſis expuitur, cãdido colore, tenui corpuſculo, quæ & pretioſiſſima & plurimos ad uſus celebrata cognoſcitur: quæ medias partes uaſis tenet, fuluo rutilat colore, priori uiribus cedens: quæ uerò in fundũ fæcis more decubuit, omniũ deterrima. quã non, niſi quũ alterius nõ datur occaſio, ob annonę penuriã ad ferarũ morſus & uenenatorũ ictus uſurpãt. Sed ſeplaſiæ poſterioris lõgè maior improbitas, quæ fraudes nouas adinuenit. Quippe quũ periti quidã legitimã probabant, ſi ferrũ ea perlitũ, & admotũ igni cõfeſtim deflagraret. Sed id ſaneq; caphurelæo, id eſt lachrymæ quã caphura remiſit, aut caphurato oleo cõuenire atq; alijs quibuſdã compertũ eſt. Alij, q; peſſum iret in aqua, neq; exiſteret: ſed aliorũ quoq; oleoſorũ id cõmune habetur. Quare utrunq; receſſum eſt cõcurrere, q; & ferrũ ea circumlitũ accendatur, & immerſa aquæ ſidat: hoc argumentũ legitimæ nec ſpurio habitu ullo degenerantis. Sed ſcitu dignum occurrit, quum recens eſt, nec ullam ſentit uetuſtatem, aquæ ſupernatat, tum uero linteo ea imbuto probatur. Si ſublato ipſo deſcendat nullo colore relicto, ſed ſola ſuauitate odoris, ſyncerę nec ullo modo uitiatæ eſt argumentũ. Arboris diſcrimen in tria faſtigia digeritur. primũ ſcabro aſpectu incuruũ: ſecundũ procerius cæteris, læui cortice: tertium gracilius, tenui & capillacea coma, quod uocant theriſton: forſitan q; pro ſua exilitate facilius demetatur. Interputantur ſarmenta & ſurculi odore prę ſtãtes, alioqui grandeſceret arbuſcula ni ſuccideretur, & uæneunt magno, xylobalſamũ uocant. Ratio probi ut recẽs ſit, uirgis prætenuibus, rufum & bene odoratum, modicè opobalſamũ redolens. Semen probatur grauiſſimum & maximum, guſtu mordaci & feruente. Adulteratur ſemine hyperici quod è petra fertur: quod coarguitur magnitudine, inanitate, odoris ignauia, ſapore piperis. Strabo ad dolorẽ tantum capitis balſamum cõmendauit. Aetius legitimum ad plurima uitia pollere tradit, datũ ex humano lacte delibutorio ueneno aut ictui ſerpentũ præſenti eſſe remedio: item priuatim morſibus ſcorpionum illito uulnere. Per ſe calculos cõminuere produnt: uuluæ inditum, uel ſubditũ ijs mulieribus, quæ concipere deſierant, reſtibilem adferre fœcunditatem. Addunt ſanguini, quẽ ſedis uenæ fundunt auxiliari: itẽ comitialibus, & frigidis ualetudinibus, utpote q; calidiſſimam ſortitũ ſit naturã. Validiſſima ſucco natura excalfactoriaq;. Caligines oculorum diſcutit. Perfrictionibus uuluæ ex roſaceo cerato impoſitus medetur: menſes, ſecundas, & partus elidit. Febriũ horrores illitu tollit: ulcera purgat ſordida: cõcoctiones adiuuat: urinas potu ciet: anhelantibus auxiliatur. Aconito, ſumptus è lacte aduerſatur, itẽ ſerpẽtibus. Idẽ expetitur acopis, malagmatis, antidotis. Prę cipua lachrymæ gratia, ſecũda ſemini, minima ligno. Semen cõmodè potui datur cõpungentibus laterũ doloribus, & pulmonarijs. Prodeſt tuſſientibus, iſchiadicis, comitialibus, uertiginoſis, & ijs qui non niſi erecta ceruice ſpíritũ trahunt, orthopnoici Græcis dicuntur: item anguſtijs urinæ, torminibus, & uenenatorum morſibus. Ad muliebres inſeſſus ſuffituſq; mirè decoctum prodeſt, utpote quod locos aperiat, & humores exugat. Ad eoſdem uſus lignum ualet, minore tamen effectu. Ex aqua coctum potu torminibus, conuulſis, cruditatibus, uenenatorum ictibus, item quibus urina ægrè it, auxilio eſt. Capitis uulneribus cum iride ſicca conuenit: oſſium ſquamas extrahit.

Spissamentis unguentorum ad domandum oleum adijcitur. Calfacit & resiccat in secundo ordine. Opobalsamum tenuioribus constat particulis. hoc nihil efficacius esse ad glutinanda uel citra cicatricem uulnera, sibi uulgus persuasit. Quod si recipimus, mirum est Theophrastum, Dioscoridem, Galenum aut ignorasse, aut nihil prodidisse: nam Strabo ad capitis tantum dolores commendauit.

Agalochum. XXXVI.

AGalochum nostro orbi tãtum nomine cognitum, quum (ut Dioscoridi placet) ex Arabia & India lignum aduehatur, thyino simile, uarium pũctis maculosum q̃, gustu spissante, cũ quadam amaritudine. cute corioq; uerius q̃ cortice uestitur, qui penè uersicolor est. Commanducatum aut collutum de cocto, suauitatem commendat animæ. Aetius è Græcis primus quantum equidem inuenerim, à nõnulla similitudine coloris aloes, ut arbitror, xylaloen appellauit: quem posteriorum medicorum uulgus nomine tenus insequitur. Officinæ *lignum aloes* uocant. Galenus hoc in simplicium censu silentio prætermisit. Paulus Aegineta Indicum esse lignum testatur, thuiæ proximum, odoratum, quod sua iucunditate ijs os commendat, quibus anima fœtet: singularem in suffitionibus gratiam habet. Radix denarij pondere pota medetur, quibus lentore putri stomachus languet. Solutum eundem firmat uẽtriculum. iocinerosis, dysentericis, laterum doloribus præsidio est. Aetius arboris esse lignum tradit in uarijs orientalium oris, simul & eorum qui plus ad Austrum spectant, natum: nullóque ab alijs lignis discrimine notatur, quantum ad odoris rationem pertinet, nõ alias odoratius futurum, quàm ubi teredinibus diu patens computruit: siquidem marcore sibi suauiorem adsciscit odorem. Quare locorum incolæ in frusta dissectum sub terra condunt, & aggere multo obruunt. deinde quũ sufficienti tempore emarcuerit, negotiatoribus uendunt. Aegyptij & alij delibrant ipsum, corticemq; ligni abijciunt. Huius fastigia summa quatuor celebrantur, quorum notius est Indicum, deinde Sapphicum ex urbe Sappho, Speon & Hygron, quod ipsum deinde in quaternas species cõcidítur, de quibus nunc dicere fuerit operosum. Arabicæ familiæ authores uolunt agalochum baccas ferre purpureas piperis minuti similitudine, quapropter piperallam cœperunt nominare. Sed lignum duntaxat in usu est, quod nulli uolunt cariei esse obnoxium, uerum odorem spirare non angustum. Quod ex meridie deuenit, fragrantius quidem esse, sed tineosum. Agalochum in myrepsico thymiamate idem esse putat Aetius quod taron, quod autore Plinio ex casiæ & cinnami confinio inuehitur per Nabathæos Troglodytásque ijs uicinos. Verum mangones officinarum persæpe pro agalocho aspalathum substituunt manifesto errore: quum agalochum maculis interstinctum, ac punctis quibusdã uariatũ spectetur: aspalathus uerò subrubescit, subterq; corticẽ atra quadã rutilat purpura unico contentus colore. is spinarum uallo cingitur, illud glabrum potius, nec ullis armatum aculeis deprehenditur. Vtrunque iucundum expirat odorem, sed illud fragrantiorem, sic ut pro thure ad suffimenta possit sufficí: is suauem quidem sed perquam exiguum. Aetio omnia agalochi genera excalfaciunt, uentrem sistunt, stomachum bene habent, sed hygron maximè, & secundum hoc Indicum: reliqua longè minus. Interanea roborant: iocineris infarcti uitia expediunt: humores qui in uentre coierunt absumunt. Reliquæ huius species iugi suffitu pediculos ob dulcedinem creant, solum Indicum hos sua acrimonia nasci prohibet. Dioscoridi cõmanducatu aut suffitu suauitatem commendat animæ. Conspergi eo corpus totum perutile. Vritur uice thuris. Radix denarij pondere sumpta, medetur quibus udo lentore stomachus languet. Imbecillum firmat uentriculũ, & æstuantẽ mulcet: latera & iecur dolẽtibus, intestinis exulceratis, torminibusq; ex aqua præsidio est.

Anacardium, Orneogloſſum. Cap. XXXVII.

ANacardium recentiori græciæ, nam uetus non meminit huius, arbos est Indis familiaris. prouenit quoque in Sicilię montibus, qui flammas ignis eructant, fructu auiculæ corculo non dissimili. unde nomen putatur inditum, rubente intus cruore, quo ueluti sanguine scatet. Tertiam excalfacientium & resiccantium classem huic assignant. Anacardium memoriæ iacturam resarcit: labãtes sensus refricat: oblíuionem discutit, & mentẽ exacuit, morbis cerebri quos

frigida

frigida uel humida cauſa attulerit, opitulatur. neruorum reſolutioni auxilio eſt. Saníes quæ in fructu condita manet, uerrucas delet, Cæterũ cutem exulcerat: ſcabiem uſu creat. Iuuenibus & bilioſis ob caloris uim anacardio interdicitur. nomen *anacardi* officinis retinuit. Orneogloſſum, arbor eſt ulmi ſpecie, foliis amygdalæ, prælongis ſiliquis in ſurculorum cacumine prodeuntibus, oleagina magnitudine, in quibus medulla ineſt linguæ auis ſimilis, unde nomen, exterius rubra, intus ex candore in luteum uergẽs ſapore acri, uellicante linguam cum nonnulla amaritudine. Ea, ut tradunt, ſecundo abſceſſu calfacit, laterum dolores ſedat. urinam ciet, & remoratam hærentemq; pellit. Venerem ſtimulat & genituram auget. *linguam auis* officinæ nominant.

Aſpalathus. Cap. XXXVIII.

ASpalathus, ut Plinio placet, ſpina ſylueſtris eſt in Oriente, candida, magnitudine arboris iuſtæ: ſed idẽ frutex humilior atque ſpinoſus in Syria, Niſyro, & Rhodiorum inſulis prouenit: quem alij eryſiſceptrum, alij adipſatheum, ſiue dipſacũ, ſiue diaxylon uocant. Optimus qui minimè ferulaceus, rubẽs & in purpuram uergens, detracto cortice. Naſcitur pluribus locis, ſed non ubique odoratus. Dioſcoridi frutex eſt lignoſus ſpinis obſeſſus. gignitur circiter Iſtrum & Niſyrum, in Syria quoque & Rhodo. Vnguentarij eo ſpiſſandis oleis utuntur. Primi meriti eſt ponderoſus, & qui detracto cortice, rubet, aut in purpuram inclinat, tactu preduro, ſuaui odore, amarulento guſtu. Habetur & aliud genus candidi, ſurculoſi, ſine odore, quod & deterius. Plinius item in Cypro, tractu eodem aſpalathum naſci prodidit, ſpinam candidam, magnitudine arboris modicę, flore roſæ. radix unguentis expetitur. Tradunt, in quocunq; frutice curuetur arcus cęleſtis, eandem quæcunque ſit aſpalatho, ſuauitatem odoris exiſtere, ſed in aſpalatho inenarrabilem quandam, arcu in eum innixo. Quidam eryſiſceptrum uocãt, alij ſceptrum eliſei. Cuius probatio eſt in colore rufo, tactu ſpiſſo, odore caſtorij. Sed quid fuerit aſpalathus, qui cõpluribus unguentis & antidotis olim inſerebatur, non facile ſit enarrare: quum ſanè per Hiſpanias iam ætate Plinij, multi & ad odores & inter unguenta utebantur, ſpina quã uocabant aſpalathum, ſed ea uulgaris erat ex qua fulloniæ implebantur urnæ, radicis tantum uſus habebatur. Aſpalathus tamẽ mihi uidetur id eſſe, quod nunc officinæ uocant, *lignum Rhodium*. nonnulli quãquàm falſo, ut poſtmodũ docebimus, *lignum aloes*, uulgus *rodoen*. Siquidem ſingulæ quæ à citatis authoribus traduntur deliniationes huic ad amuſſim, nulla reclamante nota, reſpondent. nanque lignum fuiſſe fruticoſum nodi ſatis teſtantur, quibus adhuc exaſperatum ſcatet. Declarant etiam aculeorum ueſtigia nonnunquam id frequentibus ſpinis inhorruiſſe, quanuis ſpiculis caſtratum & ſuis uiduum ſurculis: quin potius cortice ſpoliatum, ad nos deferri ſoleat. modicam tamen arborem uel frutícem fuiſſe ſatis nobis hæ ligni reliquiæ docent. Pondus eius graue ſatis librans manus perpendit, quod cæterorum more demerſum aquis non protinus extat, ſed lapidis modo confeſtim præceps ſidit: nec ſic obrutum quouis modo conſueuit emergere. Adde quòd hoc lignum ſubrubet, & in purpuram quandam exuto cortice tendit, quod oculis euidentius eſt, quàm ut probari mereatur. Satis ſuperq; duritiam & ſpiſſitudinem tactus ſentit. odoris quoque ſuauitatem, ligni ſuffitus indicat. Cæterum ſi lingua conſulatur, leuem amarulentiam reſipere, & quadam tenus amareſcere conſtabit. Galenus tamen guſtu acrem aſpalathum aſtringentémque deprehendit, cuius iudicio ſatis lingua ſubſcribit. nec ijs plura quæ ad eius cognitionem pertineant Dioſcorides ſcripta reliquit. Aſportatur ad nos è Rhodiorum inſulis, inde Rhodij ligni appellationem declinauit. Quin & de flore fruticéque toto ad Rhodios negotiatores retulimus, qui florem ei roſæ tribuebãt, prædicabántque humilem arbuſculam, frutícem'ue lignoſum crebris ſpinis aculeatum. Ea igitur, quæ fideli narratione accepimus, & ipſius ligni pericula quę unuſquiſque facere poteſt, in hanc traxerunt opinionem, ut Rhodium hoc lignum ſit idem, quod à ueteribus aſpalathus diceretur. Accedent etiã noſtræ nimirum ſententiæ, qui diligenter hæc ſcrutari, & ſingulas notas diſquirere uoluerint. Quippe quum magnitudo ei arboris modicæ, uel potius frutex humilior, ſpinoſus, in Rhodiorum inſulis frequẽs, unde defertur ad nos. flore roſæ rubet atq; uergit in purpurã, cortice

detracto, denſus, guſtu ſubamaro. Igitur aſpalathũ hũc eſſe nemo niſi ueritatis ſurdus poterit inficiari. Radix unguentis naſcitur: odore terræ, in quã arcus cęleſtis incubuerit, nẽpe ſuauiſſimo & inenarrabili. Radicẽ nigrã Hippocrates quũ uocat, Galeno radicẽ ſignificat aſpalathi, Criſſæo Phocidis agro cõmendatiſſimam. Vis ei calfactrix, aſtringẽs, ideò tetra oris ulcera decoctus in uino, collutuſq; ſanat. Genitalium tumores et putrilagines, carbunculantiáque partium earundem ulcera infuſus purgat. In peſſo ſubditus partum elidit: aluum ſiſtit eius decoctum, & ſanguinis reiectiones potu cohibet: anguſtias urinæ & inflationes diſcutit: rimas ſedis ſubter inditum coercet. Diſſimilibus aſpalathus conflatur particulis, acribus, quibus excalfacit: & auſteris, quibus refrigerat. ideoq; reſiccat.

Succinum & ſucciniferæ arbores. Cap. XXXIX.

SVccinum, Græcis electrum, Germani gentilitio nomine *gleſum* appellarũt. Autumno quibuſdam pinei generis arboribus exudatur, & ut gummi cera ſis, copia humoris erũpit, & rigore aut mari denſatur. Intumeſcẽte æſtu raptim ex inſulis ſeptentrionalis oceani expuitur in litus, ibiq; uadis inter cætera maris eructamenta rude legitur. A Germanico Cæſare Germaniæ oras ſcrutante cõperta arbor eſt, generis pinei, quæ per autumnum ſuccino lachrymat. Ne credantur Padanæ ſyluæ lapidem fleuiſſe: operę eſt pretium oſtendere, unde hanc ſpeciẽ barbari intulerunt. quæ quum per Pannonica cõmercia uſu ad Tranſpadanos homines foret delata, quòd ibi primum noſtri uiderant, ibi etiam natam putaueruñt. Munere Neronis principis apparatus omnis abſq; ſuccino inornatus erat: nec difficulter, quum per idem tempus tredecim millia librarum rex Germaniæ ei dono miſerit. Rude primum naſcitur & corticoſum, deinde incoctum adipe lactentis ſuis expolitur, ad quem uidemus nitorem. Pro facie habet nomen, amelleum dicitur & phalernum, utrunque de ſimilitudine mellis atque uini. Cornelius Tacitus eo libello, quem Germanorum moribus dicauit, ita ſcriptum reliquit: Germani qui mare ſcrutantur, ſoli omnium ſuccinum, quod appellant gleſum, inter uada atque in ipſo litore legunt, nec quæ natura, quæue ratio gignat, ut barbaris, quæſitum compertumq; diu. Quinetiam inter cætera maris eiectamenta iacebat, donec luxuria ei nomen dedit. Ipſis in nullo uſu rude legitur, informe perfertur, pretiumq; mirantes accipiunt. Succum tamen arborum eſſe intelligas, quia terrena quædam atque etiam uolucria animalia plerunque interlucent, quæ implicata humore mox durescente materia clauduntur. Fœcundiora igitur nemora, lucos, ſicut orientis ſecretis ubi thura balſamáque ſudantur: ita occidentis inſulis terriſq; ineſſe credidit, quæ uicini ſolis radijs expreſſa atque liquantia in proximum mare labuntur, ac ui tempeſtatum in aduerſa litora exundant. Succum tamen eſſe nomine deprehendas. ſed quòd pineæ ſit arboris, indicio eſt odor in attritu pineus, & quòd accenſum tedæ modo deflagret. Nanque ſi naturam ſuccini admoto igni tentes accenditur, alitq; flammam pinguem & pinum olentem: mox in picem reſinámque lenteſcit. Liquidum primò ſtillauiſſe, argumento ſunt formicæ, aut culices, aut lacertæ, quos adhæſiſſe muſteo nõ eſt dubium, incluſæ indureſcenti, hoc quoque Martialis diſticho capeſſes,

Quum Phaethontea formica uagatur in umbra,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

Cum intumeſcens æſtus ex inſulis rapuit, certè in litora repellitur, ita uolubile ut pendere uideatur atque conſidere in uado. Affertur à Germanis in Pannoniam, inde proximi Pannoniæ accipientes primi circa mare Adriaticum fecere famam. Pado uerò adnexa fabulæ uidetur cauſa, agreſtibus fœminis Tranſpadanarum ſuccina moniliũ uice geſtantibus, decoris gratia, quæ narrat icti Phaethontis fulmine ſorores, fletu mutatas in arbores populos, lachrymis electrum omnibus annis fundere, iuxta Eridanum amnem, quẽ Padum uocant: & electrum appellatum, quoniam ſol uocitatus electror, ut plurimi poetæ dixere, Nicander, Euripides: & è noſtris Ouidius electrũ lachrymis Phaethontiadum enatum ijs carminibus prodidit,

Inde fluunt lachrimæ, ſtillataq; ſole rigeſcunt
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Quod

Quod esse falsum omnium testimonio patet. Lucianus uidendi miraculi (ut reliquit scriptum) gratia ad Padum amnem se contulit, serio, non ludicro (uti solet) sermone fatetur, neq; populos ibi adesse, neq; succino collachrimasse. Falsum æque prodidere in extremis Adriatici sinus rupibus inuijs arbores stare, quæ Canis ortu hoc effunderẽt gummi. Theophrastus libello de lapidibus in Liguria effodi dixit. Phaethõtem in Aethiopia Ammonis obijsse, od id delubrum ibi esse atq; oraculum. Nõ desunt, qui in Scythia duobus locis erui tradant, candidum atq; cerei coloris, quod appellatur phalernicum. Dioscorides duo uidetur electri statuere fastigia. Vnum lachrimam commemorat, quæ in Padum amnem defluat, durari ac coire in succinum, quod attritum iucundũ spiret odorem, & colore aurum imitetur: quare chrysophorum, quòd auri colorem referat cognominatur. Hoc potu stomachi fluxiones & uentris profluuia sistit: Alterum, quod cognomento pterygophorum, id esse fatetur, quod lyngurijũ, urinamq; lyncis, simul atq; egesta est, glaciari concrescereq; in duritiam calculi, ut commentium refellit. Addit & stomachi uitijs & alui fluxionibus mederi. Quum ergo lyngurium neq; colore, neq; duricia, neq; uiribus à succino dissideat, uaria statui genera superuacuũ est. Adde, ut Theophrastus perhibet, lapidi isti lyngurio succini colorem ineſſe, pariter spiritu trahere propinquantia, dolores renum sedare, mederi regio morbo. Sed fabulosum esse putauerim, quod ab ijs, qui naturas lapidum sunt persecuti, contenditur, lynces præsentiscere urinas in pretiosos calculos cogi, eo documento, quod egestum liquorem illico arenarum cumulis obruunt: inuidia scilicet, ne talis egeries transeat in humanum usum. Nec desunt, qui succinum putent concreti maris esse purgamentũ, & pro ligno ad ignẽ uti. Alij credunt soliis radios circa occasum, uehementius actos in terrã, pinguẽ sudorẽ in ea parte oceani relinquere, deinde æstatibus in Germanorũ litora eijci. de electro & lyngurio hæc Theophrastus memoriæ prodidit. Lyngurium ut lapidẽ durum scalpi: nõ folia tantũ aut stramẽta ad se rapere, sed æris etiam ac ferri lamínas, quod Diocles quidẽ testatur: concrescere in pellucentes gẽmas atq; frigidas: quę & scalpãtur, sed hoc discrimine, è maribus præcipue feris præstãtiores, è fœminis præsertim cicuribus lãguidiores, quod uel cibi uel laboris differẽtia euenit. Humidiorem effodiunt periti, quippe quũ redditam urinam animal aggesta terra obruat, ceu gnarũ peti plures ad usus. Electrum idem tradit splẽdẽs & fossile circa Ligusticã, cui trahẽdi quoq; ferruis ineſt: sed alijs in locis rarius enascitur. Succinũ excitata ui caloris stramenta, flocos, paleas, atq; uestium fimbrias allicit ad se, & leuia quæcũq;, ut Plutarchus inquit: præter ocymũ, & alia oleo imbuta, quæ aut respuit, aut à sese abigit: non secus atq; magnes lapis non ad se ferrum amplius trahit, si allio perlinatur, de qua re diximus alicubi. Genera succini plura traduntur. Candida odoris præstantissimi: sed nec ijs, nec cereis pretium: fulgent ardore: imaginemq; igneam ineſſe, non ignem placet. Summa laus phalernis à uini colore dictis, molli fulgore perspicuis, sed quomodo libet & hædorũ seuo & anchusæ radice tingebantur. Quippe etiam conchylio inficiebantur. Vnum genus adiecerunt chrysolectrum quasi coloris aurei, rapax igniũm, et si iuxta fuerint celerrime ardorẽ concipiẽs. hoc collo alligatũ mederi febribus, tritum cũ melle ac rosaceo auriũ uitijs, uel per se farina eius sumpta, uel cũ mastiche ex aqua pota. Infantibus succina alligari amuleti ratiõe prodest, & cuicũq; ętati contra lymphationes. Si cũ melle attico terantur, oculorũ obscuritatibus auxiliantur: stomachi & uentris fluxiones sistunt. Succina etiam gemmis quæ transluci dæ sunt, adulterandis magnum habent locum, maxime amethystis, quum omni colore tingi possint. De lyngurio priuatim dici cogit autorũ pertinacia: etsi idem cum electro esse ueritas asserat. Lyngurijũ gemmã esse contendunt: & quod ad medicinã pertinet, proditur calculos ueſicę eo poto elidi, & morbo regio occurri, si ex uino bibat, aut si portetur. Succinũ nostræ officinæ ruraq; & uulgus medicorum *ambram* uocant *citrinam*: mauritani Karabe. Gestant apud nos mulieres decoris causa, quædam monilium uice, quod credantur tonsillis resistere, & faucium uitijs, uario genere aquarum infestante guttura. Aliæ in orbiculos aut uerticilla quibus fœminæ suas preces numerant effingunt, & collo, uel brachijs, aut certe cinctu ferunt. Sed diuersum est hoc genus omnino, quod ampar uel ambar, *ambra* uulgo nominatur, incompertum ueteribus, Aetio multis locis scaturiens,

bituminis aut ſulfuris modo. Diſcrimen eius triplex, rufum & pingue. Præfert Selachiti/cum ſic à municipio quodam Indiæ uocatum, ubi naſcitur, ſubalbidum: ex Arabia felici minus probatur, è maritimo quodam oppido, cui Sechra nomẽ eſt: deterrimum nigreſcit, quod piſces deuorauere, Officinæ, uti ſupra diximus *ambram griſeam* appellãt: nos græcam fidem ſecuti malumus ambarum nominare. Non deſunt è doctis, qui ſuccinum orientale malint uocare. De electro ſunt qui tria genera conſtituant, primũ ex arborũ ſucco, quòd inde ſuccinum dicatur, ut non hoc ſit, quod Homerus nouerit. Secundum naturale quinta parte argẽti, ut in canalienſi auro. Tertium cura fit ex tribus auri partibus, & una argenti: quanquam quòd quintam partem argenti non excedit, incudibus non reſiſtat. Errare Plinius exiſtimat, qui melius eſſe putant naturale, Cuius probatio, ut ueneno accepto & ſtridorem emittat, & uarios quaſi arcus cæleſtis in diſſimilitudinem reddat colores. hoc, ut narrant, ad lucernarum lumina clarius ſplendet. Electrum Strabo tradit ipſum eſſe purgamentum auri coctura prima, quod ex ſulfuroſæ cuiuſdam cretæ comitatu fit, argentum aurumq; in ſe complexum, Chymiſtæ Phaethontem appellant. Sed uerboſius fere quàm res expoſceret, negotium ſumus proſequuti.

Muſcus arborum. Cap. XL.

MVſcus Græcis bryon, alij ſplanchnos, alijs ipnos dicitur. haud aliud eſt, q̃ cani arborum uilli, quales in ſeneſcente quercu maxime uidemus, ſed odore præſtantes. Prima laus candidiſſimis atq; altiſſimis, ſecunda rutilis, nulla nigris. In inſulis petrisq; nati damnantur, omnesq;, quibus palmarũ atq; nõ ſuus odor ineſt. Dioſcorides in arboribus, cedro, quercu, populo, muſcum inueniri tradit. Prima dignatio cedrino, proxima populno: meliores candidi odoratiq;, deteriores nigri: in Cyrenaica prouincia maxime probat. Fertur et in Aegypto naſci, quin & in Gallia non dubitatur. Ex eo & balanino oleo expeditiſſimum primumq; oleum fuiſſe tradunt. Sunt & hoc nomine panni arentes muſcoſo uillo, quales in glandiferis ſola ferè quæ uocatur ægilops fert: uerum è ramis depẽdentes cubitali magnitudine, odore ualentes. Eo etiam bryi uocabulo intelligitur populi candidæ uua, circa Gnidum optima, aut Cariam, in ſitientibus aſperisq;: ſecundam in Lycia è cedro ad unguenta pertinentem prædicant. Galenus quoq; bryon in picea inueniri tradit, quod & Paulus confirmat. Potentia ei aſtrictoria. uuluis decocto inſidentibus utilis. oleis inſpiſſandi gratia inſeritur. item odoramentis ad ſuffitum, & acopis.

Narcaphthum, & Cancamum, Cyphi Cap. XLI.

NAſcaphthum, quod & ab alijs narcaphthum uocatur, olim ex India deportabatur, corticoſum natura, et putaminibus arboris mori: pretermiſſum à Plinio ut arbitror conſulto, quia incerta eſſet eius facies, ut aliorum quoq; plurium, quę noſtro orbi tãtum nominibus cognita ſunt. Paulus lacaphthi meminit inter ea, quæ in magno cyphi, quod cognominant heliacum adijciuntur, & corticẽ piceæ uel alterius arboris exiſtimat. ego lacaphthum idem eſſe cũ naſcaphtho reor. Laudatur accenſi nidor, quare ſuffimentis inſeritur, aſtrictos fœminarum locos ſuffitu recludit. Cancamum ex confinio caſiæ cinamiq; deuehitur, ſed per Nabathæos & Troglodytas qui conſedere ex Nabathæis. Dioſcoridi lachrima Arabicæ arboris myrrhæ quadam tenus proxima: cæterũ guſtu uiroſo, qua utuntur ad ſuffitus. obeſum adipe nimia corpus onere leuat & ad maciem perducit. Paulus arboris Arabę odoratam eſſe lachrimam tradit myrrhæ non diſſimilem, quæ ſuffimentis uſurpetur. Addit uim obtinere extenuandi præpingues & obeſos. Corpus, ut tradit, nimia pinguitudinis ſarcina grauatum emaceſcit, ſi ternis obolis in aqua, uel aceto mulſo pluſculis diebus ebibatur. Datur lienoſis, comitialibus, & ſuſpirioſis. Commoratos menſes ex qua mulſa trahit, cicatrices oculorum celeriter exterit. retuſam eorundẽ aciem uino dilutũ exacuit, ad uliginem gingiuarũ deſtillationesq; & dentiũ dolores nihil æque facit. Cæterũ non ſum neſcius à barbaris, qui Dioſcoridis & Pauli citarunt teſtimoniũ, id *laccam* dici, quod Dioſcorides & Paulus cancamum appellarunt, idemq; plurimis recentiorum græcorũ compoſitionibus hoc nomine dicatum. An tamen lacca ſit, de quo agitur cancamum, non ſatis habeo compertum, Quòd & ſi genus hoc myrrhæ referat ſpeciem, tamen uacare mihi uidetur odore, qui

poſſit

possit ad suffimenta dari, sapore uiroso. Adiecere Mauritani rubram esse laccam, tinctoribus expetitam, roris modo supra surculos arborum insidentē, præsertim mespili, & coalescentem in gummi. Infectores floccorum purpuræ eam macerāt, ut colorem ebibant lanæ, & quod remanserit, lacca esse dicitur. Hoc modo solet elui. ramuli & frutices qui hoc scatent gummi candente aqua, in qua aristolochia et iuncus odoratus inferbuerint, respergutur, & pistillo subiguntur, dein aqua, quum sidunt emittitur. quòd si non perluceat, idem opus obire oportet, dein in umbra siccare & ita recondere. Lacca pretioso medicamento recentioribus Græcis indidit nomen dialaccam. Cyphi compositio erat odorum, quam ad propitiandos deos antiquitas urebat, sacerdotibus Aegypti uernacula, in quo imbuti hac uana superstitione superfluebant. Cyphi cremabant uespertinis omnibus Aegyptij, matutinis resinam, meridianis myrrham. Ea erat miscella, ut Plutarchus autor est, sedecim literis sacris contenta: ex melle, uino, uua passa, cypero, resina, seseli, aspalato, myrrha, iunco, bryo, calamo, utraq; iunipero, lacaphtho, cardamomo, bitumine. Dioscorides proximam condendi huius rationem prætexit. Capit cyperi semisextarium, iuniperi crassioris tantundem, uuæ passæ præpinguis enucleatæ libras duodecim, resinæ repurgatæ libras quinq;, calami odorati, aspalathi, iunci odorati, omnium parem modū pondo: myrrhæ denarios duodecim, uini ueteris sextarios nouem, mellis pondo libras duas. Ac primo quidē exemptis acinis uuam passam quum tundis, & cū uino myrrhaq; subigis mox alias species teris, & cribro succretas prioribus cōfundis, paterisq; diem solidum interquiescant, & combibant: deinde mel concoquis, usq; eo dum crassitudo glutinis fiat, tum resinā excalfactā ut distabescat probè cōmisces: postremo et reliqua diligenter & nauiter confricas, condenda mox fictili. Sunt & thymiamatis huius, & pro arbitrio ratiōes: sed duæ in medicina cognomentis insignibus, quarū unā soli, lunæ alterā nuncuparūt, heliacum et seliniacum, hoc est solariū & lunariū appellātes cyphi. Has suffitiōes lingua nostra *cyprias* corrupto ut reor nomine uocant, pro cyphias, formātq; in auicularum modū, ut cōmuniter apud nos dicantur *cypriæ auiculæ*, uestigio ueteris nominis adhuc relucente.

Myrobalanum. Cap. XLII.

MYrobalanum Troglodytis & Thebaidi & Arabiæ, quæ Iudææ ab Aegypto disterminat, cōmune est, nascens unguento, ut ipso nomine apparet, quasi dicatur unguentaria glans. quo item, ut Plinius est autor, indicatur & glādem esse arboris, heliotropio simili folio, fructus magnitudine auellanæ nucis. Theophrastus ei (nisi librarij mendū adsit) myrti folium reddit, Dioscorides myricæ, duntaxat oblongius. Arbor grandis incorruptaq;, sed cōtorta. Vnguentarij instítores corticem glandis eius premunt odoris gratia: medici uerò nucleos tundūt affusa paulatim calda: quanquam & Teophrastus inutiles esse prodidit. Galenus unguentarios uti scribit expressę carnis succo, medicis quoq; utilem ad eliciendos uomitus carnem esse tradēs. Glās magnitudine & aspectu capparis, aut nuci potius auellanæ similis, lignū robustum, usu præcipue nauali, in Arabia nascens. ex ijs in Arabia proueniēs Syriaca nominatur, & est candida. Prefertur illa bonitate olei quod exprimitur: sed copia, Thebaica. inter hęc Troglodytica utilissima. Sunt qui Aethiopicā ijs præferant, glandem nigrā, nec pinguem, nucleoq; gracili, sed liquore qui exprimitur odoratiori, nascentem in campestribus: Aegyptiam pinguiorem esse, & crassiori cortice rubentem, & quāuis in palustribus exiliat, breuiorem, sicciorem. è diuerso Arabicam uiridem ac tenuiorem, & quoniam sit montosa, spissiorem. longe optimam petræam, nigro cortice, nucleo candido. Antiquitas hoc genere myrobalanorum cōtenta fuit. Posteritas in noua alia quinq; discreuit fastigia, nempe sua quiq; diligentius sectati ea non modo effectu differre obseruarunt, sed alia aliis gigni arboribus. Quædā dixere lutea, quæ ex herbaceo colore flaueścunt, spissa, ponderosa, exili nucleo, cute crassa. Hæc corporis æstus refrigerare, accensamq; bilem deijcere: ex omphacio oculis illini, eorūdem caligines & epiphoras discutere. His succedunt quæ à colore cæruleo uulgus *inda* nominant, solida sine nucleis, oliuæ forma ad bilem atram deijciendam efficacissima. itaque tristitiam discutere, quartanas & tremulas sanare, purgare lepras, colorem restituere uolunt. Proximè laudant, quæ uocant cepula, cæteris ampliora grauioraq; ex fusco ruffescentia, carnosa: ea pituitam trahere, oculorum aciem

illustra

illustrare, coctiones iuuare, pectus repurgare, aquæ intercuti & longis febribus auxiliari. Quartum genus empeliticum uocant cute ossibus hærente, lapillorum penè figura. ea pituitam trahunt: prosunt neruis & ueternosis, mētis aciem exacuunt, stomachum purgant. cardiacis succurrunt affectibus, sitim sedant, fastidia discutiunt, cōprimūt uomitus. Sunt qui hæc cum beletzicis myrobalanis non adnumerēt. utiq; specie tota dissidere uidentur, angustiora multo, colore in cinereum languēte. Beletzica eadem quasi forma spectantur, qua empelitica. purulentis medentur excreationibus, uenis sedis sanguinem profundentibus, capillorum defluuio, quos etiam dinigrare tradunt, ex amygdalino oleo et melle trita. In plenum myrobalanorum usus ætatem conseruat integram, recreat cutis colorem, & halitus præstat suauitatem, mentem exhilarat, intestina firmat, incandescentem bilem restinguit. Condiendi modus à multis edocetur. Actuarius de myrobalanorum generibus hæc nobis scripto reliquit, Fructus ij nobiles plerisq; ad nos ex Aegypto Syriaq; deportantur, callo corporis compactili, osse intus lignoso, quorum nonnullos uocant flauos, alios cepulos, quidam magnos malūt appellare, alios nigros, ij communi omnium sermone myrobalani nomine ueniunt, ea binum aut ternum denariorum pondere trita peculiariter superuacuū capitis humorem exhauriunt: sed flaua bilem flauam, atram nigra detrahunt, quemadmodum pituitam cepula. Quin & stomachum sua constrictione firmant: uerum usta multo magis & elota. qua conditione ignem & aquam experta magnam in purganti facultate faciunt iacturam, quòd tenuiusculis siccioribusq; constent particulis. In quibus defluxio membrum aliquod male habet, aut intestina exulcerat, ambusta repræsentantur. mediocriter aluum subducunt. easdem sibi uires arrogant, quæ *empelitica* & *emblica* barbaris uocibus nominant. Quare barbarę familię medici prudentes ea genera in unam misturam cogunt, nominantq; *triphalon*, medicamē uentri ciundo desideratum. Nec me fugit nigra, quæ ipsi uocant *inda* à recentiore Gręcia damasonia uocitari, ea fastigia omnia ab officinis ostenduntur. 1ª 2ª

Piper Cap. XL III.

DE piperis arbore parum apud ueteres recentioresq; conuenit: nanq; Plinio, quæ piper gignunt iuniperis nostris similes: quanquam in fronte Caucasi solibus oppositа nasci tantū eas aliqui tradidere. Semina à iunipero siliquis distant paruulis, quales in phasiolis uidemus. hæ priusquam dehiscant, decerptę tostæq; sole, faciūt quod uocatur piper longum. paulatim fatiscentes per maturitatem, ostendunt candidum piper, quod deinde retorridum solibus, colore rugisq; mutatur. Verum & ijs sua iniuria est, cælicq; intemperie carbūculantur, fiuntq; semina cassa & inania. Alij in Caucasi fronte, qua soli sit obuersus, arborē piperis ostentant, ad iuniperi similitudinē, diuersos ædere fructus affirmant. Quibus erumpit uelut corymborum fimbria, dicitur piper longum. quorū cutē rugosam calor fecerit, aut caducus sole torretur nigrum uocant à colore: quod est incorruptū, album est. Theophrastus duo constituit genera, rotundum eruí modo, putamine carneq; subrutila, ceu lauri baccæ: alterum oblongū, nigrum, semina continens papaueracea, quod multo ualidius priore iudicatur. Ambo uim excalfactoriam possident: quamobrem aduersus hausturn cicutæ uenenū auxiliātur. Hoc idem Athenæus Theophrasti iudicio fretus asserit. Philostratus longè aliter de pipere sentit, tradens Caucasi partē, quæ ad rubrū mare porrigitur, diuersis aromatum generibus esse consitam, in cuius præruptis lateribus exoriuntur piperis arbores, quæ similes esse uisuntur illi, quam Græci agnon quasi castum, nostri uiticē appellant, cum partibus alijs, tum maxime fructuū racemis. Proueniūt crepidinibus, locisq; hominum generi plurimum inaccessis, ubi simiarum populus cauernas montis & cuniculos incolit. quæ quoniam uelut agricolæ in Indos sua conferunt officia: illi accepti beneficij non immemores, à leonum iniurijs uindicant, qui ægroti & medicinæ & cibi gratia magnopere simijs insidiantur. Quod ad piperis collectionem pertinet, sic se habet. Accedētes ad radicē montis Indi, factis sub arboribus areis, decerpentes baccas arboribus interdiu adrepunt, & lectum inibi piper congerunt in aceruos quasi rem neglectui datam æstimatámque minimi eo proijciant: circumstātes uerò simiæ atque in aurijs abditæ uindemiam hanc eminus intuētur: quum adueſperascit, Indorū opus imitatæ, bacciferos arborum termites magno metendi studio in areas aceruatim conferunt: ac ubi dies illuxit, reuertentes Indi piperis

cumulos 2ª 3ª 4ª 5ª

cumulos asportant, quos nullo labore sed noctu partos conquisierũt. Huc facit, quod Dioscorides uiticem siue castum à Romanis dici piper agreste, forsitan ob eam quam retulit similitudinem adfirmat. Audio piperis arborem iam Italiam habuisse, maiorẽ myrto, nec absimilem. Galenus & post eum Paulus prodiderunt radicem piperis uires costi prorsus æmulari: sed fructum congerminantis primũ arboris longum piper dici, quod humidius intelligitur, argumento, quod facile depositum pertundatur, et celeriter cariẽ sentiat, nec protinus, sed sensim linguã uellicet. Qui uero acerbæ uuæ modo pubescit, candidũ piper nominatur, acrius nigro quod maturitate retorridũ exaruit. Vtrunq; uehemẽter excalfacit & exiccat. Sed longe aliter, quàm Theophrastus et adhuc Philostratus, qui Lusitani regis diligentissimi studio, liburnicis magna parte meridiani situs ambitu Mauritaniæ circũuectis, in nouũ orbẽ se contulerunt, natales reliquamq; faciẽ stirpis ad nos reuersi, repræsentarunt: quũ plurimas se uidisse fateantur, fruticem non arborem piper ædere narrãt, albæ uiti sepibus proreptanti simillimã, uicinas scandentẽ arbores, quæ racemosum fructum ostẽdat primũ uiridẽ nec aliter quàm in ligustro coaceruatũ. Hunc, antequam legitima maturitate nigrescat, lectũ, sub sole palmeis tegetibus expandunt: sic baccas solis æstu corrugari, uel passas nigrescere cõmemorant. In eodem frutice longum piper aut album offendi negant, sed alias arbores, quæ sapore piperis nonnihil ferant oblongum, compactilibus callis racematim cohærentibus, ueluti ponticæ nucis iulum, quod inibi longum piper incolæ nominant. namq; tam æmula facie longum piper exprimunt, ut nisi sapor fallaciam proderet, nullo insigni discerniculo notarẽtur. Vides, quàm dissimiliter exotica arbos à uarijs autoribus sit depicta, qui forsitan eam non uidissent, sed potius indigenam fidem sequuti repræsentarunt. Id tamẽ non est omitendũ, arboraceũ fruticem apud nos esse quo uelut uiua sepe latiores hortorũ areas, uenustatis potius causa quàm munimenti cingunt. Is altitudine ternũ cubitorum inolescit, & uitiginea fronde uiret, supra modũ aspera utrisq; lateribus acuminata, medio in mucronẽ desinẽte ambitu leuiter simbriato, satis ad lupi salictarij, uel albæ uitis foliũ accedẽte. Ramos fundit breues, in quibus excusso flore primũ bacculę pendẽt uirides, ut in ligustro racematim coactæ, quæ maturitatẽ adipiscentes nigrescũt, gustu & sapore piperis, sed mitiusculo. Eæ prorsus rotundi piperis faciẽ exprimunt: uerum desideratur in eis retorrida illa rugosaq; maturitas. abest etiam illa ualidior amaritudo. gustum piperis sapore complent: & os, quibus anima fœtet, odoris iucundi tate cõmendant. Piper olitores nostri nominãt, quòd atrum piper colore & sapore forsitan ęmuletur: sit ergo nobis piperastrũ, quoad melius uocabulũ inuenerimus. Vides itaq; quàm cęca sit harũ rerum effigies. nam piperiferam arborẽ Plinius iunipero similem fecit, nigrumq; baccis eius adulteratur myrrhæ uim trahentibus. Philostratus uitici cum fructu tum reliquo arboris habitu cõparauit, natales tamẽ ambo cõsimiles utrisq; reddunt. Sed nec immerito de longo pipere satis ambigitur: quoniam siliquula sit fasiolorũ modo teres semina continens papaueracea, uel tenui milio similia priusquã dehiscat, decerpta tostaq; sole. autores sunt Theophrastus, Dioscorides, Plinius: paulatimq; se pandens per maturitatem ostendit candidũ piper, quod deinde solibus intostum mutatur in atrũ. Alij oculata fide referunt longũ piper esse ex alijs arboribus uelut nucamentum quoddam, exilibus granulis squamatim compactum, quod uelut iulus in auellana nuce, uermiculosa facie dependet, piperato gustu: nunquam tamen in album uel nigrum piper coalescere. Qui uitici similarunt, iulum compactilibus granulis coactum, in eadem arbore fructum, uelut quendam conuirescentis seminij conceptum contendent: quale forsitan in salicibus quiddam apparere cernimus, & etiam uitici, nucisq; ponticæ. Nec deest qui tradat uisum sibi in India piperis fruticem, hederæ modo amplexicaulẽ, folio mali assyrij: sed carnosiore pinguiq; racemis palmaribus, coloris immaturæ uuæ. hos legi mense Nouẽbri, ac insolatos nigrescere. Nec ijs ultro citroq; adiunctis uolumus fidem antiquorum placitis derogare. Varię sunt forsitan diuersis regionibus arbores piperiferæ: uti & uaria palmarum, multarumque stirpium genera, palmulas tamen ferentia. In Aegypto, ut Straboni placet, granum piperi simile, paulo tamen maius nascitur, corsion nomine, quod piperis uicem & acrementũ pensat, si alterius non detur occasio. Excalfactoria omnibus facultas. Vrinam cient, concoquunt, eliciunt, discutiunt, caliginẽ, quæ oculorum claritati offunditur, sum-

mouent

mouent. horroribus febriũ ambitu repetentiũ potu uel illitu subueniũt. serpentiũ ictibus auxiliantur. partus ex utero trahunt. conceptũ abortu uitiant, si fœmina post cõgressum cum uiro, uuluæ admoliatur. ad tussim & uitia pectoris omnia potu uel eclegmate proficiunt. anginæ cum melle conuenienter illinũtur. tormina cum tenerrimis lauri foliis discutiunt. Capitis pituitam eliciunt, si cũ uua passa cõmanducentur. Somno dolores finiunt: omninoq; saluber eorũ usus existimatur. appetentiã inuitant, & auiditatẽ cibi moliuntur. Cõcoctiones adiuuant iurulentis insparsa, quæ ad intinctus parantur. Strumas cum pice digerunt: uitiligines ex nitro emaculant. torrẽtur noua fidelia in carbone, cõmouenturq; sæpius. Galenus candidum reliquis prætulit, ut nigro acutius. Plinius uim feruentiorẽ nigro tribuit, cui astipulatur Dioscorides. album rarius ad nos defertur. Farina eius naribus attrahitur ad ciundas sternutationes, deuocandamq; capitis pituitam.

Gingiber. Cap. XL IIII.

GIngiber in Arabia atq; Troglodytica in uillis nascitur paruæ herbæ radice candida. Non est arboris piperiferæ radix, ut aliqui existimauere, quam uocant singiuerim, alij uero gingiberim. cum ea costo potius similis sit, odorata piperaceo gustu. accendit hæc linguam, saliuam ciet, ex aceto lienem immittit. capitis pituitas per os elicit cum uua taminia commanducata. Qui gingiberim uiderunt in India, hac facie repræsentant. Radix geniculatis serpit internodijs, crebro q; ex ijs & ex acumine nouas radices spargit, folia bis terue in anno fundit arundinacea, sed quę in breuiorem exilitatem fastigiantur: in totum gramen dicunt æmulari, nec quicquam in ea regione frequẽtius inueniri. Subdunt nõnihil subesse discriminis in sapore, quod maxime sentitur, cum præcox uel intempestiua fuit messis. Opportunum legendi tempus cum folia inaruerint, alioquin & teredinibus obnoxium est, & carie tentatur. Galenus ob incoctam quandam & excrementitiã uliginem facile pertũdi commemorat, id quod immaturi humoris argumentum est: nihil enim quod exacte siccum fuerit tale uitium experitur. Cariem etiam ut idem refert, facile noscit & tinearum iniuriam piper longum. Cupide ad opsonia utuntur Septentrionales populi. Recens radix ac tenera quæ uetustatem nõ sensit, conditur melle, & ita defertur ad nos, uernaculo humore non exucto: hanc uocãt zinziber uiride, quòd adhuc succi plenũ asportetur: Gallis omnibus *gigembra* radix hæc dicitur. Coctiones adiuuat. discutit inflationes: uenerem proritat: restituit oculorum aciem humoris profluuio hebetatam: dispescit tenaces interaneorum humores: in reliquum eadem uis, quæ & piperi.

Hebenus. Gaiacum. Bersilicum. Cap. XL V.

HEbenum Virgilius Maro celebrauit nusquã alibi quàm in India nasci professus. Hoc sola mittit, nec tamẽ uniuersa, uerum exigua sui parte genus hoc gignit. Arbor est plerunq; tenuis & frequentior, uimine raro, in crassitudinem caudicis extuberata, hiulco cortice & admodum reticulato, dehiscentibus uenis, adeo ut per ipsos sinus pars intima uix tenui libro contegatur: lignum omne atq; mediale eadẽ ferme & facie & nitore, qui est in lapide gagate. Indi reges ex eo sceptrum sumunt, & quascunq; deorum imagines non nisi ex hebeno habent. Item ferunt materia ista liquorẽ non contineri noxium, & quicquid maleficij fuerit, tactu eius auerti. Hac gratia pocula ex hebeno factitant. Ita nihil mirum si peregrè sit in pretio, quo etiam ipsi quibus prouenit, honorantur. Hebenum ex India Romæ Mithridatico triumpho primum Magnus Pompeius exhibuit. dẽsissima ex omni materie, & ideo grauissima iudicatur. Hebenus nec in aquis fluitat, sed tota mergitur, caudice & aspectu buxo similis, decorticato summa nigrities. Hebenus cæsa durescit in lapidẽ, ut iam uideaẽ hodie quoq; parte saxum, parte lignum, ceu inchoato opere nõ perfecto, neq; cariem neq; uetustatem sentit. Accendi Fabianus negat: uritur tamen ut constat, odore iucundo. Duo genera eius Rarum id quod melius, arboreum, trũco enodi, materie nigri splendoris, ac uel sine arte protinus iucundi. Alterum cytisi modo fruticat, nodosum & candidis tænijs uitiatum, toraq; India dispersum est. Herodotus eã in Aethiopia nasci intellexit, ubi meridiano cardine syluę hebeno uirent. Verùm Aethiopicum palmarum generis esse creditur. Pausanias Cyprij cuiusdam fretus testimonio, qui herbas ad hominũ salutem natas noscebat, tradit

hebenum

hebenum nec folia nec fructus ædere, nec uſquam prorſus ſub ſole uideri, uerum radices eſſe tantum terra cõditas: in Aethiopiaq; quoſdam artifices eſſe ſcrutandi hebeni gnaros, nec facile ab alijs niſi fodiẽdi peritis inueniri. Dioſcorides Aethiopicum laudauit magno ſplendore, cornus expoliti nitore, citra leuorem prædenſa materie, ſi frangatur guſtu mordaci, odore cum uritur iucundo, citra fumi tædium. Recens ſuccenſa propter pinguitudinem igni conflagrat, lignoq; ad cotem trito rufeſcit. Addidit Indicum aduehi diſcurrentibus fuluis candidiſq; maculis frequentibus inſignitum: ſed antedictum præfertur. Quidam ligna ſeſamina & acanthi pro hebeno uenditãt: ſed deprehenduntur, quòd in rimas quaſdam dehiſcunt, ſolutioraq; conſpiciuntur: item in taleolas colore purpureo nitentes fatiſcunt: eadem admota linguam non uellicant, nec ſuccenſa igni flagrant. Hebenus caliginem oculorũ diſcutit. cõtra ueteres fluxiones & puſtulas pollet: ligno præſertim quod ad cotem teratur, in collyria addito. Scobem & ramenta in uino chio macerata noctem & diem, mox trita in collyrium digerunt: alij terunt prius & deinde percolant. Quibuſdam pro uino aquę placet uſus. Hebenum in cruda uritur fidelia, donec abeat in carbonem, ex emptũq; plumbi modo lauatur, et ita ſiccis auxiliatur lippitudinibus. Eſt & genus aliud ijs proximum nuper longis nauigationibus nouo orbe petitum, Gaiacum patrio nomine uocant. Lignum eſt primum ſcabro rimoſoq; cortice ueſtitum, materia intus ex atra rufeſcẽte, grauiſſima, ita ut pondere & ligni ſpiſſitudine in aquis nõ innatet, ſed illico more buxi ſidat. Verum interna pars quę medullacea creditur, cãdido ligni circulo cingitur, quo delibrato pullities quadam tenus in fuſcum degenerãs cernitur, hiante nõnunquam inteſtina materie, quæ tãta duritie prædita eſt, ut aciem ferri reſpuat, nec temere ferræ aut ſcobinæ limationem reformidet. Quòd ſi accepta eſt plaga cõtrahit ſe protinus, clauditq; ſuum uulnus, & ob id contumacius tranſmittit ferrum. Sed cui ualetudini ſit dicatum nũc exponemus, ſi modo nonnulla quæ ad rem faciant, enarrauerimus. Senſit ætas noſtra nouum morbum, omniq; æuo priore incognitum: qui per Hiſpanias, Gallias, Italiã, totamq; Europam uagetur. Irrepſit Caroli Gallorum regis principatu, quum Alpes ſuperaret, Italiam petiturus: quamuis antea non longè per Hiſpanias ſerpſiſſet, quapropter tanquã inde tracta origine lues Hiſpanica cœpit appellari. Nonnulli, quòd à genitalibus fere oriebatur, pudendagram: uulgus ioculari primùm laſciuia, ut eſt procax natura alienis miſerijs, *uariolum* nominauit, Ea peſtis magnam generis humani partem ſua cõtagione proſtrauit. Id malum ſenſere magiſtratus, ſenſere mancipia, ſenſere proceres, ſenſit humilis plebs ueloci unius ad alterum trãſitu. Hæc in adultis, qui uenerem iam experiebantur, genitali parte primum hanc labem contrahente graſſari cœpit: deinde ad pueros & infantes aut mammarũ ſuctu, aut cum labefactatis decubitu contagio tranſeunte. Tradunt genitrices huius uitij primùm fuiſſe inſulas, unde gaiacum defertur, in quibus paſſim omnes hac lue corripiuntur, ubi nullam aliam quàm ſolius gaiaci operam adferentes, ſeſe ab huius morbi noxis uindicant, eſſeq; peculiare harum inſularum malum, huicq; ligno non rebellans uitium cedit. In noſtro orbe deterius ſæuit, ſine tamen ſubita pernicie uitæ: ſed tanta fœditate, tãtaq; diuturnitate, ut mors quæcunq; præferenda eſſet, niſi hac lue tacti diutius ſupplicia uitæ traherent. Primum ea genitales ſedes ſerpentibus obſidet puſtulis, quæ mox in tetra degenerant ulcera. ea paſcunt, uorant, putidumq; uirus eructãt, difficulter parent medicamentis, neq; ſine carnis iactura ſæpe ducunt cicatricem: qua quum fuerint obducta, longè moleſtior inuadit peſtis, ulcerum uiolentia alio commeante. Siquidem in pube & partibus pilo contectis erumpunt ſcabies feræ, deinde in alias corporis partes ſe conferunt. A cute tumente attolluntur magna ex parte ducto in orbem ambitu, alijs deciduis, alijs ſubnaſcentibus: quæ ſi ſcabantur, contumacius reſurgunt in radice. Nonnunq; ſquaroſo cortice turgentes callo ſquamatim compactili ſupra modum extuberant. Parua hæc eſſent, niſi longe deterior labes ſequeretur: quum hæ delitescunt, huius luis furor in artus ſęuit. Sed internodia magis occupat, primumq; membranas oſſa ueſtientes exeſt: deinde in duriſſima quæq; facto impetu, oſſa carie uitiat, ſummaq; repetens, ignes ſacros, nomas, chironia ulcera ſuſcitat: ſæpe duritias oſſibus innixas, quæ maturitati rebelles in ſerpentia ulcera degenerent, & membratim mutatis ſedibus ſuis ſubrepant. Sæpe colluuies illa in oſſeam coit duritiam, quæ uelut additamentum quoddam tam pertinaciter oſſi cohæ-

ret,ut nullo ferè diuortio seiũgi possit, ossaq; durissimis uelut appendicibus amisso pristino æquore scateant.Imbuta uirulento humore ossicula putrent. hinc lacunosa facies,cicatricosum corpus, aut tumoribus exasperatum cernitur, ut pristinum decorem illum omnem exuisse nosceres. Cartilagines momento depascit, ut ademptum plerisque nasum ideas,aut depressa carne caducũ, cum nullo fulciatur adminiculo. Et nuper in milite quodam,qui hac lue laborauerat,uidimus ossa crurum,brachiorum fœminumq; in tãtam desciuisse mollitiam, ut in quam liberet partem obsequiosa ceræ modo flecti possent:adsciticq; fuere peritiores medici uidendi miraculi causa, ut si quando super hac re consulerentur,spectatæ nouitatis facerent fidem.Ea tandem balineorũ naturalium usu in pristinã firmitudinem redacta fuere,suumq; uigorem ac uernaculum robur recuperarunt.quod con dentibus hæc nobis oculata fide uidisse & palpasse testamur. Sed miles illitum quendam è serpentis adipe causabatur,quo supradicta membra fuerãt frequenter delibuta.Sed hoc ualetudinis genus pertinacius hæret quàm ut facilè possit elidi. quare uel fit uitæ comes, uel certis annorum intercapedinibus redux, ita,ut sæpe nono,undecimo,uigesimo, sæpe celerius aut tardius repetat,fermento huius in aliqua parte corporis delitescẽte.Redeuntis testimonia sunt aphthæ,ulcera in ore depascentia,quæ uix ullis cedant medicamentis. Sic tamen medicina partim nouitate,partim pertinacia morbi uicta,ad temeraria cõfugit auxilia,non minus ferè q; insultus morbi timenda:sic ut huius luis scaturigines resiccarentur,uligoq; membrorũ exhauriretur. ad argenti uiui noxios illitus uẽtum est, quo magna uis humoris per faucium angustias euadens expueretur. Sed inde tonsillę mirum intumescebant,lababant dentes,gingiuæ propemodũ exedebantur,sæpeq; fatiscens uua descendebat,quæ nullo tacta remedio in suam sedem resiliret. Hinc humores infrenati utpote ea non amplius arcente,præcipites ad pulmones deuoluebãtur: unde difficultates spirandi, orthopnœæ prodibant.tandem tabes inuadebat,quæ miseros frequentius animũ despondentes tolleret. Gliscebat argenti uiui usu luis huius iniuria,tanquam remediũ morbo faueret,potius q; ipsum amoliretur. Sic medici tandem desperantes ualetudinem abactum iri,suamq; uidentes,quòd morbum non finirent,authoritatem eleuari,nuper ad gaiacum se conuerterunt,quod & morbi & argenti uiui reliquias digereret. Nanq; tumores qui ferè in osseam duritiẽ occalluerãt, discutit, uetustas efficacissimè sistit fluxiones,erumpentes uniuersim pustulas cohibet.Lignum serra tenuissimè dissecant,dum abeat in scobem, ramentaq; diu noctuq; macerata in aqua fidelia noua, uel fictili diligẽter obturato, ne suũ uaporem exhalet,aut uim suam expiret, decoquunt ad tertias aut dimidias. ex hoc decocti iure bis die binos cyathos,aut plures prębent potandos.Sed inedia ferè tenuisq; ratio uictus indicitur: sic triginta dierũ spatio magnã horum incõmodorum partẽ euanescere tradunt. Quo tempore prorsus ligni decocti iure utentibus uino interdicitur, cuius uice secũdarium ligni cremorẽ ebibunt, ne ueteres defluxiones & plagas uinum refricet. Sed nihil nisi summa nigritia uidetur ab hebeno dissidere, quæ cedit:cæteris tamen uiribus & naturæ dotibus cum hebeno certat. quare genus eius esse nuper ad nos delatũ satisq; obiter & defunctorie diximus.Cæterum auorum nostrorum memoria deportari cœpit ex insulis,longo liburnicarũ nauigatu quæsitis,lignum, quod gentilitio nomine Bersilicum uocant, uel potius bresilum, imbuendis magnopere uellęribus expetitum. Hoc teres & enode cernitur,tenui uestitum libro,subter materie dilutiore purpura rutilante.ex ea magnum infectores faciunt quæstum,multis ideò nummis uænit. Siquidem hoc ligni genus in tenues particulas,aut taleolas findũt,& aliquot diebus macerãt lanas,elutriatasq; cortinis incoquunt, ut succum liberaliter ebibant. Colos tanto dilucidior, quanto saturitate fraudata,minus saniei huius epotarint:sed si plus esuriunt uellera, ut largius succo satientur, subnigrante colore refulgebunt. Certaret is infectiuus colos cum purpura, si pannis tam pertinaciter hæreret,ut primam gratiam gestatu,attritu,aut usu non exueret.sed uellus huius succi non semper tenax,in rubrum colorem degenerat.Qui librorum mãgonio dant operam,segmenta ligni aceto tantisper macerant, dum omnem coloris uim ad se rapiat,cui nonnihil gummi,ne chartas penetret,adiiciunt.hocq; non ineleganti purpureo librorum margines ductis concinniter lineis exornant. Itidem atramenti scriptorij uice uoces quas uelint marginibus adnotari, hac rosacea sanie sparsim exarant. quare *roseum* uel

potius

potius *roſetum* uulgus nominat. Hoc tam eleganti uenere libros commendat, ut laſſos, & continuo conſpectu nigritiæ & candoris fatigatos oculos ſua iucunditate recreet. Iam in multas rerum perpulchrarũ formas lignum tornatur. Sed quam in medicina uim nactum fuerit, nondum comperi.

Abies. Cap. XLVI

ABies Græcis elate, Gallis & *ſapinus* & *auetum* dicitur. procera arbor eſt & recta, ſemper uirens, pino non diſſimilis, radice neruoſa ſingulari, multis hirſuta capillamentis, caudice rotundo, foliis pinnatis, modoq; pectinum inſectis, ſummo mucrone rigẽtibus, flore croceo, ſpecioſo. Rami penè ſtatim ab radice modici uelut brachia lateribus inhærent, ſubrectaq; diuiſura in cælum non proni tendunt. Hæc in faſtigium aſſurgit uſque eo denſum, ut facilè quaſi concameratũ imbres arceat, nec temerè pluuiam trãſmittat. E ramis eius modo panicularum nucamenta ſquamatim compacta dependent. Profert pilulam quæ nucleum cõtinet. is creſcit hyeme, aperitur uere. Pilula tota cadit, cum folia cœperunt creſcere. Sed cum abietũ aliæ mares ſunt, aliæ fœminæ: illorum nucibus pauci quidem nuclei parte priori inſunt: harum autẽ nulli omnino. diſtant inter ſe foliis: maſculæ enim pungentiora acutioraq; & magis flexa, unde & arbor intuitu criſpior, & in plenum hilarior. Quinetiam materie differunt: nam fœminæ mollior, candidior, operibuſq; facilior, in totum prolixior caudex. nam mari uerſi color, latior, durior. Creſcit primum abies quoad libero ſole fruatur, neque interim craſſe ſcit neque fruticat. At ubi in iuſtam altitudinem excreuit, in profundum latum'que dilatatur, ſic ramorum exortus laterales germinationes ſequũtur. Arbor tota inſtar cepæ multiplici cortice tunicatur, rigore naturali contenta, non cito flectitur ab onere, ſed renititur. Procreat & alit termitem, ab eoq; uitiatur. Ignem facilè concipit, uehementẽq; flammam eiaculatur, quod raritati aeris qui ei inſidet, refertur acceptum. pars arboris inferior enodis, eiecto torulo ad inteſtina opera comparatur, & ſapinea ſi Vitruuio credimus, uocatur. Superior nodoſa duriorq;, fuſterna dicitur. Situs eius in uertice montium, quaſi maria fugiat: quamuis & ualles diligat. Gaudet frigidis umbroſis'que, in quibus longè pulchrior quàm apricis adſurgit. Abies præciſo caudice, uel etiam detonſo cacumine perare ſcit, quũ tamen reliquæ omnes magna ex parte reuireſcant: ea demũ deciſis (quod mirum eſt) cacuminibus emoritur, quum cæteræ detruncatis uerticibus durant. Cultum abies aſpernatur, quapropter hominum diligentia degenerat. E ſemine tãtum, ut omnes coniferæ, naſcitur. Floret croci colore circa ſolſtitium. Semen uerò reddit poſt Vergiliarum occaſum. Exiguum reſinæ arbos deſudat. Sed non eſt faſtidienda hæc cognitio, neque in ultimis ponenda: quòd cæterarum ferè arborum umbra quibuſque ſatis ſit nutrix, quando quidem ea uindicet ab ſole uel frigoribus: umbra tamen abietis ſubditis fruticibus eſt noxia. nam quæcunque attigerit, non dubiè uenenum eſt. Abies non eſt ruinis opportuna, nec facilè quòd amara reſipiatur, teredinẽ ſentit. Abieti nodi recti, & rami modo quodam infixi: quam ob rem materia eius ualidiſſima & in rectum firmiſſima. Eadem ualuarum repagulis & ad quæ libeat inteſtina opera aptiſſima, quocunque fabricæ artis genere ſpectabilis, ramentorum criníbus pampinato ſemper orbe ſe uoluens, ad incitatos runcinarum raptus. Eadem glutino ſociabilis. expetitur etiam nauigijs. Meminit duodecimi uoluminis calce cuiuſdam abietis Plinius ad unguenta pertinentis, quam elaten uocant, alij palmam, alij ſpathen. laudatur ut inquit Ammoniaca, mox Aegyptia, dein Syriaca, dũtaxat in ſitientibus locis odorata, pinguí lachryma, quæ in unguenta additur. Vbi uidetur Plinius abietem cum ea palma confudiſſe, quæ medicinæ confert germina, folia, & corticem. nanque nulla pars abietis, quòd adhuc inuenerim, unguentis nedum medicaminibus addicta cognoſcitur. quare nec Dioſcorides nec Galenus uſquam in arborũ cenſu abietis meminerunt. Sed elate Dioſcoridi palmarum adhuc florentium fructus inuolucrum eſt, quod unguentis naſcitur, utuntur'que eo pigmentarij inſtitores ad domandum oleum ſpiſſamenti loco. Præcipua authoritas odoratæ, præcluſæ, pinguí intus lachryma. Atqui Pliniana lectio huic ferè Dioſcoridis iudicio uidetur ſubſcribere. Galeno quod elate uocatur, tenerũ eſt palmæ germen. Paulus è partibus palmæ eam magis aſtringere profitetur, quæ ſit enaſcentis partus indumentum. Heſychius elaten prodidit primum partu

rientis palmę germen. Iis ſufficienter conſtat eam, quã Græci uocãt elaten, non eſſe quam Plinius aſſerit abietem: ſed idem potius eſſe elaten quod ſpathen. Nam ut idem prodidit, palma ſola in ſpathulis habet fructum racemis propendentem. Spatha itaque proſilientis fructus operimentum calyxq; nominabitur. ſed de his hactenus. Abies reſinã fundit cum primis quoque celebratam, quoniam odorata ſit, nunc paſſim in officinis pro terebinthina ſubſtituitur, gallicum uulgus *auetam* uocat. Emollit, cruda concoquit, tuſſim ueterem ſedat. Vuluę onera extrahit etiam ſuffita, hærentes renibus calculos deturbat, urinam potenter mouet, remorantes arenulas exigit, palpebras commodatiſſimè replicat, fractis utiliſſima, auribus & purulentis cum oleo & melle: item pruritui genitalium.

Acer. Cap. XLVII

ACer Gallis *erable* uocatur. Arbos eſt tiliæ non abſimilis forma & magnitudine: uerũ cortice paulo ſcabriori quàm illa ueſtitur, ſubliuidoq;, craſſo & flecti contumace. Radicibus paucis, ſublimibus, criſpis, materie uenis longioribus fluctuante, molli, macilenta, gracili. Acer ſumma ſoli facie gaudet, facileq; capeſſit incrementum. Semen æſtate reddit. In riguis potiſſimum naſcitur. Rara (ut Idęi uolunt) inuentu. De flore naſci aiunt fructum non ualde oblongum, paliuro ſimilem, uerum oblongiorem aſſignant. Græci genera ſitu diſcreuerunt. Campeſtre enim cãdidum eſſe nec criſpum quod γλεῖνον uocant. Montanum uerò criſpius duriuscq;, etiamnũ è maſcula criſpius ad lautiora opera. Tertium genus, quod ex ea materia iumentis iuga comparãt zygiam, rubentem, fiſſili ligno, cortice liuido & ſcabro. Hoc alij proprij generis eſſe malunt, & latinè carpinũ appellãt: Latinis uerò quæ in campis eſt præcipuo ligni candore, minus criſpa rariorq; uocatur gallica. Alterũ genus planis potius naſcitur, germinatq; celerius, criſpo macularum diſcurſu contortius: unde à ſimilitudine gemmantis caudæ pauonum nomen auſpicatur. Excellentius hoc habetur et apud Martialem operum elegantia ac ſubtilitate citro ſecũdum. E uiliori genere craſſiuenium uocatur. Plinius author eſt hac in arbore duo tubera reperiri, unum bruſci nomine, alterum moluſci. Illud intortius, criſpum: hoc ſimplicius, ſparſum. Pulcherrimũ illud quidem, ſed hoc multo excellentius, & quod haud dubiè citro præferretur, ſi menſarum amplitudinẽ caperet. nunc intra pugillares lectorumq; ſilicios aut laminas, raro uſu ſpectatur. Quantum ad medicinam pertinet, aceris radix contuſa iocineris doloribus utiliſſimè imponitur.

Adipſos. Cap. XLVIII

ADipſos Aegyptia palma eſt, uiridis, odore mali cotonei, fructu capparis, nullo intus ligno, hunc Plinius myrobalanum appellat. Colligitur autem antè paulo quàm incipiat matureſcere: quod relinquitur, phœnicobalanus uocatur, & nigreſcit, ueſcẽtesq; inebriat. Fructus aluum & menſes ſiſtit ex auſtero uino: ſic & uulnera cõglutinat. Theophraſtus hanc à fructu balanon quaſi glandem appellauit. Arborem magnam, non rectam ſed contortam, folio ſimili myrto, fructu quidem ad mandendum inutili, ſed grato odore: magnitudine uiſuq; inturi proximo. Cuius putamine contuſo unguentarij ſolent uti. Materie ualida tam ad alia, quàm ad nauigia percommoda. Adipſos ea uocatur, quòd guſtata ſitim arceat. odor idem qui malis cotoneis: ſed demum ſitim ſedat, ſi priuſquam maturuerit, decerpatur. nam ſi matura ſumatur, ſenſum intercipit, greſſum præpedit, linguam retardat, obſeſſis'que mentis officijs & corporis, uitium ebrietatis imitatur.

Adrachne. Cap. XLIX

ADrachne ſylueſtris eſt arbor haudquaquam procera, neq; in planis naſcens, ſimilis unedoni, folio tantum minore, nunquam decidente præterq; ab imo. cortice nec ſcabro quidẽ uel ſquaroſo, ſed qui circũruptus uideri poſſit, tã triſtis eſt aſpectu. Plinius apud Theophraſtum πόδι πυγνύμνον hoc ex circumgelatum legit. Fructu arbuto nõ diſſimili. In montibus frequẽs prodit. Adrachne perpetuo cacumine uiret, cum inferiorem frondem dimittat. Nanque decidua ei folia præterquã ſummis uerticibus, ac propterea ordine ſemper præpoſtero ſuccreſcit. hæc bifera traditur, priorem fructum incipiẽte uua pubeſcere peragit. Alterum, quũ floret in eunte hyeme. Porrò cum omnibus arboribus à ſubere mors ſit cortex in orbem detractus,

eo auulſo

eo auulso adrachne non offenditur: nisi quis corpus uehementer presserit, germenq; futurum luxauerit. In Helicone arborem hanc Pausanias enasci tradit, frequentem, & si andrachnum uocari credidit. Magnitudo arbori non præcipua. materiam mulieres expetũt ad opus telarium textoriumq;. Adrachnem omnes ferè, qui græcas literas callent, portulacæ nomine interpretantur, cum illa sit herba & andrachne uocetur, unius literæ diuersitate. quo sensu fretus ut spero Theodorus apud Theophrastum litera similiter extrita portulacam uertit eruditius quàm felicius. Similis huic apharca è syluestri arborum genere, æterna fronde uirens, non nisi in montibus enata, Olympo monte frequẽs, septis uallisq; utilis, urendo quoque ut prædicant. Inter biferas hæc traditur. primum fructum maturat, quum dulcescit uua, secundum cum appetit hyems.

Alnus. Cap. L

ALnus apud nos latinum nomen retinuit. sterilis est arbos, caudice recto, ligno medullaq; molli, adeò ut graciliores uirgę cõcauentur. folio pyri, sed ampliore ac neruosiore, quadantenus orbiculato uirgatoq;: cortice squaroso, foris albicante, intus rufo, qua de causa coria tingit. Fructu nullo cum nihilo minus floreat. Radice summa, nec quàm laurus maiore, tenui. Alnus in plana descendit, aquosisq; gaudet, quanquam ancipitem agat uitam. Alnum quandam fructiferã, aliam sterilem prodidit Theophrastus: utrãque tamen florescere fatetur. Idem fœcundam semen autumno reddere contendit. Aristoteles inter naturæ miracula retulit, alnos in sola Creta non esse steriles. Alij alnum duntaxat scopis nascentem, nullum ferre fructum prodiderunt: quare infelicem existimari, damnatamq; religione. Nascitur haud ferè alibi quàm in aquosis. materies eius ad naualia commendatur. In palustribus locis infra fundamenta ædificiorum palationibus crebrè fixa, permanet immortalis ad æternitatem, & sustinet immania pondera structuræ, & sine uitijs conseruat, quòd aere sit & igni plurimo temperata, non multum terreno, humore pauco. Itaque non potest extra terram paulum tempus edurare, sed in humore obruta, permanet ad diuturnitatem. Nam multa ædificia sub fundamentis, eius generis habent palos. Quantum ad medicinam pertinet, suppurationes folia discutere tradunt.

Amygdalus. Cap. LI

AMygdalus singulari radice firmatur, prægrandemq; ac altè defixã agit, caudice procero, summatim compluribus ramis brachiato, folijs salignea specie, prælongis: flore foliato, candido, quanquam & amygdalorum quarundam subruffus exeat. Arbos succo pingui turget, lachrymamq; rimosa plorat, quæ statim concrescit in gummi. Verum ne ad ulla quidem utpote inutilis expetitur. Huius nuces gemino protectæ operimento, puluinati primũ calycis, mox lignei putaminis, cui solidus subest nucleus, acriore etiamnum obductus callo. Quarum duo sunt genera, nempe amarum & dulce. hæc suauiora, illa salubriora creduntur. Theophrastus ex amaris dulces fieri tradit, si stipite circumfosso & ab ima parte circumforato defluens undique pituita detergeatur. Has nuces Cato græcas nominauit. quare non abre uenit in dubium, si hæc arbor fuerit in Italia eius ætate. Quidam tamen eas in iuglandium genere seruant. Omnes quoque thasias nuces appellari uolunt. Columella tamen uidetur diuersa statuisse genera nucis græcæ, iuglandis, amygdalæ. In libro quinto seorsum amygdalæ feracitatem prosequutus est, nisi græca nuce tantum amaram (quod ferè suspicor) intellexerit: nam primam nucem græcam gemmascere fatetur, quod Plinius de amygdala confirmat: qui ex ijs, quæ in hyeme Aquila exoriente concipiunt, florere primam omnium amygdalam mẽse Ianuario prodidit, Martio uero poma maturescere. Eandem, antequam deponatur, in aqua mulsa nec minus dulci macerãdam Lucius censet, ut iucundioris saporis fructum, quum adoleuerit, præbeat, & interim melius atque celerius frondeat. quod de amara nuce, ut amarorem exuat, intellexisse Columella facilè credereturi: ni si diuersis locis rem eandem uarijs uocibus repetat, & quidẽ tunc usurpatis. Nam nisi nucis græcæ uocabulo amygdalum complexus fuisset, prætermissa eius satione non explicuisset, quomodo fertilis redderetur, inquiens, Amygdala si parum ferax fuerit, forata arbore lapidem adigito, & ita librum inolescere sinito. Ab autumno ad brumam (ut Greco

rum fert opinio) cõmodius ſeritur. uerno ſatu difficilius comprehendit, quòd arbos ea præcoci partu germinet. Verum ſoboles omnis lætamine ſatiata celerius fructũ ædit, gaudet calidiore cęlo, quapropter in inſulis uberior adoleſcit. Pangitur auulſo ramulo, uiuira dice, & ſeminio. Nuces quæ ſeri debent, pridie liquido fimo macerantur: alij aqua mulſa madefaciũt, in eaq; noctem ſolam eſſe patiuntur, ne germen extinguat mellis mordacitas. Cacumina in terram rectè figuntur, ſic ut lignoſior pars ſurſum ſpectet. Tradunt uegetiores enaſci, ſi in ſcrobiculos, quibus obruuntur, ferula conijciatur. Surculos qui uel arbori uel terrę credantur, præcipit Paxamus è media arbore, nõ ſummatim legendos. Nonnulli tamen ramulos, qui de cacumine ſumerentur, non infelici ſucceſſu depoſuerunt. Democritus author eſt, ſi ferax non eſt amygdalus, tedæ præpinguis adactum terebratæ radici cuneum infuſo prius humano lotio mergimus. amareſcunt, quæ à pecore rodãtur. Africanus ex amaris fieri dulces affirmat, ſi circunfoſſo ſtipite quatuor digitis à radice cauernula imprimatur, per quam noxium deſudet humorem: uel ſi circa radices apertas urina, uel ſuillum ſtercus diffundatur. E duris teneras, ex amaris dulces amygdalus creabit, ſi radicibus ante florem ablaqueatis aqua calda frequenter ingeratur. Seritur circa Calendas Februarias. agrum durum, calidum, ſiccum deſiderat. hæc ſata unicã radicem mittit, & ſimplici ſtylo prorepit. Cæterum nihil æquè degenerat q̃ amygdalus: ideoq; aut plantam ſæpius transferri, aut adultam inſeri præcipiunt. Copioſiorem fructum dari affirmat Theophraſtus, ſi ferreus palus adigatur arbori, impreſſoq; foramini querneus inſeratur paxillus. quo modo in eam animaduerti uolunt, perinde quaſi arbor iniuria laſciuiat. Fructum perdit facillimè ante maturitatem: & ſi fiat auſtrinũ cælum atq; nubilum, amittit fœtum, nedum florem. Amygdalam ideò Græcis nominari teſtis eſt Herodianus Alexandrinus, quòd poſt uiride putamen multos ſcarificatus oſtendat, & in rimulas dehiſcat, quas amychas uocant. Democritus aſſerit naſci amygdala inſcripta, ſi aperta teſta quis nucleum ſanum tollat, & in eo quod libet ſcribat, inuolutumq; charta, & iterum luto & ſuillo ſtercore litum reponat. Nuces, ut Florentinus tradit, ad legendum maturitatem fatentur, quum fuerint ſpoliatæ corticibus. quæ ſi muria lauentur, & cãdidæ fiunt, & incolumes plurimũ durant, mox ſiccatæ ad uſum ſeruantur: ſi difficulter corium exuant, paleis obrutæ continuo relaxabunt. præſumpta ſitim inuitare teſtatur Amerias. Ebrietatẽ arcere Plutarchus Chęroneus putauit, qui apud Druſum Tiberij Cæſaris filium quendam medicũ comeſſari ſolitum retulit, qui omnes bibendi certamine prouocabat, neminiq; cedebat in uini potu. is tandem deprehenſus eſt, antequam biberet, quina ſenáue amara comeſſe amygdala, quominus temulentia tentaretur. porrò cum deuorare uetuiſſent, ne pauxillum quidem in huiuſcemodi potu reſiſtebat. Hoc idem Athenæus retulit ſecundo Dipnoſophiſtarum uolumine, amaritudinis uim cauſatus, quæ reſiccet, et humorem depaſcat. Sunt qui amygdala putent facultate mordendi, detergendæq; carnis donari, ſic ut faciei fucas, & contractas ſole maculas obliterent. Ergo cum præſumpta fuerint, amaritudine ſua meatus uellicant, & quodam laceſſunt morſu: qua de re uaporem, quem humor in cerebro creauit, abſorbẽt. Plutarchus hanc uim amaritudini retulit, quę perſiccet, & humores depaſcat. Ideò ſaporum omniũ amarus guſtui inſuauiſſimus ſentitur. Siquidem ut author eſt Plato, linguæ laxiores uenulas & molles præter naturæ modũ ſiccitas ipſa contendit, exuſto liquore: addidit ulcera amaris medicaminibus extenuari. quod enim amaritudinem guſtui reſipit, ſiccandi facultatẽ nanciſcitur. Quin & inſperſus fœminarum quibus ſudores rapiũt, amara & aſtringenti cõſtat eſſe natura, quæ humorem exhauriat, & ſua exugat uehementia. Sic itaq; non ab re amygdalarum amarulentia contra meri iniurias pollet, interanea reſiccans, ſic ut nõ ſinat uenas impleri, quarum ut tradunt, diſtentione & perturbatu temulentiam contrahi uolunt, effluuijs obſeſſa mentis arce. Sed pereuidens huius ſermonis argumentum mori uulpes amarorum paſtu, ut idem refert Plutarchus, ſi non contingat è uicino aquam lambere, inteſtino humore affatim exucto. Hoc & Plinius & Dioſcorides teſtatum reliquerunt. nec mirum, cum humoris illius interni damnum facilè potu reſarciatur. Naxea ab inſula Naxo ueteribus Græcis amygdala maximè cõmendabantur. Secundas partes ſibi uendicauerant Cypria, quæ præter morem cæterorum, quæ gignuntur alibi, repãdo cacumine prodeunt. Diocles ea tradit alere, uentrem bene habere. Adiecit uim excalfactoriam,

excalfactoriã poſſidere, ꝙ oleoſam friatu naturã fateãtur. Recentia tamẽ minus aridis noxia ſunt: maceratacꝙ multo minus ijs quæ nullũ experta ſunt humorẽ. Quin & torrida minus crudis officiũt. Philotimus ea facilius ponticis nucibus cõcoqui prodidit, argumento ꝙ largius ueſcentes minus noxæ ſentiamus. Vliginoſa ſiquidẽ noſcuntur. quare dulcem nobis ac pinguẽ ſubminiſtrãt alimoniã. Diphilus Siphnius ea memorat extenuare, urinas moliri, aluũ ciere, paucum ſuppeditare nutrimentũ. Ad hæc uirẽtia putauit improbum parere ſuccũ, minuscꝙ cibi prębere, longè plures ſpiritus creare: ſicca in ſtomacho ſupernatare. Recentia, ut ait, cũ fuerint dealbata, lactis quandam imaginẽ referunt, ac præſtantiorem exhibent ſuccũ. Ex ſiccis thaſia cypriacꝙ facilius aluo recernũtur. Mneſitheus Athenienſis in eo libro quẽ alimentis dicauit, omnẽ cuiuſcꝙ generis nucem, quæ ignẽ non fuerit experta, cibis præcipit abdicari, præter amygdala recentia. Cæterũ quaſdã torrefieri, alias incoqui iubet. Quippe cũ harum nucũ quędam ſuopte ingenio prępingues & uliginoſæ cernunt, uelut amygdala ſiccanea, & iuglandes quæ uetuſtatẽ ſenſerunt: aliꝙ ſiccæ & acerbæ deprehẽdũtur, uti fagĩnæ & id genus ſimiles. Verũ pinguitudinẽ totã ignis ebibit, id quod deterrimũ reputatur. porrò duræ & acerbæ matureſcũt, ſi molli paucocꝙ igni fruãtur. Hippocrates duo uaria in amygdalis inuenit, ęſtuoſum quiddã, aliud edule & idoneum cibo. æſtuoſa ob pinguitudinẽ reddũtur: eſculenta propter hoc, ꝙ continent carnoſum. Arboris cinerẽ lixiuãcꝙ probauit Theophraſtus ut acerrimã, ad fornaces artescꝙ aliquas nõ incõmoda materie. Nomen græcũ apud nos hodie retinet, ſed paulũ uulgus declinauit *amandas* appellãs. Quantũ ad medendi rationẽ pertinet, amygdali amaræ decoctũ cutem in facie corrigit, coloremcꝙ facit hilariorẽ. Nuces admotu mẽſes ciunt. capitis dolori, temporibus, & fronti ex roſaceo linuntur. epinyctidas ſanãt è uino, ulcera putreſcentia canumcꝙ morſus cum melle. Earũ cibo doloris ſenſus mulcetur. Aluũ molliunt: ſomnum conciliãt: urinas exigunt: ſanguinẽ qui reijcitur ſiſtunt. uitijs pulmonũ & renum ex aquæ potæ ſuccurrũt, illinctu cum reſina terebinthina calculoſis, & difficili urinæ in paſſo. Prosunt eclegmate iocineri, tuſſi, inflationibus coli. Quinis ſenis ue præſumptis ebrietatẽ nõ ſentiũt potores. uulpes ſi ederint eas cõmoriuntur. Sunt qui auiditatẽ hoc eſu moliantur. Gũmi amygdalarũ ſpiſſandi uiribus pollet: cruentis excreationibus opitulatur. Summæ cutis impetigines illitũ ex aceto rapit. uetuſtæ tuſſi ex diluto uino medetur. Minus ualent in remedijs dulces: eæ tamen purgant, & urinam ciunt. Recentes cum ſuo putamine diſcutiunt humores, qui in uentre coierunt: ſed ferè ſtomachum implent.

Aquifolium. Cap. LII

AQuifolium, quam Theophraſtus cratęgum & cratęgonem uocat, arbor eſt neqꝙ adeò magna, neqꝙ ualde craſſa, materie uerſicolore, robuſta, flaua, cortice læui, ſimplici radice in profundum acta, foliis meſpili: cæterum promiſſioribus amplioribuscꝙ, nec ad eundem modũ ſerratis, fructu rotundo, qui matureſcens ſiccatur atcꝙ nigreſcit. ſucco & guſtu meſpilaceo: ferecꝙ ſylueſtris meſpilus uideri poteſt, ut uerbis utar Theophraſti. Specie ſimplex ſine ullo prorſus diſcrimine. Nihil à ſylueſtri meſpilo diſcrepare cratægũ arborem ſatis conſtat: quo nomine genus arboris Theophraſtus intellexit, ſi Plinio credimus, quam Italia aquifolium uocat: Dioſcoridi, Galeno, cæterisꝙ herba ſcribitur, de qua inferius nonnihil afferemus. Plinius negat ſucci quicquam habere aquifolij baccas: ſed de alia forſitã aquifolio loquutus eſt, de qua inter ilicis genera diſſeremus. Ferunt hanc in domo aut uilla ſatam uenefica arcere. Flore eius aquam glaciari Pythagoras credidit: itemcꝙ baculum ex ea factũ in quoduis animal emiſſum, etiam ſi citra ceciderit defectu mittentis, ipſum per ſeſe recubitu propius adlabi, tam præcipuam ineſſe naturam arbori.

Ariana ſpina. Cap. LIII

ARiana ſpina ab Aria regione Indis contermina nomen traxit. tota aculeis horret, ex qua lachryma deſtillat myrrhæ ſimilis, tum uſu, tum etiã olfactu. profluit autem ubi ſol illuxerit. Ea ut tardiſſimo germinatu tumet, ita hyemis initio partũ edit. Huius materies prædura, nodoſa, criſpa, cõuolutationibuscꝙ perplexa, ob id in opere difficilis quidẽ, ſed æterna: optimoscꝙ car-

bones pariens. Spina hæc lachrymarum pretiosa est, sed accessu propter aculeos anxio, quibus abunde spiculata est. Inibi nascitur authore Theophrasto frutex pestilens, raphani magnitudine, folio & forma lauri, odore equos inuitante, qui primo introitu pene equitatu orbauit Alexandrum, siquidem qui ederit, protinus in perniciem agitur. Quod & in Gedrosijs itidem accidit, ubi spina tradita est, cuius liquor aspersus oculis cæcitatē infert animalibus omnibus. Eiusdem regionis alumna est & Arianis herba ignei coloris, quam Democritus legi iubet, cum sol Leonis hospitium tenet, ut eius tactu peruncta oleo ligna accēdantur. Aria syluestris arbor Theophrasto hyemis initio fructificans, materie durissima, ut necesse sit, antequam terebretur, macerari prius aqua: quod & in robore carpinoq; seruatur. Honores ei ad carbones argentarijs utiq; ad primam coctionem. est & aria siue agria, quam pro ilice aquifolia Dores usurpant.

Arundo. Cap. LIIII

ARundo principatū in aquaticis fruticibus tenet. Græcis calamus, Gallis *canna* dicitur: caule consurgit geniculato, tereti ac fistuloso, qui mox senescens fissili inarescit ligno, in læue fastigium cacuminato, circa quod densius excrescit tomentum ad farciendas cauponias culcitras non inutile: folia ex articulis alterno laterum gradu emergentia, membraneo calamum uestiunt cortice usq; ad medium internodium: hinc enim à cauo alarum sinu resupinantur, procumbente languido promissioris comæ uel paniculæ ponduſculo. Radix quoq; multis geniculatur articulis, fœcunda stirpe, ut qua etiam uel adusta uel recisa lætius numerosiusq; reuirescat. Arundines belli pacisq; experimentis necessariæ, etiam in delitijs gratæ. Tegulo enim earum Septentrionales populi domus suas operiunt, durātq; æuis tecta. In reliquo uero orbe cameras leuissime suspendunt. Chartisq; seruiunt Aegyptij calami maximè, cognatione quadam papyri. Nostratibus fungosior est natura, cartilagine bibula, quæ cauo corpore intus, superne tenui inarescit ligno, fissilis, præacuta semper acie, geniculata. Cætero gracilitas nodis distincta, læui fastigio tenuatur in cacumina, crassiore panniculo, coma neq; hac superuacua. Aut enim pro pluma strata cauponarum replet: aut ubi limosiore callo induruit, contusa & interiecta nauium commissuris ferruminat textus in Belgis, glutino tenacior, rimisq; explēdis pice fidelior. Arūdo omnis ex una stirpe numerosa, recisaq; fœcūdius resurgit. radicis natura uiuax, geniculata & ipsa. Folia omnibus à nodo orsa, complexu tenues per ambitum inducunt tunicas, atq; à medio internodio, ut plurimū, desinunt uestire, procumbūtq;. Latera in rotunditatem bina super nodos, alterno semper inguine, ut alterum à dextra, alterū superiore geniculo ab læua per uices. Inde exeunt aliquādo rami, qui sunt calami tenues. Bononiēsibus plurima inest medulla, ponduscq; uolucre, contra flatus quoq; peruicax libra, ut nullus sagittis aptior sit calamus. Post hos Cretici & Belgici laudātur. Creticus carnosissimus, longissimis internodijs, lentissimus si calfiat. Toxicus, id est sagittarius, ob excellentem usum eius à Theophrasto dictus, nūc scriptorius, ex insula præcipuus, nec aliunde ferme expetitur. Omnibus præferuntur Indi, ut qui hastarū quoq; uicem præpilati, hoc est cuspidibus additis præbeant: ijs amplitudo arborea est. Nec dubitatur longitudo subrectarum triginta fere passus: humi uerò serpentium, quinquaginta: crassitudo cubitorum ternū, quæ tamen Strabo non credidit. Diodorus in australi quadā insula æquinoctiali plaga scribit arundines haberi plurimas fructum candidum neruo similem ferentes, è quo suauissimus panis cōficiatur. Aeque ut arbitror fabulosum atq; illud, quod in eadem insula duas nasci tradit herbas, supra quas iacentes placidissimo somno moriantur. In Aethiopia certe populi radicibus arundinū in farinam tritis uictitant, & ob id Rhizophagi nominātur. Spissius mari corpus Indi tradunt, fœminæ capacius: nauigiorum etiam loco singulis earum internodijs circa Acesinen maximè amnem ternos homines capiente alueo. Syringias totus concauus, ita dictus quia fistulis utilissimus, quoniam nihil sit ei cartilaginis atq; carnis, ut Plinius existimat. Dioscorides crassa eum carne descripsit. Tibialis, Orchomenius, idemq; Auleticus, cōtinuo foramine puius est. Fruticosissimus donax, nō nisi in aquaticis natus, latine cāna: quāq; Columellæ canna graciliorē & degenerē significet arundinē. Præfertur aquaticis, siccus. Laconicis foliū uariū, et ab ima parte dēsius, tunicis lōgioribus, quales circa stagna, dissimiles amnicis.

Est & obliqua

Est & obliqua arundo, nõ excelsa sed iuxta terram fruticis modo se spargens, suauissima teneritate pecori, ab aliquibus uocatur elegia. Zeugitæ, calami dicuntur, cum in amplitudinem aucupatoriã adolescunt. Auletici, lacu Orchomenio, influente Cephiso amne, permanentéq; anno, celerius aũt recedente. Graciliores, appellantur bombycinæ. horum generum fœminæ, spadones & eunuchiæ appellari solitæ, folio latiore, candidiore, nulla uel modica lanugine. Hinc erant armamenta ad cantus inclusos, quæ Græci zeuge, id est iugamenta siue paria, ad dextram & sinistrã tibiam utilia uocabant. Cædi solebant tempestiuè usq; ad Antigenem tibicinem, cum adhuc simplici musica uterentur. Vtiles in trimatu apertioribus earũ ligulis ad flectẽdos sonos. Est & aucupatoria & piscatoria arundo. Musicæ arundines ex insula Siciliæ Thermitano agro sita laudãtur. Sunt & aliæ sine nominibus arundines proceritate, breuitate, crassitudine, exilitate, similibusq; distinctæ: adeò ut uigintinouẽ genera demonstrasse se Plinius memoret. Dioscorides paucioribus est contentus. Sagittaria quã naston, hoc est farctã appellat: itemq; thelys appellatur, qua fœmina intelligitur, ex qua ligulæ librorũ cædũtur. Tertia syringias dicitur, crassiore callo, densioreq; geniculis, unde scriptorius calamus. Amnica & in aquaticis nata, donax uocatur. Ab aliquibus arundo Cypria, corpulenta hæc atq; caua. Est & quæ phragmitis nomẽ habet, tenuata leui fastigio in cacumẽ & cãdida, uulgaris hæc & omnibus nota. Porro mira arũdinis & filicis discordia: utriusq; radix cõtrita et imposita stirpem alterius eijcit infixũ corpori. Arundinẽ exarari filice uomeri imposita præcipiunt. Aiunt etiã filices arundine sectas nõ renasci, aut exaratas uomeri arundine imposita. Italicæ arũdinis usus ad uineas maxime. Cato eã seri iubet in humidis agris bipalio subacto prius solo, oculis dispositis interuallo ternorũ pedum: magna cũ altero genere cõcordia. Siquidẽ optimè corruda unde asparagi fiant seritur, ubi adsint arundines, talem inter se ineunt amicitiã. Arundo diluuiore solo gaudet: seritur bulbo radicis quem alij oculũ appellant, dodrãtali scrobe, interuallo duũ pedũ & semipedis, reficiturq; ex sese uetere arundineto extirpato: quod utilius repertũ q̃ castrare. Nanq; inter se radices serpunt, mutuoq; discursu necãtur. Tempus inserendi priusq; oculi arundinũ intumescãt, ante Calendas Martias. crescit ad brumã usq;, desinitq; cum durescere incipit. Hoc signum ♑ tempestiuã habet cæsurã: & hanc quoties & uineam, fodiendam putant. Seritur & transuersa non alte condita. Erumpunt singulis oculis totidẽ plantæ. Seritur & deplantata pedali sulco, binis obrutis gẽmis, ut tertius nodus terrã attingat prono cacumine, ne rores cõcipiat. cæditur & decrescente luna. Vineis anno siccata utilior q̃ uiridis. Viuacissima est, nec ullum recusat solũ. Prosperius resoluto q̃ denso, humido q̃ sicco, uallibus q̃ cliuis, fluminũ ripis, & limitibus ac uepretis cõmodius q̃ medijs agris deponitur. Seritur & talea calami, nec minus toto prosternitur corpore. Bulbus tripedaneis interuacãtibus spatijs obrutus, celerius maturã perticam prębet. talea & toto anno serius prædicto tempore euenit. Sed siue recisa in dupondiũ & semissem talea, siue totæ arundines prostratæ deponantur, extent earum cacumina oportet. Quòd si obruta sunt, totæ putrescunt: quæ uero integræ sternuntur, euanidam humilemq; & exilem arundinem adferunt. Cum consenuit repastinandum est. Senectutis indiciũ est, cum uel exaruit situ & inertia plurium annorum, uel tanta densatione ut gracilis arundo prodeat. Sed illud de integro refodi, hoc intercidi & discarificari debet, quod opus, rustici castrationem uocãt: quæ tamen arundineti resectio cæca est, quia nõ appareat in terra quod tollendum sit aut relinquendum. Tolerabilius arundo castratur antè quàm cæditur, quatenus calami uelut indices demonstrant quid eruendũ sit. Tempus repastinandi & conserendi est prius q̃ oculi arundinũ egerminent. Cæditur post brumam: nam usq; in id tempus incrementũ capit, ac tum compescitur. Macies eius uel cinere uel alio stercore iuuanda: propter quod pleriq; cæsum incendunt arundinetũ. Arundinis, ut ad uires trãseamus, radix contrita & imposita stirpem corpore extrahit: item arundinem filicis radix. Arũdo Cypria, quæ donax uocatur, corticis cinere alopecias emendat: item putrescentia. Foliis eius ad extrahendos aculeos utũtur: efficacius, & contra ignes sacros collectionesq; oẽs. Vulgaris arundo extractoriam uim habet, & recens tusa, nõ radice tãtum: multũ enim & ipsam arundinẽ ualere tradũt. Medetur & luxatis & spinę doloribus radix in aceto illita. Arundinum lanugo illata auribus obtundit auditum. Vulgaris huius, ut Dioscorides tradit, radix

dit, radix per se aut cũ bulbo suo spicula corpori infixa aculeosq; extrahit. Luxata & lum borum dolores cũ aceto mulcet: foliis uiridibus tusis medetur ignibus sacris, omnibusq; inflammationibus. Corticis cinere cum aceto perlito alopeciæ emendantur. Paniculæ la/ nugo si in aures subierit, exurdat. Arundinis Cypriæ eadem est opera.

Auellana nux. Cap. LV

AVellana nux seu corylus radice est tenui, altissima, uiuaci & robusta, caudi/ ce multis infernè stolonibus fruticante. supernè ramis brachiato, uirgis bre/ uibus, sine alarũ sinu enodibus, crassisq; nonnullis, foliis alni, sed latioribus per ambitum serratis: materie admodũ lenta, cortice summo tenui, pingui, maculis albis uario: medulla tenui & flaua, quæ demi possit. Florere negant hanc aliqui, sed floris uice quosdam in ea peculiares iulos erumpere. siquidem fructu iam caduco, callus uuę modo, magnitudine uermis grandiusculi pinguis emergit, singulari pe diculo, quem uocant iulũ. Dehiscit ineunte uere ac defluit cum folia prosiliunt, callo squa matim compacti propendente, cõsimili omnino sorte, qua cachrys in robore, abiete, cæ/ terisq; amentiferis prodit: is nucis pineæ uiridis & nouellę rudimentum exprimit, nisi q tereti propemodum crassamento tendit, tripollicari longitudine crescens, & flauescens uere. Decidit cum folium emicat, tum calyculacea tegumenta totidem, quot iuli supra pe/ diculum exeunt, eorum'que singulis nuces singulæ insunt. Hæ molli primum calyculo te/ guntur, mox lignoso quidem, sed fragili putamine, cui tenuis subest membrana, rotũdum inuoluens nucleum, in cuius umbilico peculiaris alter includitur nucleus. Rara uidetur fuisse Theophrasto, qui tam anxiè singulas eius partes consectatur: apud quem eadem esset quæ alnus, nisi & folio esset latiore, & fructũ ferret. Duo eius fastigia, syluestris pror sus natura, quoniam hyemis patientissima, & montibus magna ex parte proueniat. nec urbanæ fructus magnopere quàm indomitæ præstantior, temporis'que ubertate fœcun/ dissima atque fruticosior. Folium urbanæ maius, & caudex procerior, melior fructus, ser/ ratum utrique in ambitum folium. Ambæ bino genere constant: quædam rotundã, quæ dam oblongam nucem largiuntur: urbanæ candidiorem fructum, & locis aquosis, melio rem creant. Translatu nitescunt syluestres, prægraciles uirgæ desquamãtur, crassioresq; derasæ interpolantur. Arborem si quis frequenter collucet, fructum meliorem copiosio/ remq; ferre traditur, neglectaq; commeat in fruticem. quare tonderi resecariq; præcipiunt, sic fœcundiorẽ reddi: alioqui si arborescere patiatur aliquis, in corpulentiam alimentum omne sumptitabit. Auellanæ nuces sunt ex arbore quæ corylus dicitur. has mollis qui/ dem integit barba, et calyx summatim fimbriatus: sed putamini nucleis'que solida rotun ditas inest, umbilicus intus in medio uentre prominet. Torrentur eæ cibis. Seritur ut Di/ dymus tradit, eo quo amygdalus modo, & tempore eodem deponitur. gaudet argillosis & uliginosis. Ex eo genere est rotunda nucula & oblonga. rotunda si eodem quo longior tempore pangatur, celerius cõprehendet, & lætior adolescet. Nuces auellanæ in magna sunt nominum ambage, quas antea Auellinas patrio nomine uocabant. In Asiam Græ/ ciamq; uenerunt è Ponto, ideoq; Ponticæ nuces appellantur, etiam Heracleoticæ, & le/ ptocarya Græcis dicuntur, nostris Prænestinæ: eæ cõditæ ollis in terra uirides seruari tra duntur. rura nostra *nucellas* & *coryelos* & *auellinas* nominãt. Plutarchus scriptũ reliquit, quo ties coryli nucula laquearibus appensa cohærebit, scorpius in domicilia nõ irrepet. Mon tes in Gallia corylis uestiuntur, & nemora scatent: quare omnibus notiores sunt, quàm ut explicari latius desiderent. Non est omittendũ, quod simplex rusticitas obseruauit, ser/ pentẽ obtorpescere quæ coryli caudice uel surculo fuerit icta, & tandẽ emori. Diocles po steritatis memoriæ tradidit, auellanã nucẽ minus amygdalis alere, cibis supernatare: si lar gius estur, caput tẽtare: innocentiorẽ esse uiridẽ arida. Addidit Philotimus libro quem ali mentis dicauit, auellanã seu nucẽ ponticã ciere capitis dolorẽ minus iuglãde, cibis extare: si tamẽ ignẽ experiatur, innocentiorẽ reddi, q intostu quæ noxia est pinguitudo, tollitur. Auellanę capitis dolorẽ faciũt, stomacho aduersant, ipsumq; inflationibus distendũt. To stæ destillationi medent. Tritæ in aqua mulsa, & potæ ueterẽ tussim leuãt. Quidã adijciũt grana piperis: alij è passo bibũt. Pinguedini cõferunt plus q̃ sit uerisimile, & præter fidem corpulentiã augent. Alopecias pilo restituunt exceptæ axungia uel ursino seuo. Autho/ res sunt

res ſunt cæſiorum oculorum pupillam infantibus denigrari, cinere putaminũ ex oleo ſin/
cipiti conſperſo.

Balanus myrepſice. Cap. LVI

BAlanus myrepſice, hoc eſt glans unguentaria, fructus eſt arboris myricæ ſi/
milis, magnitudine auellanarum nucum, cuius ex cortice expreſſo, quemad
modum ex amygdalis amaris, excipitur liquor, quo in pretioſa unguenta ui
ce olei utũtur. Naſcitur in Aethiopia, Thebaide, Arabia, & quę ſecus Iudęã
Petra dicitur. Præfertur recens & farcta: itẽ cãdida, & quę facile à putamini
bus ſoluitur. Plinius myrobalanũ appellat Troglodytis & Thebaidi & Arabiæ quæ Iu/
dæam ab Aegypto diſterminat cõmune, naſcens unguento ut ipſo nomine apparet. Quo
item indicatur & glandem eſſe arboris heliotropio ſimili folio: fructus magnitudine auel
lanæ nucis. Ex his in Arabia naſcens Syriaca appellatur, & eſt candida: contrà in Thebai/
de, nigra. Prefertur illa bonitate olei quod exprimitur, ſed copia, Thebaica. Inter hęc Tro
glodytica uiliſſima eſt. Sunt qui Aethiopicam iſs prę ferant, glandem nigrã nec pinguem,
nucleoq; gracili ſed liquore qui exprimitur, odoratiori, naſcentem in campeſtribus: Aegy
ptiã pinguiorem eſſe, & craſſiori cortice rubentẽ, & quamuis in paluſtribus naſcatur, bre
uiorẽ ſiccioremq;. E diuerſo Arabicã uiridem ac tenuiorẽ, & quoniam ſit montoſa, ſpiſſio
rem. Longe autem optimã Petræam ex quo dictum eſt oppido, nigro cortice, nucleo can/
dido. Vnguentarij, tantum cortices premunt: medici nucleos tundunt, affuſa eis paulatim
calida aqua. Ad myrobalanum non ineleganti diſticho alluſit Martialis canens,

Quod nec Virgilius nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento conſtat & ex balano.

De folio non bene conuenit inter authores. Theophraſtus, niſi codex librariorũ lapſu ſit
mẽdoſus, myrti aſſignauit: Dioſcorides myricæ, Plinius heliotropij. Balanos à Theophra
ſto dicitur arbor à fructu nomen trahens, grandis, incorrupta, ſed contorta. Fructus puta/
mine contuſo unguentarij ſolent uti odoris gratia nucleis inutilibus, glans magnitudine
cappari ſimilis, materies robuſta, uſu præcipue nauali in Arabia naſcẽs. Galenus unguen
tarios inſtitores uti ſcribit expreſſæ carnis ſucco, medicis quoque utilem eſſe carnem eius
pro uomitorio ſumentibus adfirmãs. Hippocrates Aegyptiæ meminit. Sed multum à ue/
ritate mihi deficere uidentur, qui nucem odoratã, quam uulgo dicunt *moſchatam*, hac glan/
de unguentaria comprehendi putent, longe profecto differentem, & ueteribus, ut exiſti/
mo, prorſus incognitam. Aegyptia reliquarum modo oſſa non habet in balanis. Aluum
& menſes ſiſtit in uino auſtero, & uulnera conglutinat. Dioſcoridi glans unguentaria lie/
nem conſumit trita impoſita drachmæ unius menſura. Illinitur & foris cum erui farina &
aqua mulſa podagris. Pſoras et lepras ex aceto exterit. Vitiligines et cicatrices nigras red
dit colori cum nitro. Lentigines uaros & papulas in facie cum urina emẽdat, uomitiones
mouet, aluum ſoluit ex aqua mulſa, ſed ſtomacho aduerſatur. Oleum ex ea uentrẽ ducit:
Cortici natura ſpiſſantior. Succus expreſſæ additur ſmegmatis, quæ cõtra ſcabrities com
ponuntur.

Bdellium arbor, & lachryma. Cap. LVII

BDellium quod alij brochon, alij malathram, alij maldacon appellant: in Ba/
ctris quondam nominatiſſimum, hodie in Arabia & Scythia. Arbor eſt ni/
gra, oleæ magnitudine, folio roboris, fructu caprifici, nec inſuaui. Manat ex
eo humor, quẽ officinæ eo nomine norunt, quippe bdellij. Galenus duo fe/
cit faſtigia, Scythici & Arabici. Scythicum nigrius reſinoſiusq;: Arabicum
translucidius & ſiccius. Eſſe autem debet amarum guſtu, ſimile ceræ, uel taurino glutini,
translucidum, interius pingue: cum fricatur, & cum incenditur, odoratum. Ad tactum ſi
ſubigatur molleſcens, liberũ cortice, ſordibus exutum, guſtu amaro citra acorẽ. Alterũ ge
nus inquinatũ, nigricans, grãdioribus glebis. Adrobolon uocatur cõuoluulũ in offas, &
aduectũ ex India. Tertiũ à Petra municipio arido ſimile, reſinaceũ, colore propemodũ liui
do, cui ſecunda bonitas traditur. Naſcitur in Arabia, Indiaq; ac Babylone. Quod in Me/
dia gignitur, Parthicũ uocãt: Bactriano facilius, cruſtoſius, amariusq;, & gummoſum. Ba
ctriano nitor ſiccus, multiq; cãdidi ungues, præterea ſuũ põdus: quod ſi grauius fuerit aut
leuius, uitiũ eſt. Adulterat gũmi: prodit fraus guſtu, minori amaritudine: itẽ olfactu, odo/
re minus iucundo cum uritur. Vitiari nuce amygdala Plinius tradidit, cætera eius genera

cortice

cortíce & ſcordaſti, ita uocatur arbor æmula gũmi. Sed deprehenditur odore, colore, pondere, guſtu, igne. Bdelliũ excalfacit, emollit gutturoſis tumores & duritias, item hernias, quæ ſcrotum copioſo humore diſtríngant, & turgenteis aqua ramíces diſcutit: ſed ieiuna hominis ſalíua ſoluendum præcipiunt, contractas aperit uuluas, locorumq; ſpiracula laxat. Suffitum ſubter uel impoſitum partus humoremq; omnem ex utero detrahit. Calculos potu comminuit, pellit urínam. Contra tuſſim & uenenatorum morſus utiliter datur. Ad rupta, uulſa, laterum dolores probatur: errabũdos diſcurſantesq; ſpíritus coercet: malagmatis contra duritias neruorum nodosq; commiſcetur.

Betula. Cap. LVIII

BEtula Græcis ſemyda, Theophraſto folío eſt caryæ dictę, ſed paulo anguſtiori, cortíce uerſicolore, materie læui, nõ niſi ad baculos utili. Plínio gallica eſt arbor mírabili candore atque tenuitate: terríbilis magiſtratuũ uírgis, eadem círculis flexíbilis, ítem corbiũ ſportis, & ligaturis utilis. Bitumen ex ea Galliæ excoquunt. ſcutis ítem faciundis apta, quòd plaga contrahit ſe protinus, claudítq; ſuum uulnus, & ob id cõtumacius tranſmittit ferrum. Gaudet frígidis, noſtri hodie *beulam* extríta t lítera nominant, rura *bouletum*. Nanq; ut olím Romanorum magiſtratuum faſcíbus minax, ſic et hodie uírgeis pędagogorum ſceptris pueros terret, Siquidem folío eſt fagíno, præter quàm paulo anguſtius eſt, trunco enodi, cortíce uerſícolore, materie lęui atq; candidiſſima, uírgultorum exímia tenuitate. Cortex ígnem facíllimè cõcípit: ídeò rura lucernarum uíce ſuccędunt. reddit flagrans pingue quoddam & oleoſum. In medícina nullius, quod etiamnum legerim, uſus, baculis tantum & ſcopis naſcens.

Brathys, ſíue Sabína herba. Cap. LIX

BRathys, quæ Latínis ex uulgo herba ſabína dicítur, frutex eſt topiarius, immortalí coma uírens, patulo faſtígio, iuníperi ſimílitudine, folío quidem aſpero, ſed mínus aculeato & frequentíori: odore non iníucundo. Gręci bífariam dígerunt, ut altera ſit tamaríci folío ſimílis, altera cupreſſo: priori ſpínoſior quàm cupreſſo frutex: odore graui, acuto, guſtu feruente, breuis atque in latítudinem fuſior, qua ex re quidã Creticam cupreſſum díxere. Vtílis ad ſuffítus pro thure aſſumítur. In medícamentis uerò duplícato pondere eoſdem effectus habere, quos cinnamũ tradítur. Gallinacei generis pituitas fumo huius herbæ ſanarí produnt. Sabína herba propagíne ſerítur & auulſione. aíunt fece uíni aut è parietíbus latere tuſo míre ali. Símilis herbæ huíc ſabínæ eſt ſelago. Hanc cõtra omnem perníciem habendã prodídere Druídæ Gallorum, & contra omnía oculorum uítia fumum eius prodeſſe. Sed legendã præcípiebant dextra manu, nudís pedíbus, ſacro facto priuſq; eruatur, tanta erat magorũ uanítas. Sabína nomen ubíq; retínuit, in quíbuſdam Galliæ tractíbus *ſauimera* nominatur. Folíum utríuſq; nomas cõpeſcit, collectiones mínuit, carbũculos ad ſuppurationem perdúcit. Cum uínq pota ſanguínem per urínam exigit. partus emortuos tam appoſítu q̃ ſuffítu extrahit. Illínitur ígni ſacro. Cum melle & uíno pota regio morbo medetur: unguentís adíjcitur, quę excalfaciũdo ſunt, priuatim gleucino, quod muſteũ dici noſtris poteſt. Calfacit & exíccat abſceſſu tertio, particulísq; tenuíbus ualet. Brutes arbor eſt ſoli Orienti cognita, neq; Latínis adeo celebrata, cupreſſo fuſę ſímilis, albícantibus ramis, odore cedri cum accenditur. Tradit Claudius Cæſar fumum eius contra alía ligna eſſe remedío, Parthos folía potionibus aſpergere, naſci ultra Paſitigrim in fínibus oppidi Sittacę in Zagro monte. Sunt quí hãc in Europa atq; adeò Gallia iam naſci exíſtiment, eſſeq; alterũ ſabinę genus: nec profecto lõgè ab ea díſſidet. Addunt & quadã tenus tum odore tum colore immutatã, quía & cælum & ſolũ inuectu quoq; mutauerit. Huc facit etiã, quod rudimentum nomínis Græci brathys luxatis líteris & aſpiratione ſummota uídeatur elucere.

Buxus. Cap. LX

BVxus arbor eſt hoc nomine uel Gallís nota ligní pallore atq; duritia, malí proceritate, folío myrti, exíguo, concauo, ſubrotundo, fronde perpetua, topiarío uſui accõmodatiſſima, ac tonſili, flore herbaceo, ſemine ruffo ac rotundo, ómnibus animãtibus inuíſo. Buxus montes amat, in planísq; recuſat naſci, tardíſſimo ferè omnium germine ſed auctu facíllima. Immortali coma uíret, nec ei decídunt fo-

lía. Spi-

lia. Spississima & densissima ex omni materie, eademq; grauissima: ideoq; in aquis nõ fluitat, neq; cariem neq; uetustatem sentit. Pyrenæis ac Cytoro mõtibus plurima, ac Berecynthio tractu, crassissima in Corsica, flore non ferendo, quę causa amaritudinis mellis. In Olympo Macedoniæ gracilior & breuis, frequentia nodorum incommoda, aliubi paucissimis. Gaudet frigidis & apricis. Ligni quoq; duritia quæ ferro, nec flãma nec carbonibus utilis. Ponderosa quia densa, nec arefacta quidem leuis redditur. Medulla constat, qua carere putatur, sed paruam incertioremq; gerit, quæ haud distincta spectetur. Quamobrem sunt qui non in medio sed per totum lignum dispersam esse adfirment, è qua sumptuosarum ualuarum cardines facere artifices solẽt. Imprimis materies honorata buxo est, raro crispanti, nec nisi radice. Ad malleolos & terebellum ualens, eaq; sculpunt simulacra: nũc sola pectinum dote commendatur, & ad plaustrorum axeis, & aratrorum buras. Fiunt & ex ea tibiæ multiforatiles, & pyxides, quibus nomen dedit. Nam quod nos buxum, Græci pyxon dicunt. Plurima ubiq; buxus. Nam ut Plinio placet, semen suum, & granũ quod carthegon uocant, & à septentrione uiscum, à meridie hyphear. Arbor magnitudine non excellit: nascitur locis algentibus & asperis. Maximam & pulcherrimam crassamen̄ & proceritate cæteris præstantem in Cyrena prouenire Theophrastus est author, ideõ mel esse insuaue, & buxum olere. quanquam Plinius Pyrenæis montibus legisse uidetur, nisi in altero mendum sit uicinitate uocabulorũ enatum, quod fere suspicor. Buxum auulsione claua, furculis in seminario depositis serendam Didymus tradidit, locisq; eandem humidis lætari sempiternaq; coma frondere. Nullus buxi in medicina usus: folio tantũ cum materiei scobina & lixiuio capillum rufant.

Castanea nux. Cap. LXI

Astanea Græcis dios balanos, hoc est Iouis glans uocatur, cum tamẽ iuglandis appellatio nucibus tantum regijs dicata sit à nostris. Nuces uocamus & castaneas, quanquam accommodatiores glandium generi, ideoq; apud Græcos appellantur glandes Sardianæ, quòd inibi prouenere primũ. Armatum ijs echinato calyce uallum, quod inchoatum glandibus, in quo quibusdam trini partus includuntur. Arbor est uulgo nota, iuglandi haudquaquã absimilis, folio tantum uenosiore & fimbriato, nuce intus solida & plurimum plana, triplici tegminis ambitu septa, membrana primum amara, mox lento cortice, demum echinato calyce. Plura earum genera, Tarentinæ faciles nec operoso sunt cibo, planæ figura sed minus tractabiles. Balanitides rotundiores sunt, purgabiles maxime ac sponte prosilientes. Salarianæ puræ ac planæ. Corellianæ laudatiores, & Meteranæ ex corellianis factæ, rubẽti cortice. Trian gulæ, & populares nigræ, quæ uocantur coctiuæ, minima laude. patria cõmendatissimis Tarentum, & in Campania Neapolis. Cæteræ suum pabulo nascuntur, scrupulosæ cortícis, intra nucleos quoq; ruminatione. Proxima corpori membrana in ijs nucibus, ni detrahatur sapore infestat. torrere has in cibis gratius. Molitura quoq; præstant, ieiunio fœminarum, quandam imaginem panis, & ubicunq; frugum aliarum deficit annona. De flore uaria est sententia. Alij nucamentum eius uice putant propendere: alij florere credunt. Castanea montibus exultat, & frigoris sit cupida, campestribus interdũ degenerat: aquas odit, ineunte uere germinat, seriusq; Vergiliarum obitu fructificat. hac plericq; mõtes scatent. Castanea stabiliendis uitibus habilis: nux eius in repasti nato posita celeriter emicat, & post quinquennium cæsa, more salicti recreatur, atq; in palum formata ferè usq; in alteram cæsionem perennat. Puram terram & resolutam desiderat. sabulonem humidum uel tofum non respuit, opaco & septentrionali cliuo lætatur, spissum solum & rubricosum reformidat. Seritur per totam hyemem, & depressis sulcis committitur, in altitudinem dorantis. Sed breues arundines ab latere panguntur, ut per hos sationis indices cautius fodi & runcari possint. Bima iam semina trãsferri queunt: sed uacuitas binũ pedũ relinquatur, ne densitas plantulas emaciet. Subterraneis animalibus sicuti muribus & talpis infestatur, propter quæ sæpe nouella castaneta caluescunt. Syluæ melius nucibus q̃ uiuiradici bus instituuntur. Dumosi glareosiq; montes glandem magis q̃ castaneam postulant. Castanea ut Damegeron memorię prodidit, sabulosis & sitientibus gaudet. diligit & frigidũ cæli statum, sed tepidũ nõ recusat, si humor assenserit. Delectatur cliuis & opacis regioni-

bus præſertim in ſeptentrionem uerſis. Seritur uiuiradice & nuce. Sed prior modus longè tutior, q̃ bima fructum reddat. Pangitur ab æquinoctio non modo ſtolone & ſurculis, ſed auulſione & uiuiradice, quemadmodũ olea. Verum fructus amygdalo & nuce longe ſecus ſurſum mucronem habens. Eligendę ſunt caſtaneę, quæ ſulcis deſtinantur, grandes & maturæ: quæ & ſi recentes ſint ſatæ, melius reſpondebunt. Sed ut ad ueris initiũ ſeruentur illibatæ, in umbra ſiccari debent expanſæ: dein in ſiccum locum trãslatæ, in cumulum redigãtur, quem arena diligenter operiat. Tum integrarũ probatio eſt, ut in frigidam mittantur: ſiquidem quæ ſanæ ſunt, merguntur: ſupernatat quæcunq̃ uexata eſt. Sunt qui in uaſculis ſeruant, arena pariter indita. Quærit ſolum facile, necnõ arenoſum, uel carbunculum, uel tophi quoq̃ farinam, quãlibet opaco, ſeptentrionali, & præfrigido ſitu uel etiam decliui. Recuſat eadem gallicã, rubricam, cretam, omnemq̃ terræ fœcunditatẽ. Seritur etiam nuce, ſed maxima nõ prouenit, niſi quinis aceruatim ſatis. Perfringi ſolum debet ex Nouembri menſe in Februariũ, quum ſolutæ cadunt ex arbore, atq̃ ſubnaſcuntur. Interualla ſint pedalia, ſulco dodrantali. ex hoc ſeminario in aliud binæ trãsferuntur, pedali interuallo. Propaginibus facillimè prouenit. nudata enim radice, tota in ſulco proſternitur: tum ex cacumine ſuper terram relicto renaſcitur, & alia ab radice. Sed trãslata nequit hoſpitari, pauetq̃ nouitatem: biennio ferè poſtea proſilit. ideo nucibus potius q̃ radice plantaria cædua cõplentur. Cultura non alia q̃ ſupradictis fodiendis, ſupputandisq̃ per biennium ſequens: de cætero ipſa ſe colit, umbra ſtolones ſuperuacuos enecante. Cæditur intra ſeptimũ annum in pedamenta. Sed quę ex bifida ſtirpe fiunt, durant uſq̃ ad alterã ſuę ſyluæ cæſuram. Caſtanea pedamentis omnibus præfertur facilitate tractatus, perdurandi peruicacia, regerminatione cædua uel ſalice lætior. Duo caſtanearũ apud nos obſeruãtur genera: quædã altiles multo maiore corporis tuberculo, quas uulgus uocat *marones*: aliæ longè minores & ueluti feræ. illæ lautiores diuitũ menſas claudunt, hæ pauperũ ſaturant ieiunia: illas cineribus obrutas prius torrent igni, has in aqua excoquunt ad ſatiandã plebeiam auiditatem: unde populares & coctiuæ Plinio uocãtur. Caſtaneæ prius q̃ cineribus credantur, ferro uulnerari debent, ut plagæ hiatu ſpiritus igne citatus euadat, alioqui flagrantes flãma magno cum crepitu proſiliunt, aſſidentiũ periculo. Flatus itaq̃ ijs anguſtijs eliſus à noxa uindicabit, impetu in ſibilũ abeunte. Non deſunt, qui coctiuas eſſe caſtaneas cenſeant, tuberoſos fructus, in ſtagnantibus aquis enaſcentes, quibus nõ aſtipulor. Herba apud nos in reſidibus aquis prouenit, caule prælõgo, tenui, folijs triẽtalibus, anguſtis: partim in aqua cõditis, partim emergentibus, in cacumine denſa cõgerie ſtipatis, ſummiſq̃ ſuper æquor aquę radiatim decuſſatis. è medio alarum ſinu fructus magnitudine iuglandis erumpit, triangulari forma, opertus nigro cortice, qualis caſtaneas tegit, muricato leniter ambitu. interius cãdidũ corpus, gratum cibis: ſed crudo gratius decoctũ, ſiue aqua ſiue pruna. Caducus is enatat undis, & impulſu uenti propellitur in ripas, ubi à ruſticis legitur. qui ſidit in imo, quum laxatis emiſſarijs aqua fuerit excluſa, ſuibus obijcitur: ſiquidem ad eum gregatim cõcurrunt, nec aliunde magis q̃ huius eſu ſaginãtur, mirè enim ab ijs expetitur. Qualis fuerit flos, nondũ mihi licuit uidiſſe. Fructus cute cingitur ſcrupoſa, cartilagine intus dulci, ſapore ferè caſtanearũ, Gallicũ uulgus *ſaligos* nominat, interdũ q̃ tegmen ſit ueluti corniculis ſeptũ, *cornuellas* appellat. Sunt qui *truſlas*, quaſi è tuberũ genere ſint, malunt nominare: ſic enim lingua noſtra uocitatur, nec ab re. Cõſtat enim aquæ ſaginã in eum callum conglobari, argumento q̃ nuſq̃ uadis erumpit, niſi ad quæ cæleſtiũ aquarum impetu pinguitudinẽ ſecum rapiente, ea deuoluatur uligo. Cæterũ *trapas* aliqui nominarunt, quo nomine muricis intelliguntur, et Græcis tribuli: quare in aquatici tribuli cenſum putamus referendũ. nanq̃ prodit in ſtagnãtibus, aut pigro lapſu repentibus undis, quinũ amplius cubitorũ altitudine, ulmeo ſuper aquas extante folio, longo pediculo, aculeis ſub aqua merſis, caule parte ſumma craſſiori, inferna graciliore: quæ capillamẽtis quibuſdã fruticat. fructu atro ac uehemẽter duro, aliàs cibis nõ ingrato, cuius nucleo non nuſq̃ panem conficiunt prædulcẽ. Fructus capitulo tribuli, qui uillarũ ſepta obſidet ſimilis eſt: ſed obtuſioribus armatur aculeis, de quo, cũ de tribulo agemus, diſſerẽdum nobis latius erit. Caſtaneæ ſeruantur uel in cratibus diſpoſitæ, uel intra ſabulonẽ, ne inuicẽ tangantur, immerſæ: uel in uaſculis fictilibus nouis conditæ et loco ſicciore defoſſæ: uel inclu

ſæ uirgeis

fæ uirgeis ex fago receptaculis, & lutatæ ut ſpiracula non relinquas: uel hordei paleis immundiſſimis obrutæ: uel paluſtri ulua figuratis denſioribus ſportis recluſæ. Sunt qui filo transfixas cumulatim, & igni detoſtas adſeruent. Caſtaneę uehementer ſiſtunt uentris & ſtomachi fluxiones. ſanguinem excreantibus proſunt, carnes alunt. Sed capitis dolores creant: inflationes pariunt, cõcoctu difficiles, toſtæ tamen crudis innocentiores ſunt. Arefactæ multum noxæ remittunt: tritæ cum melle & ſale rabioſorum canum morſibus imponuntur. Mammarũ duritias diſcutiunt, cum hordeaceo polline & aceto impoſitæ, ijſdę uino maceratis, & cum farina ſubactis peſſi uice utuntur, ad ſupprimendos menſes.

Cedrus. Cap. LXII

CEdrus Gallis prę̃terquã nomine, omnino ferè ignota eſt, utpote alibi quàm trans maria naſci faſtidiens. Arbor eſt iunipero non abſimilis, radicibus raris, per ſumma terrę diſperſis, folio duro, acuto mucrone, capillato, ſpinoſo, pungente, ramoſo: ligno contorto, nodoſo, frequẽtibus alis, medulla rubente, odorata, baccis myrti flauis, hilaribus, odoratis, eſculentis, nouo fructu per autumnum cum anniculis pendente. Saxoſis & frigidis locis gaudet, ſolumq; cõſimile quærit. Folia nõ decidunt cedro, ſed perpetua coma uiret: qua, ſi caſtretur decacumināta, confeſtim ut aiunt, interit: nec poſtea regerminat. montes eadem amat. In Cypro maxima prouenire traditur, nempe centum triginta pedum longitudinis, craſſitudinis uero ad quinũ hominum complexum. In Syriæ quoq; montibus tanta craſſitudo fertur, ut homines terni caudicem amplecti nequeant, tam inibi longitudine & craſſitudine præſtat. addunt pulchriores & ampliores in hortis comperiri. De cedro uaria authorum ſententia. Theophraſtus duo eius præcipua fecit faſtigia, alteram Phœniciam, alteram Lyciam appellans, iunipero ſimiles, niſi quòd folium cedro acutũ, ſpinoſum & durum: iunipero ſimplicius, mollius, excelſior & hæc quàm cedrus. Alij utranq; cedrum ut inquit, nominant: ſed quæ propriè ſit, acutam cedrum uocare malunt, id eſt oxycedrum. nodoſæ ambæ, aliis frequentibus, ligno contorto. Cedro æterna materies, nè cariem quidem ullam ſentiens: iunipero ſpiſſa, breuiq; putreſcens cum cæſa fuerit. Vtriq; medulla rubet, ſed odorata in cedro. Fructus cedro myrti magnitudine cernitur, flauus, odoratus, ſuauis guſtatu: iunipero niger, aſtringens ſapore, & prę̃nimia acerbitate inguſtabilis, durans annum, prius non decidens, quàm ſubnaſcatur alius. Arcades fructus in ea ternos eodẽ haberi tempore confirmant, id eſt anniculos qui nondum matureſcant: & bimos item maturos quidẽ, ſed qui guſtatu reſpuantur: trimos qui mandi poſſint. Satyrus utranq; ſibi à ruſticis allatam, ſine flore, cupreſſo ſimiles, ſcabriore tãtum cortice. Radices ſolutæ ſumma cute ambabus hærent, ſaxoſa loca & algentia ſequũtur: hæc Theophraſtus. Plinius longè aliter ſentit, quippe qui notas iuniperi cedriq; confundat. Cedri ſumma genera duo facit, maioris & minoris diſcrimine. Minoris ſpecies binæ, lycia & phœnicia, iuniperi ſimilitudine. differunt folio: nam quæ acutũ, durum, ſpinoſum habet, oxycedros, inquit, appellatur, ramoſa & nodis infeſta: altera odore præſtat, fructum ferunt myrti magnitudine, dulcem ſapore. Et maioris cedri duo genera, quæ floret, fructũ non fert: fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum nouus occupat. Semen eius cupreſſo ſimile. quidam cedrelaten uocant, ex hac reſina laudatiſſima. Dioſcorides fructus myrti ſimilitudinẽ cedro maiori ex qua pix fundatur, non minori, tribuit. craſſiuſculam reſinam fundit ad faciendas pices cõmodiſſimam: ex ea ſimulacra factitarunt, ſicut ex oleaginis radicibus minora. Solet materies humorem reddere, & omnis etiam quibus oleoſus ineſt liquor: quapropter ſimulacra quoq; deorum uiſa ſunt aliquando ſudaſſe. Optima claſſibus, nauigijs, & triremibus, neq; non domorum tectis: quippe quum ipſi inſit æternitas. Plurima in Cilicia, Syriaq; proſilit: ſed laudatiſſima in Creta, Aphrica, & Syriæ montibus, quæ inibi uſque eò craſſeſcit, ſi Theophraſto credimus, ut quinque hominum complexu cingi nequeat. Cedri nidore ſupplicabat antiquitas, quòd ſuorum fruticum in ſacris fumo conuolutum nidorem tantum noueràt, cuius peruncta materies nec tineam, nec cariem ſentit. Ideò cedratos olim libros Hemina tradidit, ꝙ eos nulla attingeret tinea, neq; etiam uetuſtatem experiretur. Rimam, fiſſuramq; non capit, quoniã ſponte adacti clauí tenax nõ eſt. E cedro oleum naſcitur, quod cedreum dicitur, quo reliquæ res cum ſunt unctæ, uti etiam libri (quantum Vitruuio placet) à ti-

cet) à tineis & carie non læduntur. Arbores autem eius sunt similes cupressęæ foliaturæ, materies uena directa. Ephesi in æde simulacrum Dianæ, & lacunaria ex ea, ibi & in cæteris nobilibus fanis propter æternitatem sunt facta. Nascuntur hæ arbores maximè Cretæ & Aphricæ, & nonnullis Syriæ regionibus. Similis in Arcadia est arbor odorata, frondis æternæ, frutex in Phrygia pusillus, arboreſcensq; nunquã hæc à Theophrasto cedria, quatenus arbor est, dici putatur: quatenus frutex cedris, à Theodoro Gaza cedrula uocatus. Cedria ut Theophrastus est author, dissidet à cedro, arbor folio pungente, mucronibus perinde ut cedrus. Hippocrates cedrim Creticam fœminarum incommodis auxiliari scribit in lacteo uino, œnogala uocant, quod nonnulli tepidum interpretantur. Cedrides Galeno Dioscoridiq; cedri sunt fructus, ut daphnides lauri. Minus urũt quàm cedrus os gustantis, ut mandi quoq; possint. Si copiosius edantur, caput tentant, & dolorem creant, interanea uellicatu torquent, Galenus author. Cedria modo cedri pix, modo cedri resina nominatur, è cedro magna quæ cedrelate dicitur emanans: ita ut si propriè sit loquendũ, nihil aliud sit, quàm cruda cedri lachryma. Cedrium uero succus est cedri è teda eius concisa furnis, qui primus aquæ modo fluxerit in canali. nanq; sequens liquor iam pix, nõ cedrium uocatur. Sed nunc pro resina, nunc pro sudore tedarum, nunc pro pice cõfundunt authores, cedriam & cedrium indiscriminatim nominantes. Interim pro oleo cedrino cedrelæon dicunt, quod fit ex malis cedri, ut Plinij uerbis utar. Omnino enim ijs quanq; diuersis, eadem tamen ineſt natura. Columella cedrium liquorem nominat, Galenus oleosam cedream mauult appellare, uiribus cedria mitiorẽ, qua rustici (ut ait) illata inter tondendum ouibus uulnera linunt, ut parti quam forfice deglubunt, medeantur. Eadem aduersus scabiem, & ricinos hærentes utũtur. Libri cedrio inuncti, à tineis & carie uindicantur. Damnat usum eius Plinius propter ancipitem naturam uiuentia corrumpendi, & defuncta conseruandi: cum uitam auferat spirantibus, defunctisq; pro uita sit. ob hoc nõ censet interius utendum. Huius tamen diuersitatis rationem perpulchrè Galenus iniuit: quia tametsi adurat, ita ut ordine quarto calfacientium censeri meruerit, inter omnia tamẽ erodentia medicamenta, quæ Græci & septica & septas cognominant, infirmissimũ esse constet. Proinde uiuentibus admotum uitali calore adiuncto, adsumit uires & quasi accenditur, atq; ita iugulat: sed defunctis additũ, putrilaginem exterit, & uitiosos humores depascit, quibus detractis corpora à labe corruptionis asserit. Galenus & Paulus cedream nominant. Cedrelatæ duæ etiam traduntur species. quæ floret, sterilis est: fructifera flore uidua, semine & cortice cupressi, triplici dotatur fructu, iam maturo, adolescente, & recens nato. Lignum odore suaue est, ac æterna materie, dat picem quæ cedria dicatur. Optima est crassa, pellucens, odore quàm minimum languido, & quę guttatim stillata coit, neq; se concreta diffundit. Defuncta corpora conseruat incorrupta. Vestes quoq; & pelles eximia calfaciẽdi & siccandi dote corrumpit & animalia necat. Magni ad lumina usus, ni capitis dolorem inferret. Oculis peruncta claritatem conciliat. albugines eorundem ac cicatrices utiliter eluit. Verminosis auribus instillatur ex aceto. Ad necanda huiuscemodi tædia, si sonant aures, aut sibilum elidunt, adfuso hyssopi decocto, strepitu expediuntur. Cauernis dentium indita frangit eos, & dolorem sedat: idem præstat, si cum aceto colluãtur. Abortiuum fieri constat, perfusa ante uenerem uirilitate. Anginas collinere inflãmatasq; tõsillas prodest. Peruncta lendes & pediculos perimit. Cerastę morsibus ex sale remedio est. Contra uenenum leporis marini bibitur in passo. Elephãtijs aut linctu aut illitu medetur. Aduersus pulmonis ulcera cyathum eius sorbere conuenit. Contra uermes & tineas subter in aluum fusa præsidium est. Cedri scobe serpentes fugari certũ est. Fit & ex cedria oleum, uelleribus quum coquitur supra uaporẽ eius suspensis, & dein expressis: eiusdem ad omnia usus. Quadrupedum, canum, boumq; scabiem exterit, si tergora uiriliter eo perfricentur. Quinetiam ricinos earundem interficit, partibus ubi grassantur impositũ. Contractas è tonsura exulcerationes cicatricibus claudit. Cedrides, hoc est fructus cedri calfaciunt, stomacho noxij, tussim sanant, urinam ciunt, utiles ruptis cõuulsis, stranguriæ, mensibus cum pipere trito poti. Contra leporem marinum ex uino sumũtur. Delibuta ijs corpora cum ceruino pingui uel medulla serpentes fugiunt; conferuntur & in antidota.

Carpinus

Carpinus & celastrus. Cap. LXIII

MOntes diligit carpinus, descendit etiã in plana. Sunt qui in mõtibus enatam carpinum, in cãpestribus gallicam uocent. Quanq̃ (ut Theophrastus est author) longè secus alij distinguãt, genusq; diuersum carpini & aceris faciant. Stagiritæ carpinũ ab acere discernere solent, q̃ carpino flaua crispaq; materies sit: aceri candida, intercursantibus neruis scatens. utraq; ampla, platano in findendo similis, sed carpino gracilior, macilentiorq;, longior atq; mollior, uenis in longitudinem fluctuantibus, undosa, fissilis, segmentis omnibus in acutũ compressis: minus tamen q̃ pro magnitudinis ratione neruis exundat. Cortice paulo scabriore q̃ tilia uestitur, subliuente, crasso, spissiore q̃ picea, & inflecti cõtumace. Radices paucas mittit, sublimes, magnaq; ex parte crispas, riguis potissimũ gaudet, & ut Idęi uolunt, inuentu rara est. Ei fructum assignãt paliuro simile, sed oblongiusculũ. At uero Olympi incolæ carpinum montes potius adamare cõtendunt: acerẽ etiã planis enasci, sed mõtanis flauam, crispam, grato colore nitentẽ, corpore rariorem, & quæ longè minus crispetur. Hanc nõnulli gallicam nõ acerem uocant, masculęq; materiẽ crispiorem esse & contortã, planisq; potius exire, germinareq; maturius. Carpinus auctu facillima, paulo ante Aequinoctium germinat: post messem, & Arcturũ cæditur. Durissima carpini materies spissaq;. Hanc itaq; prius q̃ terebrũ experiatur, macerant, quo facilius mollescens perforari queat, lectis & sumptuosioribus fabricis, iugisq; iumentorũ nascens: quapropter zygiã quasi iugalem Græcis dictam putauerim. Ea ut author est Vitruuius, est minima ignis & terreni mistione: aeris aũt & humoris summo cõtinetur temperatura. Non est fragilis, sed habet utilissimã tractabilitatẽ, ideoq; Græci, q̃ ex ea materie iuga iumẽtis cõparant, q̃ apud eos iuga ζυγὰ uocitentur, eam ζυγίαν appellãt. Galli, præcipuè Santones, *carpierum* uel *carpienum* adiectis litteris appellant, retento Latini uocabuli rudimento. Reliqua Gallia *carmeni* nomen pro carpino usurpat, Vulcanoq; potius quàm lautis operibus dicat. Celastrus æterna coma frondet, in planis exilit, inibiq; omnium tardissime suos perficit fructus. Horret cultum, quem si quando patiatur, degenerat. Summis gelidissimisq; gaudet locis. Celastri usus ad baculos & scipiones accommodus: nec plura apud Theophrastum de celastro leguntur.

Cerasus. Cap. LXIIII

CErasus arbor est hoc nomine Græcis, Latinis, Gallis nota. folio mespili, prædu ro, latiore: corticis læuore, colore, crassitudine tiliæ similis: flore albo, pyri uel mespili, pluribus flosculis racematim cõgesto, fauaceo, fructu rubro, diospyri figura, magnitudine fabæ: quanq̃ acinus diospyro prædurus, ceraso mollis. hæc Athenæus ex Theophrasti sententia. Arbor de ramosis nõ est, enodior etiã aliquanto q̃ populus. Rami dum adolescunt, alij subinde pereunt, ut qui ab imo sparguntur: alij continuo crescunt, ut superni. Radix multijuga, summa telluris cute nititur, nõ crassa. Cõtortio eadem radicis & corticis radicẽ tegentis. is meatu flexo nec cõplente gyrũ, obducitur arbori, quasi mucronatim ambiat, ab infernis sursum uersus in angustias sese colligens, qualis in fronde quoq; ipsa descriptio est. Quum desquamatur, hoc eodem modo delibrari solet: alioqui præscinditur potius q̃ filo eodem detrahi possit. Quin & per crassitudinẽ prætenuis modo folij finditur, reliquumq; durare, arboremq; tueri ualet: nec iactura huius, arbor ipsa emoritur. Quòd si totũ deglubas, qui reliquus est humor, elabitur. Porrò tunica exteriore adempta, nigricat pituita quædã mucosa: & uice eius secundo anno tenuior sub nascitur, priorisq; damnũ resarcit. Nerui ligno cõtorti conuolutiq; in anfractus ut cortex uirgis, cõtinuò q̃ nascũtur idẽ mos. Theophrastus est author cerasum ad uigintiquatuor cubita proceritatis erigi, & crassam quaternis dodrantibus, siue bicubitali crassamẽto. Plinius ramosarũ esse cerasum prodit, & etiã in quadraginta cubitorũ trabes, æquali per totum duũ cubitorum crassitudine reperiri. In Gallia omnino exilior humiliorq;, adeò frequens ut etiã syluæ ea scateant. Frequenter tamen tãta longitudine cernuntur. Mirũ profecto cũ translatitia sit, nec ante Mithridaticã Luculli uictoriã, uel Italiæ nobilis, nedum Galliæ, uel Hispaniæ cognita. Is primũ uexit è Ponto: nũc trans Oceanũ in Britanniã usq; peruenit. Athenæus memoriæ prodidit, Lucullum Ro. Imperatorem posteaq; debellato Mithridate uictoria potitus esset, primũ arborem hãc à Cerasunte Pontico municipio in

Italiam detulisse, fructumq; gentilitio nomine cerasium appellasse, sic Græci suis historijs scriptum reliquerunt. Verũtamen ut idem refert Diphilus Siphnius, uir arte & facundia celebris, lõgis annorũ curriculis uetustior, utpote qui Lysimachi regis successoris Alexandri ætate uixisset, cerasiorũ meminit. Cerasia inquit, bonũ succum creant, sed parũ submi-nistrant alimenti. Stomacho grata sunt & eidem auxiliãtur, in frigida sumpta. Sed rubentiora præstant & milesia, q̃ urinam pellant. Genera nominantur aproniana quæ maximè rubent: nigerrima sunt actia: rotunda uerò cæciliana. Iulianis gratus sapor, sed penè tantũ sub arbore sua, adeo teneris ut gestatũ non tolerent. Principatus duracinis, quæ Campania Pliniana nominat: in Belgica Lusitanis, in ripis etiã Rheni. Tertius ijs colos è nigro ac rubenti uiridiq;, similis matureſcentibus semper. Sũt & laurea, quæ minus quinquennio ante q̃ Plinius cõmentaretur, prodierant non ingratæ amaritudinis, in lauro primũ insita: hinc *amarasia* dicuntur uulgò, q̃ amarorem non iniucundũ resipiant. Sunt & Macedonica paruæ arboris, raroq; tria cubita excedẽtis, & minore etiam frutice chamæcerasi. Inter prima hoc è pomis colono annuã gratiã refert, primũ candidũ, mox rubescit, deinde fugiẽs nigret. Cerasijs intus lignũ est, & extra caro ut oliuis. Gallis horũ malorum uaria notãtur discrimina. Quædã mediocri arbore interdũ pumila, quasi frutice (quã chamæcerasum dici puto) pendent pediculo breui, pomo rotundo, rubente, carne multa, molli, succosa, osse intus duro, nucleo dulci: hoc maximè grato placet acore, morosaq; laborantiũ morbo palata recreat, prægnantiũ etiam malacijs anteq; matureſcat expetitũ. hoc Francis tantũ cerasij nomen meruit, reliqua uarias sortiuntur appellationes. Quædã pomo prodeunt proximo ex arbore grandiuscula, longiore petiolo, gustu multo acidiore, & subacerbo, cætera simili, uulgus *merasia* nominat. ea nimio sui acremento respuuntur, ut alia quæ nimia sui dulcedine fastidiũ pariunt. Alia proceris arboribus exeunt, turbinatiore pomi figura longioreq;, pediculis longis, pluribus, unà coeuntibus: baccis partim rubentibus, partim candicantibus, nonnunq; in totũ rubris: prædulci carne, ori iucunda, fragili intus osse, nucleo non insuaui. Sed hoc malũ longè acidis fugacius, primumq; in cerasiorũ genere maturitatem sentit. Vulgus nunc *guinea*, nunc *guindola* uocat. Sed inter ea habẽtur crassiora, alta carne, prædura, magna ex parte albicantia, prædulci gustu, callo corporis nucleo pertinacius hærente, ob hoc putarim ueteribus duracina cerasia nũcupari. Quæ in totũ rubent, mollitia cedunt: quæ partim albicãt, partim rubescunt, cum utriſq; societatem ineunt. Celerius marcescunt, quæ molliori constant carne. Inueniuntur & alia in syluis & nemoribus, non nunq; in dumetis & cultis, baccis paruis, multũ infra supradictorũ magnitudinem, callo carnis rotũdiore, ossibus appresso, parte soli obuersa rubescente, auersa candicante, sapore dulci quidem, sed dilutiore: ruri familiaria, spõte nullo humano cultu nascentia. Alia nigerrima, quibus succus ineſt sanguineus, ea uescentiũ manus & labra sanguine suo modo mororum inficiunt: utraq; *sessiana* rura uocant. Sed posterius hoc ueteribus actianum dici putauerim, ut prius illud forsitan cæcilianũ, curtato (ut in Gallia plerunq; fieri solet) uetere uocabulo, cessianum pro cæciliano concisum proferente. Cerasiũ siccatur sole, conditurq; ut oliua cadis. Ratio hæc à Florẽtino rei rusticæ authore sic tradita est. Cerasia ante solis exortũ arbore sua decerpta, in uas substrata in fundo satureia conijciuntur: deín cerasia superponuntur, iterumq; alternis satureia: adijcitur nõnihil acidi mellis aliquantũ dulcescentis. Seruantur itidem interiectis arundinũ folijs, & in eundem modum alternatim dispositis in cado. In candenti sole usque ad rugas siccata, diu seruantur: item molliusculo ignis feruore passa. Cerasus seritur malorum & pyrorũ more. Insitione præsertim lętatur, nec unq̃ bonum dulcemq; dabit fructum, nisi prius insita. Siquis ut idem author tradit, cerasο nigrã uitem inserat, uere feret uuas. Septentrione, frigidisq; & aquosis montibus gaudet. Fructu media etiamnũ conditione inter baccas acinosq;: quando pomũ primo candidum, ut ferè oñibus baccis, mox uirescit ut oliuis, postremo rubet ut cornis. Cerasos præcoces facit, cogitq; matureſcere calx admota. Sed poma interuelli melius est, ut quæ relicta sunt grandescant. hæ libro dempto solæ post brumam inseruntur. Habent quandã uelutí lanuginem, quæ si comprehendit, putrefacit. quare debet emuscari & prorsus auferri, priusq; trunco conseratur, alioquin insitis officiet. In cerasis tamen, & omnibus gummiferis insitionis tempus est, quãdo in ijs uel non adest, uel gummi desinit effluere. Cerasus in

seritur

ſeritur in ſe, in pruno, in platano, & ut aliqui uolunt, in populo. Plantam ſylueſtrem tranſferũt Octobri uel Nouembri menſe, ut primo Ianuario cum cõprehendit inſeratur. Martialis trunco inſeri ſuadet: ſed inter corticem & lignum felicius coaleſcit. Amat ſcrobes altas, ſpatia largiora, aſſiduas foſſiones. putari in ea putres ramos marceſcẽtes, & ſiccos deſiderat, uel etiam quos denſius arctatos protulerit. Fimum odit, & uſq; adeò horret, ut ad motu eo degeneret. Plantaria quoq; creari poſſunt, ſi ſpargantur poma: quæ ſumma facilitate naſcentur, ſic explorata creſcendi petulantia, ut uirgulta è ceraſo pro uitium adminiculis poſita, in arborẽ facile proſiliant. Poma ſine oſſibus enaſci Martialis rei ruſticæ prudens promittit, ſi tenerã arborem ad binos pedes reſciſſam uſq; ad radicẽ findas, abraſaq; ferro partis utriuſq; medulla, ſtatimq; ſeiunctas parteis uinculo perſtringas, et ſummã partem, & diuiſuras laterũ oblinas fimo: poſt annum ducta cicatrice diuortia coaleſcũt. Hanc arborem ſurculis, qui fructum adhuc nõ tulerunt inſeris, & ſine oſſibus poma (ut aſſerit) naſcentur. Democritus eſt author, ſi quis tenellum ceraſi caudicem radice tenus ſcindat, non uulnerata parte ima, medullamq; auriſcalpio eruat, deinde lachrymam cyrenaicam aqua dilutam, uſq; dum ſapæ craſſitudinem referat, infundat: & humente charta diligẽter obligatum ad miniculo fulciat, ne lachryma effluat, octauo die eadem lachryma perfundi præcipit, ut germina citet, ſic exos & enucleatus fructus exibit. Sed ſi ſcylla conſita fuerit, præſtabit ut ſegmenta facilius iungantur. Si nucum arbuſculas medulla caſtrare libet, ſine interiore ligno adoleſcent. Si ceraſus concepto humore putreſcit, in trunco foramen excauetur, quo poſſit ſanies educi. Si formicas patitur, ſuccũ portulacæ debebis infundere cũ aceti media parte permiſtum. Si æſtu Canicularũ fatigatur, trium fontium ſingulos ſextarios poſt ſolis occaſum radicibus arboris iubent influere, ſed illum illini ueſpere, ne remedium ſydus deprehendat: uel herbam ſymphoniacam circa arboris truncum torquent in coronam. Symphoniaca Apuleio eadem cum Apollinari & hyoſcyamo traditur, de qua inter herbas diſſerendum erit. Chamæceraſus, ut apud Athenæum Aſclepiades Myrleanus depinxit, pumila eſt in Bithynorum agro frequẽs, radice parua: neq; arbos eſt, nec arbuſculis ceraſorum impar, baccis cætera omnia conſimilibus. Copioſe ueſcentibus caput uini modo grauant, & dolores cient. Sed hæc ut Athenæo refert, putat de mimæcylis intelligi, q̃ huiuſcemodi fructum hæ arbores ædant. Et ſi è baccis quiſquam plus ſeptem eſitarit, caput eius dolore tentabitur. Ariſtophanes paſſim ſua ſponte naſci prodidit. Theopompus & Crates mimæcylorum meminerunt. Sed Amphis ilicem acutum ferre, & arbutũ mimæcyla: Theophraſtus arbutum idoneũ cibo pomum, mimæcyli nomine parere tradunt. Ceraſia uentrem emolliunt, eundem paſſa ſiſtunt. dulcia plus humectant corpus, quapropter aluum cient. Acida plus refrigerant & aſtringunt, obſtruentes iocineris inferctus leuant. flauam bilem extinguunt. Gũmi quod ex arbore deſtillat, ueteri tuſſi medetur: ex uino diluto ſumptum gutturis lenit aſperitates. faſtidia diſcutit, & ciborum appetentiam molitur. Colorem cutis gratiorem facit, & oculis affert claritatem. Calculoſis prodeſt in uino potum. Lichenes infantium ex aceto ſanat.

Ceronia ſiliqua. Cap. LXV

CEronia arbor eſt trunco fertilis, ſiliquæ pomo, foliis ſemper comantibus, flore candido, cum uehemẽtia odoris, radice ſublimi, plantigera imis partibus, & ideò ſuperficie flaueſcens marceſcensq;, ſuccum auferẽte ſobole. Fructum anniculum ſimul & nouum continet. Pomo antecedentis anni circa Canis ortum detracto, ſtatim alterum concipit, uterumq; perfert, et molem quandam uuæ modo informem ac indiſcretam primo parit, quæ poſtquam adoleuit, per Arcturum & æquinoctium florem emittit, hyeme fructus enutriente, qui uſque ad Canis ortum in parente durant, & tum metuntur. Naſcitur in Syria, Ionia, & circa Gnidum, Rhodumq; In Aegypto nulla, ut pleriq; falsò exiſtimarunt, eam propterea Aegyptiam uocantes ſicum, errore ut inquit Theophraſtus, manifeſto, cum nuſq; inibi prouenìat, ſed q̃ fructum caudice ferat ſiliquæ pomo, inde nomẽ duxit. Multumq; abhorret ab illis ſiliquis, quas nemo non ſcit prædulces eſſe, earumq; mandi corticẽ: digitorũ hominis

longitudine, interim falcata, pollicari latitudine: cuius usum cibis damnauit Galenus, mali succi & lignosi contumaciã in coquendo causatus, de qua in mentione propria dicetur.

Cerrus. Cap. LXVI

CErrus ægilops, quercus species est populo similis, caudice recto, excelso, læui, & per longitudinem robustissimo, materie alioqui improba, nec nisi ærariorum officinis carbone dotata. Quod enim cessante flatu statim extingua tur, illis compendio est, nec nisi paucus absumitur, sic tamen plurimis scintillis dissiliens. Glans illi tristis, horrida, echinato calyce castaneæ modo: itaque à nullo præterquam à sue manditur, nec nisi aliorum inopia: cum alioqui solidam duramq; gignat carnem. quare suem cerrea glans diffusam quidem, sed grauem facit. Eglan diferis una fert panos arentes, muscoso uillo, canos, nõ in cortice modo, uerum & è ramis dependentes, cubitali magnitudine, odoratos, sphagnon siue splachnon siue phascon appellant, item bryon: nostri penem, Syri uuam dæmonum. Excelsissima hæc est, & incultis amica, raro nisi in sylue stribus inuenitur. Radice utuntur contra scorpionũ ictus. Verum ea ferè omnia Theophrastus Macedonicæ cerro, quã asprida nominat, tribuit: quę ægilopi cerro Plinius adscribẽda existimat. Verba sunt Theophrasti, Cerrus aspris, ut Macedones putant, aut sterilis, aut adeo improba glande, ut nullum animal præter suillum genus ea uescatur, quòd ingustabilis sit, ac ne sui quidem, si pabulum aliud nanciscatur. eaq; caput tentat mandentium. Materies, etiam si dedoletur, ædificijs inepta: rumpitur enim & labat, ideoq; rudi duntaxat utuntur. Damnata etiam & carbone: quoniam exiliat, & scintillas eiaculetur. Aerariorũ tantum officinis cõpendio, quia flatu desinente protinus emoritur, parumq; absumptus, tardè recidit in fauillã. Cerrus ægilops rectissima, excelsissima, læuissima, ligno per longitudinẽ robustissimo. Panum quem phascũ uocauimus, sola cerrus fert, lõgitudine cubitali, branchiarũ similitudine, canum, muscosum, ceu uillum lintei, prolixum. Nascitur è cortice non surculo, unde glans: nec ex gemma, sed à supernorũ nodorum latere. Incultis cerrus gaudet. cuius materies etiam elaborata ædibus cõstruendis inauspicata: q facillimè rupta fatiscat, eaq; fultę domus facilè ruinam sentiunt, casumq; cito minantur. ob id rudi & indolata ad inteſtinũ opus & utensilia utuntur. Habet cerrus, si credimus Vitruuio, pariter mistionem humoris, ignis, & terreni: aeris plurimum, peruia raritate humores penitus recipiẽdo, celeriter marcescit. Nostri, ut puto, Galli extrita prima litera, aut in aspiratione conuersa, *herrum & hedrum* pro cerro appellitãt. nam herrus uel hedrus glandifera cernitur, calyce fructus echinato, carne intus amarissima, ob id quoq; à suibus inguſtata respuitur, nec nisi quoties glandis annona deficit, caducã pascuntur. Abdicatur quoq; apud nos ædificiorũ fabricis, ut quæ flexu & fractu infelix habeatur, interuis tamẽ & læuioribus nõ improbatur. Hygínus manubria rusticis cerrea tradit. Cerri folia, & cortex & glans siccant collectiones, fluxiones sistunt. Torpentes membrorũ partes corroborat decoctũ eius fotu: cui & insidere expedit siccãdis astringendis ue partibus. radix aduersatur scorpionibus.

Cisthus & Hypocisthis. Cap. LXVII

ISthos, quem aliqui citharon aut cissaron nominant, Dioscoridi frutex in saxis emicans, ramosus, frondosus, nec præaltus, folio circinatæ rotunditatis, hirsuto, gustu acerbo. Flos masculo punici, fœminæ candicat. Plinio frutex est cisthus, maior thymo, foliis ocymi. Duo eius genera. Flos masculo rosaceus, fœminæ albet: recentiores tum rosaginem, tum rosam caninã uocant, fruticem thymo maiorem, foliis ocymo rotundioribus, flore mali punicæ. Flos masculo rosaceus est, fœminæ albicãs. Sub cistho ad radices nascitur hypocisthis, quibusdam orobethron dicta, malo granato immaturo similis. Digerit in tria genera Dioscorides, rufum, herbaceum, candidum, cui succus exprimitur, ut acaciæ. duplex tantum ratio ab aliis proditur. Plinius rufa & candida contentus est, nascitur sub cistho, inde nomen, sub quo prosilit sicuti sub arboribus fungus. In quibusdã Galliæ montibus, & (ut aiunt) Patauinis hypocisthim uidere licet, & fruticẽ sub qua nascĩ, ocymi folio, flore cãdido, quasi sylueſtris roſę, radice lignosa, p̃dura. è cuius ferè medio hypocisthis uelut infixa pullulat, cuius officinis succus est notior, q̃ ut explicari mereat. Est & aliud genus cisthi ladaniferę, à quibusdã ledũ uel lada uocatũ, frutice ab altero nõ abhorrẽte: nigrioribꝰ. tantũ & lõgioribꝰ. foliis, quę

uerno tem-

uerno tempore quippiam pingue, roscidum contrahunt: ex hac ladanũ conditur. Duplex Dioscoridi metendi ratio. Siquidem folia eius capellæ atq; hirci carpentes, insidentem ijs succum uillo barbarum & femorum abstergunt, qui suapte natura tenax & lentus facile sequitur, uisci modo ad contactum. detractus hic purgatur, atq; in offas conuolutus repo nitur. Alij uerò attractis funiculis pinguitudinẽ quæ fruticibus adhæsit, rapiunt, succulen tosq; depectunt, & in offas cogunt. Plinio multiplex legendi ratio quanquã hoc forte ca su atque iniuria fieri odores plures tradidere, capras maleficũ aliàs frondibus animal, odo ratorum fruticum expetentius, tãquam intelligant pretia carpere germinum, caules præ dulci liquore turgentes, destillantemq; ab ijs succum improbo barbarum uillo detergere: hunc conglomerari in puluerem & incoqui sole, & ideo in ladano caprarum pilos inueni ri. Sed hoc Arabia gloriatur, nec alibi gigni tradunt, quàm in Nabathæis, qui sunt ex Ara bia contermini Syriæ. Recentiores ex authoribus strobon hoc nominãt, traduntq; syluas Arabum, pastu caprarum infringi, atq; succi lentorem uillis inhęrescere. Verum autem la danũ Cypri in insula nasci, inibiq; legi uolunt, hircorũ barbis genibusq; uillosis pendens. Sed cisthi flore deroso pastibus matutinis, cum est rorulenta Cypros, deinde nebula sole discussa in puluerem, madentibus uillis adhærere, atq; ita ladanũ depecti. Herbam in Cy pro ex qua fit, ladan appellãt, illi ladanum uocant huius pingue insidens. Itaq; attractis fu niculis herbam eam conuolui, atq; ita in offas digeri. Ergo in utraq; gente bina genera, ter renum & factitium. id quod terrenum est, friabile: factitium lentum. Fruticem esse connu merant in Carmania, in quo ut gummi ladanũ colligitur, laxati cortices uulnere, & capri nis pellib. excipiũ. Aliud genus in Syria & Africa toxicon appellari placuit, quia neruos in arcu lana circundãtos trahunt per syluas, adhærescente roscida lanugine. Hoc grauissi mum odore est, & durissimum tactu, plurimũ enim terræ colligit. Adulteratur myrti bac cis & animaliũ sordibus. Synceri odor debet esse ferus, & quodam modo solitudinem re dolens, ipsum uisu aridum statim mollescere, accensum fulgere, odore iucundo gratum. myrtata igne crepitant. Placet cui è rupibus calculi potius quàm puluis obhæreat, hoc e nim syncerius putatur. Probatur tamen maximè purum, molle, odoratum, colore subuiri di, pingue, resinosum, sine arenis, sine scabritie, quale Cyprus insula mittit. In Arabia Afri caq; nascitur, sed minus nobile. In officinis nomen retinet. Aetius cisthon è qua ladanum fit, eandem esse cum cistho nostrate, sub qua hypocisthis prouenit, adfirmat: sed naturę ca lidioris ob soli cõditionem. Non est hic omittendum hederam quidem putari cisthon Pli nio, cuius matutinis pastibus eroso flore, quũ roscido liquore scatet Cypros, madentibus caprarum uillis ladanum inhæresce re, atq; ita sole & puluere glomeratũ depecti. Hic Pli nius pro cistho cisson, id est hederam uidetur accepisse, cum Dioscorides, Galenus, Pau lus, & omnes qui de natalibus ladani scripserunt, de cistho frutice legi pronunciarũt. Nec etiam Plinius aliter sentit, qui ledum herbam appellari tradit, ex qua ladanum fiat, in Cy pro caprarũ barbis adhærescens. Hoc idem cisthi genus à quibusdã ledum uel ladũ uocari Dioscorides est author, cuius iudicio Paulus subscribit, tradens ladanũ à cistho ladane uo cata gigni, quam depascentes capellæ suis barbis, & uillosis cruribus, succulentum & pin guius ex herba deferũt, quod congestũ ladanũ est optimũ medicamen. Galenus cisthon, è qua ladanũ fit, nõ alterius esse generis à nostrate tradit, sed excellentius, q; calidioris na turæ solũ nãcisca tur. Facile ijs ostẽditur ex frutice uel herba cistho, nõ ex hedera, insiden tem hunc lentorẽ decerpi. quem modũ apertissimè fatetur, nec it inficias, germinũ caules dulci liquore turgentes, distillantemq; succum improbo barbarũ uillo detergeri. Sed quo nam pacto in Cypro insula hederæ floribus derosis, in qua, si Theophrasto credimus gra uissimo authori, ne hedera quidem nascatur, qui hederã frustra ab Harpalo satam in Asia adfirmet, cum nulla cura eualuit, ut inibi comprehenderet. Cypros uero insula omni con sensu ad Asiam spectare noscitur: nec Plinius reclamat, hederam tamen iam in Asia nasci scribit. Verum totam controuersiæ huius originem manasse credimus, q; Plinius Theo phrasti fretus authoritate, duo fecerit hederę fastigia, marem & fœminã. Maior traditur mas, corpore et folio duriore ac pinguiore, flore ad purpurã accedẽte. Vtriusq; flos similis est syluestri rosæ, nisi q; caret odore. Theophrastus sexto stirpiũ, ut mendosus est codex, duo statuit hederæ genera marẽ & fœminã: quoniã altera maius, durius, pinguius q; foliũ

habeat

habeat, floremq; ad purpuram inclinatũ. Ambobus flores syluestribus rosis proximi, minores, sine odore. Sed sibi parũ cõstitisset Theophrastus, qui tertio historiarũ tria summa tim hederæ genera prodidit: & statim sexto, duo tantũ genera solo sexu discreta retulisset. Hæc itaque de cistho dicta creduntur, cui sexus uterque assignatur à Dioscoride. Flos masculo punicæ mali, fœminæ albet, utercq; tamen rosaceus. quod idem quoque Plinius asserit. Nemo, quantum equidem arbitror, florem in hedera conspexit syluestri rosæ similem, in mari ad purpuram, in fœmina magis ad cãdorem uergentem. Sed is florum habitus in cistho reperitur, nõ in hedera, cui lanugineum Theophrastus non roseum reddidit. idem quoq; sexus discrimen adest, flos utriq; rosaceus. De cistho itaq; uerba Theophrasti, non de hedera sunt intelligenda, cum nusquam rosacei in hedera spectentur, sed huius generis in cistho prodeant. Cæterum facilis fuit græcorũ librariorum lapsus, qui cisson pro cistho scripsitarunt: exemplariorumq; fidem sequutus Plinius, quum rem parum Italiæ familiarem depingeret, imponente uocabulorũ germanitate, cisthon cum hedera confudit. Auxit huius lecturæ suspicionem, quòd authores, qui suo seculo de hac re nõnihil memoriæ prodiderunt, cissarum quasi hederaculam interpreteris, aut potius hederaginem dici contenderent. In idem lubrico lapsu uitium Theodorus incidit: sed honestus error bonos duces sequi. Sunt qui nec immerito Plinij patrocinium susceperunt, qui fuerit de uita & literis quàm optimè meritus. Sed de his hactenus. aliqua etiam inter hederæ species quæ ad rem faciant adducemus. Cistho astrictoria uis inest, quòd prodest dysentericis, & resolutionibus uentris in uino austero, tribus digitis flore capto, & similiter bis die poto. Per se nomis illinitur: cum cera ambustis, & item tusis ulceribus. Sub hac nascitur hypocisthis, constringentior tantum atq; siccantior. Arefacta in umbra sistit aluum ex uino austero nigroq;. cœliacis itidẽ auxiliatur. usus in sicco spissat, siccat. Stomachi rheumatismos emendat. Tribus obolis potus, sanguinis excreationes cohibet. Fœminarum proluuiem potu & infusu supprimit. Succus eius ut acaciæ extrahitur: aliqui tamen arefactam cõfringunt, macerant, decoquunt, cætera ut in lycio prosequũtur. in summa uices habet acaciæ. Ladano natura spissandi, molliendi, calfaciundi, aperiendi. Capillũ fluentem cohibet, eiusq; nigritiam custodit: ideoq; canitiem arcet. Cicatrices ad uenustũ colorem reducit, cum uino illitum. Auribus quę doleant, cum hydromelite aut rosaceo infunditur. Sanat furfures cutis, & manantia ulcera sale addito. Secundas euocat suffitum. Fluentem firmat aluum, ex uino uetere potum. Pessis inditũ uuluæ duritias emollit. tussim ueterem finit cum styrace sumptum. Somnum allicit, & urinam ciet. efficacissimum ad ructus.

Citrus, è qua mensæ fiebant. Thya. Trogetes. Cap. LXVIII

Citrus arbor est alia omnino ab ea, quæ citrea mala producit, syluestri cupresso similis, caudice, folio, odoratu, multo in medicina usu. Seneca testis est in obiurganda temporum suorum luxuria, quòd citri radices insanis licitarentur pretijs, ad mensarum lectorum'que ornamenta. Fuit & pugillarium decus ut scriptum reliquit Martialis,

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Lybici nomine dentis onus.

Laudabantur tigrinæ crispo uenarum discursu, circa uerticem uario aut intorto: ad hæc undatim crispæ, maiore gratia, si pauoninæ gẽmantes oculos imitabantur. Proxima commendatio apianis, ex re dictis: quoniam in ijs crispi ueluti grani congeries muscarum similitudinem æmularetur. Mulsi colos in eo placebat, suis refulgens uenis. Mensæ illæ ueteribus decantatæ, præsertimq; Ciceroniana, ex hac fuisse citro pluribus conijciuntur argumentis: sed illo potissimum, quòd arbores ex quibus fierent, similes folio, odore, caudice à Plinio produntur, Anchorano monte citerioris Mauritaniç, qui laudatissimam dedit citrum, iam exhausto. Item Atlante, quod etiam Martialis disticho cognoscitur,

Accipe felices Atlantica munera syluas,
Aurea qui dederit dona minora dabit.

Cuius imas radices densis altisq; repletas syluis incognito genere arborũ Suetonius Paulinus asserit, spectabili proceritate, enodi nitore, frõdibus cupressi: præterq; grauitate odoris. has tenui lanugine obduci, quibus addita arte, possint quales è bõbyce uestes confici.

Efficacissima

Efficaciſſima luxuriæ uis ſentitur, cum ebori, cedroq; ſyluæ exquirãtur. Sed nemo poteſt inficiari, arborem, ex qua celebres menſæ conſtabant, & trogetem, & thuiam & thuion à Theophraſto & Strabone dictam eſſe: idq; Plinius exploratiſſimũ nobis reliquit, quum hanc arborẽ ab aliis trogetem, ab aliis thuiã uocari prodiderit. Thuia ut eſt author Theophraſtus, perpetuo uiret, arbor procera, inter ſylueſtres ſerotina, ut nulla ferè tardius germinet. Algentiſſimis locis et montium cacuminibus gaudens, circa Ammonis delubrum præcipua, naſcens & in Cyrenenſi agro, ramis, caudice, frondibus, ſylueſtri cupreſſo ſimilis. ex eaq; refert memoratas ueterum templorum contignationes fuiſſe, quandamq; immortalitatem materiæ in tectis contra omnia uitia incorruptæ. Nihil radice criſpius, nec aliũde pretioſiora opera. Fert, ut quibuſdã placet, in fructu nucleos hordei grano ſimiles, longiores dũtaxat, exiliores, & duriores, guſtu amaro: quibus præſumptis arceatur ebrietas. Inter pauca nitidioris uitæ inſtrumenta hæc arbos fuit. Nota etiã Homero, inter odores uri ſolita in delicijs Circes, magno errore eorum, qui odoramenta in eo uocabulo accipiunt: quũ præſertim eodem uerſu cedrum & laricem unà tradat, ut manifeſtum ſit de arboribus tantum locutũ. nam & Calypſus & Helenæ thalamos è thuia cõditos idem Poeta cecinit. Quid habẽt citrus noſtras cõmune cum cupreſſo? frondes cupreſſo iuniperi, ſabinę, cedri, citro lauri, adrachnes, arbuti. Quid tam diuerſum q̃ galbulus & malũ citreum? Adde q̃ natales multum inter ſe uidentur diſſidere. nanq; citrus illa montes gelidiſſimos amat: hæc noſtras frigora ſupra modũ odit, calidis tantum tractibus familiaris. nam gelicidia uſq; eo horret, ut hyemis tempore nõ niſi turbinibus cadorũ ſubtecta, quo uindicetur ab algore, ſeruetur: q̃ ſi frigidioribus pateat, actum de ea eſt. Omitto alias notas, quibus cõſpicuò liquet, arborẽ, ex qua citreę menſæ olim factitabãtur, à noſtrate citro penitus abhorrere. Dion hiſtoricus in Neronis uita cedrinas menſas appellauit, q̃ cedro ſimiles eſſent: niſi in exemplari uitium ſit, quod ferè ſuſpicor. Erit ergo citrus, ex qua celebres illæ menſæ fiebant, trogetes & thuia idem arboris genus. Proximum uidetur lignum, quod patrum noſtrorum memoria, magno fuerit in honore: *madarum* uel potius *madrum* uulgus nominat, nõ illepido nitore placens, ambitioſo uenarum diſcurſu, ſeſe undulatim criſpante, interuenijs multiplici formarũ decore ſplendentibus, punctorumq; aceruo exhilaratis. Huic in totum atro propior color, maculæ ue diſcolores, ſed tãto in pretio habitum eſt, ut & potorijs uaſis & lancibus dicauerit auita mundities. Et ſi forte fortuna fatiſcerent in rimas, hiatus oras infibulantibus auri bracteis aut argenti laminis fideli nexu iungerent, ne futilia ſuum humorem eiaculentur, aut ſiquid fractum abſceſſiſſet, eiſdem ferrumina rent. Tanti lignum hoc eſt æſtimatũ, ut diuortij damna tam pretioſis metallis reſarcirẽtur. Materiæ declarat æternitatẽ duratio, quando ducentorũ annorum ferè uaſa in ædibus ſacris inueniuntur, nullam adhuc cariẽ ſentientia. abijtq; mos in uulgus uocandi ligna, quæ lepide undulato criſpatu fluctuarent, *madrata*. Sed artifices fabros cõſuluimus, quodnam eſſet hoc genus ligni, quo hæc uaſa torno confingerent: ſe de negotiatoribus accepiſſe reſponderũt, eſſe ſylueſtris cupreſſi uel cedri genus, deferri partim è Syria, partim ex India. Quapropter etſi in hoc ligni cenſu reponendum non fuerit, ad eius naturam, uenerem criſpatumq; proximè accedere ſatis cõſtat. Sed iam ferè ligni huius exoleuit uſus. Cæterum authorum placita cogunt fateri citrum duorum eſſe generum. Vnum cedri ex qua menſæ dolabantur: alterum citri eius, ex qua malũ medicum prodit. Sentiensq; diſcrimen hoc Plinius, alia eſt, inquit, arbor eodem nomine malum ferẽs execratum aliquibus odore et amaritudine, aliis expetitum: domos etiam decorans. hodieq; Mauritani malũ medicum, & pomum eius atrogi uocant, à trogete uocabulo parum deflexo, aut quia mandi non poſſet, quandoquidem ueteribus eſculentum non erat. Hoc etiam diſcrimen olfecit Macrobius, Opij authoritate fretus, qui citream malum in Italia, alteram in Media gigni tradit. Addit pomum eſſe odoratiſſimum, quod interiectum ueſti, tineas necet. Fertur & uenenis contrarium. Generantur omni tempore in Perſide citrea mala. alia enim pręcarpuntur: alia interim matureſcunt. Sed hęc de noſtrate citro dici euidentius eſt, quàm ut probari deſideret. Homero citreum thuion appellari odoratumq; pomum eſſe, qui θύϊον ἀεὶ λαχάνοις ἀναθώσῃ, id eſt thuion bene olere tradit, & ueſtibus interponi. ſed id quoque de ligno poteſt audiri.

Citrea ma-

Citrea malus, seu Medica. Cap. LXIX

Citrea malus seu Medica, quam & Persicam authore Theophrasto, & Assyriam Plinio referente uocant, cuius pomum uulgo *citreum* appellant. Arbor est omnibus horis pomifera, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis uerò ſubnaſcentibus malis. Folio lauri, intercurſantibus ſpinis, fructu perēni. Pomi effigies caperata rugis, prælonga, interdum rotundior: aureus colos, gratus odor, acidus ſapor, amara intus pyri grana. Theophraſtus ei folium unedonis uel adrachnes aſſignat, intercedentibus ut in pyro & oxyacantha leuibus aculeis, ſed infeſtis mucrone ualidiſq;. Pomum odore præcellit, folium quoq;, qui tranſit in ueſtes unà condi tus, arcetq; animalium noxia. Folium ei quale unedonibus: tātum in eo differt, quòd acu leatum, ſpinulentis faſtigijs hiſpidatur. Geſtat arbor malum inimicū uenenis, ſapore aſpero, amaritudinis miræ, odoris fragrantis, pluſquā iucundi. Verum illius tanta ubertas inēſt, ut onere prouentus ſemper grauetur. nam protinus atq; poma eius ceciderunt maturitate, alia protuberant: eaq; tantum eſt fœcunditati mora, ut fœtus decidant ante nati. Celebrata hæc arbor ijs carminibus quoque Mantuanis in ſecundo Georgicon,

Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporem
Felicis mali: quo non præſentius ullum
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ:
Miſcueruntq; herbas, & non innoxia uerba:
Auxilium uenit, ac membris agit atra uenena.
Ipſa ingens arbos, faciemq; ſimillima lauro:
Et ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia uentis:
Flos apprima tenax: animas, & olentia Medi
Ora fouent illo: & ſenibus medicantur anhelis.

Quæ omnia cum Theophraſto conueniunt. Non mandebatur pomum Theophraſti ætate, ſed ne Plutarchi quidem auorum memoria, guſtabat nemo, ut Athenæus ſcriptum reliquit. Arbos primum non niſi apud Medos, & in Perſide naſci uoluit: quanquam tentauere gentes transferre ad ſe, propter remedij præſtantiam, fictilibus in uaſis dato per cauernas radicibus ſpiramēto. Hæc eſt, cuius grana Parthorum proceres incoquere traduntur eſculentis, commendandi halitus gratia. nec alia arbos ęque laudatur in Medis. Tandem Palladij diligentia in Italia primum coaluit: hunc ſolers imitata poſteritas, eam Galliæ Hiſpaniæq; communicauit, à quo tempore promiſcuum expetitur cœnis pomum. etſi antea forſitan edendo non eſſet, medullas eius acres dulcis cibus mutare docuit. Vſurparūt iam ſibi nemora & aliæ nationes per induſtriam translati germinis & inſiti, cultusq; mangonium in plures digeſſit formas ita, ut remiſſiori ſapore uehementioriq;, ita dilutiori ſaturatioriq; colore differrēt. Quæ auri colore relucēt poma, *aurengia* uulgus appellat: quæ ex uiridi in luteum langueſcunt, *citreola* & tandem *citrula* nominātur. Quæ ouata ſpecie turbinātur, ſi luteo colore nitent, *citrangula*, priuatim *citrea* uocant. Si herbaceo colore uirent, *limones* dicunt: ſi prægrandia modo melonū orbiculata facie turgent, *ponceria* uulgo quaſi cerea uel potius citrea poma dicunt. Sed hæc omnia ferè uernacula ſpecierum nomina à citro deflexa cognoſcuntur. Porrò malum aſſyriam & perſicam, & *citrum* & *citream* arborem communiter nominare ſolent. Pamphilus teſtatur citriū Romanis dici. Galenus mali medicæ pomū, citrū iam ab omnibus nominari tradit. Athenæus memoriæ prodidit Iubam Maurītanorum regem peritiſſimū in ijs quos de Libya ędidit commentarijs, citrum apud Lybes heſpericū malum dici, & ab Hercule translatum id in Græciam, dictumq; inibi à quadam auri ſimilitudine, aureum malum. quod ædidiſſe Tellurem nunciato Iouis et Iunonis connubio fabulantur, unde nuptiale pomum hoc intelligi uolunt. Negauit Athenęus apud uetuſtiſſimos authores citri nomen inueniri. Ereſij tamen Theophraſti uerba me cogunt (inquit) fateri de citrijs audiēda, quæ quarto de plantarū hiſtoria philoſophus ſcripſit. Ea ideò ſubdidimus, ut nōnulla, quæ tam Græcis q̄ Latinis codicibus deſiderantur, ſuis locis reddi poſſint. Media, inquit, regio & Perſis permulta fert alia, & malū quod perſicum aut medicum nominatur. Habet hæc arbos folium conſimile & penè par lauri,

potulacæ

potulacę,& nucis iuglandis:aculeos,quales pyrus,aut acuta ſpina:ſed leues,acutoſq; uehementer, & rigidos. Pomũ eius non eſtur, ſed ipſum odore pollet,& arboris foliũ. Et ſi ueſtibus interferatur malũ,eas ab offenſis uindicabit. Vtile etiã,cum lethale uenenũ quis hauſerit:quippe cum in uino datũ cieat aluum,et uenenum exigit.oris quoq; ſuauitatẽ cõmendat.Et ſi quis in iure coquat,uel in quodã alio liquore,expreſſis pomi interaneis ſuccum ſorpſerit,ſuauẽ halitum concíliabit.Semen extractũ uere ſulcis diligenter ſubactis ſeritur:rigatur deinde quarto aut quinto die:cumq; uegeta fuerit, transfertur iterũ uerno tẽpore ad molle udumq; ſolũ, nec admodum gracile. Arbos ipſa omnibus horis pomifera eſt,aliis ruẽtibus,aliis ſubnaſcẽtibus,aliis matureſcentibus.Soli flores, qui uelut erectã in medio colũ gerũt,fœcundi credũtur:qui uerò ea careãt,ſterileſcũt infertileſq; labũtur. Seritur & fictilibus(ut palma)dato radicibus ſpiramento per cauernas.Ea de odore,colore, foliis dicta à Theophraſto ad citrũ noſtrã referuntur,ut cenſet Athenæus.Nõ eſt diſſimulandũ,Phaniã Ereſſiũ uolumine ſtirpibus dicato,cedrũ appellaſſe,ac malũ cedriũ, pro eo quod nos citriũ & citrũ uocamus,& Dioſcoridẽ ſecuti cedromelũ. Varro Libycã citrum nominat.Quin &(ut Athenæus refert)omnibus perſpicuũ eſt,citriũ malũ adſumptũ ueneficij cuiuſlibet amuletũ eſſe,quod à fidẽ faciẽte ciue didicerat,qui ſecundũ leges ab Aegyptiorum magiſtratibus latas,malefícos quoſdam damnauerat nebulones,quo ſuorum facinorum luerent pœnas,feris in prędam exponendos,quos oportebat omnibus beſtijs obijci. Verum antequam in theatrum deſcenderent, in quo fures & prædones ſupplicia pendebant,in itinere caupona quædam uicem eorum dolens, ſortiſq; miſerta,quæ in manibus tenebat edens,dedit citria,quæ recepta manducarũt:nec multo poſt immanibus & ferociſſimis beſtijs oblati & ab aſpidibus demorſi,nihil moleſtiæ ſenſerũt. Tum præfectũ dubitatio cepit: rogans denicq; militem , cui reddita fuerat cuſtodia, ſi quidpiam ediſſent aut bibiſſent, ubi certior factus eſt, citrium ex integra ſimplicitate donatum,poſtridie iubet uni præberi,alteri denegari. qui comederat,demorſus nihil incommodi paſſus eſt:alter illato ictu cõfeſtim interijt. Qua re multis probata,factoq; frequenter periculo,tãdem inuentum eſt omni exitiali medicamento præſenti eſſe remedio.Et ſi quiſpiam hoc malũ, ut ſua fert natura,cum ſemine coxerit in melle,tabeſcẽs reſoluitur,Ex quo iure ſi quis mane binos ternoſue digitos ſumat,nullum nociturum uenenum. Quòd ſi quis ijs uerbis fidem non habeat,conſulat fidelem ueracemq; Theopompum Chium,qui magnam expẽdit pecuniã ad exactam hiſtoriæ huius diſquiſitionem.Qui duodequadrageſimo ſuarum hiſtoriarũ uolumine,Clearchum Heracleotam Pontí tyrannũ, narrat multos ueneno neceſſe,populumq; gratã huius medicamẽti potionem non ignoraſſe. Citrea malus,ut Florentinus rei ruſticæ græcus author poſteritatis memoriæ mãdauit,ab autumno ad æquinoctium uernum ſeritur. Gaudet abundo humore.Hæc arborum ſola iuuatur Auſtro,& Aquilone lædítur. Vbi fructus increſcens degrauat,multa detrahere poma conueniet, & pauca relinquere:ſic altilia uegetiore proficient incremẽto,& in maiorẽ perducẽtur craſſitiem.Porrò ſi quis nutrire uelit,loco parietibus contra ſeptentrionẽ munito,uel in meridianam partem uerſo,diſponat hanc arborem. Cæterũ hybernis menſibus,tegetibus aut ſportulis tectam uellet.Iuuari creditur maximè circunſitę cucurbitæ flagellis.Quippe cũ ea naturali quadam ui inſiſtente à frigorum iniurijs uindicant: cucurbitarum combuſtæ uites citri radicibus cinerẽ præbent utiliter inſpargendum. Si pubeſcens malũ fictili uel uitro claudatur,per incrementa formã uaſis contrahet,& tanta magnitudine,quanta uas, extuberabit.Ad hoc autem pomũ uidetur incumbere:ſed cauetur foramen,per quod aer inſpiret. Quinetiã ſcitu dignũ ſuccurrit, ꝙ arbos citri ſterilis erit quæ beneficio inoculationis coaluerit. Idem nõ ſub cortice,ſed fiſſo trũco more uitis inſeri debet.Si ſubacto gypſo pomũ oblinas,noxis omnino non patebit. Ea ſtirps,utpote ſuapte natura tenerior, ſi paucam glaciem experiatur,ſyderata cõtabeſcit.Quare diuites,& qui dant operã genio, extorquent,ſub fornices concameratos ad ſolem ſpectantes,& inibi propter parietẽ cõſerunt,& copioſo rigant humore.At ubi æſtas effulſerit,fornices apertos ſole ſinũt illuſtrari,& eius tepore foueri: appetente uero hyeme retectas arbores ſtramine uelant. Si rubra citri poma uoles efficere,ſurculum moro inſerito, & malum rubrũ dabit. Inſeritur & punicæ malo,ſed ſurculi deſuper qualo muniendi.Porrò ut Anatolius refert,ſeritur ſemine,

talea,ramulo,claua.Rami duo principia in ſcrobiculo pãguntur & obruũtur,ſurſumq; ut ita dicã,à fornicato flexu tumeſcens,germina præbebit. Sed talea & claua quæ flecti recuſet,in caput deponitur.Quod uerò craſſius fuerit,ſurſum emergat: tenuius in terrã defigitur,ſiculneuſq; cinis inijcitur.Si granis uis ſerere, ita facis.terram in duos pedes fodis, cinerem miſces,in areas breues digeris,ut utrinq; per canales aqua diſcurrat:in ijs areis palmarẽ ſcrobiculũ manibus aperis,& tria grana,deorſum uerſo cacumine,iuncta cõſtituis, & obruta quotidie imbrẽ inſpargis,ut quotidianis rigatiõibus animata ſemina melius adoleſcãt.acres medullas mutant,ſi per triduũ mulſa macerẽtur. Quin citius procedent,ſi beneficio aquę tepẽtis utaris:enatis germinibus proxima rũcetur herba.poteſt hinc trima trãsferri. Sũt qui cõmodius ſeri putent clauã longitudine cubitali, utraq; parte læuigatã, nodis & aculeis reciſis:ſed integra ſũmitate gemmarũ, per quas ſpes futuri germinis erũpat. Talea & breuior & gracilior eſſe debet, quæ ſimiliter ut claua mergitur. Verũ talea palmis duobus extare debet,& claua omnis obrui.Quidã fimo bubulo adlinũt,uel marina alga ueſtiunt,uel argilla ſubacta utriuſq; extrema cooperiũt, atq; ita paſtinato ſolo deponunt.Arbos amat terram rarioris naturæ,cælum calidũ, alijs arboribus nõ debet anne ctí:irriguis locis maximè gaudet.Calidis partus nõ alternat,nec reſtibili, ſed perpetua fertilitate pomificat,alijs pubeſcentibus, alijs adultis, alijs maturitate caducis.Sic gradatim ſuccedunt poma,maturis ſe ſubſtituũt acerba, acerborũ ætatẽ florẽtia cõſequuntur, orbẽ quendã cõtinuę fœcũditatis ſibi miniſtrãte natura,quæ hanc fœturã nõ interpellat.In Pariſienſi agro,cadis terra plenis mergitur, & apricis exponitur ſoli,frigoribus ſub tecta refertur.Tradunt mediũ mali dulce fieri,ſi truncus obliquo foramine ab imo terebretur, ut altera parte nõ exeat:ſed ex hoc humorẽ fluere permittunt,donec poma formentur,tũ foramen luto replent. Idem fieri confirmãt,ſi ſemina priuſquã ponãtur,ouillo lacte maduerint. Africanus ſcriptũ reliquit modũ quo uel humanã, uel animalis alterius induet imaginẽ,ſi gypſo uel luto ſiccęſcente hãc obducens,mucronis acie bipartito,uidelicet in anterius & poſterius diſſecueris,ut ea iterũ aptè poſſint coniungi, poſtea in fictilia torrueris: cumq; pomũ ad dimidiũ peculiaris incremẽti peruenerit, ijs formulis claudes,diligẽterq; uinculis diſtringes,ne obuoluti pomi perauctu fictiles typi diuellãtur:& ſiue malum,ſiue pyrũ,ſiue punicũ,ſiue citriũ fuerit,breui has exprimet effigies, necnon has animaliũ figuras repręſentabit,quorũ & habitũ & imaginẽ mẽtiri placet.Sotion rei ruſticæ celebris author,iubet pomũ citri ſubacta gypſo ſtudioſe perlini,ut toto anni curriculo inoffenſa integritate illæſum omni uitio ſeruetur.Citria mala nõ putreſcere promittit,quæ aceruis hordei fuerint obruta.Tradunt alij malũ per totum annum cuſtodiri,ſi uaſculis quibuſcunq; claudatur.Sed ſi legere uelis atq; ſeruare,illuni nocte cũ ſuis foliatis ramulis carpes,& ſecreta diſpones.Alij ſingula ſingulis fictilibus claudunt,et opaco loco ordinata cuſtodiũt. Plerique in cedri ſcobe,uel in ſtraminibus minutis, uel in paleis tecta ſeruant. Citrea cõtra uenenũ in uino bibuntur,uel ipſa,uel ſemen.Oris halitũ & ſuauitatẽ cõmendant decocto eorũ colluto aut ſucco expreſſo Edũtur efficaciſſimè in malacia prægnãtibus,ut quæ huiuſcemodi faſtidia tollãt,Ipſa etiã cõtra infirmitatẽ ſtomachi facillimè mãduntur. Veſtijs cõdita creduntur arcere eroſionũ noxas.Aetio cortex excalfacit,& reſiccat tertio receſſu:caro autẽ refrigerat & humectat primo.Acida pars tertiã frigidorũ ſedẽ tenet.Semini quidã tertiã calidorum & ſiccorũ claſſem aſſignarunt:alij ſecundã tantũ.Caro difficulter concoquitur,craſſamq; creat pituitã,ob hoc in melle cõmodius eſtur.porrò cortex ciborũ cõcoctionẽ adiuuat.Aduerſus atrã bilẽ,& triſtitias quas excitat,opitulatur.Stomachũ mediocri uſu bene habet, immoderato coctionem uitiat.Melle conditus uentrẽ calfacit,& humorem qui coijt expurgat,ciborumq; coctionem molitur. Semen omnibus uenenis aduerſatur,priuatim morſibus ſcorpionum & potu & appoſitu reſiſtit. Mẽſes ciet, ſed abortu partus elidit.Acida pars flauam reſtinguit bilem,arcetq; peſtilentiæ contagia. Sed mirũ quod proditur,caldo pane citrijs ſuperpoſito, celerius putrilaginẽ cõcipere,& in corruptionẽ agi. Ferunt oculũ noctem integram ſucco illitum in obliquum torqueri.

Colycea & Colutea. Cap. LXX.

COlycea arbor circa Idam prouenit, alioqui rara inuentu,fruticoſa,ramoſaq;,& multis alis cõcaua.Folio ulmi,longiore, ſatis ad latifoliæ laurus accedente,ſed ampliuſculo

culo & rotundiore, ſupra uiridi, infra cano neruoſoq; prætenuibus neruulis fibriſq; de me
dio callo in coſtarũ ſpeciẽ adductis. materie ſolida, cortice non læui & quaſi uitigíneo ue
ſtitur. Radicibus per ſumma gracilibus & ſolutis, cæterũ fibratis & mirum in modum fla
uis. Sterilis & flore uidua. Surculos tamen gemmaſq; circa folia pingues, læues, cãdidos,
amentacea facie fundit. Præciſa, uel ignibus exuſta, ab imis rediuiua reſurgit. Eſt & alia
apud Theophraſtũ nominis eiuſdem, folio ſalicis, comoſa, ramoſa, in totumq; ampla, ual
uulis legumínum more non anguſtis, in quibus ſemen latũ, paruũ, durũ non nimis, nec a
bunde pro magnitudinis ratione fructificet. Sed perpaucæ & inuentu raræ arbores, quæ
ſiliquẽtur. hanc Plínio ſtaphylodendrũ dici exiſtimant, arborem trans alpes, ſimillimam
aceri, albã in materia. fert ſiliquas, & in iſs nucleos ſapore nucis auellanæ. Colutea Li
paræ peculiaris à Theophraſto traditur. Arbor magnitudine prẹſtans, fructũ ferens in ſi
liqua magnitudine lentis, qui mirum in modũ oues ſaginet. Naſcitur ſemine & ſimo præ
cipue ouillo. Serendi tẽpus, cum Arcturus occidit. Mandari ſolo debet præmaceratum,
cum iam in aqua germinare cœperit. Folium mittit fœnogræco non abſimile. Arbor pri
mũ unicaulis emicat. trima concidendis ſcipionibus & baculis idonea. Si quis nimis de
curtauerit, mox emoritur, quippe quæ lateribus haudquaquã frutícet: ſpargitur deinde
in ramos, quadrima prorſus arboreſcit. Colutea magni Alexandri ętate non temere alibi
quàm in Lipara naſcebatur, iam tamen in Gallia prouenit, omnibus nota *bagenaulde* nomi
ne. Nanq; frutex eſt quadriennio ſe in arborem efferens, ramis exilibus, folio fœnogræci,
membraneo folliculo, pellucente, prætumido, & ueluti quodam ſpiritu diſtendente turgi
do, ita ut digitis ſi prematur, crepitans diſſiliat, in quo ſemen atrum, durum, latum, lentis
magnitudine, piſi guſtu. Mauritani ſermone ſuo uernaculo *ſene* nominant, duoq; eius
faciunt genera, ſuæ ſpontis, & hortenſe. nam & ſemine naſcitur in ſimo præcipue ouillo.
Addunt ubiq; ſiliquas oblongas, quibus ſemina in ordinem utriuſq; digeſta clauduntur,
tenui pendere pediculo. Ob id facile uentorum impetu deturbari, hærenteſq; pertinacius
pertícis decuti. Caducas opiliones legunt, ſaginandis ouibus perquam utiles. Demiror
hãc arborẽ Theophraſto celebratã, à Plínio, Dioſcoride, Galeno, Pauloq; prætermiſſam:
cuius & ſiliquarum & foliorũ ſurculorumq; tantus eruperit uſus, ut apud poſteros nul
lũ non ſit repurgans medicamentũ, quod eius miſturam nõ admittat. Id tamẽ mirari uenit
in mentẽ, oues huius eſu pingueſcere & ſagina quadã exhilarari, homines macreſcere &
inaniri. Sed quæ poſteritas græcorum medicorũ memoriæ mãdauit, paucis exponemus.
Actuarius ſiliquoſum quendã fructũ à barbaris uocari tradit, qui citra noxã denarij pon
duſculo potus pituitam & bilem deijcit: ſecundum has reliquos humores modeſtiſſime
purgat, retorridã atramq; bilẽ, earumq; ſuffuſiões ex gallinaceo iure depellit. Vetuſto ca
pitis dolori, ſcabiei, comitialibus, impetigini ſuccurrit. Sed feruefacti ius potius, cẽq; triti fa
rina propinatur. Interaneorũ obſtructiones explicat, puluerís modus drachma, in deco
cto ſemuncia.

Cornus arbor. Cap. LXXI.

Ornus Grẹcis crania, arbor duodecim ſẹpe cubitorũ, cortice neruoſo, tenui:
caudice haud ita craſſo, neque ſemper recto, atq; etiã nodoſo: ſed ita ſolido,
ut cornibus ſpiſſitate nõ abſimilis reſpondeat. folio amygdalæ, ſed craſſiori
pinguioriq;: flore & fructu oleæ, dulci, grato odoratu, pluribus cornis ſingu
lari pediculo depẽdẽtibus. Sed hẹc de mare tradũtur: nã fœmina, quẹ Theo
phraſto thelycrania quaſi fœminicornus dicitur, caudice fungoſo & inutili, uirgulis in
ſtar amerinæ fruticat, autumnalibus baccis perquam acerbis, & cunctis animantibus gu
ſtu intactis. Prẹcox cornus circa æſtiua ſolſtitia fructũ reddit, ſerotina poſt autumnũ, quã
aliqui fœminã nominant: ſed tãto inter eas diſcrimine, ut maſculæ robuſtior ſit materies,
excors, & firmiſſima, cornus in modũ oſſea, prẹdẽſa: fœminẹ infirma, hiãs, mollis, medul
la prægnãs, fiſtuloſa, & ut inutilis, uenabulorũ uſu dãnata. Mas fructuoſior eſſe ſolet, fœ
mina fruticoſior. uiticulas exiles è lateribus emittit, amerinæ modo ſalicis, Cæterũ nodos
cornus omnis habet per interualla gemínos, & inuicem ut in uitice reſpõdentes. Folium
utriq; amygdalæ, ſed pinguius & craſſius. In Ida mas ſterilis, fœmina fructifera. Fructum
apud Macedones ambæ ferũt: ſed fœminẹ, uti dictũ eſt, qui mãdi nõ poſſit. Radices ut in
amerina firmæ & emori contumaces, nullíq; oportunæ perniciei. Baccæ ſylueſtris corni

maturiores ſuauioréſque quàm urbanæ, quod & in ſorbo peculiare fere eſt. Cornus circa ſolſtitia fructum reddit primo candidum, poſtea ſanguineum. Cornis maturis ſuccus ineſt cruentus. Dioſcoridi fructum fert ſimilem oliuæ, oblongum, per initia uiridem: cum ematuruit, rufum, ceræ æmulum, idoneum cibis: ideóque cornis etiam cura adhibetur, nequid non hominis uentri natum eſſe uideatur. Primo Fauonij perflatu, & interdum antè tã mas quàm fœmina germinat. Montes & ualles dilígit cornus, & in plana nõnunquã ſe confert. ductu facíllima, cum tamen è fortiſſimis ſit. Tam humidis quàm ſiccis locis auulſione ſeminéque prouenit. Lignum propter exilitatem non alio penè quàm ad radios rotarum utile, aut ſiquid cuneandum ſit in ligno, clauiſq; figendum ceu ferreis. Quanq; arbores proximè aluearia ſeri nõ cõueniat, quæ euolantium apum examina inuitent, nec longius abire patiantur: cornum quoque arborem caueri oportet, & procul eſſe melius eſt. nam flore eius deguſtato, aluo cõcita moriuntur. Mas Gallis *cornelia* uocatur, fœmina dumetis & nemoribus familiaris. Sed quòd neglectas & inguſtabiles ferat baccas, indignam quæ corni nomine uocaretur, rura putauerunt. Noſtris corna cum ematuruerunt, in lagena patentiſſimi oris ſatis leuiter & laxè componuntur, ne collidi poſſint: deinde ad fauces uſque commiſſa uimineis ſurculis ſic tranſuerſis arctantur, ut modicè corna comprimant, nec patiantur ea cum acceperint líquorem, ſubleuari: tum quàm optimo & liquidiſſimo melle, uel uicario eius ſacharo, uas uſque ad ſummum ita repleatur, ut corna ſubmerſa ſint. Hæc ratio non ſolum ea cuſtodit, ſed etiam ſaporem mulſei ſaporis præbet, qui ſine noxa poſſit interdum dari febricitantibus, præſertim ſi uentris profluuio ſimul corripiantur: ſuóq; ſubacido guſtu, & palatũ inuitãte moroſam abigit malaciã. Eſt & in India arbor ferẽs fructus corni baccis ſimilis, quæ merito cornus Indica nominari poſſit. Corno facultas aſtringẽdi. Dyſentericis & aluo cítæ prodeſt. Sudor uirgarum lamina cãdente exceptus ferruginẽ cõtrahit, quæ illita incipiẽtes lichenas ſanat. Corna cõdiũtur ſapa, in eſum etiam inueterantur muria oliuarum modo.

Cotonea malus. Cap. LXXII.

COtoneam malum primus Cato nominauit, Greci Cydoniam à Cydone Cretę oppído, unde primũ aduecta. Arbor eſt omnibus notior quàm ut debeat repręſentari, malo uulgari haud quaquã abſimilis, niſi q; infra magnitudinẽ illius ſubſidet, fructu ſcilicet incuruatos deprimẽte ramos, prohíbenteq; parentẽ creſcere. Ad hæc & folium anguſtius à terra caudicat. Pomi figura ſimpliciter exprimi nequit, quoniã cotoneorũ alia inciſuris criſpãtur, colore ad aurũ inclinato: quæ ideo Græcis chryſomela, Maroni aurea mala, ut puto, dicta ſunt. alia cãdidiora præſtãtiſſimi odoris, noſtratia cognominãtur. Quę in hoc genere minori amplitudine & ſerotino prouẽtu odoratius uibrãt, ſtruthea nũcupantur: ſub quibus Neapolitana, quibus ſuus tribuitur honos, comprehẽduntur. Sunt quæ celeriter miteſcunt & ſunt præcocia, muſtea nominãtur. Cotonea ſtrutheis inſita, ſuũ genus fecere muluianũ, quæ ſola ex iſs uel cruda mandũtur. Cætera nõ niſi cocta ueſcendo ſunt. Habentur præterea ſylueſtria, parua, è ſtrutheis odoratiſſima, in ſepibus naſcẽtia. Omnia tamen tenui pubeſcũt lanugine. Tria apud nos inueniũtur genera. quædã minora, rotũditatis in orbẽ circinatæ, odoratius ſpirãtia quæ peculiariter *cognea* uocamus. Alia grãdiora, amplitudine pinearũ nucũ, pauciori lanugine caneſcẽtia, colore tã intus q; exterius aureo, odorẽ nõ tã late iactantia, quæ *cognacea* quaſi cotonacea uulgus noſtrũ uocat. Alia medio habitu interea uiſuntur, ſibi cotoneorũ nomẽ detorquẽtia. Columella tria genera ponit, ſtruthia, chryſomeliana, muſtea: quæ omnia nõ ſolũ uoluptatẽ, ſed etiã ſalubritatẽ adferunt. Aetio ſtruthia dicũtur, quę magna ſint, & ſuauiora, minoriq; placeãt acerbitate. Omniũ fragrãs odor caput ferit. Plinius queritur inſigni taxatiõe ſecũli muliebriter mollis, omnia iam uirorũ & mulierũ ſalutatoriis cubilibus includi, ſimulacriſq; noctiũ conſcijs imponi. Glaucides omnibus alijs malis cydonia præferri ſtruthia et phaulia refert. & ut Athenæus eſt author, ſtomacho matura perquã utilia ſũt. Plutarchus memoriæ prodidit, cotonea mala ſuo præſtãti odore lethaliũ uenenorũ uires retundere, & uehementiã eorũ hebetare. Addit phariacũ præſens alioqui uenenum, in patinã adhuc cydoniũ uel eius ſalgamũ olentẽ, ignauũ fatiſcere, elanguidumq; à peculiari natura, uiribus exhauſtis deſciſcere, illoſq; incolumes & illæſos commiſtum ſeruaſſe, quos inſidiãtes

uenefici

uenefici potionarunt: compertumq; tandem hoc eorum relatu, qui uenenum uenden-
tes rem ita habere deprehenderunt. Cotoneum codymalum uocari Ermon ſcripſit, Pole-
mon floris genus exiſtimat. Cum ſtruthium quis dixerit malū, Apollodorus & Soſibius
minus cotoneū audiunt. Sed aperte cydonium à ſtruthio diſſidere Theophraſtus eſt au-
thor, traditq; ex ſtruthijs cotonea naſci, diuerſáque in Sidone mala prouenire. Eſt autem
Corinthi uicus, ut Euphorion tradidit, quod & Athenienſis Apollodorus, Archita, &
Arrius confirmant: meminitq; Nicander, ex Sidonis hortis uireſcere mala, Cadmiq; fuiſ-
ſe figmenta. Didymus cotonea eodem tempore, quo ceraſia mala ſeri iubet. Democritus
cotoneū cuiuſuis animantis effigiem repræſentare promittit, ſi in formulis inſculptis clau
ſum adoleſcat. Serendis cotoneis tempora diuerſa ſtatuunt, aliqui menſe Februario, uel
ineunte Martio plantas cotoneorū radicatas, in paſtinato ſolo tenuiſſe ſic adfirmant, ut
ſepe ſequētis anni fruge potiantur. Locis ſiccis & calidis extremo Octobri ponātur. locū
frigidum & humectum deſiderant. Si in tepido ſtatuuntur, opus eſt illis rigatione ſuccur-
ri. Ferunt tamen mediocris ſitus ſtatum inter naturam frigoris & caloris. Planis & decli-
uibus gaudent: inclinata tamen magis, quàm deuexa ſequuntur. Cotoneum ſtolone ſatū
degenerat. Serunt nonnulli cacuminibus & talea: ſed tardior in utroque prouentus. Sic
ponendæ ſunt arbores, ne alteram quatiente uento, ſtillicidium tangat alterius. Poma ci-
to matura, & incrementi maioris, aſſiduus humor præbebit. quapropter ut Paxamus tra-
dit rigandæ ſunt, quoties imbris negatur infuſio. Amant circumfodi: quod ſi non præſte-
tur, aut ſterileſcunt arbores, aut earum poma degenerant. Putandę quoq; & collucandæ,
& à uitioſis omnibus liberādæ. Si arbor ægra eſt ut refert Didymus, amurca aquæ æqua-
liter radicibus miſta adfundatur. Si ablaqueatis quibuſcunque arboribus, radices ſimul
& truncos uetere urina humana, uel pecorū lotio perfuderis, uegetæ & uberes adoleſcēt.
Sunt qui radices bubulo felle linent, quod, ut uolunt, à uitijs ſatam arborem uindicabit.
Didymus aſſerit omnem arborem iuuari, fabarum aut aliorum leguminum paleis, aut a
ceribus frumenti circumpoſitis. Tradunt ſuccū herbæ, quæ ruſticis polypremnos appel-
latur, caudicibus illitum arbores à noxa defendere, & largiorem ædere fructum. Quæ po-
lypremnos ſit authoribus agriculturæ, nondum legi: niſi forſitan ſit maius ſedum, cuius
ſucco medicanda omnia ſemina Democritus præcepit, eóque remedio aduerſus beſtiolas
uti, eóque ueteres tuebantur incolumitatem plantarum. id tamen aſſerere non auſim. In-
ſeruntur cotoneæ mali melius in trunco, q̄ in cortice. recipiunt ſurculos propè omnis ge-
neris, punici, ſorbi, omniumq; malorum quæ meliora poma producūt. Democritus lecta
cotonea dolijs muſti mergit, atque ita claudit, quod & odoratius uinum reddit. Fæcę uini
mirum in modum ſeruantur, aut fictile nouum ijs malis aſſignatur, operculóque picato,
in uini dolio cludūtur, ſic tamen, ut fluitent: ita recentia teneri promittit, & uinum in quo
enatant, odorem bonum contrahere: aut in floccis, tomentóue mundo ciſtis diſpoſita cō-
duntur. Itidem plurimo tempore in ſcobe demerſa cuſtodiuntur; quippe ſcobis ariditate
defenduntur. Nec ſecus in ſtramínibus minutis, uel paleis obruta componuntur, Sed De-
mocritus ſuadet in domo non recondenda, ubi reliqui fugaces fructus, uel alij quoque te-
neri reſident: ſiquidem hos ſuo acerrimo ſapore labefactantia uitiant, ſed maximè uuas
in uicino ſitu iacentes marcore conficiunt. Nonnulli folijs integunt, deinde argilloſum lu
tum, aut cretā figularem cum pilis ſubigunt, & ea linunt mala: quæ cū in ſole ſiccata ſunt,
in tabulato reponunt. cumq; poſtulabit uſus, fracto luti tegmine, cotonea, qualia fuerant
indita, inueniūtur. Alij hordeo obruunt: alij dolijs muſti mergunt, atq; ita claudunt. Ea ex
Democriti philoſophi placitorum penu, quæ in agricultura reliquerat deprōpſimus, quę
in alijs pomorum ſalgamis faciunda quoque præcepit. Alij cotonea cruſtant gypſo uel
cera, quæ niſi maturuerint, incremento calycem rumpunt: aliqui in milio ſeruare malunt.
Plerique in ſcrobe duum pedum altitudinis, arena ſubſtrata, fictili operculo dein terra o-
perto. Alij folijs fici inuoluta cuſtodiunt: alij tantum ſiccis & à uento ſilentibus tabulatis
recondunt: alij defruto aut paſſo incoquunt: alij in melle integra dimittunt: Alij ſublatis
omnibus, quæ in medio ſunt, obruunt melle, in quo genere condiendi matura deligun-
tur. Alij creta figlina illinūt, ſiccataq; ſole, ſuſpendunt, in uſu diluētes cretā. Alij decerpūt
cū ſuis ſurculis, eoſq; in medullā ſabuci abditos collocant. Nonnulli hæc eadē in patinas

nouas ſicco gypſo obruunt, ut altera altera non contingant. Nihil tamen certius experientia docuit, quàm ut maturiſſima quæque cotonea ſine macula integraq; ſereno cælo, decreſcente luna legantur, & in lagena noua quæ ſit patentiſſimi oris, deterſa qua canescunt lanugine, leuiter componantur & laxè, ne collidi poſſint: deinde cum ad fauces uſq; fuerint compoſita, uimineis ſurculis ſic ſunt arctanda, ut modicè mala premantur, nec, cũ humore fuerint imbuta, ſuſtollãtur: tum q̃ optimo & liquidiſſimo melle uas uſq; ad ſummũ ita repleatur, ut pomũ ſubmerſum ſit. Sed cauendum, ne quæ in melle cuſtodire uolueris, immatura mala condantur: quoniam cruda ſi lecta ſint, ita indureſcunt, ut uſui nõ ſint. Aliqui oſſeo cultro ea diuidunt, & ſemina eximunt, quòd putent ex eis pomum uitiari, quod ſuperuacuum eſt. Nam ea mellis eſt natura, ut coerceat uitia, nec ſerpere patiatur: qua ex cauſa etiam exanimum corpus hominis per annos plures innoxium ſeruat. Quare ratio adeò certa eſt, ut ſi uermiculus ineſt, non amplius tamen corrumpãtur, quũ liquorem antedictum acceperint. Hæc ratio non ſolum ipſa mala cuſtodit, ſed etiã liquorẽ mulſei ſaporis exhibet, qui ſine noxa poſſit interdum dari febricitantibus, iſq; uocatur melomeli. Atqui nũc ex ijs conficitur expetitus ille cibus, quẽ cydonitẽ appellãt, decoctis cotoneis ex ſaccaro, caryophillis, & cinamomo. Cotonea cõferũt ſtomacho, lotiũ trahũt. Cruda tamen proſunt cœliacis, dyſentericis, purulentũ excreantibus, cholericis. Macerato rum humor ſtomachi atque alui fluxionibus opitulatur. Crudorum ſuccus orthopnoicis auxilio eſt. Decocto eorum fouentur, ſi procidant, uuluæ & ſedes. Quæ ex ijs cruda in melle condiuntur, urinam mouẽt: mel autem eorum naturam induit, quippe quòd aſtringendi conſpiſſandiq; uim combibat. Quæ uerò cocta conduntur in melle, ſtomacho utilia ſunt, iucunda & guſtu: ſed cõſtringentem illam uim ſucci amittunt. Cruda in cataplaſmatis aluum retinent, ſi profluat: & ſtomachũ firmãt, ſi in uomitiones effundatur, & ardore conflagret. Contra inflammationes mammarum, duritias lienis, & condylomata adhibentur. Fit uinum ex ijs tuſis expreſſisq;, cui nonnihil mellis addi debet: alioqui celeriter acore uitiatur. Fit & oleum, quod melinum uocatur, utile cum unguento eſt opus, quòd aſtringendo ſit. Leguntur ad hunc uſum parua, rotunditatis in orbem circumactæ, & odore uibrantia. Minus olent, quæ ſtruthia nominantur, grandia. Flos uiridis & ſiccus illinitur inflammationibus oculorum, reiectionibuſq; ſanguinis, alui fluxionibus, & menſibus mulierum in mero bibitur.

Cratægus. Cap. LXXIII.

CRatægus, quam alij cratægonem uocãt, arbor neq; adeò magna, neq; ualde craſſa, materie uerſicolore, robuſta, flaua, cortice leui, ſimplici, radice in profundum acta: folio meſpili, cęterum promiſſiore ampliorisq;. fructu rotundo qui matureſcens ſiccatur atq; nigreſcit: guſtu & ſucco meſpilaceo. Athenæus Theophraſti fretus teſtimonio ita cratægum ſiue cratægona deliniauit, Foliis meſpili, prælongis, uerum latitudine ac longitudine maioribus, nec ad eundem modum ſerratis. neq; magna ualde neq; craſſa eſt. Ligno robuſto, uerſicolore, flauo. cortice ut meſpilo læui. radice ſingulari, in profundum magna ex parte deſcendente. Fructus ei, qualis oleaſtri, rotundus, qui matureſcens ſiccatur ac nigreſcit: guſtu & ſucco meſpili. qua propter ſylueſtris meſpilus (ut uerbis utar Theophraſti) putatur eſſe. Deſiderabatur in Græco codice & latino καρπὸν ἔχει ἡλίκον ὁ κότινος, quod ex Athenæo citante Theophraſtum poteſt facile reſtitui: apud quem Aſclepiades Myrleanus chamæceraſum putat intelligi, de qua ſuperius diſſeruimus. Plinius Theophraſto arboris genus intelligi putat, cratægum ſiue cratęgona, quam Italia aquifolium uocat. Porrò aquifoliam ſiue aquifoliũ ipſe nihil aliud ueteribus fuiſſe uideo quàm ilicem. Ilex uerò duo habet genera, minus & prolixius. Plinius tamen negat ſucci quicquam habere aquifolij baccas: ſed de ea forſan intellexit, quam Græci ſmilacem appellant. Tradunt hanc in uilla aut domo ſatam arcere ueneficia. Florem eius in aquam glaciari Pythagoras nõ credidit modo, uerum etiam prodidit. itemque baculum ex ea factum in quoduis animal emiſſum, etiam ſi citra ceciderit defectu mittentis, ipſum per ſeſe recubitu propius adlabi, tam pręcipuam naturam ineſſe arbori. De aquifolia dicetur etiam in ilicis mentione.

Cupreſſus

Cupressus. Cap. LXXXIIII.

CVpressus procera arbor est, caudice oblongo ac tereti, folio pini, sed carnosi ore, amaro, neq; ita pungenti. Fronde indecidua, odore uehementi. Semẽ conis innascitur prætenue, exile, & quasi laricis fructui proximum, quod pilula sua fatiscente labitur. rara materie & macilenta: radice per summa cespitum uagante. Cum fructu superuacua sit, mirum, qui natura illi tantum fœcunditatis tribuerit. Etenim trifera est, colliguntur q; eius baccæ Ianuario, Maio, & Septembri. Aduena quondã Italiæ, & ut Cato prodidit, natu morosa, baccis torua, folio amara, odore uiolenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara, & penè fruticosi generis, Diti sacra: & ideo funebri signo ante domos poni solita. Duo eius genera. Sterilis fœmina diu meta in fastigium conuoluta neque repudiata, distinguendis pinorum ordinibus facilem se tonsili culturæ præbens, historiales picturas tenui folio, breui, & uirenti superuestiens: ita ut in densitate parietum coercita gracilitate, perpetuo tenera in classes imagine sq; uariarum rerum trahatur. Contrà mas spargit extra se ramos, deputatur que & accipit uitem nullo metæ aspectu. Vterque sexus in pertícas & asseres admittitur amputatione ramorum, qui tertiodecimo anno singulis denarijs uænirent. Proinde filiarum dotem plantaria ueteres appellauerunt, quòd quæstuosissima in fatus ratione sylua esset. Ex cupresso fœmina prouenire marem adfirmant. huic patria Creta est insula, ubi tam familiaris à Theophrasto traditur, ut quocunque loco quis mouerit terram ac subegerit, hæc gignatur atq; protinus emigret, nisi seratur alia. In Idæis Albis q; montibus etiam non appellato solo spõte prosilit, ibiq; summis iugis, ubi niues nunquã absunt, plurima, quod est mirũ, alibi non nisi tepore proueniens, & nutricẽ magnopere fastidiens. Cupressus longo subrecto q; sustollitur caudice, cætero quidẽ in orbẽ circũagitur, perpetua uiret coma: cæteris tractibus satu, hoc est semine nascitur. In Creta etiam trunco ubi cædua est cæsaq; regerminat, modo ad terrã, modo parte media, modo summa, raro ab radicibus. Sobolẽ nullam profert. Cupressus, ut quidam uolunt, detracta coma rescisso q; cacumine demoritur, nec ex ea quicquam, perinde quasi esset ambusta, repullulat: in Aenaria tamen succisa regerminat. Semen ei perexiguũ, & ut Varro tradit, obscurũ, quod & ex Theophrasto mutuatur. Non enim Galbuli qui nascuntur, tanquã pilæ paruæ corticiæ id semen: sed in his intus primigenia dedit natura perquã minuta. hæc pilula dehiscente difflantur et euolant, neq; facilime colliguntur, præterquã à peritis. quanquã fructum cupressi galbulos & nuces cupressi recte possimus appellare. Nã galbæ, ut Suetonius ait, animalia sunt exilia, quę in esculo nascunt. Semine seritur, minimis id granis cõstat, ut uix perspici possit. Ergo pilulæ collectæ siccantur sole, ruptæq; emittunt hoc semen, mirè formicis expetitum, tantuli animalis cibo absumente natalem tantarũ arborum. Seritur mense Aprili area æquata cylindris aut uolgiolis densum, terraq; cribris supercernitur pollicis crassitudine. Cõtra imma ne pondus attollere se nõ ualet, retorqueturq; sub terra, ob hoc parcitur uestigijs. Leniter rigatur à solis occasu trinis diebus, ut æqualiter bibat donec erũpat. Differuntur post annũ dodrantali stylo, custodita tẽperie, ut uiridi cælo serantur, ac sine aura: periculum tantum est eo die, si rorauerit quantulumcunque imbrem, aut si afflauerit, de reliquo tutæ sunt perpetua securitate, aquas postea odere. Didymus cupressos duplici nomine uocari solitas memoriæ prodidit, charitas quòd oblectamento nobis sint, & cyparissos à partu parilium ramulorum & fructuũ, ἀπὸ κύκλῳ πτερύσσει, hoc est quòd ex æquo & ramos & fructus creent. Eteoclis fuisse filias idem narrat, quæ dum tripudio dearum subsiliunt, euolutæ in puteum deturbantur. dolens earum uicem Tellus, arbores frondosas puellis símiles ad oblectamentum & rei memoriam ædidit. Semen ut idem Didymus inquit, post Septembres Calendas legitur mandaturq; sulcis à nono Calendis Nouembribus ad hyemẽ usq;. Sed hordeum conseri debet, idq; per anni curriculũ sæpius: nanq; tantũ quantũ hordeũ adolescet. Trãsfertur dein annicula. nec secus uiuiradices sua spõte seminis iactu prodeuntes pangi debent. Democritus in uiua sepe serendã iubet, ut & oblectationẽ simul & sepimenti exhibeat officiũ. Gaudet potius humidis & protectis locis. Mascula ut idẽ inquit, sterilis est. Marẽ fructũ adferre Theophrastus contendit. Cariẽ uetustatẽq; nõ sentit, neq; rimã, neq; fissurã capit spõte. Aeterna putatur cupressina materies

indicio quod in tẽplo Dianę Ephesiæ, ubi ualuæ templi ea fuerant extructæ, quattuor ætates reseruata durauit, nouæ semper similis, in qua etiam materie nitor maxime ualeat æternus. Natura perpetua, ideo ex eo simulacra sculpere solent, quod carnis æqualitate quodam modo constet, nec in rimas unquam dehiscat. Nec est mirãdum de cupressu, ut autor est Vitruuius,, quod habens humoris abundantiam, æquamq; cæterorum mistionẽ, propter humorem solet esse panda. Sed in uetustatem sine uitijs conseruatur: quòd is liquor, qui inest, penitus in eius corpore saporem habet amarum, qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem, neq; eas bestiolas quæ sunt nocentes: ideoq; quæ ex eo genere opera constituuntur, permanẽt ad æternam diuturnitatem. Resina è cupressu manat, qua cũ res sunt unctæ, à carie uindicantur. Semina reliqua tradunt, foliis cupressi tusis, si misceantur, non esse uermiculis obnoxia. Porro resinam fundit acerrimam sapore: quare tineas & uermiculos, teredinesq; necat. Nomen officinis retinet. Est & coactæ breuitatis frutex, quem chamæcypariſſon, quasi pumilam cupressum uocant, hortis familiarẽ. hunc ab odore formaq; foliorum eiusdem nomẽclaturæ arboris *cypressum* uulgo nominamus, quòd in genere sit pumilionum, & quasi cupressi uideretur abortus, folio incano & perenni. Sunt qui adonium esse putent, quasi abrotoni speciẽ: tametsi Nasoni flos adonij purpureus est, huic nullus. Pollet aduersum omnia serpentium scorpionumq; uenena ex uino potus. sed de ea peramplius in abrotoni mẽtione duce Deo dabũtur. Cupressus astringit, refrigerat. Folia eius ex passo & myrrhæ exiguo uesicæ fluxionibus & urinæ difficultati medẽtur. Galbuli eiusdem in uino tusi sanguinem reijcientibus bibuntur: dysentericis quoq;, alui rheumatismis, orthopnoicis, tussientibus utiles sunt. eadem et decocti eorum opera. Tusi cum fico duritias emolliunt, polypos naribus eximũt. Scabritias unguibus tollunt, cum aceto decocti, mox triti, additis lupinis. Hernias prolapsu interaneorũ extuberantes coercent illitu. folio natura eadem. Pilulæ cum arboris coma suffitæ culices abigere credũtur. Trita folia & indita conglutinant uulnera, sanguinẽq; supprimunt. capillũ ex aceto denigrant. Imponũtur per se aut cũ polenta ignibus sacris, ulceribus quæ serpũt, carbunculis, oculorũ inflãmationibus. Stomachũ firmãt cũ cerato admota. Exprimitur succus tusis cũ semine qui misto oleo caliginẽ oculorũ aufert. item uictoriati põdere potus aut cũ fico demptis granis illitus, uitia testium sanat. Ramici quoq; cum axungia & lomẽto prodest. Tumores discutit, & cũ fermẽto strumas. Radix cum foliis trita potaq; uesicæ & strangu riæ medetur. Ramenta pota menses ciunt, scorpionum ictibus aduersantur.

Ericæ & Acacalis. Cap. LXXVI.

ERicen uocat Dioscorides fruticosi generis arborem, nec magnopere differentem ab tamarice, quanquam amplitudine multo inferiorem. Vescuntur apes eius flore, de quo mellatio minime probata est. Asię Græciæq; fructibus adscribitur. Athenienses hãc autore Plinio, tetradicẽ appellant: Euboea sisaron, quam putant apibus gratissimam, fortassis quia tunc nulla ex alia sit copia. Varro sisaram uocat, unde liquidũ mel fieri putat. Theophrastus nisi mendosus sit codex, tetralicem nominat, in genere fruticum aculeatum & germinantem æstate. De hac erice intelligat necne haud scio. Bis anno erice floret, prima uidelicet & ultima syluestrium. Ericen Græci uocant, ut ait Plinius, fruticem non multum à myrice differentem, colore rorismarini & penè folio. Mel quod è flore huius apes faciunt, ericæum uocatur, simile arenoso, syluestre improbumq;. Conuehitur post primos autumni imbres, cum erica sola floret in syluis. Folium aduersari serpentibus tradunt. Item cacumina et flores illinuntur. Acacalis semẽ est fruticis in Aegypto nascentis, similitudinem cum fructu tamaricis obtinẽs. nomen frutici à nympha datum crediderim Acacali, quæ ab Apolline compressa Phylaciden & Philandrum ædiderit in Creta miraculo ab Elyræis populis confícto, nutritos à capra eos fuisse. cuius monumentum in Apollinis quoq; Delphici delubro, ut autor est Pausanias, monstrabatur. Apollonius poeta, in Argonautico, Acacalim Minois regis filiam ab Apolline quidem uitiatam cecinit, sed quæ in Aphricam relegata, filium ædiderit nomine Amphithoõ, qui & Garamas quoq; uocaretur, Nasamonis & Caphauri pater, ex nympha Tritonide. Huius aqua in qua maduerit ad collyria additur, quæ ad excitandam oculorum aciem confinguntur.

Esculus.

Esculus. Cap. LXXVI.

ESculus Græcis platyphyllos, ut quibusdam placet, dicitur. quibus aliquando eadem imitatione latifolia, quòd inter arbores glandiferas foliꝝ amplitudine prestet. fago proceritate & glande inferior: galla uisu quidem quernę non dissimili, nisi quòd lenior, sed ad rem nullam utili: uerum alteram nigram habet, qua lanæ inficiuntur. Fert glandem, quæ hispido calice cõtineatur, grandem, bonam, fungosam carnem fieri ea tradunt. huius galla multo minus probatur: fert tamen & nigram tingendis utiliorem. Folium graue, carnosum, procerum, sinuosum lateribus. Autumno reddit fructum, si Virgilio in Georgicis scribenti credimus: & quantum corpore eminet, tantum radice descendit. E balano scrobe dodrantali, interuallis duorum pedum seritur leniter quater anno: fitq; ex ea optimum uitibus pedamentum, quod minime putrescat, læsumq; maxime fruticet. Propaginibus etiã parabatur adhunc usum esculetum. Materies omnibus principijs temperata magnas adfert ædificijs utilitates: sed ea cum humore collocatur, recipiens per foramina liquorem reiecto aere & igni, humida potestate uitiatur. Si Vitruuio credimus, ideo Theophrastus latifoliam quam esculum aliqui interpretantur, inutilem ędificijs tradit. Etsi excelsa fuerit ei proceritas, atq; carbone dotata, uitijs est obnoxia: quamobrem solido utuntur carbone, ærariorum tantum officinis compendio. Macedones latifoliam intelligunt amarę glandis. Sunt qui esculum abesu dictam putant, in qua uermiculi nascẽtes priuatim galbæ nominãtur. An eadem sit Plinio esculus, & quæ latifolia ex argumento dicta, quòd lata luxuriet fronde, non satis constat, quod eodem loco & esculi & latifoliꝝ meminerit. Glandem quæ proprie intelligatur, ferre robur, quercũ, esculũ, cerrũ, ilicẽ aiunt, hispido calyce per genera plus minusue complectente. Folia præterquam ilici ijs reddit grauia, carnosa, sinuosaq; lateribus, nec cum cadunt uti fagi flauescentia. Glandem optimam assignat in quercu atq; grãdissimam, mox esculo, robori paruã, cerro tristẽ echinato calyce: sed in querna aliã dulciorẽ molliorẽq; latifoliæ maxime probatam. Excelsissimam esse ægilopem incultis amicam idem tradit. ab hac proxime latifoliæ proceritatem. fungosam carnem esu esculi creari, gallam hemerim optimam ferre, & corijs perficiũdis aptissimam, similem huic latifoliam, sed multo minus probatam. Duo tamen esse genera, nigram tingendis utiliorem: latifoliæ carbonem non nisi ærariorum officinis utilem, quoniam desinente flatu protinus emoriens sæpius requiritur, cætero plurimis scintillis. Aceruis confertis paleis luto caminari, accensaq; struere contis pungi calicem durescentem, atq; ita sudorem emittere. Sed ea quæ de carbone traduntur, cerro Theophrastus adscripsit, qui latifoliam à cerro secundam tum rectitudine tum excelsitate prodit: sed ad ædificiorum usus post haliphlœon, id est salsicortícem deterrimam. Latifoliam fere gallam subiũxit, uisu quidem quernæ non absimilem, nulla utilitate probatam: alteram tamen ædere nigram, qua uellera inficiantur: platyphyllon amaram glandem creare, quã eo loco Theodorus transtulit esculum. Sic Theodoro latifoliam & esculum eandem fuisse arborem constat. Glandem tamen Plinius haliphlœo reddit amaram, raramq; quam præter sues nullum attingat animal, ac ne eæ quidem si aliud pabulum habeant. Sed à Theophrasto talis glans cerro tribuitur, quæ uel sterilis est, uel adeo uitiosam creat, ut eam nullum animal mãdere possit, præter sues, & has quidem cum nullã aliam nanciscuntur. Permulta itaq; quæ assignantur latifoliæ, tam à Theophrasto quàm Plinio, in esculo etiam inueniuntur. Quapropter si non eadem sit, ab ea tamen non multum dissidet. Esculus glandifera arbos esse creditur: cuius fructu primæ ætatis homines uescerentur, & ab esca nomen traxisse uolunt, quòd ante cerealem frugem & usum frumenti, mortalibus arbos uictum subministraret: sunt tamen qui diphthongo scribant.

Euonymos Cap. LXXVII.

EVonymos, quam aliqui anonymon uocant quasi à non habendo nomine nomen inuenerit, arbor est infelix, quum alibi, tum in Lesbo insula proueniens, monte Orcynio, punicæ mali magnitudine atque folio eiusdem, maiori quàm uincaperuinca, & ut puniça tenero. flore albæ uiolę proximo, odore graui ac pestifero, folliculis sesami, in queis acinus quadrangulus, solidus

lidus qui in uersus quaternos digerat, pecori gustatu lethalis, sed & capris præcipue mortifera sunt & folia, nisi præcipiti alui deiectione succurratur. Germinat mense Septembri, floret uere. Plinio arbor est quæ uocetur euonymos inauspicatior in Lesbo insula, nõ absimilis punicæ arbori, inter eam & laurum folij magnitudine, figura uero & mollitia punicæ, flore candidior est, statim pestem denuncians. Fert siliquas sesami similes, intus granum quadrangula facie, spissum, lethale animalibus, necnon folio eadem uis. Succurrit ali quando præceps alui exinanitio. Est apud nos montibus & uiuis interdum sepibus nascens arbor, punicę mali proceritate, folio maiore, satis ad laureum accedẽte. Flore luteo, albæ uiolæ non dissimili: siliquis quadrangulis, per maturitatẽ purpureis: grano intus solido, crocata membrana clauso. Arbuscula grauiter, cũ delibratur, olet. hanc neq; pecus neq; capra nouellorũ etiam germinũ auida prorsus attingit, ligno intus buxeo, quam ad fusos netu muliebri celebres usurpãt: inde *fusariam* uel *fusanum* rura uocant. Siliquas uulgus *ferota* nominant *sacerdotum*, quòd intus erui magnitudine grana mollibus inuoluta membranis testiculorũ modo cõtineantur. Culinæ transfigẽdis lardo carnibus pro ueruculo frequenter utuntur. Sed an sit euonymos, etsi multæ deliniationes faueant, nõ ausim affirmare.

Fagus. Cap. LXXVIII

FAgus Græcis phegos, Gallis breuius expuncta litera, g, *faus* dicta glandiferis arboribus annumeratur: tametsi fructu nihil glandi simillimum habeat. assurgit caudice crasso, & in orbem comoso, neq; ita procero: folio tenui & leuissimo, populo simili, celerrimè flauescente: & media plurimum parte supra hoc paruula gignitur bacca uiridis, fastigio aculeata. Glans eius dulcissima nucleis haud absimilis, triangula cute includitur, & parte postrema utrinq; lapidescit in duritiam, si uirilis sexus fuerit: nam & sexuũ in glãdiferis Theophrastus obseruauit discrimina. Fagi glans muribus gratissima eius animalis prouẽtum auget, saginat quoq; glires, expetitur & turdis. Obsessos etiam homines in oppido Chio ea uictitasse tradunt. Sed in primis fagea glans suem hilarẽ facit, carnẽ coctibilem et leuem utilemq; stomacho. Arborum ferè omniũ sed maxime fagi fertilitas alternat, paulo ante Aequinoctiũ germinat, auctu facillima. amat plana: materies ei robustissima putrefactiõi nulli obnoxia. Cortex è fago in magno usu agrestium. Vasa corbesq; ac patentiora quædam messibus conuehendis uindemijsq; faciunt, atq; prætexta tuguriorũ. Necnon in quodam usu sacrorũ religiosus erat apud ueteres fagi cortex. Materies assulatim dissecatur in scandulas, quibus teguntur ædificia. Pectines quoque transuersi in pulpa apud antiquos factitabantur, inde & uasis honos. Lignũ in longitudinem ita fluctuat, ut quæ pars fuit à radice, ualidius fidat. In pretio habitũ est ad sacrificales guttos. Curius iurauit se ex prẽda nihil attigisse præter guttũ faginũ quo litaret. Facilis fagus, quanquam fragilis, & tenore eodem fissilibus laminis in tenui flexilis, capsis ac scrinijs sola utilis. Ea ut nõnulli scriptũ reliquerunt, quæ in tenuissimas secatur laminas glandifera non est. ideo duo genera siue nomina fagi sunt, glandẽ ferẽtis, materia scabra, quã phegon appellẽt, ut fructum quoq; Hippocrates: & alterius, quã Græci oxyam, Lydi myson, Olympo eorum monte, ut Strabo & Eustathius tradunt, copiosam. Vnde Mysij populi nominentur: nostri scissimã appellant: alij sed falso, ornum interpretantur, alij fagum sectilem in laminas, abietis aspectu, sylueſtrem nunquam ut Macedones arbitrantur, florentem, erectam, enodem, illi crassitudine proceritateq; ferè æqualem. materia colorata, robusta, neruosa, cortice læui, folio crasso, bifido, longiore quàm pyri, per extremum aculeato. Fructus glandea effigie lęuis, calyculo includitur echinato quidẽ, sed placido ac blãdo, nec ut castanea hispido, cui nihilo minus similis est & dulcedine & succo. Radices arbor nec multas nec altas agit. quæ summo cespite gaudeãt, eaq; paucis radicibus summo tenus sparsis degit. Nascitur in montibus candida materie, quæ ad multa perutilis est: quippe ad carpenta, lectos, subsellia, mensas, nauigia. Campestris nigra, ad hæc minus expetita. Fructus utriq; similis: in aquis durat incorrupta, madefactaq; firmior redditur. Humidissima hæc & fraxinus, quãobrẽ è duabus ijs lectuli qui fierẽt incuruãtur cedentes põderi. Minoribus scissima nauibus cõmendat: ad carinas, item ad testudinẽ plaustrorũ uectabulorũq; uilem fabricam specie uisenda. Prouenire in agro Latino solitã autor est Theophrastus, tanta lõgitudine, ut nauibus Hetruscis

pro

pro carina satisfaceret. Cædēda materies post messem, & exitum uindemiarum. Sunt qui dicant ornum eam esse roboris spetiem quæ sterilis sit. Alij oxyam ornum exponunt. sic inter nonnullos autores de orno non conuenit. Cæterum controuersiam satis diluit Colu mella libello quem arboribus dicauit. Orni, ut inquit, syluestres fraxini sunt, paulo latiori bus tamen foliis, quàm cæteræ fraxini: nec deteriorem frondem quàm ulmi præstant. Ca præ quidē & oues libentius etiam hanc frondē appetunt. Vitem alunt idoneæ, cū aspera & siticulosa loca arboribus sunt obserenda. Mōtes ut Plinius ait, amant. Inueniūtur apud nos fructu nigricāte, qui rusticis edēdo sit. Fagi folia manducantur in gingiuarū labiorūq; uitijs. tusa tritaq; siccant tumores: torpentia membra corroborant. Calculis glandis fagi neæ cinis illinitur: item cum melle alopecijs. Radicis cortex in aqua tātisper coctus, dum remollitus distabescat, capillos denigrat, cimolia creta antea præparatos.

Ficus Aegyptia, Cypria, Idæa, Pelagica. Cap. LXXIX.

PRæcipua est ficus Aegyptia foliis moro comparanda, poma non ramis tan tum gestitans, sed ex caudice. Vsqueadeo fœcunditatis suæ augusta est, ut uno anno septies fructum efficiat: & unde pomum decerpseris, alterum sine mora protuberat. Materia eius in aquam missa subsidit: deinde cum diu de sederit in liquore, leuior facta sustollitur: et mutata sorte, quod natura in alio ligni genere non recipit, fit humore sicca. Ficus Aegyptia ut Theophrastus est autor, ipso nomine Aegypto peculiaris arguitur. Arbor est moro quadam tenus similis, folio, ma gnitudine, aspectu. Pomū fert nō ramis nec germinibus, sed caudice ipso, magnitudine fi cus & nostratis forma: succo tamen & sapore caprifici, uerū multo dulciore. sine granis interioribus, fœcundissimo prouentu: scalpendo tamen unguibus ferreis, aliter non ma turescit. Sed cum id factum est, ad quartum diem perficitur, demetiturq; alio subinde atq; alio subnascente, terno ita aūt etiam septeno numerosa partu, per singulas æstates multo lacte abundante. Subnascitur etiā si non scalpatur fœtus quater æstate, prioremq; expellit immaturum. Athenæus scriptum reliquit Aegyptiam ficū, quam aliqui nominant syco morum, à rusticis ferro uellicari. Sic poma uenti beneficio mota intra triduum & ad matu ritatem perduci, & odorē contrahere, præsertim spirante Fauonio, sic edendo esse. Quod in eo frigidum sentitur, ex rosaceo illitum stomacho febricitantibus opitulari, non parum feruorem leuans. Poma ligno hærere, non ramulis. Materies proprij generis inter paucas utilissima. Cæsa statim uiret, siccatur mersa incilibus atqu estagnis: & primo sidit, posteæ fluitare incipit. Cum innatare cœperit, tempestiuę habet signum: ablato ita pondere leuis euadit & soluta, ita condita & inueterata intelligitur, uidelicet alienus humor alium eius omnem rigādo fugit. Hanc quoq; Theophrastus Aegyptiam moron, Celsus morosycon appellat. Dioscorides, Galenus, & Theophrasto posteriores indito à fico & moro nomi ne sycomorum appellarunt. Dioscoridi arbor est amplissima, ficus similitudine largo suc co, foliis moro quamproximis. Fructus ex argumento gustus ignaui cognomines ternos aut quaternos anno fundit, eosq; non ramis ut ficus, sed caudice ipso gerit, similes caprifi cis, dulciores q; grossulis, hoc est primitiuis in fico pomis, sine granis interioribus. Nec matuescunt aliter, quàm scalpendo ferreis unguibus, magno prouentu eorū in Caria & Rhodo: prorsusq; locis parū tritici feracibus, populis in annonæ penuria pro pane frumē toq; satisfaciunt, tam restibilis pomi eius ubertas et copia est. Pomū uentri quidē amicum sed minimā præbet alimoniā. Excipitur arbore nouella succus antequā fructus exeat, cor tice summo lapide desquamato: altiore plaga nihil profluit. Colligitur penicillo aut uelle re, desiccatus & in pastillos coactus uase fictili reponitur: sed celerrime teredinem sentit. Molliendi medicamēto uis, uulnera glutinandi, suppurationes discutiēdi. Durities lieno sis soluit, stomachi dolores mitigat, largo succo abundat, summusq; cortex desquamatur altiore plaga, manans inde succus aduersatur uenenis serpentiū. prodest dysentericis: di scutit panos omnesq; collectiones: uulnera cōglutinat. Capitis dolores sedat, item auriū: splenicis bibitur. Illinitur & contra perfrictiones. celerrime teredinē sentit. Tradit Vlpia nus hanc arborem in Niloticis aggeribus esse frequentē, grauiterq; in eos animaduerti, qui sycomorum exciderunt. Potentia etiam inter morū & ficum media, quod & illi no men a pud Galenū sycomori peperit. Ostenditur apud nos in cortibus arbor sycomori

ut aiunt

(ut aiunt)nomine, frondosa,moro non dissimilis, conspectu,folio,magnitudine:sed neq; germinibus neq; ramis quicquam prouenire deprehendimus,nisi quippiam ineunte uere cum parturit,ueluti nucamentum prælongum. Fructũ foliacea siliqua, inflexu fere falcato gerit.Sed aliud dissuadet non esse sycomorum uel Aegyptiam ficum, quòd scalptu uulnerata nihil remittat lactis.Porro uera ęstatibus multa lactea scatet saliua.Huic similis est, quæ uocatur Cypria ficus in Creta, arbos populi caudice, folio ulmi,pomo magnitudine pruni,ficus dulcedine,grossorum callo. Sed & hæc fructũ caudice ramisq; crassissimis profert,nisi quòd germen quoddam sine ullo radicis folio,ceu radiculã mittit, cui fructus quasi cuspidis accessu præpilatur,quoties germinat,nempe quater:cæterum suas grossos nõ perficit,nisi immaturi pomi plaga emisso lacte. Theophrasto in caudice ipso fert pomũ & ramis,cum in crassitudinem adoleuerunt. Distat à priore,quòd germina emittit sine ullis foliis,radici similia,cui fructus præpilatur. Caudex arboris magnus,populo albæ similis,foliũ ulmeum.Fructus quaternos fundit,toties & germinat.Sed grossus eius nõ maturescit,nisi incisura emisso lacte.Suauitas fici et interna grossi, magnitudo pruni,uel ut Plinius tradit,sorbi.Athenæus uerba Theophrasti citãs tradit,quę Cypria ficus in Creta nominatur,caudice & crassissimis ramis ædit poma, germenq; citat uiduum folio,tanquam radiculam, cui fructus præpilatur, caudice albæ populi,prægrandi,fronde ulmea. Poma quater coquit,totidemq; illi germinatus erumpũt,fici dulcedine, grossorum callo,magnitudine pruni. Ficus Idæa à quibusdam Alexandrina dicta,cubitali crassitudine,ramosa, materie ualida,lenta,sine lacte, cortice herbaceo,folio tiliæ,sed molli:pomo magnitudine oliuæ,rotundiore tantum,mespili sapore,colore puniceo.Hæc ut Theophrastus testatur, pomum super folij dorsum syluestris myrti siue ruscí modo gerit,inde opisthocarpiõ Idęi agnominant.ramosa hæc neq; celsa,cubitali ambitu,ligno ualido,cõtorto,lento,sine lacte. Pars quæ à terra est, tenuis enodisq;,superior comosa in orbem. Color folio & cortici liuens ac uiridis,figura folij tiliæ similis, magnitudine & læuore pari: Flos ei mespilaceus, & cum mespilo erumpens.Ficus rubra crassitudine oliuæ,rotundior,sapore mespili,radice ut uulgaris fici crassa:item lenta materies & incorrupta, corde solido neq; medullaceo siue molli, Alexandrinam hanc inibi uocant, & circa Idam crebra ostenditur.Athenæus Theophrasti fretus autoritate prodit,circa Troianam Idam ficum enasci,caratiæ aut aratiæ cognomento, frutice luxuriantem, folio tiliæ, pomo oleæ magnitudine, rotundiore tantũ,gustu & sapore mespili.Ficus Pelagica in mari nascitur sine folio,nec magnitudine præstanti,cortice puniceo.

Ficus Indica, & Indicæ arbores sine nomine. Cap. LXXX.

Ficum Indicam Onesicritus apud Strabonem celebrat. Theophrastus admiratur, quòd se ipsa serat, anniculorum germinum pondere ramos in terram curuante, qui annuo spatio figantur, nouamq; sibi propaginem faciant: ubi in orbem radicantes ceu topiario sepis opere,parẽtem circundant,in eo tabernaculo æstiuant pastores. Erumpentes autem radices, palam à ramis discernuntur, utpote candidiores, hirtæ, tortuosęq;, gemina coma foliatæ. Arbor fronde superna luxuriãs decora specie lasciuit,fornicatoq; ambitu pulchrè sepem opacat,& quasi uallo munit.Superiores eiusdem rami in excelsum dimicant,syluosa multitudine,uasto matris corpore,ut sexaginta passuum orbem, minimum quadraginta colligant, umbram uero ad bina ferè stadia eiaculentur.Foliorum latitudo amazonicæ peltæ effigiem habet, ea causa fructum integẽs crescere prohibet, rarusq; est, nec temere ciceris magnitudinem excedens, ficus similitudine atq; sapore, cum per folia solibus excoquitur. quamobrem Græci ficum eam arborem appellarunt.Parce admodum pro magnitudinis gestiente desiderio fructificat. Gignitur circa Acesinem maxime amnem. Est alia arbor magnitudine insignis & suauitate fructus præcellentior, maiore pomo, quo sapientiores Indorum qui nudi degunt,gymnosophistas nominant,uescuntur.Alia cui folium alas auium imitatur, quæ galeis superponuntur, longitudine duorum cubitorum. Alia fructum ædit prælongum,contortum,nec rectum,pomo prędulci quidem,sed intestinorum ualitudini infesto, ob id edixerat Alexander,ne quis agminis sui hoc attingeret. Has tamen treis arbores nomine palæ Plinius uidetur complexus, cum dicat maior alia pomo & suauitate præcellentior

lentiòr, quo ſapientiores Indorum uiuunt. Folium alas imitatur auium, longitudine trium cubitorũ, & latitudine duũm. Fructum è cortice mittit admirabilem, ſucci dulcedine, ut uno quaternos ſatiet. Arbori nomen palæ, pomo arienæ, plurima in Sidracis, expeditionum Alexandri termino. Theophraſtus eadem inquit. Alia arbor eſt folio prælongo, nec abſimili pennis ſtruthiocamelorum, quibus conos galearum bellicos adornant. Alia portẽtoſę magnitudinis uiſitur, fructu ſuauitate præcellenti, Indicæ ficus ſpecie, ſed multo maiore, ut quo gymnoſophiſtæ uictitent. Alia cui fructus longus, nec rectus, ſed contortus cibo dulcis: ſed aluum uellicat, & tormina uentris ciet: ob id Alexander militibus ſuis eſu huius interdixit. Arbori palæ nomẽ inditum uidetur, quod in celſitudinem ſe ſe uibret, & in proceritatem emicet. Sed genera arborum alia narrauere Macedones, ex maiore parte ſine nominibus. Eſt et terebintho ſimilis cętera pomo amygdalis, uel minore tantum magnitudine, præcipuę ſuauitatis. In Bactris hanc utiq; terebinthum eſſe proprij generis potius quàm ſimilem ei putauerunt, ſed unde ueſtes lineas faciunt, folijs moro ſimilis, calyce bombycino, ſimili cynorrhodo. Serũt eam in campis, nec eſt gratior ullarum proſpectus.

Ficus uulgaris, & Caprificus. Cap. LXXXI

FIcus uulgaris arbor eſt nõ magnopere procera, quanquam ampliſſimę quędam inueniantur, uel pyris æmula magnitudine, breui caudice, cortice læui, folio maximo umbroſiſſimoq; in crucis modum laciniato, ſine flore: pomo quod ſupra folium naſcitur, turbinato, molli, intus granoſo: ſucco cum matureſcit lacteo, poſtea melleo. Folium Hippocrates ſico coronopoídes, id eſt cornicis pedi ſimile reddidit in uere: niſi quis apud Theophraſtũ ita pro ſcolopendri, id eſt cruciformi legendum putet. Germinat ſub Arcturum poſt uer, aut paulo ante Aequinoctium, quod tempus omnibus edomitis commune eſt. In Elephantino agro folia ficis non decidunt: ſimiliter in Tylo caduca non ſunt. Serotinæ fici antè quàm fructum percoquãt, folia deperdũt. ea cõſtãt cortice, neruo, carne. Arbori medulla carnoſa, corpus rarũ, contortior & breuis caudex, cortex ſimplex, perquam amplum folium. Radices multæ, obliquæ, ac longæ, radicatu præcipuo. Succus dulcis & lacteus humor. lignum carnoſum, ualidum, rectum tendens, & enerue nodoſum: quod quum crematur, acerbiſſimum fumum eructat, facileq; concipit ignem. Ficus excitanda prouenit, & omnibus emergit modis, præterquam ex ramo & ſurculo. Sata omnino degenerat. Seritur uaſtiore ramo, ſic malleo in humum adigente, ut exiguum ſupra terram relinquatur: deinde arena ſuperiecta cooperiatur. Sed iuxta ſcyllam ſata lætiòr cõualeſcit, & ocyus augetur, minusq; uermibus infeſtabitur: et ut ſummatim dicatur, ſatum omne ſcyllæ appoſitum facilius germinat, atq; celerius increſcit. excitato quoq; puluere magis adoleſcit ac uiret, ad quem uſum ficos ſuffodiunt, cum puluere fuerit opus. cumq; rigatur, multo magis germine uiget: ſed fructum deteriorem parit, præter Laconicam, quæ riguis uehementiſſime gaudet. Ficorum radices amputant, & cinere obducto obſtruunt. paſſimq; caudicem uulnerant, ita copioſiorẽ fructũ dari affirmãt. Ficus breui tempore uiuit: longior caprifico uita. Arbos uredine præſertim infeſtatur. Ficos detracto cortice aliquando reuixiſſe tradunt. Oſtentum exiſtimant aruſpices ex caprifico ficum prouenire, ſed deterius è fico caprificum: item ex candida nigram, & contra. Ficus uermes creat, ſed proprie qui ceraſtæ nominentur. Fructum amittit antè quàm matureſcat, ubi auxilium magnopere quæritur, & inde cõperta caprificatio. Nanq; pomis caprifici putreſcẽtibus identidem culices generantur, partiq; et alimẽto fraudati in matre, hoc eſt putri eius tabe ex qua nati, ad cognatã uolant, morſuq; ficorum crebro, hoc eſt auidiore paſtu aperientes ora earum, atq; ita penetrãtes intus ſolem primũ ſecũ inducunt, cerealesq; auras immittunt foribus apertis: mox lacteũ humorẽ, hoc eſt infantiam abſumunt, ſic maturitati præparant, quod fit & ſponte. ideoq; ficetis caprificus permittitur, ad rationẽ uenti, ut flatus euolãtes in ficos ferat. Inde repertum eſt, ut illatę quoq; aliunde, & inter ſe colligatæ inſicerẽtur, quod in macroſo & aquilonio ſitu non deſideratur, quoniam ſponte areſcunt natura loci, rimiſq; eadẽ, quæ culicũ opera perficit: nec non ubi multus puluis. nanq; puluerí uis ſiccandi ſuccumq; lactis abſorbẽdi, quæ ratio præſtat, ne decidant poma abſumpto humore tenero, & cum quadam

fragilitate ponderoso. Culices ficarios pomis caprifici egredi Theophrastus est author, & putrescentibus eorundem granis gigni. Cuius indicium adfertur, quod posteaquã euolarunt, grana ficubus nulla penitus inueniuntur. Exeunt magna ex parte pedem aut pennam relinquẽtes in pomo: has Aristoteles Ionica uoce psenas appellat. Sunt & in fico centrinę dicti culices, fucis apum ignauia similes. Plura ficorum genera, quæ ad nos ex alijs gentibus transiere. Lydiæ sunt purpureæ: mammillanę, mãmarum similitudinem habent. Callistruthiæ parum sapore pręstantiores, ficorum omnium frigidissimæ. Affricanę nonnullis præferuntur, cunctis celebratæ Carthaginis excidio: & alię ab Africanis Libicę. Habentur & sulcæ & topiæ quæ dicantur. patriæ nomen obtinent Alexandrinæ. Candicat serina cognomine, delicata. nigra est Rhodia, Tiburtina de præcocibus. Sunt & authorum nomina ijs Liuiæ, Pompeiæ. siccatæ hæ sole in annuos usus cũ mariscis aptissimæ. & quas arundinei folij macula uariare dicitur, arundineas ob id uocatas, à quibusdam alfulas. Est & herculana, & albicerata & aratia alba, pediculo minimo: latissima porphyritis longissimo pediculo. Comitatur eam è minimis & uilissimis popularis dicta. Contra nouissima sub hyeme maturatur chelidonia. Sunt præterea eædẽ serotinæ & præcoces, biferæ alba & nigra, cum messe uindemiaq; matureſcentes serotinæ, & à corio appellatæ duræ. ex chalcidicis quarundam trifero prouentu. Tarenti tantũ prædulces nascuntur, quas uocant onias. De ficis serendis ita Columella memorat, Ficum frigoribus ne serito: loca aprica calculosa, glareosa, interdũ & saxosa amat. Huiusmodi agro citò cõualescit, si scrobes amplos patentesq; feceris. Ficorũ genera, etsi sapore atq; habitu distant, tamen uno modo sed dispari differentia agri seruntur. Locis frigidis, & autumni temporibus, aquosis præcoces ponito, ut ante pluuiam fructum deligas, locis calidis hybernas serotinas serito. At si uoles ficum quanuis non natura seram facere, tum grossulos priorémue fructũ decutito, iterum alterum ædet, quem in hyemem differet. Nonnunquam etiã cum frondere cœperũt cacumina fici, ferro summa prodest amputare, sic firmiores arbores & feraciores fiunt: ac semper cõueniet simul ac folia agere cœperit ficus rubricam amurca diluere, & & cum stercore humano ad radicem infundere, ea res efficit uberiorem fructũ, & farctum fici pleniorem melioremq; . Serendæ sunt præcipue liuianæ, chalcidicæ, africanæ, sulcæ, lydiæ, callistruthiæ, topiæ, rhodiæ, libycæ, hybernæ omnes etiã biferæ & triferæ. Ficus, ut Didymus posteritatis memoriæ tradidit, duobus anni tẽporibus, hoc est uere & autũno seritur: uernam tamen sationẽ magis desiderat, quippe cum arbor omniũ fere tenerrima & delicatissima gelicidia & glacies horret, uentosq; mirum in modũ formidat, quòd cum ruunt aut sęuiunt flatus, rumpatur. Ego tamen, inquit, Iulio mense toto plantas dispositi rigans, & transferens, & poma mihi in arborẽ magnã adolescẽtes peperere. Calidioribus tamen locis solo pastinato neq; admodũ irrigato pangi debẽt: siquidẽ aquarũ copia genitiuam earum pulchritudinẽ natiuumq; decorẽ tollit, opportuniores q; corruptioni reddit. Alia serendi ratio: si quis maceratas ficos resti obducat, frequentiq; roret imbre, cõplures exibunt arbusculæ, quas oportet transferre in scrobes, ubi in hoc seminario nutriueris. Si quis uiui radicem deponat, scyllæ bulbos interijci oportet: alij madefactã muria plantam collocant. Melius tamen siue plantulam, siue ramulos uelis serere, prius in bubulo fimo madefacere conuenit. Sunt qui cum planta uiuam calcem obruant, sic satam suo domino decoquere negãt: alij rubricã oblaqueatis radicibus inijciunt. Si in altitudinẽ luxuriari nolis, clauã in caput serito: senescens tamẽ ficus fertilior redditur. pangi etiam non illepide potest ficarijs seminibus. Vermibus arbores liberabũtur, si bulbi scyllæ infixi deponantur: quæ tamen ijs si scateant, calce latebris uermiũ aut radicibus insparsa necantur. Democritus adserit arborẽ fructus iacturã non facere, cuius caudex mororũ succo sit illitus: nec amittere uelut ægram pomũ, quum marino fuco radix obducitur, aut si quadrãtibus lunę rubrica caudices oblinantur, aut caprifici grossuli, uel intorta ex ijs serta suspendantur. quapropter aliqui ramulum caprifici inserunt, et quotãnis hoc idem tentant. Si Pleiadum emersu in excauatos scrobes quis pares aquæ & insulsæ amurcæ portiones infundat circum caudices, arbor sui fructus tenax pomũ non abijciet. Syluestris seu fera ficus, ut testatum reliquit Africanus mansuescet, si tusis & uino & oleo maceratis ramis, eo septem diebus roraueris imbre. Leontinus ficum moro aut platano inserendam suadet, non modo

uere

uere,sed æstate,& ad brumam usq;. Grossos non decidere Africanus pollicetur,si circum ablaqueatã radicem quaternos salis sextarios inieceris,dein terrę obruas aggere. Democritus refert,si quis fici esu,aluo deiectionẽ moliri cupiat, ueratrum nigrũ cum lactuca marina,id est tithymalo tritum, radicibus arboris quæ deponitur, inseret, & quæ nascentur poma,uentrem mouebunt. Præcoces ficos fieri idem promittit, si columbaceum fimum, piper,& oleum indideris. Florentinus,ut præcoces æderet grossos,columbino fimo & oleo linebat. Pollere idem affirmat aduersum ferarũ morsus pomum, quod antidoto theriacæ pubescens fuerit delibutum. Cæterum ut uarios fructus una ficus exhibeat,ita ut pomũ altera parte nigrescat,altera candicet,iubet Leontinus uiticulas ramulosq; ficuũ albæ uidelicet & nigræ, inter se uinculo distringi ac torqueri, ita ut germina misceri cogantur, sic ut obruti,& stercorati,& humoris rigatu iuti, ubi prodire cœperint,germinantes oculi aliquo inter se annexu conglutinentur,& compactum germen in unum caudicem coalescat, qui bicolores ficos tibi pariet: sed bimam transferre plantulam melius est. Sunt qui tutius huiusce modi coitum moliũtur. Ficaria grana hac uarietate nobilia linteolo deligata serunt, & quum res postularit,transferunt. Democritus adfirmat, siquis in alterius rei effigiem deliniare contendat,ficulneum oculum ea, quam uoluerit referre,figura conseri bat, & poma ut asserit, hac specie prodibunt insignita. De sycæ nomenclatura apud Græcos existit controuersia. Poetæ,ut Athenęus memoriæ prodidit,giganten Sycęum nomine persequente Ioue, à Tellure eius matre in sycen, hoc est ficum conuersum fabulantur. Vnde in Cilicia urbi nomen sit inditum Syceæ. Pherenicus commemorat Oxylum ex Hamadryade Sycen filiam sustulisse. Oxylum uerò Orio parente natum,fororis compressu genuisse nucem iuglandem,cornum,populum,ulmum,uitem,ficum,& has Hamadryades uocari nymphas. Sosibius Lacon Libero patri fici inuentionem adsignat, Et ob hoc Lacedęmonij Sycitem Bacchum colunt: Naxij,ut Andriscus & Agasthenes referunt,Liberum patrem uocari uolunt Melichion, quod ficulnum fructum ædiderit, quem melichen ijdem appellant. quare Liberum uitis inuentorem facie uitiginea, Melichium ficulnea Naxij excudebant. Pausanias in Attica primum æditam ficum putat. Phytalus Cererem (ut fama est) hospitio suscepit,dea uerò beneficij non immemor,arborem fici munere donauit, quod in eius monumento ijs numeris testatum relinquitur,

Ερθα σ' ἄναξ ἥρως φύταλ' ἐπὶ δίξατο σεμνῶ
Δημήτηρ, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνε,
Ἡν ἱεραὶ σύκῳ θυηπόλῳ ἀμφὶ δὲ νομάζει

Athenæus confirmat Athenienses locum appellare Hieram sycen,id est sacram ficum, in quo primum reperta emicuit,quæ Athenis uia uocabatur,quæ ducit ad Eleusinem. Idem Theophrasti testimonio fretus, tradit in Hellade, Cilicia & Cypro fici genus erupisse, quod pomum aduerso folio, grossum auerso sustineat,quum reliquæ arbores ex anniculo germine non nouo fructus ædant. Idẽ Theophrasti nixus antoritate prodit,ficum quæ cælum molle, caldum & humidũ fuerit nacta, si calor arridet,germina euocare: unde prodromi, id est præcoces gignuntur. præcoquas tamen, & si mauis præcurrentes,laconicæ, & leucomphaliæ, & alię complures ferunt. Seleucus protericen fici genus sentit uocari, primitiuas eas ferentis. Habentur Athenæo autore & alia ficorũ nomina, basiliæ,cirrhocæladiæ, sycobasiliæ, hyladiæ, sarcelaphię,lapyriæ,picridiæ,dracontiæ,leucophiæ, melanophiæ,creneæ,mytecæ,ascaloniæ. Leucerine eidem ea putatur esse,quæ poma creet candida. Fico morbus peculiaris est autore Theophrasto uermiculatio, bestiolas eas uocant ceraștes, stridulum animal, & sonitu exiguo constrepens: item patella, sed aliter quàm in olea,quoties uidelicet radices imbrium superuentu quasi deglabrantur. Item maximè cradum et radicationem nosci: cradum,quum rami,quos priuatim cradas in ficu uocant,inarescunt: radicationem,quum radices marcidæ contabescunt. Infestatur item scabie. Tentatur quoq; nonnullarum arborum modo uredine, quæ κωσθμὸς Græcis dicatur: nec secus tabe, quam ἐκπλῆξιν appellant, quasi quidam sit stupor, rigorq;,frigore & gelu alsiosis annis cõtractus: item sideratione ἀστροβολισμὸς uocata. Hæc una ex omnibus arboribus non floret. Senescunt ficus in arbore, anusq; destillant gummi modo lachrymam, ob hoc Athenienses græas uocant earum folliculos,quos fici ut frumenti glumas Varro dixit.

Ficaria quoq; grana Plinius frumenta nominat, quæ Græcis cenchramides uocãtur. Succus matureſcentibus lactis, percoctis mellis. Tactus omnibus mollis, Frumenta intus. Saſtiuarum ſucco cogitur lac, ſylueſtrium nequaquam. Panis uicem & obſonij habent paſſę ac recentes quoq;. Athletæ hoc cibo uires aluere, priuſquam Pythagoras exercitator eos trãsferret ad carnes. Sale inueteratis & caſei quoq; loco ueſci excogitatum eſt. Ex hoc genere ſunt coctana & caricæ, quæ cõſcendenti nauem Marco Craſſo omen fecere. Peculiares Syria habebat caricas, & minores eius generis, quæ coctana uocant, de quibus refert Martialis,

Hæc tibi quæ torta uenerunt condita menta,
Si maiora forent coctana ficus erat.

Decoctum ficorum, ut tradit Paulus, plericq; ſyræum appellauere, quod & defruto quoq; nomen eſt: Hippocrates ſycion. Studioſis uocis abſtineri ficis Demetrius Scepſius iubet, Egeſianactis Alexandrini exemplo motus, quòd is tragœdiarũ actor optimus euaſerit, quia fico octodecim annos abſtinuiſſet. Daphnus medicus authore Philotimo refert, mu ſteas ficus & adhuc humẽtes melius & celerius reliquis pomis excoqui, nec reliquum cibum impedire, quo minus conficiatur: uim humorẽ glutinandi cogendiq; poſſidere: introrſum quippiam inſidere, quod citam, facilem, fuſamq; reddat aluum. Humorẽ non in ſulſum alicuius acrimoniæ participem præbere, ſi ex ſale ſumãtur, ſed qui celeriter diſcutiatur. Argumento, quòd etſi magna uis earum ingeratur, paulopoſt inanitio uacuitáſq; eximie ſentitur, quòd fieri non poſſet, niſi celeriter diſſolutæ fatiſcerẽt. Ocyus reliquo cibo conficiuntur, non modo quòd maiorem copiam quàm reliquæ frugis ſumptitantes innoxie degimus: ſed cum ſolito quidem cibatu præſentatæ, nullum nobis exhibent negotium, faciléque calori cedentes, reliquum cibum excoqui minime uetant. Vis glutinatoria, & ſalſilago manifeſte deprehenditur, quum & manus extergeãt, & dulcis ſapor indi ce lingua ſẽtiatur. Quòd etiam aluum ſine torminibus cieat, eámque læuiget, euidentius eſt quàm ut probari deſideret. Salſuginem quandam licet læuem reſipiunt, ideo nitroſa pollere ui dictum iam eſt. Heraclides Tarentinus non illepide in cõuiuio quærit, an ſecundum ficorum eſus, aqua calda uel frigida ſit obijcienda. Qui caldam ſuadent præbẽdam, celeriter eam & abſtergere & eluere cauſantur. ideò eſt ſimile ueri breuiter calda diſſolui, quòd calor facto partium diuortio extenuet, & in anguſtias ducat, frigus cõtrà cogit. Cæterum qui frigidam aquam iubent præferẽdam, contendunt frigidi potus beneficio, quæ in ſtomacho reſidebant, grauitate quadam deturbari. ſiquidem æſtuantem ſtomachũ fici malè habent, & imbecilliorem reddunt: quare nonnulli ſecundũ ficus merum præcipiũt offerendum, ſic prompte recremẽta uentris exigi. Sed & crebriore & largiore potu ab eo cibo utendũ non ambigitur, ut huius munere non immorantes, ſed ad imos inteſtinorum ſinus raptæ ferantur. Sunt qui ficus meridiano eſu abdicent, tum enim ut Pherecrates tradit morbum creant. Quare Ariſtophanes quum æſtate ægrotantem quẽdam cõſpexiſſet meridiando, ficubus uſum præſagijt. Eubolus nobis cibo ficorum meridiano interdixit, morbum inde cõcipi teſtatus. Damnat item Nicophon. ſiquis, inquit, ficubus comeſis meridietur, ſtatim accelerans inuadit febris, quæ uomitum flauæ bilis eliciat. Diphilus Siphnius memoriæ prodidit muſteas ficos paucam ſufficere alimoniam, noxium creare humorem: ſed facilè aluo excerni, cibis emergentes enatare. uerũ eæ melius paſſis membratim digeruntur. Porrò quæ appetente iam hyeme gignuntur, magna difficultate matureſcentes, euadunt deteriores. Meliores habentur, quæ ſolis uigorem expertæ per naturam ematuruerint. Cæterum quæ multo turgent lacte, aut aquoſo liquore madent, ſtomacho quidem gratiores, & magis faciunt ad palatũ: grauiores tamen ponderoſioréſq; facilius deſcendunt. Trallianę Rhodijs reſpondẽt, Chiæ & aliæ omnes deteriorem ſuccũ pariunt. Sed duo prodigioſa naturæ miracula. Vnum, tauros quamlibet indomitos fico illigatos cicurari, & immobiles conquieſcere. Alterum, uictimas cæſorumq; animalium carnes perquàm celeriter tenereſcere, & fragiles effici, quę in fico pependerint. Horũ rationem iniuit Plutarchus in Sympoſiacis. Quum inter obſonia Ariſtionis coquus immolatum Herculi gallinaceũ gallum, recentẽ, tenerum, & penè friabilẽ obtuliſſet, tam citam teneritudinem fico acceptam referebat Ariſtio, contendens iugulatas aues, etiã præduras

teneritatem

teneritatem contrahere, quæ penſiles adhæſere fico. Cauſam adfert Plutarchus, nanq; quòd auram halitumq; uehementem ac ualidum expiret ficus, uiſus ſatis teſtatur. Fidem quoq; facit, quod uulgo de tauris proditur: ut ferociſſimus quiſq; huic adligatus arbori, miteſcit, tangiq; manu ac ſubigi tolerat, & efflans iram, animumq; ueluti flacceſcentem deponit. tantis uiribus pollet ea ſpiritus acrimonia, ut, ruat licet ſeuiatq; taurus, imperet furori. Siquidem arbos fici plus cæteris lacte copioſo prægnans eſt, ſic ut & lignum, rami, pomum eo plane referciantur. Quapropter quum amburitur, fumus, quem eructat, et maxime mordet & uellicat. Lixiuus quoq; cinis crematorum maxime deterget, purgatq;. Quin & cogitur caſeus ficulneo lacte, quod emittit arbor, ſi uirentem faucies corticem. Cæterum munere caloris euenire uolunt, ut iniecto ſucco lac coeat, qui humoris concrementum & aquoſum colliquet. Proinde caldam acremq; auram ac digerentem ficus exhalat, quę carnes alitũ deſiccet & concoquat, ſic ut friabiles reddantur. Hoc idem euenit, ſi tritici aceruo obruantur carnes, aut penitus immergantur, calore uidelicet hoc præſtante; argumento, quòd frumentum in quo amphora uini fuerit obruta, confeſtim laticem depaſcit. Honos laudatas ſeruat in capſis. Ebuſo inſula prętãtiſſimas ampliſſimasq;, mox in Marrucinis: at ubi copia abundat, implentur orcæ in Aſia, cadi autem in Ruſpina Africæ urbe. Rationẽ ſeruandarũ recentiũ nõ ſecus quàm in propria parente nobis Africanus explicuit. Ficus ubi maturitatem conceperint, reliquorum pomorum modo in matre cohærentes, non immanẽt, ſed caducæ delabũtur, etſi quoq; nemo decuſſerit. Muſteas perinde quaſi in parente ſeruari ad hunc modum conſtat. Cum uinaria dolia operculanẽ, in nouum fictile non rotundum, ſed potius ex arbitrio quadratum fundoq; fultum miſſæ recentes ficus, minus maturę, cũ ſuis pediculis umbilicisue, hoc eſt particula qua arboribus ſuis depẽdent lectæ, à ſe ſic ut benè intercedat ſpatiũ ſecretæ, recluduntur, & in dolio uini pleno diligenter operculato natare permittuntur. Et niſi uinum contrahat acorẽ, tali habitu manſiſſe cõperies, quali cõſtabant quũ iniectæ fuerant. Recẽtes quoq; ſeruari poſſunt ſingulæ intra uiridẽ cucurbitã clauſæ, loculis unicuiq; cauatis: & itẽ ſpleniata quæ ſecatur teſſera concluſis, ſuſpenſa ea in umbroſo loco cucurbita, ubi nec ignis nec fumus inſpiret: uerũ uti antea dictum eſt, legendæ cum petiolis, quippe quæ diutius durent integræ. Alij ſic in melle diſponunt ficus, ut neq; ſe inuicẽ, neq; uas tãgant, dein indito operculo ſinunt. Alij calicẽ uitreũ, aut aliud quoduis perſpicuum poculũ, ſuper ficos leniter inuertunt, & obducto cera ſpiramento ita relinquunt, ſic manent immarcidę. Docet Paxamus aridas ficos, quas uocant iſchadas à putrilagine uindicari hac ratione: paſſæ ſine ullo carioſę labis ſenſu integræ manebunt, ſi tres liquida pice imbutæ, una in fictilis fundo collocetur, altera referto ficubus ad medium uaſe, tertia faucibus iam cõpleto ſuperponatur, plurimo tẽpore ſanæ & uitio intactæ cõperientur. Si in tegete, qualo uel cratibus inditæ fici calfacto turno poſt exemptũ panem propendeant, & in fictilem & benè picatam fidelíam cõdantur, diu ſeruabuntur illæſæ. Sed eas cum fundo cui reſides hærebant eximere conuenit, & cãdente muria ex oleo in ſole rigare, conditiuasq; collito uaſe luto, noctẽ unam roris imbre ſub dio conſpergi, demum in cellas deferri. Alij cratibus expandunt toto ſole ſiccandas, et recipiunt nocte ſub tecta. Caprificus erinos à Græcis uocata, quod in Erineo Theſſaliæ municipio primum apparuerit, ut Phocioni placet: è ſylueſtri genere ficus, nunquam matureſcens, carpensq; muros ac parietinas. Longè ualidior eſt quàm ficus & nodoſior, nullis ferè uitijs obnoxia, ut etiam fico inſita groſſos ſuas tueri credatur. Prouenit è ficario grano: germinat ineunte uere: gaudet montibus: nunquam matureſcit in ea pomũ. Addiuntur ficetis, ut culices alimẽto in ea fraudati, euolantes in ficos ferantur, aut groſſi ex caprifico lino uelut ſerta perruſi ſuſpendantur, ut ſole per culicũ morſus immiſſo & abſumpto lacte, maturitati præparẽtur. hoc noſtris caprificatio uocatur, à Grẽcis erinaſmos & ſycaſmos. Si hoc deſit, abrotoni uirga ſuſpenditur, aut callum quod in ulmeis foliis inuenitur, aut arietina cornua circa radices arboris obruuntur, uel truncus fici, quo loco lacte turget ſcarificandus, ut poſſit humor effluere. Caprifici materies lẽta & flexibilis. Interdũ arborẽ inuadit ſcabies, quoties poſt Vergilias admiſſi ſunt imbres utiq; paruí: nam largis cauſa omnis eluitur. Caprificus uiuacior fico. In Co inſula nõ bifera modo, ſed & trifera quoq; creditẽ. Huic multo efficacior ad omnia uis, queis cibaria edulisq; ficus medeẽ. Miraculũ

unum præterijſſe piaculum fuerit. Caprificus taurorũ quamlibet ferociũ collo circundata traditur eos ita compeſcere, ut immobiles maneant. Itidem Plutarchus de fico protulit, ut ſupra diximus. In Gallia trãſalpina Strabo ſimilẽ fico naſci tradit arborẽ, fructu capitulũ Corinthiacæ columnæ referente, cuius lacte mortifero ſagittas ſuas illinerent, infami tem perandi uenena cælo non pridẽ aboleri cœpta eius rei nota Gallijs. Iam uires utriuſq; pro ſequamur. Fici recentes ſtomacho inutiles: uentrem reſoluunt, qui facile tamen ſiſtatur, Sudores & papulas mouent, ob id autumno inſalubres putantur: quoniam deſudãtia hu ius cibi opera corpora refrigeſcunt. Sitim ſedant, caloremq; refrigerant: nec uoci contra/ riæ intelliguntur. Siccis natura concalfaciendi, ſitim ſtimulant, uires alunt, molliunt aluũ, rheumatiſmis eius & ſtomachi contrarię: gutturi, faucibus, ueſicæ, renibus propitiæ. A lõga ualetudine decoloribus, ſuſpirioſis, anhelatoribus, hydropicis, comitialibus magnifi cè utiles. Corpus augẽt, ob id antè athletæ hoc cibo paſcebantur. Pythagoras exercitator primus eos ad carnes tranſtulit. Recolligentibus ſe à longa ualetudine utiliſſimæ. At co/ctæ cum hyſſopo pectus purgant, tuſſim ueterem & pituitam, & longa pulmonũ uitia. Al uum moliunt cum croco & nitro manducatæ. Earum decocto collectiones arteriarũ ton/ ſillarumq; gargariſſantur. Vtile & decocti iure fœminas fouere cum fœnogræco & pti/ſana. Emplaſtris hordeaceæ farinæ commode adijcitur, Cum ruta coctæ & infuſæ tormi/ nibus proſũt. Duritias in corpore tritę et impoſitę diſcutiũt. Parotidas & furũculos emol liunt. Panos ad maturationem perducunt, efficacius iride, calce uiua, aut nitro permiſto. Crudis intritis eadem præſtatur opera, imponuntur pterygijs cum malicorio, hoc eſt pu/ nici mali putamine, tibiarum ulceribus defluxione contractis, item maleficis, & penè in ci catricum obductu deploratis, cacoethe uocant, cum atramento ſutorio. Hydropicis co/ctæ in uino & abſinthio & farina hordeacea linuntur: item crematæ pernionibus cum ce/ra. Sonitus aurium incertos pruritusq; tollunt crudæ & cum ſinapi in aliquo liquore indi tæ. Sylueſtris & ſatiuæ fici lacteus ſuccus aceti naturam habet. nam & coaguli modo lac contrahit coactumq; denuo reſoluit. Exulcerat corpora, & ora uenarum laxat, aluum du cit. Locos fœminarũ adaperit, cum amygdalo potus. Menſtrua ciet cum luteo ouí appo/ ſitus aut cera Tyrrhenica. Podagris illinitur cum farina fœnogręci & aceto, Pilos quoq; detrahit, palpebrarumq; ſcabiem emendat. lepras, lichenas, uitia cutis in facie, uitiligines, pſoras, manantia capitis ulcera, cum polenta repurgat. Lactis ficulni natura inſtillati pla/gæ aduerſatur ſcorpionum, crabronum, ueſparumq; & ſerpentium uenenis & canis mor ſibus. Dolori dentium ſuccus appoſitus in lana prodeſt, aut in cauis eorum additus. Idem uerrucas carne circumlita tollit, præſertim quæ quendam pungentis formicæ ſenſum re/ præſentant, myrmecias appellant. Caprificus multo etiamnũ efficacior fico, lactis minus habet ſurculoq; eius lac coagulatur in caſeum. exceptum id coactumq; in duritiam, ſuaui/ tatem carnibus adfert. Miſcetur exulceratorijs medicamẽtis. Pota menſes cit cum luteo ouí. aluũ mouet: uuluã cum amygdalo aperit. Podagricis cum farina fœnogræci illinitur Scabiẽ, impetigines, & lentigines expurgat: item uenenatorũ ictus, & canis morſus. Cau/liculi & folia admiſto eruo cõtrà marinorum uenena proſunt. Bubulas carnes additi ma/gno lignorum cõpẽdio percoquunt. Lac quod ficulna rude ſpathę loco inter coquẽdum agitatur, maiorem ſibi ſoluendi facultatem adſciſcit. Succus quum ſilent oculi, è ramulis iam gemma prægnantibus elicitur, ſiccatusq; in umbra reponitur, efficax ad eadem. Co/ctæ groſſi & illitæ ſtrumas, nodos omnemq; collectionẽ emolliunt. Verrucas & thymos nitro farinaq; additis tollunt. Præſtant hæc & per ſe folia. Groſſuli cum aceto & ſale ulce/ra manantia, epinyctidas & furfures ſanant. Ficoſis extuberationibus & aſperitatibus pal pebrarum adfricti proficiunt. Vitiligines albas emaculant è nigra fici colículi. contra ca/nis morſus, & ulcera, quæ ceria, id eſt fauos uocant, cum melle linuntur. Groſſi ipſæ cum papaueris ſylueſtris foliis oſſa extrahunt. Furunculos cum cera diſcutiunt. Aduerſus mu/rem araneum, & ſcolopendræ morſus cum eruo & uino linuntur. Reſiſtunt & ſanguini taurino poto, ceruſſæ & lacti coagulato potæ. Fit è cinere ficus utriuſq; crematis ramo/rum fruticibus lixiuia eo melior, quo ſæpius iteratur: inueteranda tamen adurendis & ul ceribus quæ gangrænæ uitio periclitantur, conſumendis etiam quæ excreſcunt. Vſus in ſpongia eo liquore imbuta, & ſubinde ſuperpoſita. Dyſentericis & fluxionibus uetuſtis

infunditur

infunditur. perluũtur ea grandes & cuniculoſi ſinus: glutinat enim, carne replet, aſtringit, abſterget, hiantes oras cõmittit, non ſecus atq; emplaſtra, quę cruentis uulneribus iniiciũtur. Bibitur ad diſcutiendũ ſanguinẽ concretum, itẽ percuſſis, præcipitatis, ruptis, cõuulſis, cyathis aquæ ſingulis ex olei exiguo, nuperrimè colata. eadem mẽſura cœliacis, dyſentericis datur. Et ſi quis ea cum oleo perungitur, excalfacit neruos, cõuulſaq; et ſudores elicit. uenena gypſi, & phalangiorũ morſus reſtinguit in potu. Itẽ cũ cera & roſaceo ſubacta ambuſtis cicatricẽ tenuiſſimã obducit. Illita ex oleo luſcioſos emendat, dẽtiumq; uitia crebro fricatu. Strumas & parotidas diſcutit. Cortex tritus ex oleo uentris ulcera ſanat.

Fraxinus. Cap. LXXXII.

Raxinũ meliam & mileã Græci uocant, cognominantq; triozon, hoc eſt trinodẽ, q̃ ramos habeat prægrãdes, ordinatos, pareſq; numero, Galli *freſnam* nominãt. arbos eſt procera, caudice tereti, lęui cortice, ſpiſſo, tenui, rubro, ramis utrinq; pinnatis, foliis lauri, per ambitũ leniter ſerratis, nõ ſine quodam marginis uel cacuminis aculeato callo, porracei coloris: ſemine minuto foliis ipſis incluſo, amaro: radice multa, craſſa & ſublimi. Auctu facillima fraxinus, ſemẽ reddit æſtate poſt uindemiã & Arcturũ, cædi opportuna, malleolis & terebro nõ improbanda, materie humidiſſima, fabricæ lectulorũ utili, multumq; Homeri præconio & Achillis haſta nobilitata: quẽ in uſum & hodie quoq; cõmendatur, utpote enodis, craſſiuenia, neruoſa, lęuis, ſubcriſpa. Ea quidẽ quæ ſit in Ida Troadis tã ſimilis cedro, ſi Plinio credimus: ſi Theophraſto, taxo, ut emẽtes fallat. Gręci duo genera eius fecere, excelſum procerũq; ligno cãdido molliore, criſpiore, neruoſo, enodi: alterũ humilius, ſcabriore, duriore, fuſcio re: ſed folio laurus latifoliæ acutiori, leniterq; per ambitionẽ ſerrato, cuius extremę margi num fibræ in molles ſpinulas occaleſcant: quanquã Theodorus ἐπικαθιζοντας, id eſt ſubſidẽtes, nõ ἐπακανθιζοντας, id eſt aculeatas legat. Ramulos ſingulos quaſi ſingula folia dixeris, adeò ſimul omnia coeũt, ita ut folio unico credas ea cõſtare: quoniã ab uno pediculo folia ſimul cũcta prorũpunt, et per ampla ueruũ interualla tãquã per genicula continẽter ordine pendeãt, perinde atq; ſorbo: inde nõ illepide Plinio pẽnata dicũtur. Internodia latiora cãdidæ, cõiugationeſq; plures, & folia lõgiuſcula & magis anguſta, coloris herbacei: cortex læuis, ſpiſſus & tenuis, rubro colore. Radices crebrę, ſublimes, craſſæ. Carere hãc flore ac fructu in Troadis Ida credũt falſo, etenim fructũ fert in ſiliquis minutũ, nucoſum, qualẽ amygdalæ, guſtu ſubamaro. Fert & lauri modo fraxinus muſcũ & alia quædã aſtrictiora guſtu, circinataq; & in orbiculos coacta, ut pilulæ platani. Ea partim cũ fructu emergũt, partim multo poſt naſcũtur, ut & quæ plecta, id eſt inuolucra plicamẽtaue dicũtur. Læuis cauis madẽtibuſq; locis gaudet: ſcabra ſitiẽtibus & ſaxoſis. Alterã fraxinũ bumeliã in Macedonia nominãt, raro corpore, minuſq; criſpo ampliſſimam: ob id (ut puto) bumeliã id eſt grandẽ, nõ ut Theodorus, bubulã fraxinũ dici crediderim. Quippe cũ buin tẽtionis nota, magnis rebus pręponi ſolet. quod ppulchrè Plutarchus in Sympoſiacis teſtatũ reliquit. Aeolici b pro p litera, pro πολὺ expũcto λ elemẽto βδ pronũciant, nõ bouẽ, ſed magnitudinẽ intelligẽtes. ſic bulimũ quaſi polylimõ, id eſt immẽſam famẽ interpretãtur. Sic bumeliã perinde quaſi polymeliã, id eſt ingentẽ fraxinũ obiter putauerim appellari. Alij ſitu diſcreuere: cãpeſtrẽ enim eſſe criſpã, montanã ſpiſſam uolũt. Sũt qui natalibus diſcriminẽt. Montanã eſſe coloratiorẽ, robuſtã, lęuẽ ac lentã. Cãpeſtrem uerò decolorẽ rarã, ſcabrãq; aſſurgere. Fraxinus cõtra ferè cęterarũ morẽ in planis, magis & materia & fructu cõmendat. plurima in Nilo proſilit. Fraxini quia feſtinãtius germinãt, diſponunt Idibus Februarijs, plãtis & ipſæ naſcẽtes, ſed maritatæ, intercedẽte quincũciali ordinum ſpatio, in rectũ ſe porrigente uerſu. Item fraxinum in anniculos ſcrobes circa Calendas Martias deponunt, quam uelint arbuſtinam uitem fulcire: ea nec ante trigeſimum ſextũ menſem attingitur falce, ut ſeruẽtur brachia, dein alternis putatur: ſexto anno q̃ optimè matũratur. Frondẽ fraxineã cibarijs boum Lucius Columella cõmendauit, quæ poſt ulmeã autũno maximè probetur, nõ antè tamẽ utilis, q̃ uel imbribus, uel aſſiduis roribus maturuerit. Verũ folia iumẽtis mortifera, cæteris ruminãtibus innocua Plinius prodidit: in Italia nec iumentis officere. quæ de taxo non fraxino Theophraſtus interpretatur: inquiens. Si iumẽta (ut ferunt) folia comederint, emoriuntur: ſi ruminãtia, nihil incommodi patiũtur.

fructusq; taxi à nõnullis hominibus estur, suauisq; est atq; innoxius. Sed nominũ uicinitas hoc prodentẽ Plinium uidetur fefellisse, Græcis fraxinũ mileam, taxũ milon uocantibus. Parũ sibi cõstaret Plinius, qui rẽ omnibus uenenatis salutarẽ, iumẽtis lethalem, cæteris ruminantium innocentẽ in Græcia, in Italia noxiam esse tradat, cum ipse contra serpẽtes succo expresso ad potũ, & impositã ulceribus opiferã, ac nihil æquè reperiri contẽdat: tantaq; est uis, ut idẽ est author, ut ne matutinas occidentes ue umbras, quãlibet spatiosas serpens arboris huius attingat, adeò ipsam procul fugat. Rei fides fuerit, ut Plinianis utar uerbis, experta, inquit, prodimus, si frõde ea gyro claudatur ignis & serpẽs, in ignẽ potius q; in fraxinũ fugere serpentẽ. mira naturę benignitas, priusquã eæ prodeant, florere fraxinũ, nec ante conditas folia dimittere. Si sola umbra abiguntur, longè fuerit uerisimilius & succo dato, & depastis frõdibus uenificia depelli, non contrahi. Facit ad rẽ, quod agriculturæ author Didymus Florentini iudicio fretus, posteritatis memoriæ mãdauit, Si serpẽs præsertim uipera aut iumentũ aut hominem momordit, præsens esse remediũ tenera fraxini cacumina terere, expressumq; succum præbere bibendum ex mero, si febrim non sentiant: febre uerò tentatis, ex dilutissimo uino. Item tritas huius arboris frondes læsæ parti superponere. Satis absurdum fuerit mortifera esse iumentis fraxini folia, quibus & tritis & epotis uenenum depellitur. Porrò conuenit inter omnes taxum arborem esse uenenatam umbra, nedum surculo & fronde. Siquidem, ut author est Dioscorides, in Narbonensi prouincia taxus tam præsentis est uenení, ut siqui sub ea uel sedeant, uel somnum capteni, sæpenumero cõmoriantur. Algorem uniuerso molitur, strangulatq; ac celeriter cõficit. Nostras magna ex parte flore caret & fructu: uerũ multos à radice mittit fungos ganeę expetitos. Vidimus tamen frequẽter baccas ex quadam fraxínea arbore ex rubro nigricantes, quibus per inopiam frugum annonæ rura uescantur. Ea arbor est fraxino aliquantum humilior, folio serratiore, & per ambitum hispidiore, cætera fraxinum æmulatur, ideò genus hoc fructiferum apud nos tantũ putauerimus. Fraxinus contra serpentes pollet. folia medentur iocineris & lateris doloribus in uino. Aquã quæ subijt cutẽ extrahunt. Corpus obesum leuãt onere, sensim ad maciẽ reducẽtes, ijsdem folijs cũ uino tritis, ad uiriũ portionẽ, ita ut pueris folia quinq; tribus cyathis dentur, robustioribus septem quinq; cyathis uini. Viperarũ ictus restinguũt & potu & appositu. Corticis cremati cinis lepras illinit. Ramenta ligni scobemq; uolunt perniciem adferre si bibantur.

Galla & pilulæ, Glandes, arbor Glans. Cap. LXXXIII.

GAlla apud Gallos gentilitium nomen retinet, Græcis cicis dicitur. pilula est inæquali superficie, salebrosa, in glandiferis arboribus, præter legitimũ fructum proueniens, multiplici differentia. quoniam alia solida est, perforata alia. hęc nigra, illa candida: altera maior, minor altera. Nascitur omnis sole de Geminis exeunte, erumpens noctu semper uniuersa. Crescit uno die candidior. quæ si ęstu feruente excipiatur, arescit protinus, neq; iustam implet magnitudinem, sed intra fabæ capacitatem subsistit. Nigra diutius uiret, crescitq; interdum, ut ad mali per ueniat magnitudinem. Hæc corijs tingendis utilior, illa perficiendis aptissima. Quæ glandem ferunt, omnes & gallam: sed hemeris, hoc est quercus optimam. Simílem huic latifolia, sed leuiorem, multoq; minus probatã. Fert & nigrã tingẽdis aptiorem. Optima comagena, deterrima ex robore. signum eius est, q̃ cauernæ translucent. Gallã tam albam q̃ nigram Martij exitu nasci author est Theophrastus, noctu erumpere uniuersam, crescere uno die præter resinaceã: & si occupetur æstu, arescere protinus, neq; ad iustũ modũ grandescere, hoc est ut nucleo fabæ magnitudinẽ impleat: nigrã diutius uirescere, & magnitudinẽ mali nonnunq; capessere: gallam nigram siue resinaceam sine oleo flagrare. Galenus gallas eas scribit quę grãdescũt fungosę, à rusticis uocari onicicidas, quasi asininas, q̃ ignauę sint, & minus efficaces. Robur præter fructũ plurima alia gignit. Nã fert & gallę utrũq; genus, & quædam, ut idẽ tradit Theophrastus, ueluti mora, nisi distarent fructu, contumaci duritia, plerunq; nonnulla colis effigiem repræsentantia: interdum, quum perficiũtur, tauri caput imitantia: quæ cum prærupta dehiscunt, nucleum ostendunt oliuæ simílem. Nascuntur & in eo pilulæ nucibus non absimiles, intus habentes flocculos molles, lucernarum luminibus aptos, qui & probè gallę nigræ modo flagrent. Fert & aliam cum

capillo

capillo comigeram pilulam,uerno tempore mellígeni ſucci tum guſtu tum tactu. Gignũt & alæ ramorũ pilulas ſine pediculo ſeſſiles,parte cõcaua adhærẽtes,uerſicolores,quę pro minẽtes quoſdã umbilicos uel candicantes,uel diſperſa nigrarũ macularũ uarietate nota tos præmonſtrẽt,mediis partibus colore cocci rutilãtibus,quibus apertis putris inanitas cernitur,aliquãdo pumices. Sed raro gignit,necnõ è foliis cõuolutas rariores pilulas,cõ preſſas,oblõgas,ſuper foliis quoq; tergo adhærẽtes,aquoſis intus bullis,candicãtes quæ muſcas creant. eæ matureſcẽtes tandẽ in gallas occalleſcẽtes durãtur. Glandes,quæ Grę cis balani uocãtur,opes fuiſſe multarũ gentiũ alta etiã pace fruentium: necnõ cũ annonæ premeret inopia, arefactas moliri in farinam, ſpiſſariq; in panis uſum conſtat. Quoniam & per Hiſpanias glans ſecundis menſis inferitur, dulcior eadẽ in cinere toſta. Cautũ erat lege duodecim tabularũ,ut glandẽ in alienũ fundũ procidentẽ liceret colligere. Genera ea rũ permulta. Diſtãt fructu,ſitu,ſexu,ſapore,nanq; alia fageæ glandi figura,alia quernę,& alia ilignæ. Sunt & inter ſe generũ ſingulorũ differentiæ. Præterea ſunt alię ſylueſtres,alię placidiores quæ culta obtinent. Iã etiã in mõtoſis planiſq; diſtant, ſicut & ſexu mares & fœminę,itẽ ſapore. Dulciſſima omniũ fagi, qua obſeſſos etiã in oppido homines duraſſe tradunt hiſtoriæ. Fagi glans triãgula cute claditur, muribus gratiſſima, & ideò animalis eius una prouentus. glires quoq; ſaginare proditur. Glandeũ ,quæ proprie intelligatur, ferũt robur,quercus,eſculus,cerrus,ilex,ſuber. Cõtinẽtur hiſpido calyce,per genera plus minus ue item cõplectente. Ilicis glans breuior & gracilior,quã Homerus appellat acylõ. maſculas ilices negant ferre. Glans optima in quercu atq; grandiſſima. mox eſculo, roboris parua,cerro triſtis & horrida,echinato caſtanearũ modo calyce: ſed in querna dulcior molliórque fœminæ,mari ſpiſſior,ſed maxime commẽdatur latifoliæ. Diſſident quoque inter ſe magnitudine & cutis tenuitate. item aliis ſubeſt tunica rubigine ſcabra: aliis protinus candidum corpus. Probatur & ea,cuius in balano utrinque ex longitudine extrema lapideſcũt in duritiam. Præterea aliis ouata, aliis rotũda, aliis acutior figura: ſicut & colos nigrior,candidior ue,qui præfertur. Amaritudo in extremitatibus, mediæ dulces. Quin & pediculi breuitas proceritáſque differentiam habet. Glans haliphlœo dictæ rara, & quum tulerit amara, quam præter ſues nullum attingit animal, ac ne eæ quidem ſi aliud pabulum habeant. Glans fagea ſuem exhilarat, carnem creat leuem,concoctu facilem & ſtomacho non inutilem. Iligna ſuem reddit anguſtam, nitidam,ſtrigoſam, grauem: quercina diffuſam & ponderoſiſſimam,& ipſa glandium dulciſſima. Proxima huic cerrea tradi tur,nec ex alia ſolidiorem carnem gigni: iligna tentari ſues,niſi paulatim miniſtretur, hãc nouiſſimam cadere. fungoſam carnem fieri eſculi, roboris, & ſuberis glandibus. Idæi apud Theophraſtum dulciſſimam glandem aſſignant fago: ſecundam hemeridi ſiue placidę,quam quercum exiſtimant: tertiam latifoliæ ex argumento dictę: quartã haliphlœo, id eſt ſalſicortici: ultimam & amariſſimam cerro. Diſtant magnitudine, figura, colore ut idem tradit. Peculiare tamen fago & ſalſicortici, quòd ambæ in ſexu uirili glandes parte poſtrema utrinque lapideſcunt: aliis in putamine,aliis in carne ipſa: ideóque detractis lapillis, concaua perinde atque in animalibus relinquuntur. Dulciſſimam glandem ferre tradit eam,quã placidam alij quercũ nominant. Glandis caro cruſta cõtegitur,ſucco dulci & melleo. Prę fertur omnibus Iberica,ut Varroni placet,glans: ſeu balanos Theophraſto. Magna arbos,illæſa,conſurgit folio myrti, longiore tantum. caudice carnoſo,non recto,ſed contorto. Fructus putamine unguentarij inſtitores uti ſolent. eſt enim odoris iucũdi,ſed fructus ipſe inutilis,uiſu cappari proximus. Materies ualida, tam ad alia quædã quàm ad nauigia percõmoda,ea Aegypti eſt alumna. Gallæ genera permulta: ſed principalia diximus duo eius in medicinæ uſu præcipua, ſolidæ,perforatæ. Solida quæ & omphacitis uocatur, parua eſt,nodoſa,pondere ualens,nullo foramine peruia. Aliud genus inoffenſæ rotũditatis,leue. Vis omnium ſiccandi,optima comagena. Excreſcentia in corpore tollũt,proſunt fluxionibus gingiuarũ & uuę,oris exulcerationi medentur. Nucleus cõmanducatus dolorẽ ſedat, ubi dens cauus infeſtat impoſitus. Crematæ carbonibus dũ excandeſcant, tũ uino,aceto,uel acida muria reſtinctæ ſanguinis proluuiẽ ſubprimũt. Siſtunt menſes uuluasq; procidentes,earumq; fluxiones, inſidentiũ fotu. Maceratæ aceto uel aqua capillos denigrãt. Tritę in uino & aqua dyſentericis illinuntur, paronychijs ex

melle

melle,unguibus ſcabris,pterigijs, ulceribus manãtibus, condylomatis, uulneribus quæ phagedænica uocantur. In uino decocte auribus & oculis inſtillantur. Aduerſus eruptiones & panos cum aceto imponuntur. Immaturę ex ijs & aceto potæ lienem cõſumunt. In tertrigines & ambuſta ſanant. Pilulæ roboris ex adipe urſino alopecias capillo replent. Glandes aſtringendi naturam obtinent,urinã trahunt. Sed deuoratę capiti dolores creãt, inflationeſq; pariunt. Auxiliares ueſcentibus contra ſerpentium percuſſus. Duritias intritæ,quas cacoethe uocant,cum ſalſa axungia ſanant, uehementioréſque lichenas. Crudæ & intritæ collectiones tollunt. Succus decocti prodeſt contra toxica cum uaccino lacte potus. Idem pollet & membrana,quæ ſub calyculo glandẽ obducit. In omnibus tam cortex,q; ſubiecta cortici tunica iuuat cœliacos,dyſentericos,ſanguinẽ excreantes. Illinitur 10
ſerpẽtis plagæ. Reſiſtit uenenatorũ ictibus,fluxionibus,ſuppurationibus. Datur ex uino dyſentericis. Tritus uulneribus uuluæ profuſioni opportunis ſubditur in uellere.

Geniſta,Iaſminum. Cap. LXXXIIII.

GEniſta fruticat ramis herbaceis,ſcabris,fronde minuta foliatis,flore luteo,apibuſq; gratiſſimo,ſemine lenticulis haud abſimili, quod phaſiolorũ modo ſiliquis innaſcitur. rami uitiliũ uſum præſtant. Geniſtam puto uocant,quoniã genu modo flexilis ad nexus ſit,uel quia genibus medeatur dolentibus. Flos geniſtis decerpitur luteus coronis texendis,quas circũferi aluearijs gratiſſimũ: nanq; cum alueorũ mel eximitur, exitus illini oportet geniſta trita,ne apes diffugiant. Subeunt in montoſa tingendis ueſtibus naſcentes geniſtæ. perarida loca geniſtam 20
poſtulant: eius cum ſit ſatis firmum, tum etiã lentiſſimum uinculũ. ſiquidem cum alia deſunt uincula,geniſtæ firmiter adligant. Serendi tempus uere circa Calendas Martias, ſed ſicca loca deſiderat. circa uineã opportune ſeritur, quoniã idonea præbet uincula: ſeritur autẽ ſemine,quod cũ eſt natũ,uel defertur bima uiuiradix,uel relicta, cũ id tempus exceſſit, omnibus annis iuxta terrã ſegetis more demeti poteſt. geniſtã uel ſemine uel plãtis in paſtinato uel etiam ſulco deponere oportet. ea uinculi uſum præbet. flores apibus gratiſſimi. Dubitat Plinius an hæc quam Græci authores ſpartũ appellauere, cũ è geniſta Aſia faciat lina ad retia præcipua,in piſcãdo durãtia, frutice madefacto decẽ diebus. Falluntur 30
qui hãc eandẽ eſſe cũ ſpartio cõtendant,quoniã geniſta foliis ſcatet minutis: ſpartion uirgas fundit lõgas ſine foliis,ualidas,atq; lẽtas,uinculorũ uſu præcipuas,uinibus feſtucãdis alligãdisq;. Vtraq; folliculos phaſiolorũ modo fert,& in ijs ſemẽ lenticulę,florẽ luteũ: ſed ſpartũ uiolæ albæ,geniſta ferè piſo ſimilẽ,ſeritur,ut Columella tradit,ſemine,plantulis & uiuiradice. Spartũ ſpõte naſcitur multiplici tunicarum cortice,& quod ſeri nequeat, propriéq; aridi ſoli iuncus et terrę uitiũ, quia nihil ibi ſeri aut naſci poſſit, noxiũ animalibus, præterquã cacuminũ tenerítate. Geniſtæ florẽ coronis addidere apibus gratiſſimũ. Spartũ qui uiderunt,iunci genus aculeatũ repræſentant, haud temere alibi q; in Hiſpania naſcens in ſterili aridoq; ſolo,quo nectunt funes & maxime rudẽtes. Sunt qui,ut controuerſiam dirimãt,duo ſtatuũt ſparti faſtigia,unũ quod geniſtã uocauimus,alterũ quod in Hiſpania & Aphrica funibus naſcatur,lygea potius dictũ ab Athenæo: ſed non poſſe in unũ coire genus multis refragãtibus ultro citróq; ſcriptis,iã abũde declarauimus. Semẽ in folli 40
culis phaſiolorũ modo naſcẽs, purgat ſeſquidrachma in aquæ mulſæ quatuor cyathis potu matutino. Ramis cum foliis in aceto maceratis pluribus diebus et tuſis ſuccus elicitur, iſchiadicis utilis unius cyathi potu. quidã marina aqua macerare malunt & infundere clyſtere. Perungũtur eodem ſucco iſchiadici addito oleo. quidã ad ſtranguriã utũtur ſemine. Geniſta tuſa cũ axungia genua dolentia ſanat. calfacit & ſiccat in altero ordine. Eſt huic non diſſimilis,quã officinæ *geniſtellam* uocant, Græci quantum aliqui ſuſpicantur ericem, humilior tantum & exilior, colore marini roris & penè folio, flore luteo, ſemine rufo, quod ſerpentibus aduerſari tradunt. Sed & frondis decocto muliebris natura ad ſiſtendos curſus menſtruos. Eodẽ aluinis ſuccurrunt poto. Sunt qui hanc eſſe putant quã Galli 50
roſmarinum aculeatum uel potius *iomarinum* appellãt,libanotidis folio,ſed rigido ac pungente, cuius floribus paſtæ apes improbũ mel cõficiunt. naſcitur in arenoſis ſecus uias flore melino. Iaſminon uel ioſme,etſi ueteribus,ut arbitror,incognitũ fuerit,ſaltẽ Galliæ græcam tamen ſubolere uidetur originẽ,quaſi dicas odoratam uiolã,aut,ut aliqui interpretantur,

ioſmenon

ſoſmenon potius legẽtes, apiariam. nanq; ad eius florem aluearibus gratiſſimũ aduolant apiũ examina, huius ſuauitate capta & odoris illecta iucunditate. *ieſeminum* uulgo uocatur. Frutex attollitur procero ſambuci caudice, longius reptans flagellis, diſtinctioneſq; & arundineos parietes in hortis opere topiario cõueſtiens, ſed iam apud nos ambulacra hortenſes ategias non illepida opacat uenuſtate. Folium in uiridi nigrans, oblongũ, faſtigiatum, mucrone languido, magnitudine roſacei, ſed anguſtum, flore candido, præcipuæ ſuauitatis: quem oleo macerant, & tantiſper inſolant, dum odorem omnem & floris oleum ebiberit, & ad uſus tandem recondunt. Sunt è recentioribus qui iaſmen uocitant, fortaſſe quòd uiolaceũ odorem repreſentet, triaq; iaſmini uel iaſmes genera conſtituũt. Albam colore, cæruleam, & in Aegypto luteam, qualẽ in Italia naſci iam audiuimus. hoc uiolæ genus Perſicũ & Parthicũ & omnino peregrinũ uocauerim, lõgo interuallo ab alba noſtrate uiola, niſi fortaſſis odore, diſtans. Vnguentũ tamen ex eo flore conditũ iaſminũ & oleũ iaſmelæon & iaſme dicitur, quo Perſæ Parthiq; fœtẽtis animæ uirus multitudine ciborũ & ebrietate natũ, accerſita odorum cõmendatione ſummouent, quæ uox admonere quẽpiam poteſt ex ea ferè uiola cõpoſitum intelligi quæ uulgo *ieſeminum* uocatur. Mauritaniq; familiæ medici Zambachũ & eius oleum Zambachinũ nominarunt, quod eo in genere candidũ profert florẽ. Maiore excalfaciendi reſiccandiq; dote tradunt pollere, q̃ quod luteum in Babylonico agro frequens, uel cæruleũ promat. Adijciunt abſceſſu ſecundo calfacere, lentitiã pituitæ frigidis ſenibus digerere, folia tã humentia q̃ arefacta panos & impetigines tollere, humores diſcutere frigidosqui in aliqua corporis parte coierint, deſtillationibus opportunos iuuare, uerũ capitis dolorẽ ijs ciere qui calida præditi ſunt natura, quibus etiã odoratu crebriore ſanguinẽ naribus elici pollicentur. Non ſunt audiendi qui ieſeminum eſſe leucanthemũ contendunt folioſam, flore candido, abrotoni odore: cũ leucanthemo ramuli ſint nunquã pauciores duobus, in diuerſa tendentes, flos candidus, lilio rubro ſimilis, ſemine nigro, lato ad lẽticulæ dimidiæ figurã, multo tenuiore, radice herbacei coloris. Illi frequentes, prælongi, qui topiarias hortorũ fornices, uel teſtudinatas eo rundẽ turriculas aut cõcameratos quoſcunq; ſinus adoperiunt, ut ſubtus ambulantes ab ſole poſſint uindicare. Foliũ in obtuſum mucronẽ turbinatũ ex uiridi nigricans, flos cãdidus præcipuæ commendationis, quanuis & luteus & cæruleus inueniatur, ſed uiribus ignauior.

Halimus. Cap. LXXXV.

HAlimus, ut Dioſcorides ſcribit, in magno nominũ ambitu eſt, frutex & ſepimento uallari idoneus, ſimilis rhamno, ſine ſpinis, folijs oleę duntaxat latioribus. naſcitur in ſepibus & maritimis, laudata in cibis, folio inſtar oleris decocto. Halimon Latini, ut Plinius ait, aureonẽ uocãt. Cõuoluit ſe ut hedera. locis ſalſis naſcitur, ſalſilaginẽq; præfert, Eſt & halimon non parui & ipſum inter authores erroris. Aſphodelon appellari halimũ ab Heſiodo quidam falſo interpretãtur: qui tamen error à Græcis peruenit ad Latinos. de eo diſcrepant ſententiæ. Alij frutícem eſſe dicũt denſum, candidum, ſine ſpina, folijs oleæ ſed mollioribus: coquitur autem hoc ciborũ gratia. Alij olus maritimũ eſſe dixerunt, ſalſum, & inde nomẽ, folijs in rotunditate lõgis, laudatũ cibis. Duorũ præterea generũ, ſylueſtre & mitius. Sylueſtri folia tenuiora ſed maiores effectus. utrunq; prodeſſe dyſentericis & exulceratis cum pane, ſtomacho uero ex aceto. Vlceribus uetuſtis illinitur crudũ, et recentiũ impetus lenire perhibetur: ac luxatorũ pedum, item ueſicæ dolores. Sylueſtre in ſananda hominum ac pecorum ſcabie efficacius addunt: præterea nitorem corpori fieri ſi fricetur radice ea: ſemine linguæ ſubdito, ſitim non ſentiri: hoc quoque mandi, & utraq; etiam cõdiri. Crateuas etiam tertium genus tradidit longioribus folijs & hirſutioribus, odore cupreſſi, naſci ſub hedera, maximè prodeſſe opiſthotonicis, contractionibus neruorum, tribus obolis in ſextarium aquę. Galenus halimum in Cilicia prouenire copioſam. inibiq; folia recentis in cibos recipi & in uſum condita ſeruari ſcribit. Solinus halimon in creta naſci tradit, mirabili ſi credamus effectu, q̃ admorſa ea, fames interdiu nulla ſentiatur, ut nomẽ inde inditũ ei ſit, quaſi famẽ arceat, propterea nec aſpirationem prima litera recipiat. Nam & in authoribus inuenitur modo afflari, modo nudè ſcribi. Placet tamen ſpiritus, quoniam maritimũ olus credatur & halmyris à ſalſilagine ab Aetio dicatur. In uiuis apud nos ſepibus frequenter frutex,

quem

quem *blanceputam* rura uocant, guſtu ſubacerbo in ſalſilaginẽ tendente, quare menſis folia cum tenereſcunt non eſſent ingrata, non tamen apud nos ſunt edendo, cum prope nimia habeantur olera, faciléque in cibos uſumq; condita reciperentur. Non me fugit Mauritanis molochia & atriplex marinum uocari, & ab accolis maris per oppida & uicos manualibus faſciculis compoſitum uænale deferri. Dioſcoridi folia decoquuntur ciborum gratia. Radix drachmæ pondere in aqua mulſa pota tormina diſcutit. Rupta, conuulſa mitigat. eadem lactis ubertatem facit.

Haliphlœos & Hemeris. Cap. LXXXVI.

HAliphlœos arbor eſt glandiferarũ peſſima, cortice atq; caudice craſſiſſimo & plerunq; cauato, fungoſoq;. Sola corde caret, nec alia putreſcit in eo genere, etiã cum uiuit. Quoniã & fulmine frequẽter icitur, quamuis altitudine nõ excellat, ideò neq; ad ſacrificia uri fas erat apud Aeoles. Eadẽ ferè ſemper ſterilis, & cũ glandẽ tulerit amara eſt, quã præter ſues nullũ attingat animal, ac ne eæ quidem, cũ aliud pabulum nanciſcũtur. Alij haud adeò faciũt amaram, traduntq; in uirili eius ſexu glandem parte poſtrema utrinq; lapideſcere. Materies eius ædificijs inutilis eſt, neq; nõ carboni. Macedones tamẽ eius ligno ad axes uſi tradũtur. ſed hęc alterius erat generis, eiſq; eadẽ cũ ægilope. Haliphlœos, quæ, ut græco ſatisfiat uocabulo, ſalſicortex, aut nõnunquã euthyphlœos, id eſt rectícortex latinè uerti poteſt. Theophraſto craſſiſſimus huic codex, & plerũq; cauus ac fiſtuloſus, peſſima carboni et materię. Breui putrefit, quod ex arboris natura euenit, qua de cauſa & ędificijs dãnatur, & cõcaua inniſq; redditur. Sunt qui corde hãc uolũt carere, & fulminis ictu ſolã deflagrare, quãuis altitudine nõ præſtet. Aeolũ nõnulli neq; ad ſacrificia lignis utuntur. Hemeris quã aliqui placidã interpretãtur, roboris genus eſt, trũco neq; erecto, neq; læui, neq; excelſo, ſed caudice in orbẽ comoſo, contorto, ſinuoſoq;. conſurgit multis ramorum alis concaua, glande omniũ maxima & dulci: materie quidem robuſta, ſed quæ fago ſit infirmior. Theophraſto hemeris in orbem comat, torqueturq; in alas, crebro ramorum ſinu caua, materies ualida, glans ei poſt fagũ dulciſſima. Sunt qui hanc eſſe quercum exiſtiment, quam mydion interpretẽtur: quibus facilè accedo, fretus Theophraſti teſtimonio, qui ſcriptũ reliquit, eã quæ glãdẽ ferat dulciſſimã, quibuſdã quercũ, alijs hemerida, id eſt placidã uocari. Cęterũ utriq; eadẽ adſcribitur natura, præterquã à Plinio, qui parum diligenter glãdiferarum arborum diſcrimina obſeruaſſe nonnullis accuſatur. Hanc inter quercum & placidã, uel ſi mauis hemerida, inuenit differentiã, ut in his arboribus, quę maximam ferat glandem, hemeris uocetur, breuior & in orbem comoſa, aliſq; ramorũ crebrò cauata: fortius lignum quercus habeat & incorruptius. ramoſa & ipſa: procerior tamen & craſſior caudice. Glãdiferas arbores una uoce comprehendi poſſe latino ſermone negat Plinius, quemadmodum dryos græco, uel etiam uetuſtiſſima Saronis uoce, quæ Saroniaco ſinui nomen dedit. Quibuſdam ut Theodoro Gazæ, roboris appellatione contineri poſſe omnia genera uideantur. Sanè dryos uocabulo omne lignum complectuntur, unde gerandryon, quaſi uetus dixeris ramale ueterémque arborem. Ergo roboris quaterna genera, quercus, robur, eſculus, cerrus, quæ Græcis illis reſpondeant, hemeridi, ægilopi, haliphlœo, platyphyllo, ut ſit quercus hemeris, platyphyllos eſculus, ægilops cerrus. Theophraſtus certe agriam dryn appellat, quam noſtri robur interpretantur. Robur tamen quæ Theophraſto agria drys dicitur, licet pro communi glandiferarũ genere uſurpent, ea tamẽ Plinio eſſe uidetur, quam Gallicũ nunc uulgus *cheſnam* uocat. ea paſſim in ſyluis ſpectatur, ſolio latebrarum anfractibus ſinuoſiſſimo, glande exigua materie duriſſima. Nam & hæc ſola præter fructum, gallam utriuſque generis, & fungos, & plurima alia gignit. Siquidem fert & quædam ueluti mora, ni diſtarent arida durítie: ſed hoc admodum raro. Fert & hoc quod pilon appellant, id pilula eſt nuci haud abſimilis, intus habens lanuginẽ, quaſi fungũ lucernarũ luminibus aptũ: nã & ſine oleo flagrat ſicut galla nigra. Iã aliud producit effigiem colis repręſentans, quod quum fuerit perfectum, tauri caput imitatur, fructu intus nucleis oliuæ ſimili. Parit & aliam inutilẽ pilulã cũ capillo, tum tactu, tum guſtatu, melligeno ſucco uere inficientem. Creant ad hæc alæ ramorum eius pilulas, ſine pediculo ſeſſiles ac uerſicolores. Enimuero eminentes quidam umbilici candicant: cætero uarietas

diſpergi

diſpergitur: media cocci rubore punicant: apertis amara putris & nigricans ſubeſt inanitas. Profert & rubentem capillum: ſed frequentius aquoſos nucleos albicãtes & tralucidos, quandiu teneri ſunt, in quibus & pumices naſcuntur, indureſcentes gallę modo, ubi ad iuſtum incrementum uenerint, iĳ foliȷs à tergo adhærent. Naſcuntur è foliȷs & aliæ cõuolutæ pilulæ, cõpreſſæ atq; oblongæ in folio rubentes. Fert & robur cachryn: ita uocatur pilula in medicina urendi uim habens, poſtquam folia cecidere, hyeme durans. Continet nucleum pineis ſimilem. is creſcit hyeme, aperitur uere pilula tota, cadit cum folia cœperint creſcere. Tam multiferum eſt robur, ut & uiſcum & mella pariat, & ut author eſt Heſiodus, conſtátque rores melleos è cælo cadẽtes non aliȷs magis inſidere frondibus Cremari quoque roboris cinerem eſſe nitroſum manifeſtum eſt. Fert boletos ſuillos gulę nouiſſima irritamenta, quæ circa radices gignuntur, quercus probatiſſimos, robur noxios. Promit & ut aliæ glandiferæ, agaricum. eſt autem fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in ſummis arboribus naſcens, nocte relucens. Signum hoc eius, quòd in tenebris decerpitur. De robore, quam Theophraſtus agriam dryn appellat, uariant ſententiæ. aliȷs ſemine, aliȷs etiam radice quanquam ſero, aliȷs trunco naſci cõtendentibus. Item aliȷ eam florere putant: aliȷ negant, ſed floris loco muſcum ædi credunt. Fructificat poſt autumnum circa Vergilias occidentes, ramos habet inconditos: folia lateribus ſinuata, quę non ex ramis modo, ſed etiam ex caudice pendeant: ſuccum dulcem: craſſum corticem atq; ſcabrũ, in ſenecta maximè: radices multas & altas. Porrò reliquæ arbores, ut cœpere cõtinenter germinant, ſolæ robur, abies atque larix germinatione terna parturiunt, corticémq; inter ſquamas ſpargũt, ac deinde rũpũt: ob id triſlepri uel triſlipi uocatę, hoc eſt in termiſſariæ, uel triſquamiæ. Roboris cachrys dicta nonnullis amentũ appellatur, de qua ſupra diximus. Tardiſſimè robur cæditur hyeme ineunte, antè cum turget, celerrime cõputreſcit. Tempeſtiuè cæſum neque cariem ſentit, ſed prædurum & ad cornus ſimilitudinem ſpiſſatum edurat, totum enim cordis ſpecimen præfert. Non deſunt, qui tempeſtiuum putent uere, cum amentum, id eſt cachryn ſuam gerit. Medullam huius inter ſpiſſa commemorãt, melandryon uocatam, æterna in aquis materia, ſed dulcibus: mari putreſcit, contrà quàm magna pars arborum. Hæc tamen & mari utilis, ſed nauibus, & ædificiȷs quoque cæteris quæ terra obruantur. Carbones è robore annoſo & nouello damnãt, media ætas in pretio eſt. Robur tamen nonnunquam ponderi cedit, nec ut abies & pinus renititur: ſed interdũ frãgitur. Roborea materies in opere difficillima, quòd criſpa ſit, nodoſa, conuolutationibuſq; perplexa, prædura medulla. Siquidem terrenis principiorum ſatietatibus abundans parumq; habens humoris, cum operibus in terrenis obruitur, infinitam trahit æternitatem, ex eo quòd cum tangitur humore, non habens foraminum rari tates propter ſpiſſitatem, non poteſt in corpore recipere liquorem: ſed fugiẽs ab humore reſiſtit, & torquetur, & efficit in quibus eſt operibus ea rimoſa: ſic robuſta ea materies. Fluuiȷs & lacubus demerſa nulla marcoris tabe conficitur, ſed mari putret, macerata condítaq;: quaſi dulcibus gaudeat, & ſalſas horreat aquas, niſi ſal humida non ſicca à corruptionis uitio uindicet. Cæterum ſunt, qui haliphlœi nomine robur putent comprehendi quod compertum non habeo. nec parua fuit difficultas prodere, quibus Græcis latina cõgruerent. Quidam quatuor ſupradictis faſtigiȷs duas addidere ſpecies, fagum & ilicem. ſed toto genere diſtant, ut paulopoſt diſſeremus, ut cognatæ potius quàm cõgeneres ſint habendæ. Sibari qui nunc Thuriĳ dicuntur, quercus fuiſſe traditur in oppidi conſpectu, fronde perpetua, Varronis teſtimonio. Theophraſtus ſcriptum reliquit in agro Thurino ubi urbs Sibaris fuit, perſpici quercũ unam nũquam folia dimittentem, quæ nec germina re cum aliȷs, ſed ab ortu Caniculæ ſolita ſit. Quercus auida creſcendi, rarum eſt, quoniam ſata deterior eueniat, dulciſſima ei glans poſt fagum. Macedones, quæ dulcem glandem producat, etymodryn quaſi dicas ueriquercum appellant. Naſci quercus in rubro mari glandiferas tradunt: naſci quoque in alto propiores terræ Theophraſtus prodidit, ſuper lapides atque teſtas fictiles ſine radicibus, ſed patellarum modo adhæreſcentes, folio carnoſo, craſſo atque oblongo, myricæ ſimili, accedentis ad purpuram coloris. Forma ei flexuoſa, atque in latitudinem diffuſior, ramis breuibus, contortis, ſpiſſis. magnitudo arboris tota paulo ſeſquipede amplior. Hac mulieribus lanæ tingũtur. Ramis earum annexę

pendent conchæ quædam & cautibus parte ima, ubi millepedes, & aliæ generis eiusdem beſtiolæ quodq; polypi ſpecimen gerit, populantur. Alterã quercũ in mari naſcentem refert glandiferã, cuius fructus ſit cõmodus. Item alias magnitudine inſignes: ſed ea naufragis & urinantibus cõperta ſunt. In Luſitania profundo mari quercus glandiferas innaſci, unde thunni ueſcãtur, author eſt Polybius. ob id thunnos qui dicat marinos eſſe ſues, minime diſceſſerit à uero, ut inquit Athenæus. Carinas nauibus quernas ſubiici præcipiunt maxime triremibus. Abieti aut pino laríci uocatæ ferruminari quercus non poteſt, inſociabili natura, q̃ hæc ſpiſſa corpore ſit, illæ textu raro. Caucis ut eſt Plinius author, circa duos præcipuè lacus litora ipſa quercus obtinẽt, maxima auiditate naſcendi, ut ſuffoſſæ aut fluctibus propulſæ flatibus, uaſtas cõplexu radicũ inſulas ſecũ auferãt: itaq; libramento eo ſtãtes nauigant, ramorũq; ingentiũ armamẽtis ſæpe territa Romanorũ claſſe noctu, inito cõtra arbores prælio. E glandiferis ciuicas coronas necti mos erat, quæ omnibus antetferrentur. Ciuica ilígna primo fuit, poſtea placuit ex eſculo ioui ſacra. Variatũ et hoc cũ quercu eſt, ac data quę ubiq; fuerat. Nõ eſt prętereundũ Alexandri Macedonis inuentũ, ſeruandæ niuis in ſcrobes, ubi ea ſit, cõiectis è quercu ramis. Saronicũ in Peloponẽſo ſinũ eſſe Plinius tradit, olim querno nemore redimitũ, unde ei nomen, ita antiqua Græcia appellãte Quercũ. Omnis aſtringendi uim habet, præſertim interior & ſubiecta cortici tília, quæ ligno mẽbranacea cohæret, quinetiã tunica putamini glãdis ſubiecta. Decoctũ ex ijs datur dyſentericis, cœliacis, ſanguinẽ excreãtibus. Trita in peſſo fœminis fluxione uuluę laborantibus ſubditur.

Hedera. Cap. LXXXVII.

HEdera ſatis omnibus inimica, ſepulchra ac muros rumpens, ſerpentiũ frigori gratiſſima: quæ etſi creſcẽdo arborũ magnitudinẽ æquat, frutices eã tamẽ ſibi uendicarũt, nec ſub hedera cõprehenduntur, quę repũt humi, de quibus dicetur in chamæciſſo. Plurimas, ut Dioſcoridi placet, ſigillatim habet differentias, ſed ſummas ſpecies omnium generum treis. Candida fructum candidũ fert. Nigrũ nigra uel crocatũ, quã uulgo *dionyſiam*, id eſt bacchicã uocant. Tertia quæ nominatur helix, nullũ parit fructũ, tenuibus ſarmentis, foliis paruis, anguloſis, cõcinnioribusq;. Sic excelſarũ tria ſunt capita. Citton iuuenẽ Græci fabulantur dũ corã Libero patre ſaltibus & choreis indulgeret, in terrã fuiſſe deturbatũ: Tellus Bacchũ magnis honoribus extollens, cognominẽ gentilitiamq; uiticulã ædidit, iuueníli pullulatu frondentiq; ui rore perpetim emunitã, quæ tamẽ tripudiorũ modo cõplicita circunflectatur. Hedera, ut Græci prodũt, aquis gaudet. ferítur à Calendis Nouẽbribus ad Martias uſq;. decoros dabit corymbos, ſi ternũ conchyliorũ crematorũ cinere conſpergatur, aut alumine rigetur. Nigra uertitur in candidam ſi terra alba madens humore, octo dierũ ſpatio radicibus infundatur. Damegeron eſt author: ſi hederæ nigræ tres taleolæ in mundo linteo ligatę filo, in amuleti modũ lineoſis adpendantur, geſtantes infra triduum hoc uitio liberabunt. Nigra francis *lierra* dicitur. hæc ubique per parietes reptat, arboreſq; radicoſis amplectitur brachijs, in totum fruticoſa. folia primum cum pubeſcit anguloſa, cumplurimum in triangulám faciem exeuntia. uetuſtiori rotũdantur, pinguia, dura, immortali uirore, flore exili, uitigíneo, baccis primũ herbaceis, mox atris, et nõnunquam croceis, longiori pediculo in uuæ modũ dependentibus, ſparſioribus racemis nõ in globũ candidæ modo coeuntibus, ſed in acinos diſcretis: radice numeroſa, denſa, flexuoſa, cõtortaq; ac ſurculoſa, nec admodũ profunda. Hedera ubi occepit ſementeſcere, germen ſublime rectũq; agit, ſempiterna coma uiret. Ideo huius coronis poetæ utebantur. Hæc ſæpe ueteres fulcit macerias, quas tandẽ uinciẽtis glutini raptu demolitur. Candida in duplici diſcrimine, quoniã una fructu tantũ candet, altera folio, quæ corymbis dũtaxat albicat, denſus acinus èi & grãdior, racemis in orbem circumactis, qui uocantur corymbi. Hęc corymbias & athenis acharnicum irriguum dicitur, ut ſilenitiũ cuius eſt minor acinus, ſed ſparſior nigrę modo racemus. Arbores hæc ſuo cõplexu ſtrangulat, totumq; humorem exugendo necat: ſuccíq; largioris hauſtu, tãta craſſitudine coaleſcit, ut in iuſtam arborem euadat. Signa eius, folia maxima atq; latiſſima mammas erigentis, hoc eſt germina, quæ ſunt cæteris inflexæ, racemi ſtãtes atque ſubrecti: radicoſa huic brachia & maxime ramoſa robuſtaq;, ſed ab ea nigræ. Albæ tamen proprium eſt, quòd inter media folia emittat brachia, quibus arbores cõplectitur,

& parie

& parietibus obrepit. Muris quoq; pertinacius hæret quàm ut possit abire, ita uiuax est ut pluribus locis intercisa duret, nec emoriatur, & totidē initia radicum habet, quot bra/chia, q̄bus incolumes & solidas arbores ita fugit, ut inopia cibi cōfectę tabescāt. In nigra alijs acini dulcedo, alijs tāta amaritudo, ut aues nō attingāt. Helix, quā aliqui clauiculā uer/tunt, à cæteris sterilitate distat, quoniā fructū non gignit. Parua huic folia, anguloſa cōcin/niora q̄, lōgis ramorū internodijs, tenuibus uiticulis sine corymbis, infœcūda. Herbarij bi/fariā nunc nomināt, quæ sessilis caduca serpit humi, terrestrē uocāt hederā: quæ uero fru/ticē nacta clauiculatim irrepit, arboreā. Quidā hoc ætatis uitiū putauerunt, primūq; heli/cē existimant fieri, & postmodū hederā senectute. Quorū error à Theophrasto & Plinio refellitur, tum q̄ foliū & germen helicis ab hederæ quālibet annosæ, frondibus plurimū discrepet, tum q̄ plures eius differentiæ noscantur, tres potissimū insignes. Herbacea ac uirens, quæ plurima est. Altera candido folio. Tertia uersicolor quę thracia uocatur. Her/baceæ tenuiora folia in ordinē digesta, densioraq̄, in altera diuersa omnia. In uersicolore alia foliis crebrioribus ac similiter ordinatis densioribusq̄, in altera neglectis incōditisq̄. Macularū etiā habitu distāt, sed hæc morosa nimis & anxia Theophrasti discrimina, quā doquidē ætatis potius q̄ generis discrepātię uideri possunt. Adolescit in longitudinē ma/xime herbacea. Nunc reuertamur ad hederā, cuius mira proditur natura ad experiundas uini fraudes. Si uas fiat ex ligno eius, uina trāsfluere ac remanere aquam si qua mixta sit: quod nobis Cato documētū libello de re rustica dedit. Si uoles, inquit, scire in uinū aqua addita sit necne tuasculū facito de materia hederacea, uinū quod putabis aquā habere eo/dē mittito, si dilutū aqua fuerit, uinū effluet, aqua manebit, nā non continet uinū uas hede/raceū. Vsos in funes & armamēta nauiū hedera ueteres, author est Athenęus, quā è Rho/dano petebant ut canabim. Athenienses, ut tradit Pausanias, apud se primum natam he/derā & Acharnis uico prodijsse testātur. Syluestrē hederam cerui phalangio percussi mā/dunt, & eo cibo liberantur, Aelianus est author. Meminit agrestis hederę Columella, cō/tra papulas equorum. In omnibus tamē exemplaribus agrestis hederæ loco, agrestis her/bæ scriptum inuenitur. quem locum ex ueterinaria restituimus, ubi hæc Columellæ uer/bo tenus græce leguntur, εἰς θερμότατον ἥλιον σπεῖρε τὸν ἵππον μετὰ φύκτρας εἰς ζεῦτον ἀπόξυε, ἄχρις οὗ αἷματος ῥύσις ὧν γένηται, καὶ τριμμάτια λαβὼν κίσσος ῥίζαν ἀγρίου, καὶ θείου, πίσσαν ὑγράν, καὶ συπήνειον, καὶ μίξας πάντα καὶ ἀναθερμάνας ἀπόχριε τῷ ἕλκει. quod ad uerbū Columella lati/nè sic tradidit, Papulæ feruētissimo sole uspq; eo strigile radunt, quoad eliciatur sanguis, tū ex æquo miscētur radices agrestis hederę, sulfurq;, & pix liquida cum alumine: eo medica/mine prædicto uitia curātur. Hæc, uti locus ille Columellę emēdaretur, obiter adiecimus. Sed res exigit ut nōnihil de duobus primis hederæ fastigijs disseramus. Plinius, ut non/nullis uidetur, decimosexto libro, Theophrasti fretus authoritate, duo genera eius prima statuit, marē & fœminā. Maior traditur mas corpore & folio duriore, ac pinguiore, & flo/re ad purpuram accedēte. Vtriusq; flos similis est rosæ syluestri, nisi q̄ caret odore. Theo/phrastus sexto stirpiū, ut mēdosus habet hoc loco græcus codex, duo fecit hederæ gene/ra, marē et fœminā. Quoniā altera maius, durius, pinguiusq; foliū habeat, floremq; ad pur/purā inclinatū, ambobus tamē flores syluestribus rosis pximi, minores, sine odore. Quæ etsi ita à Theodoro uersa sint, mihi tamē potius de cisto q̄ de hedera tradi uidētur, faciliſq; fuit græcorū librariorū lapsus, qui cisson pro cistho scriptitarūt. parūq; sibi cōstaret Theo/phrastus, qui tertio historiarū trina summatim genera patere declarat, et sequēti sexto duo tātū genera retulisset, solo sexu discreta. Quotusquisq; florē uidit in hedera rosæ syluestri similē, in mari ad purpurā tēdentē, in fœmina magis ad cādorē? nēpe flos in hedera plane uitigineus spectat, exilis admodū, nō inodorus, sed grauē potius spirās odorē. Hęc itaq; de cistho dicta credūtur, cui sexus uterq; reddit à Dioscoride, flos masculo punicę, fœmi/nę cādet, uterq; tamē rosaceus. Itē Plinius uigesimoquarto uolumine duo cisthi genera fe/cit discerniculo sexus insignia, flos masculo rosaceus, fœminę albet. Hesychius author est cisthum fruticē esse cuius sit mas & fœmina. De cistho uerba Theophrasti nō de hedera fuerāt intelligenda, uideturq; uicinitas uocabuli Plinio imposuisse, quē sequutus Theo/dorus, in eundē errorē collapsus est. In exēplaribus Græcis cisthos legendū nō cissos, cū rosacei flores nusquam inueniantur in hedera, sed prorsus cistho respondeant. Sed de ijs

in mẽtione eius tractauimus. De hedera Plutarchus dubiũ attulit in Sympoſiacis, An cali da frigidá ne donaretur natura. Nec ab re, cũ in riſum fuſus Ammonius, demiraretur hũc fruticẽ in corollas torqueri, qui ſuo frigore merũ reſtinguere credatur. Sed caloris multa noſcũtur indicia. Primũ baccę uino promiſcuæ temulentiã pariũt, igneaq; ui turbãtes cor pus tentant. Quin & reuulſa hederæ ſarmenta nõ aliter q̃ ligna ignẽ experta conflecti fe/rũt. Porrò nix ſubinde multos dies aliis arboribus inſidet: uerũ hederã celerrime refugit. Confeſtim autẽ eã attingens euaneſcit, & in ambitu non niſi caloris munere liquatur. Sed longe maximum eſt argumentum, quod Theophraſtus hiſtoriæ prodidit, cum Alexan/der Harpalum iuſſiſſet græcanicas arbores Babyloniis hortis inſerere, præſertim ut locis hiſce calidiſſimis igni æſtuq; flagrantibus, umbra lucorum, frondoſis ſtirpium comis, in/commoda caloris propulſarent, ſolam hederam non comprehendiſſe tradit. quanuis au diens dicto Harpalus, ut in ea regione pangeretur, multum laborauit, & totam impendit operam: intabuit tamen & prorſus exaruit, quoniam ignea eius natura feruido ſolo mi/ſceri reſpueret, non inueniensq; temperamentum, à priore deſciuit ingenio, ſiquidem exu perantię uires deſtruunt. ideo contraria magis expoſcunt. Quod calido gaudet, frigidum eſt: quod frigore lætatur, calidum erit. Quinetiam quæ frigore rigent arbores, ob caloris inopiam imbecillitatémque ſtirpem deſerentis folia dimittunt. Hedera perpetua coma ui ret, & pingue & calorem lauri aut oliuę modo ſeruãs. Neque Bacchus, quòd ebrietatem repręſentaret aut aduerſaretur uino, hederam induxit: ſed Plutarchi ſententia, ſicuti amã/tes uini cum eo carent, hordeaceo potu utuntur, ſic anni tempeſtates imitatus, cum uiti/gineam coronam deſideraret, nudámque & frondibus uiduam uitem contemplaretur, hederæ ſimilitudinem cœpit adamare. Etenim ſarmentorum clauiculæ ut uiti diuagan/tur, ultro citróque frondes offunduntur. ſed maxime corymbi plane pubeſcenti uuæ aut adultæ ſimiles, quendam uitis habitum mentiuntur. Cæterum ſi quicquam ad temulen/tiam conferre dicatur hedera, id non caloris ratione fieri fatendum eſt, cum cutis ſpiracu/la laxaret, & merum potius cõcoqueret. Hanc itaque rem controuerſam diluit Tryphon medicus, qui hederam refrigerare & aſtringere contendit, in quem modum ſæpius uſur/pauerat. Ebrietatem ciere hederam uino mixtam it inficias. Siquidem noxam quam præ/ſtat bibentibus, temulentiam nemo fatebitur, ſed perturbationem mentis, deliriumq;, qua le hyoſcyamus, & alia pleraque concitant, mentem ad inſaniam mouentia. Sarmenti con/torſio huic uernacula, non contra naturam, ut lignis ignem expertis, quæ curuari ſolent, calore natiuum humorem depaſcente, quòd congẽnitus calor & nutrit & auget: ſed po/tius hæc flexura humilitáſque pumila, frigori uel imbecillitati ferenda eſt accepta, quæ maxime iis iniuriis patet. Complexum, fulturam, adminiculumq; deſiderant, quæ ſeſe nõ poſſunt erigere penuria caloris caduca. Nix uero colliqueſcens profluit propter frondiũ humorem. Siquidem aqua reſtinguit & incidit fungoſam niuis laxitatem, quæ non aliud eſt quàm exiguarum denſarumq; bullarum congeſtus. quare frigidis aſperginoſiſque lo/cis, citius quàm ſole illuſtratis niues colliquatæ funduntur. Nec immort alis hederæ co/ma caloris, frigoris ue noſcitur argumentum, cum myrtus, quæ in frigidorum claſſem aſ/ſeritur, perpetuo uireat. Empedocles ſpiraculorum meatuumq; quandam mediocritatem cauſatur, quæ nutrimentum æqualiter eliciãt, & humidi iacturam reſarciant. Sed cur he/dera in Babylonia non uixerit, id cauſæ non fuit calor, ſed magis reclamãs frigus, contra/riam non ferens regionis conditionem: cuius cælum tam graue ac æſtuoſum offundi tra dunt, ut utres aquæ plenos quibus indormiſcant negotiatores, exiccans exhauriat. Hede ram calidam & ſiccam eſſe Theophraſtus prodidit. Galenus contrariis uiribus conſtare nempe quæ nonnihil habeat aſtringentiæ quæ terreſtris & frigida demonſtratur, & acri/moniam poſſidet, quam eſſe calidam teſtatur guſtus. Odit calores, & frigus adamat he/dera. quare feruidis minus poteſt prouenire. è germinibus ſuis quàm primum radices di/mittit omnium maxime uiuax, ſiue arbores ſcandens amplexáue perſtringat, ſeu ſubiens ima per terram uagetur, ſemper tamen aliquid quærit in quod incubet, quo uelut admini/culo fungatur. Et iam quod eſt mirabile, uiſam eſſe in cornibus cerui Theophraſtus po/ſteritatis memoriæ mandauit. Proſilientes undique ſurculis radiculas ſpargit, facile pro/reptans ſuo perſtrictu uel umbra: noxam arboribus infert, pabulum eiſdem ſummouet,

infixa

infixa quoque rapit, omnium quæ arboribus hærent moleſtiſſima: nam cum fronde uireat ſempiterna, proinde copioſum deſiderat alimentum, & cum polleat uiribus, undique allicit ad ſeſe: cum arborum ſumma complectitur, penitus eas exiccat. Omnia genera eius aſtringunt, urinam ciunt potu, capitis dolorem ſedant præcipuè cerebro, continentiq; membranæ utiliter mollibus impoſitis foliis, cum aceto & roſaceo tritis. illinuntur autem fronti, & decocto eorum fouetur os, caputq; perungitur. lieni pota & illita proſunt. Decoquuntur & contra horrores febrium eruptioneſq; pituitæ, aut in uino teruntur. Illinuntur decoctu in uino omnium ulcerum generi etiam ſi cacoethe ſint: ſed natura omnium in medicina anceps. mētem turbat & caput purgat largius pota, neruis intus nocet, eiſdē adhibita foris. Corymbi poti uel illiti lienem ſanant, item iocinera. trahunt & menſes appoſiti. ſuccus hederæ tædia narium & graueolentiam emēdat. item infuſus naribus caput purgat, efficacius addito nitro. Infunditur etiam purulentis auribus aut dolentibus cum oleo. Cicatricibus decorē reddit. Acini ex alba terni in aceto mulſo poti tineas pellunt. in qua curatione uentri quoque impoſuiſſe eos utile eſt. Hederæ baccis auri coloris uiginti in uini ſextario tritis, ita ut terni cyathi potentur, aquam quæ cutem ſubierit per urinam educit. acini qui croci ſuccū habent præſumpti potu, à crapula tutos præſtant. Hederæ nigræ candidiores corymbi poti, ſteriles etiā uiros faciunt. Eraſiſtratus acinos quinque tritos in oleo roſaceo calfactóſque cortice punico inſtillauit dentium dolori à contraria aure. denigrāt capillum corymbi. Flos cuiuſcunque generis trium digitorum carptu, dyſentericos & aluum etiam emendat in uino auſtero bis die potus: ambuſtis illinitur utiliter cum cera. lachryma hederæ pſilothrum eſt, phthiriaſimq; tollit. Radicis ſuccus in aceto potus contra phalangia prodeſt. Tradunt huius quoque ligni uaſe ſpleniticos bibentes ſanari. Sunt qui incidant eóque utuntur ad eroſos dentes, frangiq; adfirmant, proximis cera munitis ne lædantur. Acinos aliqui ferunt, mox comburunt illinentes ambuſta, perfuſa prius aqua calida. Gummi etiam in hedera quærunt, quod ex aceto dentibus utiliſſimum promittunt. Natura omnium, ut teſtatur Dioſcorides, aſtrictoria eſt & acris, neruos tentans. Flos trium digitorum carptu aquam intercutem emendat. in uino bis die potus ambuſtis utiliter illinitur ſubactus cum cera. Recentia folia ex aceto cocta uel cruda cum pane detrita lienibus medentur. Foliorum & acinorum ſuccus cum irino unguento, melle, aut nitro, naribus infunditur contra ueteres capitis dolores. is caput cum aceto & roſaceo magno uſu fouet. purulentis auribus aut dolentibus pro remedio cum oleo demittitur. Nigræ hederæ ſuccus & corymbi eiuſdem epoti corpus infirmant, torpidóſque reddunt ſenſus, mentem turbant largius ſumpti. Acini quinque triti calfactiq; in punico cortice cum roſaceo, ſi ab aure contraria inſtillentur, dentium dolorem diſcutiunt. capillum denigrant illiti corymbi. Folia in uino decocta illinuntur omniū ulcerum generi, etiā ſi cacoethe ſint. uitia cutis in facie & ambuſta ſanant, uti ſupradictum eſt, decocta. menſes trahunt triti & ſubditi corymbi, ijdem à purgationibus poti drachmæ pondere, fœminas ſteriles faciunt. Pediculi foliorum madefacti melle uuluiſq; inditi, menſtrua & partus expellunt. inſtillatus ſuccus graueolentiam nariū, & putrilagines emendat & ſanitati reſtituit. Lachryma hederæ pſilothrum eſt. illitu pediculos necat. ſuccus radicis in aceto potus contra phalangia prodeſt.

Ilex. Cap. LXXXVIII.

Ilex quæ Græcis prinos dicitur, arbos eſt roboris magnitudine & folio, uerum minori aculeatóque, cortice etiam læuiori, materie ſpiſſa ac robuſta, glādoſo fructu, ſed puſillo: radice multiplici in altum acta. Ilex perpetua coma frondet, fructumq; tardiſſimè perficit, fructificat tamen poſt Vergiliarum occaſum. Arcades anno perficere putant, ſimul enim antecedentem fructum nouus occupat, propterea à nonnullis in biferarū cenſu reponitur. Arbor Theophraſto magna proſilit, ſi ſolum adipiſcatur idoneum: folio roboris, uerū minore aculeato, cortice læuiore: radice multiplici, ut ſylueſtri altiſſima, glāduloſo fructu, ſed glans ipſa puſilla eſt: ueterē nouus præuenit, nā ſerò matureſcit: quā ob rē bifera à nonnullis exiſtimatur. Fert & prēter glandē granū quoddā puniceū. Sua hęc ſunt. hyphear & uiſcū in ramis ut aliena ſuſtinet, à ſeptentrione uiſcū, à meridie hyphear. quapropter quaternos parit fructus, bi-

nos peculiares, binos alienos. Ilicis germinatio in uere prouenit. Folia lateribus sinuata cõsidunt, indecidua. Mõtibus lætatur, in planis nasci recusat. Medulla prædura & spissa, qua ualuarũ sumptuosarum cardines facere solent artifices, faciundósque architecti præcipiunt medulla, quã cor nonnulli uocitant. Honos ilici ad axes plaustrorũ, & iuga lyrarũ psalteriorũq; Materies spissa & robusta, sed q̃ frangatur & dissiliat sponte sua: ob id Pericles Bœotios dixit ilicibus similes, ut est apud Aristotelẽ, quoniã ipsi se intestinis discordijs conficerent. Hanc & aquifoliã & aquifoliũ uocari puto. Verũ ilex est gemina ut Columellæ placet, minor apibus quæsita, & prolixior, omnibus improbata mellificio. Omnes (inquit Plinius) roboris dotes ilex solo prouocat cocco. granũ hoc, primo seu spectes, frutices paruos aquifolię ilicis: quisquilium uocant, pensionem alterã tributi pauperibus Hispaniæ donati. Sic ilicis duo genera apud nos iuueniũtur, cocciferum in duplici discrimine minus, quod nunc Gallia uocat *scarlatum*, in Narbonensi prouincia frequens, ubi rusticis *uermilionum* dicitur, frutice paruo, exilibus ramis, & aculeato folio: grano quo diuites lanæ pretioso illuminentur succo: aspectu coloris gratissimo, in rosis micãte, cui nec musteo nec senescẽti uires. anniculo succus ad pigmẽta languidus, quadrimo euanidus. Colos Imperatorijs dicatus paludamẽtis, iam barbaro notior quàm latino aut græco nomine, quũ Mauritanis granũ *quermes* nominetur, inde *quermesinus*, nobis *cramesinus*, qui quisquilio rutilet colos, uocetur: sed *scarlati* nomen à latino immutatis literis uidetur oriundũ de quo in coccinei grani mentione fuerit differendum. Alterius maius, perpetua fronde uirens in iustam arborẽ prosilit, cum sibi cõmodam nactũ est humũ, caudice læui, folio pũgentis aculei per ambitũ armato, bacca punicea. folia nõ dimittit, sed glandẽ nullam fert. Hac pleræq; syluæ Galliarum scatent: sed in multis locis tam pumila arbos, tamq; crescẽdi pigra, ut ad frutices potius sit referenda. Vulgus gallicũ *hous* aut *houſſon* nominat, rusticis non ignotum, qui sæpe spinarum iniuriam experiuntur. Quòd si non fuerit generis aquifoliæ ilicis, parum tamen aut nihil differre uidetur. Subscribũt iudicio nostro permulti studio & doctrina insignes. Sed glandifera ilex Gallijs est rarior, quàm ut sæpe cõspicia tur. Sata tamen in hortis apud nos glande creuit, cingente robusteam frondem spinarum uallo. Nec me clam est cratægum uel cratægona aquifolium in Italia authore Plinio uocari. Non tamen simile ueri fuerit esse ilicem aquifoliam, cum à nullo folium ei reddatur aculeatũ. Theophrasto neq; arbos est magna neque crassa, ligno robusto, uersicolore, flauo, cortice læui, folijs mespili, hoc est promissis: uerum longitudine ac latitudine maiori, nec ad hunc modũ serratis: fructu plurimũ rotundo, qui matureſcens siccatur nigrescitq; gustu & succo mespili, fereq; ut uerbis utar Theophrasti, syluestris mespilus fuerit. Satis de hoc in cratægonis mentione disseruimus. Theodorus aquifoliũ intellexit, quã Theophrastus agriam siue ariam appellat, sempiternæ frondis arborem, inter robur & ilicem mediam. Sunt qui similacem aquifoliã interpretentur haud ferendo errore. nam Arcades arborẽ faciunt ilici similem, folio tamẽ non aculeato, molli, profundo, materie soluta & in opere tenera. Phellodryn ijdẽ Arcades nuncupant arborẽ inter robur & ilicẽ mediæ naturæ, & aliud esse negant quàm ilicem fœminam: ut ilex ubi deficit, utantur hac in carpentarijs præcipuè fabricis, quod & Lacedæmone faciunt & Elide. Dores agrestem eam appellant. Lignum intus quàm ilici candidius, sed fuluius quàm robori: materia quoque durior, sed quàm ilici solutior, in opere colore ligni decorticati. folijũ ambabus simile: sed ligno maius & querno minus. Speciosior medulla quàm ilicis. Fructus minimis glandibus æqualis, acylon uocatur: quemadmodũ & iligneus, nã balanos siue glans roborí propria tribuitur. Plinius contra q̃ Theophrastus phellodryn uidetur eandẽ existimasse cũ subere, qui scriptũ sic reliquit, Sunt qui suber ilicem fœminã uocent, atque ubi non nascitur ilex, pro ea subere utuntur in carpentarijs præcipuè fabricis, ut circa Elin & Lacedæmonẽ; quæ uerbo tenus ad phellodryn Theophrastus retulit. Plinio hæc suber minima arbor, glans pessima, rara, cortex tantũ in fructu, præcrassus, ac renascens, atque etiam in denos pedes undiq; explanatus. Vsus eius in anchoralibus maximè nauiũ, piscantiumq; tragulis, & cadorum obturamentis: præterea in hyberno fœminarum calceatu. quamobrem mulieres non infacetè Græci cortices arborum appellant. Nec in Italia tota nascitur, aut in Gallia omnino. Sic uidetur Plinius suber à phellodry distinxisse. Sed phellon &

lon & phellodryn eandem fuiſſe arborem quæ à robore & ſubere tanquam utroq; parrente nomen traxiſſet: quaſi dicas ſuberiquercum. Theophraſto ſuber arbor caudicoſa, admodum procera, ſine multis ramis: ligno robuſto, cortice præcraſſo & aſpero in ſene ctute, quí ut in picea rumpatur: ſed grandioribus fragmentis, folio fraxini, longiore, perpetuo, nec caduco, fructu aquifoliæ glandoſo. Corticem ſolent detrahere, ne deterior fiat arbor, quí triennio poſt ſubnaſcitur. Familiaris erat arbor Theophraſti temporibus, Pyrenicæ ſimulacra è ſubere diſs factitata: ſed ſucceſſit in eius locũ palma. Suber in Gallijs cortice quàm reliquo arboris habitu nobilior, hãc *liegium* à leuitate ut puto, quod extet aquis nec obruatur, Francí hodie uocant, hyberno crepidarum calciatu percelebrem, quo & ſutores & ueteramentarij ſoleas aduerſum frigora muniunt. Non ignotus piſcatoribus cortex, quí uerriculorum alis, ne ſidant aut in profundum trahantur, appendere ſolent. Quí arborem per Hiſpanias uiderunt, hac mihi facie repræſentarunt, humilem, parumq; rami geram, folio ilicis aculeato, triſti glande, cortice præcraſſo, & multis inanitatibus fiſtuloſo, quem ad uſus detrahunt. Sed forſitan Pyrenicis inſignior auctu, proceriorq; fauente cœli ſtatu conſurgit. Ilicí pares querco redduntur uires. cortex radice detractus tantiſper in aqua coctus dum eliqueſcens intabeſcat, capillos denigrat, cimolia creta ante repurgatos: trita folia tumores diſcutiunt, & imbecillas parteis firmant. Suberis cortex tritus ex aqua calda potus ſanguinem ex utralibet parte fluentem ſiſtit. Eiuſdem cinis ex uino calido ſanguinem excreantibus magnopere laudatur.

Iuglans nux, Cap. xc.

IVglans Græcis caryon baſilicon, id eſt regia nux, interdum perſica, euboicaq;, Gallis *noierus* dicta, notior eſt quàm ut repræſentari debeat, quum ſit arbos prægrandis multis prælongisq; nixa radicibus, procero caudice, multis ſummatim ramis ingentibus brachiato, ad binum ternumue cubitorum complexus ſæpius craſſeſcente: cortice hiulco, & in rimas altas dehiſcente, frõdibus latis, oblongis, è iucũdo grauiter ſubolẽtibus, patulãq; iaculãtibus umbrã & in ſalubrẽ, per autumnũ deciduis, uerni tẽporis initio ueluti quodã geſtiẽte foliorũ cõceptu: panicula prẽlõga, callo ſquamatim cõpactili protracta ordine nucis pineę protuberat, dehiſcitq;. flaueſcens ſtatim q; frondẽ facere cœpit, nutãs caducaq; prolabitur. Tũ ſuper amentí huius pediculũ flos erũpit, totidẽq; calliculacea tegumẽta quot flores petiolo cõtra huntur, ſingulisq; his ſingulę includuntur nuces, duplici protectę munimento, puluinato primũ calice, mox ligneo putamine, quot modis & fœtus in parente, hoc eſt utriculo uentreq;, quę cauſa eas fecit (ut eſt ueriſimilius) nuptijs religioſas, partu tot modis munito, q; quod cadẽdo tripudiũ ſonitum'ue faciãt elidendo uirginum puellarũ clamore. Nux itaq; multis occulitur inuolucris, calloſo primum herbaceoq; cortice, quàm guliocam dicunt: hinc compactili carinarum loculo, mox tenui tunica, quæ nauci ut quidam uolunt nominetur. Criſpi intus nuclei quadripartito digerũtur, lignoſa intercedente membrana. Differentia generum in putamine duro, fragili'ue & tenui ac craſſo, loculoſo & ſimplici. Solum hoc pomũ natura copactili clauſit operimẽto. Nanq; ſunt bifidæ putaminũ carinę, nucleorumq; illis quadripartita diſtinctio, lignea intercurſante mẽbrana. Trãſtulere iuglandem reges è Perſide, ob id regiæ nuces & perſicæ nominantur. Caryon uero Græcis à capitis grauedine uocatam ambigit nemo, & arborum ipſarum foliorumq; uires in cerebrum penetrant, hocq; in cibis earum nuclei minori momento faciunt. Aquas odere iuglandes, frigoriſq; cupidæ. Montibus quoq; lætantur. germinãt poſt afflatũ Fauonij, non cacumínibus ut maxima pars arborũ, ſed lateribus impulſo priore pullulo, qua forma & caudices toti, & prægrandes rami creſcunt: quorũ germina in foliorum unũ procunbũt, quòd deſit initiũ unde germen erũpat. Inferiore ſui parte fertiliores ſunt iuglandes. Serunt nuces porrectę cõmiſſuris iacẽtibus, à Calẽdis Martijs ad Idus eaſdẽ. Cariẽ uetuſtatemq; nõ ſentit iuglans: quare materies eius ampla, nigricãs, undatimq; criſpa. Menſis & utenſilibus lautis dicatur, uſuſq; ad tectoriũ opus. Sed frangi ſe ſonitu prænũciat, ita ut præſentire homines poſſint: quod in Antãdro cõtigiſſe, omnesq; è balineis terrefactos profugiſſe traditũ eſt. Sed mirũ eſt quod proditur, quercũ & iuglandẽ tam pertinaci odio diſſidere, ut iuxta nucẽ iuglandẽ depacta moriatur, quũ mutari in quercũ ſenio nõnulli tradãt. Iuglandium

umbra ſatis quibuſq; non nutrix ſed nouerca eſt, & quæcunq; attigerit, non dubiè uene/
num. Stillicidij quoq; ratione nocet, quod frondis proiectu ita diffunditur, ut per ipſam
non defluant imbres, ſæuaq; ſtilla eſt. Iuglans, ut Damogeron eſt author, nucibus ſuis
eo more quo amygdala ſeritur, & eiſdem mẽſibus: item auulſione & uiuiradice. Amat lo
ca ſicca. Frigidis potius quàm calidioribus gaudet. Sed nux quam poſiturus es, melior a/
doleſcet, ſi pueri impubis uel nondum experti Venerem urina quinq; diebus macerauе/
ris, quod & in amygdalis cõmendatur. Cinis iugiter uel caudici uel radicibus offuſus, &
tenerĩtudinem adfert, & fragiliorem nuclei carnem efficit. Lætior fiet, ſi ſæpius transfera/
tur, aut ſi quis arbori cuprinum clauum, aut ligneum palum imprimat, qui ad medullam
uſq; penetret. Si quis terebro per medullam arborem traiiciat, atq; foramini parẽ ulme/
um adigat cuneũ, nodoſam duritiem nux exuet. Ea fructum non amittet, ſi uerbaſci radi/
cem, uel coccinium è ſterquilinio pannũ amuleti uice ſuſpendat. Poſteritatis memoriæ
mandarunt rei ruſticæ periti, neq; iuglandem, neq; reſiniferas arbores, nullo inſitionis in/
ter ſe aut cum aliis pignore iungi poſſe, ita ut iuglans alteram non admittat arborem, aut
ſuum etiã ſurculum, reſpuens ſi pangatur, nullo fœderis nexu coaleſcit. Sed ij planè, ut Da
mogeronti placet, à ueritate defecerunt, experientiaq; docuit iuglandis reſinoſæ terebin/
tho aut piſtacio inſitum comprehendiſſe, & in grandiorem ſua ſorte arborẽ euaſiſſe. Tere
binthus & iuglãs ſurculũ piſtacij recipiunt, qui cõceptus perſæpe conualuit: & licet forſi
tan non facile coeat, nõ ideo tamen id habendum neglectui, ſi res nõ ſemper ſuũ ſortiatur
effectum. Sunt qui hoc inſitionis utantur genere. nucẽ obruunt, & ubi adoleuerit, bimam
aut trimã radicitus eruunt, radiciq; ſurculum iuxta carnẽ infigunt, & iterũ terræ relegant.
Alij ramulũ anniculum legũt & inuertunt, inſitũq; diligenter uiminibus obligant. Nuces
nudas & ſine putaminibus ædẽt iuglãdes, ut pollicẽt Africanus, ſi fractis utrinq; carinis,
integer nucleus illęſa prorſus carne, lana uel uitigineis foliis recẽtibus aut platani frondi/
bus obuoluatur, quo minus à formicis enucleatus erodatur fructus: dein terrę mandetur.
Hoc idẽ Florentinus aſſerit. Si tarentinã nucem, ſiue quod idẽ eſt, ſuis operimentis ſpolia
tam facere uolueris, ſolam nucis carnẽ uellere propter formicas inuolutam, in ſeminario
debebis obruere. quod in amygdalis quoq; uenturũ promittit: ſed cinis ſcrobibus aſper/
gatur. Democritus ſcriptũ reliquit, ſi quiſpiam ieiunus ſeorſum lentis grana mandat, atq;
dum adhuc manſum in ore uerſat, quũ flore pubet iuglans, ramũ demordeat, arbor perſi/
ca diſtabeſcet. Itẽ ſi flagrans igni lentis granũ radicibus imprimat, aut ſi in traiectã terebro
arborẽ puerile lotiũ indatur, aut ſi quis iuxta ablaqueatã radicem dictamnum, fabas, uel
pannum menſtruo ſanguine mulieris imbutum deponat, arborẽ ariditate tabida confici/
et. Omnis autem nux primum unam radicem mittit, & ſimplici ſtilo prorepit; cũ ad ſcro/
bis ſolum radix peruenit, duritia humi coercita recuruatur, et ex ſummo duorũ ramorum
ambas radices emittit. Tarentinam nucem facere hoc etiam modo poteris. In quo ſcrobe
deſtinaueris nucẽ ſerere, in eo terram minutam pro modo ſemipedis ponito, ibiq; ſemen
ferulę repangito: cum ferula fuerit enata, eam findito, & in medulla eius ſine putamine nu
cem abſcondito, & ita obruito. In frigidis locis bima, in calidis trima transferri debet. Sũt
qui pridie quàm ſint poſituri iuglandem aqua ſimplici macerẽt. Pangũt aũt tranſuerſam,
ut in latus, id eſt carinam ipſam figatur in terra. Cacumen ipſum cum ponitur nux, in
Aquilonis partem dirigitur. Lapis ſubter aut teſta deponitur, ne radicem ſimplicem mit/
tat, ſed repercuſſa reſpergat. Radices plantarum in eo genere ſectionem horrent: ſi/
mo bubulo ima planta tingi, ſed magis cinere reſpergi gaudet, ne ſtercoris aduratur ca
lore. Cineris conſperſus creditur tenerĩtudinem & fructus denſitatem adferre. Altis
delectatur ſcrobibus, & interualla deſiderat maiora, quoniam ſtillicidijs foliorum ſuo/
rum proximis uel ſui generis officit arboribus. Si ſenectæ uitio cauetur, longus canalis
à ſummo trũco ad imũ debet excludi: ſic beneficio ſolis & uẽti diffluãt & dureſcũt, quæ in
marcorẽ tranſibãt. Arcebitur hiãtis cauernę uitiũ, ſi frequẽter ablaqueetur. Si nodoſa uel
prędura nux gignatur, cortex in orbẽ uulnerandus, ut noxiũ exigat humorẽ. Tradũt ſi fe
rentẽ iam arborẽ in tarentinã uelis mutare, lixiuio per annũ continentem ter menſe rigan
dam. Cortex exutus in nuce maturitatis argumentũ eſt, quo ſpoliata iã tẽpeſtiuitatẽ fatet.
Seruantur iuglandes uel paleis obrutæ, uel arena, uel foliis ſuis aridis, uel arca ligno ſuo
facta

facta cõcluſę, uel immiſtæ cepis, quibus hanc uiciſſitũdinem reddunt, ut acredinẽ tollãt. Expertum produnt, ſi uirides nuces tantum putaminibus ſuis liberæ demergantur melle, poſt annũ uirides inueniri, ipſumq; mel ita medicabile fieri, ut ex eo facta potio faucibus & arteriis medeatur. Diphilus Siphnius ita de iis proditum reliquit. Iuglandes nuces capitis dolores cient, & reliquis cibis emergentes innatant. Recentes ſic ſuis membranis ca-ſtratæ, ut omnino candicent, meliorem ſuccum creant, furno torrefactæ paucam ſuppedi-tant alimoniam. Athenienſis Mneſitheus euboicas nuces coctu difficiles eſſe tradit, & flatus parere, ſi tamen à ſtomacho uictæ coquãtur. Veſcẽtes exhilarat ſagina, ſtrigoſoſq; ad craſſitiem reducit. Perſicæ nuces, ut Diocles eſt author, non minus caſtaneis dolores capitis mouẽt, ſed plus alimonij ſumminiſtrant. Torrefactæ minus corpori negociũ faceſſunt: ex melle aluum trahunt: latæ in eo genere ſpiritus plures excitant. Innocentiores tam toſtæ quàm coctæ crudis. Mneſitheus Athenienſis præcipit nuces omnes tam perſicas ſeu regias, quàm auellanas, non niſi feruorem ignis expertas ædi, præter amygdalas uirides. ſi quidem oleoſo conſtant humore, qui ignis beneficio diſcutitur. Nam uel pingues & oleaginæ ſentiuntur, uel acerbæ & duræ: iis ignis oleacitatem depaſcit, illis acerbitatem, duritiam mediocris mollit. Heraclides Tarentinus petere ſolebat, ſi nuces prima mẽſa uel ſummo cibo iam ferè cœnatis obiici ut bellaria debeant, quæ in pleraq; Aſia Græciaq; præponuntur. Si poſtremo cibo uti mos eſt, offerantur, huius gratia, ut bibendi deſiderium inuitent, & potus auiditatem moliantur, diſtento iam cibis uentre, interaneiſq; refertis, inſinuatæ deturbantis potus impetu nuces, inflationes cient, & ſpiritus excitant, cibosq; corruptionis labe uitiant, quòd inſita ſit quædam enatandi facultas, quæ coctioni parum cedat, unde crudítates oriantur, & alui moueantur deiectiones. Tinguntur cortice iuglandium lanæ, & capillus rufatur, primùm prodeuntibus id compertũ, infectis tractatu manibus. An fuerit in Italia Catonis æuo, non conſtat, quoniam græcas nominat, quas quidam in iuglandium genere ſeruãt. Adiiciunt præterea auellanas, & galbas, prænestinas, quas maximè probat, & conditas ollis in terra uirides ſeruari iubet. Poſtea thaſiæ & albenſes celebrari cœpere. Sed Tarentinarum duo genera, fragili putamine ac duro, quæ ſunt ampliſſimæ & minimè rotundæ, quas à frangendi mora, moracias & moracillas ſunt qui uocent: præterea molluſcæ putamen rumpentes. Sunt qui honori nomen interpretẽtur, & Iouis glandem eſſe dicunt. Sunt qui à iuuando & glande dictam exiſtiment. Iuglans, ut Caius libro de uerborum ſignificatione refert, arbor dicta perinde ac Iouis glans. nam id arboris genus nuces habet, quæ ſunt ſuauiore ſapore quàm glans. hũc fructũ antiqui illi, qui egregium glandiq; ſimilem, ipſamq; arborẽ deo dignam exiſtimabãt, Iouis glandẽ appellauerunt, quæ nunc literis interliſis iuglans nominatur: ſiue quaſi diuglans, ut Cloatius eſt author. Veruntamen dios balanos caſtaneam Theophraſto Dioſcoridiq; ſignificat. Porrò eandem eſſe nucem perſicam, regiã, iuglandem fatebitur, qui bonos authores euoluerit. Perſicam, quòd è Perſide primum ad nos ſit cõuecta: regiã, quòd à regibus translata ſit, Sed indicio ſunt greca uocabula. Optimũ quippe earum genus perſicũ atq; baſilicon: hęc fuere prima nomina. Cæterũ in eo genere quæ mollior ſit, et putamen frãgat, molluſca dicitur: ut tarentina, quæ nuda cortice uel molli, ac fragili putamine prodeat. Cuius faciundæ rationẽ Columella docuit. à Tarẽto, quod Sabinorum lingua molle deſignat, unde tarentinos dictos putat Varro, quod Horatius confirmat molle tarentũ appellans. Sic nux tarentina dicitur quæ ita mollis eſt, ut attrectata ſtatim frangatur. Quapropter aperte Macrobius hallucinatur, qui perſicum uulgo dictum, molluſcam nucem eſſe putat, Sueuij hominis doctiſſimi teſtimonio fretus, in idyllio quod inſcribit moretũ, qui ut inquit (de hortulano loquit moretũ faciẽte) inter ea quæ eò mittit, hoc pomũ tradit mittendũ iis uerbis,

Admiſce tu Acca baſilicis hæc nunc,
Partim perſica: quod nomen ſic denicq; fertur,
Propterea quòd qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera prælia bello
In Perſas retulere ſuo. Poſt inde reuentum,
Hoc genus arboris in prælatis finibus graiis

Diſſeue-

Dissèuere, nouos fructus mortalibus dantes.

Moluſca hæc nux eſt, ne quis fortè inſcius erret.

Sed ij numeri nihil aliud uolunt, quàm perſicas nuces baſilicis, hoc eſt regijs ut congeneres non alienas eſſe miſcendas, quòd earum in moreto conſortia non reſpuant, nomenq; perſicis inditum refert, quòd cum eo bello quod aduerſus Perſas à regibus geſtum eſt, eæ ad amplos Græcorum fines delatæ, ſatu nouos & inuiſos antea fructus hominibus hinc redeũtibus dederet: inde baſilicæ ſiue regiæ & perſicę nuces, quòd à regibus à Perſide poſt finitum bellum fuerint primum deuectæ. Moluſcam eandem dici nucem aſſerit idem Sueuius, niſi quis ueritatis ſurdus uelit aberrare. Quapropter hæc uerba in Macrobium faciles poſſunt retorqueri. Sed erroris cauſa fuit, quod ipſe putauerit idem eſſe malum perſicum, & nucem perſicam, quod tantum abeſſe à uero conſtat, ut nihil plus ueritati reclamare uideatur, quanquam utrunq; nationis ſuæ referat cognomen. Acca nucem moluſcam hyemis tempus ait inuidere, quod de malo perſico non poteſt audiri, quãdo plurima uis eius exitu autũni & ineunte hyeme reperitur, quare perſica nux quæ & moluſca dicitur, iuglandium eſſe generis euidentius, quàm latius probari deſideret. Sed nux græca hæc intelligi debet, quæ & amygdala dicitur, quod Cloatius teſtatur inquiens: Nux græca amygdala eſt. Sed de hac re latius in eius mentione diſſeruimus. Plinius conſularem uirum audiuit biferas iuglandes nuces ſe habere profitentem. Non ſunt ſilentio prætereunda, quæ faciẽ parentis ſuccũq; adoptionis exhibent, appellata ab utroq; nuciperſica, quæ & Martialis hoc diſtícho commendauit,

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis perſica ſola ſumus.

Nanq; nuciperſica arbos eſt humilis, præcocis perſici proceritate, folio amygdalæ, ſed maiori: flore puniceo. Pomum emicat uiride, carnoſum, ſucculentũ, nulla exterius lanugine pubeſcens. medio inter iuglandem & perſicum malũ ſapore, dura intus & ſcabra nuce in qua nucleus qualis amygdalis aut perſicis pomis. Matureſcit autũni exitu. diutiusq; perſicis ætatem prorogat, non tam celeriter marceſcens, ſed multo nuce fugacius eſt. Iucũdo placet ſapore, leuiter ſubamaro atq; innocenti guſtu. Scatent hac arbore Galliarũ plericq; tractus, rura noſtra *preſiconucem*, aut potius curtato nomine *peſconucem* uocãt. Ea ſoboles media inter utrunq; progenitorem naturam ut ſpero contraxit: attulitq; inſitionis ut arbitror, diligentia, aut fatorum miſtio nouũ adulterij genus, ita ut ex amygdalo ſeu nuce græca & perſico progenies inuiſa prioribus ſeculis exoriretur, utriuſq; parentis ingenium referens, & effigiem ſimul adoptans: hoc eſt malũ quod foris æmula facie perſicum pomum mentitur, intus dulcem amygdalam & facie & guſtu repræſentat, ipſum recte uterq; parens amygdaloperſicum nominabit. Nuces iuglandes quas alijs regias, alijs perſicas nuncupari diximus, recẽtes iucundiores ſunt. Siccæ noxiores, ſtomacho inutiles, biliosæ, difficiles concoctu, dolorẽ capitis inferẽtes. Tuſſientibus inimicę, ſed uomituris ieiunis aptę. Præſumptæ cum ruta & ficis uenena hebetant. Item aduerſantur cepis, leniuntq; earum ſaporem; & quo quis pluras ederit: eò facilius latas uẽtris tineas pellit. Mammarũ inflammationi, abſceſſibus, luxatisq; imponuntur cum exiguo melle & ruta; cum cepa autem & ſale & melle canis hominisq; morſui. Cũ cortice ſuo crematæ & umbilico admotæ diſcutiunt tormina. Putamen combuſtum tritumq; in oleo & uino, infantium, capite peruncto nutrit capillum, & ad alopecias eo ſic utuntur. Nucleorum crematorũ cinis ex uino ſubter inditus, fœminarum purgationes cohibet, & quæ perueteres ſunt nuces, gangrenis & carbunculis medentur: item ægilopijs & ſugillatis. Areas capitis breui momento replent pilo, commanducati, & protinus ex ore impoſiti nuclei. Cortex iuglandium lichenum uitio & dyſentericis prodeſt. Recentes ſtomacho nimis infenſæ, gratioresq;: ideo alliatis induntur ad domandam acrimoniam. Liuores illitu rapiunt. Nucleus eſtur in teneſmo ad extrahendam pituitam. Fertur qui ieiunus ſumpſerit duas nuces ſiccas, & totidem ficos cum rutæ folijs uiginti ſimul tritis, addito ſalis grano, nullum uenenum illo die nociturũ. Contra rabioſi quoq; canis morſus nuclei à ieiuno homine commanducati, illitiq;, præſenti remedio eſſe dicuntur. Nucibus tuſis oleum exprimitur.

Iuniperus

Iuniperus. Cap. xc.

IVniperum Græci arceuthon, Galli *geneurum* nominant. Arbor est duorũ generum, nempe maior & minor, cortice membraneo, & qui sponte rumpatur: materie fulua, odorata, ex qua manet liquor thuris odorẽ atq; colorem æmulans. Coma uiret perpetua, spinaq; potius quàm folio sed herbacea uestitur, sine flore cæruleis baccis: in summa, cedro penè similis tũ effigie, tum natura. Montes amat, in planisq; nasci recusat. Plericq; colles in Gallia, mõtiumq; iuga iunipero pubescũt. Germinat uere, quanquam serius fructificet. Auctu facillima, sed admodum serotina, cum fructũ tardissime omnium reddat. Cęterũ annua habetur, nouusq; fructus in ea cum autumno pendet, recensq; ueterem occupat, sic baccis subnascentibus, quę biennio hæreant. Quare solam arborum fructus suos ad bimatum prorogare uolunt, qui ne matureſcant quidem, sed decerpantur & aliquandiu conditi seruentur: & si in arbore relinquantur, marcescant. Iuniperi duo genera quidam constituunt, unum quod florem ædat, nec fructificet: alterũ quòd protinus fructum, ut præcidua poma fici, præmonstret, nec tamen floreat. Macedones ne ullum quidem promere florem arbitrantur. Vtrumq; montium cacuminibus & algentibus locis prouenit, uerum non in excelsum emicat. Cedro non absimilis traditur, folio tantum creduntur distare. Iunipero simplicius ac mollius assignatur: cedro acutum, spinosum, durum, excelsiorq; quàm cedrus nasci, ac procerius adolescere conspicitur: Alij nominum ambage posthabita, utranq; cedrum (inquit Theophrastus) appellant. Quæ tamen propriè sit cedrus, ex additione oxycedrum, id est acutã cedrũ malunt uocate. nodosæ ambæ, frequentibus alis cauæ, materie tortuosa: sed in iunipero spissiore, parua, cum cæsa fuerit celeriter putrescente: cedro æterna, corde referta, nullamq; sentiẽs cariẽ. Iuniperi baccæ nigræ, gustu astringentes, acerbæ, inguſtabiles, durãtes in annũ, nec prius deciduæ quàm subnascantur aliæ. Arcades baccas in ea ternas eodẽ haberi tẽpore confirmant, anni proximè exacti nondũ maturas, & tertij ante pręsentem iam maturas atq; gustabiles, tertias nouas et recẽtes demonstrãt. Cedro odoratior bacca, flaua hilaris perpulchraq;, baccarũ myrti magnitudine, gustu suauis & esculẽta, cætera ambæ persimiles. Satyrus utrãq; sibi à rusticis allatã refert cupresso proximas scabriore tantũ cortice. Radices raræ ac solutæ ambabus, summa telluris cute dispersæ hærent: saxosa sequũtur & lapidosã humũ quærũt: frigidis & algentibus gaudẽt. Materia iuniperi fabricis cõueniẽs tã futuris sub dio, q̃ terra obruendis. Duo apud nos genera inueniuntur mõtibus uernacula, Vnũ pumilũ, humile, sessilibus in terra ramulis, alijs parum se ab humo attollẽtibus, quibus spina pro folio est, radicibus summo cespite fusis, baccis primum uirẽtibus, deinde per maturitatẽ nigris: caducas noua semper occupat. Alterũ altius adolescit, caudice procero, cortice fragili, nec difficulter fatiscente, ligno fuluo, odorato, ramis latioribus aculeorũ aceruo stipatis, baccis alteri cõsimilibus. Vtriusq; facies horrida & spinis pungẽtibus minax, cum uirẽs præsertim ignibus dicatur, crepitat & non iniucundũ fumũ expuit, qui odoris suauitate grassantia pestilentiæ contagia depellat, & sęuientẽ eluat perniciẽ. Rami & caudices nõ illepidè topiarias hortorũ uites, & celebres attegias fulciũt. Humor in iunipero ad lachrymæ modũ concrescit, qui crematus nidorẽ odore thuri non cedentẽ expirat. Sunt è recentioribus Græcis, qui tradant æstiuis tẽporibus arborẽ quam iuniperorum appellent, lachrymã sudare, quæ caloris officio durata coeat in gũmi. Hoc peculiari regionis uocabulo *uernix* dicitur. primum cum metitur candido splẽdescit colore, senescẽs luteũ cõtrahit, nimia senecta in rufum degenerat colorẽ: in quo genere probatur, quicquid claro nitore reluceat. Habetur & factициũ quoddã, quod hoc sincero, & oleo quod pressum lini semen remisit, conflatur. Eo in fectiui colores aliquantũ imbuti sic tingũtur, ut pertina eius hæreãt, q̃ deleri facilè possint: eisdẽ superiecta eius farina nitorẽ cõciliat. Mauritanæ factionis autores arborẽ quãdã terris quas incolũt Christiani familiarẽ scribũt, quæ liquorẽ fundat, durescentẽ in gũmi, sed succino minus durũ concrescentẽ. Cæterũ arboris quæ hac manet lachryma, facies non exprimitur, uernicis nomine tãtum nobilis. Calfacit, exsiccat secũdo recessu, nõnihil amaritudinis paucæ resipit. Ruẽtẽ naribus sanguinẽ sistit, si ex cãdido oui liquore trita tẽporibus et frõti perlinatur. Eadẽ uomitionẽ ex polline thuris & oui albo excepta supprimit. Item profluentẽ firmat aluũ cum eisdem illita. Stomachum

in bilioſos

in bilioſos uomitus effuſum, deuorata in ouo ſorbili polenta eius cohibet, cruentāq; alui proluuiem retinet. Deſtillationes ſuſpendit ſuffitæ nidor, arcetque ne præcipites ad ima decumbant. Pituitam, quæ in ſtomacho aut inteſtinis coijt, digerit. Humorem etiam coercet, qui pernix à cerebro deuoluitur. Tineas, & cætera uentris animalia necat. Vligi/noſos fiſtularum ſinus indita reſiccat. Menſtruos continet curſus. grauedini ſuffitus eius auxiliatur. Hiantibus manuum & pedum rimis illitu ſuccurrit. & in ſumma, ſuccini pollet uiribus, ſed paulo efficacioribus: quę ſi deſit, duplo põdere in uicē ſubſtituitur. Porrò non eſt ignorandū (ne ſcioli qui facile nomenclationū aucupio quo potiri nequeunt capti, pro re ſalutari uenenum præbeant) autores Arabis familiæ pro uernice re ſalubri ſandarachā uſurpaſſe, quæ Græcis exitiale ſit medicamentum. Vide, in quantis uita periculis hoc no minum diſſidio uerſetur, præclareq; cum humano genere actum eſſet, ſi ſeplaſiarij inſtito/res ſua lingua cõtenti, non defeciſſent ad Mauritanam factionem, cum longè priores ſint Græci, à quorum fontibus hauſiſſe quicquid habet euidentius eſt, quàm ut dici mereatur. Si uernicis uocabulo medicinę ſtudioſi in re tam ancipiti uterentur, res omni periclitatio nis ſuſpicione uacaret. hęc defunctoriè & obiter monuimus. Nanq; uernicis nomẽclatio nulli non hodie nationi cognita eſt, ſeculo tamen Dioſcoridis & Galeni non uenerat uer/nix in uſum, niſi ſuccini nomine, cui & dotibus naturę & uiribus uicina eſt. Sed quòd uer/nix concreta ſit iuniperi lachrima, indicio eſt odor in attritu & ſuffitu iuniperum redolẽs, accenſaq; ſtatim deflagrat, & ſi naturam eius admoto igni tentare libeat, ſuccẽditur, alitq; flammam, iuniperũ odore repræſentantem, quæ poſtmodum in gummi rurſum lenteſcat. Iuniperus excalfacit, extenuat, cedro aſſimilis. Et duo genera, altera maior, altera minor. Vtraq; accenſa ſerpentes fugat. Semen ſtomachi, pectoris, lateris doloribus utile: inflatio nes, tormina, languoresq; diſcutit. Tuſſes concoquit & duritias. Bibitur contra ſerpẽtes. Vrinas cit. Aluum & uentris tumores ſiſtit baccis ex nigro uino potis. Datur conuulſis, ruptis, & ſtrangulatibus uuluæ. Iſchiadicis pilulis quaternis in uino albo bibitur. Illinitur & oculis in epiphoris. Sunt, qui perungant corpus ſemine in ſerpentium metu. Folia acri pollent ingenio: proinde tam ipſa, quàm ipſorum ſuccus illinitur, bibiturq; contra uiperæ morſus. Ramenta ligni pota necant. Corticis cinere lepras exterunt. Excalfacit & ſiccat ordine tertio iuniperus.

Laburnum. Iouis barba, arbor. Larix. Cap. XCI.

LAburnum arbor Alpina, nec ut inquit Plinius, uulgo nota, dura & candida materia, cuius florẽ cubitalem longitudine apes non attingunt. odit aquas, nec niſi in ſiccis prouenit. Horret & aquas, quæ appellatur Iouis barba, ar/bor opere topiario tonſilis, & in rotunditatem ſpiſſa, folio argenteo. Naſci/tur in ſiccis, humida omnino fugiens. Hanc nonnulli eſſe contendunt, quã Theophraſtus dioſporon, id eſt ſementẽ Iouis, ſic enim apud Athenæum citantẽ in Dip/noſophiſtis eundem authorem legimus. Alij dioſpyron, id eſt (ut nonnulli uertunt Iouis flammam: alij Iouis triticum malunt interpretari. Quod ſi ita eſt, fructum profecto habet ceraſo ſimilem, duro intus nucleo. nec plura de dioſporo apud Theophraſtum, & ſectato rem eius Athenæum inuenimus. Arbor extat Pariſijs in periſtylio ſacrarum ædium diuæ Genouefæ, in orbem tonſili uenuſtate comãs, ramis in rotunditatẽ expatiantibus: pomo ceraſi rubro, oſſe intus præduro. an tamen dioſporos fuerit, aſſerere non auſim, cum pau ca admodum de ea ſint prodita, quibus facilè colligi poſſit dioſporon eſſe. Iam de larice diſſerendum nobis eſt. Larix, ſiue ut alij, larex, arbor eſt magna, piceæ ſimilis, craſſior, læ/uioriq; cortice, folio uilloſo, pingui & denſo, mollicq; flexu, materie præſtanti, rubẽte, odo re acri. Hinc erumpit nonnihil liquoris melleo colore atq; lento, uiroſi & nunquam duref/centis. Lignum eius ferè ignibus inuictum, neq; flagrat, neque in carbones recidit. Vitru uio arbor eſt, foliis ſimilibus pini, cuius materies prolixa, tractabilis ad inteſtinum opus non minus quàm ſapinea. Habet reſinam liquidam, mellis Attici colore, quare etiam mer/detur phthiſicis. Larix, ut idem inquit, non eſt notus, niſi municipibus, qui ſunt circa ripã fluminis Padi, & litora maris Adriatici. non ſolum ab ſucci amaritate à carie aut tinea nõ nocetur: ſed & flammam ex igni non recipit, nec ipſe per ſe poteſt ardere, niſi uti ſaxum in fornace ad calcem coquendam alijs lignis uratur: nec tamen tum flammam recipit, nec

carbonem

carbonem remittit, sed longo spatio tardè comburitur, q̄ est minima ignis & aeris è principijs temperatura. Humore autem & terreno, materia spissè solidata, non habens spatia foraminum quà possit ignis penetrare, reijcitq̄ eius uim, nec patitur ab eo cito lædi, propterq̄ pondus ab aqua non sustinetur, sed cū portatur, aut in nauibus aut supra abiegnas rates collocatur. Ea autem materies, quemadmodū sit inuenta, sic licet cognoscere. Diuus Cæsar cum exercitū habuisset circa Alpes, imperauissetq̄ municipijs præstare commeatus, ibiq̄ castellum esset munitum, quod uocaretur Larignum, tūc qui in eo fuerunt naturali munitione confisi, noluerunt imperio parere. Itaq̄ iussit Imperator, copias admoueri: erat autem ante castelli portam ex hac materia alternis trabibus transuersis uti pyra, inter se composita altè, ut posset de summo sudibus & lapidibus accedētes repellere. Tunc uerò, cū animaduersum est alia eos tela præter sudes non habere, neq̄ posse longius à muro propter pondus iaculari, imperatum est fasciculos ex uirgis alligatos & faces ardentes ad eam munitionem accedentes mittere, itaq̄ celeriter milites congesserunt. Postq̄ flamma circa illam materiam uirgas comprehendisset ad cælum sublata, fecit opinionem ut uideretur iam tota moles concidisse. Cum autem per se extincta esset & requieta, turrisq̄ intacta apparuisset, admiratus Cæsar iussit extra telorū missionem eos circūuallari. Itaq̄ timore coacti oppidani, cum se dedidissent, quæsitū unde essent ea ligna quæ ab igni non læderentur. tum demonstrauerunt eas arbores quarum in his locis maximæ sunt copiæ. Et hæc uerò larigna materies per Padum solet deportari ad municipia quæ sunt in ea regione, maximaq̄ habetur utilitas, ut tabulæ in subgrundijs circū insulas collocatæ, ab incendiorum periculo ædificia liberent: q̄ eæ nec flammam nec carbonē possint recipere, uel facere. Hæc uerbosius q̄ par esset forsitan sum prosecutus, sed nō parum ad laricis cognitionem facere mihi uidentur. Credunt nōnulli Theophrastum pityos nomine laricem comprehendisse, nec à picea quouis modo disiunxisse, cui tam germana foret, ut etiā à peritis uix discerni possit. nam situs idem qui piceæ in montibus, eadem facies, materia præstantior longè, incorrupta uis, emori cōtumax, rubens pręterea & odore acrior: nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis ui consumitur q̄ lapides, cum cætera quę picem & resinam fundunt, accensa fuligine immodica carbonem repente expuunt, cum eruptionis crepitu, eiaculanturq̄ longè. Plusculū hinc erūpit liquoris melleo colore atq̄ lentore nunquam durescentis. E ramis eius panicularum modo nucamenta non dependent, ueluti piceæ. Vtraque perpetuò uiret, nec facilè discernuntur in fronde, etiam à peritis: tanta est natalium mistura. Cæterum altior est larix, crassior, ac læuior cortice, folio uillosior, pinguior & densior, molliorq̄ flexu. Piceæ rariora sicciora q̄ folia & tenuiora ac magis algentia, totaq̄ horridior est & perfusa resina. Larix ustis radicibus non repullulat, sic istæ Romano discernunt iudicio. Theophrasto larex cū tantū dictū est uernacula municipibus riparum padi, uel forsitan incognita, uel pinus ambage comprehensa creditur. quapropter anceps Theodorus pityn nunc laricem, nunc piceam uertit. Larix montes amat, nec ei decidunt folia, mucrone pungētia: nullo exhilaratur flore, nec natales ue pomorū recursus annuos uersicolori nuncio promittit. Intermittit tripartitò, ac terna germina ædit, ideò interser squamas corticem spargit. Succisæ laricī diu defluit humor, omnium arborū altissimæ ac rectissimę, tardissimè cariem & uetustatem sentit, eam tamen in marinis nauibus obnoxiam teredini tradunt, pondusq̄ ualidissimè etiam trāsuersum positam sustinere. Mirum quod Plinius de ostētosa laricis magnitudine prodit. Quippe sibi uisam huius arboris trabem pedes centum uiginti longitudinis, crassam æqualiter duos, quo intellígebatur, ut in quit, uix credibilis reliqua altitudo, fastigiū ad cacumen æstimantibus. Hanc arborum amplissimam ad hoc æui propter miraculum Tiberius Cæsar in ponte Naumachiario expo suerat, durauitq̄ ad Neronis principis amphitheatrum. Nascitur in larice fœmina, quam Græci uocant ægida, mellei coloris: densum hoc lignum est, medullæ proximum, in uetęribus arboribus proueniens. Sunt ex eo pictoriæ tabellę atq̄ codicilli immortali penè materie, nullisq̄ fissili rimis. Laricis morbus est ut teda fiat. Larigna resina tussi efficax habetur, pollet contra uiscerum ulcera. Folia cum piceæ fronde trita ex aceto q̄ cocta dentium dolori prosunt. cinis corticum intertrigini & ambustis medetur. dein epotus aluum sistit, urinam ciet, uuluas suffitu corrigit.

Laurus. Cap. XCII

LAurus etiã hoc nomine plebi nobilis, Græcia daphnen appellat. Daphnen hæc comitatur hiſtoria à graijs rei ruſticæ authoribus tradita, quæ fabuloſo uerborum inuolucro nonnihil etiam ueri prætendit. Formoſiſſimam Ladonis fluuij filiam Apollo deperibat, dat operam ut ea tanquam amaſia potire tur. ab eo tandem capta, matrem precatur Tellurem, ut ſe in ſuum reciperet gremium. Subſcribens uotis Tellus, confeſtim arborem ædidit. Re conſpecta deterritus Apollo, arborem gentili uirginis nomine donauit, & uulſo ramo ſeſe coronauit, fuitq; diuinationis ſignum arbos, idq; non incõgruum. Quippe puellam ſapientiam appellant, facultas oraculi dãdi ab ſapiẽtia proficiſcitur: quòd plena ſit ignis arbos, Apollo ignis ipſe utpote ſol, unde lemures & laruas odit, & ſi qua laurus aſtiterit, eminus abiguntur in fugam fuſi. Porrò qui eam in uaticinijs cremant, prædictionis rationem creduntur iniuiſſe. Laurum tradunt ſecundã ualetudinem adferre. proinde folia principibus à populo & carice prima die Ianuarij menſis donabantur. Quippe cum nec ſacer morbus, nec malus genius negotium exhiberet, ubi laurus adfuiſſet. Quemadmodum nemo icitur fulmine, ubi & ficus & laurus aſſideant. Quoniã &, ut aiunt, Romæ palatium Daphnæ, à lauri cognomento fuit appellitatũ. Pręterea Latinum cõmemorant Circę filium & ſocerum Aeneæ, antęq; illuc Aeneas aduentaſſet, arcem condidiſſe, inibiq; laurum inueniſſe: acropolim, id eſt arcem nominãt ueteres regum tabernaculũ, quod munitionis ſecuritatisq; gratia ſummis urbium cacuminibus ſit extructum. ſed ad rem redeamus. Laurus læui cortice ac tenui ueſtitur: ſpargit radices obliquas, inæquales, quæ ſuapte natura nõ recto tramite progrediantur. perpetua frondet coma, caudice procero, pingui ſucco ſcatente, nodis perquã paucis. Fert uuam tam fœcunda q̃ ſterilis, ſed copioſius ſterilis, quam marem aliqui uocant. Fœcunda baccifera, carne in nucleo concepta. Germinat poſt Fauonium, ſed latere germen citat. quapropter celeriter & ſeneſcit & cariem experitur. Algẽtes frigidosq; tractus, ut quæ calida ſit, aſpernatur: naſci tam ſemine quàm auulſione contendunt, ſiquis ſublatis ſurculis ſerat. Crebras deponere lauros non plus nouenis pedibus diſtantes præcipiunt, ſed facilè degenerant, nec ſuum ſeruant colorem, adeò ut fructus è rubro niger eueniat, ſicut in Antandro notatum eſt. Vſus ad baculos & ſcipiones, quibus & perpulchris & leuibus nutans caducaq; ſenectus innitatur. Quintilius inſeri poſſe tradit lauros mutuo, item ſorbo & fraxino. Diophanes baccas ſuadet legi circa Decembres Calendas, ſeri uero poſt Martias Idus, uiuiradices transferri menſe Octobri. Addit eugeniam, id eſt illuſtrem Romanis dici, uiuis ſepibus quæ uitiarium ambiant, idoneam. Laurus pluribus ſeritur modis. Baccæ menſe Ianuario Aquilonis afflatu ſiccante leguntur, expandunturq; raræ, ne caleſiant aceruo. Poſtea quidam fimo ad ſerendum paratas urina madefaciũt. alij in qualo pedibus in profluente deculcant, donec auferatur cutis, alioquin uligo infeſtat nec patitur naſci. In ſulco repaſtinato palmi altitudine uicenæ ferè aceruatim ponuntur menſe Martio: eædẽ & propagine ſeruntur. Triumphalis talea tantũ, auguſta & baccalis pluribus modis: ab occaſu Aquilę ad occaſum Sagittæ ſeri iubent. Laurus triumphis propriè dicatur, ianitrix Cæſarũ Pontificumq;, quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat. Multa lauri genera traduntur. Delphica æquali colore, uiridior, maximis baccis atque è uiridi rubentibus, dicta q̃ ea uictores Delphis coronari ſolebant, ut triumphantes Romæ, quo & triumphalem uocabant ad Cæſaris Auguſti tempora, ut mox dicetur. Cypria folio breui, nigro, per margines imbricato criſpatur. Poſtea acceſſere genera, tinus, quam laurum ſylueſtrem aliqui intelligunt, nõnulli ſui generis arborem. differt colore, q̃ bacca ei cærulea ſit. Acceſſit & regia, quæ cœpit auguſta appellari, ampliſſima & arbore & folio, baccis, guſtatu nõ aſpero. Aliqui negãt eandem eſſe, & ſuum genus regiæ faciũt, quæ longioribus latioribusq; foljs conſpiciatur. Iidem baccaliam alteri aſſignant generi, eamq; dicunt, quæ uulgatiſſima eſt, baccarumq; fertiliſſima. Sterilem uero earum triumphalem, q̃ ea putent triumphantes uſos, à Cæſare Auguſto reiecta delphica. Sterilem & laurum eſſe perhibent, quæ miſſa ſit è cælo eidem Cæſari, altitudine minima, folio criſpo ac breui, rara inuentu. Accedit in topiario opere quæ taxa dicitur, iucũdiſſima, excreſcente in medio folio paruula ueluti lacinia folij. Habetur & ſpadonia mira opacitatis patientia, nanq;

tia.nanq; quantalíbet ſub umbra ſolũ implet. Muſtax folio maxímo flaccidoq; albicat,ap pellata q; muſtaceis ſubiiceretur. Delphicã Helianus è Theſſalia Delphos translatam,ab ipſis Tempe ſcríbit,tum cum Apollo draconẽ ſagittis cõfodit. Eandem Lactantius gram maticus tripodẽ quoq; uocari dicit, quoniã ut ait, radices ternas habeat. Apollíni dicata, propter triplicẽ uim diuinationis, præteritorũ,præſentiũ,futurorũ. Extra colũnas Hercu lis in mari naſcitur frutex, folio laureo,qui erectus in pumicẽ trãsfiguratur.In Heroo ſinu parte aquis extãte lapidea eſt,ſimilis tamẽ uirẽti, magnitudo frutici bipedalis.in mari q; q; rubro uiuere eã adfirmãt.Notatũ eſt in antiquis, nullũ genus lauri in Corſica fuiſſe,quod nunc ſatũ ibi prouenit.Laurũ ramo ſeri poſſe conſtat,etſi ueteribus dubitatũ ſit.Manu ſa tarum receptarũq; in domos arborũ, fulmine ſola non icitur.ignes abdicat ſalis modo cre pitu.Pacifera uictoriarum ſemper index,lætitiæ ſemper nuncia,ideò militum arma, Pon tificum domos,faſces Imperatorum decorat.quod Ouidius non tacuit cum cecinit.

Arbor eris certè dixit mea:ſemper habebunt
Te coma,te citharæ,te noſtræ laure pharetræ.
Tu ducibus lætis aderis,cum læta triumphum
Vox canet,& longas uiſent capitolia pompas.
Poſtibus auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis,mediamq; tuebere quercum.
Vtq; meum intonſis caput eſt iuuenile capillis,
Tu quoq; perpetuos ſemper gere frondis honores.

Tiberium principẽ tonante cælo coronari ea ſolitũ ferunt, contra fulminũ metus. In pro fanis uſibus pollui laurũ fas non erat,ut ne propitiãdis quidem numinibus accendi, ex ijs altaria aræue debebãt. Apollíni dicata laurus,ut olea Mineruæ.In Iouis tamẽ gremio de ponebatur,quoties lætitiã uictoria noua attulerat:id nõ quia perpetuò uiret,nec quia pa cifera eſt, præferenda utiq; myrto & oleæ, ſed quia ſpectatiſſima in monte Parnaſo. Ideo etiã grata ſemper Apollíni,aſſuetis eò dona mittere iam & regibus Romanis,teſte,ut tra dunt,Lucio Bruto, qui lauriferam tellurem illam eſt oſculatus ex reſponſo. Adhibebatur quoq; purificationibus. Teſtatũq; ſit obiter & ramo eam ſeri,quoniã dubitauere Demo critus & Theophraſtus. Vnius arborũ latina lingua nomen imponitur uiris. Folia lauro non decidunt.proxime Fauoniũ germinat.Laurus pleraq; gignit,uuas ſuas maximè ſteri lis,ob idq; mas à quibuſdã exiſtimatur.Frigus inimicũ lauro natura fecerat,ſed in Olym po copioſior nulla eſt. Circa Boſphorum Cimmeriũ omni modo laborauit Mithridates & cæteri incolę,ſacrorũ certè cauſa,laurũ habere,ſed non potuit impetrari à ſolo, ut hanc tanq; alienam aduenamq; nutriret,nec ullo cælũ modo flecti potuit,quanq; & arbores pu nicæ ibi abundant. Si lauro teratur hedera,laurumq; terat eadem,ignis excutietur.itaq; te ritur lignũ ligno,flãmamq; concipit attritu,excipiente materia aridi fomitis, fungi uel fo liorum facillimè conceptũ.exploratores hos uſus in caſtris & paſtores repererũt.In Pon to circa Heracleã laurus erat,ut prodiderunt literarũ monumentis,quæ tumulũ regis Be brycum interfecti tegebat,quam uocabant inſanã,quoniã ſiquid ex ea decerptũ inferatur nauibus,iurgia fiãt,donec abijciatur. Rubigo quidem maxima ſegetũ peſtis abigitur lau ri ramis in aruo defixis,tranſitq; in earũ folia ex aruis.Palumbes,graculi,merulæ,lauri fo lio annuum faſtidiũ purgant.Fit & oleũ ex ea admiſto druparũ oleo.Quidam è baccis ex primunt tantũ:alij foliis modo:alij folia & corticẽ baccarũ: necnõ ſtyracem addũt,alioſq; odores. Optima ad id latifolia,ſylueſtris, nigra baccis.Laurus excalfactoriã naturam ha bet emollientemq;.itaq; decoctũ prodeſt inſidentiũ uuluis, ueſicæq; uitijs cõuenit. Viride folium leniter ſubſtringit,tritum illitu ueſparũ,crabronũ & apum ictibus,item ſerpẽtium uenenis reſiſtit.Inflãmationes omneis cum pane et polenta mitigat.Prodeſt menſibus fœ minarum cum oleo coctũ. Cõmanducata per triduũ terna folia liberant à tuſſi. Quæ tene ra ſunt trita,collectionibus oculorũ cum ruta,teſtiũ cum roſaceo, capitis doloribus cũ iri no auxiliantur.Eadem ſuſpirijs cum melle trita cõmendantur. Pota uomitiones mouent. Cortex radicis calculos rumpit, grauidis ipſe cauendus, enecãs partus. Iocineri prodeſt, tribus obolis in uino odorato potus. Baccæ, quæ daphnides Græcis nominantur, magis q; folia calfaciunt. Cum melle uel paſſo tabeſcentibus proſunt, eodem modo & omnibus

thoracis rheumatismis. nã & excoquunt pituitã & extrahũt. Aduersus scorpiones ex uino bibuntur. Vitiligines emaculãt: epinyctidas ex oleo illitæ & lentigines & ulcera capitis manãtia, & furfures tollũt. cutis prurigine baccarum succus emendat. Auriũ dolori & grauitati instillatur cum uino uetere ac rosaceo, & strepitum, cum eædem sonant, coercet. Peruncto eo fugiunt uenenata omnia. Prodest & contra uenenatorũ ictus potus. Lauri eius, maximè quæ tenuiora folia habet, baccæ cum uino serpẽtibus, araneis, & scorpionibus aduersantur. Ex oleo linuntur lieni, iocineri, gãgrenis cum melle. & in fatigatione etiã aut perfrictione, succo eo perungi, nitro adiecto, prodest. Sunt qui celeritati partus multũ conferre putent, radice acetabuli mensura pota in aqua, efficacius recentẽ q̃ aridam. Quidam aduersus scorpionũ ictus decẽ baccas dari iubent potui, itẽ in remedio iacentis uuæ, quadrantẽ pondo baccarum foliorũ ue decoqui, in aquæ sextarijs tribus ad tertias, eamq̃ calidam gargarizare. Laurus delphicę trita olfactaq̃ subinde pestilentiæ cõtagia cohibẽt, tanto magis si urãtur. Oleum è delphica ad cerata, perfrictiones, discutiẽda neruorũ uitia, laxandos lateris dolores, febresq̃ frigidas utile est. Item ad aurium dolorẽ in cortice punici tepefactũ. Folia ad ternas aquę partes decocta, uuã gargarizatu cohibent. Alui dolores intestinorũq̃ finiunt. Tenerrima ex ijs trita in uino papulas pruritusq̃ noctibus illita delent. Proximè ualent cætera lauri genera. Ex lauri baccis oleũ conficietur hoc modo. Baccas lauri q̃ plurimas maturitate turgentes in aqua calida discoquere facies, & ubi diu fer-
buerint, olei quod ex se dimiserint, supernatãtis undam, pennis leniter cogẽtibus, in uasa transfundes.

Lentiscus. Cap. XCIII

Entiscus à Græcis schinos uocata, arbor est roboris magnitudine, sorbi folio, terebinthi odore, acinis sylueſtris punicę rubentibus, ubi maturuerint nigris, tantisper dũ coquũtur rufis. Fertur & alia iunipero similis. Plinius quoque uidetur præter Chiam aliud genus nouisse, lentiscum Italicã dicens. Ea traditur folio pistacij, sed minore, per extremitatẽ rubẽte, in summo siliquæ pisorũ, sed corniculi modo intortæ, in quibus resina odoris iucundi cõtinetur. Fructus sa-
buci specie in racemis depẽdet, qui in initio rubet, postea nigrescit. Romæ audio demonstrari in ruderibus, monumẽtisq̃ folliculis inanibus & deformibus, quibus cõfractis culices euolent frequẽtes. Dioscorides folia dulcis radicis & lentisci cõsimilia fecit. Ter anno floret, et coma pubet perpetua: qua in re sententia Ciceronis subsignatur, id atteſtante eius carmine.

Iam uero semper uiridis semperq̃ grauata
Lentiscus, triplici solita est grandescere fœtu:
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Resinam ubiq̃ sudat, mastichen uerò dictã in Chio tantũ insula fere. Arborum succo manãtium, quæ picem resinamq̃ ferant, in Oriente optimã tenuissimamq̃ post terebinthum lentisci fundunt, quam & masticẽ uocant. Baccam etiã profert, ubi cura quoq̃ lentisco adhibebatur, nequid nõ hominis uentri natum esse uideatur. Resina lentiscina in Chio mastice est. Importatur & ex India quadã è spina masticha, item ex Arabia, lamam uocant. Sed ex Asia Græciaq̃ ueræ q̃ simillima. Theophrastus ixinã spinam reddere masticẽ author est. Ex lentisco Chia gũmi modo nascitur nigra & candida. Ex Ponto quoq̃ uenit bituminis similior. Laudatissima Chia candida. Galenus duo genera colligit, nigram & candidam, nigram Aegyptiã, candidam Chiam uocari prodens. Ex Aegyptia unguentũ aut oleum fieri solere negat. Diligentiores nigram quæ in Ponto bitumini similis gignitur pici ad uasa uino cõdendo miscebãt. Lentisci baccas schinides appellauit Hippocrates. Mastiche Plinio adulteratur ut thura, Dioscoridi thure & resina. Laudatissima inter oẽs Chia, candida. Masticheu caldam esse cum humore quodã prodidit Aetius. Iis auxiliatur quibus lenta coijt pituita. pituitosum exigit humorẽ, si quis quaternũ sextularum põdere deuorarit hoc modo sumpta, alui deiectionẽ molitur. prodest resrictionibus stomachi nõ indita modo, sed foris quoq̃ illita. Idem oleũ ex ea factũ præstat. Lentisci & arbores, & cortex, & semen astringendi naturã habent, lachryma urinam ciunt, aluum sistũt. Decoctum eorum ulceribus quæ serpunt, fotu auxiliatur. Illinitur & in humidis & igni sacro. gingiuas utiliter colluit. Folia dentibus in dolore atteruntur, mobiles decocti iure proluuntur. capillũ tingũt. Tenera inflãmatis oculis illitu sunt auxilio. Lachryma sedis uitijs prodest

cum quid

cum quid ſiccari excalfieri ue ſit opus. Exprimitur ſuccus è cortice, foliis, radice, cũ aqua percoctis: abiectiſq; iis, aqua denuo coquitur, dum mellis referat craſſitudinẽ. huic uis inſpiſſandi. Sanguinem reiicientibus, alui profuſionibus, dyſentericis bibendus datur. Proderſt contra ſanguinẽ mulieribus erumpentem, & ad uuluæ ſedisq; procidentiã: in totum acaciæ et hypociſthidis more in uſu reſpondet. Eadem præſtat detritorũ foliorum ſuccus. Decoctorũ totu caua complentur, oſſa confracta reſarciuntur, abundantia menſiũ in fœminis ſiſtitur, ulcera quę depaſcunt, arcentur. Idem urinas pellit. motus dentiũ collutione ſtabilit. Virentia ſurculorũ cremia calamiſtri uice dentibus atterũtur, exteruntq; eos. Decoctum è lachryma ſtomacho utile, ructum et urinã ciens. Lentiſcus reſinã fundit, quę lentiſcina & aliquibus maſtiche cognominatur. Additur in dentifricia, & illitiones ad extergendam cutem in facie, item ad replicandas palpebras. Adhibetur ſanguinẽ reiicientibus, tuſſi ueteri. cõmanducata ſuauitatem halitus cõmendat, gingiuas reprimit: medetur attritis pedibus cum cera, & cum aqua uirilia fouentur. Laudatiſſima copioſiſſimaq; in Chio inſula. Probatur q̃ ignis fulgore ſplendida, candorem ceræ tyrrhenicæ præferens, retorrida, odorata, friabilis: improbatur uiridis. adulteratur thure permiſto reſinaq;.

Liguſtrum. Cap. XCIIII

Liguſtrum arbos eſt foliis oleæ latioribus, mollioribus, colore uiridioribus, flore muſcaceo, candido, odorato, ſemine atro, non abſimili ſabucino acino. Naſcitur Aſcalone Iudææ laudatiſſima, item Canopo. Cyprum quidam, ut Plinius inquit, eſſe dicunt arborẽ, quæ in Italia liguſtrũ uocatur, foliis zizíphi, ſemine coriandri, flore candido, odorato. Coquitur flos in oleo premíturq;, fitq; quod cyprinum uocatur. Optimum habetur è Canopica, in ripis Nili nata, ſecũdum Aſcalone Iudææ, tertium Cypro inſula, odoris ſuauitate. Cæterũ liguſtrum apud nos eadem arbor eſt, quæ in Oriente & Græcia cyprus, Gallis *troena*, meis Sueſſionibus *druyna*, officinis ad barbaros deſinẽtibus tum *alcãna*, tum *henne*: ſiquidem ea foliis eſt oleę latioribus, mollioribus, magisq; herbaceis, albo flore, muſcoſo, quo decuſſo ſemen reſtat nigrũ, in pilulis racematim cohærens, effigie coriandri, ſabuci magnitudine, nihil frequentius in uepribus occurrit, nihilq; crebrius in dumetis inuenitur: quo magis miror cyprini tam cõmodũ obſoleuiſſe uſum, quo fere omnia ueterũ monumenta ſcatent. Facile tamen fuerit & oleũ & unguentũ in uſum reuocare, cum paſſim arbos naſcatur. Liguſtra teſſeris utiliſſima: pueri bacculis inficiunt decoctis in aqua, & atramenti loco ſcriptitãt, ſed pictura in cæruleum quadam tenus ſpectat. Pro flore Virgilius uſurpauit ita canens,

Alba liguſtra cadunt, uaccinia nigra leguntur.

Cypri, id eſt liguſtri florem Plutarchus putat corollis intorquendũ, q̃ placidum ſuaueq; ſomnũ potoribus accerſat, quippe qui lenem auram & mitem expiret, quæ temulentorũ ſalebroſas aſpritudines ſenſim læuiget, ita ut cõciliata tranquillitate hebes crapula retundatur, & caloris officio percoquatur. Non paruo in errore uerſantur, qui arbuſculam, ſeu uerius fruticem à pleriſq; caprifoliũ, q̃ libenter capellæ eius folio ueſcantur, appellatũ putent eſſe liguſtrũ: in qua fuere ſentẽtia nõnulli noſtræ ætatis uiri & doctrina & ingenio celebres, qui planè (pace tamen eorum dixerim) deſciſcunt à ueritate, cum caprifolium noſtris tum herbarijs, tum officinis hac facie demonſtretur. Amplexicaulis frutex, ramulis lignoſis, rufis, geminis, per interualla umbilicatis foliis à terra cæſijs, ſupnè uiridibus, mollibus, hederæ baccis, ſeu myrti ſylueſtris, in cacumine duobus foliis tunicato, ita ut difficulter eruatur, radice craſſa, in aruis & ſepibus uiuis ſe conuoluens quibuſcũq; aſſidentibus fruticũ adminiculis. eandem uocant *matriſiluiam* officinæ. Flos in eo candidus cõſpicitur, fabæ non diſſimilis, atq; in foliũ procumbens: quę periclymeni propria traduntur. Itaq; liguſtrum & caprifoliũ uulgo dictum, in tanta ſunt ſuarum partiũ diſcordia, ut ne ulla quidem germanitate coniungi poſſint: nanq; liguſtrũ in arbuſculam adoleſcit, quæ ſuo freta robore nullo fulcitur pedamento. Caprifoliũ ſimplici frutice prorepit, conuoluens ſe quibuſcũq; arborum caudicibus, ita ut niſi alterius ope fruatur, caducum in terram ſerpat, niſi nactum fruticem uel arbuſculã qua nitatur: tum crebro ſe torquet uolumine, ut caudicibus arborum ſtatuminũ uice, & ramis quaſi humeris fultum, ſuſtentata flexili imbecillita te firmetur. Flos huic fabaginus cernitur, illi muſcaceus, exilis: utriq; albet. Foliũ huic he-

deraceum,illi oleaginũ tribuitur:huic baccæ hederæ rubro colore nitent,illi sabucini acini atro colore splendescũt. hæc suo complexu uepreta uiuasq; sepes irretit, illud liberũ nullo alterius fruticis iutũ fauore dumetis insurgit. Vtriusq; tamen decocto os colluitur,cum ipsum aphthæ fœdis ulceribus obsident. Multo magis insimulantur,qui ligustrũ conuoluuli florem esse prodant.in qua sententia est Seruius grammaticus, qui ligustrum florem esse scribit,candidissimum ac uilissimũ qui in conuoluulo herba nascitur. Sed euidentior error,quàm ut explodi mereatur:quũ cõuoluuli flos prægrandis sit,&,ut uerbis utar Plinij,quasi rudimentũ naturæ lilia facere condiscentis. Flos ligustri perq; exilis est,muscosa facie,ut iam dictum est. Sic hallucinãtur literatores pleriq;, hunc conuoluuli florem ligustrum intelligentes,falsi,ut arbitror,q; apud quosdam suo uernaculo sermone flos ille uulgo licet perperam, dicitur ligustrum. sic uulgi authoritate freti nõ immerito decipiuntur. non semper latinæ linguæ sermo respondet uernaculus. Natura ligustri foliis astrictoria, unde cõmanducata oris ulceribus opitulãtur. eadem illita feruidis collectionibus carbun culisq; medentur. decocto eorũ fouentur ambusta: ipsa rufant capillũ, modo in radiculæ succo maduerint. Flos capitis dolores sedat cũ aceto illitus fronti. Succus eius neruis,articulis,quos humor impleuit,auxiliatur. Folia ubiq; ueteri ulceri cũ salis mica & oris exulcerationi prosunt. Sanant gallinaceorũ pituitas acini: pollent & contra phthiriasim,item cõtra intertrigines. Fit ex eo cyprinum oleum, quod excalfacit,emollit neruos, quoniam nonnulla quæ feruenti natura sunt prædita,sibi adsciscat.

Lotus arbor. Cap. XCV

LOtus arbor,quam Aphri celtin, Latini fabam græcam, Græcum uulgus anacacabeam, ut Aetius est author, Italia hodie tum amarenũ,tum põgeracum, tum uisciulũ, quidam acrifolium,alij ciceraginem, Galli *alysam* & *alyserum* appellãt. Infra pyri magnitudinẽ subsidet,breui caudice,cacumine ramoso,cortice aspectu grato,atra materie,folio ilicis nisi dissectũ esset. Fructui maturo luteus colos,fabæ magnitudo,iucũdus odor,cerasi ferè natura,radice magis quàm lignum nigra. Lotus Theophrasto proprium genus præstat,pyri magnitudine, aut paulo infra,incisuræ in folio creberiores,alioquin ilicis uiderẽtur,spissa,nigra & ferè enodi materie,ligno q; macilento,dura medulla. Differentiæ generũ plures, eæq; maximè fructibus discretæ constant. Amplitudo fabæ pomo, color croci, sed ante maturitatẽ alius atq; alius sicut in uuis. Nascitur in ramis dẽsum myrti modo,nõ ut in Italia cerasi,ut Plinius addit,inter sese aduersum. Mandítur, ut idẽ Theophrastus est author, inter Lotophagos,innocua dulcedine suauitateq;, nec uentris sentire morbos ferunt,qui eo subinde uescantur:iucundius meliusq; sine interiore nucleo,qui in alterutro genere osseus uidetur. Vinũ eo exprimitur. Tanta uerò fructus & arboris copia narratur, ut exercitũ Ophelli Carthaginẽ petentis in commeatuum defectu pauerit. numerosa in Pharide insula Lotophagorũ,nec paucior in continenti, sed multo largior. Plurima in Aphrica ad nos spectãte. Hesperidũ lotos ab ea quæ Lotophagis nascitur,distat,ut qua ligni uice utantur ad urendũ. Non desunt,qui fruticosam ramosamq; arborẽ esse tradãt, caudice firmo ac fideli, fructu qui nuce obducitur foris minimè carnoso,sed pelliculari & cuticulaceo, nec cibo tam dulci q; gustu,alias iucundo. Vinum quod ex eo cõficitur,ultra binos ternos ue dies negant durare, à quo tempore statim acorem cõtrahit:suauiorem itaq; fructum apud Lotophagos haberi. Sed materia Cyrenaicæ præfertur. Radici nigritia maior q; ligno, densitas minor q; hebeno,& post buxum summa redditur, certatq; ferè medulla eius cum buxi spissitudine, ita ut ex reliquis ei primatus detur. uerum ad pauciora cõmodior. Vtilitas radici q; ligno minor:quippe cum tantum ad pugiones & glutinamenta usui sit:lignum tibijs & alijs pleriq; expetatur. Medullam habere lotũ,qua multi carere putant, constat,argumento,q; ea ualuarum sumptuosarum cardines facũtare solent artifices,& simulacra sculpere,q; nõ capiat rimas. hæc Theophrastus. Sunt qui breuẽ tradant arborẽ,ut Polybius, qui & uidisse se testatur, spinis aspera,folio uirenti,quale rhamno,tantũ profundiore latioreq;,fructu candidę myrti per initia,processu puniceo,magnitudine oliuæ, sed rotundo:eum cibo familiæ tundi cũ nucleo qui perexiguus ei est,seruari conditũ:eundem nucleum herilibus mensis eximi. Saporem fici & phœnicobalani inesse pomo:sed præstantiori odore,uinum & acetũ inde fieri. Cornelius

nelius Nepos tradit uinum quod exprimitur ſimile mulſo, quod ultra denos dies inficiatur idem durare, baccasq; cum ſiliqua ad cibos dolijs condi. Sunt qui biduo triduóue acescere uinum ſcribant. Aphrica quà uergit ad nos, inſignem lotum arborem gignit, quã uocant celtin, & ipſam Italiæ familiarem. Præcipua eſt circa Syrtes atq; Naſamonas, fructu tam dulci, ut nomen etiã genti terræq; dederit, nimis hoſpitali aduenarũ obliuione patriæ. Iam & in Gallia naſcitur, cęterũ mutato ſolo cæloq;, à grata illa fructuũ dulcedine degenerãs. Exercitus paſtos fructu eo accepimus ultro citroq; cõmeantes per Aſiã. Baccas cum nucleo & callo cõtuſas ad cibos cadis cõdebant ueteres. Lotos, ſiue faba græca, quã à ſua uitate fructus ſylueſtris quidẽ, ſed ceraſorũ penè natura, loton appellant, præcipuè domibus expetitur, ramorũ petulãtia, breui caudice, latiſſima expatiantiũ umbra, & in uicinas domos tranſilientium. nulli opacitas breuior, nec aufert ſolem hyeme decidentibus folijs: nulli cortex iucundior aut oculos excipiens blandius: nulli rami longiores ualidioresq; aut plures, ut dixiſſe totidẽ arbores liceat. Particulatim lotus fructificat, non ab utroq; ſui germine: quod & in alijs quibuſdã notatũ eſt. Ludicræ tibiæ fieri cœptæ ſunt è ligno, cui colos nigritia placens, ad cãtus tibiarũ expetito: è radice cultellis capulos, breuesq; alios uſus excogitãt. Materies nec cariẽ nec uetuſtatẽ noſcit. Viuax eſt arbor, & æquæua quibuſdam urbibus. Durauit, ut fertur, ab Vrbis Aede cõdita (incertũ quãtum ipſa fuerit uetuſtior) longiſſimo arborum æuo, ad Neronis incendia, adhuc iuuenis uiridisq; uictura, niſi princeps ille arboris acceleraſſet mortẽ. Quantũ pertinet ad nomenclaturã, ſunt qui fabam appellent Syriacã, nympha in arborẽ ſui nominis conuerſa, quam Priapus fugientem cõprimere quęſiſſet, ut fabulantur. Padi accolæ baccam Syriacã adhuc appellant. &, ut audio, Romæ uulgo arbor illa puls Syriaca nominatur. Anacacabeã uulgò apud Græcos dici, & fructũ anacacabon, author eſt Aetius. Cenomani hodie uocãt *calamum*, quod lignum cœptũ eſt pertundi, ut tibiæ factitarentur, reiectis propter nimiã difficultatem arundinibus. Recentiores certè acrifoliũ pro faba, ſiue, quod idem eſt, loto arbore capiũt. Acrifolium tamen Macrobius inter infauſtas arbores numerat, contrà lotum felicẽ eſſe tradit: quare aliud acrifoliũ à loto putauit. nec aquifoliũ legi poſſe crediderim, quod ilex ſit, quæ felicibus annumeratur. Fabam græcam Latinis dici putauerim, cp fructus tuberculo fabæ grãdeſcat, & ſua grata dulcedine cibis placeat. Dioſcoridi lotus magnitudine iuſtæ arboris adoleſcit, fructu maiore cẽ piperis, dulci, graueolente, qui edẽdo ſit & utilis ſtomacho. Mauritanæ familiæ authores in duo diſpeſcũt genera, alterũ læue, alterũ ſpinis acutis horret, utriq; folia lata & aliquantũ rotunda. Fructus ſua mira dulcedine opiparas regũ menſas exhilarant, oscq; mandentiũ odoris ſuauitate cõmendant. Cur ruſticis *alyſa* baccæ & arbor *alyſerum* dicatur, haud cõpertum habeo, niſi forſitã indiſſolubili ligno, & ob hoc ad ludicras fiſtulas nato. Fructus ſi copioſior eſtur, ebrietatẽ repræſentari uolunt. Lotos, quæ faba græca noſtris appellatur, aluum baccis ſiſtit. Ramenta ligni decocta in uino, potu infuſuq; proſunt dyſentericis, abundantibus menſtruis, uertigini, comitialibus. Rufant capillum, defluentẽq; cohibent. Mirũ ijs ramentis nihil eſſe amarius, fructuq; dulcius, q ſtomacho ſit utilis, & citã aluũ ſupprimat. Fit è ſcobe eius medicamentũ, ex aqua myrti ſubacta, & diuiſa in paſtillos dyſentericis utiliſſimũ, pondere uictoriati potũ cum aquæ cyathis tribus.

Malus. Cap. XCVI

MAlus, quæ Græcis melea, Gallis à pomis ferendis ferè nomen retinet: arbor eſt uulgo notior quàm ut explicari debeat, ſe confeſtim in ramos ſpargens, unico caudice, cortice læui, folio oblongo, neque nõ mucronato carnoſoq;, flore foliato, ſupra fructum inſidente, radicibus paucis ſummæ telluri cohærentibus, pomis magna ex parte rotũdis, ſemper uerò calloſis, & quà ſolem ſpectant puniceis, ſeminibus intus diſcretis, cõtinente tunica ueſtitis. Latere malus germinat, ſerotino pullulatu. facillimè fructum ante maturitatem perdit, cum multis pateat iniurijs, ſed uerna, utpote imbecilla, offenſis omnibus longè opportunior. Fructum reddit primis frigoribus, ex annotinis ſurculis fructifica, & ex nouellis item, ſi qua fuerit bifera. ſuo fructu fata degenerat. Breuiſſima malis uita, & præcocibus & uernis breuior quàm ſerotinis, dulcibus quàm acidis. ſed ut cito occidit, ita uelociter creſcit. Fiſſuræ uulnus caudex accipit, nec tamen more cæterorũ emoritur. Corticis læuore nitet, peculiaresq; nodos ha-

bet belluata facie,ut Theophraſtus ſcribit,ſed prægrādi uno,alijs circa eum puſillis com/
pluribus.Sentit frequenter arbor uermiculationē,atq; uredine locis cōcauis & quę à uen
ti perflatu ſilent,infeſtatur.interdū & ſyderatione tentatur.Fructu & in planis contra cæ/
terarū morem præſtat.Humor ei aquoſus.deſcendit in plana,ſubit & in montoſa.Malos
ſerere nouē pedibus paulo diſtantiores præcipiūt.Biferæ in ijs quædā ſicut & præcoces,
item ſylueſtris bifera.ſequens eius fructus poſt Arcturū in apricis maximè.celerrimè ſe/
neſcit,& in ſenecta deteriorē fructum gignit.nanq; minora poma proueniunt,& uermicu
lis obnoxia,quoniā & in ipſa arbore naſcūtur.Malū inſeri Cato iubet per uer,& poſt ſol/
ſtitium,diebus quinquaginta poſt uindemiā.Serendi tempus æſtiuis malis diſtribuitur
poſt mediā hyemem ad idus Februarias:ramis ſata,rarius emergit.Duobus anni tempori
bus,ut Anatolius ſcriptū reliquit,mali ſeruntur,uere & autumno,ſed locis quibus humo
rem natura non ſuppeditat,autumno ſatę poſt imbres melius cōualeſcunt.amant lætum,
pingue & pullum ſolū.Frigidis tractibus gaudēt,nec in humectis ſedem recuſant.nō ero
dentur à uermibus,ſi circūlita fuerit ſcylla.Vermes à ſuillo ſtercore miſto humanę urinæ,
& radicibus offuſo extinguuntur.ſiquidē mali mirum in modū lotio recreantur,cuius ri/
gatu crebro nō parum eas adiuuari certū eſt.Sunt qui caprinū ſimum urinæ adijciant,&
ueteris uini fecem radicibus infundant,ut dulciorē creent fructum.Morbos abiges,ſi aſi/
nino ſtercore in aqua macerato ſex diebus,occiduo ſole rigaueris.Amat ex interuallis ri/
gationes,quoad germinet.Si cupis ut pomorū abundantiā miniſtret,nec numeroſam pro
lem perdat,diſſectū plumbei tubi patulū os,ſic ut circulū ducat,caudici altitudine pedis à
terra ſtrictim obducito:& quū mala cœperint adoleſcere,torquem hunc eximito.id quo/
tannis eſt faciundū,ut ubertatem fœcundā concipiat.Lacertæ uiridis felle ſi perungatur
caudex,poma nō putreſcent.Generoſiſſimæ quæq; malorū plantæ radicibus non uiduæ
ſcrobibus humandæ,ſic ut cacumen tantū ſuper terram relinquatur extare.Radices tauri
no felle oblinendæ:ſiquidem celerrimè uermiū iniuriam arbos ſentit.qui ſi negotiū exhi/
beant,æreo clauo fodicandus atq; uellicādus cortex,donec mucrone tacti radātur,ſed ul/
cerata loca bubulū ſimum obducat:ſic ſemel raſi non ultra naſcētur.Si caduca ſint poma,
fiſſæ radici lapis impactus ea retinebit.Si ſpiſſa poma ramos onerabunt,interlegēda quæ
uitioſa uidebuntur:ſic generoſa copioſiore alimento fulta maiori luxuriabunt incremen/
to,uitioſis amplius alimoniā non ſurripiētibus,ſuccusq; qui ingratè his poſſet impendi,
ad meliora tandē uertatur.Vermiculoſa poma ſolū aridum parit.Putatio apta eſt,ut et ari
da & malè nata tollantur.Citò ſenectā experitur hæc arbor,quo tempore degenerat.Ma
lus,ut Diophanes poſteritatis memoriæ tradidit,inſeritur pyro ſylueſtri,cotoneo,ex qua
miſcella,quę Athenienſes melimela nomināt,hoc eſt mellita & dulcia mala,creātur:item
platano,unde rubra naſcuntur.Didymus in cōmentarijs quæ de re ruſtica reliquit,iubet
& malum pruno damaſcenæ inſerendā,quæ ſi citrio inſita comprehenderit,toto anno po
miferam reddi pollicetur.Rationem adferet Berytius,qua rubra poma naſcantur.Arbor
urinæ rigatu ſatietur & rubra prodibunt.Sunt qui ad hunc modū malis rubrum colorem
moliantur.Palo in terram defixo,fructiferos ramos citra uulnus incuruantes illigant,&
iuxta uel ſcrobiculos uel uaſa complent aqua,obſeruātes ut meridie cōcidens in aquam,
ſolis radius calidum euocet uaporem,qui refractu quodam in pomum reſiliens,rubrum
colorem conciliet.Non deſunt,qui ſub arbores roſas ſerant,ſic rubra poma dari promit/
tunt.Malorum plura ſunt genera.de citreis in ſua arbore dictum eſt,medicam Græci uo/
cant patriæ nomine.Tuberum duo genera,candidum,& colore ſericum uocatum.Papi/
nius tuberes & zizipha,hæc ex Africa,illa è Syria nouiſſimis Auguſti temporibus inue/
xit,in caſtris ſata & aggeribus præcipuè decora,baccis ſimiliora quàm malis.Quemad/
modum Græci tuberas ipſas appellent,uix poſſum coniectura conſequi,niſi eas quis ſeri
ca uocare putet.Parui ſucci poma,nec concoctioni,nec ſtomacho facilia,ut tradit Gale/
nus,exiguumq; corporibus alimoniū præbentia,ſed ſolum inſidētibus & effrenatis pue/
ris,ac malacia muliebri cibo expetita:quare nihil ad ſecundā ualetudinē tuendam,aut abi
gendos morbos ualere Galenus teſtatur.Serica Galeno fuerūt,quę alio noīe zizipha di/
cunt.officinę barbaros imitatę *iuiubas* hodie nomināt,de quibus ſuo loco dicēdū erit.Sed
peregrina erāt & zizipha & tuberes,q̄ ex Africa uenerūt in Italiā.Sunt & in Veronenſi
agro na/

agro naſcentia, quę peculiari nomine lanata appellantur, ꝙ ea lanugo ut ſtruthea obduceret, nulla alia cõmendatione inſignia. Ab inuentoribus etiã nuncupantur, à quibus habent originẽ, à Manlio manliana, à Matio matiana, à Claudio claudiana, quibus color rubens. appiana, quibus odor & magnitudo cotoneorũ, inſito cotoneo ab Appio è Claudia gente, claudiana ſunt cognominata. Sunt & ſeptiana rotũditate inſignia ab inuentore libertino. Cato adiecit quiriana & cõditiua, quæ doliis cõdantur, ſcantianaq;. Sunt & parua quę dam gratiſſimi ſaporis, quæ petiſia nominãtur. Patrias nobilitauere camerina & græcula, cætera è cauſis traxere nomen germanitatis, cohærentia gemella, nunc; in fœtu ſingula: à colore ſerica, à gentili cognatione melappia, à celeritate miteſcendi muſtea, quæ nunc melimela dicũtur à ſapore melleo. Orbiculata ex figura orbis in rotunditatẽ circũacti, à mammarum effigie orthomaſtica, à conditione caſtrati ſeminis, quæ ſpadonia nominãt, uel gemella à foliis: foliũ enim unum aliquando & geminũ erumpit è latere medio. à corrugationis celeritate pãnucea, quę quam citiſſimè in rugas marceſcãt. ab importuno tumore pulmonea, ſtolide em tumeſcũt. Sunt quibus color ſanguineus, origine ex mori inſitu tracta. Cunctis uerò quæ fuerũt à ſole partes, rubent. Sunt & parua grati ſaporis atq; etiã acutiora odore, ſylueſtria, peculiari acerbitatis improbitatisq; conuitio, quibus uis tanta ut etiã aciem gladij preſtringat. Daca ferè uiliſſima, aduẽtu prima, decerpiq; properantia. Pomorum inuentionẽ Athenæus Libero patri aſſignauit. quod & Theocritus Syracuſſius teſtatur, malũ in ſinu ſeruare prodẽs. Subſcribit huic iudicio Neoptolemus Parianus in Dionyſiade, qui inuenta à Baccho mala, ut & reliquos mollis calli fructus cõmemorat. Diphilus author eſt, uiridia mala quæ nondũ ad maturitatem deuenerũt, noxium parere ſuccũ, bilẽ & morbos creare, cauſas horroris adferre: ex iis quæ maturitatẽ conſequũtur, melioris ſucci dulcia, & facilius aluo excernuntur, ut quæ minori acerbitate ſint prædita. Acida improbũ gignunt humorẽ, et magis ſubſtringunt. Faciliora ſtomacho credũtur, quę ex leni acremẽto dulceſcunt. Orbiculata iucunda quadã ſubſtrictione placent ori, & à ſtomacho gratiã ineunt, quæ mordiana uocãtur, optima in Apolloniate agro, qui Mordius cognominatur, orbiculatis ſimilitudine reſpondẽt. Setania & inſuper platania bonũ creant ſuccũ, ſed uentri aduerſantur. auſtera è dulci ſunt aphratomela, odorata hæc, & carnẽ habent aſperã, & ſqualentẽ ut cotonea. Sunt & phaulia, & quæ delphica Græci uocant. Habẽtur & Heſperidũ mala, quæ Lacedæmoniorũ diis olim dicabãt, ſuaui, ut Pamphilus tradit, odore: ſed inguſtabili pomo. Sunt & matiana ex uico Aquileiẽſi, ut Athenęus ſcriptũ reliquit, ſub ipſas Alpes cõdito. Iis nõ longè cedũt quæ in Gangris Paphlagoniæ urbe naſcũtur. Græci etiã corinthiaca è Sidunte uico celebrãt. nominantur & laconica, & erina à uere dicta, ſicut à lanugine chnodia, lanatis ſupradictis nõ planè diſſimilia. & ut ſũmatim Cloatius diligẽter enumerauit, genera ſunt, armeniũ, cotoneũ, citreum, couimelliũ, condiuum, muſteũ, martianũ, orbiculatũ, ogramĩũ, præcox, puniceũ, punicũ, perſicũ, quirianum, roſinũ rubrum, ſcandianũ, ſylueſtre, ſirutiũ, tybur, uerianũ. Porrò Gallis pomorũ differentiæ propemodũ innumeræ, quãdo etſi ueteres hæc genera malorũ annotauerint, poſteritas miſcella inſitione antiquitatẽ longè uicit. In Gallia principatũ obtinẽt, quæ *cependua* uulgo uocãt, ſui ſaporis, uerũ adeò grati, ut & trans maria uæneant: geſtatũ plus ; alicui ſit credibile, tolerãt in tãta ſuauitate minime fugacia, magnitudine media, colore cũ maturuerint luteo, ſuaui odore, ſed anguſto, quo tamen animus exhilaret: cartilagine coris dura, ut quæ poſſint in annũ protelari. Sæpe & bima uidimus. Secundas partes ſibi uendicãt, quæ ab Ambianẽſi municipio *rambura* uulgus nominat, prægrãdia, rotũda, callo fragili, tenero, ut quæ uentorũ flatu deturbata in parteis deſiliant, mira & ſuauitate guſtus & teneritudine, ita ut in ore fruſta liqueſcãt, ſed ut fugiẽtia, diu ſeruari nõ poſſunt, neque ferè ad exitũ autumni prorogãtur. Proxima ſunt, nec eis ſuauitate cedentia, quæ uulgo *paſſipoma* nominantur, ꝙ cum reliquis omnibus de primatu certarent, niſi tam fugacia noſcerẽtur, inde uernaculũ nomen ductũ eſt, mediocri magnitudine, turbinatiore figura, carne ſuaui, prætenera, guſtu perq; iucũdo, ſemine per maturitatẽ in utero ſonãte. Sed ut mire placent, ita cito fugiunt. Accedunt quæ *paradiſiana*, quaſi cælitus miſſa, nominantur, pręparua, mellea dulcedine, pręcoci celeritate, quaſi uerna, cõcretu pauco. ea malacis pręgnantiũ expetuntur, omniũ ferè pomorũ fugaciſſima. Alia dulcia, callo corporis duriore,

rotunda

rotunda, quæ ob ſui nimiam dulcedinem, à palato moroſiore laborantiũ faſtidiuntur, ea putauerim eſſe quæ melimela dicuntur à melleo ſapore. eadem à celeritate miteſcendi mu ſtea, ut inquit Varro, uocabãtur. Muſtea ſanè ueteres appellabant, id quod nos præcocia. Acida uulgus noſtrum *malacria* ab ſaporis acremento nuncupat, oblongiora, dura carne, ex acerbo leniter aceſcente. Annum hæc ſæpius durant, ægris ad inuitandã elangueſcen tem appetentiã nonnunq; conceſſa. Alia *caſtinia*, auſteriore guſtu, dura uelut caſtaneę car tilagine, mediocri magnitudine, oblõga. Alia uulgo *francetura*, rotundo habitu & amplo, duriore callo, grata acerbitate, quæ tãdem in dulcedinẽ degeneret. ea diu ſeruari poſſunt, & annicula ſępe reperiuntur. Sed & *rubelliana*, ſanguineo cortice, carne intus friabili, ſapo re non ingrato, & ex auſtero ſubdulci, nec cito fugientia. Reliqua nõ pigeret nominatim perſequi, ſi uel ſuis cõditoribus propagare memoriam, aut cultoribus uel gloriã uel utilita tem parere poſſent. Verum in tanta pomorũ nomenclatione, fereq; nationibus omnibus uaria, in tantisq; inſitionũ adulteriis, perfacilè quis fallitur. Porrò genera quę quotidie no uo inſitionis ingenio prodeunt, nec ſcribi, nec in tanta gentiliũ uocabulorũ diſcordia per notari plane queunt, ea tamen obiter, ut quæ Gallico uulgo peculiaria naſcantur, retuli mus. Poma ſeminis nigrore maturitatem fatentur. Colliguntur poſt ęquinoctiũ autumna le, nec ante ſextamdecimã lunam. cadiua ſeparanda. Seruantur poma tabulatis loco frigi do, ſeptentrionalibus feneſtris, quæ ſereno die lucem accipiant patentes. Auſtri ſpeculari bus arcendi, Aquilonis afflatu deturpãtur rugis. Stramentis, ſtoreis, paleis ue ſubſternun tur, Rara cõponuntur, ut limites parui ſpiritum æqualẽ accipiant. Minimũ melimela du rant, plurimũ camerina, quæ ut ſcantiana quoq; ſerotina ſunt, & gelu matureſcunt ad hye mem uſq; pendentia in parente. Mala Marcus Varro foliis ficulneis præterq; cadiuis ſin gula conuolui iubet, ciſtisq; uitilibus cõdi, uel creta figlinarum illini. Poma longo tempo re durabũt, ſi, ut Diophanes ſuadet, uegeta legantur. ſed obſeruationem deſiderant, ut ma nu decerpantur illæſa, & fuco id eſt muſco marino ſingula conuoluantur, ſic ut undique cooperiãtur, interiecto quoq; eodem, ne ſeſe ulla ex parte contingant. ſic patinis indito o perculo clauſa, tabulato frigoribus obuerſo, quo neque fumus, neq; teterrimus perueniat odor collocentur. Si deſit fucus, ſingulæ arculæ ſingulis pomis ſunt aſſignandæ. nam una clauſa diuerſa genera diſcordant, & celerius uitiantur. Sunt qui creta figulina ſingula cru ſtent, quæ poſtq; occaluerit, incolumia ſeruantur, foliis nucum ſubter expoſitis, quo ſub ſtratu, & odori & colori perq; belle conſulitur. Melius cedet, ſi frondibus nucum non ca ducis ſingula conuoluantur. Cuſtodiuntur in olla fictili cera interius inducta. A putrilagi nis labe uindicantur, hordei aceruis obruta. Seruantur quoq; fidelibus fictilibus non pica tis, effracto fundo, & excluſo ſpiritu, ſed ad id muneris integra & lecta manu, quę non ſen ſerint uetuſtatem, deligantur: iis fideliæ ad fauces uſq; cõpleantur, et pyxacantha aut quo uis alio ſpiracula uaſis diligenter obturentur: ſed hyemem totam in parentis ſurculo pen ſilia cohæreant, taliaq; inuenientur poma, qualia fuerant cõdita. hoc experientia quadam accepiſſe teſtatur idem Diophanes. Seruantur quoq; ſingula ficulneis frondibus ſiccis in uoluta, ſi deinde luto uel argilla cãdida linantur, & ſoli, quoad cruſtam duret, credantur, tunc talia permanent qualia cõcluduntur. Poma dolijs muſti mergũtur, atq; ita clauſa per durant, & à fece ſeruata uini ſuauitatẽ ſupra modum cõmendant. Item cõduntur mala pa tinis fictilibus fluitãtia, quo genere & uino odor acquiritur. Porrò ſeruanda poma caniſtris, uel uimineis ciſtis componuntur, & mundo tomento obruuntur. Hyberna poma ſemini bus ut uuæ demerguntur. Non putreſcunt poma, quorum cacumina uirentis ſatyrij her ba fuerint illita. hæc Diophanes. Alij ſtramentis prius in crate ſubiectis, in cumulos ſecre ta diſponunt, qui frequẽti diuiſione ſeparentur. Alij in uaſculis fictilibus picatis claudi iu bent. Alij argilla cruſtãt, aut ſolos pediculos creta figlinarũ adlinunt, alij in tabulis ſubſtra ta palea diſponunt, & ſuperne ſtramentis operiunt. Mala rotunda quæ orbiculata dicun tur, ſine cura toto anno ſe ſeruare poſſunt. alij in puteo uel ciſterna uaſa fictilia mergunt, quibus diligẽter picatis & clauſis mala cõmittuntur. alij illęſa tantũ pediculis eorũ feruen ti pice merſis, ſupra tabulatũ ex ordine diſponũt. Plericq; ſcobem populneũ uel abiegnum inter mala diffundunt. reponenda tamen ſic, ut floſculi ſurſum, & pediculi deorſum ſpe ctent, quemadmodũ in arbore nata pendebant. Vinum & acetum fit ex malis, contuſa &

ſaccaro

saccarò rarissimo condita, ponderibus, prælo, aut trusatilibus molis comprimuntur. hyeme durat, sed prima acescit æstate. Rusticæ disciplinæ authores mala odoratissima quęq; fictilibus uasis committebant, uinum infundebant, & operculatum uas pelliculabant, eo post triduũ aut quatriduũ utebantur. Acetum sic è pomis fit acerbis aut syluestribus, quæ in cumulo per triduum reseruantur, deinde mittuntur in cadum, cui fontana aut pluuialis aqua miscetur, & opertum uas per trigínta dies finitur, ac subinde quãtum fuerit aceti sublatum ad usus, tantum redditur aquæ ad reparationem. Nostri è pomis uinum factitant, quod uulgo *cidrea* dicitur, prælo uel trusatilibus molis tortiuum ius exprimentibus. deinde rursus secundariũ fracibus & retrimẽtis in aqua maceratis, ita ut pomea lora dici possit, non parui ad restinguedam rusticorũ sitim momenti. Galenus omnia inquit, mala breui fugiunt atque acescunt, utpote frigida & excrementitio succo redundantia, ideoq; non nisi melle condita seruando sunt. Ab hac malorum conditione, cotonea & struthea desciscunt, quæ nec fugacia sunt, nec facilè degenerant in acorem. Sunt & mala quoq; peculiaribus suis mentionibus prodenda. Pomum omne refrigerandi & humectandi uim habet. parum alit, mali succi est, autumno plus officit. Pomum Varro dictum autumat, quia potu siccitatibus indigeat. Generale tamen uocabulum complectitur, quicquid apud Græcos opora cõtinet. Discrimẽ adsignat Democritus, inter oporas, & ea quæ acrodrya Græci nominãt: quòd opora dicatur, quicquid herbaceo fructu uiret, lignosi nihil exterius habens, ut duracina, pyra, mala, damascena, pruna: acrodrya uerò contrà nominantur, quæ putamen exterius lignosum q; fructũ cõtinent. ut malum punicum, castaneæ, pistacia, nuces. & oporotheca ubi custodiuntur. Vtrunq; genus salgami nomine complectuntur Latini, à quo salgamarius originẽ duxit. Sunt de agricultura scriptores, qui nuces et mala sic diuidunt, ut nuces dicant omne pomũ, quod foris duro tegitur, & intus habet quod esui est: malũ uerò foris habet quod edẽdo est, & durũ intus includit. Dubitatum in iure apud Ceselíũ, an nux pinea pomum esset: quia nuces essent quicquid exterius duro cõtegitur, id quod estur foris habet, pomo utrunq; cõtinetur, quod plerisq; probatur. Seruio nuces sunt omnia duriore corio tecta, molliore uerò poma. Malorũ appellatione ueniunt & cotonea, & punica, & persica, & pyri genus, ut uolunt, unum librale nuncupatũ, ab amplitudine & pondere. Rei rusticæ scriptoribus syluestria poma numerantur, albæ spinę, gręcæ siliquæ, iuniperi, cornus, loti, arbuti, paliuri, & achradis pyri. Pomifera syluestria, quæ sibi fuillum pecus usurpet, Columellæ sunt corylus, græca siliqua, alba spina, lotos, pinus, cornus, arbutus, prunus, & paliurus, atq; achrades pyri, quæ alio genere comprehenduntur, & ea quæ Plinius syluestria nominauit, odore acutiora, improba & acerba, ob id cõuitio dicata. Pomis omnibus caducis suillũ pecus optimè pascitur, sed ea gestãtibus dorsuarijs iumentis tam grauia, ut oneri quoq; uiribus alioquin non impari succũbant. Siquidem uires (ut Lucianus in asino aureo putat) odoribus eorũ offensæ fatiscunt, ut ponderi pares non sint. Mali generũ omnium spissandi uiribus pollent. Poma ipsa manduntur acerbiuscula, ubi nonnihil astringendũ sit: non idem possunt matura. ex ijs uerna bilem pariunt, neruos lædunt, spiritus flatusq; creant. Melimela aluum emolliunt, animalia uentris expellunt, siticulosa, æstuosa, glycymela, hoc est mala dulcia, nõnulli uocant. Orbiculata stomacho amica, sistunt aluum, urinas cient, uomitiones supprimunt. Syluestria mala similia sunt uernis acerbis, aluumq; sistunt, in quem usum immatura opus sunt.

Mespilus, & Epimelis Cap. XCVII

Espilus Græcis & Latinis iuxta, quam Gallorum alij *meslierum*, alij *neflierum* uulgo dicũt. Arbor est mali uulgaris altitudine inferior, ramis in gyrum comosis, aculeatisq;, folio, p̃misso, tenui & longo pediculo, flore subherbaceo, amygdalæ forma, fructu dum pubescit uiridi & duro, ubi maturuit fuluo ac molli, circa uerticẽ cristato, tribus quatuor ue intus nucleis, radice numerosa, materie dura, solida, carici minimũ obnoxia. Theophrastus Idęorũ secutus obseruatio nem tria eius tradit fastigia, anthedona, sataneã, gallicam. Sataneæ malũ grandius, candidius, solutiusq;, molliori intus acinorũ ligno, uerũ fugacius cęteris, minus quidẽ pomum, sed fragrãtius, gustu astringẽtius, & uetustatis patiens, ligno quoq; spissiori flauioriq;, diutius hoc durat. Flores, ut idẽ refert, omnibus amygdalę, non tam rubẽtes, sed propemodũ

herbacei

herbacei. Arbor inter ampliſſimas, comoſa in gyrum, folio ſciſſo, extremitateq; apio ſimili, ſed maioribus diuiſuris, promiſſo, rigenti, neruoſo, tenuiore & longiore quàm apium, longo & gracili pediculo, radice alta, numeroſaq;, ideo longæua arbor eſt, & inextirpabilis, lignum quoq; denſum, incorruptum, ſolidũ. Folia antequam decidant uehementer rubeſcunt. Seritur ſemine & auulſione. Vermibus infeſtatur in ſenecta, qui prægrandes ei, diuerſi q̃ cæteris arboribus cernuntur. Meſpilus, ut Didymus ſcriptum reliquit, ante diem octauum Calendarum Aprilium ſeritur, modo quo cotonea malus, locis calidis gaudet, ſed irriguis tamen. Frigida quoq; non recuſat: ſabulone pingui, uel glareoſa terra cui arena permiſta eſt, uel argilla cũ ſaxis, prouenit. Serenda eſt taleis menſe Martio, uel Nouembri, ſed ſolo ſtercorato & ſubacto, ita ut utrunq; caput taleæ ſtercus obducat. Amat putari atq; circunfodi, & parco humore per ſiccitates refoueri. Seri poteſt etiam ſemine, ſed in longæuiorem ſperatur ætatem. Si uermibus occupatur, ſtylo æreo purgãdi ſunt, & amurca, uel humana uetere urina, uel uiua calce profundendi, ſed parcius propter arboris noxam, uel aqua decocti lupini. ſi putatur hinc arbor ſterilis fieri, fimus et cinis uitiũ ſimul, ſi radicibus infundantur, fertilẽ reddunt. Si formicæ moleſtæ ſunt, rubrica cum aceto & cinere ſubacta necabũtur. Si poma labuntur, præciſum è radice fruſtum media trunci parte figatur. Inſeritur menſe Februario in ſe, in pyro & malo. Surculus tamen eius ex arbore media debet adſumi: nam de ſummitatibus uitioſus eſt. in trunco fiſſo inſerenda eſt: nam ieiuna corticis macies nihil enutriet. Meſpila ad ſeruandũ leguntur necdũ mitia, quæ & in arbore diu durabũt, uel in urceolis picatis, uel in ordinẽ ſuſpenſa, uel, ut quidam uolunt, poſca, uel ſapa condita. Die ſerena legantur ac media, & paleis obruãtur, diſcreta ne uiciſſim ea tactus adficiat. uel cum pediculis lecta ſemimatura & ſalſa aqua per dies quinq; macerata, poſtea ſæpe infundantur ut enatent. Seruãtur & melle ſi minus matura collegeris. corio teguntur poma: quod mandi, ſicut caſtaneis detrahi, ſolet. Cæterum non fuit in Italia Catonis æuo. Dioſcorides duplici genere cõtentus eſt, ita ut alia quàm Theophraſto & Plinio meſpili diſtinctio repræſentata eſt, & ſanè qua dubitatur, an meſpilum cum ſorbo ueteres confuderint, quandoquidem altiſſimis connumerant, quod certe ſorbo q̃ meſpilo nunc uocatę, magis cõuenit, niſi quis noſtratem meſpilum chamæmeſpilũ appellãdam fortaſſe cenſeat. Plinius tria aſſignat genera, anthedona, ſetaniam: tertium degenerare tradit, quod uocant gallicũ, intelligens forſitã, quod apud nos inuenitur, arbore pumila, quę in gyrum comatur, minore pomo, ſed præſtantiori odore, quod diutius ſeruetur. Dioſcoridi meſpilus, quam nõnulli uocant aroniam: arbor eſt aculeigera, folio pyxacanthæ, pomum ferens paruo nõ diſſimile malo, guſtu iucundum, ternis intus oſſiculis, unde nomen apud quoſdam tricocco. ſera ei maturitas. Aſtringit hoc eſu, ſtomachũ firmat & aluum. Alterũ genus meſpili habetur naſcentis in Italia, quod quidã epimelida nominant, aliqui ſitaniũ. Arbor mali ſimilitudine, folio tantũ minor. Pomum huic rotundũ, eſculentumq;, fundo in latitudinẽ reſimo, aſtringentis ingenij, & tardè matureſcentis. Galenus cõmuni uocabulo tricoccũ quaſi trioſſum aut trigranium ab aliquibus appellatum meminit, quoniam tria intus grana ſiue ligna ſeminis loco, fructus contineat. Galli noſtri duo obſeruãt meſpili genera, unũ quod rarioribus horret ſpinis, in dumetis & nemoribus neq; non uiuis ſepibus quaſi ſylueſtre naſcens: pomo paruo, et per initia tam acerbo, ut uix edẽdo ſit, priùs q̃ per hyemis frigora molleſcat. Alterũ grandiore pomo, ita ut mala reliqua magnitudine peræquet, ſine ſpinis, q̃d uidetur crebro inſitu in hortis cõmutaſſe & feritatẽ cultu depoſuiſſe. Poma per gelicidia acerbitate domita in paſſo, uel mulſo coquũtur, adiecto cinamomi momento, cibatu ueſcẽtibus gratiſſimo. Sunt qui patinis citra aquã incoquãt. Noſtri plurimũ ligno ad uenabula & aurigarũ flagella utuntur. Fructum uſurpant Medici ad coercendũ alui ruentis impetũ. De epimelide uaria authorũ ſentẽtia. Dioſcorides inter meſpila cõnumerat, ab quibuſdã & ſitaniũ dici prodẽs. quod & Galenus apud Hippocratem Dioſcoridis teſtimonio fretus, confirmat, genus eſſe meſpili quod alio nomine ſitanium dicatur. Et idem eſt author, amamelidem meſpili genus eſſe, plurimum naſcẽtis in Italia, quæ ſit epimelis Dioſcoridi, quanuis ſunt, ut inquit, qui dicant & amamelidas & apomelides, poma eſſe ſylueſtria ac exigua, ex quo facilè intelligitur amamelides ei eſſe quæ epimelides Dioſcoridi. Pamphilus apomelida pyri genus arbitratur, quod amameli

da quidam

da quidam uocant, alij omomelida, frequentẽ in Ionia & biferam, fructu pyri ſed ſui generis, omnino ut Athenæus refert, prædulci & ſine nucleis, ac prælato pyris. Alij omomelides appellãt ut Aſclepiades, nõ pyra, ſed mala ſylueſtria & mõtana, quæ Theocritus oromalidas appellauerit, cũ ficu matureſcẽtia. Hypomelides ſiue epimelides ut Martialis aſſerit, poma ſunt ſorbo ſimilia, mediocri arbore naſcẽtia, flore candidulo, ſapor ex acri dulcis, ita ut fructui inſit dulcedo cum acremẽto cõmiſta. Seritur mẽſe Decẽbri nucleis in uaſculis poſitis. Menſe Februario hypomelidis plãta, iã pollicis magnitudine robuſta trãſfertur breuiſſimo ſcrobe, ſoluta terra, plurimo ſtercore. ſed muniẽda eſt quia cito areſcit, ſi radices eius uentus adflauerit. Terrã qualẽcunq; non reſpuit, amat loca tepida, maritima, & ſæpe ſaxoſa: ſtatum rigidum reformidat. inſeri nõ poteſt: exigua durat ætate. Poma eius aut picatis & minutis urceolis, aut ſcrobe populi, aut in ollis inter uuas, uinaceis obruta ſeruantur. Galenus in ſimpliciũ cenſu epimelida ſcribit à ruſticis Italiæ unedonẽ appellari, ſylueſtris mali genus, copioſum in Calabria, fructu acerbo & infeſto capiti & ſtomacho, cui & alienus ſapor remiſcetur. Paulus Galeni iudicio ſubſcribit, epimelidẽ tradẽs à ruſticis Italis unedonẽ nominari, eſſeq; malũ ſylueſtre, cuius pomũ ſit acerbũ ſtomacho, & capiti noxiũ. Sic Galeno et Paulo epimelis genus quoddã arbuti, quę Græcis comaros dicitur, cui eandẽ omnino uim reddiderũt, hoc addito, q; fructũ mimæcylõ nominãt. Dioſcorides epimelida cõgenerẽ fecit meſpilo. Pãphilus pyri genus eſſe putat, Martialis Palladij poma ſorbo ſimilia cõtendit.

Myrrha. Cap. XCVIII.

Myrrha, quam Græci ſmyrnam appellãt, in Gallia officiniſq; nomen retinet, arborem alij alia ſpecie repręſentant, quia forte haud una ſpectetur effigie. Theophraſtus quinis cubitis humiliorem, minorem thure, caudice frutico ſo, duro & circa radicem intorto, craſſiore ſura hominis, cortice læui, ſimili q; adrachnæ. Folio ulmi, ſcabro, criſpo, & extremitate ut iligneũ aculeato. Plinius huic accedit ſentẽtiæ, arbori magnitudinẽ aſſignans ad quinq; cubita, nec ſine ſpina, caudice duro & intorto, craſſiore q; thuris, & ab radice etiã q; reliqua ſui parte. corticẽ læuẽ, ſimilemq; unedoni, ſcabrũ, alijq; ſpinoſum dixere. Foliũ oliuæ, uerum criſpius & aculeatũ. Iuba oluſatri modo foliatam dixit. Aliqui ſimilem iunipero, ſcabriorem tantum ſpiniſq; horridam, folio rotundiore, ſed ſapore iuniperi. Diodorus lentiſco æquat, fronde tantum frequentiori, tenuioriq;. Alij terebintho aſſimilarunt, ſic tamen ut aſperior ſpinoſiorque eſſet, folio rotundiore, alioqui ad terebinthi ſaporem accedente. Profecto lignum quod ab Arabibus Antigono regi fuit delatũ, nihil, ut fertur, à terebintho differebat. Pleriſq; codex in uertiginem flexus & ſpinis hiſpidus, folium oliuæ licet criſpius, maxima altitudo, extenditur ad quinque cubita proceritatis. Suſpicor in Græcis Theophraſti codicibus mendã ſubeſſe, librarijs lubrico lapſu ptelea pro elęa ſcribentibus, fœcũdo duarũ literarũ annexu, ita ut ulmeũ pro oleagino legatur. quare Plinius in reliquis notis Theophraſtũ ad unguẽ ſecutus, foliũ ei oliuę reddidit. Myrrha in permultis Arabię locis gignitur. Cõuehitur & ex ſyluis laudata, petuntq; eã etiã à Troglodytis Sabæi tranſitu maris. Satiua multũ ſylueſtri prefertur. gaudet raſtris & ablaqueationibus. melior radice nuda, refrigerataq;. Traditur naſci in ſubargilloſis & ſabuloſis ſitiẽtibuſq;, raro interfluentibus fontiũ aquis. Cupit, ut alij uolũt, imbribus perlui, et amnibus exhilarari, quę tamẽ cũ ante dictis pugnãt. Nõdefuere, qui ex thuris arbore utrũq; naſci mẽtirent. Incidit bis eiſdẽ cũ thure tẽporibus, ſed à radice uſq; ad ramos qui ualẽt. Sudat ſpõte priuſquã incidãtur, ſtacten hoc eſt ſtillatitiã dictã, cui nulla prefertur. Poſt hãc ſatiua, et in ſylueſtri quoq; melior eſt æſtiua. Veteris odoratior eſt lachryma. Prima partitio Theophraſto eſt, ut aliã ſtactẽ hoc eſt ſtillatitiã, aliã plaſtẽ hoc eſt fictitiã appellet. Arabes ſarmẽtis eius ignes fouẽt, quorũ fumo ſatis noxio, niſi odore cremati ſtyracis occurrãt, plerũq; inſanabiles morbos cõtrahũt. Regi Gebanitarũ quartas partes myrrhę pendũt, Deo nõ dant, quoniã & apud alios naſcatur. Cæterũ coemptã paſſim ac uulgo in folles cõferunt, ipſiq; unguẽtarij digerunt, haud difficulter odoris atq; pinguitudinis argumẽto. Genera aliter tradidit Plinius q; Dioſcorides, hoc ordine. prima ſtacte, ſecunda ſatiua, tertia ſylueſtris. Sylueſtriũ genera complura. Primus inter eas locus Troglodyticæ, quę & pinguedine & aſpectu aridior eſt, ſordidaq; & barbara, acrior cæteris. Proximus Erythręę, quã mineã uocant alij, eamq;

intellígi uolunt Arabícam, cuius iterũ ſpecies quatuor habentur, ſtactea, Atramitica, Gebanitica, & Auſaritis. tertius Dianitidi. quartus collatitię. Quintus Sembracenæ, à ciuitate regni Sabęorũ. hęc hilaritate inſignis, nec aſpectu ſordida, ſed uiribus infirmior. Sextus Duſaritidi. Eſt & cãdida, uno tantũ loco, quæ in Meſſalum oppidũ cõfertur. Diuerſa ſit à prędictis quã odoratã cognominãt, non cõſtat, quoniã plerique cũ Plinio nõ ſeam ſed ſextã legunt. in plenũ probatio minutis glebis, nec rotũdis, in cõcretu albicãtis ſucci, & tabeſcẽtis. Secũda bonitas intus uaria, peſſima quæ intus nigra, peior ſi etiã foris. adulteratur lentiſci glebis & gũmi, item cucumeris ſucco amaritudinis cauſa: ſicut põderis, ſpuma argenti. Reliqua deprehendũtur uitia ſapore, gũmi dente lenteſcentis. Fallaciſſima eſt Indica myrra, quæ ibidẽ quadã è ſpina colligitur multo deterior. atq; hoc ſolũ peius adfert Indía. Naſcitur & in Gedroſia, ut inquit Strabo. argilloſa uerò terra, cruſtoſaq; prouenit in Arabia. Dioſcorides myrrham Arabicæ arboris lachrimam eſſe tradit, quæ Aegyptiæ ſpinæ perſimilis ſit. laxatur ictu cortex, & proſilit in tegetes ſuſcipientes lachryma, alia caudici cohærens addenſatur. Genera plura. pediaſimos pinguis, cuius appreſſu elicitur ſtacte. Gabirea pinguiſſima læto & reſtibili ſolo naſcens, plurimam ſtacten ſudat. Troglodytica omnibus ante fertur. nomen traxit à loco unde conuehitur, colore ſubuiridis, mordax, pellucida. metitur & alia tenuior. Secunda poſt Troglodyticam facilè molleſcens bdellij modo, odore putidiuſcula, in aprícis et illuſtratis ſole locis erumpẽs. Alia uocatur caucalis exoletorum more areſcens, colore atro, retorrida. Omnium deterrima quæ ergaſime cognominatur, ſquaroſa, macilenta, acri guſtu, gummi uiribus & aſpectu referens Damnatur quæ minæa dicitur. Cæterum myrrha defingitur in paſtillos, pinguis in pingues, arens in aridos atq; inertes. in totum magis uiribus pollet, quæ nullum admiſerit oleum. Adulteratur gummi permiſto, quod prius myrrhæ diluto permaduerit. deligitur recens, aſpero quodam obducta ſitu, minimè ponderoſa, omni ex parte concolor, & quæ confracta candidas unguium modo læueſq; uenas intus oſtendat, minutis glebis, guſtu amaro, acri, odorato, calido. nanq; ponderoſa colore piceo ſuperuacua iudicatur. Porrò myrrha cognita uulgo, nedũ officinis: ſed ſtacte doctis etiam compluribus ignota, quod mirum, cum longè res quàm myrrha pretioſior. Quid tamen de ſtacte ſentiam, paucis aperiam. Lucretius odoramento & unguento eam coniunxit, inquiens,

Aut amaricini blandum ſtactæq; liquorem.

Meminit & Columella in ſuo carmine, cum cecinit,

Et melior ſtacte ponatur Achaica myrrha.

Dioſcoridi pinguitudo eſt recentis myrrhæ. tunditur hæc cum pauxillo aquæ, dein prelo uel machinis aqua foras exprimitur. odoratiſſima hæc & impendio pretioſa, per ſeq; facit unguentũ, ſtactẽ uocatũ. Cõmendatiſſima, quę impromiſcua, et oleo libera ſit. Stacte Gręcis nominatur, quoniã è ſtillatitia myrrha fiat, colore pallido, ſuauitate mira. Hodie ſtactẽ officinæ & medicorũ uulgus *Styracem liquidum* appellant: cũ ſit tuſæ myrrhæ recẽtis exigua aqua cõſperſæ præpingue ſerũ, organo expreſſum, aut, ſi mauis, pinguiſſimus myrrhæ flos, aut tortiuũ ius machinis extractũ. q; ſi certior fieri uoles, cõſule factionis Mauritanę, aut Arabice familię authores, qui, citantes Dioſcoridis teſtimoniũ, in ſtyrace liquido tradũt, pinguitudinẽ myrrhæ recẽtis tritæ cũ aqua pauxilla & torculari expreſſæ, boni odoris. Vides ut ſtyracem pro ſtacte uſurparũt, uel nominis uicinitate falſi, uel q; duo ſtoracis (ſic loquuntur) ſtatuãt genera, liquidi & ſicci, qui recẽtioribus calamita dicitur, cũ Græci quicũq; de ſtyrace quicquã prodiderũt, unius duntaxat meminerũt, de quo infra dicetur. Sed de hoc hactenus. Cõſtabat & myrrha unguentũ regibus Perſicis dicatũ, quod illíca pite ceu diadematis uice geſtabãt, ſed addebat myrrha labizos appellata, quã multo pretioſiorẽ myrrha Dinon ſcribit. Appellatiõe unguenti Aegyptij ſtacten uenire, author eſt Athenæus. Myrrha cõcalfacit, caput ſopore grauat, agglutinat, adſtringit, reſiccat, uuluã emollit & præcluſam laxat. menſes trahit: partus uelociter pellit, cum abſinthio & lupinorũ cremore, aut ſucco rutæ naturalibus admota. Contra ueterẽ tuſſim magnitudine fabæ deuoratur: eodẽ modo ad orthopnœã, ad laterũ dolores, ad aluí ꝓfluuia, ad dyſenterias. horrores febriũ diſcutit, duabus horis ante acceſſionẽ cũ pipere & aqua pota. ſubicta linguæ ſuctu gutturis ſcabritiã emẽdat, obtuſam uocẽ expedit. Cõmanducata graues halitus

halitus oris,& ingratum animæ fœtorem abolet: & cum alumine liquido peruncta uirus alarũ extinguit.cũ uino & oleo colluit os, quibus gingiuæ labant, sic mobiles firmat dentes,et stabilit. Vulneribus capitis insperſa glutini uicẽ exhibet.Fractas aures iungit,& nuda cõuestit ossa, adiecto interiore limacis callo.Cum meconio,castorio,glaucioq; linitur, quorũ auribus effluit pus,& quibus aliqua sentiatur collectio.Ad uaros cũ casia & melle perungitur:impetigines ex aceto deterit.Defluẽtes capillos cum ladano, uino,myrteoq; oleo firmat. Diuturnas è capite destillationes cohibet illitis pinna naribus. eadem ulcera oculorum explet, albugines delet, caligines discutit, scabras exterit genas. Bœotia uerò myrrha è quadam arbore inibi prorumpit radicis uulnere, melior quo myrrhæ suauitati uicinior est. Vim habet calfaciundi,emolliendi,discutiendi,suffimentis natam.Stacte uerò commendatissima,quæ libera sit oleo,impromiscuaq;,quæ minima proportione pluri mũ calfaciat,similemq; uim tum myrrhę,tũ unguentorũ excalfactorijs obtineat.Stacte dicitur,quoniã è stillatitia dũtaxat myrrha fiat,colore pallido,suauitate mira, sed amaritudine præcipua:quapropter cũ balsami succus defuerit,Galenus,& item Paulus,pro succidaneo,suffectitiam dari stacten præcipiunt.Nec me præterit Græcos etiã interdum stacten pro lixiuio,quod cineris elotio est usurpasse,sed uel addunt uel subaudiunt νονίαν.

Myrice. Cap. XCIX.

MYrice hoc est tamarice,arbor est & ipsa inter uulgatas.nascitur proxime paludes residesq; aquas ac quiescẽtes, fructũ floris similitudine profert cõcretu muscosum.mitior in Aegypto & Syria gignitur, cætera similis syluestri, fructu lignoso,ut galla,inęqualiter aspero gustu. Myricen,tamaricen uocãt Corinthi: & in Achaia quæ circa est,brya dicitur.Et cũ plus iusto adoleuit, utiq; promala poetis.Humilis frutex est amerinæ ramis,folio angusto,carnoso & fere pinnato.Achaia duo obseruauit fastigia,syluestrẽ omnino sterilem,fructiferã alteram,quæ in Aegypto proceriſſimas æquat arbores,ramis ex herbaceo fuluoq; uariegatis, lignoso fructu,galla maiore,in quo semen gustu asperum,eiusdem effectus cuius galla.Myricen Italia,quã alij ut ait Plinius, maricem uocant, Achaia autẽ bryan syluestrẽ,insignem in ea q̃ satiua tantũ ferat gallæ similẽ fructũ. In Syria & in Aegypto copiosa hæc est: cuius infelicia ligna appellantur,quoniã nihil præter muscosum florẽ ferat,nec feratur unquã.Sylue strem illã Gallia *bryariam* uocat,humilẽ pumilumq; fruticẽ,flore concretu muscoso. Foliũ sunt qui sabinę herbę nõnihil simile pronunciẽt, & profecto mihi ab eo uidentur minimũ dissidere,perpetua coma frõdet.Sues dũ dulcedinẽ pabuli consectantur, (est enim insatiabile pecus) supra modũ æstate splenis incremento laborãt. Cui succurritur,si fabricentur canales alueí ue tamaricis è trũco,repleanturq; aqua,& deinde sitientibus admoueantur. quippe ligni succus medicabilis,epotus intestinũ cõpescit tumorem.Lienosis suibus mederi tradit Democritus physicus aquam quæ potanda obijcietur,in qua candentes myricæ carbones fuerint restincti:cõsulitq; hominibus uitio lienis laborantibus,uinum ebibere carbonibus myriceis igni flagrantibus exustum. Myricen,quam tamaricem uocat Lenæus, similẽ scopis amerinis,sanari dicit ea carcinomata in uino decocta, tritaq; melle illita.Ego hãc esse tamaricẽ arbitror.Ad lienẽ precipua est, si succus eius expressus in uino bibatur. Huius cum uno uiscerum liene tã mirabilis dissidentia, quã antipathiam Græci uocant,ut adfirment,si alueis canalibus ue, ex ea factis bibant sues,sine liene inueniri, & ideo homini splenetico cibum potumq; dãt in uasis ex ea fabricatis. Grauis est author in medicina,uirgam ex eadem fractam, ut neq; terram neq; ferrum attingeret,sedare uẽtris dolores asseuerauit impositam, ita ut tunica cinctuq; corpori apprimeretur. Vulgus infelicem eam arborem uocat. Corinthus & quæ circa est regio bryoniam appellat: eiusq; duo genera facit,syluestrem plane sterilem,alteram mitiorẽ. Hæc fert in Aegypto Syriá que lignosum fructũ,galla maiorẽ,asperũ gustu,quo medici utuntur uice gallæ in compositionibus,quas antheras uocant.Lignũ autem,flos,& folia,& cortex in eosdem usus adhibentur,quanquam remissiora.Datur sanguinẽ reijcientibus cortex tritus,& cõtra profluuia fœminarũ,cœliacis quoq;.Itẽ tusus impositusq; collectiones omnes inhibet.Folijs exprimitur succus.Ad hæc eadẽ in uino decoquuntur:ipsa uero decocta cũ melle gangrę nis illinuntur. Ad dentiũ dolorem auriumq;, decoctum illorũ salutare.epinyctidas sanat.

Radix ad eadem,similiter folia.hæc amplius ad ea quæ serpunt,imponũtur cum polenta. Semen drachmæ pondere aduersus phalangia & araneos bibitur: cum altilium uero pinguí furunculis imponitur.efficax contra serpentium ictus,præterquam aspidum.necnon morbo regio,pthiriasi,lendibusq; decoctum infusum prodest.abundantiam mulierum sistit,cinis arboris ad omnia eadem prodest. Si bouis castrati urinæ misceatur,uel in potu, uel in cibo,uenerem finiri narrant.carbo urina ea restinctus in umbra cõditur:idẽ cum libeat accẽdere resoluitur. Magi id ex spadonis urina fieri tradiderunt.Fructu, ut est Dioscorides author,medici utũtur uice gallæ in cõpositionibus stomaticis, item medicaminibus oculorum.Datur sanguinem expuentibus potui,cœliacis, & contra profluuia fœminarum,neque non regium morbum,aduersusq; phalangium.Idem tusus impositusq; collectiones omnes inhibet.Cortex ad eosdem usus adiungitur.Foliorum decoctum ad lienem præcipuum est, ut quod in uino sumptum uiscus illud consumat. Dentium dolores eo salutariter colluũtur. mulierum abundantiam insidentium sistit. phthiriasi lendibusq; infunditur. crematæ arboris cinis immodicos uuluarum fluores supprimit. Quidam in remedium homini lienoso potum dant uasis è caudice eius fabricatis. Illud obiter monendos puto Columellæ studiosos,ut locum septimo eius libro Dioscoridis authoritate corrigant,quo legitur,canales tamaricis & ruscо fabricẽtur,ita,tamaricis è trunco. Quis enimexistimauerit alueos suibus idoneos ex tãtillo frutice excauari? quis tẽtauit? cuius crassitudo nunquam minimum digitum æquauerit. Potorios tamen calices ex myricæ trũco confingí magna lienosorũ salubritate testatur. Nec illud non docendum, quí uitro soluendo firmandóq; dant operam,ex hac arbore potissimum igni suo escam ministrant. Huius radicem officinæ *casiam* uocare solent.Et,quæ palam imperitia medicorum est,pro odorata casia utuntur. Infeliciorẽ hac gignit arborẽ Græcia,quam & ostryn & ostryã uocat, solitariã circa saxa aquosa, similem fraxino cortice,& ramis,foliis pyri,paulo tamen lõgioribus,crassioribusq;,ac rugosis incisuris,quę per totã discurrũt.Semine hordeo simili, & colore,& materia dura atq; firma:qua in domũ illata,difficiles partus fieri produnt, morteq; miseras.

Myrtus. Cap. c.

MYrtus græce myrrhine.& myrsine, Gallis *murta* dicitur:oleæ similis,sed ramis foliisq; minoribus, angusta fronde,perpetua,seriatim dispositа,flore supra fructum insidente,baccis nigris,piperis gustu, succo uinoso,stirpe inæquali & ramosa.præest Venus arborí, quippe quæ litoribus maxime proueniat, Venus autem è marí dicatur orta:hinc & arbor sacra coniugio.Græci arborem Mineruæ ut oleam dicant, commenti fabulam, quòd Myrsine Athenienſis puella fuerit,pulchritudine ac robore insignis, amica Palladi, quam iuuenis ab ea cursu & palæstra superatus interemerit, inuidia ductus, quòd elegantia cæterisq; naturæ dotibus reliquæ iuuentuti præstaret. Arbuscula in demortuæ uicem succedens, semper, ut olea,Mineruæ chara remansit,refricans aspectu suo desiderium. uita ei ut quibusdam animalibus ambigua,hoc est,terra & aqua.Degenerat in fruticem nisi crebro purgetur. Maximã purgationẽ quærere Androtion est author.lętius enim germinat à qua plura fuerint adẽpta,largioremq; fructum ministrabit. frigidos odit tractus, argumento quòd omnino nulla in Olympo, nulla in ponto prosilierit, etsi summo studio, adhibitaq; omni solertia, etiam religionis causa,cõseuerint.cacumine & lateribus germinat, & ex anniculis fructificat surculis. perpetua coma uiret. diuturnissimã ualidissimamq; myrtũ adfirmant. Circæum promontoriũ quod uocãt excelsum,refert Theophrastus myrto scatere, quod Circen incoluisse tradunt indigenæ, & in Elpenoris inibi tumulo coronario genere nasci. in quo primum uisa traditur, Græcumq; ei nomen remanet, quo peregrinam esse apparet. Odor præcipuus myrtis Aegypti,ubi cætera omnia prorsus hebescunt. Seritur ligno,ramis & semine,sed terra iugiter accumulanda,dum germinantes ramuli roborentur,Græci locis editioribus seri præcipiunt, quòd uicina odoris suauitate repleat. Auulsus stolo aut termes à cacumine decerptus, proceritate subrectus pangitur: qui solo stercore satiato quousque ramulos emittat,exaggerari debet.Sunt qui cubitales palos scrobibus olearum more in obliquum mergunt. Alij ex baccis seminaria faciunt, quas leuiter tunsas & restibus butomo contextis inuolutas fossulis obruunt. Longe melius fructificare polli-

centur

centur,si plantulæ in caput infigantur. gaudet arbor iugi repurgatu:ita in excelsam procritatem adolescit.ad textile uasculorum opus utilis. Humana uel ouilla urina rigari desiderat:siquidem ea, ut produnt,mire lætatur. Baccas sine internis nucleolis creabit, crebro aquæ tepētis imbre rigata.Inseritur candida nigræ,itē punicæ, mespilo,malo.lætiore coma uirebit, uberioremq; fructum pariet, si comes rosa coniungatur. Itē cū myrto consortium iniens rosa, fructuosior emicabit. Baccas myrti in areolas ab Idibus Februarijs uel etiam Calendis differere præceperunt.Democritus hoc modo seri docet: grādissimis baccarum tusis leuiter ne grana frangantur, eaq; intrita, reste circumligari,atque ita seri, parentem fore densitatis ex quo uirgulæ differantur. Plantas myrti à trimatu tempestiuū est trāsferre.Ramo seritur & palis,laxato prius meatu utriusque trium pedū longitudine, crassitudine digitali, cortice diligēter seruato,trunco exacuto.Myrtus & taleis seritur,incremēto uelox,sed cito occidit. Catonis fastigia sūt cādidi,nigri,cōiuguli. Alia distinctio est satiuæ & syluestris,& in utraq; latifoliæ.De sylvestri in oxymyrsine agitur.Satiuarum genera topiarij faciunt: tarentinā folio minuto, nostratē patulo, exoticā densissimo,senis foliorum uersibus.hęc non est in usu.Ramosa utraque alia.Coniugalem existimant nunc nostratem.odoratissima est in Aegypto. Dioscorides duobus urbanæ fastigijs est contentus, candidæ & nigræ. Duo item Columellæ sunt genera myrti, quorum alterum est nigrum, alterum album. Succi natura præcipuam habet admirationem in myrto, quando ex una omnium olei uiniq; genera fiunt. Alius usus baccæ fuit apud antiquos antequam piper reperiretur, libi obtinens uicem, quodam etiam generosi obsonij nomine inde tracto,quod myrtatum uocabatur.plerunq; ad intinctus addītæ.Ouantes myrtea corona usos quandoque tradunt, ut triumphantes lauru. Celebris est Hippolyti & Phædræ amoribus Trœzenia,cuius folia,ut inquit Pausanias,prope Veneris delubrum satæ perfora-
ta nascebantur iniuriam uidelicet ferentia sæuientis unguibus & calamistris fœminæ. Cō
trouersum fuit apud Græcos quodnam coronæ genus esset Anacreonti naucratites appellata.& pluribus usum est non aliud esse q̄ ex myrto,rosis comitantibus.Alij è sampsucho sertum,quę in Aegypto copiosissima est.Alij papyrum coronariam, quam Aegyptij byblon stephanotrida cognominant, interpretantur. Lesbij,ut inquit Athenæus, myrti ramulis implexis floribus se coronant,quos hypothymidas uocant.Plutarchus pectorales coronas quibus ceruices redimibāt,hypothymidas appellat.Memorabili augurio habitæ sunt Romæ sacræ duæ myrti,quarum altera patritia appellabatur,altera plebeia.Patritia multis præualuit flaccescēte plebeia,exuperās ac lęta quādiu senatus floruit.Illa ingens,plebeia torrida ac squalida: quæ postquàm eualuit, languida patrū authoritas facta est,& in sterilitatem paulatim emarcuit maiestas. Virgæ myrti gestatæ uiatori prosunt in longo itinere pediti. Quin & annuli uirgarij expertes ferri, unguium tumori medentur. Folia per se siccātur in farinā ad ulcerū remedia in humano corpore, leniter mordaci puluere,ac refrigerandis sudoribus.Cato docuit uinum fieri è nigra, siccata usq; in aridítatē in umbra atq; ita mulso indita.si non siccētur baccę,oleū gigni.Postea cōpertum & ex alba uinum fieri albū,duobus sextarijs myrti tusæ in uini tribus heminis maceratæ expressæque.Myrtæ sunt ipsæ myrti bacculæ, quæ myrtides Græcis nominātur.Hę diutissime uirentes,ut Græci produnt, seruantur uase non picato, diligenter operculato conditæ. Alij cum ramulis reponere malunt.Myrtiten uinum Græci hoc modo fieri præcipiunt,ramis teneris cū suis folijs in albo musto decoctis, tusis, libram in tribus musti cōgijs deferuere faciunt, donec duo supersint. Vinū myrtiten ad tormina & alui proluuiē & ad imbecillū stomachū Latini sic faciunt:nigri generis baccæ maturæ leguntur, & sine seminibus in sole siccatæ,fictili fidelia sicco loco reponuntur, mustū è maturis uuis expressum in seria adijcitur,& statim primo die antequam id ferueat:& repositarū baccarū diligenter cō tritarū totidē libræ appendūtur,quot amphoræ condiri debent. Massulæ huius musti cōsperſæ & farina baccarum coactæ per latera seriæ in mustū demittuntur,ne altera offa superā perueniat:deinde cū bis deferbuerit,contritarū rursus baccarū par pōdus,ut supra dictū est,permiscetur,sic ut instar iuris crassi in eandē fideliā cōfusum,rutabulo ligneo peragitetur. Scopulis aridæ myrti seria suffriatur, purgatumq; uinū post septimum diem in amphoras bene picatas & bene olidas diffunditur. Vinum aliud myrtitē sic temperāt:

quamoptimum mel inferuescere faciunt,& toties despumant, quoad nihil habeat spurci-
tiæ: cum deinde mel refrixerit, baccas albi generis myrti quammaturissimas legunt, &
perfriant ita,ne interiora semina conterãtur,fiscello ligneo inclusas exprimunt: succumq;
earum,qui sit sextariorum sex, cum mellis decocti sextario immiscent, & in lagunculam
diffusum oblinunt. Sed hoc mense Decembri fieri debet, quo tempore fere matura sunt
myrti semina.baccæ sereno die legantur,quo nec pluit,nec rorulentę decerpantur. Multi
nigram uel albam myrti baccam duabus horis in umbra expositam paululumq; resicca-
tam distringunt sic, ut quantum fieri poterit, semina interiora permaneant integra, tum
per lineum fiscum quod pertriuerant exprimunt, & per colum iunceum, succum liqua-
tum lagunculis bene picatis condunt, nulla re permista. sed hic liquor non tam est dura- 10
bilis:sed quandiu sine noxa manet,ad ualetudinem utilior est.Myrtus satiua,minus utilis
est medicinæ quàm nigra.Semen eius medetur sanguinem excreantibus.odorem oris cõ
mendat uel pridie commanducatum. datur dysentericis denarij pondere in uino, ulcera
difficilia in extremitatibus corporis sanat cum uino sufferuefactum.Imponitur lippitudi
ni cum polenta, & cardiacis in mamma sinistra, & contra scorpionis ictus in mero. Ad-
uersus fungos in uino bibitur & ad uesicæ uitia,capitis dolores,ęgilopas antequã suppu-
rent:item tumoribus,exemptisq; nucleis in uino ueteri tritum eruptionibus pituitæ.Suc-
cus seminis aluum sistit,urinas cit.Ad eruptiones pustularum cum cerato illinitur, & cõ-
tra phalangia, capillum denigrat. lenius succo est uinum quod nunquam inebriat. Inue- 20
teratum sistit aluum, & stomachũ.tormina sanat, fastidium abigit. folia fungis aduersan-
tur trita ex uino.Cum cera uero articularibus morbis,& collectionibus.eadem cum uino
decocta,dysentericis,& hydropicis potui dantur.Purgant lentigines, pterygia, epinycti-
das,condylomata, tetra ulcera, ambusta cũ cerato. Siccantur in farina quæ aspergitur ul-
ceribus.Hæc utilis est cœliacis,procidentiæ uuluarum,sedis uitijs, ulceribus manãtibus,
igni sacro fotu,capitis fluentibus furfuribus,ambustis.eadem arentiũ farina sudores cohi
bet insperfa,uel in febri. Exprimitur & folijs succus mollissimis in pila tusis, adfuso pau-
latim uino austero,aliàs aqua cælesti. Atque etiã expresso utuntur ad oris & sedis ulcera.
Item uuluæ & uentri: ad capillorum nigritiam,alarũ perfusiones,purgationes lentiginũ,
& ubi constringendum aliquid est. Auribus purulentis idem succus instillatur. Folia cõ-
buruntur in antidota. Item cauliculi cum flore decerpti, in nouo fictili cremati in furno, 30
dein triti,& ambustis foliorum cinis medetur. Inguen ne intumescat ulcere,satis est surcu
lum tantum myrti secum habere,nec ferro nec terra contactum.Myrtus nigra, ut Dioscо
rides scriptum reliquit,utilior medicinę quàm candida,& inter nigras montana:semen ta
men imbecillius creat,cuius & arboris natura astringat.Datur uiride & aridũ sanguinem
excreãtibus,& uesicæ rosionibus.succo uiridium eadem proprietas.Stomacho utilis est,
urinam cit,bibitur contra phalangium in uino,& scorpionis ictus. seminis decocto capil-
lus inficitur, ius decocti in uino, ulcera in extremitatibus nata sanat: inflammationibus
oculorum cum polenta imponitur. Aegilopas illitu lenit,præsumentes uinum crapulam
sentire negantur,quod feruefacto semine exprimitur.quod non ita paratũ sit,acore uitia- 40
tur.prodest ad omnia quæ semen.abundantiã fœminarũ insessione prohibet,uuluã proci-
dentẽ firmat.Vtile sedis uitijs,furfuribus,ulceribus quæ manãt, pustularũ eruptionibus,
capillis defluẽtibus.Additur quoq; in medicamẽta quæ liparas uocãt.Decoquũtur ad in-
fidendũ folia,quo articulos dissolutos,collisos,& ossa fracta fouẽt.Vitiligines purgat,pu-
rulẽtis auribus infunditur,capillos denigrat.pares effectus et succo.Trita folia,etex aqua
illita,prosunt ulceribus quæ in humore sunt,omnibusq; mẽbris fluxiõe laborãtibus, cœ-
liacisq;.cũ olei uerò omphacini exiguo aut rosacei atq; uini,ulceribus quæ serpũt, igni sa-
cro,testiũ tumoribus,epinyctidi,cõdylomatis.Arentiũ foliorũ farina utiliter inspargit pa
ronychijs,pterygijsq;. Virus alarũ feminũq; perfusiões emẽdat. Cardiacis imposita sudo
res cohibet.Folia uel cruda uel cremata cũ cerato ambustis, paronychijs, pterygijsq; me- 50
dẽtur.Exprimitur folijs succus affuso paulatim uino uetere,aliàs aqua cælesti.Probat qui
tortiuus recẽsq; sit.arefactũ situs occupat,siccatusq; plane cariẽ sentit,& ignauus segnisq;
uires perdit.Myrtidanum appellatur Dioscoridi uirgultum myrto agnascens,nodosum,
inæquale,uerrucosum,cõcolor, quòd perinde quasi manus myrti caudicem amplectitur.
Astringit uehemẽtius myrto; tũditur in pila,& uino austero accepto cogitur in pastillos,

ſiccatumq; in umbra, recondítur, efficacius folio ſemine addítum ceratis & peſſis, inſeſſi-
oníbus, cataplaſmatís, ubí aſtringendum alíquid eſt. Plínius, quod ſylueſtris myrtí baccís
factum eſt uínum, Myrtídanum uocat: hoc manus tíngít, uuluæ prodeſt appoſítum fotu
& illítu, multo efficacius cortice, folío, ſemine. Hoc ſylueſtrís myrti baccís conditur, líbra
ín tríbus muſtí congíjs deferuefacta, donec duo ſuperſint. Galenus uírgultum & ſobolem
myrtí, quæ exíens à radíce frutícat, Myrtídanum appellauit. Hippocrates Martidanum,
hunc frutícem uídetur nominaſſe, Myrtídanum uero ípſum píper.

Myxa. Cap. CI.

MYxam nos, myxa Græci & myxaría uocãt, arborem damaſcenæ pruno po-
pularem, è cuíus pomís ín Aegypto uína fiant. Mandítur & nucleus nõ ín-
ſuauís. arbor ín Syría & Aegypto gignebatur, nũc eſt familiaris Italíæ, ínce
pta naſcí Plínij memoría, etiã ínſita ſorbo, nũc & multís quoq; locís, puenit
In Calabría ſpina eſt ſylueſtrís, quæ myxas optimè recípit. Paulus myxon
arboris fructũ eſſe meminit, mínorẽ pruno, & conſimílis facultatís. Quíbus frequẽs eſt ar
boris cõſpectus, ſic delíniare ſolent. Arbor ſupra terrã attollítur, caudíce procero, qui cor
tice candído ueſtiatur. fundít ramos uíridí colore nitẽtes. folía ín rotundũ círcínata, poma
auellanæ nucís magnitudíne, racematím collecta, per maturitatẽ cærulea, callo corporís
dulcí, íntus albo, mucoſo lentore, unde Græcís nomen uſurpatũ putauerím, quí myxon
mucũ nomínare conſueuerunt: oſſe oleagíno, cuíus & nucleus ínſuauís non eſt. Fructus
legítur maturus & ínſolatur, ut paſſus & ín rugas cõtractus recondaẽ. Víſcum fit ín Syría
ex arboris huíus acínís, quos ab Auguſtí honore ut conjícío, ſebaſtos appellauerunt. hęc
myxa fuíſſe ueterĩbus ínterpretor: quæ per dímínutionẽ quoq; myxaría dícuntur. Arbu-
ſtí huíus lígno cortex albus, ramís uírens, folío rotundo, amplo, fructus ín racemo dulcís,
candído lẽtore plenus, cũ ínteriorí nucleo quaſí olíuę ſiccaẽ. hic ín medícína uentrẽ ſoluit.
deſtíllationesq; cõprímit, roſiones ueſicæ lenit, ínteſtínorũ animalía pellit. Damaſcenũ ín
de uíſcum paratur, cõmendatiſſímum aucupíjs, præterquam aquatílíũ uolucrum. índe no
men arbori. Myxa hodíe barbaro nomíne omnibus officínís quàm greco uel latíno notío
ra, quí iã ferè maxíma ex parte ſua uocabula à Mauritanís aut ſeiunís Arabíbus emẽdíca
re ſolẽt, *ſebeſtena* & uulgus medícorum & ſeplaſiæ nomínãt: íd quod ſuſq; deq; ferendũ ad-
huc eſſet, ſí ſebaſtí nomen non ínterpolaſſent. Facit eíus reí fídem, ſí líbeat recentíorũ gre-
corum compoſítiones ad eas Arabum cõferre, ínuenies ubiq; zízípha et myxa uel myxa
ría pro iuíubís & ſebaſtís uſurpata. Galenus & Dioſcorides myxarũ nuſquã commemíne
runt, & ſí níhil græcorum poſteríorum míſturís occurrit frequẽtius, Actuarij dico, Pſelli
Antíocheni, & Aetij, qui uolunt mediam ín calore & frígore ſedem tenere. Ventrem fe-
bricítantíbus ciere, tuſſí quam ęſtus aut ſqualor excítauit, opítularí. Pectoris aſperitates
lenire, calídis deſtíllatonibus auxíliarí, ut quas ſua humoris lentítia coerceat. Vrinæ díffi
cultatíbus prodeſſe, quæ flauæ bílis uellícatu creantur, animalía uentrís pellere, ea dulce-
dine pruní allíciente, ſequacíq; uermium cohærentía. ad quos uſus omnes noſtræ ætatís
medící commendant.

Cap. CII.

MOrus arbor ín tam uulgarí nobílitate níhíl operoſius demonſtranda eſt, quę
etſi germíne ſit ſerotíno, níhíl ſecius quàm cæteræ folía deperdit. Flos ei uíti
gínei modo lanugíneus, fructuí toto, nec poſtremís tantũ ínſídet, ín medíjs
ínculcatus, neq; ſíngulas parteis ambit, fallens ínterdũ propter lanugínẽ, ut
concerní nequeat. Fructu cartílagíneo, ſtatím ab ortu candído, cũ pubeſcit
rubro, ubí maturuit atro. Sic et ſuccus eíus euariat, primũ acerbus et aquoſus, mox lenior
& lentè rubẽs, denícq; uínoſus, ſanguíneo colore manus ínfícíẽs. Moris itaq; ſuccus ín car
ne uínoſus, trínì colores, cãdídus prímo, mox rubẽs, maturís níger. In nouiſſímis florent,
ínter prima matureſcũt. Tíngũt manus ſucco matura, eluunt acerba. Pílũ corijs folía eíus
urína madefacta detrahũt. Mínimũ ín hac arbore ingenía profecerũt, nec nomínibus, nec
ínſítionibus, nec alío modo quàm pomí magnitudíne, mora díffererebant, Hoſtíenſía &
Tuſculana Romæ. Naſcuntur et ín rubís multum dífferęnte callo, nam ín Gallía ſerítur al
ba ferens poma, eíuſdem naturæ cuíus & nígra. Seritur ut eſt Berytius author, autumno
ramulís ſículnorũ modo terræ deſíxís. Vegetior prouenit ambiente ſolo ſæpíus effoſſo,

ſiquidem altis radicum tenus foſſionibus lætatur. Naſcuntur ex ſemine poma, ſi granula delecta deponantur, ſed rigari continuò deſiderant. Melius claua & palo ſeritur. Inſeritur caſtaneæ, fago: itē populo quæ ſit alba, ſi uel inoculetur uel inſeratur, cādida naſcētur mora. Seruātur diutius uitreo uaſe ſuo uino demerſa & diligēter operta. Cæterū quæ ſemine gignūtur degenerāt. Taleis & cacuminibus ſeſquipedalibus utraq; parte læuigatis, melius proueniūt, ſi ſimo oblinant. Locum in quē palum demerſerūt, cinere terris admiſto tegunt, ſed nō amplius quatuor digitis operiūt. Amant calida loca, fabuloſa, & plerunq; maritima. In topho uel argilla uix cōprehendūt. Humor aſſiduus moris prodeſſe nō credit. Foſſione gaudet & ſtercore. Putria in ijs & arida poſt triennīū ſunt putāda. Plantā ſi robuſtam transferes mēſe Octobri, ſi teneram Februario & Martio. Scrobes deſiderāt altiores interualla maiora, ne altera umbris prematur alterius. Feraciorē proceriorēmq; fieri arborem tradiderūt, ſi perforato hinc inde trunco ſinguli cunei terebinthi uel lentiſci adigant. Circa Octobris Calendas morus ablaqueanda eſt, & radicibus uini ueteris recentiſſimæ feces inſpergendæ. Inſeritur in fico ſub cortice. Inſita ulmo cōprehendit, ſed parit magnæ infelicitatis argumēta. Mneſtor apud Theophraſtum calidā eſſe morū prodidit. Materia utilis operibus quæ flexu cōſtant, eiq; hac in re primatus datur. Aeternā arbitrātur aquilidam, atq; uetuſtate loti modo nigreſcere, ideo furculas ex ea circoſq; faciūt, itē nauibus tornacula, ſimiliter & auriculas liburnicis, & teſtudines atq; firmamēta. Amica eſt morus & uitis. ea nouiſſimè germinat, & cū primis folia dimittit, ſerotinoq; germinatu floret, maturatq; celeriter, nouiſſima urbanarū pullulans, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborū. Carne & ſucco mora conſtāt, qui uinoſus eis eſt, & colore ſanguineus. Arbor plana diligit, nec temere in mōtibus conſpicitur: tardiſſimè ſeneſcit, fructibus minimè laborans. eſt lentitia moro uitiax. Pro cute cortex: in moro medicis ſuccū quærentibus, ſerè hora diei ſecunda lapide inciſus manat, altius fractus ſiccior uidet. Morus talea tantum ueteribus ſerebatur, quoniā in ulmo eam inſeri religio fulgurū prohibebat. Mora germinatione priuſquā in folia exeant, ſiniſtra manu decerpi iubent. Futura poma ricinos, ſiue ut quidam legunt, cytinos Græci uocāt: terram ſi non attigere ſanguinem ſiſtunt alligati, quacunq; parte fluat: ſuccus ſiccato pomo expreſſus multū obſoniorū ſapori confert, & mirum gratiam cōmendat. Fit & è pomo arboris panchreſtos ſtomatice, eadē arteriace appellata: neq; eſt aliud oris, fauciū, uuæ, gutturis, ſtomachi iucundius remedium. Hoc & uulnera ad cicatricem perducebāt. Athenæus eſt author ſycamina tantum ab Alexandrinis mora nominari. Aeſchilus de Hectore loquēs, uir, inquit, ille moris erat maturior. Sophocles morū inter initia candicare, poſtea puniceo colore rutilare meminit. Phęnias Ereſius Ariſtotelis diſcipulus, ſylueſtris mori fructū ut dulciſſimū & iucundiſſimū, cū ematuruit, cōmendat, morū appellans: uerba eius ſubdidimus: Morū quod in rubo pendet ſeminarios quoſdam partus reſiccata pilula, ueluti contextos oſtendit, fragiles & boni ſucci. Virgilij carmine celebrantur: hærentia mora rubetis. Diphilus Siphnius ita nobis ſcriptū reliquit. Sycamina quæ & mora dicūtur, ſatis bonū creant ſuccū, ſed paucū miniſtrant alimentū. Stomacho cōferūt, & aluo facilè excernunt: priuatim cruda uentris tineas excutiunt. An nōnihil utilitatis adferat cū ruens humor articulos impleuit, cōpertū non habeo. Verū Hegeſander Pythermi hiſtoria fretus poſteritatis memoriæ mādauit, ſua ætate morū arborē uiginti annos nō tuliſſe fructū, quo tēpore articularia lues tanta graſſabatur, ut nō uiros modo, ſed & mulieres quoq; et ſpadones indiſcriminatim corripuiſſet: ſed ſæuienti cęlo potius q̄ moro ferendū fuit acceptū. Mori poma aluū reſoluunt, facileq; corrumpunt: inimica ſtomacho, refrigerāt: ſitim faciūt: ſi nō ſuperueniat alius cibus intumeſcūt. immatura ſiſtūt uentrē. Siccata tundūtur in cibos cōmendantia obſoniorū ſaporē, quemadmodum rhus. In medicina uero cœliacis dantur. Fit è pomo nobile medicamentum ſtomatice aut arteriace, quod ori & gutturi conferat appellatum, hoc modo. Sextarij tres ſucci è pomo leui uapore ad craſſitudinem mellis rediguntur, poſt additur omphacij ari di pondo duodecim, aut myrrhæ undecim, croci totidem: ſed hæc ſimul miſta uel trita miſcentur decocto: neque eſt aliud oris, arteriæ, uuæ, ſtomachi iucundius remedium. Decoctus in æreo uaſe ſuccus, & poſtmodum inſolatus, aſtringentior reddi ſolet, ualens aduerſus nomas, fluxiones, neq; non tonſillarum inflammationes, adiecto mellis exiguo:

Sed

Sed efficacior uis adſciſcitur, alumine ſciſſili, galla, myrrha & croco adiectis. Aliqui addunt iſs ſemen tamaricis, irin, & pollinem thuris. Alij præduratum uas ſole torrebant, permiſcentes ſpatha ter die. hæc ſtomatice uulnera ad cicatricem perducebat. alia ratio. Succum ſiccato exprimebant pomo, multum ſapori obſoniorum conferente. Pollet aduerſus ulcera quæ paſcendo ſerpunt, pectoris pituitas, & ubicunq; opus eſt aſtringi uiſcera. dentes quoq; colluebant eo. Folia mori trita aut arida decocta contra ſerpentium ictus impo nuntur. ipſaq; teruntur ad ambuſta ex oleo linenda. Tingunt capillum cũ uitis & ficni græ foliis ſimul coctis in aqua cæleſti. eadẽ in urina madefacta pilũ corijs detrahunt. Succus exijs aduerſus araneos bibitur cyatho. Scorpionibus aduerſatur è radice corticis ſuccus ex uino aut poſca potus. Cortícis & foliorum decocto dentes in dolore colluuntur. Radix per meſſes ablaqueata circunfoſſaq; conciditur, poſtridie ſuccum expumat aptiſſimum dentium dolori, collectionibus, & tuberculis, quæ opus ſit diſcutere. Aluum purgat. Ramus ut exiſtimãt magi, luna plena defractus, cum incipit fructu turgere, priuatim mulieribus alligatus lacerto, contra abundantiam menſium proficit.

Olea. CIII.

OLea quam gallicum uulgus *oliuerum* nominat, arbor eſt notior quàm ut debeat explicari, ſaligneis ferè frondibus, anguſtis, quæ tam breui innituntur pediculo, ut quaſi defixæ cohęreant, floribus puſillis quidem, ſed foliatis, fructum ambientibus, qui cadiui ſi perforati ſpectentur, probæ floſculorum iacturæ præbent augurium, baccis maturitate nigrantibus, quæ carnis callo & nucleo interiacentibus conſtant. Radice unica paruaq; & uelut lacinia ex medio tendente firmatur, cæteris grandioribus, & cancrorũ ſimilitudine contortis, alijs craſſioribus, alijs obliquis & inæqualibus, ſummo ceſpite cohęrẽtibus, nodoſis, uilloſis, quod uſu uenit, quia breues permultas ac tenues promiſcuasq; fundit olea. quæ non recto tramite poſſunt progredi, quapropter in obliquũ iaciuntur, & retortæ in nodos extuberant. Huic medulla tã incerta eſt, ut nõ in medio ligno haberi, ſed per totũ lignũ ſpargi uideat. ideò quidam ea omnino carere exiſtimant. ex urbanis perpetuò uiret. Cæterũ ſupina foliorũ contrà quàm cæterarum, candicant magis quàm prona, minuſcq; ſunt læuia, uertunturq; mox poſt æſtiuũ ſolſtitiũ. In Syria & aliubi fructũ ferunt uuæ modo congeſtum ubertate ſoli. Oleam utiliter & probè defloruiſſe diximus cũ caduci eius flores perforati reperiuntur. Naſcitur omnibus modis extra quàm ſurculo, qui defixus germen non citat. Ex nucleis eius ſylueſtrem oleam prouenire Theophraſtus retulit: lignum ſubtus ſcindendum, & lapide interiecto ſerendum. ex annotinis ſurculis fructificat. Viuax eſt, & diutiſſimè durat, & caudice, & laterali germine, nepotumq; procreatione atq; etiam ſtirpe incorrupta. Vitam ducentos annos longiſſimam eſſe tradidit Theophraſtus, addiditq; aliquanto longiorem oleaſtro. Pręciſa regerminat & melior redditur. Interit maxima ex parte uel fiſſo caudice. Odit quoq; quercum: nam ſi quercetũ in confinio habuerit, non ſolum non feret, ſed etiam fugiet, introrſumq; ſe in fundum abijciet. quando quercus etiam exciſa radices noxias olioeto relinquit, quarum uirus enecat oleam: quamquam ſeri poſſit, ubi arbutus aut ilex ſteterunt. Sic in Arcadia ſpectari ſolitam arborẽ Pauſanias affirmat, è cuius radice una ilex & olea naſcerent in quodã fano. Si oleam poſueris, unde cerrus uel eſculus effoſſa eſt, emorietur. ideo quòd uermes quidã ſunt, qui in radice harũ naſcunt, & inibi educantur, ijque maximè ſemina oleę cõſumunt. Vna omniũ regerminat in opere. nã oleaginea materies tum rudis tũ ſæpe elaborata, ſi humorem nacta fuerit, locumq; adipiſcatur humectũ, germen potiſſimum citabit, ita ut iam cardo ualuæ, & poculum limo immerſum prodantur regerminaſſe. Ea criſpa eſt et ſpiſſa atq; perpetua, quã amaritudinis cauſa neq; tinea rodit, neq; teredo exeſt: ideoq; ex radicibus olearũ & minora ſculpebãt ſimulacra, quod carnis æqualitate conſtarent, nec dehiſcerẽt in rimas. Ignẽ quãuis optimè ſubditũ excipiat, quòd ſpiſſa & pinguí natura ſit, igniarijs tamen ſuo uirore ęterno ineptiſſima habeat: obliqtate atq; duritia fragilis. Olea peculiaribus nonnullis patet morbis. nam pręter uermiculationem, quę ficũ etiã conficit, clauo quem helon uocant infeſtatur, quidam fungum malunt appellare, alij patellam quę Græcis quoque lopas dicatur, quæ ceu quædam ſolis inuſtio uiſitur. Proprium quoq; arbori malum

congros

congros, pro eius natura respondẽs, & si deriuetur etiam in alias id nomen. Sunt qui affectum premnon, alij crotonem cognominent. Pessimum cum defloreſcenti oleæ imber inceſſit. In Mileto cum florent, erucæ rodunt, aliæ frondem, aliæ florem, ſed genere diuerſę ſentiunt & uermiculationem baccæ. Vermis oleæ natus ſub cute fructum adimit, qui gigni prohibetur pluuijs, quæ arcturum ſequantur. Vocatur ea affectio arachnion, hoceſt aranea fructus abſumens. Vermis ſub corio prouentum adimit, inuicemq; iuuat, ſi erodens nucleo adnaſcatur. Nulla poſt ficum arbos uredini magis eſt obnoxia. Campæ, hoc eſt erucæ etiam appellantur in oleis uermiculi, flatibus auſtrinis creati, ut ipes in uitibus. Eſt & impetigo peculiaris ei morbus, ut ſcabies in fico, & in uitibus fluor. In mari rubro uiuit olea quæ uocatur Arabica, ariæ tantum folio, baccis ferè noſtratibus, fungos cum largi ceciderunt imbres educans, qui tacti ſole in pumicem durantur, ex qua manat, ut Theophraſtus tradit, lachryma, inhibendo uulnerum ſanguini expetita medicis. In ſinu etiam Heroo ad quem deſcendunt Aegyptij, olea cernitur lapidis ſpecie, non uiridis parte à mari eminente, ſimilis tamen uiridibus, tam foliis quàm germinibus. Oleam idem negauit Theophraſtus niſi trecentis à mari ſtadijs naſci, ſed quibuſdam in locis prouenire notatum eſt. De olearum origine Græci agricolæ ita fabulantur. Cum à primordio tellus aquis emerſiſſet, primum Athenis emicuiſſe: cumq; Minerua & Neptunus amore loci captì, de ciuitatis ſibi dicando nomine contenderent, Iupiter eorum controuerſiam diluere cupiens, tulit ſententiam, eum oppidi principatu potiturum, qui hoc meliori poſſeſſione donaret. Neptunus itaq; portu & naualibus exornat: Minerua in Acropoli cũ lætam & uirentem tum fructiferam oliuam ædit, quam in coronam capitis intorquẽs, omnium calculo uicit, & ciuitatem ſuo nomine (Athene græcè uocatur) nuncupauit. quo factũ eſt, ut qui inito certamine aliquo, uictoria fruerẽtur, implexa ex oleaſtro corona à ſpectatoribus cingerentur. Addunt magicæ ſuperſtitioni addicti, frondem oleaginam dolore capitis liberare, ſi Athena Mineruæ nomen inſcribatur, etiam ſi capiti non allìgetur. Feruido ſqualidoq; cæli ſtatu gaudet. Ardua loca depreſſaq;, ſed longè magis mediocres cliuos amat: in ijs enim excellens ſolis ardor uentorum proflatu refrigeratur, quare optimum exhibent oleum. Planis uero & campeſtribus locis oleæ minus impetu uentorum agitatæ, atq; inſidentis æſtu ſolis ambuſtæ, craſſius oleum mittũt. Siquidẽ cũ omnes ſtirpes, tum oleæ maximè aduerſo flatu roboratæ uigẽt, argumẽto quòd oleas lætiores & uirentiores offendes locis qui uẽtis patẽt, triſtiores ijs qui à flatu ſilẽt, nec ſpiritus nouitate recreãtur, modo id intercedat ſpatij, quò liberè peruagetur aura. Igitur accliuibus & arduis oliua lætatur, quod propitiũ nacta uentũ, ſuę nihil expirat ſaliuę, ſed in omnes partes æqualiter in ſinuãs arborẽ excitat, alit, auget. Serit ab Sucularũ occaſu ad brumã: item uere, quãdo hæc duo tẽpora ſeſe imitentur, calidam humidãq; ſortita naturã. Autũnus calorẽ adhuc retinet priſtino ſolis illuſtratu conceptũ: humorẽ à caducis eo etiã tẽpore imbribus cõtrahit. Ver autẽ à prẽcedẽtibus pluuijs humorẽ, ab abſceſſu ſolis calorẽ concipit. Porrò ſolũ uuidum & lætũ cõmodè recipit hanc arborẽ, uberioresq; dat oliuas. quapropter id prẽferẽdum fuerit. Secundũ ſibi locũ uendicat, cui argilla ſubeſt. Rubricoſum repudiat, quod ſuo æſtus calore ſtirpes exurit: ſed lõgè magis ſalebroſum & ſcaturiginoſum, in quo ſemper uligo conſiſtit dãnatur, quippe quod ſtrigoſas & minimè altiles baccas, uliginoſoſq; partus creet. ieiunior paulo terra ut attica teſtatur, accommodatior. inimicus eſt ager ſabulo macer. Cæterum longè fuerit breuius, ut Didymus aſſerit, ſi eidem ſolo plantulæ credantur, quę moram in ſeminario trahentes, iam cultus diligentia profecerũt, quoniam transplatæ tutum contrahunt uigorem. Nempe ſolum omnino, in quo ſtirpes panguntur, qualitatem non modo & figuram plantarij, ſed & cæli quoq; conditionem referre debet, ne quod in eo pangitur, noua loci peregrinitate tentetur: maximumq; fuerit beneficiũ, ut proficiant incremento, ſi rubrica partes notentur, quibus obuerſæ ſteterunt, ut ſimili ratione ponantur. Porrò legi debent, qui ſeminio deſtinabuntur non ſtolones caudicibus adnati, ſed ſummatim decerpti ramis ſurculi, longitudine cubitali. Danda eſt opera, ne cortex ſectione uiolatus collidatur, ſed falcula quæ acie polleat, uulnus undique leuigetur, ſeruata ſtirpis integritate. Stilus parte ima bubulo fimo cum cinere linendus. ſcrobes concamerato ſinu, ut imbrium ſint capaces, excauandi. Ramulus nõ in uerticem humandus

qui

qui tamen palmum à terra ẽxtet. Arundo adfigenda, ut à cultoribus cognoſcatũr nõn ante ſeptimum menſem. Explantari debet arbuſcula trimatu altilis & uegeta, quadrima iam collucari debet, et ſuperuacui termites putari. ea ratio ſerendi ut Didymo placet longè melior habetur. Non deſunt, qui ſectas ab imis radicibus ſoboles deponant, poſtea cum comprehendiſſe ſic uidebuntur, ut mutationi ſit locus, transferunt. Gaudent iugi rigatu, ita ceteriorem germinatum ædunt, facíliuſq; tranſponuntur. Locus, quem oleis, ut Didymus præcepit, dícaueris, runcandus eſt, omniq; alterius generis frutice extirpandus, macerijs aut ſepibus uiuis cingendus, ne aditus pecori detur. Scrobes ante ſationem fodiendi, ut ſole, uentis & imbribus terra reddatur fragilior, ſtirpesq; iaciant ultro citroq; radices. Vno aut altero menſe minimum aridis fruticibus, cremijs, arundinibus, ſtipulis, & ijs quæ ignem facile concipiunt ſtramentis, ſcrobes adurantur, qui tricubitali altitudine, aut minimum ſeſquicubitali cauentur, ſed liberale quinquagenũm cubitorum interuacet ſpatium, ut & caudices perflatu uenti fruantur, & intercedens locus ſeri poſſit. alioqui ſi ſementis ſubtus neglectui habeatur, tanto ramorum ſtipatu luxuriabunt, ut in ſeſe mutua umbrarum beneficia non conferant. Poſt ablaqueationem ſimi aggere lætantur, ut Sotion ſcriptum reliquit, ſed locis uliginoſis longè minus ſtercorari debent. Adultarum olearum ſuperuacuum putationem moliri occaſu Pleiadum ut in reliquis arboribus, oportet, quo tempore prima aut media ſaliua in germina ſe diffundit, & in fructus alimoniam permeat: ſecundo cum ob æſtatis ardorem arbor humore deficitur: tertio cum hybernos imbres nondum hauſerit. horum omnium gratia autumno temporius hanc putationem fieri uolunt, quod cum reliquæ arbores, tum oleæ maximè robuſtiores habeãtur. ante tamen ſuperfluorum repurgationem ſtercore ſatiari conuenit, ut aduerſus noxam quæ putatione contrahitur, ſimi iuuamen opponatur. Siquidem repurgati quoq; caudices, reſegminum cauſa uitio laborant, quibus celeriter ſtercoratu ſuccurritur. Superuacuis arbor exonerata lætius fruticat. Reſecare autem oportet & marcida & ſicca & media, ut liberaliús difflentur: item ramulos detrahere qui inuicem incumbunt: itidem inflexos & recuruos amputare, præſertim cum in nimiam longitudinem exeunt, & alia etiam quæ in difformem proceritatem tendunt, utpote cum ſuapte natura notẽtur infertiliora. Quapropter inter omnes rei ruſticæ prudentes conuenit incommodam eſſe longitudinẽ olearum, quæ denos excedit cubitos. Amplius etiam incrementum omnibus patere noxis addiderunt, quòd & rami uentorum impetu frangantur, & flores quoq; ſuccuſſi intempeſtiuè procidant. ideò complures ramos uerſus terrã trahunt, ut humiliorem reddítã arborem cogant in ſolum procumbere. Conuenit etiam ſtolones & adnatos caudicibus nepotes adhuc molles et teneros quotannis eximere, ne his onuſtus caudex fatigeẽ. Africanus reſtibilẽ oleis adferri fœcunditatẽ author eſt, ſi ſemel in excauatũ terebro foramen, duos feracioris oliuæ ramulos in cacumina utrunq; adegeris, ſic ut traiectim penetrẽt, manibusq; uehemẽter trãſactas parteis traxeris, dũq; ueluti impacti cuneoli ſtrictim adhęſerint, exertũ utriuſq; taleæ uerticẽ, hoc eſt extantes foramini ſtilos reſecueris, lutoq; cũ aceribus aut paleis oras foraminis & hiantẽ ſinũ illeueris. hoc uelut initu grauida arbor uberiorẽ partũ eniteẽ. Cæterũ ut Quintiliorũ agricultura docet, lætiores & uirẽtiores plurimũ fructũ adferent, ſi circũ radices ablaqueatas inſulſa amurca aquę miſta fundatur. utriuſq; ſextarius ſufficit. Acus quoq; fabaginũ uel paleas ſatis eſt indidiſſe. uel etiã urinę humanæ quantũ ſatis uiſum fuerit affunditur, aut argilla bubulo ſtercori permiſta imponitur, aut marini ſuci tantundẽ: ſed ab ijs cõfeſtim terra circa eas adaggereẽ à radicibus dodrantali altitudine, ſinu in orbẽ fornicato, ut imbres pluuij retineant: et cũ ſe infuderint, breuiſſimis ac frequẽtiſſimis foſſionibus, ſolicitẽtur. Id genus etiã auxilij adhibere licet, cũ Caniculę incẽdijs arbores deflagrant, quo tempore, & etiam quum ſiccitates inceſſerunt, rigationem deſiderant. Iidẽ Quintilij, ſi ſterilitate laborẽt, ad fertilitatẽ reduci ꝓdiderũt hac ratione. Abradice cubitali ſpatiolo caudicẽ terebra gallica ꝓforabis, quà ſpectat in Auſtrũ, impreſſo foramine digiti maioris ãplitudinẽ capiẽte: tũc duos frugiferę arboris ab auſtrali parte ramos tolles, craſſitie quę hiatũ foraminis explere poſſit, et ſtrictè in ipſũ utrinq; cõijcies. diſtractiſq; uehemẽter palorũ cacuminib. abſciſſoq; eo qd̃ ſuperabit, aceroſo uel paleato luto cũrabis occulere. hoc uelut coitu ſteriles arbores uberãt. Sic quales uolueris oleas adipiſci,

tales

tales fructuarios ūti ſcriptum eſt,indes ramulos. ita melius oleum dabit,impreſſis forami ni ramulis eius,quæ callielæa Græcis,id eſt ſatiua à cæli parte lectis,quæ ad auſtrum diri gitur. Cæterum quæ nimia ramorum petulantia ſylueſcunt, aut ſine fruge luxuriant,has uelut inſanas Græci uocant hylomanes.earum multiplex lapſus erraticuſcꝫ furor ita co/ ercetur.In foramen quod gallica terebra excauauit,uiridē taleā oleaſtri, uel pini uel quer/ ci palos,uel lapidem immittis,ſic uelut inita arbor fœcūdo ſemine fertilior extabit. Solēt etiam quamuis lætæ arbores fructum copioſum adferentes ad maturitatem non perduce re,aut largum florem induentes perperam exuere:quod uitium abigetur,ſi ablaqueata ar bore,maiuſculo caudici fuci corbes duos obduxeris, minori ſingulos, dein amurcā aquæ permiſtam infuderis.quòd ſi fuci non detur occaſio,ſolius amurcæ uſu eris contentus. Iu uantur quoꝫ arbores amurca inſulſa, cū ſuilla uel noſtra urina uetere, cuius utriuſcꝫ mo/ dus ſeruatur.nam maximæ arbori,ni tantūdem aquæ miſceatur,urna abunde erit. Solent etiam oleæ uitio ſoli fructum necare:cui rei ſic medebimur. Altis gyris ablaqueamus eas: deinde calcis pro magnitudine arboris plus minus ue circundabimus, ſed minima arbor minimum poſtulat.hoc remedio ſi nihil effectum fuerit,ad præſidium inſitionis confugi/ endum erit.Nonnunquam etiam in olea unus ramus cæteris aliquanto lætior eſt, quem niſi reciderís,tota arbor contriſtabitur.Si radices ſiccas & uelut morbo languentes offen das,huic acceptum cauſæ feres,uermium progeniem interno ſinu delitescere, quos cum pluribus ut dictum eſt modis,tum præcipuè circunſita ſcylla demolieris. Oleā ſi lamben/ do capra lingua contigerit depaueritꝫ, primo germinatu ſterileſcere author eſt Marcus Varro. Varia ut Leontinus docet,oliuetorum ratio. Siquidem aut taleam totam immer/ gi oportebit,aut partem alteram humari,alteram partē ſolo ſupereminere: non quæ pror ſus obruuntur,ſed duntaxat quæ altera parte extant rubrica notari deſiderāt, ut ſic quem admodum in parente ſteterat ramus, ita parte ima terram, et cacumine cælum ſpectans deponatur.Nam ſi merſus inuerſus mergatur difficile comprehendet:et quemadmodum in trunco reſidebat,ita in meridiem,oriētem,uel occaſum dirigatur, ne hoſpitij peregrina nouitas officiat.Rigandæ ſunt plantæ cum ſqualores inceſſerunt.indēdæ ſcrobibus utrin que leues uirgæ uel arundines,uel recta ſarmenta quæ ſuperueniant, & ubi calcata fuerit terra tegere conuenit,loca uacua lapidibus aut teſtis implere, & maiuſculo cooperire la/ pide,ut pluuius imber ad radices per interſtitia deſcēdat. Taleæ celeriter erutæ auſtrinis diebus ſeri debent.Multiplex ſerendi ratio:nonnulli craſſiores ramos arboribus adimūt, & ex iſs quàm recentiſſimas taleas ſerra præcidunt,quæ binūm cubitorum proceritatem impleant,dein in rectum conſtitutas adobruunt. Alij ſoboles cum caudice ſerunt:alij reſi dem adhuc caudici plantulam deciſis falce capitibus & brachijs in truncum redigunt, & terræ foſſæ circiter ortum arcturi defigunt. Alij inſignes ramos quinūm aut quaternūm cubitorum longitudine à caudicibus ſerra præciſos ſolo committūt, ſed rubrica partes no tant quibus obuerſæ ſteterunt,ut quemadmodum in arbore cohærebāt,ita parte ima, ter ram & cacumine cælum ſpectantes deponantur,ita celeriore proficiunt incremento, cele rioremꝫ fructum largiuntur.Non deſunt, qui reciſos è caudicibus maiores truncos reli/ cto ſuperius cortice,cacumine tenus adobruant,ſic tamen ut quatuor digitis altè ſuperue niant.Alij nitidos ab imo caudice ramos adimunt,& quàm recentiſſimas taleas ſeſquipe/ dales recidunt,ita ut ne corticem aut ullam aliam partem quam ſerra præciderit, lædant: & in defoſſum ſcrobem lapide ſubiecto deponunt, & aggere ſic obruūt, ut ſupra terram palmum extent.Cauendum tamen fuerit,ne quouis modo cortex ſerra uioletur,quod fa/ cile contingit,ſi prius uaram feceris,& eam partem ſupra quam ramum ſecaturus es, fœ/ no aut ſtramentis texeris,ut molliter & ſine noxa corticis,taleæ ſuperpoſitæ ſecētur, pla/ gæ earum utraꝫ parte falce læuentur,ſeruata integri corticis incolumitate. ſed oportebit talearū capita & imas partes miſto fimo cum cinere oblinire. Obſeruandum item ne in/ uerſæ mergantur,ſic enim torquente uitio offenſæ,difficulter comprehendent,& cum ua/ lidius conualuerint,ſteriles in perpetuum erunt. Stercus inijciendū ſcrobibus,ſiquidem fimo pabulatæ lætius frondent, & poſtmodum longe magis uberant. Stercorari debet oliuetum,ſic arbuſculis proſpicietur,amurca ualentibus infundenda,nam per hyemem ſi uermes atꝫ alia ſuberunt animalia, hoc medicamento necantur. Plerunꝫ etiam tam hu/

midis

midis quàm ſiccis locis arbores muſco infeſtantur, quẽ niſi ferramento refecueris, nec fructum, nec lætã frondem inducet: itaq; cum prægelidum & pluuiũ cælum eſt, oleæ debent emuſcari. Omnis ſoboles ex una ſtirpe nata quotannis extirpanda eſt. cũ terra æſtibus hiat curandum eſt, ne per rimas ſol ad radices arborũ penetret: poſt æquinoctium autumnale, arbores ablaqueandæ, ut à ſuperiori parte, ſi oleæ in cliuo ſint, incilia excitentur, quæ limoſam aquam ad codices deducant. at ubi oliuario ſuos reddiderint fructus, collucandas ſuadet Democritus. Summotis enim petulantioribus ramis, minus decoquent domino: quin potius hoc uetuſtorũ ademptu magis arbores uberãt, largioręq; nouelli rami frugem impertientur. Nõ profluent ruentes baccæ, ut idẽ aſſerit Democritus, ſi fabam pedi cillum intus continentem obſtructo cera foramine, in gleba radicibus hærẽti condideris, ſic labans fructus firmabitur. Addidit oleam ſtercore iuuari, humanum duntaxat reſpuere, bimas & trimas fimo delectari, quod non radicibus ſed colibus nõ procul inſpergendum. Omnis tamen ſcrobs, in quo pangi debet olea, fimo terræ miſto ſtercorabitur. Florentinus oleas ab octauo Calendarum Aprilium die, quod eſt ab uigeſimoſecundo Martij menſis, uſq; in tertium Nonarum Iulij, inſeri debere præcipit, ita ut locis frigidis ſerius calidis maturius inſerantur. Inſitæ ſæpius aquarũ imbre rorandæ. Aliqui procũbentes humi radices inſerunt, ſed quæ tenui & humido ueſtiuntur libro, inter corticem, quæ craſſiore tunica induuntur, intra lignum inſeri iubent. Non eſt prætereundum ſilentio quod de uitis & oleæ naturali concordia, Africanus Florentini teſtimonio fretus, poſteritatis memoriæ mandauit, ſcribens oleam, ſi uiti inſeratur, non uuas modo ſed & oliuas quoq; parere. Addit uiſam arborem à Mario Maximo, qui cum fructum eius deguſtaſſet, negauit unquam ſe quippiã comeſſe, quod magis oleam uuamq; reſiperet, tam exactè ſimul utriuſq; ſapor linguæ repræſentatur. Naſcuntur, ut ait, huiuſmodi arbores in Libya, gẽtilicq; ac uernacula regionis uoce, *ubolima* nominant. Perticæ ſubijciundæ, qui poſſint brachiorũ onus fulcire. Si uero alio modo quouis inſerantur, lõgurijs non erit opus. Ergo propter terrã uitẽ terebramus, & oleæ ramulum imponimus, ſimul ut à uite dulcedinẽ, ſimul ut ab humo uernaculum alliciat nutrimentum, ut tandem eius iucũdiore cibo fruamur. Poſtremo ſi nondum ferentis uiticulæ ſarmenta fructuaria transferantur, miſturam progenitorum ſeruabunt. porrò fructus à promiſcua parentum cõditione inſitoris utriuſq; nomen adoptauit, elæoſtaphylos Græcis, quaſi dicatur uuolea nominatus. Syracuſis ut Diodorus eſt author, in frondibus olearũ ſcriptis optimatũ nominibus, diſceſſione facta, irrogabatur quinquennale ciuibus exilium: de quo argumento genus id mulctę petaliſmus appellabatur. ſed iam ad medicinã deſcendamus. Olearũ folia uehementer aſtringunt, purgant, ſiſtunt. Itaq; manducata ulceribus appoſita medentur, et capitis doloribus illita cum oleo. Decoctũ eorum cum melle ijs quæ medici uſſerint, gingiuarũ inflammationibus, reduuijs, ulceribus ſordidis, excreſcẽtibusq; prodeſt. Cum melle profluuium ſanguinis cohibet. Succus eorum carbunculantibus circa oculos ulceribus, & puſtulis, procidentiq; pupillæ efficax: quapropter in collyria additur, nam & uetuſtas ſanat lachrymationes, & genarum eroſiones. Exprimitur aũt ſuccus tuſis affuſo uino ex aqua cæleſti, ſiccatusq; digeritur in paſtillos. Siſtit menſes in uellere admotus uuluæ. Vtilis & ſaniẽ emanantibus, item condylomatis, ignibus ſacris, ulceribus quæ ſerpunt, epinyctidi, eoſdẽ & flos earum præbet effectus. Vruntur & coliculi floreſcentes, ut ſpodij uicem cinis præſtet, uinoq; infuſo rurſum uritur. Suppurationes & panos illinunt eo cinere, uel foliis tuſis cum melle, oculos uero cum polenta. Succus fruticis recentis accenſi diſtillans ſanat lichenas, furfures, pſoras, ulcera manãtia. E radice oleæ quàm tenerrimè cortex deraſus, in melle crebro guſtatu medetur ſanguinem reijcientibus & ſuppurata tuſſientibus. Cinis ipſius cum axungia tumores diſcutit, extrahitq; fiſtulis uitia, & ipſas ſanat.

Oleaſter, Oliua, Oleum. Cap. CIIII.

OLeaſter Græcis cotinos, dicitur ſylueſtris olea, fœcundior ſatiua, quod ferè ſylueſtres habent, ceu cura fertilitatẽ minuente. Oleaſtro uita lõgior quàm oleæ, ſed Olympiæ longiſſima. Hæc arborum una cum olea teredinem ſentire non dicitur, tametſi frequenter uredine laboret. Manſueſcere hanc denſis circa taleis, aut omnino trãslatione mitem fieri, uix poteſt adduci Theo-

phraſtus ut credat. Codex quibuſdam peculiaribus cauernulis dehiſcit, quod & in olea quoq; deprehenditur. Caudici medulla tenus pertuſo, impreſſa oleaſtri talea ſterilẽ oleam fœcundat. Materies ei perpetua, ſpiſſa, criſpa, in totum oleagina nodoſior, ex qua breuiores marculos, & terebris uaginas optimè ſicut è buxo, ulmo, fraxino, aquifolia facti tatas produnt. Sylueſtris olea ex ſatiuæ nucleo naſcitur. Porrò quod ad inſitionem pertinet, oleaſter oleam optimè recipit. Cæterum ex oliueto iam inſito & caſu quodam incenſo, infelix renaſcitur oleaſter: quod ne contingat ita prouidendum erit. Poſitis prius oleaſtri brachijs in ſcrobe, in qua pangere diſponimus, ſcrobes ita replebimus ut mediæ uacuæ ſint. Cum comprehenderit oleaſter, inferemus in ſimo uel inſitum mergemus, & inſitionem propè infra terram nutriemus, deinde ſicut adoleſcit, terram ſubinde colligimus: ita commiſſura in profundo latente, quiſquis urit, aut cædit, oliuæ locum non aufert pullandi, quæ & apertam redeundi felicitatem de olea, & occultam ualendi feracitatem de oleaſtri cõnexione retinebit. Prima huius apud Græcos origo ſic ducta, ſi Pauſaniæ credendum eſt, homini doctiſſimo quidem, ſed alioquin ijs in rebus ſuperſtitioſo: nam & claram Herculis ex Hyperboreis reuerſi ex oleaſtro uolunt fuiſſe, prius ignoto Græciæ, quę terræ defixa ſpõte refloruit apud Trœzenios, aut certè iuxta amnem Alpheum, in qua gente locus eſt uerſus mare oleaſtris frequens: quemadmodum ab intorta ſpecie olea celebratur cognominata ſtrepte, circa Epidaurum, adiecta eiuſdẽ authoris fabula, euenìſſe circumactu manus, Hercule illac permeãte. In Olympia naſcentem oleaſtrum idem tradit Pauſanias, calliſtephanon appellari, quia Olympiæ uictores ea coronarentur, ſicut moriam in Academia ſatam uocabant oleam, & ſylueſtrem agrieleam, & callieleam quam nos dicimus ſatiuam. Syluestris oleæ quam aliqui Athiopicam nominant, folia aſtringunt trita igni ſacro, ulceribus quæ ſerpunt, epinyctidi adhibentur. Carbunculos, nomas, paronychia cohibent. ſordidis illinuntur ulceribus, panos collectionesq; cum melle diſcutiunt. Cruſtas reſoluunt ex melle impoſita: cutem à capite uulſam conglutinant: commãducata priuatim oris ulceribus medentur. ijdem effectus & expreſſorum ſucco, & decoctione ſpondent. Proluuiem ſanguinis & abundantiam fœminarum coercent ſucco appoſito. is & uuas oculorum, ulcera, & ueteres fluxiones ſanat: proinde collyrijs expetitur. Excipitur ſuccus affuſo uino, uel aqua, ſiccatusq; in paſtillos cogitur. ſed longè ualidior ſuccus, qui cum uino, quàm cum aqua expreſſus eſt, & diuturnitas maior. Is utiliter auribus inſtillatur, ſi uel pus effluat, uel exulceratio ſentiatur. Folijs in affectu cœliaco uenter illinitur cum hordeacea farina, item in rheumatiſmo cum oleo & capitis doloribus. Flore oleaſtri condylomata perunguntur. Cutem in capite ab oſſibus recedentem, caulículi decocti & cum melle impoſiti comprimũt. Fructus ex oleaſtro maturi in cibo ſumpti, ſiſtunt aluum. toſti & cum melle triti nomas repurgant: carbunculos rumpunt. Vruntur cum floribus folia ut ſpodij uicẽ cinis penſet: in cruda fidelia oblitis luto faucibus, in fornace tantiſper continentur, dum torreatur figlinum, deinde uino reſtinguitur, quo perinde rurſum infuſo iterum uritur. Is cinis uehementius inhibet rheumatiſmos, ſedat inflammationes oculorum, purgat ulcera, alienata explet, excreſcentia leniter erodit, ſiccat & ad cicatricẽ perducit. Hoc autem peculiare, quod folia decoquunt ex melle, danturq; cochlearibus cõtra ſanguinis excreationes. Oleum tamen acrius atq; efficacius, & os quoq; colluitur illo. ad dentium infirmitatem imponũtur folia, & paronychijs & carbunculis & contra omnem collectionem cum uino, ijs uero quæ purganda ſunt, cum melle miſcentur, oculorum medicamentis decoctum foliorum & ſuccus oleaſtri. Eluitur cinis ceruſę modo, & deinde digeritur in paſtillos, non alio quàm ſpodij uſu. Oliuæ conſtant nucleo, quem ſanſam uocabat antiquitas, carne, amurca: ſanies eſt hæc eius amara. fit ex aquis, ideo ſiccitatibus minima, riguis copioſa. Suus quidem oliuæ ſuccus eſt oleum. Oliuarũ genera cõplura eſſe traduntur, ſed in agricolarũ notitiam decem peruenerunt, pauſia, algiana, licíniana, ſergia, neuia, cuminia, orchis, regia, circites, murtea. Bacca iucundiſſima eſt pauſiæ, ſpecioſiſſima regiæ, quæ potius eſcę quàm oleo eſt idonea. Pauſiæ tamen oleum ſaporis egregij, dum uiride eſt, uetuſtate corrũpitur. Orchis quæ à ſimilitudine teſticulorũ, ut arbitror, dicitur, antiquitus archemora, grandis olea Varroni dicitur orchas, melius ad eſcam quàm in liquorem ſtringitur, radius uocata cibis grata. Oleum optimum licinia dat, plurimum ſergia.

Omniſq;

Omnísq; oliua maior ad eſcam, minor oleo eſt aptior. Virgilius tribus earum generibus eſt contentus, orchite, radio, pauſia, quæ nec deſiderare raſtros aut curã tradit. Cæterum maior ars oleo quàm uina temperandi. quapropter oliuæ diſſident inter ſe ſucci ratione. Primum omnium cruda, atq; nondum inchoatæ maturitatis: hæc ſapore præſtantiſſimo. Quin & ex ea unda prælí laudatiſſima. Quanto maturior bacca fuerit, tanto pinguior ſuccus, minuſq; gratus. Optima autem ætas ad decerpendum inter copiam bonitatemq; incipiente bacca nigreſcere: noſtri uocant *drupas*, Græci uero drypetas. cætero diſtat, an maturitas illa torcularibus fiat, an ramis, irrigua fuerit arbor, an ſuo tantum bacca ſucco, nihilq; aliud quàm rores cæli biberit. Baccæ nonnullis regionibus conuiuiorum epulis præparantur. has igitur cum nigruerint, nec tamen præmaturæ fuerint, ſereno cælo diſtringere manu conuenit, lectasq; cribrare et ſecernere, quęcunq; maculoſæ, ſeu uitioſæ minoris ue incrementi uidebuntur. deinde in ſingulos modios oliuæ, ſalis integri ternas heminas adijcere, et in uimineos qualos confundere, ſuperpoſito copioſo ſale, ita ut oliuas contegat, ſicq; triginta dies pati conſudaſcere, atq; omnem amurcam extillare, poſtea in alueum diffundere, mundaq; ſpongia ſalem, ne permaneat, detergere: tum in uuas adijcere, & ſapa uel defruto amphoram replere, ſuperpoſito aridi fœniculi ſpiſſamento, quod oliuam deprimat. Plericq; tamen tres partes defruti, aut mellis, & unã miſcent aceti, & eadẽ portione qua ſupra ſaliũt. & collocant in qualis, ut immiſtis ſeminibus lentiſci alterna tabulata oliuarum, & ſalis, uſq; in ſummum componunt. deinde poſt quadraginta dies, cum oliua quicquid habuit amurcæ, exudauit, in alueũ defundũt, & cribratam ſeparãt ab ſeminibus lentiſci, ſpongiaq; detergẽt quicquid adhæreat ſalis. tum in amphoram confundunt, adiecto defruto uel ſapa, uel melle. In ſingulos modios oliuæ ſingulos ſextarios maturi ſeminis aniſi, lentiſciq; & ternos cyathos ſeminis fœniculi addidiſſe ſatis eſt. id ſi non eſt, ipſum fœniculum conciſum adieciſſe ſatis eſt, deinde in ſingulis modijs oliuarũ ſalis cocti et non moliti ternas hemínas admiſceri, & ita amphoris cõdi. easq; faſciculis fœniculi oportet obturari, & quotidie per terrã uolutari, & tertio uel quarto quoq; die, quicquid ineſt amurcæ, mitti: poſt quadraginta dies in alueũ diffundi, et à ſale tantũmodo ſeparari ſic ne ſpongia detergeantur oliuæ, ſed ita ut erunt exemptæ maſſulis ſalis miſtis in amphoram condantur, & ſpiſſamentis impoſitis ad uſus in cellam reponant. Ratio condituræ colymbadumq; oliuarũ talis, Alternis cratibus oliuarum pulegiũ ſpargis, et mel & acetũ & ſales modicè, ſtratura intercedente, ſuffundis, itẽ ſternis oliuas ſupra ſurculos fœniculi, uel anethi, uel lentiſci, & ramulis oliuæ ſubditis, aceti heminã & muriam ſuperfundis: has cõſtructiones uſq; ad uaſculi plenitudinẽ patieris inſurgere. Alij delectas oliuas muria macerãt. & poſt quadraginta dies eã fundũt uniuerſam: tũc duas defruti partes, aceti unã, menthã minutim inciſam uaſculo cõijciunt, & oliuis replent, ut iuſta infuſione liquor ſupernatet. Alij oliuam factã colymbadem de muria tollunt, ſpongiaq; detergent, deinde canna uiridi ſcindunt duobus uel tribus locis, & triduo in aceto habẽt, quarto die ſpongia detergẽt, & in urceũ uel fideliam nouã immittunt ſubſtrato apio, & modica ruta. cõcilis deinde pleno uaſe oliuis immittunt defrutũ uſq; ad os. Lauri turiones hoc uſu mittunt ut oliuæ deprimantur, poſt dies uiginti utuntur. Alij baccas quæ iacentes reperiuntur, rugis contrahentibus criſpas colligũt, & ſalibus tritis reſperſas expandũt, donec ſole pararefcant, tum ſubſtrata lauro alternas crates baccarũ ſæpius ordinãt: tũc defrutum cũ ſatureiæ faſciculo duabus aut tribus undis feruere patiunt, & poſtquã tepuerit, ſupra cõpoſitas baccas refundũt, admiſto ſale pauxillo, & origani faſce cõiecto, ſupra ius omne perfundunt. Alij paſſi ſextariũ unum, cineris bene creti, quantũ manus utraq; geſtabit, adiecto uetere uino & frondibus cupreſſi permiſtis, infuſas oliuas cõculcant, & cruſtã faciendo ſaturant, donec ad uaſculorũ fauces perueniant. Nõ deſunt qui lectas ex arbore baccas ſtatim condiant, rutã & petroſelinũ inter ſpatia ſtructionis ſternant, & ſubinde cuminati ſalis aſperſione cumulent, poſtremũ mel & acetum ſuperfundãt, nouiſſimè olei optimi quantumcunq; miſceant. Sunt & qui lectas ex arbore baccas muria diluant, tũc ollæ mellis partes duas, uini unam, defruti dimidiam adijciant, & ubi deferbuerint, deponant, ac permouentes acetum miſceant: cum refrixerit, ſuper oliuas ſurculos origani ſternunt, & ſupra ius omne diffundunt. Alijs oliuæ manu decerptæ cum pediculis aqua triduo ſparguntur. deinde

muria macerant, post duodecim dies exemptę cũ æquis musti & aceti põderibus in fideli am conijciunt, oppletũ uas adoperitur: sed aliqua dimittantur spiramẽta. Oliuæ colymba des ideo uocant, quoniã oleo suo purę, hoc est sine accersita cõmendatione innatãt, et ue lut urinabũdę fluitant. Halmades uerò dicũtur, quę muria propriè condiant, etiã si Gręci nonnunquã huiuscemodi nomina persępe cõfundant. Sũt et netrides appellatę Iulio Pol luci, quoniã enatẽt. Sũt & pityrides, hoc est furfuraceę, quę in usum hũc stringuntur, ante quã omnino matureſcãt. Nigrę oliuę stomacho utiliores, uentri minus. Pręclarũ habẽt an tecẽ condiant, usum, recentes per se cibi modo deuoratę. Medentur arenosæ urinę, item dentibus, aut attritis, aut cõuulsis. Alba oliua facilior uẽtri, stomacho magis aliena: oculis non conuenit, & capitis dolorem infert. Tosta & impositа nomas amolitur, carbunculos rumpit. Commanducatur & protinus ex ore impositа, pustulas gigni prohibet. Vtraq; prodest ambustis trita et illita. Colymbades sordida ulcera purgant, inutiles difficultati bus urinæ, ambustа à pustulis uindicant. Succus earum è muria colluentium gingiuas comprimit, dentes infirmos commotosq; stabilit. Sanſarum, hoc est nucleorum, medulla cum axungia & polline farraceo scabris unguibus illinitur. Oleũ ita fieri consueuit. Cum primum baccæ uariare cœperint, & iam quędam nigræ fuerint, sereno cælo manibus oli uam destringi oportebit, & substratis tegetibus, aut cannis cribrari & purgari, tum dili genter mundatam protinus in torcular deferri, & integram in fiscinis nouis includi, præ lisq; subijci, ut quantum possit paulisper exprimatur. postea resolutis corticulis emoliri debebunt, adiectis binis sextarijs integri salis in singulos modios. quod defluxerit in la brũ, protinus capulator depleat, et in fictilia labra huic usui præparata diffundat. Longè melioris saporis est oleũ, quod minore ui præli quasi lixiuũ defluxerit. nanq; si nuclei cõ fringantur, olei saporem uitiant. Cum uerò paululum constiterit, subinde decapulandum est, nam quanto sæpius translatione ipsa uentilatur, tanto magis eliquescit & amurca libe ratur. Solet cum amurca frigoribus congelari, tum insperſus sal coctus resoluit oleum, & separat ab omni uitio: si ne sic quidem resoluatur, præsertim cum maiora frigora incesse rint, nitrum torretur, & contritum inspargitur: ea res eliquat amurcam, quæ inimicissima est oleo, & si remansit in eo, saporem eius corrumpit. Debet itaq; oleum cibariũ fieri proti nus illata de oliueto bacca, commolita, & expressa. Minus probatur oleum ex oliua quæ decidit, uel tempestatibus aut pluuijs in lutum defluxit, nam uermiculorum cæterarumq; immunditiarum saporem trahit: quare ad præsidium aquæ calidæ decurritur, qua immun dæ baccæ prius eluantur, quàm molę aut torculari credantur. Paxanius à Gręcis tempus oliuitati statuit idoneum, quum plus parte dimidia baccæ nigrent, tum oliuarius ex agro in prelum coacturam solidarum progerit, antequam gelent frigora: sic enim largiores par tus matres postea ministrabunt, & baccæ copiosius fundent oleum. Sereno cęlo manibus oliuas distringi oportet, minimè, cum pluuius imber incessit, quia perfusus surculus, & hinc imbecillitate contracta languens, facilè disrumpitur. qua de causa neq; rorulenta die ramuli concuti manibus, neq; baccæ decerpi debent, prius quàm omnis arborum humor sole discutiatur. Si lutũ subest, canistri & tegetes substernendæ: quæ si defuerint, immun dæ baccæ & inquinatæ, & obsitæ luto, & quæ tempestatibus deciduæ subleguntur, calida perluantur aqua. Non desunt olearij qui rectè censeant factum, si solum manibus ramos succutiant, ut agitatæ baccæ labent: præcipiuntq; ne rudem aut uirgam, decutientes ope ræ, arboribus adhibeant, quoniam futurum esset, ut non prouentum inde sed detrimen tum sentirent: quia fructum multo minorem sequentibus annis arbores exhiberent. Ve rendum quoq; esset, ne hoc impetu deturbata bacca, dissiliret, aut certè lapidibus aut gle bis durioribus attrita uulneraretur. Caduca, quòd puluere sit obsita, terrestrius dabit ole um. Longè ergo satius fuerit scalas in triangulum actas subijcere, & latos asseres superpo nere, quibus insidentes leguli, manibus baccas distringant. Apuleius omphacini olei, id est uiridis notæ conficiundi rationem ita subiecit. Id omnibus compertum esse debet, om phacinum ab acerba baccarum mellígine nomen duxisse. Cum igitur oliuæ incipiunt ma turescere, à pueris aut operis, manibus distringi iubẽtur, hac tamen obseruatione, ne qua uel cadiua uel fracida sublegatur, tantumq; decerpendum oliuæ, quantum nocte uenien te possimus exprimere. sed tegetes eas excipiant paulisper expansas, ut aquosum humo

rem

rem exhauriant. Porrò ne mutuo calore uitium trahant, promiſcuas frondes & ſurculos ſecernere conuenit: ea res enim perennitati olei inimica eſt. Veſperi inſparſo ſale mundis molis ſubijciuntur, manuq; leniter ita moluntur ne nucleus confringatur, qui ſapo-
rem olei maximè uitiat. Truſatilis itaque mola celerrimè & uolubiliter in gyrum rotetur, ut fraces, id eſt carnes & corticuli conterantur: mox corbulis minoribus quicquid fuerit mola fractum, in torcular transferatur. caniſtros è uiminibus ſalignis textos oportet inijcere, quia ſalix oleum dicitur adiuuare, eiq; nonnihil conferre beneficij. deinde far cina leuis quæ non uehementer degrauet, imponitur. Nobilius erit quod ſponte, uel minore preſſuræ ui, quaſi lixiuum defluxerit. hoc ſuauiſſimum & idem tenuiſſimum pro-
10 tinus deplet capulator, & in mundum uas ſeorſum defundit: reliquæ fraces ſimili diſcipli na premuntur, ſed paulo grauiori pondere & mola fortiore quaſſantur. tertiuum inde manat oleum, quod uelut ſecundæ preſſuræ, priuatim in alia uaſa tranſmittitur: hac ite-
ratione inualidius, ſed tertiatione multo deterius oleum exit. Sed utrunque decapulari iubent, ſales deinde ac nitrum nouo oleo conſpergi, & oleagina rude moueri: deinde cum paululum in labris oleum conſtiterit, inuenitur aquoſa quædam ſanies ſubſidere, quæ eſt amurca, & ius pinguiſſimum ſuperius enatare, quod purum citra amurcam, in uas uitreum debet transferri. Vitrum enim oleum maximè conſeruat, quippe cum frigore lætetur olei natura. Si tibi deſint uitrea uaſcula, in fictilia intus gypſo perlita conijcitur. O-
20 learia cella ad eum cæli ſtatum conſtituenda, qui maximè à calidis uentis auerſus eſt. qua re ut ad Septentrionem ſpectet, expedit: ſiccum enim & frigidum locum oleum diligit, calores & humores tanquam inimicos odit. Antiqui uaſa cerari per oliuitatem iubebant. uetera tamen propter olei ſuccum ceraturam non patiuntur: quam & complures quoq; repudiant, exiſtimãtes dolia, liquida gummi perluere. Multi cum ſemel ſerias craſſa gummi liuerunt, una in perpetuum gummitione ſunt contenti. Et ſanè quæ ſemel oleum teſta combibit, alteram gummitionem uel ceraturam nõ recipit. Reſpuunt omnem illitionem uaſa prius oleo imbuta. oleum inde multa uitia concipit. Fumo enim oleum infeſtatur, quapropter olearij in totũ illud præcipiendũ habẽt, ut neq; fumus, neq; fuligo, quamdiu oleũ conficitur, in torcular, aut cellam oleariã admittatur. Vtraq; res inimica huic rei,
30 quoniam minimè uapor ignis deſideretur: quapropter & torcular & olearia cella ea cæli parte collocanda eſt, quæ calidis flatibus aduerſetur, & in ſeptentrionem uergat. peritiſſimiq; olearij uix patiuntur ad unam lucernã opus fieri. Vitiatur quoq; ea quæ remanſerit amurca, quapropter ut ea lue liberetur, lacuſculos ea parte qua defluet, ſub ipſis fiſtulis, uel cauum lapidem ſubdi oportet, qui huiuſcemodi colluuiem ſeorſum excipiat, unde ex hauriri poſſit, quicquid defluxerit: nanq; ſiue ſyncera, ſiue non inſulſa deſtillet, utraq; uſibus plurimis ut dicetur, idonea eſt. Oleũ quoq; quod gelaũ plerũq; fraceſcet: cui cũ ad præſidia uentum erit, ſatis eſt, ut iam dictũ eſt, ſalem aut nitrum oppoſuiſſe. Si ſordet oleum,
40 frictos & adhuc calentes ſales Tarentinus inijci iubet, & diligenter operiri, ita mundum reddi poſt tempus exiguum pollicetur. Oleum quoque ſordidum purgat pinea nux, quæ igni candens oleo reſtinguatur. Emundat et citri radix in oleum demerſa. Oleum quod ſuis fracibus torridis fuerit inuſtum, lympidius eliqueſcet. Oleum rancidum idem Tarentinus aſſerit, ſic poſſe curari. albam ceram mundo & optimo oleo reſolutam, adhuc coctura liquentem, in oleum mitti iubet, tunc ſales frictos calentes addi, ſic fieri ut oleum purgetur, ſapore & odore mutato. Neq; ignorandum eam eius eſſe naturam, ut ſole uel igne cu retur, uel aqua feruenti, ſi ſimul miſceantur in uaſculo: oleum tamen omne fictilibus non æreis aut ruptis ahenis eſſe ſeruandũ. Rancori quoq; medetur immerſum aniſum. Non rancesçet oleũ, in quo prius aniſum maduerit. Munda ſint ſemper olei receptacula, ne nouos ſapores, ueteri rancore marcida corrumpant. Si fuerit odoris horrendi, præcipit idem author, uirides oleas ſine oſſibus tundi, & in uaſa per ſolis calorem mitti: ſi baccæ defuerint, caules tenerrimos oleę ſimiliter eſſe tundendos. Nonnulli utraq; permiſcent, adiecto
50 etiã ſale, ſed omnia intra linteum clauſa ſuſpendunt, atq; ita in uas olei demittũt, poſtea tribus diebus exactis auferunt, & agitantes, ubi conquieuit, in alia uaſa transferunt. Quidam mittunt uetuſtum laterem torrefactum. Plerique panes hordeaceos breuiter friatos, & raro linteolo inuolutos, mergunt, & nouos ſubinde permutant: ubi hoc bis aut tertio fe-

cerũt, salis callos uel micas mittũt, et in alia uasa, translatũ, paucos dies subsidere patiũtur. Alij sertulam campanam oleo delibutam, interdiu noctuq; macerant. Quòd si aliquod animal forte deciderit, & oleũ putri nidore uitiauerit, iubent Græci coriandri manipulum in olei uase suspẽdi, atq; ita paucis diebus manere. si nihil de nidore decusserit, mutandum est coriandrũ, donec superetur hoc uitiũ, sed maximè proderit post senos dies in uasa munda decapulare, melius si acetum antè uexerunt. Quidam fœnigræci semen siccum tritũq; permiscent, uel incensos oleaginos carbones in ipso oleo frequenter extingũt. Si acerbus odor fuerit, uuæ recrementa quæ Græci gigarta uocant, præcipiunt tusa, & in massam redacta mersari. Si oleum turbulentia uexet, Tarentinus suadet in fidelíam oris ampli conie- 10
ctum oleum inferuescere, tenuissimumq; salem fictum inspergi, & ubi subsiterit, spurcum oleum elutriari. Pellucidum effeceris oleum, si corticem & ramulos oleaginos cum sale detritos & linteo conclusos, in uase suspendas. Oleum liburnico simile fieri asserunt Græci, si in uiridi oleo uel alias optimo, inulam siccam, & lauri folia, & cyperum, omnia simul tusa, & subtiliter creta, permisceas cum salibus torrefactis ac tritis, & diu oleo iniecta perturbes, dein tribus aut aliquanto amplius decursis diebus, cum quieuerit, utaris. hoc & istrianum & liburnicum nominatur. Diophanes odorati olei faciundi rationem ita docuit, ut musti sextarios octo cum duobus olei, & bonam iris tusæ portionem, linteo conuolutam misceant in uase, & exactis decem diebus excolatum recondant. hoc autem mulieribus potu gratissimum. Damegeron oleum Hispanienſi simile conficiebat, hac ratione, Oleo syncero & omni amurcæ spurtitia repurgato, ubi efferbuisset, triplum aquæ 20
quàm feruidissimæ, & exiguum salem in farinam detritum confundebat, & tantisper conturbans agitabat, dum concorporari & in unum coire perciperet: tum spatio quodam conquiescere patiebatur, donec iniecta aqua amurcæ subsideret, dein existens oleum concha deplebat, rursum cum aqua tepente mouebat, & ubi pacata ea secernebantur, iterum emergens syncerum eximebat: postremò succum recentium oleæ foliorum commiscebat, ut acrimoniam quandam & amarulentiam oleum contraheret, & post triduum ubi constitisset ad usus depromebat: aliqui post diem utebantur. Alij in pilam eodem succo prælitam oleum defundebant, & cum uocaret necessitas, Hispani uice in usus uenie
bat. Sed iam reddenda est medicinę ratio. Oliuarum liquor oleum est, cui natura tepefacere corpus, & cõtra algores munire, eidem feruores capitis refrigerare, quod mirari possis. 30
quàm multis polleat remedijs, uel per se, uel cum alijs mistum, neminem enumerare posse existimo, quando & à uino nullus pretiosior succus. omni oleo mollitur corpus, uigorem ac robur accipit. Democritus (ut Diophanes tradit) interrogatus, qua ratione homines inoffensa ualetudine degerent, ac uigorem illum animi custodirent, respõdisse fertur: Si externa corporis oleo, interna melle linirentur. Calfacit: uentrem emollit: aluum mouet, lenitq;. Idem à perfrictionibus corpus uindicat, ipsumq; gerendis rebus habilius ac promptius efficit. Coniunctum idem medicamentis exulcerantibus, acrimoniam eorum domat: uenena omnia cohibet hebetatq; crebro potũ, redditumq; uomitionibus. Lauda
tissimum præsertim contra cerussam, & gypsum ex aqua mulsa, aut ficorum siccarum de- 40
cocto potum: item contra meconium, cantharides, bupreſtimq;, salamandras, pityocampas. Soluit aluum heminæ mensura, cum succo ptisanæ pari portione, uel cum aqua. Lassitudinum perfrictionumq; refectio est. Tormina calidum potum cyathis sex magisq; ruta simul incocta pellit, item uentris animalia. Vtilissimè subter in aluum datur ileosis, quos tenuioris intestini morbus tentare solet. Auget ulcerum incrementa: emplastris uulneraris utile: faciem expurgat: bubus infusum per nares, donec ructent, inflationem sedat. Vetus autem magis excalfacit corpora, magisq; discutit sudores, durities magis diffundit. Lethargicis auxiliare, iam inclinato morbo. Oculorũ claritati sublitũ prodest. Capitis doloribus remediũ est, itẽ doloribus in febri cum aqua: & si uetusti non sit occasio, decoquitur ad crassitudinem mellis, ut uetustatem repręsentet. Oleum syluestris oliuæ uehementius 50
astringit, cuius usus per sanitatem secundus. Rosacei uice doloribus capitis expetitur: sudores cohibet, capillorum defluuia compescit. Vlcera in capite manantia, furfures, scabiem, leprasq; sanat. Tardius canitiem sentiunt, qui eo quotidie perunguntur. Eo gingiuæ laborantes uligine, salubriter imbuuntur: inuoluta enim stilo lana intingitur oleo, &

gingiuis

gingiuis admouetur usque dum albescant. Ad stabiliendam dentium mobilitatem os col
luitur: eo defluxiones gingiuarum foueri utilissimum. Oleum candidum fit hoc genere.
Albicans oleum capis, nec anniculo uetustius, tunc dimittis in fictile nouum oris ampli
hemínas centum: deinde in sole ponis media die, & concha refundis, & ex alto deturbas,
ut assidua deuolutione crebróque diuerberatu spumescat: octauo die fœnum græcum a
qua calida maceratum, emollescens, ita ut substillat ac madet, denarijs quinquaginta, in
supradictum oleum confundis: mox titionem quàm pinguissimæ pinus in assulas minu
tatim concisæ, superindis mensura pari. at ubi dies octo consudarint, iterum concha per
moues, tandemq; si respondet desiderio, in dolium nouum uetere uino prius imbutum
decapulas, substratis sertæ Campanę coronis, undecim drachmas pendentibus, cum pa
ri iridis portione. quòd si res tuo non subscribat arbitrio, in solem denuo repetis, & iugē
operam impendis, dum candorem contrahat. Omphacinum etiam ad medicinam perti
net, sanis corporibus utilissimum. Laudatur quàm maximè recens, nisi cum uetustissimū
quæritur, tenue, odoratum, quodq; non mordeat. hoc quidem ad unguenta expetitur.
Stomacho propter astrictoriam uim amicum probatur: gingiuas comprimit si continea
tur in ore: dentes firmat, & eorum colorem custodit, magis quàm aliud: sudores cohibet.
Vetustius ac pinguius magis medicamentis commendatur. Iam amurcam diximus esse
saniem expressæ oliuę, fidensq; retrimentum, ueterum placita sequuti. Super omnia hanc
celebrauit laudibus Cato, areas terendis messibus amurca subigi, imminutisq; glebis æ
quatas, pauiculis uerberari, ne formicæ noceant, uel herbæ subnascantur, néue rimæ de
hiscant. Quin et si lutum quod amurcam combibit, parietum & tectoria & pauimēta hor
reorum obleuerit, neq; gurguliones neque mures frumentum attingēt. Item si ablaquea
tis radicibus olearum fructus non ferentium, amurcam cum aqua partes æquas mistam
circunfuderis, & arbores feraces, & has quoq; meliores effeceris. Fici grossos contine
bunt, radicibus cum uer appetit, amurca satiatis: ita curatis nec grossuli cadent, nec scabrę
fient arbores, multóque reddentur feraciores. Conuoluulus in uinea non nascetur, si ui
tem circum caput & brachia perunxeris amurca, igni leui cocta, & rudicula crebro agita
ta, dum mellis crassitudinem retulerit: sed bituminis tertiarium, & sulphuris quartarium
quàm minutissimè sub dio infrientur, nam sub tecto ijs additis excandescit. Si quadrupe
des & detonsæ oues totæ ea, sic ut biduum uel triduum confudent, illinantur cum aqua,
ubi lupinus deferbuerit, deinde mari uel aqua salsa lauentur, neque scabræ fient, neque ri
cini erunt molesti. Lora etiam, coria, calceamina, axésque commodè perunguntur, atque
etiam æramenta prius extersa contra æruginem. Arcam illito fundo neque recondita ue
stimenta, nec ligneam suppellectilem ullam, amurca perlitam, cotingent tineæ, quæ colo
ris gratia splendidioris elegantioris q; postea detergeantur. Vasa fictilia, in queis ficum a
ridam libeat asseruare, item dolia olearia cadiq; imbuuntur, ne bibāt oleum. Virgas myr
teas cū baccis, item ramulos ficulneos cum folijs, immersos amurcæ seruabis. Boues qui
fastidiunt cibum, magis cupidè appetent, si pabulum quod dabis amurca conspergas: ita
curati & corpore ualebunt, & si quis suberit morbus abigetur. Ligna macerata amurca
nullo fumi tædio ardebunt. Iam reddēda est quoque medicinæ ratio. Gingiuis & oris ul
ceribus, dentium firmitati efficacissimè subuenit: item ignibus sacris infusa, & ijs quæ ser
punt, pernionibus. Nigræ oliuę amurca utilior, item infantibus fouendis. Albæ uerò mu
lierum uuluæ in lana admouetur. multo autem omnis amurca inueterata efficacior. exul
cerationibus uuluæ, uirilitatis, & sedis infunditur. Si uerò decoquatur ad mellis crassitu
dinem carie uitiatos dentes extrahit. iumentorum scabiem cum decocto lupini & chamę
leonte herba, illitu sanat. cruda & recenti, podagras & articularios morbos calida foueri
utilissimum. decocta in cupreo uase ad mellis crassitudinem, longè maiorem astringendi
nanciscitur facultatem. Vsus eius cum aceto aut uino uetere, aut mulso, ut quæque causa
exigit, in curatione oris, dentiū, aurium, ulcerum manantium, genitalium, rimarum sedis.
Vulneribus in linteolis imponitur, luxatis in lana. Ingens hinc usus inueterato medica
mēto, tale enim fistulas sanat. Illinitur podagris incipiētibus. Illita in corio & imposita re
primit hydropicorū tumores. ijs omnibus cōfert quibus lyciū, eosdemq; prębet effectus.

Olea Aethiopica. Oleagnus. Opulus. Ornus. Oxya. Cap. CV.

LAchryma quæ ex arbore diſtillat Aethiopicæ oleæ, quadam tenus ſcammonio ſimilis eſt, rufiuſcula, ſtillicidijſq; minutis mammoſa, mordaci guſtu. Damnatur gummis aſpectu, & ammoniaci ſimilitudine nigricans, guſtatu iners, nec linguã uellicãs. eandem guttam noſtrates fundunt oleæ, etiam in oleaſtro quærendã. hebetiores oculos illitu clarificat, cicatrices in ijs & albugines exterit, urinã molitur, mẽſes ciet, dentiũ dolores cauernis impreſſa efficaciter illinit, adſcribitur uenenis, enectos partus utero extrahit, impetigines lepraſq; tollit. Oleagnos ſeu elæagnos Theophraſto, frutex eſt aquatilis amerinæ folio, ſed molli, lanuginoſo, flore populi albę, uerũ minore, fructu nullo. Naſcitur plurima ſuper inſulas fluitantes. Natura ei quæ & uitici, cuius etiã ſpecies uideri poteſt: quare folia drachmę põdere pota, febres diſcutiunt: medentur aquæ inter cutem fuſæ, lienoſis, morſibus uenenatis: lactis augent ubertatẽ: urinas mouẽt & mẽſes, alioqui caput tentãt uini modo. Capitis dolores decoctũ folij ſedat, uuluas corrigit inſeſſu, uel appoſitu. laſſitudinẽ intertrigínemq; ſcipio ex ea manu geſtatus amolitur. Opulus corno ſimilis arbor, arbuſto gallico faciũdo idonea, *obierus* uel *opierus* apud nos ruri dicitur. ulmi proceritate adoleſcit, caudice recto, enodi, rarioribus ramis brachiato, frondibus ferè uitigineis, baccis racematim dependentibus, prima pubertate uiridibus, à maturitate puniceis. Vitem opulus alit, uerum quoniam frondem non habet idoneam, à pleriſq; repudiatur. Ieiunũ ſolum horret: quare ſi aſpera & ſiticuloſa loca arboribus obſerenda erunt, opulus non admodũ idonea. Si arbuſtum ex ea uitibus quis conſtituere uolet, ante annum quàm deponat arborem, ſcrobes faciat quatuor pedum quoquouerſus: deinde circa Calendas Martias, in eandem ſcrobẽ opulum & ulmum infigat, ut ſi opulus defecerit, ulmus locum obtineat: ſi autem utraq; uixerit, altera eximatur, & alio loco pangatur. Arbuſtiuæ uiti quàm optimè opulus maritatur. Quas medicinæ facultates repræſentat, nondum quærenti licuit offendiſſe. Ornus gallicum nomen non inuenit, quod miror, cum ſatis frequens reperiatur, uulgo tantum *freſnæ campeſtris* uoce cognita. arbor ſatis procera, caudice tereti, læui cortice, ſpiſſo, ramulis utrinq; pinnatis, folio fraxini, paulo profundioribus crenis per ambitũ ſerrato, bacculis racematim coactis, ab adoleſcentia rubeſcẽtibus, ſecundũ maturitatẽ ex purpura nigricãtibus, ſapore ex acido in amarũ degenerãte, meſpilaceo quaſi cõcretu, multo graciliore. Habitu reliquo & effigie tota, fraxinum æmulatur. quare Lucio Columellæ orni ſylueſtres fraxini ſunt, foliis latioribus quàm cæterę fraxini, nec deteriorẽ frondẽ quàm ulmi præſtant. Capræ autem & oues libentius etiam hanc frondẽ appetunt. Aſperis & ſitientibus locis gaudet. montes eadem amat. in plana etiam deſcendit, ut uiti quoq; indiſſolubili cõnubio copuletur, & arbuſtiuam ſuo fulciat adminiculo. Folia ex uino bibũtur ad iocineris & laterum dolores. aquæ ſubter cutem tumores reprimunt. Corpus obeſum leuãt onere, id ſenſim ad maciẽ reducẽdo, ſi cũ uino terantur ad uiriũ portionẽ, ita ut puero quinq; folia tribus cyathis dentur, robuſtioribus ſeptem, quinq; uini cyathis. Scobs eius & ramenta pernicioſa tradũtur, proinde uitanda. Vide quantũ hallucinantur, qui oxyam Grẽcis, noſtris ſciſſimam, ornum eſſe contendant. quorum ſententiæ nequaquam accedo, quũ oxya abietis aſpectu conſurgat, erecta, læuis, enodis, proceritate craſſitudineq; illi ferè æqualis, cortice glabro, materie colorata, robuſta, neruoſa, folio craſſo, biſido, aculeato. Fructus in ea pẽdet glande in calyce echinata, placida tamen nec hiſpida, ut caſtaneæ, nihilominus illi ſimilis dulcedine, atq; ſucco. Quæ in mõtibus naſcitur, materiã habet candidã, ad multa utilem, quippe ad carpẽta, ſubſellia, menſas, lectos, & nauigia: campeſtris nigricat, ad hęc inutilior. Non minori in errore uerſantur qui roboris ſpeciem eſſe uelint, quæ ſterilis ſit, quorum error ſatis à Lucio Columella refellitur; qui ornos ſylueſtres eſſe fraxinos prodat, foliis paulo latioribus quàm cæteræ fraxini. nanque nulla non nota diſcordare cognoſcuntur. Quis uideat ornum abietis facie, nec craſſitudine nec proceritate ei cedentem? quis aculeatum folium & glandoſam frugem in calyce echinato tribuat? Porrò ſatis ſupérque folium inſignibus crenulis ſinuatum, errorem explodit. Cæterum nec calycibus acinos claudit ornus, rarioribus uuis contenta. Oxyæ folia conſtringunt, ijs tritis & impoſitis, uulnera uix credibili celeritate glutinãtur. Corticis materiei decoctum propinatur

pinatur cœliacis, dyſentericis, & ſanguinẽ reiícientibus. Idem in peſſo fœminarum abundantiam ſiſtit. efficacius habetur, quod ſub cortice trunci cartilaginoſum inuenitur, item quod ſub calyce exteriori glãdis, fœtus carnem cingit. Glans intrita cacoethica ſanat ulcera. Huius decoctũ cũ bubulo lacte toxicis aduerſatur, ſerpentiumq; plagis. datur & ex uino dyſentericis. Glandis cibus difficillime coquitur, uentrẽ aſtringẽs, & caput tentans.

Oxyacantha. Oxyphœnix. Cap. CVI.

OXyacantha, id eſt acuta ſpina, aliis pyxacanthos, aliis pyrina nominatur, arbor eſt ſimilis pyro ſylueſtri, ſed minor magiſq; ſpinoſa. fructum gerit myrti ſimilitudine, grandiuſculum, rubentem, fractu facilem, & intus nucleum, radice alta, multis diuiſuris præſciſſa. Noſtræ officinę Maurítanos imitatę, *berberim* hodie uocant: rura noſtra, quòd huius acinis uinum exprimatur, *ſpiniuinetam* appellant. aliqui *acrem ſpinum*. Nanq; arbuſcula eſt pyri ſylueſtris aſpectu, ſed humilior, ramis ex interuallo ſenticoſis, folio lentè per ambitum aculeato, acinis rubentibus, in pediculo iuxta & racemo pendulis, guſtu acido & ſubauſtero, duobus intus granis, radice numeroſa. Germinat ineunte uere, ab occaſu Vergiliarum fructifera, flore coronario, fructu cedri atque myrti, Olympo monte plurima, ſylueſtrium arborum frondis æternæ. E baccis uinum exprimitur eodem fere uſu, quo uinũ ex malo punico. Condunturitem acini uel melle uel ſaccharo ad reſtringendam ſitim, depellendamq; febricitantiũ malaciã, quorũ moroſum nimis palatũ cibũ ferè quencunq; reſpuit. elangueſcens appetẽtia grato huius acore recreatur. Longè diuerſum genus eſt, quod *groſſulam* fert uulgo dictam, ueteribus ſilentio prẽteritã, aculeato frutice, folio apij ferè, acinis cãdidis, & in maturitate dulcibus, in hortis frequẽs. Bacca huius nõ ingrata diſplicet acerbitate, magnamq; à palato init gratiã, quare iuribus innatat. Vere cũ primum pubet, in uſum uenit eadẽ acerbæ uuæ loco. Vulgus noſtrũ q; groſſulorũ quandã referat imaginẽ, & *groſſulariam* fruticẽ, & fructũ *groſſulam* nominat. Bacca maturitate dulceſcit in cibũ, qui tamẽ lautioribus menſis repudietur, grauidis mulieribus ſatis expetitus. Et alter frutex nullis planè ſpinis horridus, ſed topiarius magis, & uitis puſillæ folio, rubẽtis uuæ fertilis, ſapore ſubacido. ſepit eleganter hortorũ puluinos & areas. acini racematim cõgeſti pendent, quibus faſtidiũ cibi diſcutitur, & deperdita punici more mali adpetẽtia reuocatur. noſtris hodie *rubra groſſula* uel *tranſmarina* uulgò uocitatur. Sunt qui putẽt à Maurítanis *ribem* appellari. Acini ſapore placent acido. refrigerant æſtuantem ſtomachũ: ſitim reſtinguũt, quæ cũ alios, tũ maxime febricitãtes excruciet: cibi faſtidia diſcutiũt, & appetentiã inuitant: fœdã uentris proluuiẽ cohibẽt: uomitiones ſiſtunt: ſtomachũ firmant: proluuiũ alui retinẽt, quod flaua bilis attulerit: eroſiões & eiuſdẽ uellicatus tollit: ſanguinis feruorẽ demulcet, & bilis acrimoniã domat. Salgamarij ſaccharo uel melle cõdiũt ad anni totius uſum. Sed iã ad acutæ ſpinæ medicinas redeamus. Baccæ huius potu uel cibo aluũ ſiſtũt: abundantiã fœminarũ retinent: dyſentericis, cœliacis, ac cholericis proſunt. Radix trita & illita extrahit infixa corpori, ſagittas, ſpicula, haſtulas. Vtiliſſima et luxatis, tumoribuſq;. Authores ſunt uẽtre prægnãtis leni ictu ter percuſſo, aut peruncto radice abortũ cõtrahi. Oxyphœnix ſylueſtris eſt palma, frõde ſaligna uirens, pomo pruni, oſſe duro, nucleo intus exili, carne foris copioſa, colore è nigro in luteũ langueſcẽte. Recẽtioribus huius fructus nõ parũ exiſtimãtur, quos à ſaporis acrimonia oxyphœnica nominarũt, algentis naturæ cõtra flauã bilem pollentis. Non inuenio è ueteribus qui de hoc genere quicquam memoriæ prodiderit. Officinæ à barbaris edoctæ *thamarindos* appellare didicerunt. Oxyphœnicum probatur recens, quàm acerrimum ſapore, non exuctũ uetuſtate nec tabem aut marcorem ſentiens. Plurimum in India naſcitur, unde ad nos frequẽs mittitur: hinc thamarindum ſua lingua, quaſi palmulam Indicam, negotiatores nominant. Oxyphœnicum, ut Actuarius ſcriptũ reliquit, abceſſu ſecundo refrigerat & humectat. flauæ bilis impetus nihil æque domat, præter rheon Indicum. Arquatis auxiliatur: ſitim reſtinguit: doloribus capitis remedio eſt: noxios humores qui in uentre coierunt deijcit: appetentiam inuitat, cibi faſtidium abigit: nauſeas et uomitiones (ut eſt Oribaſius author) ſedat: ſyderationẽ, inſaniã, ac furorem mulcet. Tertianis febribus cũ rheo & caſia nigra prorſus eliberat. ardẽtibus quoq; ac incãdeſcentibus medetur. laterum inflammationibus cum mentha & apio potum auxiliatur.

dandi

dandi modus uncia. Animi nubila, ut Porphyrius ſcribit, ſerenat: triſtitiã diſcutit: noxas omnes à calore conceptas mitigat: deſtillationes quas bilis feruor excitarit, infrenat.

Pala, Paliurus. Cap. CVII.

PAla arbor eſt Indica, oſtentoſæ magnitudinis, folio longitudine triũ cubitorum, duum latitudine, nec abſimili pennis ſtruthiocamelorum, qui conos bellicos adornãt. Pomũ cui nomen arienæ è cortice exit, Indicæ ficus ſpecie cæterum longè maius, & omnino ſuauius, ut quo Gymnoſophiſtæ uiuant, uno quaternos ſatiante. Paliurus Dioſcoridi frutex eſt uulgaris notitiæ, aculeis frequens, duruſq;. ſemen ei pingue, fuliginoſum. Theophraſto, ut in fruticum genere collocatur, ſic in magnitudinem arboris adſurgit, cum maius capeſſit incrementum. Germinat ineunte uere, & ab occaſu Vergiliarum fructificat. Folia cum in extremo tum lateribus ſinuata conſidunt, quæ, ut rhamno, ſunt excidua. Fert in ſiliquis terna aut quaterna ſemina, lentorem quendam emittentia, ut lini ſemen, quibus contuſis medici contra tuſſim utantur. Amat naſci quemadmodũ & rubus, aridis, nec minus quoq; dilutis. Sentit paliurus nõnulla nationũ diſcrimina. Cyrenis laudatiſſima, ubi loton ſuam poſtponũt paliuro. Fruticoſior hæc, folio huic noſtrati ſimilis, ſed fructu diuerſo, ut qui non latus, ſed rotundus ruberq; ſit, nucleo qui non ſimul mandatur, acinorum punici modo. magnitudo ei quę fructibus cedri, paulo amplior, iucundus per ſe, atq; ſuauior etiam uino affuſus: quin & uina ſucco ſuo commendans. Paliurus ramis ſpinoſa, ueluti rubus, plurima in Africa: quippe apud Heſperides hac ad urendũ utuntur. Apud nos paucis antea annis frutex inuenitur, qui etiam arboreſcere poſſit, folio per ambitum laciniatim ſinuato, rotũdo, molli, ramis ſpini, quem albũ cognominant, modo aculeatis. baccis rotundis, rubris, myrteis, lõgè maioribus, guſtu iucũdo, qui et uinũ ſuauitate ſua cõmendet. condiuntur & grato ori cibo. Cœpit mea memoria propagari, inſita quantũ reor, albo ſpino. Qui colunt in hortis uelut alienigenam, & aduenam arborem, myrobalanũ appellant: hanc eſſe putauerim nullis ferè notis reclamantibus, paliurum Africanam, eam præſertim quæ non ſilicetur. Agathocles paliurum ab Alexandrinis conarũ uocari tradit, enatam primũ ſcribens icto fulmine ſepulchro, quã repręſentat, ulmi atq; pinus amplitudine, ramis frequẽtibus, prælongis, ſubaculeatiſq;, folio uiridi, rotũdo, molli, biferã. nã uere & autumno fructum parit, oliuæ phauliæ uocatæ magnitudine, cui & nucleo & carne ſimilis ſit, ſapore uincẽs. Crudus uirenſq; manditur: ubi exoleuit, farinã ex eo fieri, atq; ita eſitari, nec ſubactã, nec conſperſam aqua. Ichthyophagi piſcium carnes, ſemine paliuri conditas inueterant. Troglodytę ſucco paliuri pro uino utuntur uulgo: nam proceres florem quendam exprimũt, cuius liquor noſtrati muſto ſimilis traditur. Plutarchus eſt author in Coccygio monte paliurum arborẽ haberi, cui ſi uel beſtia, uel auis, aut aliud animal uolucre ſidat uelut inuiſcatũ cohærebit, præter cuculũ, huic enim ſoli parcit, & ne ſcripto derogetur fides Cteſiphonta citat in teſtem, libro arboribus dicato. De paliuro apud uarias nationes diſcrepãt hiſtoriæ, quæ facie multo diſſimili, ut apud ſe naſcitur, oſtendant. Inter omnes tamen conuenit, eam uiuis hortorum ſepibus dicatam, quòd ſuis minacibus aculeis noxium pecus abigat. Maro totius naturæ peritiſſimus, acutis ſpinis paliurũ ſurgere tradit, quod & Columella libello, quem de cultu hortorum ædidit, teſtatur, non improbans humum quæ,

Terga rubi ſpiniſq; ferat paliuron acutis.

Commẽdatq; ſpinarum maxima ſemina rubi, paliuriq;: loco quem ſepire deſtinaueris circũuallato duobus ſulcis, illita cũ erui farina funibus nauticis aut quibuſcũq; aliis reſtibus obſerẽda, ut uiuã ſepẽ excitet, qua hortũ ab incurſu hominũ pecudũq; munimus. De fructu parũ inter ſcriptores cõſtitit. Dioſcorides pingue ſemẽ ei fuliginoſumq; reddidit quaſi uelit oleoſam ferè naturã, & fuliginis modo digitis friabilẽ, uel quodã pingui fuliginis non atræ concretu conſtare. Theophraſtus ſemina lentorẽ quendam pinguem præſeferentia ſiliquis concluſit, ita ut ſimili ueri cõiectura poſſit colligi, Dioſcoridi id eſſe, quod hortos uiua ſepe cingit, *aubepinum*, hoc eſt albũ ſpinũ Galli nominãt, fruticẽ aculeatũ, folio minuto et fimbriato, flore candido, odoris ſuauiſſimi, baccis rubẽtibus, racematim coeũtibus, uliginoſis, duro intus oſſiculo, quo deturbãdis calculis & ciũdę urinę utunt, has uulgus *ſenellas* uocat. Theophraſto autẽ genus quoddã eſſe putauerim Aegyptiæ ſpinæ, quæ

inſtar

instar arboris insurgit frutice spinoso, semine in siliquis cõclusõ, è quo acaciam exprimũt. Non desunt qui id esse arbitrentur, quod *grosilierum*, uel *grossularem* uulgus appellat. nã & senticosi est generis ramulis uietis, & recto spinarum mucrone horridis, flore ex herbido candicante, folio fere rotundo, rudem apij effigiem exprimente, per ambitum laciniato, sparsis per ramos tralucidis granosisq; acinis, ad ciborum condimenta expetitis, folliculari specie in orbem fere uerticillata. Quorũ opinioni non ausim accedere, cũ etsi nonnulla consentire deliniationi putentur, plurima tamen reclamare etiam constat. Est & apud nos fruticis genus in mõtibus & asperis nascens, quo & sepes tam uiuas quàm structiles etiã rustici stipant. is uice foliorum spinarũ armatur uallo, flore luteo, siliqua breui, in qua pauca semina lata clauduntur. rura nostra *iuncum marinum*, uel potius *iomarinum* appellant. huic aliquantum adstipulari deliniatio uidetur, an tamen paliurus sit nõ ausim asserere, quòd ei spina pro folio sit. Paliuri semen Afri *zuram* uocant, contra scorpiones efficacissimum, item calculosis, & tussi. uenena serpentium expugnat. Folia astrictoriam uim habent, eorum decocto sistitur aluus, & urina pellitur. serpentibus eadem aduersantur. Contusa addito sale articulorum morbis imponuntur. Radix trita & illita discutit panos, collectiones, uomicas. trahit urinas pota.

Palma. Cap. CVIII.

PAlma quæ Græcis phœnix, latino Gallis nomine cognita est, arbor tereti ac procero quidem trunco, uerum densis gradatisq; corticum pollicibus salebroso potius quàm scabro, quibus ut orbibus, facilem se ad scandendum Orientis populis præbet: ramos à cacumine tantum spargit, folio arundinaceo, duplici, satis ad gladioli frondẽ accedente, nisi minus esset et tenuius, unde spathen Græci nominant. fructu (quẽ ijdem dactylos, latini palmulas, Franci *datas*, & *ficus regias* dicunt) alias candido, alias nigro, alias herbaceo, alias purpureo, oblongo, carnoso, ramis suis racematim dependente. Hæc arbor in Gallia, Italiáque sterilis est, in Beticæ maritimis quidem frugifera, sed immiti pomo, ut in Africa dulci, sed euanido: in Oriẽte ex ijs uina, gentiumq; aliquibus panis, pluribus uerò etiam quadrupedum cibus. Hanc Gallia quibusdam in locis serit, sed nec in Italia sponte gignitur, nec alibi quàm in calidis. fructuaria uero nusquam nisi in feruidis. Prouenit leui sabulosaq; terra, plurimum & nitrosa. Gaudet & riguis, totoq; anno bibere cũ amet, anno sitiẽti squalidoq; lætior est. quapropter etiã à fimo lædi quidã putant. Palmæ teneritas processũ lignescit. Vita in sico æquè ut in humore. Salsis sabulosisq; lætatur adeò, ut in Syria Cœle, tribus duntaxat locis ubi arenæ sint, exiliat, alibi computrescit, etiã si recentes earũ palmulæ suaues sunt gustu. nouellæ fructum nullo intus ligno ædunt, postea cum ligno. paucos fere palma ramos habet, læui cortice dũ adolescit, scabriore multo crassioreq; cũ senet, medulla omnino nulla. neruos tamen non per corpus totũ expandit, neq; prolixos, neq; positu eodem extensos, sed multifariã cunctos porrigit, materie tractatu facili, & cũ dolatur & serratur, molliore & lentiore quàm suberis. suber siquidẽ rigidius est: quare simulachra è palmis condere cœperunt, repudiata spretáque suberis materie, ut incommoda. cremata fumo infestat, de quo & Cheremonis poetæ carmen Theophrastus subtexuit, palmas ad uenas usque & radice tenus esse fumosas dicentis. Mari tantum flores, fœminæ statim fructus. è semine suo nascitur, præterquam Babylone, ubi & uirga seritur, inibiq; fructum copiosissimum largitur. In Græcia ne fructum quidem maturat, apudq; nonnullos nec fructum etiam ullum ostẽdit. Folia, fructũ, germina, propemodum cacumine gestat. quippe quũ uis tota genitalis in eius uertice resideat: quare decacuminata cõmoritur, nec tanquã esset adusta regerminat. In India palmas esse tradũt quibus folia non decidãt. Parte Africæ, qua nunquã pluit, in magnam proceritatem adolescere, feracesq; mirũ in modum esse uolunt. Ex urbanis ea perpetuo uiret, ramos perpaucos promens, succo dulci, ligno neruoso. Palmæ translatu gaudent, quanquàm in Græcia loci mutatione sterilescant. Deli longæua proditur. In mari nõnunquam uiuit cum terrestri magis constet natura: in Tylo quoq; nascitur insula. Salsum ab ijs, ut Theophrastus est author, solum diligitur: ergo ubi nõ est tale, salẽ aspergunt, non radicibus sed paulo longius amãdando. amant crebram rigationem. De fimo, ut idem tradit, inter scriptores nõ constitit. quidam ab eo prorsus abhorrere

horrere ſtatuunt, eaſq; quouis modo delectari negant. Alij uſum ſimi concedunt, inde cõſequi maius incrementũ adfirmant. Seruntur autẽ palmæ trunco duorũ cubitorũ longitudine, à cerebro ipſo arboris uiridi fiſſuris diuiſo atq; defoſſo, & ab radice auulſæ uitalis eſt ſatus, & ramorũ tenerrimis. In Aſſyria quoq; arbor in ſolo humido ſtrata tota radicatur, nõ in arborẽ, ſed frutices. Anniculas transferũt, & iterũ bimas, gaudẽt enim mutatiõe ſedis, uerna alibi, in Aſſyria circa Canis ortum, nec ferro attingunt ibi nouellas, ſed religãt comas, ut in altitudinẽ excant, nec uirgæ cõtorqueantur. robuſtas deputant craſſitudinis gratia, ſemipedales ramorũ relinquentes truncos, qui deciſi alibi necant matrẽ. Quædam in Syria in binos ſe diuidunt truncos, in Creta ternos, quædam in quinos. Ferũt ſtatim in trimatu in Cypro, Syria, Aegypto quadrimæ. alię quinquennes: alię altitudine hominis, 10
nullo intus pomi ligno quãdiu ſunt nouellæ, ob id ſpadonũ accepto nomine. Palmarũ genera plurima. prima fruticẽ nõ excedunt, ſterilẽ & hunc, & aliubi fertilẽ tradunt, breuiq; ramorũ orbe folioſum. Tectorij uicẽ hæc parietibus pleriſq; in locis præſtat contra aſperginęs. Sũt è proceriorib⁹ ſyluæ, arbore ex ipſa foliorũ aculeo circa totas pectinatim fruticãte, quas ſylueſtres intelligi neceſſum eſt, inſerta tamẽ libidine ut mitioribus ſe miſceãt. Reliquę teretes atq; procerę, corticũ orbibus gradatim ſcãſilibus, coma omnis in cacumine: & pomũ eſt non inter folia, ut in cæteris, ſed ſuos inter ramos palmitibus racemoſum. Vtraq; natura uuæ, atq; pomi. Folia cultrato mucrone lateribus in ſe bifidatis, bellas primum mõſtrauere gẽmas, nunc ad funes uitiliumq; nexus & capitũ leuia umbracula ſundũtur. Alio etiã genere cõtinentur humiles & pumilæ palmæ. Nanq; excepto cerebro uiuũt, & ab radicibus ſucciſæ repullulant. Fructu quoq; & foliis diſtãt. ſunt enim lato molliq; folio, ob id ſportulas, tegetes, & capitis umbellas eo contexunt. Longè diuerſa ab iis pelagica, fruticũ generis, in alto naſcens, fronde corroſa, breui caudice, uirgis rectis, parte ima nõ in orbẽ ſed in latitudinem ſigillatim ambientibus, continenti ſerie, aliquãdo tamẽ interrupta. Color toti plãtæ puniceus, ſurculis eius natura foliorum ſonchi Acanaceorũ. Omnibus ferè cũ arboribus tũ herbis diligẽtiſſimi quiq; naturæ utrũq; ſexũ aſſignarũt, nullis tamẽ cẽ palmis manifeſtius elucet. Mas in palmite floret, fœmina citra florẽ germinat, illicoq; fructum oblongũ oſtẽdit. Vtriſque prima naſcitur pomi caro, poſtea lignũ intus, hoc eſt ſemen eius. argumentũ, quòd paruæ ſine hoc, reperiuntur in palmite. Eſt autẽ oblongũ, non ut oliuis orbiculatũ, pręterea cæſum à dorſo puluinato, & in aluo media fiſſura, pleriſq; umbilicatum, unde primum ſpargitur radix. Seritur item pronum, & bina iuxta compoſita ſemina, ſupérque totidem, omnia tamen prona. Germen enim, ut idem Theophraſtus ait, non de ſupinis cauiſq; partibus mittunt, ſed è ſupernis. Plura ſimul ſeri debent, quoniam infirma ſingulis plantatio eſt. Quaterna melius coaleſcunt: ſiquidem horũ radices amplexu mutuo connexæ, in unum ex cunctis caudicẽ, primo ortu promiſcuo coeũt. Cæterũ nõ eſt ſilẽtio prætermittẽdũ quod Leontinus ueterũ teſtimonio fretus poſteritatis memoriæ mãdauit, tradẽs palmas uehementi ſe proſequi amore, ita ut altera alterã depereat, adeò eſt Veneris intellectus: nec prius ſtimulãte deſiderio cupiditatibuſque leuabitur, cẽ ipſam adamatus mas cõſoletur. Quandoquidẽ uidere licet pronã ſuis comis incũbere, impatiẽtemq; ſuũ grauari ſtabilimẽtum: quin & quaſi uiduam ſterileſcere, quæ res agricolam, non latet. Sed cuius amore deflagret, aut in quẽ maritandi cupidine ſolicitetur, incõpertum habet. Quapropter cõplures palmas inibi circiter obſitas digitis contrectãs, ac blandè demulcens, reuerſus ad hanc denuo quæ corripitur amore, & manibus hoc dato tanquã oſculo contingit: tũ quadãtenus ueluti refricato huiuſcemodi deſiderio denuncias, blandioribus comis perinde quaſi manibus in eũ nutat cuius cupidinis tabe peribat. Hoc uelut oculorum geſtu amorem confeſſa, ſeſéque huius ſtudio cõſtimulata, quaſi radicitus abijcit. Huius ueſaniæ remedia ſunt, ſi ſubinde manus ei admoliatur agricola. Quæ marẽ cuius inani amore capiebatur, attigerint, multo magis inſanus amor diſcutietur. Si maris flores trunco erutos idem amaſiæ capiti circũponat, hæc mariti orna mẽto colluſtrata fructum dabit, hocq; pignore amoris exhilarata fœcundabitur. Ratio ſerendarum palmarum ita ab eodem Leontino traditur, In excauatis binum cubitorum altitudine & totidem latitudine ſcrobibus, & aggere ſimo quolibet præter capríllum ſaginato, ſeſquipedem in altum completis, oſſa ſeu nuclei palmularum humantur, ea tamẽ

men conditione, ut eorum mucrones in Orientẽ ſpectent, dein terra ſtercore ſatiata poſt reſperſum ſalem adobruuntur. Quotidie dum germinent imbre rigantur. Sunt qui plantam transferant, alij uernaculo ſitu contenti ſic inoleſcere patiuntur. Cæterũ cum ſalſa humo gaudeant, quotãnis ablaqueare conuenit, & ſalem inijcere, ſic celeriter in magnã procritatem exibunt. Lætiores uberioresq; euadent, fece uini ueteris epota. Palmarũ ſemina non illico terræ credi debent, ſed fictiliũ fundo mandari, & ubi comprehenderint, trãſferri. Nobiliorem creari fructũ Democritus promittit, ſi inutiles uaginas thecas ue, quas nõnulli uocant helices florentes, ubi reſiccatæ fuerint, palmarum caudicibus, quemadmodum caprificos ficis, adpendant. Vberiores & proceriores adoleſcere pollicẽ Didymus, colata uini ueteris fece & radicibus offuſa: iuuari quoq; conſperſo itidẽ ſale. Addit & candidos & ad implexus tegetum ſportularumq; aptiores reddi ſpadices, ſi à termitibus euulſi uirides, quaternis diebus ſub tegmine condantur, poſtea ſinamus quatriduũ imbre rori do perfundi, deinde ſolibus dum inalbeſcant inareſcere. Simulacra ex hac ueteribus facti tari certum eſt. Palma, ut Ariſtoteles & Theophraſtus tradiderunt, non cedit oneri quãlibet ingenti, nec intra flectitur pandatur ue, ſed contra pondus reſurgit. Quapropter, ut inquit Plutarchus, in certaminibus ſignum eſt uictoriæ, quando huiuſmodi ligni ingenium eſt, ut prementibus urgentibusq; non cedat, ſed contra pondus renitens fornicetur. Hinc uictoria Græcis νίκη quaſi μὴ εἴκων, id eſt nõ cedens, dicitur. Ideo, ut inquit Pauſanias, certaminibus coronarijs non aliud ferè pręmium dabatur quàm palma, quòd Iaſios primus in equo ſeſſor, & dextra manu termitem gerens palmæ, Olympię uicilſet. Quamuis Græcia quatuor tantum, oleaſtro, pinu, lauro, & apio coronare uictores maluerit: Olympiæ oleaſtro, Delphis lauro, in Iſthmo pinu, Nemææ apio: reliqui omnes ferè certatores coronas è palmis contexta donabantur: ſed dextris geſtata, uictoriæ erat indiciũ. Hinc, ut idem refert, ductum, quòd è Creta reuectus Theſeus, cum in Delo cum Apolline certamen inijſſet, palmam deportauit: inde tracta primum origine, ut in certaminibus uictores palma coronarentur. Et, ut Plutarchus eſt author, primus in Delo Theſeus dimicãs, è ſacra palma ramũ auulſit, à qua, ut inquit, uulſione ſpadix is nominatus eſt. Etenim ipſos cum fructu termites baia & ſpadices Græci, præſertim Dorici, nominant. A quo & color equino generi ſpadix, aut ſpadiceus & phœniceus, hoc eſt palmeus, unde uulgò *baius*: alioqui phœniceus propriè is eſt color, qui uermiculus et puniceus uocatur. Partes unde fructus dependent, ſpathæ nominantur. Xenophon in ſecundo Anabaſeos ſcriptum reliquit, è palmis copioſam frugẽ, uinũ & obſoniũ trahi. palmas græcanicis non diſſimiles famulis obijci: delectas & corporis magnitudine & pulchritudine ſpectabiles, heris offerri. Quæ conſpicuo ſuccini colore micant, ſiccæ pro bellarijs exhibentur. uinum ex ijs ſuaue quidem, ſed caput tentans. Herodotus iuxta Babylonem ubiq; agris prouenire tradit, fœminas quæ preunes nominantur fructiferas eſſe, frugem, uinum, mel fundere: maſcularum fructus palmuliferis adalligari, ut ſeriorem balanũ maturent nec profluat. Ferunt eorum flores, quemadmodum caprifici, culices. Cacumini palmarum, ut Theophraſtus eſt author, cerebrum ineſt, quod Dioſcoridi medulla eſt. Cerebrum hoc comeſſe milites Xenophon prodit in ſecundo Anabaſeos, cuius permulti & ſpecimen & uoluptatis proprietatem admirabantur, ſed eſu dolorem capitis uehementem concitabat. hoc cum eruebatur cerebrum, tota palma, ut Nicander tradit, efferabatur. Diphilus Siphnius refert palmę cerebrum implere, & multam præbere alimoniam: grauans, difficulter in corpus diſtribui, ſi ti excruciare, uentrem ſiſtere. Palmulæ caryotæ celebrantur cibo, ſed & ſuccus earũ uberrimus eſt: ex quibus præcipua Orienti uina, capiti iniqua, inde pomo nomen. ex his acetũ & mella fiunt et farina. Babylone nuclei pro carbone ſunt, & pabulo quoq; iumentorum aqua macerati. Laudatiſſimæ in Iudæa, nec in tota, ſed Hiericunte maximè. Quanquam & Archelaide in pretio & Phaſelide & Libyade, gentis eiuſdem cõuallibus. Dos his præcipua, ſucco pingui lactẽtibus, quodam uini guſtu in melle prędulcibus. Tria caryotidum ſiue caryotarum genera. Nicolai ſicciores, amplitudinis uaſtæ, ut quæ cubitorũ quaternũ longitudinem compleant, ab Auguſto ita primo nominatæ, in honorem Nicolai Peripatetici philoſophi, crebro eas ad illũ miſſitantis, ut inquit Athenæus. uel, ut eſt author Plutarchus, Imperator Nicolaum Peripateticæ familiæ philoſophum amore ſingulari proſequebatur

quebatur, claris moribus, & egregia indole præditum quidem, sed strigosa corporis proceritate, rubicũdo uultu, à quo maximas pulcherrimasq; phœnicobalanos siue palmulas nicolaos appellauit, quę nomen adhuc retinent. Alterum genus minus speciosę, sed sapore caryotarum, sorores, unde nomen quo adelphides Græcis dicantur: proximam suauitatem habent, nõ eandem. Tertium genus omnino liquore madidum, rumpente se pomo in ipsa parente, calcato simile, ob id pateton Græcis appellatũ. Aristoteles in libro de stirpibus, eunuchos appellari scribit, quoddã genus palmulæ, quod alij enorchos uocẽt, qua si testiculares ac spadonias. Sunt & margarides authore Plinio, palmæ breues, cãdidæ, rotundæ, acinis quàm balanis similiores: quare à margaritis nomen accepere. In meridiano tantum orbe nascuntur, & quidem una earum tantum arbore in Chora, una et Syagrorũ, ut Plinius adfirmat. Diuersum tamen genus ab hoc faciendũ, quod palmidium audio nominari, non Siciliæ modo peculiare, sed & Aegypto & Hispaniæ. In Italia quoq; nasci perhibent non procul Terracina. Sunt, inquit Plinius, cæduæ palmarum syluæ, germinantes rursus à radice succisæ, dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrũ appellant, exemptoq; uiuunt, quod nõ aliæ, uocãturq; chamæriphes à Theophrasto, folio latiore ac molli, ad uitilia utilissimo, copiosæ in Creta, sed magis in Sicilia: nunc Romanum uulgus Siculumq;, quantum audio, *ciphilionem* mercatu eius frequenti nominat: aliqui palmidium, à quadam palma spadicum similitudine. Ex quibus scopæ fiant, *margylion* Hispaniæ modo uocitant, & bacculas rubentes margaritis similes ferant, quibus filo immissis, fœminę supplicationes precesq; suas numerant. Palmulæ Thebaides in totum arentes sunt, quemadmodum & Arabicæ, macro corpore exiles, & uapore assiduo crusta quàm cute uerius obductæ, Iudaicis, ut inquit Strabo, suauiores, etiam si duriores, nec alio tractu, Aegypto tota nobiles. In ipsa quidem Aethiopia friatur hæc, tanta est siccitas, & farinæ modo spissatur in panem. Gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotũdo, sed maiore q̃ mali amplitudine, cycas uocant. Triennio matureſcunt, semperq; frutici pomũ adest, subnascente alio. Hanc palmam chamæzelon uocatam à Dioscoride, hoc est pumilam. Aliud ab ea genus est quam Theophrastus chamæriphẽ appellat, hoc est abiectam, & repentem humi palmam, folio latiore atq; molli, ad uitilia utilissimo, copiosam in Creta, sed magis in Sicilia. Mirum quod traditur, in Aegypto etiam palmarum quarundam nasci truncis. In reliquo orbe duorum generum, sed eodem cespite proueniunt, mas & fœmina: sexum distinguí semine quod pappon appellant. Fallit hoc imprudentes, opertum cortice multiplici, tunicis ferrugineis interuestientibus. Cortex folij in latum ex angusto panditur et armatur aculeis, ideoq; latum & spinosum à Theophrasto dictum est. ex eius crassitudine in Aegypto charta modo tingitur, uilis ad contegendas inuoluendasq; segestrium usu merces. Ex tunicis quas intercursare diximus, in eadẽ prouincia funes rudentesq; nectuntur. Caulis cæduus quotannis, alioquin adolescit crassitudine in tãtum, ut arboris iustę truncũ æquet ambitu. Thebaidis fructus extemplo in cados cõditur, ni ita fiat, sui ardoris animã celeriter expirat, marcescitq; non retostus furnis. Eorum plura genera. Differunt figura rotunditatis & proceritatis. differũt & colore nigriores & rubentes, nec paucíores q̃ fico traduntur colores. maximè placent cãdidi. Distant & magnitudine, pro ut multi cubitũ effecere. quidam sunt nõ ampliores faba. Seruantur ij demum qui nascuntur in salsis atq; fabulosis, ut in Iudæa, Cyrenaica, Africa, nõ item in Aegypto, Cypro, Syria, Seleucia, Assyria. Quamobrẽ sues & reliqua animalia ex his saginãtur. Vitiati aut uetusti eius pomi signũ est, decidisse candidã uerrucam, quę in racemo adhęserit. Alexandri milites palmis uiridibus in Gedrosis strangulati sunt. Est enim tãta musteis suauitas, ut finis mandendi nõ nisi periculo fiat. Hebenus Aethiopica fere palmarũ generibus adscribitur. Syluestris palmæ fructus existimãtur à recentioribus, quos officinæ *tamarindos* nominant, & nõnulli à saporis acore *oxyphœnicas*, algentis naturæ, contra flauam bilem pollentis. Sunt qui folia eius salicis similia describant. Cæterum recentiorũ Græcorum sententiã suprà retulimus: nõ enim inuenio è ueteribus qui de hoc genere quicq; prodiderit. Galenus palmulis principatũ dedit Iudæis, & inter eas maxime cõmendat quæ in Hiericunte, quod Syriæ Palæstinæ oppidũ est, nascũtur, omnium dulcissimas, colore rufas aut luteas, neq; amplitudine, neq; exilitate insignes. Alioqui omnes stomacho nocẽt: tussim exasperant: iecur

rant:iecur inferctu uitiãt. Quòd ſi iam uiſcus hoc inflammatione uel duritia tententur,ſum mopere eorum cibo noxã trahit. non diſſimili obſtructionis iniuriæ lien patet. Caput gra uant,ægre coquuntur.Deterrimæ uirides,cum inflationes ficuum modo pariant.Cæterũ oleis uitibuſq; proxima palmis nobilitas tribuitur.Inebriant recentes : capitis dolorẽ ad ferunt minus ſiccæ, nec quantũ uidetur,utiles ſtomacho : tuſſim exaſperant. Corpus au gent.Succum decoctarũ antiqui pro hydromelite dabant ęgris,ad uires recreandas,ſitim ſedandã: in quem uſum præferebant Thebaicas.Sanguinem quoq; excreantibus in cibo maximè. Illinuntur caryotæ ſtomacho, ueſicæ,uentri,inteſtinis. cum cotoneis & cera, & croco ſugillata emendant. Nuclei palmarũ cremati in fictili nouo cinere loto ſpodij uicẽ efficiunt,miſcentq; collyrijs & calliblephara faciunt addito nardo.lignum quibuſdam oſ ſeum,limatũq; dente contra faſcinantes poliunt.Palma ut placet Dioſcoridi, in Aegypto erumpit.ſtringit crudiuſcula, media ferè maturitate, myrobalani Arabicæ figura,nomen ei poma:colore uiridi,odore mali cotonei. quod relinquitur ſolibus coquendũ,ſi mature ſcat,phœnicobalanus uocatur.Natura ei acerba & aſtrictoria ineſt. Aluum & mẽſes ſiſtit in uino auſtero.hæmorrhoidas cohibet:uulnera cõglutinat illitu.Ratio phœnicobalanis aſtringendi recentibus maior eſt q̃ ſiccis.Capitis dolorẽ adferunt:largiore cibo inebriant: ſicciores ſanguinẽ excreantibus,ſtomachicis & dyſentericis cibo utiles. ueſicæ tollunt ui tia cum cotoneo malo,& œnanthino cerato illitę. Caryotæ faucium medentur aſperitati. Thebaicarũ palmarum decoctũ potu æſtus ardoresq; reſtinguit. uires ex aqua mulſa po tu recreant. Ipſæ quoque ſi edantur eaſdem prębent utilitates.fit ex his uinum ad eadem efficax.Decoctũ earum in potu gargariſſatuq; uehementer ſpiſſat reprimitq;. Nuclei pal marum crudo fictili cremati & uino extincti ac loto cinere,ſpodij uicem efficiunt, miſcen turq; in calliblepharũ utiles. ſi non recte uideantur cõbuſti, denuo torrentur. Facultas ijs ſpiſſandi agglutinãdiq;.Puſtulas oculorũ & ſtaphylomata exterunt: palpebrarũ defluuia addito nardo coercent: excreſcentia cũ uino reprimunt ulcera,& ad cicatricẽ perducunt, in quem uſum præferũtur ex pumilis Aegyptiæ. Elaten Galenus tenellũ palmæ germen intelligit,Dioſcorides ipſum fructus integumentũ.Non ignorauit hoc Secundus cum in quit,Palmam elaten cõferre medicinæ germina,folia,corticẽ. Laudatur Ammoniaca ma xime,tum Aegyptia,demũ Syriaca, duntaxat in locis ſiccentibus, pinguí lachryma,quæ in unguenta additur.Palma,ut ſcribit Dioſcorides,quam modo elaten modo ſpathen ap pellant,inuolucrum eſt fructus è palma prodeuntis, unguento naſcens,quo ſpiſſamẽti lo co ad domandũ oleum unguentarij utuntur. Præcipua odoratę authoritas guſtu aſtricto, ponderoſæ,præcluſæ,internũ pingue cõtinentis.uſus ei aſtrictorius.Siſtit ulcera quę paſ ſcũtur:laxatos hiãtesq; cogit articulos. Trita miſcetur cataplaſmatis emplaſtriſq; ut quæ que cauſa exigit.Prodeſt præcordijs,ſtomacho torpẽti, iocinerũ uitijs.decocto capillum denigrat crebro ablutũ.Succus idem datur bibendus,renum,ueſicæ & uiſcerũ malis:uul uæ ac uentris fluxiones ſiſtit.Scabiem cum reſina & cera ſanat cortex eius tener,ſi uiginti diebus apponatur.fructus quem fouet ſuo cõplexu,elate etiam nominatur,à quibuſdam boraſſus,aſtrictoria & ipſe ui uſuq; ad omnia eadem pari,ſed nõ ſic ad unguenta quæſito. Alba caudicis medulla ſiue cerebrum recens in cibo aut decocta eadem prębſtat.Elate ſiue ſpathe imponit præcordijs,ſtomacho,iocinori,ulceribus quæ ſerpunt cicatrici repugnan tia. Pſoras cortex eius tener, cũ reſina & cera ſanat diebus uiginti. decoquitur ad teſtium uitia:capillum denigrat ſuffitu:partus extrahit.Datur bibendus renum uitijs & ueſicę,& præcordiorum . capiti & neruis inimicus. Vuluæ & uentris fluxionem ſiſtit decoctum eius.Item cinis ad tormina potus in uino albo,in uuluarum uitijs efficaciſſimus.

Papyrus. Cap. CIX.

PApyrus naſcitur in paluſtribus Aegypti aut quieſcentibus Nili aquis,ubi euaſ gatæ ſtagnant, duo cubita nõ excedente gurgitum altitudine, brachiali radicis obliquæ craſſitudine,triangulis lateribus. decem non amplius cubitorũ longi tudine,in gracilitatem faſtigiatũ thyrſi modo cacumen includens. Semine nul lo,aut uſu eius alio quàm floris ad deos coronandos.In Euphrate quoque naſci circa Ba bylonem intellectum eſt.Eundem uſum habere quem chartæ quæ præparantur ex ea, di uiſæ acu in prętenues ſed quàm latiſſimas philuras. Naſcitur,ut Theophraſtus narrat,pa

pyrus nō excedente bina cubita gurgitum altitudine, uolari hominis robusti brachialiq; radicis crassitudine. Obliqua hæc atq; densa non amplius q̄ cubitorum decem longitudinis, triangulis papyrorū lateribus, quibus terra multis partibus tolluntur, quaternis cubitis in gracilitate fastigiati, sustinentes comam ac thyrsi modo cacumen includentes exile, ad nihil utile, semine nullo. Radicibus incolæ pro ligno utuntur, nō tantū ignis gratia, sed ad alia quoq; utensilia uasorum, ut quę proba & alta materia sint. Ex ipso quidem papyro nauigia texunt: è libro uela tegetesq;, necnon & uestis genus & stragula & funes. Mandunt crudum decoctū, succo deuorato corpus expuētes. Scitur usus eius ueteribus & ad chartas. Nascit & in Syria circa lacū quo & calamus odoratus. Rex Antigonus in naualibus usus est rebus, funes ex eo faciēs. Sari in aqua iuxta paludes prouenit, ubi recedēs amnis plana dimisit, radice prædura flexuosaq;, triangulo caule, longitudinis duū cubitorum, & latitudinis pollicaris, coma papyri. Mandunt quoq; succū tantum deuorantes, radice carbonibus dicata, quibus ut duris fabri utātur ferrarij. Habetur & in Aethiopia & Ciminio lacu plurimū, sed alterius fortè generis, nec ad chartas utile. Quandoquidē Aegypto propria tribuitur, & biblos appellatur, parte eius quę delta & inferior pars nominatur. Nascitur in Euphrate circa Babylonē: alioqui in India quoq; Strabo biblum nasci scribit. Idem author, in parte Nili quæ dicitur inferior, abundare tradit eam, quoniā ibi præcipue colatur: & duorum esse generū, deteriorē & meliorem, quæ hieratica dicatur, unde & nomen chartæ Plinio. Nunc & alia eius officinis inuenta ratio, quippe cū ex papyri libro, in prætenues sed latissimas philuras acu diducto, quondam factitabantur chartæ, quarum ut in Europa nunc euanuit usus, ita nomen remansit. Etenim quam ex contritis hodie linteolis chartam passim conficiunt, ijsdem quibus & illa cōmendatam dotibus: quippe tenuitate, cādore, læuore, dēsitate Niloticæ nostra charta nō cedit, quam etiā uulgus illius imitatione *papyrum* uocat. Herodotus ueteri cōsuetudine pelles quoq; hircinas & ouillas biblos uocari tradit, q̄ ijs in penuria chartarū uteretur uita. Papyrus præcipuæ utilitatis cum inaruerit, ad laxandas siccandasq; fistulas, & intumescendo ad introitū medicamentorum aperiendas. Charta quæ fit ex ea cremata inter caustica est. Cinis eius ex uino potus somnum facit. Et ex ipsa aqua, impositū callū sanat. Dioscorides scriptū reliquit cognitā rem esse papyrū, unde chartæ cōficiantur, præcipuæ utilitatis cum madefactū & lino circūuolutum inaruit, ad laxandas quæ percluſæ sunt fistulas. Siquidem astrictū atq; demissum in hiatum completur uligine, & intumescendo fistulas aperit, ut medicamentis pateat introitus. Habet nescio quid alimēti radix, ac esui tenerū, quod mandunt Aegyptij, succum tantū deuorātes, & māsum corpus expuentes. Radicibus incolę pro ligno utunt. Cremati cinis nomas in ore cæterisq; partibus grassantes cohibet: sed efficacius cōbusta charta præstat. Vidimus è papyro persępe scipiones baculosq; triquetra specie, lęues ac perpolitos, quibus caduca senectus, aut imbecilla fulciatur iuuenta. Chartam cuius usu maxime humanitas uitæ constet & memoria, Alexandri Magni uictoria repertā author est Marcus Varro, cōdita in Aegypto Alexandria, antea non fuisse chartarū usum. palmarū foliis primo scriptitatū: deinde quarūdam arborū libris: postea publica monumenta plumbeis uoluminibus aut ceris. Pugillariū enim usus ante Troiana tempora inuenitur apud Homerum. mox priuata linteis fieri cœpta. Idem Varro supprimente chartas Ptolemæo, membranas Pergami tradit repertas. Has adhuc hodie pergamina ab inuētrice natione (ni fallor) nominant. Nunc promiscue patet usus rei, qua constat immortalitas hominū. Emporetica charta scribendo inutilis, inuolucris chartarū segestriumq; in mercibus usum præbet, & ideo à mercatoribus cognominata. Post hanc papyrū est, extremumq; eius scirpo similе, ac ne ad funes quidem, nisi in humore, utile. Texuntur omnes tabula madente Nili aqua. Turbidus liquor uim glutini præbet, cum primo supina tabula scheda illinitur longitudine papyri, quæ potuit esse segmentis utrinq; amputatis. trāsuersa postea crates per agitur. premuntur deinde prælis. Nunq̄ plures scapo q̄ uicenæ. Nostrates chartæ contritis in lanuginē linteolis, tabulis glutino madentibus, premuntur prælis, & siccantur sole, atq; inter se plagulæ iunguntur. Laudatur eisdem quibus Nilotica dotibus, ut insit cādor, tenuitas, læuor, densitas. Scabritia læuigatur dente concháue: sed caducæ literæ fiunt, minus tamen forbet. Politur & charta ut magis splendeat. Fidelior est & minus bibula, quæ

mediocri

mediocri & redundante glutino texta coaluit. Glutinum è pollinis flore temperatur feruente aqua, minimo aceti respersu. Nam fabrili à gummi cõmissuræ fragiles sunt. Diligentior cura, molli panis fermentati colata aqua feruente, minimũ hoc modo intergerij, atque Nili lenitas superatur. Rebellat sæpe gluten incuriose datum. Deprehenditur cum fuerit indiligentius, & lentigo oculis, sed medijs inserta glutinamentis ceu tænia. Bibula charta literã transfundit, quod uitiosi glutinis argumentũ est: quod nec uetustius uno die esse debet, nec recentius. Malleo tenuatur, & iterũ glutino percurritur, iterũque constricta erugatur, atq; extenditur malleo. Linteolaris ergo charta eisdem uiribus quibus papyracea pollet.

Persea. Cap. C X.

Persea arbor sui generis Aegyptia Straboni celebrata altitudinis eximiæ, grato aspectu, materie ut celtis atra, folio, flore, ramo pyri, coma perpetua, neq; non immortali fructu, quando nouus anniculum occupat, Caniculæ exortu matureſcens. Huic pyri magnitudo, figura oblõga, amygdalæ modo putamine includitur & corio: color herbidus. Nucem intus quemadmodum prunum continet, uerum longe minorem mollioremq;, pomo dulci, suaui, concoctu facili, & quamuis immodice sumatur innocuo, radice prægrandi. Ex hac Aegyptij simulacra, lectos, mensas, & cætera id genus construunt, materie tenui non tam grata q̃ fideli. Theophrastus perseam pyro similẽ per omnia fecit, hilarem intuitu. Semper autem folia habet, & poma subnascẽtibus alijs. maturitas Etesiarum afflatu. alio tempore crudiuscula decerpunt, ac reponunt. Magnitudo longioris pyri, amygdalæ putamine clauditur & corio coloris herbidi. nucem intus habet ut prunum, sed minorẽ multo mollioremq;. Suauitas carni prædulcis & innocua etiam largiorem mandentibus, concoctu & deiectu facilem, radice prægrandi. materies longitudine, crassitudine, copia inter commodissimas, bonitate, firmitudine, nigritia quoq; nihil differens à loto, quam fabam græcam uocant Latini. Simulacra, lectulos, & cubilia factitauere non tam decoro ligno quàm fideli, ut quod magna ex parte sit contortum. Proinde nauale tantum esse cœpit. Aegyptus, ut Plinio placet, persicam arborem sui generis habet, similem pyro, folia retinentem. Fertilitas assidua eius, sub nascente crastino fructu. maturitas Etesiarũ afflatu. Pomum longius pyro, inclusum amygdalæ putamine & corio, colore herbido: sed ubi nux illi, differens breuitate ac mollitie, et quamuis blanditur prædulcis suauitas, innocuum. Materies bonitate, firmitudine, nigritia quoq; nihil differens à loto. Simulacra ex ea factitauere, non eadẽ gratia, qua fideli materie, sed magna ex parte contorta. naualis itaq; tantum est. Perseam è Perside in Aegyptũ translatam à regibus tradunt, propter supplicia, quoniam uenenata ibi esset. quod eruditiores constanter negant, sed à Perseo Memphi satam fatentur. Ob id Alexãdrum illa coronari uictores instituisse, in honorem ataui sui. eam aliqui rubescentibus myxis similem fecere. Alia omnino est à persicis, de quibus mox dicemus, nec extra Orientem nasci uoluit. Plutarchus author grauissimus, perseam arborem inter omnes Isidi gratissimam, & in Aegypto maxime celebrari tradit, quia fructum ferat cordi similem, foliũ uero linguæ. Huic porro Columellæ uersus illi fortasse dicantur,

Quin etiam eiusdem gentis de nomine dicta,
Exiguo properant mitescere persica malo.

Dioscoridi Persea Aegypti arbor est, fructũ ferẽs cibo idoneũ, stomacho utilẽ, in quo phalangia inueniunt, quæ cranocolapta noiant, maximeq; in Thebaide. Folia huius sicca tritaq; eruptiones sanguinis illitu sistunt. Quidã prodidere uenenatã in Perside arborẽ eam gigni, sed in Aegyptũ translata mitigatũ cælo pomũ euasisse tenerũ esui. Galenus in Alexandria perseã se uidisse testatur, magnis arboribus cõparandã, cuius ut tradunt (inquit) pomũ in Perside tam præsentis est ueneni ut uescentes interimat. In Aegyptũ uerò translatam & peregrinatione mitigatam, poma ferre cibis idonea, turbinata pyri facie.

Persica. Cap. C X I

Persicam ex Perside fuisse arborem uel ipso nomine constat, indeq; primum aduectam. Scatent ea Galliæ, sed inter cæteras malos humili ex pumila, folio amygdalæ maiusculo, flore subpunicео, pomo carnoso, succulento, extrinsecus lanuginoso, dura intus & scabra nuce, in qua nucleus qualis amygdalis,

Matureſcit autumnĩ exitu celerrimè marceſcens. In totũ quidem perſica peregrina Aſiæ, Græciæq; eſſe nomine ipſo apparet, atq; ex Perſide aduecta. Theophraſti temporibus in Aegypto & uicinis locis ferebat, in Rhodo ad florem uſq; perueniens, quod primum ab Aegypto uenienti fuerat hoſpitium. Inde rhodacina fortaſſe uernaculo Græcorum ſermone dicta, niſi quis inuerſum nomen putet quaſi doracina, ſic enim perſica ipſa nominãtur à Græcis recentioribus, Paulo & Aetio, quaſi duracina. Falſum eſt uenenata cum crucia/tu in Perſis gigni, & pœnarũ cauſa à regibus trãslata in Aegyptum terra mutata. Id enim de perſea diligentiores tradunt. Perſicæ arbores in Rhodo florent tantum. loci uitio infructuoſæ peregrinæ, quarum Græca aut aliena nomina. Perſici ante brumã per autumnum ſeruntur, quarum non minima gratia eſt. Nouembri menſe calidis locis, cæteris Ianuario. Perſici oſſa in paſtinatis areis ſunt ponenda, binis à ſe pedibus ſeparata, ut cum inibi plantæ excreuerint, transferantur. Sed oſſa obruantur cacumine deorſum uerſo, & non altius duobus tribus ue digitis humentur. Sed quæ ſerenda ſunt oſſa, nonnulli paucis prius diebus in qualis cineris miſtione terra ſoluta reſeruant. alij ſine ulla cura. Qualibuſcunq; proueniũt locis. Sed & pomis, & frondibus, & durabilitate præcipua ſunt, ſi cælum calidum, ſolum arenoſum & aridũ ſortiantur. frigidis uerò & maxime uentoſis, niſi obiectu aliquo defendantur, intereunt. Dum tenera ſunt germina ſæpe herbis circumfoſſa liberentur. Bimam plantam rectè transferemus ſcrobe breui. Nec à ſe longè ſtatuẽdæ ſunt, ut inuicem ſe à calore ſolis excuſent. Ablaqueandæ per autumnum, & ſuis ſtercorandæ folijs. Colluuidum per idem tempus perſicus, ut arida & putria tãtum uirgulta tollantur. Nam ſi quid uiride reſecetur, obareſcit. Arbori languenti ueteris uini feces, aquæ miſtæ ſuffundantur. Si arbor ardore ſolis ſiccata contabeſcat, frequenti aggeſtione cumuletur. Veſpertino iuuetur humore, obiectis defendatur umbraculis. Prodeſt in ea quoq; ſpolium ſerpentis appendi. Cõtra pruinas perſico ſtercus ingeratur, uel uini feces cũ aqua permiſtæ, uel, quod magis ualet, aqua in qua faba fuerit incocta. Si uermes arborem infeſtent, eos cinis amurcæ miſtus extinguit, uel bouis urina cum aceti tertia parte confuſa. Si poma perſici caduca ſunt, nudatis radicibus, uel trunco, lentiſci uel terebinthi cuneus adigitur: uel terebratis in medio, palus ſalicis imprimitur. Si poma rugoſa creabit, aut putrida, circa imum truncum cortex recidatur, & cum inde modicus effluxerit humor, argilla uel paleato luto plaga retegatur. Grandia poma perſicus defert, ſi florenti per triduum terni caprini lactis ſextarij ingerantur. Contra uitia perſici proficit illigatũ ſpartum, uel ſuſpenſa ramis ſparteа. Inſeratur ſurculis plenioribus & prope arborem natis, Ianuario uel Februario frigidis, Nouembri calidis: aliàs cacumina, uel non tenebunt, uel durare non poterunt. Inſeritur in ſe, in amygdalo, in pruno: ſed armenia, uel præcoqua prunis, duracina amygdalis melius adhæreſcunt, & tempus ætatis acquirunt. Menſe Aprili, uel Maio locis calidis, in Italia uerò utroq; exeunte, uel Iunio perſicus inoculari poteſt (quod emplaſtrari dicitur) præciſo ſuperius trunco, & emplaſtratis pluribus gẽmis. Perſicus rubeſcit, ſi platano inſerta figatur. Adfirmant Græci perſicum inſcriptum naſci, ſi oſſa eius obruantur, & poſt dies ſeptem, ubi patefieri cœperint, apertis his, nuclei tollantur, & ijs cinnabari, qua libuerit effigie, deſcriptis ligati, mox cum ſuis oſſibus diligentius adhærentes humentur. Perſica malus, ut Græci ſcribunt, gaudet aquoſis. ſi non talem ſortiatur locum, aſſiduo potu deſiderat inebriari. hũc in modum iugi rigatu ſatiata, maiora multo poma creabit. Complures interlegẽda cenſent, quæ ubertate nimia matrem onerauerint, ut arboris ſuccus ad relictorum nutrimenta pomorum conuertatur: ſic enim ſaliuæ copia in pauciores fœtus ſe conferens, altili ſaginat incremento. Habitu lætiore plantulæ gliſcunt, quæ uerſatis in ora frequenter oſſibus, relicta carne lignum inuoluente, & ita depoſitis, proſilierunt. Arbor hæc celerem ſentit ſenectam. Inſeritur pruno, amygdalæ amaraæ. Verum quæ ex oſſe perſicæ prouenerit, Græcis agriculturę peritis barbillos appellatur. Inſcripta perſica naſci putat Democritus, ſi exeſo corpore internũ os triduo madeſcat in aqua, dein aperto ſenſim ligno, nucleus intus inuentus cortice tenus ęneo ſtylo non alte quibus placebit literis exaretur: dein papyro uel charta inuolutus, commiſſis carinis feratur. quod enim in eo amygdalo depinxeris, hoc enatũ inde pomum repræſentabit. Nec ſecus Græci inſcripta amygdala aſſerunt naſci, ſi aperta teſta nucleum tollas, & in eo quodlibet ſcribas, iterumq; luto

aut ſuillo

aut ſuillo ſtercore conuolutum reponas. Rubra naſcentur, adfirmante Democrito, roſis ſub arbore cõſitis. Altera ratione rubra creari promittit, ſi poſt ſeptem dies q̃ patefieri cœperunt (nam ſponte totidem diebus aperta fatiſcunt) in oſſium internos uentris ſinus cinnabarim infundas, mox ut cohæreant, ſtrictim obligata ſimul cum ſuis nucibus obruas. ſic rubra dabunt arbores perſica. Si alium quemuis inſtillaueris colorem, in talem enata progenies degenerabit. Perſicus rubeſcit authore Didymo, quæ platano inſita coaluit. Sine oſſibus perſica naſci tradit Africanus, ſi in perforatũ truncum extuſa medulla, ſalicis uel corni palum adegeris. Perſicorum genera quatuor. Palma duracinis, nationum habent nomen Gallica & Aſiatica. Poſt autumnum matureſcũt, ſicut æſtate præcocia, quæ Plinius intra triginta annos inuenta prodente ſe teſtatur, & primo denarijs ſingula uænũdata. Supernatia è Sabinis ſunt, popularia ubique. Pomum innocuum expetitur ægris, pretiumq; ſingulis iam triceni nummi fuere: nullius maiore, quod miremur, quia nõ aliud fugacius. Longiſſima quoque decerpto bidui mora, cogitq; ſe uænundari. Nullus perſicis ſuccus, odor dilutus, cum duracina abundẽt ſucco. Omnibus foris corpus, intus lignum nucum. carne cuteq; conſtant, quæ ſtatim recedit à ligno perſicis: duracinis adhæret corpus, è ligno q; auelli nequit, cum in cæteris facile ſeparetur, inde forſitan nomen. Perſici poma ſine ſuis oſſibus naſci uolunt qui ſeſe aſſerunt expertos. brachij craſſitudine ramum ſalicis ſolidum, longum cubitis duobus, iubent perforari in medio: plantam perſici ramis omnibus ſpoliatam ſolo capite relicto, per impreſſum foramen induci loco in quo cõſiſtit. tunc eundem ſalicis ramum capite utroq; demerſo in arcus ſimilitudinem incuruari, foramen luto, muſco, uinculisq; aſtringi: anno deinde exacto, ubi infra medullã ſalicis caput plantulæ ſic cohæſerit, ut unitas ex duobus miſta corporibus contrahatur, plantam ſubterinci di atq; transferri, terramq; aggerari, quæ ſalicis arcum cum perſici cacumine poſſit operire: ſed hoc locis humidis uel riguis conuenire. Salices aquationibus iuuandas ut tigni natura uigeat, quæ humore delectat, & copiam ſucci germinibus miniſtret alienis. Tria pomorum obſeruant genera, poſteritas innumera pene fecit. Populare uulgo notũ eſt *peſche* uocabulo. Duracinum ex re dictum, quòd corpus pertinacius hæreat oſſi quàm ut auelli queat. Galli *preſſum*, quòd caro ligno interiori apprimatur. In quo etiam genere reperiuntur poma quæ ſanguineo ſucco manus inficiant. Præcox ante perſicum officinis, uulgo *Trecacinum*, quòd inde ad nos adferatur æſtate matureſcens. Hoc ut reliquis eſt minus, ita iucundiſſimo, cætera præueniens, placet ſapore, atq; innocẽti guſtu, ut quod impunè manditur ægris. Nec figura, nec ſucco, nec guſtu, nec colore, ſed ſola celeritate proueniẽdi diſſidet à uulgari. Armeniaca peregrina & ipſa nomine cognoſcuntur. Armeniaca uocari deſita & præcocia tantum dici teſtis eſt Galenus. De quibus cecinit Martialis,

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis perſica ſola ſumus.

Armeniaca prunorum generis eſſe tradunt, ſola è prunis odore cõmendantur. Græci nõ præcocia, ſed ferè bericoca pronunciant. Hinc ut arbitror, ducto uulgi nomine *abricoca*, uocantis, utrinq; potius pruni quàm perſici & naturam & faciem referre uidentur: quanquã diuerſi generis eſſe multis placet. Perſica ſalgamorum ſtudioſi in prouentum alium cadis condiunt. Duracina ſeruantur obruta muria, uel aceto mulſo, uel detractis oſſibus ficorũ more ſiccantur in ſole ac pendent. Item ſæpe oſſibus exemptis, duracina melle condiuntur, grato ſapore ac iucundo. Item optime ſeruantur, ſi umbilicus pomi gutta picis calentis oppleatur, ut ſic uaſe concluſo, ſapæ cogatur innatare. Succus perſicorum, ut eſt Galenus author, facile corruptionẽ ſentit, ac noxam adfert: quapropter poſtremo cibo ſumenda non ſunt, ut moris eſt pleriſque. innatant enim ſtomacho, & quicquid præſumptũ fuerit unà ſecum in corruptionem trahũt. Itaq; primis menſis ſumi tolerabilius fuerit. Sic celeriter diſcedentia ſternunt alijs uiam commode præeuntia: reliqui cibi facilè lubrico meatu ſequentes elabuntur. Innocentiora armeniaca præcociaq;, nec ſimiliter corruptioni patent, neq; acorem contrahunt, ſuauiora ſtomachoq; commodiora. Cæterum præcocia armeniacis meliora cenſentur, exigui ut reliqua poma, nutrimenti. Sed noſtrũ uulgus hoc ſibi perſuaſit, nucleo ſuo noxã expediri, quã impediens perſicum attulerit. ita uulgatũ Gallis adagiũ, Malum quod implicuit perſicũ, nucleus explicat. Nec eſt alius Plinio authore

t 4 his pomis

his pomis innocentior cibus: nusquam minus odoris, succi plus, qui tamen sitim stimulet. Folia eius trita sanguinis eruptionem sistunt. Nuclei persicorum cum aceto & oleo capitis doloribus illinũtur. Persica poma duntaxat matura, tam stomacho quàm uentri utilia. cruda aluum cohibent, sed passa uehementius. Persicorum quæ siccata sunt decocto fluxiones stomachi uentrisq; supprimuntur. Infra magnitudinẽ eorum sunt armeniaca, quæ Latinis præcocia nominantur, magis superioribus stomacho salutaria sunt. Armeniaca à præcocibus distinxisse Galenus uidetur, cum præcocia præferat armeniacis. Folia puerorum umbilicis imposita, tineas enecant: eorundẽ succus uermiosis auribus instillatur. Nucleum improbitati succi diximus occurrere: noxa uino discutitur.

Picea. Pinus. Cap. CXII

PInus latinum quoq; in Gallia nomẽ habet à pinnato foliorum cacumine, arbor uulgo nota. Iam duo tantum apud nos obseruantur genera, sylueſtris et urbani discrimine. Hanc pinum uocamus, non nisi à uertice ramosam, folio pectinum modo dissecto promissoq;, ac mucrone aculeato, conis lignosis frequenti nucamento in turbinatam effigiem compactilibus, in quibus nuclei singulis cameratis toris inclusi. Sylueſtre pinastrum appellant, eximiæ proceritatis, sed à medio statim caudice ramosam. Pinus & pinaster folium habent capillamenti modo prætenue longumq;, & mucrone aculeatum. Pinus fert minimum resinæ: interdum ex nucibus ipsis. Pinaster nihil aliud est quàm pinus sylueſtris, mira altitudine, & à medio ramosa sicut pinus. in uertice copiosiorem dat hæc resinam. Picea larici simillima est, folio breui, setæ proximo, crassiore tamen duroq; ut cupressis, immortali uirore: ad laricis uerò comam collisо, rariore, siciore, tenuioriq;, ac magis algenti: rami statim ab radice modici uelut brachia lateribus inhærent, materie abieti proxima. frequens in Alpibus Coctijs uisitur, fundens resinam thuri usq; eo similẽ, ut pro eo sæpe fallat, & odor adest non ingratus. Nuces pineis similes, sed minores, ut & arbos tota pino humilior graciliorq;. Differt à pinu picea, q̃ pinguior ac tenuior folio est, quodq; minus alta, minusq; recta quàm pinus adsurgit: præterea & conũ minorem ac magis algentem, nucleos quoq; resina perfusos obtinet. Vtriq; folium capillamenti modo prætenue, ac breui seta uillosum, crassiore, duraq; ceu cypressis. materies cãdida & abieti similior. Pinus ustis radicibus nõ repullulat, picea repullulat, ut in Lesbo accidisse Theophrastus scribit, incenso Pyrrhæi montis nemore, quod piceis scatebat. Picea ueteribus est quam Græci pityn fere uocant. Huius speciem Theophrastus phthiropœon, hoc est pediferam tineosamq; nominat, quia totis paniculis nõ prima tantũ in parte ut abietes, nucleos & minores & nigros habeat, sed ipsas quoq; paniculas minores graciliores q;. Sunt aũt paniculæ, nucamẽta quædã quæ è ramis arborũ resinam fundentium callo squamatim cõpactili dependent, prẽterq; larici. Negant aliqui florere piceã, sed uiceforis esse nucamẽta, q̃ cittaros Græci uocãt, grossis præciduis fici proportione respõdentia. hæc cõpressiora maribus sunt, ac minus resina madent q̃ fœminis. Prævenit germinatio huius florẽ abietis, quia paulo ante solstitiũ erumpit, diebus ferè quindecim, & ad proportionẽ fructificat post Vergilias. Sed scire cõuenit Plinio ferè larici tribuisse, q̃d Theophrastus de peuce, hoc est pinu prodidit. Decacuminatio, quã Græci uocãt epicopen, piceæ, pino, abieti, palmæ, aliqui addũt & cupresso & cedro, perniciẽ adferre perhibetur. Picea mõtes amat atq; frigora. Feralis arbor et funebri indicio ad fores posita, ac rogis uirẽs, iam tamẽ in domos recepta, tonsili facilitate. rami penè statim ab radice modici uelut brachia lateribus inhærẽt. Hęc plurimã resinã fundit, interueniente cãdida gemma tam simili thuri, ut mista uisu discerni nõ queat, & inde seplasiæ fraus & adulteria Asiæ. In Hispania et piceastri sunt. ex quibus resinã, unde pix coquatur, colligũt. Pinus procera est. Hanc uecte solicitatã octo cubitis longiorẽ effici, Theophrastus adfirmauit: nec radice quidẽ solida, sed abrupta. Germinatio cœpta in pinu, sicut in robore abietecq; intermittitur: ideoq; turget ter, & terna ædit germina. quod genus arbores, trislepi Græcis appellãtur, quæ ter inchoatũ opus, intermissumq; repetant. Theodorus Gaza ter squamosas, quasi trilepros legendũ esset, aperto errore interpretatus est. Germinatio prima Februario ineũte, quam in monte Ida serius, ac ferè Idibus. Secunda mense Martio, qua & omnis galla gignitur. Aprili tertia, paucioribus interiectis diebus quàm inter primã & secundã fuerant.

Cæditur

Cæditur uere ubi tantum cortex detrahendus est, ad operum rotunda: nam ad quadrata, ubi germinatio desierit, & si ualidior quæratur, etiam ubi fructum excoxerit. sed tunc uermiculi quidam sub libro nascuntur, qui summotenus corticem non erodant, sed uelut inscribant: unde quibusdam sigilla. Hoc nō in pino tantum uel larice euenit, sed in omnibus quæ post fructus maturitatem cæduntur. Et illa communis ijs omnibus in arte, fabricáue distinctio, ut alię quadrifidos uenarum cursus habeant: bipartitos aliæ, uel omnino simplices, hoc est, ut Theophrastus inquit, tetrazoos, dizoos & monozoos: quæ manifesto errore, Gaza cōuertit quadriuiuas & biniuiuas & uniuiuas. Ex pino nauigiorum rotunda fiunt & onerarijs carinæ, quanq; nec è quercu negligunt: sed illa magis triremibus idonea est. Excusores carbonem pini, querno præferunt, non quia uiribus parem, sed quòd ad flatum commodius respondeat, nec ut quernus marcescat. Resina huius à germinatu tollitur, detracta prius teda. Ex omnibus resinam ferentibus scandulas è pino firmissimas esse cōstat, ex cæteris faciles omnino, sed imbecillas. Materies uerò præcipua trabibus & plurimis uitæ operibus: expetitur quoq; nauigijs. Resina ei uitium, unde fructus unus piceæ: exiguumq; sudat aliquando contactu solis. Materies pulcherrima ad fissiles scandulas, cupas, & alia quædā secamenta. Situs in excelso montium quasi maria fugerit. amat montes atq; frigora. Folium pino pinastroq; aculeatum mucrone, prælongū, exile. Pinus fert minimum resinæ, interdū ex ipsis nucibus, uix ut ascribatur generi. aduersus cariem tineasq; firmissima. Noxia eius umbra necat germina pinus, sed uentis resistit. Si quis pino cacumen auferat, sterilitatem non necem adfert. Pinaster nihil aliud quàm pinus syluestris, mira altitudine, & à medio ramosa, sicut pinus in uertice. copiosiorem dat hæc resinā. Gignitur & in planis. Easdē esse arbores alio nomine per oram Italiæ quas strobilos Plinius uocari existimat, è natalīū cognatione sic dictas, sed graciles succinctioresq; & enodes, liburnicarum ad usus, penè sine resina. cura degenerāt. Hæc omnia genera accensa fuligine immodica, carbonem repente expuunt, cum eruptionis crepitu, eiaculāturq; longè excepta larice, quæ nec carbonem facit, nec alio modo ignis ui consumitur quàm lapides. Omnia ea perpetuo uirent, nec facilè discernuntur in fronde, etiam à peritis: tanta est naturæ materie. Aliqui duo genera faciunt. in Troade, montanum siue Idæum, recta, celsa, crassa materie, nucibus oblongis, uiridibus, sero dehiscentibus, utpote syluestrius, pice copiosum: maritimum, folio tenuiore infirmioreq;, cortice læuiore, & corijs utiliore quàm Idęi, nucerotunda, breuiq; aperienda, ualida & robusta materie. Alij, ut Macedones, marem intelligunt sterilem, breuiorem, folio duriore. Fœminam proceram, folijs pinguiter mollibus & simplicibus atque non rigentibus. Lignum maribus retorridum, pręcinctum medulla, durum & ad fabrorum opera contortum. Nigrior radix fœminæ, mollius & omnino tractabile securibus. Pinus fœmina habet quam Græci uocant ægida, mellei coloris, pictorum tabellis immortalem, nullisq; fissilem rimis. proximum medullæ cor pinus. Nascitur hæc in fœmina dūtaxat, ut quæ minus tedacea sit quàm mas, leuigatior ac probior cursu meatuum. Ficum uocant Idæi tedarij, cum grandium arborum medullæ securis adigitur: quibus prostratis, partes candidæ, ambientesq; computruerunt, colore uehementer abiecto, & neruo prætenui. Nam id quod in pinu rubidius teda nascitur, mares potius habent q̄ fœminæ. Hoc maribus tātum accidit, & odore grauissimo est, neque tedam redolens, nec ardens, sed ab igni resiliens, syce dicta. Pini morbus est ut teda fiat, tam parte caudicis externa quàm corde: id quod abundantia succi, & ubertate larga luxuriantis naturæ prouenit. Mares hanc tātum ferunt. In quo noscendum: permulta quę de pino Theophrastum sequuti diximus, ea larici à Plinio adscripta sunt: nec mirum, quando & perpetua fronde larix, & situs idem qui piceæ in montibus, eadem'que facies. Materia præstantior longè, incorrupta uis, mori contumax, rubens, odore acrior. nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis ui consumitur quàm lapis, cum cætera quæ picem et resinam fundunt, immodicè accensa carbonem expuant, cum eruptionis crepitu, eiaculanturq; longè. pluscum huic melleo colore atq; lentiore, nunq; durescenti. Teda propriè dicta, à Græcis das & dadion uocata. Sed sui generis arbor in Illyrico est, redundantior humore quàm reliquæ, parcior liquidiorq; quàm picea, flammis & lumini sacrorū quoque grata. Improprie autem tedas appellamus, tum piceæ satiuæ partes imas, tum alia quoq; ligna quę flamma

olei uel

olei uel picis illitu concepta faculæ modo luceant. Ex ijs quæ dicta sunt, cõstat in Europa haberi sex genera cognatarum arborum, quæ resinam ferant: pinum, piceam, pinastrum, abietem, laricem, tedam. addi potest & septimũ piceaster in Hispania. Pinum uero pineas nuces ferentem quam Græci conon appellitant: pinastrum & laricem, quam peucen, in Troade uisenda magnitudine quatuor & uiginti pedum ambitu, altitudine duorum iugerum: præterq; cubitorum quindecim piceam quam pityn existimant: tedam uero quam dada & dadion. atq; omnia hæc Plinium sequentibus. Nam Theophrasto pinus atque larix idem, quemadmodum supra testati sumus. Cęterum ut Græci non illepide hoc uerborum inuolucro naturã explicantes fabulantur, Pitys puella fuit olim perq; illustris, quam unice Pan adamabat, contrà, hanc deperibat riualis Boreas. Vtrique adducta potius Pani puella adhæsit, propterea zelotypia stimulatus Boreas, Pityn in saxa propulsans necidedit. Dolens uicem puellæ Tellus, cognominem ei arborem ædidit, mutatoq; uitæ genere apud eos mansit: sed Pana uirenti ramo coronat. Luget facinus arbor collachrymans, q; Boreas immeritam proteruo spiritu depulerit. Pinus creditur prodesse omnibus quæ sub ea serũtur. Seritur nucleis suis, ut Græci uolunt, ab Octobri mense usq; ad Ianuarium calidis & siccis regionibus, frigidis & humectis Februario uel Martio. Legũtur pineæ nuces Iunio anteq; Etesiæ uenti spirare cœperint: item prius q; dehiscente tegumento procidant. Amat locum gracilem, sæpe maritimum. Inter montes & saxa uastior & procerior inuenitur. uentosis & humidis arborũ fiunt incrementa lætiora. Sed siue montes siue spatia quęcunq; uelis cõserere, exarabis ea loca diligenter, & frumenti more semen asperges, ac leui sarculo curabis operire, nec enim pluscq; palmo debet abscondi. Defendenda est arbor tenera à pecore, ne calcetur inualida. proficiet si nucleos aqua triduum ante macerueris. Aliqui dicunt fructum pineum translatum mitescere. Sed plantas hoc modo procurant, ut prius multa semina in calyculis fimo & terra repletis obruant: quæ ubi processerint, relicto eo quod solidius est, auferunt alia. Vbi iustum ceperunt incremẽtum, trimam plantam cum suis calyculis trãsferunt: quibus fractis in scrobe radicibus indulgentes largitati consulunt. terræ tamen equę stercus est admiscendum, facta stratura ordine alterno subinde crescente. Danda est opera, ut radix quæ una est & directa, usq; ad summitatem suam integra & illæsa trãsferatur. Putatio nouellas pini arbores tantũ promouet, ut quæ speraueris incrementa duplicentur. Nuces prius legendæ sunt q̃ patescant. nuclei nisi purgati durare non possunt: tamen aliqui in uasis fictilibus nouis & terra repletis cum testis suis missos, asserunt custodiri. Nuces ergo pineæ grandissimæ altissimeq; à terra suspensæ, intus exiles nucleos lacunatis toris ferruginea tunica uestitos contegunt. Quarum genera sunt quaterna: durum quod & uulgare. tenerũ & putamine digitis fragili, ideoq; auibus expositum, tarentinam uocabant. Tertiũ è picea satiua, nucleorũ cute uerius q; putamine adeò molli ut simul mãdatur, sapineũ Plinius uocat. Quartum pityidas uocant è pinastris, singularis remedij aduersus tussim. In melle decoctos nucleos Taurini aquicellas uocant. Pinea corona uictores apud Isthmum coronantur. Græci, ut testatur Galenus, pineas nuces conos & strobilos appellãt. Idem in Hippocrate coccalos uocat eos nucleos. Alunt corpus etsi ægre cõcoquantur, humoremq; crassum pariunt. Nuces pineæ quæ resinam habent contusæ leniter, additis in singulis sextarijs aquæ ad dimidium decoctæ, sanguinis excreationi medentur, ut cyathi bini sumantur ex eo. Nuclei nucis pineæ sitim sedant, & acrimoniã stomachi rosionesq; leniunt. Contrarios humores cõsistentes ibi digerunt: infirmitatem uirilium roborant, renibus & uesicæ utiles. Fauces uidentur exasperare & tussim, bilem pellunt poti ex aqua, aut uino, aut passo, aut balanorũ decocto. Miscentur ijs cõtra uehemẽtiores stomachi rosiones cucumeris semen & succus portulacæ. Item ad uesicæ ulcera & renum, quoniam & urinam cient. Cortex è pino in uino decoctus contra tormina datur. Piceæ folia trita & decocta in aceto dentium dolori prosunt. Cinis corticis intertrigini & ambustis medetur: potus aluum sistit, urinas ciet, suffitu uuluas corrigit. Folia priuatim iocinori utilia drachmę pondere in aqua mulsa pota. Syluas eas dunta xat quæ picis resinæq; gratia radũtur utilissimas esse tabidis, aut qui longa ualetudine nõ recolligunt uires, satis cõstat, & illũ cæli aera plus ita q; nauigationẽ Aegyptiã proficere, plus q; lactis herbidos per montium æstiua potus. Pinus & picea, ut scribit Dioscorides,

eidem

eidem adscribuntur generi: sed quandam flagitant specierum distinctionem. In utraq; uis astrictoria cortici: intertrigines tritus & illitus sanat. Vlceribus cutis, ambustisq; cum spuma argenti & mãna thuris imponitur. Collectus cerato myrteo ulceribus mollium & fœminei corporis medetur. Cum atramento sutorio ulceribus quę serpunt interitur. Partus & secundas suffitus ejicit: aluum fluentem potu cõstituit: urinas mouet. Folia earum trita litu inflammationibus auxiliantur, uulnera ab inflammationis periculo uindicant. Trita & decocta in aceto feruenti collutione dolores finiũt. Priuatim iocinori utilia sunt drachmæ pondere in aqua mulsa pota. Cortex & folia si bibantur, strobili appellatæ eandẽ uim obtinent. Teda earũ in tenues assulas pręcisa decoquitur in aceto ad mulcendos dentium dolores, contento qua parte dolent decocto. Ex eadem materia fiunt rudiculæ ad medicamenta lassitudinum, & ad muliebres pessos. Quin & crematarũ assularum fuligo ad confectionem accipitur atramenti, quo ad uolumina scribenda utuntur. Circunlitionibus imponitur, quibus palpebras ornant, & uerũ in eis colorem mentiuntur, calliblephara Græci uocant. Angulos oculorũ erosos emendat, glabrasq; genas ad pilum reducit. Delachrymationes cohibet. Pityides appellantur pinorum piceęq; fructus, qui in conis metis ue reperiuntur, quibus uis astringendi, simul & excalfaciendi ineſt. Per se uerò & cũ melle adhibentur aduersus tussim & pectoris uitia. Nuclei pinei cum repurgati manduntur, aut cum passo, uel cucumeris semine bibuntur, urinam cient, uesicæ & renum acrimonias hebetant. Stomachi rosiones mulcent dati cum portulacæ succo. Infirmitatem uirium roborant, humores qui computrescentes in stomacho coierunt retundunt. Recentes ex arbore in passo confracti coquuntur ad ueterem tussim, & tabem, ut liquor quoq; per singulos dies bibatur trium cyathorum mensura.

Pix, Resina. Cap. CXIII.

PIx nihil aliud est quàm fluxus combustæ in teda sua resinæ: de pinu ferè omnis ut Theophrastus inquit. Quanquam in Syria terebinthi quoq; picem ferunt, quia desint ibi pinus. E picea quoq;, cedro, palma colligitur. Pix hyeme frigida deterior, minus copiosa, decolor: ubique optima ex apricis Aquilonis situ. Ex opacis horridior, uirusq; præferens. Ex Idæa & mõtana pinu largior, coloratior, dulcior. Odore gratior utiq; cruda, quoniã decocta multũ deperdit, propter serum quod in ea contentum redundat. Est & maritima flauentior & crassior quandiu resina est, uidelicet quandiu cruda. Sed decoctio ex ea parcius absumit. Idæa tedosior imbribus admissis q; squaloribus, pix abundantior & liquidior excipitur. Hæc Idæi, priora Macedones. In Ida pinus aperiuntur parte solari, ablato per uulnus cortice, binis ternis ue à terra cubitis cumpluribus, singulis cumminum. postea confluit è tota pix in ulcus non sine teda. cum humor manare desijt, simili modo alia parte cæditur, ac deinde alia, & sequenti semper anno teda locum implet. Extenuata per hæc arbor, facillimè uento subuertitur: quod cum fit, tota succiditur, & cor, id est medulla eius uritur. In qua & in radice plurimum tedæ semper est. Explentur uero in pinu caua uulnerum, non cortice, non cicatrice, quæ in hac arbore non coit, sed resina seu pice, anno maximè ab incisu proximo si pinus frugi sit, aut secundo, aut tertio si pessima. Probæ multas uices perferunt, uitiosæ nisi quis modicè inaniat, prouentumq; dispenset, detractionem quartam non tolerant. Pinus nouellæ fructificant: ueteres teda, nõ fructu sunt fertiles. Plinius hæc de pinu à Theophrasto dicta transtulit ad laricem, partim ad piceam: cuius assulas terræ proximas laudauit, altiores amaritudinem adferre scribit. In Syria quoque terebintho ad picem detrahunt cortices, è ramisq; etiamnum ac radice uindemiantur, cum resina tamen damnatur ijs partibus. In Hispania è piceastro fit minimè laudata, quoniam resina eius arida, uirosa & amara sentiatur. Pix conficitur hoc modo, Pauitur area canali præparato per quem humor in medium confluat, tum lignum in hastulas concisum locatur struis congerie uelut in carbonis usu, mox igni succẽditur, terra undiq; circũdata ne flamma erumpat. Perit enim pix si hoc eueniat. Quòd si fumus parte aliqua se sustulerit, scalis protinus admotis locũ terra sepiunt, lutoq; obstruunt, ne quouismodo flamma queat exire. Canalis subiectus picem fluentem corriuat in scrobes cubitis à congerie circiter quindecim remotas. Strues ipsa sexagenis aut quinquagenis cubitis, cẽtenis & octogenis alta, patet per ambitũ. Sunt qui per utrũq;

mensum

menſum cubitos centenos agant. humor qui fluat, obiter frigeſcit contactu: uritur ferè biduum. Operis perfecti ſignum, ſi rogus decumbat ſubſidatq́, & quaſi latus det. Summa hoc illi diligentia et religione peragunt ceu feriantes, & cum apprecatione præſentium ſolenni, ut pix ea tum copioſa tum proba euadat. ac primus quidem ſudor qui aquæ modo fluxit in canali, cedrium uocatur utiq́ in Syria, ubi pinus nō ſunt, quo in Aegypto defunctorum corpora perfuſa cuſtodiuntur. Sequens liquor picē fundit, quæ in cortinas æreas coniecta aceto ſpiſſatur, & coagulata brutiæ cognomen accipit, dolijs dūtaxat uaſiſq́ cæteris utilis, lentore ab alia pice differens, itē colore rutilante, & q́ pinguior eſt authore Plinio. Brutiam à Brutijs dici conſtat, ubi naſcitur ad oppidum Mamertium, feraci nemore ut ſcribit Strabo, ad uaſa quoq́ in Italia condiendo uino utiliſſima, quoniam pinguiſſima & reſinoſiſſima utranq́ præbeat cōmoditatem. Hanc ex maſcula arbore meliorē eſſe adjiciunt, id quod intelligi non poſſe Plinius exiſtimat. Theophraſtus uri pinum in Macedonia non omnē ſed marem ſcripſit picis gratia: nec fœminæ tamen radices negligi, q́ ea tantum pars in fœmina tedam habeat, ex qua omnia illa fiant. In Aſia Syri non detrahunt tedam, ſed machinamento quodam in arbore ipſa picem urunt. Fit pix reſina quoq́ ſola piceæ, feruētibus cocta lapidibus in alueis ualidi roboris: aut ſi aluei nō ſunt, congeſta ſtrue, ut in carbonis faciendi ratione. hæc in uinū additur farinæ modo tuſa, colore nigrior. Vitia picis acor, aut odor fumidus, aut picis aduſtio. Experimentū, ſi fragmenta ſubluceant, ac ſub dente lenteſcat, odore iucundo. Aſia picem Indicam maximè probat, Græcia è Macedonica pierícam, Virgilius naritiam. Condiendis uinis Columella nemeturicam commendat, quæ in Liguria cōficitur, & Allobrogicam quæ corticata dicitur. Siccata hæc uetuſtate in puluerem reſoluitur. Idem author picis quoddam genus crudę, taſim uocari tradit, in defrutum Neapolitanū addi ſolitum. ſunt qui rheticam cōmendant. E Græcis rei ruſticæ ſcriptoribus Didymus, ueterum fretus authoritate, palmam Idææ pici tribuit: ſecundam laudem ſibi uendicat pierica. Sunt qui Rhodiam præferant: alij rheticam. In omni tamen natione probatur magis quæ ſplendida niteſcat, damnatur ea cuius fragmenta non eluceant. Probę picis experimentum eſt, ſi feruens in frigidam aquam merſa nō odore modo, ſed guſtu quoq́ placeat. Item maximè cōmendatur quę inter coquēdum neque bullas expuat, neq́ proſiliens ſtrepitum elidat. Laudatur etiam imprimis pura, leuis, odorata, quæ linguæ dulcedinem reſipiat. præfertur cocta crudæ, & arida liquidæ. Cæterum liquida in Europa è teda coquitur, naualibus muniendis, multoſq́ ad alios uſus. Lignum eius conciſum furnis undiq́ igni extra circundato ferro, ut prius ſudor aquæ modo fluat in canali: ſequēs liquor craſſior iam picem fundit. Reſina picea ſi cum aqua leuius coquatus coleturq́, rufo colore lenteſcit, ac ſtillatitia uocatur. Sed alia temperies ad crapulam. Nam flos crudus reſinæ cum multa haſtula tenui breuiq́ auulſus concidítur ad cribrum minute, deinde feruenti aqua, donec coquatur, perfunditur: huius expreſſum pingue præcipua reſina fit atq́ rara, nec niſi paucis in locis ſubalpinæ Italiæ, medicis conueniens. Reſinæ multis arboribus leguntur inciſis à germinatu, ſed uariè. De pinu, teda demum detracta, de abiete & picea ligno pręguſtato, de terebintho radicibus, ramis, & caudice uulneratis, ſed melior quæ defluxit in caudice. Optima terebinthina eſt ſpiſſitudine, leuitate, odore: ſecunda bonitas abietinæ ac piceæ: ponderoſiſſima, picíq́ proxima è pinu eſt. Portatur utribus liquida, tum ſponte creſcit authore Theophraſto. Hanc ex pinu & picea ſiccā eſſe Plinius intelligit. Dioſcorides ex ijſdem arboribus alias eſſe ſiccas, alias haberi liquidas uult: item liquidas è terebintho, larice, lentiſco, cupreſſo. Nam & eæ ferunt in Aſia Syriaq́. Picea pinguem & thuris modo ſuccoſam fundit. larix gracilem, colore mellis Attici, ac mellei etiam liquoris, uirus redolentem: quare falluntur qui eandem eſſe putent è picea & larice. Reſina laudatur nationū Cypria, Syriaca, utraq́ mellis Attici colore, ſed Cypria carnoſior ſicciorq́, antecedens omnes. In ſicco genere candida: in omni montana & campeſtri præfertur Aquilonia. Terebinthi tenuiſſima eſt, cupreſſi acerrima ſapore, craſſior cedri, & faciēdis picibus idonea. Arabica alba eſt, acri odore difficilis cōcoquenti, Iudaica calloſior. Colophonia præter cæteras fulua, ſi teratur alba fit, grauior odore, ob id non utuntur ea unguentarij. Liquida raro utūtur medici & in ouo fere, nec pinea magnopere in uſu, cæteris non niſi decoctis. Reſina utiq́ diſſoluitur oleo ad malagmata, uſuſq́

uulnerum

uulnerum. Quidam & creta figlinarum hoc fieri arbitrantur in potiones amaris amygdalis. Abieti resina, ut larici teda uitium est. Exiguum abies sudat aliquando contactu solis. Oribasius & Paulus resinæ genus Italiæ tantum nascentis xylodis, hoc est lignosæ commendant, intelligentes quam Dioscorides Tyrrheniam siue Gallicam uocat, uel corticatam Columella. Picis duo genera, spissum & liquidum ut dictum est. Natura picis excalfacit, explet. Aduersatur priuatim cerastæ morsibus cum polenta, item anginæ cum melle, destillationibus & sternutamentis, pituitis. Auribus infunditur cum rosaceo, illinitur cum cera. sanat lichenas, aluum soluit, excreationes pectoris adiuuat eclegmate uel illitu, tonsillis cum melle medetur. Sic & ulcera purgat, explet cum uua passa & axungia, carbunculos purgat, & putrescentia ulcera. quæ uero serpunt, cum pineo cortice uel sulphure. Tabidis cyathi mensura quidam dederunt, & contra ueterem tussim. Rimas sedis, & pedum, panosq; & ungues scabros emendat. Vuluæ duritias emollit, & conuersiones odore reuocat, item lethargicos. Strumas etiam cum farina hordeacea & pueri impubis urina decocta ad suppurationem perducit. Ad alopecias sicca utuntur: ad mulierum mammas brutia ex uino feruefacta cum polline farraceo, quàm calidissimis impositis. Liquida anginæ perunguntur, intus & uua. ad aurium dolores, claritatem oculorum, orisq; circumillitiones ualet. Suspiriosos, uuluas, tussimq; ueterem emendat: excreationes pectoris adiuuat: cõuulsiones, opisthotonos, resolutiones neruorũ doloresq; lenit. Canum iumentorumq; scabiem discutit. Zopissa uocatur derasa nauibus maritimis pix, efficacior omni pice & resina traditur, ad omnia quibus illæ prosunt: uidelicet adiecto salis callo. Optima a tyrocinio nauium eraditur nauibus cera marino sale macerata. Additur in malagmata ad discutiendas collectiones. Pissasphaltos traditur mista bitumini pice, naturaliter in Apolloniatarum agro. Quidam autem ipsi miscent, præcipuum ad scabiem pecorum remedium, aut si fœtus mammas læserit. Naturale optimum ex eo, quod cum feruet, innatat. Palimpissa nihil est aliud quàm cocta bis resina. Nam prima decoctione pix fit, secundabis pix, hoc est palimpissa. Picis Dioscoridi summæ species duæ, sicca & liquida. hanc pinus & picea largitur ex assulis arboris suæ pinguissimis. Melior intelligitur quo nitidior, læuior, purior. Aduersat uenenis, quæ quis in cibo potione ue sumpserit. Phthisicis, purulenta expuentibus, tussi, suspirio, excreationibus pectoris difficilibus datur cyathi mensura in linctum cum melle. Tonsillarum & uuæ inflammationes anginæq; commodè perunguntur. purulentis auribus infunditur cum rosaceo. morsibus serpentium cum sale trito illinitur. cum cera pari portione, scabros ungues emendat. Vuluæ tubercula & duritias sedis discutit. strumas cũ farina hordeacea & pueri impubis urina rũpit. cohibet ulcera quæ serpunt cũ piceæ cortice, aut sulphure, aut furfuribus. Cæterũ cum thuris manna & cerato, subductos ulcerum sinus glutinat. Rimis sedis ac pedum magno commodo linitur. ulcera replet, ac cum melle purgat. quin & cum uua passa & melle putrida & carbunculos emarginat. medicamentis addita exedentibus proficit. E pice oleum, ut eidem placet Dioscoridi, fieri solet quod picinum appellant, separata parte aquosa eius: innatat autem, ut in lacte serum. Excipitur uero dum coquitur pix, uellericus puris supra hanc litum eius expansis, & cum illo permaduerunt, expressis in uas. hoc fit quamdiu pix coquitur. quas pix liquida præbet utilitates. Alopecias capillo replet cum farina hordeacea illitum. Vlcera iumentorum & scabiem emendat. Liquida pix decocta in spissam coit, quam uocant aliqui palimpissam. eius genera duo, uiscosum & aridum. priori nomen bo scas. Optima est pinguis, odorata, subrutilans, resinosa. Excalfacit, mollit, pus mouet, tubercula panosq; discutit, ulcera replet. In uulnerarias medicinas utiliter additur zopissa quam aliqui apochyma uocare maluerunt, derasa nauibus resina est cum cera, discutientibus collectionibus efficax, uidelicet marino sale macerata. quidam resinam è picea intelligunt. Resina liquida è pinu & picea gignitur, utiq; non omni loco, sed in Gallia & Tyrrhenia. pridem Colophone inuehebatur, unde ei nomen Colophoniæ. Importat & è Gallia subalpina patrio laricis nomine, singularis remedij aduersus ueterem tussim in eclegmate tradita, & per se. Differentia earum in colore habetur, alijs candido, alijs oleagino, quibusdam melleo, qualis larignæ. Raditur & è cupresso ad eadem utilis liquida. siccas partim è strobilo & abiete, partim è pinu & picea colligunt. In sicco genere quærunt

ut sit odoratissima atq; perlucida. Displicet rufa dilutaq;, placet similis ceræ nec cõtumax frangi. Antecedit alias bonitate quam piceæ & abietes reddunt, quoniam odorata sit, redolensq; thus. Resinam excellentem & Ebusus mittit, insula ea est secundum Hispaniam obiacens. E cupresso, pinu, strobilo inferiores multo funduntur, nec opera ut illæ respondentes. Cæterum ad eosdem usus cum has tum illas conuertimus. Lentiscina terebinthinæ utilitates repræsentat sanè. Ex omnibus resinis principatus terebinthinæ datur, post eam lentiscinæ, tum ei quæ de picea raditur & abiete. ultimum locum pinea strobilinaq; possidet. Natura in medendo excalfacere, mollire, purgare, discutere. In tussi & tabe delingitur & per se & melle accepto, item ad pectoris uitia. Vrinam exigit, cruda concoquit, uentrem emollit, palpebrarum pilos incommodos replicat. Lepris illinitur cum nitro, erugine, atramento sutorio. utilissima & auribus saniosis cum oleo atque melle, item in pruritu genitalium. miscetur emplastro malagmati acopo. Laterum dolores finit illita aut imposita. Sic in uniuersum resinæ contrahunt, uulnera purgant, discutiunt collectiones, item pectoris uitia. Terebinthina priuatim membrorum doloribus, conuulsis illinitur in sole, totisq; corporibus, mangonum maximè cura ad gracilitatem emendandam, spacijs ita laxantium cutem per singula membra capacioraq; ciborum facienda corpora. Proximum locum obtinet è lentisco, inest ei uis astringendi, mouet ante cęteras urinam. Reliquæ uentrem emolliunt, cruda concoquunt, tussim ueterem sedant, uuluæ onera extrahunt etiam suffitæ. priuatim aduersantur uenenis ixiæ. Panos & similia tubercula cum seuo taurino & melle sanant. Palpebras lentiscina commodissimè replicat, fractis quoq; utilissima & auribus purulentis, item prurientibus genitalibus. Pinea capitis doloribus optimè medetur.

Pyrus. CXIIII.

PYrus auctu facillima, simplici consurgit caudice, plurimis ramis brachiato, rutila crispaq; trũci materie, orbiculatis foljs, floribus foliatis, turbinata fructus figura, seminibus tunica contentis. Cacumine & lateribus germinat & ex anniculis fructificat surculis. In plana descendit, in quibus lætior prouenit. Vita breuior pyro quàm pyrastro, quæ pyrum fieri prorsus recusat: ex pyro tamen uitiata nascitur pyraster. Pyrus sata semine degenerat, fructus antequam maturitatem sentiant, facile perdit. tentantur et uermiculatione pyra, eorum humor est aquosus. Seri pyros præcipiunt paulo plus nouem pedibus distantes. Sterili pyro quernũ palum adigunt foramini, terraq; occulunt, ut hoc uelut inita fœcundetur. Circinata pyro folia: incremento uelox celeriter adolescit, ut quæ cito occidat. Perdit facillimè ante maturitatem fructum suum pyrus, etiam si non pluat, sed fiat austrinum cælum atque nubilum. Amittit florem & primos fructus, si quum defloruerit, tales dies fuerint: si blandiantur etiam austri cum defatiscit in florem, si sequantur protinus imbres, in totum poma depereunt. Adeo si nubilus fiat austrinusq; flatus amittat fœtus. Biferæ in pyris etiam præcoces. Pyra nõ eodẽ tempore seri iubent, oblonga et rotunda ab occasu Vergiliarũ ad brumam, reliqua genera media hyeme ab occasu Sagittæ, Subsolanum aut Septentrionem spectantia, sed brumam quindecim ne minus diebus antecedant. Quæ ut sit ferax, cum adoleuerit altè ablaqueanda est, iuxta radicem truncus findatur, fissuræ cuneus tedæ pineæ adigatur, cinis supra terram injciatur. Plantæ pyrorum mense Februario locis frigidis rectè ponuntur: calidis tepidisq; Nouembri pyra sunt conserẽda, ut solo iuuentur irriguo. ita plurimum florem proferent & pomi turgentis acquirent magnitudinem. Nasci læto solo diligunt, in quo & ualidas arbores fructusq; plurimos consequemur. Lapidosi generis uitium exuere creduntur, si terris mollibus conserantur. Si pyrorum semen aspergatur, nasci quidem necesse est, originem suam refouente natura, cuius ęternitati nulla tarditas potest adferre fastidium. Sed homini longa est expectatio, cum sero admodum ueniant, & à generis nobilitate desciscant: melius itaq; radicatæ syluestrium plantæ, subactis bene scrobibus, seruntur Nouembri, ut cum prehenderint inserant. Pyri quoq; plantis suis satæ prope minus tardus est euentus. Si tamen quibusdam hoc placet, plantas bimas trimas uerdicatas scrobibus deponant, supra terram tribus aut quatuor pedibus altas, decisaq; earum cacumina argilla mista muscus operiat. Tradunt crebris fossionibus ac frequenti humore

more proficere. ut nulla floris iactura fiat, fossore iuuentur. Multum quoq; prodest si interiecto anno qualelibet adiungatur lætamen, sed bubulum spissa & grauia creare poma fertur. Aliqui cinerem miscent, existimantes argutiores pomis contrahi sapores. Si languida est arbor pyri, Græci præcipiunt ablaqueatæ radici & terebratæ ligneum palum imprimendum, uel perforato trunco ex teda cuneum infigendum, uel si hoc desit, quernum adigendū. Vermes ut ijdem affirmant, enati necant, et nasci quoq; prohibent, radicibus felle taurino frequenter infusis. Item si lapidosa pyrus est ut iubent Græci, ab extremis radicibus terram leuas, & omnes secernis lapillos, quibus diligenter summotis nouam terram cribro cretam in alterius locum suffundis. frequens rigatio calculosæ pyro præsenti est remedio. Pyri frigidis & humidis tractibus gaudent. Seruntur radicatis plantis, uiuiradice auulsis stolonibus. trimæ plantulæ eo more quo oleæ ponuntur. radicatæ iuniores bimis scrobibus obrui non debent. Aliqui generosos caudicis stolones, alij lætissimos surculos è cacumine lectos pangunt, quos recte putant cōprehendere. Inter cæteros Græcos conuenit, pyros irriguo solo, fertili, algenti lætari, sed pro diuersa earum natura uariam serendi rationem postulare. quando proceræ generis huius arbores, quæ suos in matre partus maturant, aliquanto celerius ad medium usq; uer seri uolunt, locis ad ortum solis uel Septentrionem spectantibus: uerum radicatæ plantulæ non iuniores bimis deponantur. Porrò longè melius plantas syluestrium pyrorum radicatas serimus, subactis bene scrobibus, ut dum comprehenderint, inserantur. Cæterum si & dulciora & copiosiora pyra uelis arborem exhibere, trunco proximè radicem terebrato, ligneum ex fago cuneum figis: si desit, ex quercu. Arbores in floribus morbo non laborabunt, si feces uini ueteris radicibus ablaquetis affundantur, et quindecim diebus regesto solo rigentur. etiam si uitio non elangueſcat arbor, instillata uini fece dulciorem fructum creabit. Vermibus pyra non infestabuntur radicibus in satu felle bubulo perunctis. Inseritur ut Tarentino placet, punico, cydonio, amygdalo, item terebintho. Sed insita moro rubicunda pyra feret. Inseritur syluestri pyro, item malo, spino. ut Vergilius tradit, orno, fraxino, sed surculus anniculus esse debet, & prius quàm figatur omnibus foliis exutus. turbinatior pyris figura. In ijs serotina ad hyemem usque in matre pendent, gelu matureſcentia. Multis generibus alia parua ocyssima & odoratissima nominantur superba. In ijs crustumina quæ gratissima & ex parte rubent: & proxima ijs falerna, ceu largo succo abundantia. hæc lactea uocantur. In ijsq; alia colore nigro donant Syriæ. reliqua aliter in alijs atque alijs locis appellantur. Sed confessis urbis uocabulis authores suos nobilitauere decumininana & ex ijs tracta origine pseudodecumininana. Dolobelliana lōgissimi pediculi, pōponiana cognomine mamosa, liceriana, siueriana, & quæ ex ijs nata sunt tyranniana, petioli lōgitudine distantia: fauoniana rubra, paulo superbis maiora. lateriana, anitiana, post autumnalia acidulo sapore iucunda, & quæ maximè Tiberio principi placuere tiberiana appellantur. Coloratur magis sole grandescuntq;, alioqui eadem essent quæ liceriana. Patriæ nomen habent, seriissima omnium amerina, picentina, numantina, alexadrina, numidiana, græcula, & in ijs tarentina, signina, quæ alij à colore testacea appellant, sicut onychina, purpurea: ab odore myrapia, nardina, laurea: à tempore hordearia à comitatu frugis huius: à collo amphullacea, & coroliana, & brutæ gentilitatis cucurbitana, acidula succo, à melle mulsa. Incerta nominum ratio barbaricis & ueneriis, quæ colorata nuncupantur. Item regijs, quæ minimo pediculo quasi sessilia sunt, patritijs, uoconijs, uiridibus oblongisq;. Præterea dixit uolema Virgilius à Catone sumpta, qui et sementina & mustea nominat. Quàm generosissima sunt Columellæ crustumina, regia, signina, tarentina quæ syria dicuntur, purpurea, superba, hordeacea, auitiana, neuiana, fauoniana, lateritiana, dolobelliana, turaniana, uolema, mulsa præcocia, & quædam alia quorum enumeratio longa est. Macrobius Clodium secutus recenset bolemium, ceritium, calculosum, lolianum, lauinium, milesium, myrteum, orbiculanum, precianum, rubile, tullianum, titianumq;. Item mespilaceum & ualerianum adnumerauit. Serotina ad hyemem usque in parente pendent. Gelu matureſcentia pyra sunt, quæ libralia uocantur, sed sola tamen è piris mala dici consueuerunt. uino & aqua coquuntur & in escam ægris dantur, atque pulmentarij uicem implent. Multa apud nos genera quæ magno habentur in honore. Sed iam nouis insitionum coniugijs

tot occurunt, ut singula persequi perquam difficile cognoscatur. Francis gratissima *bonchrestiana* cognomine, non ob hoc solum quod in eximia suauitate librale pondus æquent, sed quia in tenerítudine tanta ut à gustatu uel ipso ore statim eliquescant, & perennent, gestatumq; tolerent, ad Neapolim usque delata Carolo octauo ibi res gerente, à felici illa Campania ijs dotibus adoptata. Proxima magnitudine sunt ijs Mariana, uulgo *diuæ Mariæ pyra* dicta, aquosa dulcedine suauia, miraq; tenerítudine placent sed fugaciora multo. Minima omnium sunt *muscata* quæ nomine alio *chia* uulgò dicuntur, baccas corporis tuberculo non excedentia: quina senaue, sæpe plura, ab una origine longis dependent pediculis, odorata moschi iucunditate, ob hoc nomen contraxerunt. Condiuntur saccharo à salgamarijs, ut in sequentem annum prorogentur. Media magnitudine sunt calliona, carne iucunda, dulci, odorata, friabili, à præstantia pyri Græcum nomen uulgus emendicauit, quasi dixeris meliora. Rosatis odor nomen dedit quod rosas oleat. Bicipitia quod gemino capite uisantur, singulari sunt commendatione, corpore suaui, non lapidoso, succi grati, palatum etiam morosum recreantis. Turbinatiora omnibus certolina, quæ Campanica alio nomine dicuntur. ea in metæ formam mucronantur, hyemem tolerant, duriore corporis callo, mira suauitate, succo pauco. eq; prunis tosta fugacium aduenis exitum supplent inopiam. Condiuntur & saccharo adiecta cinnamomi portiuncula ut cœnas claudant. Alia item Martiniana quæ ad hyemem usque in parente prope pendent, suaui gustu, firmiuscula carne, quæ non nisi cocta fere manduntur. Vbi gelicidia sensere teneriora multo, ea etiam hybernas mensas fmiunt. Quæ *finora* gallicè nominantur, quod auri puti colorem referant, asperiore carnè duriorecq;, nam prius quàm gelu experiantur, edomita duritie mitescunt. Ea diutissimè durant, quamuis in eo genere æstiua inueniantur & præcocia. Magnopere commendantur bergamota, seri mea memoria cœpta & sapore & succo præstantia. Non sunt omittenda pyra quæ ut pulchritudine & rubro colore & luteo, quasi maturitatis indice, prætereuntes inuitent ad carptũ, mansa tamen tãta displicent acerbitate, ut deuorari nequeant, sed demorsa protinus respuantur, ob id *strangulanea* uulgò dicuntur. Verum si singula quotidie nouis insitionum adulterijs emergentia prosequi uellem, me deficeret charta, nedum dies. Pyra secundis mensis Græcorum inferuntur aqua mersa. Conduntur hæc totidem quibus uua modis non aliter quàm cadis. Seruari pyra Democritus adfirmat, quæ illitis pice furcu lis suspendantur. Alij in sapa, uel passo, uel dulci uino, uel musto mersa custodiunt cadis plenis. Plurimi inter scobem obruta seruarunt. Alij siccatis frondibus iuglandis inuoluta recondunt: alij in urceis fictilibus in uino uel musto demergunt, & operculato uase reponunt: alij uinaceis discreta ne se contingant obruunt. Pyra seruantur in fictilibus picatis inuersis obruta inter scrobes: item illitis omnium furculis pice. Alij pyris singula uasa fictilia assignant, & opercula eorum picata dolio iterum includunt. Aliqui arena in scrobe subiecta ita sicca operiunt, mox terra. Alij in floccis, capsis condunt, quas luto paleato illeuerint. Plurimi pyra inter paleas aut frumenta obruta seruarunt. Alij statim lecta cum tenacibus suis picatis urceis condiderunt, & oribus uasculorum gypso uel pice clausis ipsa sub diuo obruta sabulone texerunt. Alij pyra quæ se non contingerent in melle seruarunt. Aliqui aquam salsam cum cœperit undare calfacta, despumant: & ei post iam frigidæ pyra seruanda demergunt: tunc exempta post tempus exiguum condunt urceo, & eius lito ore custodiunt: uel diu nociuq; in frigida salsa manere patiuntur, post in aqua pura biduo macerant, deinde sapa, uel passo, uel dulci uino mersa seruant. Sed pyra quæ huic negocio destinantur, à cadiuis diligenter electa integra debent esse, placido die crescente luna, manu decerpta, uegeto solis calore. Dura tunc & aliquantum uiridia uase claudantur, quod tegatur operculo: & inclinato deorsum ore breui obruitur scrobe, loco iuxta quem perennis aqua defluit. Item quæ dura sunt in carne & cute prius in aceruo posita ubi se mollire cœperunt, in fictile picatum ponuntur, & operculo superueniente gypso linuntur: uas breui scrobe demergitur, loco qui quotidie sole tangatur. Item pyra diuisa & granis purgata sole siccantur. Liquamentum è pyris fieri solitum ad ieiunia fœminarum inuenio, quod castimoniale dicebatur, pyrorum quæ maturissima sint carnibus integro sale calcatis & resolutis, atq; ita fictilibus picatis, cupis ue

pisue conditis. Pyra cum immatura non tamen percruda legeris, diligenter inspicito ut sint integra, sine uitio aut uermiculo: tum in fictili picata fidelia componito, & aut passo, aut defruto completo, ita ut omne pomum submersum sit, operculo deinde imposito gypsato. Illud in totũ præcipiendum existimaui, nullum esse pomi genus quod non possit melle seruari. Itaq; cum sit hæc res salutaris ægrotantibus, censeo uel pauca poma in mel le custodiri, sed separata generatim: nam si commisceas, alterum ab altero genere corrumpitur. Omnibus aquosa dulcedo cum lenta acerbitate, ut Galeno placet, quod inæquale temperamentum arguit: ob hoc à cibo sumpta conferunt stomacho. Ventrem substringunt præsumpta. Pyrorum tamen omnium eibus etiam ualentibus onerosus, ægris quoq; uini modo negatur. Decocta eadem mire salubria & grata. Quæcunq; uero cum melle decocta stomachum adiuuant. Fiunt cataplasmata è pyris ad discutienda corporum uitia, & decocto eorum ad duritias utũtur. Ipsa aduersantur boletis & fungis, pelluntq; ponderе pugnante succo. Pyra uel pauca portata iumentis mirè grauia, remedio esse putant si prius edenda dentur aliqua, aut utiq; ostendantur. Pyrorũ genera omnia astringunt, quapropter usus repellentibus cataplasmatis accommodus. ieiunos suo cibo lædunt. decoctum è siccis aluum sistit.

Pyrus syluestris. Cap. CXV.

PYrus syluestris achras Græcis, hoc est syluatica pyrus, Latinis quoq; pyraster dicitur, ramosa surculosaq;, caudice rimoso, & hiulco ferè cortice, folio circinato, floribus foliatis, fructu quoq; turbinato, sed cum primis acerbo, & gustu astringente. Fertiliorem urbana prædicant. hyeme fructificat ferè, tardeq; sua perficit poma: autumno tamen genus eius unum, ut Theophrastus tradit, nec mirum cũ tarde germinet. Materies ei apprimè dura. ideoq; discos, tabellasq; sutorias è pyro syluestri faciunt, quoniam ut in molli retunditur, ita in duro ferrum acuitur. Aculeatos hæc habet ramos. Achrades in cibo primum Tyrinthios habuisse memorat Helianus. Ante panis usum Argiuos esitasse pyra meminit, ut Athenienses ficos, glandem Arcades, Indi arundinem, Carmani palmulas, milium Sarmatæ, terebinthum nasturtiumq; Persæ. Arcades radicibus herbarum arborumq; foliis recentibus ante glandis fagineę usum à Pelasgo traditum uictitasse creduntur. Vita longior pyrastro quàm pyro. Nec pyraster, ut est author Theophrastus, pyrus fieri potest, ex pyro tamen uitiosam pyrastrum nasci credidit. Serotinę syluestres pyri. Syluestre pyrum tardissimè matureſcit. Concidítur suspensumq; siccatur ad sistendam aluum, quod & decoctum eius præstat. Decoquuntur & folia cum pomo ad eosdem usus. Pyrorum ligni cinis cõtra fungos etiamnum proficit. Tarde, ut Dioscorides tradit, maturitatem sentit. natura ei spissandi: efficacius est quàm satiuum ad eadem omnia. Foliis quoq; ipsis astrictoria ineſt potestas. pyrorum ligni cinis nauiter ijs auxiliatur quos inanes strangulant fungi. Quidam tradidere pyro syluestri unà cum his decocto debellari eorundem uirus, innocentesq; reddi ueſcentibus.

Pistacea. Cap. CXVI.

PIstacea in Syria nascuntur ex arbore omnino nuda præterquam ramorum cacuminibus. Hæc enim comãtur densiore folio, angusto & subrufo, ex surculis dependentibus pistacijs, pineæ nucis similitudine, atq; adeo effectu. Pistacia Syriæ sunt, ut Dioscoridi placet, nucleis pineis similia, in nucum genere nota. Hæc ante Vitellius qui censor fuit, in Italiam primus intulit è Syria, cum legatus in ea prouincia fuisset, nouissimis Tyberij Cæsaris temporibus: mox & in Hispaniam qui cum eo militauerat Flaccus Pompeius eques Romanus. Iam in Parisiensi agro in ædibus sacris diuæ Marię satu seminis enata uidimus, folio maiore quàm lentisci, ita in ordinem utrinq; dispositio, distantioribus frondium interuallis. Marem in hoc genere accipiunt, cui sub corio uelut ossei, longiores uidentur latere testiculi. Diophanes nucem integram suisq; putaminibus illæsam terræ mandabat. Didymus in Georgicis amygdalo inseri uoluit. Pistacia Damegeron serebat Aprilibus Calendis, sexum utrunq; matrimonio coniungens, sic tamen ut maris dorsum in Fauonium spectaret, ita connexæ largiorem ut asserit fructum dabunt. Inseritur eodem tempore & sui generis arboribus,

& terebintho, & ut idem arbitratur, amygdalo. Paxamus scrobes locis apricis & iugiter insolatis elaboratos excauabat, & uiuiradices uegetas, recentes unà collígatas infuso ster core luna secunda demergebat, ijsq; plantulis ab imo solo ad ramos usq; uinculo constri ctis, terra in gyrum accumulata scrobículos implebat. Sed dabat operam ut rigatione po tuq; satiarentur. Ab octauo die rursum uinculis ut committerentur coirentq; comprime bat. sed ubi caudices trimatum agerẽt, ablaqueatione facta effossisq; scrobibus fimum in spargebat, & impulso altius trunco aggere terræ muniebat, ut cũ arbor in uastam exijsset procéritatem, hoc munere firmius hærens, impetu ruentis uenti nõ deturbaretur. Nican der Colophonius psittacia, Possidonius listacia, Damegeron psittacia dicunt. Athenæus author est terebinthos credi solitos à nonnullis, quæ nunc Syri pistacia uulgo nominant, foliorum similitudine ut arbitror fallente. Officinæ nostræ *fistica & fisticorum grana* hodie uocant: item sequaces seplasiarum medici. Galenus Alexandriæ magnę nasci pistacia per hibet, uerum in Berrea Syriæ municipio uberrima prouenire testatur. Paucum præbent alimentum, infarctas humore iocinoris uias expediunt, & uitijs eliberant, & subaustera quadam ui & odorifera uiscus ipsum roborant. Porrò an stomacho noxia, an frugi, an al uum moueant, an firment, nullum huius rei certum habuit Galenus testimoniũ. Prodesse aduersus serpentium traduntur morsus & potu & cibo. Pistacia eosdem usus & effectus habent quos pinei nuclei, præterq; ad serpentium ictus siue edantur siue bibantur. Pista cia stomacho amica esse Dioscorides prodidit: itẽ contra serpentiũ ictus, cũ uino prodesse siue potu siue cibo. Paulus cõmendat ad discutiendas iocineris obstructiones. Galeni sen tẽtia stomacho neq; prosunt neq; officiunt.

Pyxacanthum. Cap. CXVII.

PYxacanthi, quasi dixeris buxeam spinam, tria inuenio fastigia. Primum ra mis cubitalibus, foliis buxi, sed admodum raris, baccis piperis similitudine, amariore gustu, pallido cortice, radice numerosa, hoc & in Græcia gigni. Se cundum uero in India tantum, frutice quoq; spinoso, ramis triũ cubitorum, rubo crassioribus, foliis oleæ paruis, radice lata, lignosa, buxei coloris. Terti um fruticem qui lonchitis dicatur. Est autem sentis uirgas habens subrectas, tricubitas, aut eo etiam ampliores, protinus ab radice multas, ruboq; crassiores. cortex abscedẽs cru entus. Fert, ut Plinius refert, India spinã piperis similitudine, præcipua amaritudine, foliis paruis dẽsisq; cypri modo, ramis triũ cubitorũ, cortice pallido, radice lata, lignosa, buxei coloris. Hac in aqua cũ semine excepta in æreo uase medicamentũ fit, quod uocat lycion. Ea spina & in Pelio mõte nascitur, adulteratq; medicamentũ, item & asphodeli radix, aut fel bubulũ, aut absinthiũ, uel thus, uel amurca. Lycium aptissimum medicinę quod est spu mosum. Indi in utribus camelorum aut rhinocerotum admittunt. Spinam ipsam Græcia pyxacanthum chironium uocat. Est & eidẽ sylueſtre rhamni genus nigrius & quadam te nus rubens. fert ueluti folliculos. Huius radice decocta in aqua, fit medicamentũ quod uo catur lycium. Semen secundas trahit, alterq; ille candidior stringit, magis refrigerat, uulne ribus accommodatior. Folia quoq; utriusq; & cruda & cocta illinuntur cum oleo. Lyci um præstantius spina tradunt fieri, quam & pyxacanthon chironiam Indicis arboribus adnumeratam: quoniam longè existimatur Indicum. Coquuntur in aqua tusi rami radi cesq; summæ amaritudinis æreo uase, & per triduum, iterũq; exempto ligno donec mel lis crassitudo fiat. adulteratur amaris succis, etiam amurca & felle bubulo. Spuma eius ac flos quidem oculorũ medicamentis additur. reliquo succo faciem purgat & epiphoras sa nat, erosos angulos oculorũ ueteresq; fluxiones, aures purulẽtas, tonsillas, gingiuas, tus sim, sanguinis excreationes fabæ magnitudine deuoratũ, aut si ex ulceribus fluat. Illitum sedis rimas, genitaliũ ulcera recẽtia, & serpẽtia ac putrescẽtia, attritusq;, in naribus clauos et suppurationes. bibit & à mulieribus in lacte cõtra profluuia. Indici differẽtia glebis ex trinsecus nigris, intus rufis, cũ fregeris cito nigrescẽtibus. astringit uehemẽter cũ amaritu dine, ad eadẽ omnia utilis, sed præcipuè ad genitalia. Nomẽ lycio inuentũ puto, quoniã à Lycia inueheret, precipuũ urbe Patara, quãq; Indicũ omnibus præferẽt. Lyciũ, ut Dioscori des testatur, aliqui pyxacanthũ appellant, armatam aculeis arborem, ramis trium cubito rum, aut etiamnũ maioribus. Folia densa, buxo similia. fructus piperis, niger, amarulẽtus, læuis, densus. Arbor ipsa cortice pallido, & colore medicamenti sui cum soluitur, radice multiplici, obliqua, lignosa. Cappadociæ Lyciæ abũdat, nascẽs & locis alijs pluribus. pro

uenire amat solo gracili. Radices eius contusæ cũ ramis suis macerantur aqua multis diebus, tum coquuntur semel, iterumq; ligno exẽpto, donec mellis crassitudo repręsentetur. Adulteratur uarie, primũ amurca dũ coquitur, cõiecta, succo absinthij, felle bubulo. Spuma quidẽ eius ac flos in coquẽdo innatans cortinæ detrahitur oculorũ medicamẽtis, reliquus cremor ad alia perquã idoneus conditur. Ipsum quoq; semen expressum & cõtentũ in sole, dat utilẽ medicinę succũ. Cõmẽdatio lycij ut in carbone ardeat, & in restincta spumã rubentẽ obtineat, glebis intus rufis, foris nigris. cũ fregeris minime pæminosum, olfactu gustum astringẽs cũ amaritudine, croci colore. Omnia hæc Indici discrimina: id enim præstãtissimũ existimatur efficacissimũq;. Vis lycio spissandi. quibus oculi caligãt oblini tur. genarũ scabiẽ, prurítus & ueteres fluxiões sanat, itẽ purulẽtas aures, tõsillas, gingiuas exulceratas, labia rimosa, rhagadas sedis, atritus. iã cœliacis, dysentericis utralibet medetur, seu bibi seu in aluũ dari cõueniat. sanguinis excreatiões & tussim in aqua sumptũ cohibet. aduersus canis rabiosi morsus in pilula deuoratur, aut sorbetur ex aqua. capillũ rufat, digitorũ reduuias, serpẽtia ulcera, ac putrescẽtia sanat. admouetur mulierũ uuluæ contra profluuia. ijs quos animal momorderit in rabie datur bibendũ in lacte, aut more catapotij deuorandũ. Frutícis qui lonchitis dicatur herba, in aceto decocta & pota, inflãmationes lienis tolluntur. regius discutitur morbus, fœminarũ purgationes eliciuntur. trita cruda in eosdẽ usus cõfert. semẽ dimidio cyatho potũ, aquas detrahit, quæ quis sorbuerit uenena frangit. nomen lyciũ in officinis retinet.

Platanus. Cap. CXVIII.

Platanus Latinis & Græcis dicta, nomine apud nos caret, rarior in Gallia, omnibus inuisam arboris speciem demirantibus, & nomen eius & naturam ignorantibus: alioqui peregrina est & umbræ duntaxat gratia expetita. Quæ in nostro orbe adoleuit, cubitorum sexdecim æquat proceritatem, cortice crasso, fronde uitiginea, longo rubroq; pediculo, flosculo pallido, pilulis scabris, lanuginosis, minutis. Platano in quantãuis altitudinẽ se radicãdi natura, modo nihil obstet, & aquę suppetãt. Qualis in Lycio Athenis fuisse traditur, quę iuxta aquæductũ nouella adhuc in dodrãtes ferè centũ, pgressa est. In Creta insula ad Cortyniã platanus stetisse fertur apud fontẽ quẽdã, quæ folia hyeme nõ amitteret, sub qua Iouí cõpressam Europẽ indigenę fabulant. Platanũ in ęrea tripode nasci credidit Theophrastus. Hęc Italię aduena, diuq; in ea, ut idẽ memorię prodidit, rarissima, per Ioniũ mare in Diomedis insulã primũ inuecta, cõmunicata quoq; populis Occidẽtis ad Morinos usq; Imperij Romani termínos perducta. In Lycia unius specu, Plinij ætate, octoginta atq; unius pedũ cauo prędicata. Vna hæc tolerat securim, & subuersa flatu ab radicibus reponi solet, ut salix & populus. Sub eius umbra delectatũ Xerxẽ in terra Lydia, scribit Helianus, diẽq; intergrũ cũ exercitu cõsumpsisse sub ea, atq; ut capti amore solẽt, multis arborẽ donasse muneribus, & quod ridículo pximũ est, ei, ut pellici, Meledoniũ quendã custodẽ reliq sse. Platanus auctu facilis. amat aquas, riguis lẽta et humidior germinare festinat. Latissima sunt ei folia diuisaq;. iucũda platani umbra quãquã crassa. Cõmẽdatio eius sũma solẽ ęstatibus accere, per hyemẽ admittere. nutritur mero platanus radicibus infuso. Vmbrę gratia ex alieno petita orbe, nũc numeroso uertice, et se uastis protegẽs ramis arborũ instar, agros lõgis obtinẽs umbris, largè ipsa toros prębẽte, ita ut epulari intra eã cõplures possẽt omni aestatu securi. Nã cõcamerato ramorũ sinu capaci, cẽturias excipit, et p ęstus uindicat à calore, optãtes imbriũ per folia crepitus. Narrat Theophrastus, pstratã platanũ ramis putatis, trũco securi dolato resurrexisse, atq; noctu leuatã onere reuixisse, corticẽ iterum cõuestiuisse. Erat aũt utroq; circũdolata latere, procerítate decẽ excedẽs cubita, crassitudine quã nõ facile quatuor homines amplecterẽtur. Idẽ refert, Dionysiũ priorẽ Siciliæ tyrannũ Rhegiũ urbẽ trãstulisse eas, domus suę miraculũ, ubi posteafactũ est gymnasiũ, nec potuisse in amplitudinẽ adolescere. Viuax platanus, lõgitudo uitę famę à fabularũ authoribus traditę, testimonio patet. Delphicã platanũ & alterã in Caphyis Arcadiæ stãtẽ Theophrasti adhuc ætate satas Agamẽnonis manu prædicant. Paulo post æquinoctiũ germinat. Sunt & pumilæ platani chamæplatani uocatæ, coactæ breuitatis, quoniã arborũ etiã abortus inueniuntur. hæc ergo in genere pumilionũ infelicitas dicitur. Id genere serendi & recidendi fit ratione inuenta sub Augusto Cæsare, quemadmodum nemora tonderentur. Theo-

phraſtus è platano Aegyptia unguentum fieri ſolitum ſcribit commendatum ueſtibus, non per ſe, ſed additum præſertim in irinum. Platani aduerſantur ueſpertilionibus. Pilulę earum in uino potæ denariorum quatuor pondere, omnibus ſerpentium uenenis reſiſtunt. Item ambuſtis tuſæ, aut cum aceto acri magiſq; ſcyllite ſanguinem omnem ſiſtunt. Lentiginem, carcinomata, uetereſq; nigritias addito melle emendant. Folia & cortex illiuntur collectionibus, & ſuppurationibus, & decoctum eorum. Cortex autem in aceto dentium remedium eſt. Folia eorum tenerrima in uino albo decocta, oculorum. Lanugo foliorum auribus & oculis inutilis. cinis pilularum ſanat ambuſta igni uel frigore. Cortex è uino ſcorpionum ictus extinguit. Folia platani tenerrima in uino decocta, ut tradit Dioſcorides, fluxiones ac pituitas oculorum compeſcunt. Tumores, inflammationeſq; leuãt. Decoctus in aceto cortex dentes in dolore colluit. Virides pilulæ in uino potæ ſerpentium morſibus auxiliantur. Ambuſta igni ſanant cum axungia. Incidens foliorum pilularumq; lanugo oculos & aures offendit.

Populus alba Cap. CXIX.

POpulus alba λεύκη Græcis appellata, Gallis *trambula* quaſi tremula, caudice pro cero erectoq; conſurgit, læui & carnoſo cortice, foliis tremulis, in iuuenta circinatæ rotunditatis, in ſenecta anguloſis, ſemper uerò infernè herbaceis, ſupernè candicãtibus, lanugino ſis, & inter ſe crepitãtibus, ſine flore. uua exigua populi. Aquoſa & paluſtria magis amat, lætiorq; ſecus amnes naſci ſolet, ſtagniſq; gaudet, auctu perquã facilis, quod humori acceptũ ferendũ eſt. minus durans uiuit aquarũ auida. in plana deſcendit cãpeſtris arbor. Inter primas populus germinat, paulocq; ante Aequinoctiũ. Huic ut ricino folia in iuuẽta circinatę rotũditatis ſunt, uetuſtiora in angulos exeunt: è cõtrario, hederæ anguloſa rotũdantur. Propterea ut refert Theophraſtus, putant quidã uetuſtate candidã mutari, ut helix in hederã, & pyrus in pyraſtrũ. Populorũ foliis grandiſſima lanugo, euolat cãdidæ ut iulus. Habet cũ paucis proprietatẽ hãc, ut ab æſtiuo ſolſtitio circũagatur, hoc eſt partes ſupinas foliorũ conuertat, quod ſalici & ulmo & oleæ accidit. quod quidem ſyderis cõfecti ruſticis argumentum eſt. Populus an fructũ ferat necne uaria eſt ſententia. Arcades ſterilẽ putauere, ſed in Creta fructificat in ipſo Idææ ſpecus aditu: ad fontẽ quoq; Sauri duodecim ab eo loco ſtadijs: in Cindrio quoq; proximo ab Ida monte, & circa Tiraſiam parte mõtuoſa. Herculi dicata populus, ut arbores alię numinibus ſuis, Ioui eſculus, Apollini laurus, olea Mineruæ, Veneri myrtus. Alba folio bicolor ſupernè candicans, inferiori parte uiridi, numeroſiore. Populi ferunt in foliis guttam ex qua apes propolim ſuam faciunt. Reſina è populo exigua eſt, humor è cauis eius effluit. Ariſtoteles author eſt acheroin uocari nigram populum: Pauſanias uerò candidam, ita nominatam quòd Hercules in deſcenſu ab inferis apud Acherontem uidiſſet eam, ramumq; extuliſſet: non alio ligno cremari uictimas in Elide Ioui Olympio. Multũ eructat fumum populi lignum ignibus dicatum. Pediculus populis tremulus & eiſdem folia inter ſe crepitantia. Scopis tantum naſcentes. Infelices autem exiſtimantur damnatæq; religione, cum neque ſemen ullum neque fructum ferant. Vinearum cauſa populus alba ſerit, bipedaneo paſtinatu, talea ſeſquipedali, biduo ſiccata, ſemipede interuallo, terra ſuperiecta duum cubitorum craſſitudine. Populus arbor uitibus placet. Lenta utrique materia, ideo ſcutis faciendis aptiſſima quoque, plaga ſe contrahit protinus claudítq; ſuum uulnus, ob id contumacius tranſmittit ferrum. Vnguentum populneum quod ægirinon Græcis dicitur, ex uua populi, quæ bryon eſt, conficitur uerno tempore, cum plurimum grauis eſt prægnanſq; reſina. Cortex potus iſchiadicis & ſtranguriæ prodeſt. Foliorum calidus ſuccus aurium inſtillatur dolori. Virgam populi tenentibus intertrigo non metuatur. Potus albę populi cortex, ut ait Dioſcorides, denarij pondere iſchiadicis & urinæ ſtillicidio medetur. Abortiuum naſci tradunt, ſi cum mulino rene bibatur. Folia quoque cum uino à purgatione pota idem maleficium pręſtare produntur. Tepens foliorum ſuccus utiliter aurium dolori fundítur. Pilulæ quæ primo foliorum partu proſiliunt, illitæ cũ melle hebetatam oculorum aciem recreant. Memoriæ prodiderunt corticem huius & nigræ conciſum in minutias, & ſulcis ſtercoratis inſparſum, edules innoxioſq;, totoq; anno reſtibiles creare fungos.

Populus

Populus nigra. Cap. cxx.

POpulus nigra ἄγγειρος Græcis, frõde eſt anguſtiori, ſcabriore cortice, in totum ſtrigoſior. folia circinatæ ſunt rotunditatis in iuuenta, uetuſtiora in angulos exeunt, infernè herbacea, ſuperne candicant, tremulo pediculo, inter ſe crepitantia. Vtrunq; genus erectum, ſed nigra procerior & læuior, folio bicolor. utríque denſa lanugo quę ut iulus euolet. ligno utríque par cãdor, neutra putat florere, ſed alba numeroſiore folio, quæ uuas brya uocatas ferat unguentis. In hãc uetuſtate alba degenerat. Cũ cędítur quoq; intus lignũ albícat. mature germinat & ante æquinoctiũ. Lætior apud aquas adſurgit, amat amnes, inde lachrimã quę in Eridanũ defluat, durari ac coire in ſuccinũ aliqui prodiderũt. Nigrã Arcades fructũ parere negãt, quãuis in Creta fructificet: ſi tamẽ hinc transferatur, ſterileſcit. Tertiũ genus Theophraſtus facit eius quam Alpinã, nõnulli Libycã cognominãt, ſupradictarũ altitudine, cortice pyri ſylueſtris ſcabro, ramis cãdícantíbus, folio hederæ, hinc inde exaturato uirore nígro, ſed parte una hebete, altera anguloſa, pediculo tenui, oblõgo, colore parte ſupina pronaq; ferè cõſimíli. Lybica appellatur minima folio ac nigerríma, fungíſq; enaſcentibus laudatiſſima. De ſuccino ſuprà díximus. Electri tamen ſunt qui tria conſtituant genera. Vnũ naturale, quarta parte argẽti, ut in canalenſi auro. Aliud cura fit, tribus auri partibus & una argẽti: quanq; quod quintam partem argẽti excedit, incudibus nõ reſiſtat. Errare Plinius putat qui melius eſſe naturale exiſtíment. Cuius probatio, ut ueneno accepto ſtridorem emittat, & uarios quaſi arcus cæleſtis in diſſimilitudinem reddat colores. Narrant ad lucernarum lumina clarius argẽto ſplendere. Longè diuerſum ab hoc uídetur genus quod ambra ſiue ampar dicitur, Aetio ambar, incompertum ueteribus arbitror, multis locís ſcaturiens bitumínis & ſulphuris modo. diſcrimen eius triplex. Rufum & pingue præferũt, Selachiticum à quodam Indiæ municipio uocatũ, ubi naſcitur. Subalbídum ex Arabía ſelíci minus probatur, è maritímo quodã oppído cui Sechra nomen eſt. Deterrimũ nigreſcit, quod piſces deuorauere. Alij aliter ſentiunt, nos græcam fidem ſequimur. Sed ad noſtrũ reuertamur inſtitutum. Populus nigra efficaciſſima habetur, quæ in Creta naſcitur. Comitialibus ſemẽ ex aceto utile. Fundit illa & reſinã exiguã qua utũtur ad malagmata. Folia in aceto decocta podagrís imponũtur. humor è cauis nigræ populi effluens uerrucas papulaſq; & attrita corporis tollit. Populi in foliís ferunt guttã ex qua apes propolim faciunt. gutta quoque aquę propolis remedium efficax eſt. Negant & intertrígínem ſentire qui uírgam in manu tenuerit. Populi nigræ folia, ut Dioſcorides perhibet, magna utilitate podagrís illinuntur. Reſinam populus fundit quæ in malagmata quærítur. Semen potum ex aceto comitialibus utile eſt. Lachrimam narrant quæ in Eridanum ammen è populis diſtillet durari ac coire in electrum, hoc eſt ſuccinum, quod chryſopho nem appellant. Id attrítum iucundum ſpirat odorem, colore auri æmulo. tritum hoc potumq; ſtomachi uentríſq; fluxiones ſiſtit.

Prunus Cap. cxxi.

PRunus arbor eſt procera, radicíbus ſummo ceſpite uagantibus, paucís, caudice ſubrecto, ſcabro, multis brachiato ramis, folio ex oblongo ferè rotundo, per oras minutím ſerrato, flore candído, foliato, ſuper fructum inſidẽte, pomo carne cutéque ueſtito, ligno intus duro in quo nucleolus includitur. Inter paruas arbores reddidit Theodorus, ut in ea peculiare ſit fructum in lanugínẽ ſoluí, quod nulli arborum euenit. Sed hoc Plínius Theophraſtum ſequutus nõ pruno ſed coggygríæ uocatæ tríbuit. Decepit hominẽ uel corrupta lectio, uel nominũ affínitas, forte quía cocconeliam ſcribendũ erat: nã & unedo, cui ſímilis eſt coggygria, neliæ nomen apud Theophraſtum habet, cui, non pruno, folium arbuti tradídit. Prunum ſylueſtrem Vergilius uocauit ſpínum eo uerſu, Spinos iam pruna ferentes. Pruni ſylueſtres genera ſpinarum ſunt Columellæ, quæ non ſunt negligendæ, cũ per ſtirpes exploratur terra noualibus. Nam ſi læues, nitidas, prolixas, fœcundaſq; non retorridas uel ſcabras uíderímus ſylueſtres prunos uel rubos, intelligemus terrã eſſe ſurcularem. Sylueſtres prunos Theophraſtus quoq; tradídit. cõtumacís uitæ prunus. Seritur poſt mediã hyemẽ uſq; in Idus Februarias. Si tamẽ oſſibus ſeratur autũno, menſe Nouẽbri, ſolo putri & ſubacto duobus

bus palmis obruantur ossa. eadem ponantur mense februario, sed tunc lixiuo sunt macerranda per triduũ, ut cito germinare cogãtur. Ponitur & plantis quas ex caudice sumemus mense Ianuario exeũte, uel Februario circa Idus, radicibus simo oblitis. Gaudet solo læto & humido. cælo tepido melius adolescunt. cũ tamen & frigidum possint sustinere. Locis glareosis & lapidosis si iuuãtur lætamine, præstant ne caduca poma & uermiculosa nascãtur. Extirpari iubentur à radice soboles, exceptis rectioribus, quæ seruãtur ad plantas. Si languida pruni arbor est, ut Græci tradũt, amurca cũ aqua æquis partibus tẽperata debet infundi, uel bubulũ lotiũ solũ, uel humanũ uetus ęqualiter aquę mistũ, uel cineres è furno, maxime sarmentorũ. Si poma decidãt, oleastri cuneus perforatæ radici est impingendus. Vermes atq; formicas rubrica cũ pice liquida si adliniatur, extinguet: sed modestius propter arboris noxã, ne idẽ efficiat remediũ quod uenenũ. Iuuantur frequẽti humore & assidua fossione. Mẽse Martio extremo prunus inseritur, melius trũco fisso q̃ cortice: uel mẽse Ianuario ante q̃ incipiat gummi collachrymare. Inseritur in se, & persicũ recipit, uel amygdalũ, sed eam degenerem reddit & paruam. Non temere in mõtibus uisa est prunus. Damascena sicca terra & cęlo calido gaudet, ut Pamphilus nobis scriptum reliquit. inseritur ijsdem horis quibus reliqua prunus. Seruantur damascena, ut idem prodit, cadis uino dulci uel nouo fluitantia, operto diligẽter uase. Prunis foris corpus, intus lignũ, uitiumq; cinctũ fructu, cum fructus alibi muniatur uitio. Ingens est turba prunorum, uersicolor, nigra, candicans, hordearia à comitatu frugis eius appellata. Alia eodem colore seriora, maioraq;, asinina cognominata à uilitate. Sunt et nigra ac laudatiora, cerina atque purpurea, nec nõ ab externa gente Armeniaca, quæ solo odore cõmendãtur. Sunt & onychina Columellæ nigris laudatiora. Habentur & nucibus insita, quæ faciem parentis & succum adoptionis exhibent, appellata ab utroq; parente nucipruna, hæc & cerina & sylueſtria ut uuæ autũno cadis condita usq; ad alia nascentia ætatẽ sibi prorogant. reliquorũ uelocitas transuolat marcescentium. Memoria Plinij in Betica, malina appellari cœperunt malis insita, & alia amygdalina amygdalis. His intus in ligno nucleus amygdalæ est, nec aliud pomũ ingeniosius geminatum est. A peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, à Syriæ Damasco cognominata, in monte nata. Iam Galliæ familiaria, grandiore quanquã ligno, & exiliore carne, nec unq̃ in rugas siccata, quando soles sui desunt. Populares ijs myxæ, de quibus & in Aegypto uina fiunt. familiares & ipsæ Italiæ uel sorbis insitæ: Græci myxa. quibus similis est persicus Aegyptia, nisi q̃ poma Aegyptiæ rubescunt. Pruna omnia post Catonẽ in Italia cœpisse manifestũ est. In sylueſtribus satiuisq; prunis, limus est arborũ quẽ lichena Græci uocãt. Est & sua prunus, ut Theophrasto placet, Aegypto, magnitudine insigni, non dissimilis spinæ Syriæ, folio pruni sed immortali. pomo mespili, ligno intus grãdi, ac rotũdo. Florere incipit mense Iulio, matureſcit bruma, nec folia dimittit. Corpus ipsum pomi natura copiaq; messium instar incolis. purgatum enim tundũt, seruantq; eius offas qui Thebis habitant. Prunorũ apud nos innumeræ ferè differentiæ, prima laus damascenis tribuitur, nigra cute, carne suaui, rotũdo ligno, exili nucleo. Secundas partes sibi uendicãt pertigona cognomine, Iberica, ut credo, uocata, quoniã primũ ex Hispania uenerunt, ut inquit Aetius, succi dulcioris, durioriq; carnis, suaui gustu. ea qua parte solem spectãt, purpureo nitent colore, aduersa parte candicãt uel subrubent. utraq; pressa digitis internũ os dimittunt. Alia coloris ceræ ex candido in luteũ pallescentia, quæ *cereola* uel *cerea* apud nos etiam uocitantur. Alia maiuscula, mollia, purpurea, *pedicularia* uulgo à uilitate dicta, ijs sues rura saginant. asinina nõ ab re putauerim quoq; dicenda. Commendantur maxime quoq; quæ prunidactyla, à longitudine digiti, ut puto, dicta, purpurea, suaui carne, ouata pomi specie, insitionis mangonio nusquã non nascentia. Alia Nobertiana, itẽ Iuliana, aliquanto seriora, cęruleo colore, cumulatim in parente intorto surculo pẽdent dum passa contrahantur in rugas. Cætera genera minime prosequi libet. Id satis fuerit nũc, quę Græcis myxa, & per diminutionẽ *myxaria* nũc officinis dicãtur, Galenus serica maluit appellare, quę ut inutilia stomacho, nec nisi fastidiosis pueris aut malacia laborãtibus mulierculis expetita repudiat. Syrij Augusti, ut conijcio, honore sebastos hęc myxa uocauerũt. nũc, ut interpretor, officinæ *sebesten*. Arboris eius ligno cortex albus, ramis uirens, folio rotundo, amplo, fructus in racemo dulcis, candido lentore plenus, cum interiore

teriore nucleo quasi oliuæ siccatur. Damascenum inde uiscum paratur commendatissimum aucupijs, præterquam aquatilium uolucrum. Recentioribus medicis uentrem resoluit: distillationes comprimit: erosiones sedat uesicæ, & intestinorum pellit animalia, quòd amariora prunis Paulus putet. Pruna siccantur in sole per crates loco sicciore dispositа. hæc sunt quæ Damascena dicuntur. Alij aqua marina, uel muria feruente recenter lecta demergunt, & inde sublata aut furno tepido iubent, aut in sole siccari. Pruna onychina ut Columellæ placet, item pruna syluestria circa messem condiuntur. Pruna purpurea immatura non tamen percruda, integra & sine uitio aut uermiculo lecta, in fictili picata fidelia componuntur, et defruto aut passo ita ut omne pomum sit immersum, uas complетur, impositoq; operculo gypsatur. Prima laus, ut Galenus author est, Damascenis à Damasco Syriæ monte oriundis: proxima datur Ibericis quæ ab Iberia & Hispania deuehũtur. Cient aluum. ex aqua mulsa decocta uentri molliendo sunt, etiam si sola manduntur, sed prandiũ inchoare debẽt. Vis omnibus quædã refrigeratrix inest. Syluestris prunus, ut idẽ, in Asia prumnõ dicitur, nos uulgari more *prunula* uocamus. Damascena Theocritus brabyla uocauit, quę & madrya & badrya dicuntur Athenęo. Miratur Galenus Dioscoridẽ q; pruna damascena siccaaluũ sistere prodiderit. Pruni folia tõsillis, gingiuis, uuæ prosunt in uino decocta, & subinde ore colluto. Ipsa pruna aluũ molliũt, stomacho utilissima, sed breui momento. Syluestrium prunorum baccæ uel è radice cortex in uino austero si decoquantur, ita ut triens ex hemina superstit, aluum & tormina sistunt. satis est decocti singulos cyathos sumi, & in ijs & satiuis prunis. Limus arborum, quem lichena Græci nominant, rimis sedis & condylomatis mire utilis. Arbor prunus Dioscoridi fuit notior q; deberet explicari. Pomũ eius estur alienum stomacho, uentrem emollit. Syriaca quæ maxime Damasco mõte nascuntur, siccata, stomacho utilia sunt. sistunt aluum. Folia pruni in uino decocta gargarissatu uuam, gingiuas, tonsillas fluxione laborantes reprimunt. Præstant idem syluestriũ prunorum baccæ, quæ cum maturuerint resiccatæ sunt. In sapa decoctæ stomacho commodiores fiunt. Gummi prunorum conglutinat, potum in uino calculos frangit, ex aceto perunctum lichenas infantium sanat.

Punica malus. Cap. CXXII.

PVnica malus, Græcis rhoa, Gallis *granatum*: arbor est haud adeo procera, folio angusto, nitidicq; uiroris, flore puniceo, oblongo, calathi effigie, pomo quod corio & membrana tegitur, numerosis intus acinorum granis farcto, inde granatum appellant. punica contorto & breui trunco, flore contra q; reliquis arborum puniceo. Excipiunt amygdalarum quoddam genus, quæ subrubicundum florem sustinent, qui punicæ creber & copiosus erumpat, amplitudinémque pomi sui quadantenus æmulatur, quanuis genus eius sit quod fructum amittit, antequam maturet, nec nisi ad florem usque partus peruenit. is in fructum incumbit, qui subtus attollẽs se colligit, & ambitu cõgruo sinuatur. fructũ in anniculis surculis profert. Germinat è latere ac cacumínibus. arbos fruticosa, ramosa, superiore coma multo fusiore. paucis tamen nititur radicibus, prolémque suam sursum uersus procreat, caule diffusa multiplici. Sola hæc ut uitis & ficus caudice fisso non emoritur. Aculeos gerit in ramis ut paliurus. breui uiuit spatio. Carnosa punicę medulla & angusta folia. in Ponto magna ramorũ densitate arbores opacãt. Copiosæ in Tmolo Olympoq;. De acida planta, uel semine, uinolẽta dulcisq; in Aegypto exit, in Cilicia circa Solos ad Pinarũ amnẽ, ubi contra Darium pugnatũ est, ut inquit Theophrastus: quanquam alicubi punicũ acidum ædere dulce, uel dulce acidum, ostentum aruspices existimauerint. Omnes sine nucleo satæ prouenium. Fructu satæ, item neglectæ degenerant, cultuq; desciscunt, simum suillum aquarumq; fluentium copiam nactæ. Ex acinis tamen mali punici glaucis utilia exeunt, ex nucleatis dura & plerunq; acida. Punicũ suo caudice fructificasse nõnunquã, sed prodigiose retulit Theophrastus. Rigatum & purgationẽ arbores desiderãt. Punicũ malum Carthagine laudatissimum, indeq; cognomẽ malũ punicum, granatũ aliqui appellant. Satam primum arborem in Cypro à Venere testantur fabulæ Græcorũ. Diuiditur in genera apyrenon uocando, cui lignosus nucleus abest, sed candidior ei natura, et blandiores sunt acini, minusq;

minuſq; amari, diſtincti membranis. Alia ſtructura eorum ut in fauis. Cõmunes nucleos habentiũ quinq; ſpecies. Dulcia, acria, mixta, acida, uinoſa. Samia & Aegyptia diſtinguũtur, erythrocomis & leucocomis. ita nouem genera colliguntur omniũ. Sũma tamen faſtigia duo: alteri lignoſus adeſt nucleus, ſclerococcon ob hoc uocatũ: alteri nõ adeſt, aut certe minimus, quod ex argumẽto apyrenon dicitur. Corticis maior uſus ex acerbis ad perficienda coria. Flos balauſtiũ uocatur, & medicinis idoneus & tingẽdis ueſtibus, quarũ color inde nomen accepit. Punici acini anguloſi, quippe ſoli: nec cutis ulla ſingulis præter cõmunẽ quæ cãdida eſt, totiſq; ſuccus & caro eſt, iiſq; præcipue quibus paruulũ ineſt ligni. Corio & mẽbrana tingũtur punica, iis acinus ſub cortice intus. Nõ temere in mõtibus uiſa eſt arbor punica. Perdit facile ante maturitatẽ fructũ, quę etiã roribus nimiis & pruinis florẽ amittit: qua de cauſa inflectunt ramos eius, ne ſubrecti humorẽ infeſtũ excipiãt atq; contineant. non lõgo durat æuo, ſed cito occidit. Malũ punicũ uere uſq; in Calẽdas Apriles recte ſeritur. Quòd ſi acidum aut minus dulcẽ feret, hoc modo emendabitur, Stercore ſuillo & humano urinaq; uetere radices rigato, ea res fertilẽ arborẽ reddet, & primitiuis annis fructum uinoſum: poſtea uerò dulcem & apyrenum facit. ſi modico laſere uino diluto cacumen oblinatur, ea res acorem malorum emendabit. Mala punica ne rumpantur in arbore, remedio ſunt lapides tres cum ſeritur arbor ad radicem collocati: aut ſi iam ſata ſit, ſcylla ſecundum radicem conſeratur. Alio modo, Cum iam matura mala fuerint antequã rumpantur, petiolos, quibus pendent, intorqueto. Eodem etiã modo ſeruabuntur in corrupta anno toto. Aliqui intra fictile uaſculũ ramũ punici claudunt, ut ad eius magnitudinem poma reſtituat. Locis tẽperatis menſe Martio uel Aprili mala punica ſeramus: calidis & ſiccis Nouembri. Amat hæc arbor ſolũ cretoſum, macilentũ: ſed in pingui quoq; prouenit. regio ei eſt apta quæ calida eſt. Seritur & plantis de matrũ radice deuulſis. Sed quamuis multis generibus pãgatur, melius tamen eius ramus cubitalis inciſus manubrij craſſitudine, & capite utroque acuta falce læuigatus, ſcrobi uelut obliquus immergitur: prius tamẽ ſuillo ſtercore & ſummum & imũ oblinatur, uel in crudo ſolo malleo cogatur ad inferiora defigi. Melius proueniet, ſi ponendus ramulus gẽmata iam matre ſumatur: ſed inditi ſcrobibus lapilli prouident ne poma findãtur. Credũtur acida fieri ſi rigẽtur aſſidue: nã ſiccitas in iis ſuauitatẽ præſtat & copiam. Circũfodi autumno & uerno debet. Si acida naſcantur, ablaqueatis radicibus tedæ clauus infigatur. Alij algã marinã ad radices obruunt, cui nonnulli ſtercus miſcent aſininum atq; ſuillum. Si florem arbor non continet, urinam ueterem cum aquæ menſura pari temperabis, & ter per annum radicibus infundes. uni punicæ amphora ingeſta ſufficiet. uel algam immittis inſulſam, uel algam radicibus iungis, uel bis in menſe rigabis, uel arboris florentis truncum plumbeo concludis circulo, uel anguis corio inuoluis. Si crepãt poma, lapidem arboris radicibus ſuppoſuiſſe ſatis eſt, uel ſcyllam circũ caudicẽ ſeuiſſe. Si uermibus laborant, tangis radices felle bubulo, & continuo moriuntur. Clauo æneo ſi uermes eoſdem purges, difficile renaſcẽtur. Vermioſis arboribus urina aſini ſuillo ſimo permiſta medetur. Tradunt candidos in iis acinos fieri, ſi argillæ & cretæ quartã gypſi partem, & toto triennio hoc terræ genus radicibus adiungas. Tradũt mira magnitudine poma protuberare, ſi olla fictilis obruatur circum arborẽ, in eaq; ramus cum flore claudatur, ne reſiliat ad palum ligatus: tum operta olla contra incurſus aquæ muniatur, autumno patefacta ſuæ magnitudinis poma exhibebit. Cinis cum lixiuio circa punici truncum frequenter infuſus, læta & fructuoſa reddit arbuſta. Punica, ut Græci tradunt, feruente cælo gaudet, riguis ſeri locis optat comite ſcylla. Si dũ pendent in matre poma, ſurculos ſemel uel iterũ intorſeris, ad uer uſq; integritate uegeta cuſtodientur. Addunt ab auibus non impeti, ſi cucurbita & rapum quæ nullo antea humore maduerint, opponanẽ. Languẽtes arbuſculę fuco in mari ſcaturiẽte recreantur, ſi parte ima caudex radice tenus inuoluatur. Diophanes in ſuis Georgicis ſcriptũ reliquit, rubra creari mala, ſi glandiũ cinere radices aſpergãtur. Democritus teſtatur punicã myrtũq; mutua cõſuetudine mirũ in modũ oblectari, q; ſi inter ſe ſocietate ac cõſortio fruãtur, fertiliores reddi: radices quoq; etſi aliquãto diſtent interuallo, mutuo cõplexu exhilarari. Africanus in excauatos ſcrobes, cũ pangerẽtur, cochleas ingerebat ſi inuenirentur, aut iam ſatis ſcyllæ bulbos obſerebat. quippe cũ ea cæca quadã naturarum diſcordia diſſilire

mala

mala, aut rupta fatiſcere non patiuntur. Non dehiſcent in arbore poma quæ in caput con
ſita fuerint. Sine nucleis naſci idem promittit author, ſi dempta, ut in uite, medulla, ſurcu
lus adobruatur, & dum comprehenderit, amputetur quod emergit. Ramos punicæ idem
adfirmat ſerpentes arcere. quapropter in amœnis tutaminis gratia deponi conſueuit. Di
dymus rubicundiora fieri mala tradit, ſi cinis cum lixiuio circa truncũ eius frequẽter fue
rit infuſus. Malum acidum fieri tradit Paxamus, ſi circunfoſſis radicibus arbos ſuillo ſter
core ſublinatur, aut humana rigetur urina. Copioſa in punico mala naſci Democritus aſ
ſerit, ſi tithymali & portulacæ ſuccus bene cõmiſtus arboris trũco antequã germinet adli
natur. Acinos granatis totidẽ numero in ſingulis adfirmat Aphricanus, etiã ſi magnitudo
uariet, modo ex eadem arbore legãtur. Varie, ut Græci produnt, inſeritur, in ſe, & aliis ar
boribus. Caudex itaq; flexilis qui poſſit ad terrã uſq; deduci obruitur, ita ut ramulorum
connexione medulla utrinq; diuiſa ſe iungat: deinde uinculis diſtrictus ligatur, ne poſſit
in ſuam ſedem reſilire, demũ amurca ſuffunditur. Sed inſecto trunco ſurculus q; recentiſ
ſimus ſtatim debet infigi, ne mora exiguum, qui ineſt, ſiccet humorem, alia tamen ſcitu nõ
indigna q; cæteris ratione. nam in punica ſurculus iam oculis gemmaſcens accipi debet,
in aliis uerò prius quàm germinent. Lætatur hęc myrti coniugio, ut refert Didymus: ideo
inſita myrto punica, multo plurima poma largietur. ſalici itẽ et citrio, ut idẽ teſtatur, inſeri
cõſueuit. Punica mala, ut Græci tradunt, ad hybernos uſus reſeruanda leni manu, ne ta
ctu aſperiore uitientur aut uulnus ſentiant, interlegi debent, nam ea putrilaginis originẽ
adferunt, et incocta pice mergi, refrigerataq; ſuſpendi. Alij arente flocculo ſigillatim inuo
luta funiculis obſtringunt, ne tumeſcentia dehiſcant in rimas: ſic tamen munita, in parẽte
patiuntur hęrere. poteſt & hoc in aliis malis obſeruari. Sunt qui in ſcobe querna, ſuffuſo
prius aceto, cõpoſita obruãt. Alij integra in feruente aqua marina uel muria demergũt ut
cõbibant, dein ſole reſiccant, & loco ſuſpendunt frigido: & cũ uti uolunt, aqua dulci pri
die macerant. Alij in ſingulis fictilibus ollulis ſingula collocant, & diligenter opertas ita
ſtabiliunt, nec uel caudicis occurſu uel mutuo earum colliſu poſſint confringi: ita & ube
ribus & adultis ſemper potientur. Longo cuſtodiuntur tempore, ſi in feruentem aquam
intingantur, & protinus erepta, in arena ſicca componantur, aut tritici cumulo in umbra
dum rugas contraxerint recondantur. Item ſi tactu inuicem ſeparata paleis obruantur:
aut ſi induantur argilla, & ea ſiccata, loco frigido pendeant: aut ſi ſeriola obruantur ſub
dio, quæ habeat arenas uſque medium, & cum ramulis lecta inprimantur cannis ſingulis
uel ſambuci uirgulis, & ita ſeparata in arenis figantur, ut ipſa quatuor digitis emineãt ab
arena. Hoc & ſub tecto in ſcrobe bipedanea fieri poteſt, & utilius eſt ad ſeruandum, ſi cũ
ramo longiore tollantur. Alij in ſeriola cui ad medium aqua mittatur ſuſpẽdunt mala, ne
humorem tangant, ſeria claudítur ne uentus irrumpat. item in dolio intra hordeum ſic or
dinantur, ne ſe inuicẽ tangant, & doliũ ſuperoperitur. Vinũ hac ratione conficitur, Acini
maturi diligenter purgati in fiſcellam mittũtur, et cochlea exprimuntur, hoc coctũ ad me
dietatem uſq; cum refrixerit, picatis uaſculis claudítur. aliqui ſuccum nõ excoquunt, ſed
ſingulis ſextarijs libras mellis ſingulas miſcent, & ſupradictis uaſculis reponunt. Dulcia
mala ſæpe intelliguntur, cum apyrena dicuntur. Vinolenta nucleum fere paruum habẽt,
uuam in ijs, ac ne muſtum quidem protinus aperuit natura. apyrenis & uinoſis cortex a
ſperior. Punicam malũ fere Græcia rhoan & rhœan uocat, reliqua ut apud Callimachum
eſt, item Hippocratẽ, ſidam. Side porro & Bœotia terra dicitur, à quo & arbori nomen da
tum, quo argumento Athenienſes ab Epaminunda in Sidæ regionis quæſtione uicti me
morãtur. Nanq; ſicut refert Athenæus, quid ſidam appellarent orta contentione, Epami
nundas protinus ex dextera conditũ depromens punicũ, ſciſcitatur quonam modo malũ
hoc uocarẽt, qui rhoan reſponderũt. ſed nos, inquit, ſidam. Dulcia quæ apyrena nomine
alio uocãtur, ſtomacho inutilia habentur. Inflationes pariũt. dẽtes gingiuaſq; lædũt. Quę
uerò ab his ſapore proxima uinoſa dicuntur. Paruum nucleũ ferẽtia utiliora paulo intel
ligũtur: aluum ſiſtunt & ſtomacho proſunt duntaxat pauca, citraq; ſatietatem. Hæc dari
in febre nonnulli negant, nec ſucco, nec carne acinorũ utili. Cauẽtur æquè uomitionibus
ac bilem reijcientibus. Cortex in magno uſu eſt. Vulgus coria maxime perficere illo no
uit, ob id malicorium appellant medici. urinam cieri eodem monſtrant, miſtáque galla in

aceto decocto mobiles dentes ſtabilire. Expetitur malum in grauidarum malacia, quoniã guſtatu moueat infantẽ. diuiditur, cæleſticq; aqua madeſcit ternis fere diebus. hæc bibitur frigida cœliacis & ſanguinẽ excreantibus. Ex acerbo fit medicamentum ſtomatice uocatum, utiliſſimũ oris uitijs, nariũ, auriũ, oculorũ caligini, pterygijs, genitalibus, & nomis, & quæ in ulceribus creſcũt. Contra leporẽ marinũ hoc modo, Acinis detracto cortice tuſis, ſuccoq; decocto ad tertias, dein cũ croci & alumínis ſciſſi, myrrhæ & mellis Attici ſelibris. Alij hoc modo faciunt. Punica acida multa tundũtur, ſuccus in cacabo nouo coquitur mellis craſſitudine ad uirilitatis & ſedis uitia, ad purulẽtas aures, epiphoras incipientes, ad rubras maculas. In manibus rami punicorũ ſerpentes fugant. Cortice punici exuno decocti & impoſiti, perniones ſanantur. Contuſum malũ ex tribus heminis uini decoctũ ad heminã, tormina & tineas pellit. Punicũ in olla noua operculo indito in furno toſtũ & contritũ potumq; in uino ſiſtit aluũ, diſcutit tormina. Primus partus huius florere incipientis, ut Plinio placet, cytinus appellatur à Græcis, miræ obſeruationis multorum experimento. hunc ſi quis duobus digitis & pollice decerpſerit, luſtratis leui tactu oculis, mox in os additum deuorauerit, ne dente contingat, affirmatur nullam oculorum imbecillitatem eo anno paſſurum. Iidem cytini ſiccati tritique, carnes excreſcentes cohibent, gingiuis & dentibus medentur, uel ſi mobiles ſint, decocto ſucco. Ipſa corpuſcula trita ulceribus quæ ſerpunt, putreſcunt ue, illinuntur. item oculorum inflammationi, inteſtinorumq;. In hoc ipſo cytino floſculi ſunt antequam ſcilicet malum ipſum prodeat erumpẽtes, quos balauſtium uocat Plinius. hi ſcorpionibus aduerſantur, ſiſtunt potu menſes fœminarum. Sanant oris ulcera, tonſillas, uuam, ſanguinis excreationes, uentris & ſtomachi ſolutiones, genitalium ulcera & quacunque in parte manantia. Tuſorum farina, ut tradunt, dyſentericos à morte reuocat. Nuclei toſti tuſiq;, ſtomachum iuuant cibo & inſperſione. bibuntur ex aqua cæleſti ad aluum ſiſtendam. Radicis decoctæ ſuccus tineas necat uictoriati pondere. mali punici corticis fumo culices fugantur. Eſt & ſylueſtre punicum à ſimilitudine appellatum, eius radices denarij pondere in uino potæ ſomnos alliciunt. Semine poto, aquam quæ cutẽ ſubierit ſiccat. Malum granatum omne, ut Dioſcorides ſcribit, boni ſucci, ſtomachum adiuuat, carnes minus alit. Ex ijs dulcia, ſapore grato, ſed inutiliora ſtomacho habentur, utique non omnino, ſed quatenus partem illam aliquantum excalfaciunt, inflammationéſque pariunt. proinde in febri abdicantur. Acida feruoribus ſtomachi auxiliantur. melius ſiſtunt ac urinas moliuntur facilius. ora gingiuáſque lædũt. Vinoſa uerò mediam ſibi uendicant naturam. Nuclei acinorum acidi punici ſiccati & obſonijs inſparſi incocti ue, fluentem aluum ſtomachumq; cohibent. madeſcunt aqua cæleſti, bibunturq; ſalubriter ſanguinem excreantibus. Ad deſeſſus dyſentericorum, fœminarumq; uuluæ fluxionibus obnoxiarum utiles habentur. Expreſſus ſuccus coquitur cum melle ad oris, uirilitatis, & ſedis uitia, nomas, reduuias, & quæ in ulceribus excreſcunt, aurium dolores, narium tædia, præſertim acidi. Flores huius cytini uocantur. aſtringunt, ſiccant, cohibent, cruenta glutinant. Eaſdem quas pomũ præſtant utilitates, madidis pituita gingiuis collutione medentur. mobiles firmant dentes. hernias prolapſu inteſtini erumpentes emplaſtro ſuo repellunt. Memorię prodiderunt, ſi quis ternos cummínimum deuorauerit, nullam eo anno lippitudinẽ ſenſurum. Exprimitur hypociſthidis exemplo. Malicorium aſperum eſt mali punici putamen, quod aliqui ſidion uocant. hoc ſpiſſandi uim habet, & eiſdem pollet utilitatibus quibus cytinus. Decoctum radicis potu latas uentris tineas pellit, & eaſdem enecat. Balauſtion flos eſt ſylueſtris punicæ cytino ſimilis. genera eius multa, candidi, rubri, roſacei. Succus ut hypociſthidis premitur. natura ei ſpiſſare cytini & hypociſthidis effectibus.

Rhamnus. Cap. CXXIII.

RHamnus, aliqui perſephonion uocant, alij leucacantham, Romani ſpinam albam aut cerualem uocant, frutícat in ſeptis ramos ſpargens rectos, & aculeos in acutæ ſpinæ modum folijs paruis, oblongiſq;, ſuppinguibus, teneris. Alterum genus candidius. Tertium fuſcius latioribus folijs, & quadantenus rubentibus: uirgæ quinum ferè cubitorum proceritatem implent, infirmioribus horrentes ſpinis, innocentioribuſq;, aculeo mucronato. fructus ei candidus, latus

latus, prætenuis, folliculari ſpecie, non diſſimilis uerticillo. Theophraſtus rhamni duo genera conſtituit, nigrum & candidum, utriq; fructus parentum colore. Nigrum folliculos fert in quibus terna aut quaterna ſemina: quibus medici contuſis contra tuſſim utuntur, continent enim lentorem quendã quale lini ſemen. Naſcitur dilutis ut rubus, perpetua coma uiret. Rhamnus inter ruborum genera à Plinio deſcribitur. candidior & fruticoſior is floret, ramos ſpargens rectis aculeis non ut cæteri aduncis, foliis maioribus. Alterum genus eius ſylueſtre, nigrius & quadantenus rubens. fert ueluti folliculos. Aliter à Dioſcoride ſupra monſtratur. Rhamnum igniarijs utilem ferunt, præſertim conceptaculo & craticulæ. Phocion rhamnum à quibuſdam agnon à uirtutis ſimilitudine uocatam ſcribit, quòd Venerem coerceat ut uitex. Rhamni unum genus putamus eſſe, quod Galli *burgam ſpinam* uel *neprum* uocant, fructu myrti, foris nigro, intus uiridi, ob id ad colorem eum pingentibus idoneo. Cortex arbori ſubniger & nitidus quaſi ceraſo, intus uirens, poſt luteus, lignum extra candidũ, interior medulla rubet: eo ualidos arcus noſtri fabricant. Audio etiam adhuc hodie Italis ſpinũ ceruinũ uocari, nam & ab ijſdem Dioſcorides ſpinam cerualẽ dici teſtatur. Aliud genus in afflatu maris naſcens, quod putauerim rhamni faſtigijs annumerandũ, frutice nonnunquam arboreſcente, prælongis ramulis, qui rigidis armantur ſpinis, aculei mucrone ſequentibus, foliis tam æmula facie liguſtrũ exprimẽtibus, ut pro illis fallant, bacca folliculari ſpecie, uerticillata, primum candida, poſt maturitatem rubeſcẽte, foris flaccida, intus uliginoſa, quam paſtores pecorum pabulo decutiunt. Hallucinari credo eos qui primum rhamni genus arbitrantur eſſe, quod *groſſularem* uulgus uocat; nam et ſi fruticoſi generis ſit, ramulis uietis, recto ſpinarum mucrone horridus, flore ex herbido candicante, in frutetis & ſepibus naſcens, nihilominus folia non reſpondẽt: quæ circinatæ rotunditatis conſpiciuntur apij modo diſſecta, frutice aculeato, acinis candidis, & à maturitate dulcibus, granoſis, tranſlucidis, ciborum condimentis expetitis. hãc ueteribus præteritam obiter putamus, ut eam quam *tranſmarinam groſſulam* uulgus appellat, frutice topiario, nullis horrente ſpinis, folio puſillæ uitis, rubentis uuæ fertilis, in horti frequens, acinis ſapore & guſtu punici acidi. Rhamni ſemen ſecundas trahit. alter ille candidior aſtringit, magisq; refrigerat. Collectionibus & uulneribus accommodatior. Folia utriuſque cocta uel cruda illinuntur cum oleo. Folia omnium generum ignibus ſacris & ulcerum ſerpentibus imponuntur. Rami ex ea foribus & feneſtris additi, remedio eſſe contra ueneficia produntur.

Rhododendron. Cap. CXXIIII.

RHododendron, alij nerion, alij rhododaphnen uocant, frutex uulgaris notitiæ, folium ei amygdalæ, longius, craſſius, ſcabrius. flos roſæ ſimilitudine. Fructum habet nucis Græcæ æqualem ceu cornicula, qui dehiſcens intus laneam naturam pappis acanthinis ſimilem oſtendit, radice faſtigiata. longa, lignoſa, guſtanti ſalſa. Naſcitur in maritimis & ſecundum amnes. Folia non decidunt rhododendro, & quanuis herba ſabina nonnullis dicatur, rhododendron, ut nomine apparet, à Græcis uenit. Alij nerion uocant, alij rhododaphnen, ſempiternum fronde, roſæ ſimilitudine, caulibus fruticoſum. Iumentis, capris, & ouibus uenenum eſt. Idem homini contra ſerpentium uenena remedio. mel inſanum è Ponto contrahitur. Hoc ne nomen quidem latinum inuenit, quod miror, cum eius flore ſcatent ſyluæ. Phocion rhodoniam quoque dici meminit, quanuis aliqui, ut inquit, rhodoniam interpretantur uitem flauas uuas ferentem, *roſaginem* rura uocant, foliis laurí nunquam decidentibus, a maris, roſæ flore leuiter in puniceum uergente ſed modico, ſemine intus lanuginoſo, radice longa, guſtu ſalſa. inuenitur in aquoſis & maritimis. Huius & flores & folia cunctis quadrupedibus pernicioſa ſunt, ſi Luciano & Apuleio credimus. Emoriuntur autem ueluti comitiali morbo correpti, quod & Alexandro res in India gerente conſtitit. Mirum, folia eius quadrupedum uenenum eſſe, homini uero contra ſerpentes præſidium, ruta addita & uino pota. pecus etiam & capræ, ſi aquam biberint in qua folia maduerint, mori dicuntur. Folia eius & flores, ut teſtatur Dioſcorides, pernicie omnibus iumentis adferũt, homini uerò contra ſerpentiũ uenena remedio eſt in uino pota, addita ruta. Pecus quidẽ

infirmius,ut oues & capræ,si aquam biberint in qua folia maduerint extinguuntur.

Rhus. Cap. CXXV

RHus,ut Dioscoridi placet, arbuscula in petrosis nascens, duorum cubitū altitudine,foliis oblongis,modicéque rutilis,serratim que per oras incisis,acinouarum gracilium, denso, magnitudine terebinthi, latiusculo, corticea racemorum tunica. obsonijs aspergitur, & ab aliquibus erythros appellatus. Semen excoriarij fruticis eiusdē nominis. Porrò excoriarius uocatur,quoniam qui pelles condepsant, spissandis corijs folio eius utantur. Maris & fœminæ differentia, ut scribit Theophrastus.mas fructificat, fœmina sterilis est. Virgas fundit rhus breues & graciles, folio ulmi longiore paulo subhirsutoq;, dispositio per uersus,ita ut in nouellis racemorum, contrarijs inter se pediculis germina respondeant. ijs candidas pelles inficiunt. Flos in racemis candidus, à quo semen collectum lentis & terebinthi similitudine, rubescens cum uua,quod uocatur rhus,medicamētis necessarium,in eoq; osseum. Radix simplex per summa cespitum cohærens,ut facile possit uniuersa uelli. Nascitur ubique sed in argillosis potissimum. Nec rhus latinum nomen habet Plinio, cum tamen in usum pluribus modis ueniat, & frutex excoriarius appellatur, subrutilus,bicubitalis,crassitudine digitali,cuius aridis foliis,ut malicorio,coria perficiuntur. Duo Græci faciunt genera,magi rícum quod additur in obsonia,idem ut opinor cum Syriaco:alterum byrsodepsicon,hoc est excoriarium. quandoquidem utrunque in pastillum pantolmion quoque dictum medici diuersis ponderibus contra dysentericos & cruenta reijcientes requirunt. Rhos Syriacus Columellæ nominatur. Actuarius in quibusdam compositionibus sumachum tradit rhom appellari,quod nomen omnes usurparunt officinæ *sumach* uocabulum,ut à barbaris emendicatum,proterentes. Theodorus Græci nominis sequutus etymum fluidam interpretatur. In montibus & petrosis apud nos frutex inuenitur fructuarius,ramulis digitali crassitudine, bicubitalibus, foliis ulmeis,pilosioribus, quæ paribus internodijs aduersis pediculis coniugatim adhærent, per ambitum minutissime serrata. Flos albus racematim enascitur, eoq; marcescente acini ostenduntur in uuam congesti, grano lentis magnitudine,latiusculo, & uelut leniter utrinq; compresso,cum ematuruit rubro, radice per summa cespitum uagante.rura nostra *uiurnam* appellant,flexu fere inuictam,& ob id fasci bus ligandis utuntur. Sed folia & frutex incano fere colore nitent,ruborem tantum procidentia præ se ferunt,nisi hoc fuerit genus, extrita una litera, uiburni nomen fateretur: de quo Virgilius cecinit,

Quantum lenta solent inter uiburna cupressi.

Habetur & syluestris herba foliis myrti, coliculis breuibus, quæ tineas & uenena pellit, rhus uocata ut Plinius tradit. Rhus quæ erythros appellatur, frutex est cuius semen uim habet astringendi,refrigerandiq;. Aspergitur pro sale obsonijs. Aluos soluit, omnésque carnes cum silphio suauiores facit. ulceribus medetur manantibus cum melle, asperitati linguæ, percussis,liuidis, desquamatis eodem modo. Capitis uulnera celerrimè ad cicatricem perducit, & fœminarum abundantiam sistit, cibo. Excoriario utuntur medici ad defluxiones, contusa,cœliacos, & sedis ulcera, aut quæ phagedenas uocant, cum melle aut aceto. Decoctum eorum instillatur auribus purulentis, illinitur & hydropicorum tumoribus. Folia,ut testatur Dioscorides, uim habent astringendi, acaciæ effectus præbentia. Decoctum capillos denigrat. Dysentericis prodest potu, infusione,assessu. Instillatur auribus purulentis. Pterygia & gangrænas folia ex aceto uel melle compescunt. Fit ex aridis foliis ad crassitudinem mellis in aqua decoctis succus ad eadem quæ lycium conueniens. Fructus cœliacis estur & dysentericis, aut eorum obsonijs inspargitur. Inflammationes arcet. Percussis, liuidis, desquamatis medetur, asperitati linguæ cum melle. alba fœminarum profluuia sistit. Hæmorrhoidas sanat cum querno carbone intrito & impositio. Aqua ipsa in qua semen maduerit coquitur & concrescit, melior medicinæ q̄ ipsum semen. Gummi stillat frutex, quod dentium cauis impressum dolores finit.

Robur

Robur. Cap. CXXVI.

ROBur quę Theophraſtro drys, licet pro communi omnium glandiferarum arbore ſumatur, ea tamẽ propriè putatur eſſe quæ uulgo *cheſna* dicitur, paſſimq; ſpectatur, folio latebrarum anfractibus ſinuoſiſſimo, glande exigua, materie duriſſima. Nam & hæc ſola præter fructum, gallámque utriuſque generis & fungos, plurima alia gignit. Siquidem fert & quædam ueluti mora, ni diſtarent arida duritie, plerunque tauri caput imitantia, quibus fructus ineſt nucleis oliuæ ſimilis, ſed hoc admodum raro. Naſcuntur & in eo pilulę nucibus non abſimiles, intus habentes flocculos molles, lucernarum luminibus aptos. Nam & ſine oleo flagrant, ſicuti galla nigra. Fert & aliam inutilem pilulam cum capillo, uerno tempore, melligeni ſucci. Gignunt & alæ ramorũ eius pilulas corpori non pediculo adhærentes, candicantes umbilicis, cætera nigra uarietate diſperſa, media cocci colorẽ habent. apertis amara inanitas ineſt. Aliquando & pumices gignit, necnõ è foliis cõuolutas pilulas, & in folio rubentes, aquoſos nucleos candicantes & tranſlucidos quãdiu molles ſint, in quibus culices naſcuntur & indureſcãt in gallę modũ. Fert & robur cachryn, ita uocatur pilula in medicina urẽdi uim habens. Robur, ut Theophraſtus, præter fructũ multa gignit, gallã paruulã, atque alteram reſinoſam & nigrã, & aliud fert ueluti morũ fractu cõtumax, durum, id tamẽ raro. Gerit & pilulã nuci non diſſimilẽ, quæ fungoſam lanuginem habet, mollem, lucernarũ luminibus aptã. Nã & ſine oleo flagrat ut nigra galla. Aliud parit effigiẽ colis repręſentãs, quod cũ perficitur, tauri caput imitatur, fructu intus nucleis oliuæ ſimili. Gignit & comatã capillo pilulam ſed inutilem, tũ tactu tũ guſtatu melligeno ſucco, uere inficientem. Promit quoq; in ramorũ alis pilulas ſine pediculo ſeſſiles, ac uerſicolores. enimuero prominentes quidã umbilici candicant, cætero uarietas aſpergitur, media cocci rubore rutilant, apertis putris & nigricans ineſt inanitas. Profert & rubentẽ lapillũ, ſed frequentius aquoſos nucleos albicantes & tranſlucidos quandiu teneri ſunt, in quibus & pumices naſcũtur, indureſcentes gallæ modo, ubi ad iuſtum incrementũ uenerint. iſ foliis à tergo adhærent. Gignuntur & foliis aliæ conuolutæ pilulæ cõpreſſæ & oblongæ. Fungos omitto qui in aliis quoq; arboribus erumpunt. Taceo etiã uiſcum, cũ in aliis quoq; proueniat. ferax earũ rerũ hæc arbor eſt, nec alia quercus ſpecies. E glãdiferis coronas necti ueteribus mos fuit, quę omnibus anteferrentur. Ciuica iligna primo fuit. poſtea placuit ex eſculo Iouiſacra. Variatumq; & hoc cũ quercu eſt, ac data quæ ubiq; fuerat. Non puto prætereũdum Alexandri Macedonis inuentum ſeruandæ niuis, in ſcrobes ubi ea ſit coniectis è quercu ramis. Galla è robore deterrima, ſignum eius eſt q̃ cauernę tranſlucent. Glandem quæ proprie intelligitur, fert robur. continetur hiſpido calyce, folia carnoſa, grauia, procera, ſinuoſa lateribus, nec cũ cadunt flaueſcentia. montes & ualles diligit. Germinationẽ intermittit tripartito, ac terna germina ædit: ideoq; inter ſquamas corticem ſpargit. Prægnantis in germinatione rumpitur cortex, quod in omnibus arboribus euenit. Eſt autem prima germinatio incipiente uere circiter quindecim diebus. Iterum germinat tranſeunte Gemínos ſole, ſic ut dum prima cacumina impelluntur, ſe cutis aperiat geniculato incremento. Tertia ad ſolſtitium breuiſſima, in qua tunc clare cernitur excreſcentium cacuminum articulatio. Solę robur abies atque larix germinatione terna parturiunt, corticémque inter ſquamas rumpunt, ob id triſſlepi uocatæ, hoc eſt interminſſariæ, uel ut alij legere malunt, triſſlepri, hoc eſt triſquamiæ. Robur in profundum ſuas radices agit carnoſas. Vè cæſum teredines non ſentit: bruma autem uitiatur, neque findítur, alias obnoxium ut torqueat ſeſe. Tardiſſimè robur cæditur, ineunte hyeme, ante computreſcit. Tempeſtiuè cæſum durat ſpiſſatũ ut cornu. Non deſunt tamen qui tempeſtiuum putent uere, quũ augmentum, hoc eſt cachryn ſuam gerit. Medullam eius inter ſpiſſa commemorant melandryon uocatam. Aeterna in aquis materia, ſed dulcibus: mari putreſcit, contra quàm magna pars arborum: hoc tamen & in mari utile, ſed nauibus & ædificijs cæteris quæ terra obruantur. Carbones è robore annoſo & nouello damnant, media ætas in pretio eſt. Sed utiq; roboris tanta eſt duritia, ut terebrari niſi madefactũ non queat, et ne ſic quidẽ adactus auelli clauus. Materia eius tardiſſimè uetuſtatẽ uel cariem ſentit. Sed in hac & etiam reliqua, multũ refert lunaris ratio, nec niſi à uiceſima in triceſimam cædi uolunt. Inter omnes

conuenit utiliſſimè in coitu eius ſterni, quem diem alij interlunium, alij ſilentis lunæ appellant. Quidã addunt, ut in coitu & ſub terra ſit. Robur omne aſtringendi uim habet, præſertim interior & ſubiecta cortici tilia, quę ligno mẽbranacea cohęret. Idẽ pollet & tunica ea quę glandẽ ſub calyculo obducit. Decocto earũ iuuãt cœliacos, dyſentericos, ſanguinẽ excreantes. Tritæ fœminis contra profuſiones immodicas admouentur in uellere. Pilulæ roboris ex adipe urſino alopecias replent. Glans ſiccat collectiones, ſuppurationeſq; fluxiones ſiſtit. Torpentes membrorum partes corroborat decoctũ eius fotu, cui & inſidere expedit ſiccandis aſtringendiſq; partibus. Aſtringit, urinã trahit, capitis dolores creat deuorata, inflationesq; parit. Reſiſtit ueſcentibus uenenatorum ictibus. Succus decocti prodeſt contra toxica cum uaccino lacte potus. intrita glande cruda collectiones diſcutiunt. Duritias quas cacoethe uocant, & ulcera maligniora ſanat, & cũ ſalſa ſuis axungia linit. Ilignæ glandi uis maior.

Roſa. Cap. CXXVII.

ROſam Græci rhodon, & plantam rhodoniam appellant. Roſam aculeatam ramis nemo ignorat. ei uita ad quinquennium non reciſæ nec aduſtæ, illo enim modo iuueneſcit. Flos ſeneſcentis deterior, ad cuius odoris iucunditatem cælum plurimum conferre creditur. Flos bicolor, cuius folia interna quæ admodum exigua ſunt: item ex maioribus externa minus odorata. Inter amplas odore præſtant, quibus ima pars ſcabra & corticea eſt. Vſta, reciſa, tranſlata fit melior. Sylueſtres ex toto aſperiores odore, colore, magnitudine ſuperantur. Roſa ut nouiſſima erumpit inter uernos flores, ita prima deficit ſatiua excepta. Capita foliorum pariterq; candidæ, ungues uocantur. In flore aliud ſemen, aliud capillus in capite, aliud cortex, aliud calyx. Coronas è roſa quę pactilibus & ſutilibus ſucceſſerunt, roſalia dixere ueteres, nec erat iſs gratia niſi folio ſolo nexis. Recens à longinquo olet, ſicca propius. Sereno die lecta odoratior, item ſiccis, ruderatis, gracilibus. Roſa naſcitur ſpina uerius q̃ frutice, in rubo quoque proueniens, illic etiam iucundi odoris, quanuis anguſti. Germinat primũ omnis incluſa granoſo cortice, quo mox intumeſcente, & in uirides alabaſtros faſtigato, paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſeſe pandit, in calycis medio ſui ſtantis complexa luteos apices ſtaminaq; ſub quibus ſemen inſidet, quæ propriè flores dicuntur. Deſitũ eſt ſeri ſemine, cum alioqui poſſit, quoniã ſero ita naſcatur. Roſam fruticibus & ſurculis per ſurculos pedales diſponi conuenit, ſed omnibus annis ante Calendas Martias, & interputari oportet. hoc modo culta multis annis perennat. Roſaria Februario menſe conſeruntur, quæ ſulco breuiſſimo, aut ſcrobibus ponenda ſunt, uel uirgultis, uel etiã ſemine. Sed ſemina roſarum non putemus medios eſſe floſculos aurei coloris, quos roſæ ferunt: ſed baccas nutriunt, quas in breuiſſimi pyri formam turbinatas ac ſemine turgentes poſt uindemiam reddunt maturas. Quarũ maturitas ex colore fuſco & mollitie poteſt æſtimari, quo tẽpore antiqua roſaria ſarculis circunfodiuntur, & aridũtas uniuerſa recidũtur. rara propaginibus reparantur. Si roſam tẽperius habere uoles, duobus palmis ab ea in gyrum fodies, & aqua calida bis rigabis in die. Roſas nõdum patefactas ſeruabis, ſi in canna uiridi ſtante fiſſa recludas, ut fiſſuram coire patiaris, eóque tempore cannam recidas quo roſas uirides habere uoluerís. Aliqui olla rudi conditas ac bene munitas ſub dio obruũt, ac ita reſeruant. Vſus in coronis propè nimius eſt. Oleo quoque maceratur & in unguenta tranſit, idq; iam à Troianis temporibus, Homero teſte, per ſe medicas artes præbet menſarum delicijs inungẽdis minimè noxia. Genera Latini multa fecere. Celeberrimum Præneſtinę quæ nouiſſimè deficit. Campanæ quæ præcox eſt, Mileſiæ cuius color ardentiſſimus, Serotinæ duodecim folia nõ excedentis. Proximã tradidere Trachiniam, minus rubentem: mox Alabandicã, uiliorẽ, albicantibus foliis. Viliſſimam pluribus, ſed minutiſſimis, ſpermoniã. Differunt uerò multitudine foliorũ, aſperitate, læuore, colore, odore. Pauciſſima quina folia, ac deinde numeroſiora, cum ſit genus eius, quam centifoliam uocant, Campaniæ tributã, & Philippis Græciæ à Pangæo monte uicino tranſlatitiã, numeroſis foliis ac paruis, unde accolæ transferentes conſerunt, plantatuq; proficiunt. Nec tamen talis odoratiſſima, nec cui latiſſimũ maximumq; foliũ. Ideo nec coronas intrat centifolia, niſi extremos uelut ad margines, nec ſpecie nec odore probabilis. Eſt quæ græca Latinis, appellat à Græcis lychnis nõ niſi in humidis locis proueniens, nec unquã excedẽs quinq; folia

folia, uiolæ magnitudine, odore nullo. Est & alia græcula appellata conuolutis foliorum paniculis, nec dehiscẽs nisi manu coacta, semperq; nascẽti similis, latissimo folio. Alia finditur è caule maluaceo, folia oleacea habens: moscheuton uocãt. Atq; inter has media magnitudine, autumnalis rosa, coroneolam appellant, in rubo natam, iucundi odoris, sed an gusti. Coroneola in rubo nata tot modis adulteratur. Reliquæ sine odore, hoc est, maluacea & duæ græculæ. Semen rosæ in ipso cortice est, sub flore opertum lanugine. Præcox emergit rosa si pedali scrobe ab radice facta, calida infundatur, germinare incipiẽte calyce. In Hispania, Carthagine præcox rosa hyeme tota uisitur. Refert & cæli tẽperies, quibusdam annis minus odorata prouenit, prẽterea locis omnibus, sed siccis quàm humidis odoratior. Seri nec pinguibus uult, nec argillosis locis, nec riguis contenta ruribus, propriecq; ruderatũ locũ amat. Fodiunt altius quàm fruges, leuius q; uites. Tardissimè proueniunt semine, quod in ipso cortice subest ipso flore opertũ lanugine: ob id potius caule inciso in seruntur, & ocellis radicis ut arundo. Vnũ genus inseritur pallidæ spinosæ lõgissimis surculis quinquefoliæ, quę altera græcula est. Omnis aũt recisione atq; ustione proficit, trãslatione quoq; ut uitis. optimè ocyssimeq; prouenit, surculis quaternũm digitorũ longitudine & ampliore post Virgiliarũ occasum sata, dein per Fauoniũ translata pedalibus interuallis, crebroq; circunfossa. Rosam multiplex comitatur fabula, nõ nisi candidã per initia fuisse, mox uulnerato Veneris pede, dum Adonidi opẽ latura præcipiti cursu per dumeta rapitur, adrubuisse. Alij sanguine Cupidinis, ut Ausonius, Greci admirandam illam pulchritudinẽ odorisq; suauitatẽ à Venere cõtributam fingũt. Quando deam Adonidis amore captam Mars deperibat, qui zelotypus, Adonidis morte initã consuetudinem solutũ iri sperans, Adonim interficit. Venus resciens gestũ facinus, dum omni studio diligentiaq; properè ferẽ subsidiũ allatura, in rosæ frutices irruẽs, pedẽ nullo munitũ sandalio eius spinis transfigit: ita rosæ pristinũ candorem, in profusi cruoris memoriã, in ruborem conuertit. Alij aliter fabulantur: Cupidinẽ cum in deorũ conuiuio lasciuis saltationibus indulgeret, pateram nectaris plenam alæ cõcussu subuertisse, nectar inde fusum humi florem rosæ rubicundũ reddidisse. Philostratus rosæ fruticem Cupidini dicat, quẽ tota facie uideẽ ęmulari. Sẽper illa recẽs iuuenisq;, nec nõ mollis ut Cupido. Aureis comaẽ capillis. spinas pro iaculis gestans, pro facibus fulgorẽ. folia pro alis rosæ data sunt: neq; Cupido neq; rosa tẽpus norũt. Idẽ lumina terrę, ueris comas, amoris igniculos, terræ fulgur appellat. Odoratiores fieri rosas Didymus affirmat, quibus allia prope fuerint consita. Si uelis sine temporis intercapedine rosis frui, singulis mensibus loco stercorato pãgis, semper rosas habiturus. Serendi ratio uariat, Aliqui integras plantas cũ suis radicibus transferunt: alij in palmares taleolas cũ suis radicibus in sobolis modũ cubitali interuallo deponunt, & crebris irrigationibus et stercore iuuãt. Nõnulli ut maiorẽ odoris fragrantiã adsciscãt, intertextas ijs coronas simul adobruũt. maiorẽ odoris gratiã habẽt quæ siccaneis enascũtur. Si rosam, ut idẽ refert, præcocem habere uolueris, duobus palmis in gyrum ab ea fodies, & aqua calida bis rigabis in die. Ros ille qui insidẽs rosis inuenitur hęrere, munda pinna lectus, & specillo genarũ palpebris instillatus, oculorum lippitudini medetur. Vita uigorq; manet rosis, quæ in amurca sic mergantur ut humor extet. Alij ut diu seruẽtur, hordeum dum in herba est, cum radicibus euulsum, in fictile non picatum demitti, rosamq; prius quàm dehiscens se pandat, operiri præcipiunt. Alij uirentem hordei segetem pauito loco sternunt, & rosas ipsas recondunt. Democritus fruticem bis die rigatum Ianuario mense rosas ædere promittit. Florentinus est author, florem roſę inoculationis modo cortici mali insitam, eodem quo malus tempore partus suos excludere. Zoroastres anno toto oculos eius dolorem sentire negat, qui calyces antequam in flores explicentur, leui tactu lustret, tribusq; earum alabastrulis uisum detergat, relictis in parente rosis. Sunt qui recentes hac ratione custodiant, Alabastros turgentesq; calyces in uentre adolescentis arundinis facta rima claudunt, & papyro uel charta molliter fissuram obstringunt, qua possit aura uel uapor expirari. Rosa protinus candorem contrahit, quæ sulphuris nidore suffiat, cũ dehiscens in folia cœpit euolui. Si plantarũ indigus uolueris ex paucis uirgultis habere copiosa, quaternũm digitorũ paulo ue longiorum gemmantes surculos cum suis sarmentulis debebis excidere, & in modum propaginis sternere, stercoratu,

rigationibusq; tueri: ubi anniculam ætatem compleuerint, pedis spatio inter se disiunctos transferre, luxuriantem materiam omnem adimere, crebris defossionibus exhilarare. Diuina ferè natura pollere rosam credit Didymus. Etenim unguentum creat pretiosum, laborantibus oculis salutare. Foliũ rosæ modis tribus exprimit: aut per se cũ ungues nõ detrahuntur, ibi enim humoris plurimum, aut cum detractis unguibus reliqua pars aut oleo aut uino maceratur in sole uasis uitreis. Exprimuntur eadem folia detractis unguibus, trita per linteũ spissum in æreum uas, leuiq; igni succus coquitur donec fiat crassitudo mellis. Vsus succi ad aures, oris ulcera, gingiuas, tonsillas gargazizatu, stomachum, uuluas, sedis uitia, capitis dolores. In febre per se, uel cum aceto ad somnos, nauseas. Folia uruntur in calliblepharum. E siccis fœminæ consperguntur. epiphoras quoq; aridis leniunt. Flos somnum accersit, inhibet fluxiones mulierum maximè albas in posca potus, & sanguinis excreationes. Stomachi quoq; dolores quantum in uini cyathis tribus. Semen optimum crocinum, nec anniculo uetustius, & in umbra siccatur: nigrum inutile. Dentium dolori illinitur, urinam ciet, stomacho imponitur, item igni sacro non ueteri. naribus subditum caput purgat. Capita pota uentrem & sanguinem sistunt. ungues rosæ epiphoris salubres sunt. Vlcera oculorum rosa sordescunt, præterquam initijs epiphoræ, ita ut arida cum pane imponantur. Folia quidem uitijs stomachi, rosionibus, & uitijs uentris, & intestinorum, & præcordijs utilissima, uel illita: cibo quoque lapathi modo condiuntur. Cauendus quoque in ijs situs celerrimè insidens. Et aridis & expressis aliquis usus. Diapasmata inde fiunt ad sudores coercendos, ita ut à balneis inarescant corpora, dein frigida abluantur. Sylueſtris cum adipe hircino alopecias mirifice emendat. Rosa, authore Dioscoride, refrigerat & astringit, sed sicca multo magis. Succus recentibus foliis exprimitur unguibus forcipe detractis (capita enim & partes eius candidæ foliorum, ungues uocantur) reliquum teritur, premiturq; mortario in umbra donec cogatur. ita paratus ad circumillitiones oculorum promendus reponitur. Folia quoq; in umbra siccantur, crebro uersanda ne uel muceant, uel situs ijs insideat. Aridis rosis in uino decoctis expressus cremor probatur ad capitis, oculorum & aurium dolores, gingiuas. Vitijs sedis, recti intestini, pennas illitus collutus ue aut infusus medetur. Eædem citra expressionem contusæ, cõtra humores qui in stomacho coierunt. Inflammationibus & sacris ignibus illinuntur. femora sicca tis tritisq; asperguntur. Misceri solent uulnerarijs antidotis, atq; in cõpositionibus quas antheras uocant. Vruntur folia in calliblephara. Flos qui in medijs rosis inuenitur siccatus, gingiuarum fluxionibus efficaciter inspergitur. Capita pota citæ aluí proluuiem & cruentas reiectiones constituunt. Rhodides uocantur è rosa pastilli, quos ita componunt: Rosæ uirentis quæ non madeat flaccidæ, siue quæ modo marcuerit, denarios quadraginta, nardi Indici decem, myrrhæ sex terunt, & in orbiculos obolorum ternũm effingunt. siccãtq; in umbra, atq; fictili non picato recondunt. Quidam ad ijciunt superioribus costi denarios binos, iris illyricæ totidem, affuso Chio uino cum melle. Vsus horum ad fœminas circundato collo uice monilium, contra sudoris uirus. Tritis ijs utuntur ad diapasma collitionesq;, ad coercendos sudores, ita ut balneis perarescant in corpore, dein frigida abluantur.

Rubus canis. Cap. CXXVIII.

RVbus canis, quem Græci cynosbaton appellant, frutex est multo amplior rubo, arboris instar, foliis longè quàm myrtus latioribus, aculeis circa uirgas robustis. flore albo, fructu oblongo, simili nucleis oliuarũ, & cũ maturescit rubẽte, lanea intus natura. Columella sentem canis nominat. Theophrasto fructu est malopunico similis, subrubro, media inter arborem & frutícem specie, & punicæ proxima, folio uiticis. Cynosbaton ut Plinius tradit, quam alij cynospaston, alij neurospaston, uocant, folium habet uestigio hominis simile, fert uuam nigram, in cuius acino neruum habet: unde neurospastus dicitur. Alia est à cappare quam medici cynosbaston appellàuerunt. Sunt qui apud Theophrastum pro agno, ἴχνα legendum putent, quod simile humano uestigio Plinius uerterit. Flatu auerso fructum huius legendum præcipiunt, alioqui periclitantur oculi. Plinio parit uuam nigram cynosbatos, quod nemo præter eum, quod sciam, confirmat. Quòd si error est, fortasse

fortasse natus inde sit, quoniam smilax aspera labruscæ modo ferens uuas cynosbatos à quibusdam uocari soleat, ut Dioscorides testatur. Alia etiam cynorrhodon, de qua inter rosas dicitur. Rubus certe qui similitudinem rosæ ferat & castaneæ similem pilulã, cynosbastos à Plinio dicta est. Hoc rubo nata multis creditur coroneola, iucundo odore, sed exili. Aliqui cynorrhodon à cynosbato non flore roseo quem fert utrunq;, sed spongiolis distingũt, quas cyhorrhodon habet, cynosbastos non habet. Frutex apud nos *englenterij* cognomine uenit, rubo uulgari maior, foliis myrti latioribus, ramis albis, spinis horrẽtibus, flore roseo, candido, odorato, fructu olivæ longiusculo, cum ematuruit subrubro, lanugine intus flocco. is proxime accedit ad eam arbusculam quam paulo ante Dioscorides deliniauit, uerum non frutex sed rosa iucundum expirat odorem, & qui longiusculo olfactu caput feriat & nares tentet. Rubi canini thyrsus conditus ex aceto, ad remedia splenis & inflammationes manditur. Rosa cum axungia alopecias emendat. Fructus detracta lanugine interiori resiccatus aluum sistit: sed feruefactus in uino, uel potus arteriam infestat mensium profluuia cohibet. Radix corpori infixa extrahit: folia suppurationes discutiũt. Nescio an eadem sit certe aut late dissideat ab ea quã Theophrastus cynosbaton appellat, fructu malopunico simili, subrutilo, magnitudine inter fruticem & arborem punicę.

Sambucus. Cap. CXXIX.

ACten, Romani sambucum uocant. Duo eius genera: unum arboris specie fruticat uirgis arundinum rotũdis, inanibus, proceris, folio triplici aut quadruplici per interualla, nucis iuglandis similitudine, graui odore, incisuris pluribus, ramis siue caulibus à capite umbellas ferentibus floris albi, acinis terebinthi, ex nigro purpureis, uuarum congerie, copioso succo uinosis. Sabucus raro est corpore, breui durans uita. Paulum ante Aequinoctium germinat. Nodos paucos ordine naturæ nanciscitur, ita ut merito inter enodes numeretur. Sabucum medulla carere aiunt nonnulli. Theophrastus ei carnosam attribuit. Fruticosa uirgis arbor, quæ anniculæ donec folia deciderunt, in longitudinem crescunt in sena maxime cubita, post id tempus in crassitudinem funduntur. Lignum fungosum, & cum inaruit leuissimũ, medulla molli, quæ tota uirgulis eximitur baculorum usu. Siccatum durat, inoffensumq; aquis redditur etiam decorticatum. quod ei sponte arido contingit. Radices tellure summa nec multas nec grandes agit. Folium minus, quod quidem pars est maioris, molle oblongumq; habet ut latifolia laurus: maiusculum tamen latiusculumq; subtus & situ medio rotundius, exacutum, serratumq;. Folium uero maius quod ex illis minoribus quasi coalescit, pediculo uno crasso & neruoso geritur, ceu ramulis, foliis utrinq; geniculatim et ex ordine iugatis, uno in uerticibus relicto singulari. Subrufa hęc et fungosa et de singulis petiolis uniuersa collabuntur. Sunt & in ramis nouellis internodia, sed quasi rudia inarticulataq;. Flos candidus ex flosculis minutis, faui specie congestus è pediculi fissura, graui odore, quanquam lilij: fructusq; racematim pediculo unico dependet, qui cum maturuit nigrescat. Immaturo color uuę acidæ, paulo maior quàm eruũ, humore lẽto manus capillũq; inficit. Grana intus sesamacea non ingrata turdis sturnisq;. Locis potissimũ opacis, & iuxta aquas emicat. Acinum action uocant, corticem ligni canopon. Paulus florem esse sabuci canopon asserit. Inter aquaticas arbores sunt sambuci fungosi generis, aliter tamen quàm ferulæ, quippe plus ligni ac succi sambuco: ex qua magis canoram buccinam, tubamq; credidit pastor ibi cæsam, ubi gallorum cantum frutex ille non exaudiat Sambuci acinos habent nigros atq; paruos humoris lenti, manduntur. Materies eius mire firma traditur: nanq; uenabula ex ea faciunt, præferunt omnibus. constat enim ex cute & ossibus. Aquosis gaudet, floret ex ordine naturæ. Sylueſtriũ prima sabucus, cui medulla plurima est, firmissima ad palum. Taleis feritur: accepta plaga se cõtrahit protinus clauditq;, ob id scutis faciendis aptissima, contumacius enim transmittit ferrum. caudici sæpe crassitudo galeæ. Dictam puto arborem à sabuca musico instrumento, quod pectida, alij magadin uocant. Sambuca porrò ab authorẽ uidetur appellata cui nomen Sambyx fuerit, usam tamen ea primam omnium Sibyllam perhibent. Arbor utiq; ipsa sabucus dicenda nõ sambucus, si Quinto Sereno credimus. Gallis nũc *sus*, aliquibus *suin*, quod Dioscorides

rides ſobin à noſtris dicit uocari. Siquidem frutex arboroſus, trunco galeæ craſſitudine, intus fungoſo, cortice leui, tenui, denſo, ramis ferulaceis, geniculatis, folio molli, turbinato, ſerrato, circa ſingulos pediculos frequenti, & odore grauiſſimo, candidis in umbella floſculis, tantæ ſuauitatis, ut eorum conditura Galli acetum pretioſius faciant. Semen fert ut hedera, baccis mollibus, ſanguineo colore, manus inficientibus, radicibus perſumma ceſpitum exiguis. in opacis & aquoſis inuenitur. Sambuci alterum genus chamæacten uocant, quidam & hoc ſambucum paluſtrem, Latini ebulum. Iacet humi breuius & herbaceo generi propius accedens, quadrato caule geniculato, denſis articulis. Folia ex interuallis circa nodulos expanduntur amygdalæ ſimilia, ſed ambitu marginum ſerrato, longiora, graui odore nauſeoſa, muſcario ſambuci, flore & acino eiuſdem, radice nititur longa, digitali craſſitudine. Sambucus habet alterum genus magis ſylueſtre, quod Græci chamæacten, alij helion uocant, multo breuius. Chamæacte ſabucus pumila eſt, Latinis ebulum dicitur. Iæto gaudet ſolo, ut teſtatur ſuo carmine Columella:

Atq; habilis natura ſoli, quæ gramine læto
Parturit, & rutilas ebuli creat uuida baccas.

Gallis hodie dicitur *hyeblum* longè humilius ſambuco, magiſq; herbaceo generi aſſignandum. Frutícat caule quadrangulo, geniculato folio ex ſingulis articulis emicante, amygdalæ ſimilitudine, per nodos diſtributo, graueolente, uenoſo, in ambitu ſerrato, umbella ſabuci, flore & acino eiuſdem, cætera pumilam ſabucum dixeris, radice longa digiti craſſitudine. Aut hanc aut ualde ſimilẽ eſſe puto quã Plinius acteam uocauit, nam, ut inquit author, quidam eſſe ebulum putant. Actea, ut tradit, graui foliorum odore, caulibus aniſi geniculatis, ſemine nigro ut hederæ, baccis mollibus. naſcitur in opacis, & aſperis & aquoſis. Datur acetabulo pleno interioribus fœminarum morbis, quanquam non caulibus aniſi, ſed aſperis in pleriſq; legitur codicibus. Dioſcorides pro eo umbellas & capitula chamæacten habere ſcribit, nam acteam quaſi ſambuceam interpretor. Ebuli recentis radix excuſſa tantum nec colluta quantum duo digiti comprehendunt, ex uini calidi hemina ſanat hydropicos. Item acte quam quidam eſſe putant ebulum, aquæ inter cutem meretur, radice contrita in uini cyathis tribus, ſi febris abſit, uel ſemine ex uino nigro. Præcipuè tamen chamæactæ ſuccus aptiſſimus creditur. Ebuli quem nemo ignorat fumo ſerpentes fugantur. Folia contrita ex uetere uino impoſita boam ſanant, id eſt, rubentes papulas. Impoſitum teſtes ſanat. Vtriuſq; ſambuci dico & ebuli, decoctum in uino ueteri foliorum uel ſeminis uel radicis ad cyathos binos potum ſtomacho inutile eſt, aluo detrahens aquam. Refrigerat etiam inflammationem maximè recentis ambuſti, & canis morſum cum polenta, molliſsimis foliorum illitis. Succus cerebri collectiones priuatimq; membranæ quæ circa cerebrum eſt, lenit infuſus. Acini eius infirmiores quàm reliqua. Tingunt capillum, poti acetabuli menſura urinam mouent. Foliorum molliſsima eduntur ad pituitam bilemq; detrahendam. Ad omnia efficacior quæ minor. Radicis eius & uini decocti duo cyathi poti hydropicos exinaniunt, uuluas emolliunt, hoc eſt foliorum decocto inſidentium. Caules teneri minoris ſambuci in patinis cocti aluum ſoluunt. Reſiſtunt folia ſerpentium ictibus in uino pota, podagris cum ſeuo hircino uehementer proſunt. Cauliculi illiti ijdem in aqua macerantur, ut ea ſparſa pulices enecentur. Foliorum decocto ſi locus aſpergatur, muſcæ necantur. Boa appellatur morbus papularum cum rubent corpora, ſabuci ramo uerberatur. Cortex interior tritus, ex uino albo potus aluum reſoluit: eadem, ut Dioſcorides perhibet, utriuſque uis & par uſus, refrigerant & exiccant, aquas detrahunt, ſtomacho aduerſantur. Folia olerum modo coquuntur ad pituitam bilemq; detrahendam. Caules teneri ad eundem effectum in patinis coquuntur. Radix in uino decocta & cibis data hydropicis prodeſt. Eodem pota modo uiperarum morſibus medetur. Vuluas emollit inſidentium decocto, laxat ſpiracula earum & uitia corrigit. Acini in uino ad eadem omnia bibuntur, denigrant capillos inuncti. Tenera foliorum illita cum polenta inflammationes mitigant. Ambuſtis & canis morſibus efficaciter illinuntur, ulcera quæ dehiſcunt in cauernas agglutinant. Podagris cum ſeuo caprino lita auxiliantur.

Salix

Salix. Cap. CXXX.

SAlix contorto & breui caudice consurgit, ramis longis, è trunco extremo uelut à capite prodeuntibus, lentis, flexilibus, folijs lõgis, subtus incanis, supernè uirentibus, flore seu nucamento squamatim compactili, lanuginoso propendente, fructu qui facile ante maturitatẽ euanescat. Paulo ante Aequinoctiũ germinat, auctu perquã facilis, quod apud aquas degat. breui uitæ spatio durat. Aquosis lęta tur, etsi uitam agat ancipitem. Ocyssimè salix amittit semen, antè quàm omnino maturitatem sentiat, ob id dicta ab Homero ὠλεσικάρηνος, hoc est frugiperda. Namq; fructum fert abeuntem in araneam antequam percoquatur. Vna tantum proditur ad maturitatẽ proferre solita in Creta insula, ipso descensu Iouis speluncæ, toruum, ligneũ, magnitudine ceteris. Secuta ætas interpretata est scelere suo hanc sententiã. Quando semen salicis, mulieri sterilitatis medicamentum esse constat. Sed hoc quoq; prouidẽs natura, facile nascenti & depacto surculo, incuriosius semen dedit. Salix, ut à Theophrasto memoratur, in Philippis procidua atq; detruncata resurrexit, sed non circundolata fausto omine, ut populus quæ procumbebat sponte restituta est. Nec ideo ab re actionẽ dabat Labeo arborum furtim cæsarum contra eos qui prostratas uel succidissent uel asportassent: quoniam nomine arborum continentur quæ possent resurgere. Lentissima & frigidissima salix, ideoq; scutis faciundis aptissima, quòd plaga contrahit se protinus claudit q; suum uulnus, ob id Theophrastus est author, ut leuiore rariore q; materia, ea magis utuntur. Eadem ad canistra & cistellas utilis. Exiccata tantummodo lęuis, fumumq; igni dicata copiosum eructat. Non nisi in aquosis saliceta commodè proueniunt, sata germinant, sed lætissimè & celeriter ex auulsione. Circa Martias Calendas in humidis salix uirga seritur, crescẽte luna: humida loca desiderat, sed prius quàm frondeat deponenda, Salicta fodienda, runcanda, deputanda. Salicem riguus ager uel uliginosus optimè, nec incommodè tamen alit planus & pinguis, atq; is conuerti debet bipalio, in duos pedes & semissem salicto destinatum solum pastinare oportet, nec refert cuius generis uimen seratur, dum sit lentissimum. Cacuminibus uel taleis deponitur: perticæ cacuminum modicæ plenitudinis, quæ tamen dipondiarij orbiculi crassitudinem non excędant, optimè panguntur, eo usq; dum ad solidum demittantur. taleæ sesquipedales terreno immersæ paululum obruuntur. Riguus locus spatia laxiora desiderat, eaq; quinũm pedum per quincuncem rectè faciunt, siccaneus spissiora, sic ut facilis sit accessus colentibus ea. quinũm pedum interordinia esse abunde est. Satio est eorum priusquam germinent, dum silent uirgæ, quas arboribus detrahi siccas conueniet: nam roscidas si recideris, parum prosperè proueniunt. Dies pluuij in exputanda salice uitentur. Fodienda primo triennio salicta crebrius, cum deinde conualuerint tribus fossuris contenta sunt. Aliter culta celeriter deficiunt, nam quanuis adhibeatur cura, plurimæ salices intereunt, quarum in loco ex propinquo mergis propagari debent, curuatis & defossis cacuminibus, quibus restituatur quicquid intercidit. anniculus deinde mergus à stirpe decidatur, ut suis radicibus ali possit. Salix tamen nisi in aquosis ubi aliæ arbores difficiliter comprehendunt, ponenda non est, quia uini saporem infestat. Theophrastus tria salicis obseruauit fastigia. Primam nigro cortice aut puniceo, nigra nominatur. candida ex re nomen traxit. tertiam coactæ breuitatis, spõtè naturæ pumilam, fœcundo, ut quidam putant, fructu, helicen appellant Arcades. uirgas è nigra commodiores & pulchriores, è candida spissiores & agricolarum utensilibus aptiores esse. Plinius tria salicis nomina cõmemorat, uiminalem eandemq; purpuream: uitellinam à colore luteo, graciliorem priore: Gallicam quæ sit tenuissima. Lucius Columella Græcam, Gallicã, Sabinamq; reddit. Græcã flaui coloris, Gallicã obsoleti, purpurei tenuissimiq; uiminis, Sabinam gracilibus uirgis atq; rutilis quam plurimi uocant Amerinam. Plinius Græcam rubentem, Amerinam candidiorem asserit. Inuenitur & alia distinctio: nam quędã in proceritatem magnam emittunt iugis uinearum perticas, pariuntq; balteo corticis uincula, perticales uticq; uocentur, iugandis uitibus celebres, & balteo corticis uinctus præbẽtes. Alię prætenues uiminibus texẽdis spectabili subtilitate, uiminales dicantur. Aliæ sequacis ad uinctum lentitiæ uirgas ferentes. Aliæ corbibus & supellectili uillicæ firmiores candidioresq; detracto cortice, leuiq; tractatu, mollioribus inde uasis, quàm è corio & cathedrarũ delitijs

delitijs aptissimæ. Cædua salici fertilitas, densiorq; tonsura: nullius quippe tutior reditus, minoris ue impendij, aut tempestatis securior. Tertiumq; locum ei in æstimatione ruris Cato tribuit, priorēq; quàm oliuetis quamq; frumento aut pratis, nō quia desint alia uincula. Siquidem optima præbent genistæ, populi, ulmi, sanguinei frutices, betulæ, arundo fissa, uitis, recisisq; aculeis rubi. Alligat & intorta corylus, sed salici præcipua dos. Findi/tur græca rubēs candidiorq; amerina, sed paulo fragilior, ideoq; solido ligat nexu. Dictam putat Festus salicem, quòd saliat surgatq; cito, iteam Græci uocant, Galli *saulem*. Si fructus priusquam in araneam abeat, legatur, sanguinem reijcientibus prodest. Corticis e ramis cinis clauum & callum aqua mista sanat. Vitia cutis in facie emendat magis admisto succo. Est autem hic trium generum. unum arbor ipsa exudat gummi modo. alterum manat in plaga cum floret excisо cortice, trium digitorum magnitudine: hic ad purgāda quæ obstāt oculis, item ad spissanda quæ opus sunt, ciendamq; urinam, & ad omnes collectiones intus extrahendas. Tertius succus est detruncatione ramorum à falce destillans. Ex ijs aliquis cum rosaceo in calyce malipunici calfactus auribus infunditur, uel folia cocta & cum cera trita imponuntur, item podagricis. Cortice & folijs uino decoctis fouere neruos utilissimum. Flos tritus cum folijs furfures purgat in facie. Folia trita & pota intemperantiam libidinis coercent, atq; in totum auferunt usum sæpius sumpta. Amerinæ nigræ semen cum spuma argenti pari pondere illitum à balneo psilothrum est. Salix ut Dioscoridi placet, spissantia habet omnia. folium, semen, corticem, succum. Trita folia cū modico piperis in uino bibenda in gracilioris intestini morbo. Sumpta ex aqua concipiendi spem adimunt. Semen sanguinem expuentibus prodest. utilitas corticis eadem. Eius cinere aceto misto claui & calli tolluntur. Ex folijs & cortice succus cum rosaceo in calice punici calfactus auribus instillatur quę doleant. Eorundem decocto podagras foueri utilissimum, quo furfures quoq; purgantur. Excipitur succus qui manat ex ea cum floret excisо cortice: in plaga enim concretus humor legitur, ad purganda quæ obstent oculis.

Siliqua. Cap. CXXXI.

Siliqua arbor est siliquas ferens digitorum hominis longitudine, falcatas, pollicari latitudine, in quibus semen quod neq; caro, neq; lignum, neq; cartilago dici potest. Siliquæ ipsæ quamuis lignosæ, dulcedine tamen cibis expetuntur. In siliquis quod manditur lignum est. In pluribus semina placent, in siliqua damnantur, ipsis dulcibus semenq; complexis amarum. Siliquæ græcæ ante brumam per autumnum seruntur. Non puto quemquam nescire siliquas prædulces esse, earumq; mandi corticem digitorum hominis longitudine, interim falcata, pollicari latitudine. Seritur & semine, sed parum feliciter, quandoquidem nec fructum fert, & breui moritur: melius plantis, Februario & Nouembri. Amat loca maritima, calida, sicca, campestria. Locis calidis fœcundior fiet, si adiuuetur humore. Potest & talеis poni: scrobem desiderat largiorem. Inseri etiam posse mense Februario credunt aliqui pruno uel amygdalo. Siliquæ seruantur diutissime, si expandantur in cratibus. Columella siliquam tradit Græcis ceration uocari, recentiores Græci xylocerata. Galenus arborem ceratoniam nominari scribit, fructū uero à corniculi similitudine ceration. Lōgè alia est siliqua, quam Iones ceroniam appellant, in Syria Ioniaq; circa Rhodum Gnidumq; nascens, folijs semper comantibus, flore candido, cum uehementia odoris, pomo siliquę: ob id nomen. radice sublimi sed non multum, plantigera ab imis partibus, superficie flaueſcens inarescēsq;, succū auferente sobole. Pomo antecedentis anni detracto post canis ortum, statim concipit, uterumq; perfert, & molem quandam modo uuæ informem, indiscretamq; primum ædit, quæ postquam adoleuit, per Arcturum & Aequinoctium florem emittit, hyeme fœtus enutriente, qui usq; ad ortum canis in parēte durāt, ut author est Theophrastus. Galenus siliquæ græcæ usum in cibo damnauit, ut mali succi & lignosi, qui non facile perficiatur. Posteritas commendat ad stomachum fulciendum utique post cœnam, & ad uentris profluuia, si quis præsumpserit. Siliquæ recentes stomacho inutiles, aluum soluunt. Eædem siccatæ sistūt, stomachoq; utiliores fiunt, urinā ciūt. Dioscoridi stomacho alienę sunt, aluum leuant, eædem siccatæ constringunt, urinas cient maximè quę uinaceis conduntur.

Sorbus

Sorbus. Cap. CXXXII

SOrbus oe Græcis dicta, Gallis *corma* uel *ſorba*, arbor eſt procera, recto caudi
ce, læui cortice, pinguiuſculo, colore q ex flauo albicet, folio lauri, ſed tenuio
re minoriq; & per ambitū crenato, quod neruoſo prolixoq; pediculo depen
det, utrinq; ramos ueſtiens. Flos candidus ſingulari petiolo racematim coit,
fructu uel orbiculato, uel ouato, qui uuæ modo aceruatus producitur, ita ut
faui quodam modo ſpeciem gerat. Folia non paulatim ſed tota ſimul decidunt, ſuccreſcen
te amentaceo pediculo, pingui, turgido. Radices habet raras nec alte deſcendētes, ualidas
alioqui & craſſas, materiem ſolidam, ſpiſſam, coloratā, firmam. Sorbo ſyluaticæ præſtan
tior q; urbanæ fructus, quod in hac, & in corno præcipuum Theophraſtus notauit. Sor
bum ſterileſcere uolunt, ſi ad feruentia loca uenit: ſiquidem ſuapte natura frigidos quærit
tractus. Radix ei per ceſpitum ſumma uagatur, fœmina fructificat ſola. Diſcrimen in fru
ctu, quod aliæ figura orbis, aliæ oui ferunt. Item alię ſucco odoratiore, dulcioreq; placent,
ut orbiculati fere omnes fructus: aliæ acidū peiusq; olentem ut ouales repræſentant. Vtri
que folia pediculo ſingulari, prolixo, neruaceo, condita in uerſus, alæ modo à lateribus
emicantia, tanq; ex omnibus unum fiant, lacinijs pennatim ut in filice ad neruum uſq; di
ductis, ampliuſculo diuiſis interuallo, atq; hæc non paulatim ut cæteris ſed uniuerſa colla
buntur. Omnibus ramulis in extremo pediculi folium prominet, cuius acceſſione impar
numerus efficitur. figura ijs lauri tenuifoliæ, præterq; q ſerrata per ambitum breuioraq;
ſunt, neq; cacuminibus mucronatis, ſed in rotunditatem retuſis. Flos racematim coactus
ex pluribus candidis ac minutis, petiolo unico dependet. Fructus, cum largè proueniunt,
uuæ modo farcti congeſtique uiſuntur, ex uno petiolo faui ſpeciem præbentes. Exeſt eos
uermiculus etiamnum crudos acerbiſſimosq;. Ipſa quoq; arbos ſenecta uermibus eſt ob
noxia rufis, hirſutis, ſui generis. à trimatu fert. Autumno folijs ſubinde amiſſis, cachryn
ſuam fundit eduraturam hyeme, ut in robore. Aculeos ſorbus non habet ut meſpilus, no
uella cortice lęui, pinguiuſculo: flauet è candido annoſa ſcabro atroq;. Arbor ipſa de gran
dibus & ſubrectis, coma concinna, & niſi quid impediat, uerticem nucis pineæ repræſen
tans. Materies ſolida, colorata, firma, compactilis, radicibus neq; multis neq; in altum de
fixis, ualidis tamen & craſſis, auellicq; difficillimis. Naſcitur ſemine, radice, auulſione. So
lo alſioſo, humecto, interimq; montibus uiuax, aboleriq; contumax. hęc tradit Theophra
ſtus. Latini differētias in ſorbo quatuor nouere, alijs rotunditatem mali reddunt, alijs tur
binationem pyri, utrique ſaporem uini. generoſiſſimum, cui circa pediculos folia: alijs o
uata ſpecie, odore acri, ſuauitate nec perinde iucunda. Quartum genus torminale appel
lant, remedio tantum probabile, aſſiduum prouentu, minimumq; pomo, arbore diſſimili,
folijs fere platani. Non ferunt ante trimatū ex ullo genere. Gaudet frigidis ſorbus, et mon
tibus aquoſis. Sorba ſemine & à radice, planta, & auulſione proueniunt in frigidis & hu
midis. Conſerendi tempus poſt mediam hyemem in Idus Februarias. Sorbus infeſtatur
uermiculis rufis, piloſis, atque ita emoritur. Menſe Februario, Martio locis frigidis, cali
dis uero Octobri aut Nouembri ſorba ſeruntur egregiè, ita ut matura ipſa poma in ſemi
nario pangantur. Experimento compertum eſt arbores ex pomis progenitas ſponte, &
incremento, & feracitate non eſſe infelices. Amat humida loca, montana, & frigidis pro
xima, & ſolum pinguiſſimum. cuius indicium facit certiſſimum, ſi frequens ubicunq; na
ſcatur. Planta eſt transferenda robuſtior. ſcrobem deſiderat altiorem & ſpatia longiora,
ut, quod illi maxime prodeſt, uentis frequentibus agitata grandeſcat. Si uermes patiatur
infeſtos, qui in ea rufi & piloſi ſolent medullæ interna ſectari, aliquot ex ijs ſine arboris in
iuria detractos uicino crememus incendio, creduntur hoc genere uel fugere uel perire. Si
minus arbor cœperit ferre, tedæ cuneus eius radicibus inferatur, uel circa partē ultimam
foſſa facta cumulo ingeſti cineris adæquetur. Aprili menſe ſorbi inſeruntur in ſe, in coto
neo, in ſpina alba, uel trunco, uel cortice. Cato ſorba ſapa condi iubet. Alij præcipiunt in
uaſis fictilibus picatis ſeruari, in ſcrobibus gypſato operculo duū pedum terra ſuperindu
cta, in loco aprico, inuerſis uaſis, & in dolijs cum ramis. Alij integra dolio picato ſuſpen
di, excluſa omni aura operculo & gypſo, illitis omnium ſurculis pice, dolia ab aqua pro
cul eſſe. Seruātur item ſorba hoc genere, Lecta duriora ac poſita, ubi miteſcere cœperint,

fictilibus usque ad plenum clauduntur urceolis, gypso desuper tectis, & bipedanea scrobe loco sicco sub sole merguntur ore peruerso, super spissius terra calcatur. Item secta in partes siccantur in sole & seruantur in uasculis in hybernum. Cum uoluerimus uti aqua feruenti macerata reuirescunt, sapore iucundo. Aliqui cum pediculis suis uiridia lecta suspendũt locis opacis & siccis. Alij sorba in defruto asserunt diu posse custodiri. Fit ex maturis sorbis, sicut ex pyris, & uinum & acetum. Sorba manu lecta curiose in urceolos picatos adijcis, & opercula imponis picata, & linis gypso: tum bipedaneis scrobibus sicco loco intra tectum factis, urceolos ita collocas, ut oblita eorum ora deorsum spectent, deinde terram congeris & modicè desuper calcas. Melius est autem pluribus scrobibus pauciora uasa distantia inter se disponere: nam in exemptione eorum dum unum tollis, si reliqua commoueris, celeriter sorba uitiantur. Quidam hoc idem pomum in defruto commodè seruant, adiecto spissamento aridi fœniculi, quo deprimãtur ita sorba, ut semper ius supernatet, ac nihilominus picata opercula diligenter gypso liniunt, ne possit spiritus intrare. Sorba sicca astringunt, sistunt aluum: nam & recentia stomacho & aluo citæ prosunt. Sorba cum adhuc luteola necdum matura sunt decerpta, dissecantur ut adsiccescant in sole, probabili remedio ad stipandam aluum. Idem usus est tusorum pila farinæ, si polentæ modo sumatur. quod eorum decoctum itidem præstat. Eiusdem naturæ Galeno qua mespila, quapropter aluo profluenti sunt utilia, sed imbecilliore effectu, gratioriq; sapore placent, in medico tamen usu magis quàm cibo probata.

Spina Aegyptia, ex qua acacia. Cap. C X X XIII

IN Aegypto spina, alba, nigra & uiridi arbore conspicitur. tota aculeis horret excepto caudice. Prætendit eos & germinibus & foliis, ligno in duodena cubita sæpe procero. Celebratur in eadem gente dũtaxat nigra. Cæditur tectis, nauium costis, incorrupta etiam in aquis durat. candida facile putrescit. Spinarum aculeus in foliis, semen in siliquis ad coria perficienda gallæ usu. Flos & coronis addi blandus, & medicamentis petitus. Manat & gũmi ex ea cum sponte tum plaga, non è cortice sed è uase. Præcipua utilitas quòd cæsa anno tertio resurgit, numerosa omnino arbor, ingenti sylua eius Thebaica præfectura, ubi & olea & quercus & persica. Prouenit & in Galatia teneritudinis summæ, spinosior arbore. Colligitur autumno semen, quoniam collectum maturius nimis uehemens. Spissatur succus ex folliculis aqua pluuia maceratis, mox in pila tusis exprimitur: tum densatur in sole mortarijs in pastillos, acacia uocatur, arboris uidelicet suæ nomine. Fit & è foliis per se minus efficax. Galaticæ acaciæ nigerrimus improbatur, itẽ qui ualde rufus: placet purpura & leucophea, & quæ facillimè diluitur. Nunc acaciam ex syluestri pruno colligit officinarũ desidia. Acaciam fundẽtem idem uideo accepisse authores cum spina Aegyptia, testis est Oribasius & Aetius, nisi quòd acacia etiam aliubi quàm in Aegypto nascitur. Hæc & Syria quoq; spina dicitur. Dioscoridi acacia in Aegypto exit spina, magnitudine arboris fruticosæ, nec in rectitudinem adsurgentis, flore cãdido, semine lupini in siliquis, ex quo siccatur in umbra succus, qui è maturo niger euadit, è crudo rufescit. probatur qui quadam tenus rubeat, odoratusq; sit tanquam acacia. Quidam cum semine folia quoq; ipsa exprimunt. Ex spina colligitur gummi. Vis ei ad refrigerandum spissandumq; pollens. Oculorum medicamentis succus accommodatur. sanat ignem sacrum, & mala quæ serpunt, perniones, & pterygia, & quę in ore sunt ulcera. Oculos procidentes restituit, abundãtiam mensium in fœminis sistit, uuluam prociduam reponit, cogitq; resilire. Aluum fluentem potu infusuq; suppri mit, capillum tingit. Lauatur ad oculorũ utilitates in aqua tritus, effuso superiore illo quasi spumæ tectorio, quandiu supernatantis aquæ syncritas cõstet: postea desingitur in pastillos. Vritur & in cruda fidelia usque dum figlina fornacibus percoquãtur. Ab alijs carbonibus torretur, identidem follibus flata. Decocto spinæ articuli dissoluti fouẽtur. Gummi optimum esse conuenit ex hac spina uermiculatum, colore uitri, pellucidum, sine corticibus. secunda probitas candido, resinosum & sordidum improbatur. effectus ei glutinandi. Medicamentis additum acrimonias hebetat, ambustis prodest, & pustulas gigni prohibet illitum cum ouo. Illud meminerimus, semen Aegyptię à Dioscoride lupino simile redditi Ponticæ, seu quod idem puto Galatiacæ, lenticulæ. Plinius nihil distinguit, sed utrunq;

semen

ſemen lenticulæ par exiſtímat,minore tantum grano & folliculo. Demetrius in Aegypto ſpinam quæ ſit arbor, ramos coronarum ſpecie natiua tradit effundere, in quibus ſemen rotundum ſit,flore ſubobſcuro,ex qua in Aegypto coronæ fiebāt tindicæ & abyleæ. Spumam porro Aegyptiā ſunt qui & Arabicam uocarint,ut Dioſcorides & Galenus. Aliud acaciæ genus in Ponto & Cappadocia naſcitur, ut Dioſcoridi placet,figurā quidē Aegyptiæ,minor multo, atque humi ſe continens, tenerior & ſpinoſior acacia, cruciformi ſenticum implexu,foliis rutæ. Autumno fert ſemen folliculis iugatis,qui modo triloci modo quadriloci ſunt,minus grano lenticulæ. Fit ex hac expreſſa tota ſuccus ad aſtringendum, ſed minus efficax, oculiſq; minus cōueniens. Non uideri debet ſuperfluum,ut ſpinarum hoc loco genera ſubijciātur,quæ nominis communione Græci,legentibus dubitationem adferunt:acantha,pyxacātha,oxyacanthos,acantha leuce, tragacantha,acantha Arabica uel Aegyptia,acantha Indica,ariana,Babylonia ſiue regia. Adduntur & à Latinis ſpina ſi tiens,ſpina pennata in Aegypto,ſpina appendix. Accedit & iis Galatica ſiue Pontica.

Styrax. Cap. CXXXIIII

Styrax arbor eſt cotoneæ malo ſimilis, fructu maiore quàm auellana, ſpecie candidi pruni. manat ab ea liquor coloris flaui,ſordidi, reſinoſi,albicantibus fragmentis,odoris perſeuerātis. Styracem Syria ſupra phœnicen gignit,circa Gabala & Marathunta, & Caſſium Seleuciæ montem. Arbor eſt eodem cotoneo malo ſimilis,lachrymæ ex auſtero iucundioris,intus arbori ſimilitudo arundinis, ſucco prægnans. In hanc ferè per Canis ortum aduolant pennati uermiculi erodentes, ob id in ſcobe ſordeſcit. Laudatur ſtyrax ex Piſidia, Sidone, Cypro, Cilicia, è Creta uerò minimè, ex Amano Syriæ medicis, ſed unguentarijs magis. Colos in qualibet cunque natione præfertur rufus & pinguiter lentus, deterior furfuroſus & cano ſitu obductus. Placet maximè purus. Adulteratur cedri reſina uel gummi, aliàs melle aut amygdalis amaris. omnia ea deprehenduntur guſtu. Exit & in Pamphylia, ſed acrior minuſq; ſuccoſus. In Piſidia propè Selgam Lacedęmoniorum in eo tractu coloniam,ut Herodianus author eſt poſt Strabonem. Syluam huius ligni fertilem fuiſſe tradunt,è quo miſſilia corneis ſimilia conficerentur, unde ortum ut tonſillæ præpilatæ, quas Græci alio nomine uroſcos uocant,ſtyraces appellari conſueuerint. Ibi ad caudicem uermiculus exeſt, ramentáque congerit ad radicem, deinde fluit humor, & ſe ad radicem collectæ ſcobi miſcet. Pars quæ non leproſa modo, ſed terroſa quoque odoratior eſt, ut inquit Strabo. Ex Syria reuehunt ſtyracem, acri odore eius in focis abigentes ſuorum faſtidium. Vrunt ſtyracem in pellibus hircinis, ſuffiuntq; tecta ad ſanandum fumum, atque ex aris nidorem, adeo nulla uoluptas quæ non aſſiduitate ſui faſtidium pariat. Eundem ad ſerpentes fugandos urunt in odoriferis ſyluis frequentiſſimos. Dioſcoridi ſtyrax lachryma eſt arboris cotoneo malo ſimilis, probatur colore rufo, pinguis reſinoſuſq;, albicātibus fragmentis, odore perſeueranti,& cum ſubigitur quodam mellis ſucco lenteſcens,cuiuſmodi eſt è Caſtabalis Piſidia Ciliciaq; inuectus. deterior furfuroſus,niger,et arena obſitus. Inuenitur & lachryma ſimilis gummi translucida,redolens myrrham,ſed perquam exigua. Adulteratur ligni ſcobe quam erodentes uermiculi excuſſerunt, melle & iridis ſedimento, & aliis item pluſculis. Alij ceram aut adipem odoribus imbutam, flagrantiſſimis diebus in ſole ſubigunt cum ſtyrace, & per laxa cribri foramina peruium exprimunt aqua frigida recipiente,ita confictum uænalem proponunt. Hunc ſtyracem quoniam in uermiculorū ſpeciem contrahatur, ſcolecitem, quaſi uermiculatū dixeris, appellant. Nec difficile ignaris imperitiſq; imponitur,eum pro ſyncero emercātibus:alioquin odoris ignauia deprehendit adulterium:is enim ubi dolus abfuerit,uehementer acutus preſentiſcitur. Naturā eius nō eſſe unam argumento ſunt cognomina in compoſitione medicinarū frequentia, chrymatias,calamitis,aſpros,hoc eſt,ut puto,candicans. Chrymatiam Arabes interpretantur eum qui rarus inuentu,& gummi ſimilis deſcribitur. Idem calamitin,quanquam arundine ſua miſtus ipſo nomine ſignificatur, pro liquido tamen accipiunt. Et faſtigia ſtyracis duo faciunt,ſiccum & liquidum,magna confuſione, quòd aliquando liquidum ſtyracem pro myrrha ſtacte ſumunt. Aliquādo ex eodem arbore colligi putant liquidum atque ſiccum. hodie officinæ *ſtoracem* appellant,& alteram ſpeciem *calamitam*. Produnt arbores ſty

racem è Syria petentes in pellibus hircinis urere, ut odorum suorum thuris & myrrhæ sa/
tietatem acrimonia peregrini ligni redimant. Idem petunt in Elimæos arborẽ brutam cũ
presso fusæ similem, exalbidis ramis, iucundi odoris accensam, & cum miraculo, ut Plini/
us inquit, historijs Claudij Cæsaris celebratam, cuius Parthi folia potionibus inspargant,
odore cedri: fumum eius contra ligna alia remedio esse prædicant. Nascitur ultra Phasim
Tigrimq; in finibus oppidi Scinæ, in monte Scanthro. Petunt & in Carmanos arborem
strobum, quam in uino palmeo infusam urunt suffiuntq; tecta. nidor à lacunaribus ad so/
lum iucundus reciprocat, qui citra dolorem caput aggrauet, & somnum ægris concilíet.
Placet maxime pinguis, purus, albicãtibus fragmẽtis. Medetur tussi, faucibus, pectoris ui
tijs, uuluæ præclusæ duritiáue laboranti. Cit menses potu appositucq;, aluum emollit. Tra 10
dunt potu modico tristitiam resolui, largiore cõtrahi. Sonitus aurium emẽdat infusu, stru
mas illitu neruorumq; nodos discutit. Aduersatur uenenis quæ refrigerando nocent, &
ideo cicutæ. Styrax Dioscoridi mollit, excalfacit, concoquit, medetur tussi, destillationi/
bus, raucitati, grauedini, uoci oblisæ, uuluæ præclusæ duritiáue laboranti. Cit menses po/
tu appositucq;. Aluum leuiter mollit, si exiguũ cum resina terebinthina bibatur. Miscetur
in malagmata quæ discutiant, acopisq; utiliter. Adoletur, torretur, inflammatur ad fuligi/
nem ut thus, quę pares effectus præbet. Oleum quod in Syria è styrace fit calfacit & mol/
lit insigniter, cæterum minimum capitis dolores creat grauatq; soporifera ui.

Suber. Cap. CXXXV

SVber Græcis phellos, Frãcis *liegium* nominatur, arbor est caudicosa parũq; 20
ramigera, admodum procera, auctúque insignis, ligno robusto, cortice unice
crasso, solito disrumpi, fraxini folio, sed oblongiore, perpetuo uirenti, fructu
glandoso, nec aquifoliæ glandi longe dissimili. Theophrasto arbor est proce/
ra sine multis ramis, materie robusta, cortice pręcrasso & aspero in senectute,
folio fraxini longiore, ac perpetuo. glans aquifoliæ. Corticem detrahere oportet ne dete/
rior fiat arbor, qui triennio post subnascitur. Simulacra è subere dijs factitata, sed succes/sit
in eius locum palma. Plinius suberi, inquit, minima arbos, glans pessima, rara, cortex tan/
tum in fructu, præcrassus ac renascens, atq; iam in denos pedes undiq; explanatus. Vsus
eius anchoralibus maximè nauium, piscantiumq; tragulis, & cadorum obturamẽtis: præ/
terea in hyberno fœminarum calceatu, quam ob rem nõ infacete Greci mulieres, cortices 30
arborum appellant. Plinius contra quam Theophrastus phellodryn uidetur eandem exi
stimasse cum subere, quod & phellos dicatur, in fœminarũ calceatus utilem hyberno tem
pore. Familiaris hæc arbor sua ætate fuit Pyrenicæ. Nec in Italia tota nascitur, aut in Gal/
lia omnino: attamen in Hispania uideri nunc audio humilẽ, folio ilicis, aculeato, tristi glan
de, cortice præcrasso & multis inanitatibus fistuloso. Cortex ad nos copiosus deferẽ mu/
niendis aduersus frigoris iniuriam hyeme calceamẽtis. Is enim magna leuitate fultus nun
quam aquis mergitur, sed existens enatat. quare sustinendis uerriculorum alis contra de/
primentes plumbeas glandes piscatores opponunt, ut leuitas demersu contumax pondu
sculis renitatur. Glandifera tardissimo germine suber, cui folia non decidunt. Cariem ue/
tustatemq; nõ sentit, aut saltem ex reliquis tardissime. Materies eius spissa. Cortice etiam 40
in orbem detracto iuuatur, cum cæteræ necentur arbores: crassescens enim perstringit &
strangulat. Suberis cortex tritus ex aqua calida potus, sanguinẽ fluentem ex utralibet par
te sistit. Eiusdem cinis ex uino calido sanguinem excreantibus magnopere laudatur.

Taxus. Cap. CXXXVI

TAxus Græcis smilax, aliquibus milos appellatur, folio æterno, extremitati
bus & lateribus sinuato. Theophrasto arbor est procera, similis abieti, mi/
nus excelsa, sed alis crebrioribus sinuata, folio abietis, pinguioriq; ligno. fa/
cillime augescit, fructificat à Vergiliarum obitu, floret paulo ante solstitiũ, ei
folia non decidũt. germen maxime serotinum. Soluta & tenera in operibus
est taxo materia, præsertim in Arcadia, ubi nigra est ac punicea. Flauet in Ida tam similis 50
cedro, ut imponatur emercãtibus medulla. Cortex cedro persimilis tum scabritia, tum co
lore, quo detracto, totum subesse cor cernitur. Radices ei graciles per summa cespitũ, bre/
ues, circa Idam rara, in Macedonia & Arcadia frequentior, rotundo fructu & paulo am/
pliore ęq

pliore quàm faba, colore rufo, tactu molli, folio ueterinis lethifero, non item ruminātibus. Sunt qui fructum mandant ſuaui cibo, & innocentem prædicant. Similis abieti & piceæ (ne quid prætereatur) aſpectu taxus eſt, minus uirēs, gracilisq; & triſtis, ac dira, nullo ſucco, ex omnibus ſola bacciſera. mas noxio fructu. Lethale quippe baccis in Hiſpania præcipue, uenenum ineſt. Vaſa etiam uiatoria ex ea uinis in Gallia facta mortifera fuiſſe compertum eſt: et eſſe in Arcadia tam præſentis ueneni, ut ſi qui dormiant ſub ea, cibum ue capiant, moriātur. Sunt qui taxica hinc appellata dicant uenena, quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tingantur. Repertū innoxiā fieri, ſi in ipſam arborem clauus æreus adigatur. Dioſcorides taxum arborē repræſentat folio & magnitudine abietis. In Italia & Narbonenſi prouincia Hiſpaniæ latere baccas ſi gallinacei edant nigreſcunt, homines uero reſolutione alui periclitantur. Narbonenſi uis tanta, ut ſi qui ſedeant ſub ea ſomnum ue capiant, lædantur, ſæpe uerò & extinguantur. Plutarchus tradit umbram eius dormientes enecare, cum irruens arcem ſenſus obſidet. quare de hac tantū cauendi gratia ſcribendum fuerat. Conglutinamenta ſiue ſubſcudes ex ea ſcrinijs & ſubſellijs parātur, nunc & arcus apud nos & ſcorpiones. Seſtius à Græcis ſmilacem uocari dixit. Gallia noſtra nominat, *iſum* uel *iſ*, ſatis frequens perpetua fronde, abietis aſpectu ſed humilior eſt, aliſq; frequentioribus ſinuoſa, folio pinguiore & molliore, baccis ruſis, rotundis, mollibus, guſtu non in ſuaui, radice breui, gracili per ſumma ceſpitum. In medicina nullum uſum inuenio præter quàm ut ſuffitu mures enecet. Sunt tamen qui tradāt eius baccis aluum reſolui, & altiles, & cohortales gallinas ſaginari. Arcus apud nos elegātes & pulchros puniceo ferè colore fabricant.

Terebinthus. Cap. CXXXVII

TErebinthus terminthos græcè dicta, arbor eſt circa Idam Macedoniāq; breuis, fruticoſa & contorta, in Syria uerò magna & copioſa decoraq;, materie lenta, nigra, lauri penè folio, oleæ flore, ſed puniceo, baccis primum herbaceis, mox rubris, & tandem maturitate nigrantibus, magnitudine fabæ, reſinoſis & ſulphuroſis, radice ualida in profundū acta. Meſſibus tritici aut paulo ſerius fructificat. Theophraſto mas ſterilis, fœminæ diſtinguuntur: aliæ protinus fructum rubentē magnitudine lentis ædunt, qui concoqui nō poteſt: aliæ uiridem pallidum ue primo, demum rubentem, nouiſſime cum uua matureſcentem & nigreſcentem, qui & odore iucūdior, amplitudine fabæ, interim maiorem & reſinoſum tactu, furfuroſumq;. In Troade circa Idam & Macedoniam breuis, & fruticoſa contortaq;. Damaſco Syriæ inſignis, copioſa, decoro aſpectu, ubi mons terebintho nec alia ſylua ſcatens. Materies admodum lenta, radicibus ualidis, actisq; in profundum, fidelis ad uetuſtatem. Flos racemoſus oliuæ modo, ſed rubens folium, numeroſum ab eodem pediculo, figura laurei, digeſto in uerſus ut ſorbo. Vnicum ad cacumen exit & numerum parem cōturbat, minus tamen angulata ſunt q̄ ſorbo, & ſimiliora per ambitum laurinis uidentur, oleoſaq; ut fructus. Fert & nucamenta quædam caua, ceu folliculos ulmi exemplo, in quibus animalia quaſi culices erumpunt, & reſinoſus lentor qualis è ligno, unde fit reſina. Fructus quādiu maturus nō eſt in aqua ferè ſupernatat, niger ſidit. Vulneribus profundis ut abies, & quæ reſinam tedamq; ingerunt, fœcundior efficitur, contra q̄ cæteræ arbores. Materia uehementer nigra, ſpiſſa, ſplendida, præcipue in Syria tantum ut hebenum prouocet. Cultellis ex ea capulos & calices detornant, tam feliciter, ut à figlinis internoſci nequeant. Syria, ut Plinius tradit, terebinthū habet. Ex ijs maſcula eſt ſine fructu. Fœminarum duo genera, alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus, cum uite matureſcit non grandior faba, odore iucūdior, tactu reſinoſus circa Idam Troadis. Sed in Macedonia breuis arbor hæc atq; fruticoſa, in Damaſco Syriæ magna, materia admodum lenta ac fidelis ad uetuſtatem, exmij ac nigri ſplendoris, flos racemoſus oliuæ modo, ſed rubens, folia denſa. Fert & follicu los emittentes quædam animalia ceu culices, lentoremq; reſinoſum qui ex cortice erumpit. montes amat terebinthus. Vere concepto germinat, reddit meſſibus ſemen, perpetua coma uiret. Materies omniū hæc ſola ungi uult, meliorq; oleo fit. Quare Thericles eo nomine celebratus eſt, q̄ è terebintho Syriaca nigriore, ut adfirmant, calices facere torno ſolitus ſit. Sed colos mire adulteratur iuglande, pyro ſylueſtri, tinctis atque in medicamine decoctis. In Oriente optimam tenuiſſimamq; reſinam terebinthi fundunt, ſed q̄ à cæteris

odoratiorem,non niſi fructu & reſina utiles. Refert Theophraſtus Indicam terebinthum haberi reliqua omnia ſimilem, fructu tantum diuerſo,amygdalarũ ſimilitudine, ſuauitate præſtantiori,& ideo incolas his potius uti. Terebinthi folia & radix collectionibus impo nuntur: decoctũ eorum ſtomachũ firmat. Semen in capitis dolore bibitur in uino,& con tra difficultatẽ urinæ,uentrem leniter emollit,uenerem excitat. Dioſcoridi inter comper tas fuit. cortici,foliis,ſemini aſtringendi uis adeſt. profectus idem qui & lentiſco. Tempe ratur ſumiturq; ad eundem modum. Semen eius ueſcendo eſt,ſtomachum lædit,excalfa cit,ualet & contra difficultatem urinæ. Venerem ſtimulat;contra phalangiorũ ictus ex ui no propinatur. Natura terebinthinæ in medendo contrahere uulnera, purgare,diſcutere collectiones,item pectoris uitia. Illinitur & eadẽ calida, membrorũ doloribus,ſpaſticisq; illinitur in ſole,totisq; corporibus,mangonũ maxime cura ad gracilitatem emendandam, ſpatijs ita laxantiũ cutem per ſingulas partes,capacioraq; ciborum facienda corpora. Re ſina terebinthi è multis locis conuehitur, Arabia Petræa,Iudæa,Cypro,Syria,Africa,in ſulis cycladibus,quæ præſtãtior. eſt enim alba,perlucida,colore uitri,cærulea,odorata, & terebinthi plus referens. Ex omnibus reſinis principatus terebinthinę datur,poſt eam len tiſcinæ,tum ei quæ de picea raditur & abiete, ultimum locum pinea ſtrobilinaq; obtinet. Natura excalfacere,mollire,purgare,diſcutere. In tuſſi ac tabe per ſe aut cum melle delin gitur:item ad pectoris uitia. Vrinam exigit, cruda concoquit,uentrem emollit: palpebra rum pilos incõmodos replicat. Lepris illinitur cum nitro,ærugine,atramẽto ſutorio. Vti liſſima auribus ſanioſis cum oleo atq; melle, item pruritui genitaliũ. miſcetur emplaſtro, malagmati,acopo. Laterum dolores finit per ſe inuncta & impoſita.

Tilia. Cap. CXXXVIII

TIlia Gallis nomen retinet,Græcis philura dicitur,folio hederaceo,molliore, & in angulum acutiorem rotundiore & prolixiore,& in orbem lente criſpo atq; ſerrato,flore tantiſper dum calyculo cõtinetur herbaceo, ubi emerſit fla uo,fructus magnitudine fabæ,ſimilis acinis hederæ,in quo ſemen prætenue quantũ atriplicis, omnibus animalibus ingratũ cum foliorum pabulo maxi mè ducantur,eorumq; mira dulcedine capiuntur,quę in cortice intelligitur. Dioſcoridi ar bor eſt magnitudine qua cyprus,foliis oleę nigrioribus,latioribusq;,fructu lentiſci,nigro, ſubdulci,uuarũ modo cõgeſto, locis aſperis proueniẽs. Montibus gaudet,paulo ante Ae quinoctiũ germinat. Vireſcit ſemper,multiplici inter lignum & corticem tunica, quæ te nuis eſt,obſequẽtiſſima humoris lentore mollitiaq; flexilis. Vertit partes foliorũ ſupinas, mox poſt ſolſtitium, quo argumento ruſtici ſydus confectum intelligunt. Arbor hæc ſe rotina, foliis dulcibus eſculentisq; pecori,ſed fructu animalibus omnibus inguſtabili. Te redinẽ non ſentit,proceritate perq; modica, uerũ utilis & operibus inteſtinis uel obedien tiſſima,etſi abies,ut Theophraſtus ait,pulcherrima defenditur. E cortice fœminarũ cunæ fiunt atq; ciſtæ,nauium longarũ aſſeres & arculæ,mẽſarumq; nõnulla genera è ligno. pro batur & igniarijs. Medulla exigua eſt,materies inter carnoſas molliſſima calidiſſimaq; di citur,quoniã ferri aciem hebetet tinctura eius caloris ui reſoluens. cæditur autumno. Cor tex ſummè funibus expetitur. Theophraſtus quandoq; nominat philycam. Sylueſtris,in quit,arbor eſt philyca,fronde perpetua, Olympo monte,fructũ ſuum ab occaſu Vergilia rum ædit,celaſtri modo cãdida. Celaſter porrò ſylueſtris arbor perpetuo uirens, fructum ſero perficit,atq; hyemis ſuperuentu perdit,& ut quidã putant,gelidiſſimis montium ca cuminibus innaſcit. Cura deterior efficitur,uſus ad baculos ſenibus. Theophraſtus odo ratiorem fœminæ corticẽ q; mari tribuit: Plinius cõtrà. flos calyculaceus, pediculo quiſq; ſuo annexus,uiridi quandiu alabaſtro includitur, dehiſcentes ijs flaueſcunt,floret pariter cũ mitibus & urbanis. Fructus oblõgus ad fabæ magnitudinẽ,rotundus,ſimilis acino he deræ, maiuſculus, angulis quinis ceu neruis quibuſdã in acutum extuberat. Partitionem exilior indigeſtã et omnino confuſiorem habet. maior ſi ſcabitur ſemina emittit puſilla & prætenuia,ut uideri poſſint atriplicis. Foliũ hederæ, niſi q; ſe in acutiorem angulũ rotun dat,incuruũ. quà pediculo innectitur,è medio ſui prodit in acumen,criſpũ per orbẽ molli ter ac ſerratũ. Cineſias poeta flagitioſiſſimus, in quem Lyſiæ oratoris plena conuitiorũ le gitur oratio,tam gracilis fuiſſe dicitur,ut tiliaceis aſſeribus corpori circũdatis imbecillita tem ſuam

tem suã fulciret, ut Philetas alter poeta plumbeis orbiculis circũ pedes alligatis, nẽ uento subuerti posset. Latinis in tilia mas & fœmina differũt omni modo. Nanq; materies maris dura, nodosa, rusior & odoratior, cortex quoq; crassior ac detractus inflexibilis. nec semẽ fert aut florẽ ut fœmina, quæ crassior arbore, materia candida, præcellensq; est. mirũq; in hac arbore fructũ à nullo animantũ attingi, foliorum corticisq; succũ dulcem esse. inter corticem & lignũ tenues tunicas multiplici mẽbrana, è quibus uincula tiliæ uocantur, tenuissimum earũ philyræ, coronarũ lemniscis celebres, antiquorũq; honore. Montes & ualles diligit tilia, sed plus montibus gaudet aquosis. Mollissima eadẽ uidetur & calidissima, argumentũ adferunt, q̃ citissimè ascias retundat. Scutis aptissima, q̃ contumacius transmittit ferrũ, acceptumq; uulnus illico claudat. Visa est tilia insitionũ adulterio omni pomorũ genere onusta, alio ramo nucibus, alio baccis, alio ficis, pyris, malorũq; generib. sed huic fuit uita breuis. Huius cortex in magno usu agrestiũ. Vertit folia cõfecti syderis signũ, ad multos usus expetenda. præstat tilia suos cortices. Multi corticem cõmanducatũ uulneribus putant utilissimũ: folia trita aspersa pedũ tumori. Humor è medulla castratæ arboris effluens capillũ reddit capiti illitus, defluentẽq; continet. Arbor tilia leniter tusa ad ea ferè utilis est, ad quæ oleaster. Folia tantũ in usu ad infantiũ ulcera in ore & cõmãducata & decocta, urinam cient, menses sistunt illita, sanguinẽ pota detrahunt. Folia huius Dioscoridi astringunt eodẽ quo oleastri profectu, ideo ad omnia quæ spissanda sunt pertinent. Commanducata ulceribus oris infantiũ imponuntur. ad idem decocto colluere salutare est. Pota urinã pellunt, menses cient.

Thus. Cap. CXXXIX.

THuris facies à nullo, quod equidem legerim, Latinorũ, tradita est, neq; Græcis authoribus etiamnum de arboris effigie satis conuenit. Alij thuris altitudinem ad quina cubita prosurgere tradũt, ramis frequẽtibus, folio pyri, sed multo minore, coloris herbacei modo rutæ, læui cortice uti lauro. Alij foliũ lauri læueq; prodiderunt. Alij lentisco similem etiam fructu, folio subrutilo. Nonnulli proximam terebintho faciunt. Alij terebinthum esse, & hoc uisum Antigono regi allato frutice. Sunt qui ex eadem arbore thus & myrrhã manare putent. Diodorus paruam, Aegyptiæ spinæ albæ similem, folio salicis, flore aureo. Placet Theophrasto & Plinio sententia eorũ qui lauro similem tradunt, quoniam talis arbor fuerit Sardibus, studio regum Asiæ delubro quodam sata. Iuba rex contorti esse caudicis, ramis aceris maximè pontici, succum amygdalæ modo emittere, talesq; in Carmania apparere, atq; in Aegypto cura Ptolemæorũ regnantium consitas, è uirgis ad Italos cõmeantibus crediderunt, matrem quoq; teretem, & eodi fructificare trunco. Thus collectũ Sabotam camelis conuehitur, ut Theophrastus prodidit, porta una ad id patente in delubrum Solis, quem Sabin uocant, armatis ibi custodibus, tabella super struem posita, descripto quem modum attulerint, quãtiq; indicent. mercatores tabellis perlectis, pretiũ thure sublato deponunt, idq; absentibus dominis fit. Sacerdotes partem pecuniæ tertiam deo reponunt, reliquũ dominis redeuntibus numerãt. Thus spontinũ præter Arabiam nullis, ne Arabiæ quidẽ uniuersæ. Commendatissimum quod spectat ad Persas, ut Straboni placet. Cæterũ in medio ferè Atramitæ sunt pago Saborũ, qui caput regni est. In Sabota monte arduo, ab hoc mãsionibus octo distat regio eorum thurifera, Sabaq; appellatur. Solũ id rubrũ è lacteo traditur, spectãs ortus solis æstiui, undiq; terra argillosa crustaceaq;, raris fontibus ac nitrosis, per Mineos proximũ pagum euehitur tramite angusto. hinc & thus Minæũ uocatur. Ius in thura tricentũ esse familiarum dicunt, quæ ob id Sacræ uocãtur: & cum arborẽ uulnerant, nec fœminarũ cõgressu, nec funerũ, pollui. Quidam promiscuũ ius ijs populis perhibent in syluis: alij per uices annorum diuidi. Duplex eius uindemia, prior naturalis q̃ Canis ortu, flagrãtissimis æstibus, cortice qui prægnans & tenuissimus tenditur, laxato plaga mõ adempto. Inde prosilit spuma pinguis, quæ concreta densatur, ubi loci natura poscit tegete palmea excipiente, aliubi area circumpauita, purius illo modo, sed hoc ponderosius. quod hæsit in arbore, ferro depectitur, ideo corticosum. Saucias arbores nemo custodit, tanta inter barbaros fides. Contrà, Alexandriæ ubi thus rude interpollatur renouaturq;, nihil tutum à fure. Autumno quoque legitur ex partu æstiuo, hoc purissimum & candidum, carpheotum uocant. Sequens uindemia uerna, incisis per hyemem arboribus; rufum hoc exit, nec comparandum priori

dum priori, dathiatũ appellant. Nouellæ arboris cãdidius, ueteris odoratius in insulis, in Arabia suauius: quanq; in insulis nasci negat Iuba. Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum uocatur: cum ferè aliàs nõ uocetur mas, ubi non sit fœmina. religioni tributum ne sexus alter usurpetur. Masculũ aliqui putant à specie testium dictũ. Præcipua gratia mammoso, cum inhærente lachryma priore cõsequuta alia se miscuit. Singula hæc manum implebant, cum tardius depecteretur. Græci hoc modo stagoniã & atomum thus uocabant. minores guttas orobiam appellant. Micas concussu elisas mannam uocamus. Inueniuntur tamen etiamnum guttæ quæ denariorum trigintatriũ pondus æquent. Conuehentibus thura capitale est digredi uia. Decimas deo mensura non pondere sacerdotes accipiunt, nec ante mercari licet, inde impensæ publicæ tolerantur. Nam & benignè certo itinerum numero deus hospites pascit. Euehi nõ potest nisi per Gebanitas, horum regi penditur uectigal. Resina piceæ non quacunq; adulteratur, sed gẽma ea quæ interuenit ei tam similis thuri ut mista discerni non queat, & inde fraus. Laudatur in thure candor, amplitudo, fragilitas, neu dentẽ recipiat, potius quàm in micas frangatur. Omnia hęc cum Theophrasti tum Plinij temporibus. Cæterum, in felici Arabia, ut Arianus in lustratione mariti morum ad Imperatorem scripsit Adrianum, deserta est insula Trullas nomine, cui mediterraneum subiacet municipiũ, Sabbata uocatur, habitatione regis celebre, in quod quicquid in regione tota thuris inueniatur, nauigijs, ratibus, camelis, segestribus inuehi solet. Thurifera, ut idem tradit, regio densa cæli cõditione, nubilaq; caligine cũctis penè hominibus inaccessa, amplas non adeò nec proceras fundit arbores, concretã quandam gummis modo saniem collachrymantes. Demetitur thus ab ijs qui seruitute regi sunt adstricti, uel qui extorres eò sunt missi, ut scelerum supplicia pendant. Siquidem tractus is tam grauibus morborũ iniurijs patet, ut in liburnicis etiam uectores propius appulsi pestilens contrahant contagiũ: quanto magis ijs qui thura inibi expoliunt, maxima ex parte perniciem moliatur. quanq; pleroscq; cibo defectos mors rapiat. Est non procul editissimũ orbis promontorium in Orientem spectans, totius regionis & asylum & propugnaculum, ubi portus quoq; qui Syagros appellatur, in quo congestum thus reconditur, ad usus tandem negotiatoribus expromẽdum. Addit saxosos montes & abruptos hominum sese speluncis & cauernis recondentium, à quibus Sachalitæ thuris portus Moscha dictus ostenditur, ad quem à Canè prouincia naues onerariæ transigunt, quæ à Limerice & Barygazis, q̃ se riore transuectu perhyement, se tardius appellunt, pro thure frumentũ & oleum referentes. Hoc in portu thus Sachalites in magnos aceruos coactum citra custodũ uigilantiam, tutante solo numine cumulatim proiacet, neq; furtim sublatũ neq; aperto citra regis consensum in nauem transferri potest. Quòd si quis oram soluens uel granum, uel glebulam subripuerit, huic abire posse negatur. Philostratus in Caucasi montis præruptis lateribus proceras arbores nasci prodit, è quibus manãs thus destillet, sicut ad eius radices cinamomum, quod nouis sarmentis assimiletur: ubi bonitatis suæ dat experimentum capra, cui si quis porrigat ueluti catulus admurmurat, abeuntẽq; prosequitur, nares quoad potest propius adhibens. Quòd si pastor eam abigat, nõ secus queritur q̃ si pabulo distracta depelleretur. Thus aut à uerbo græco theos, aut sacrificiũ significãte flectitur, aut certè à tusis glebis, ut tũc latinè scribi debeat. Arbor porrò ipsa libanos & dendrolibanos interim, lachryma uerò libanotos à Galeno dicitur. Euripides contrà, libanum pro lachryma, libanoton pro arbore thuris accipit. A iuuene Assyrio, cui nomen esset Libanos, in hunc fruticẽ conuerso dictam Græci fabulantur, quem deos studiosissimè colentem inuidi occiderint, hinc esse dijs gratius. Thus in Arabia, ut Dioscorides scribit, nascitur, parte una quæ ob id thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere masculũ, quod stagoniam uocãt, huic natiua rotunditas guttæ. Tali modo & atomon appellatur, hoc est indiuiduum, foris candidũ, & si frangas, interius pingue, in suffitu statim ardens. Habetur & Indicũ thus, subrufum, & liuidũ colore. Adulterio quoq; rotũditas quæritur. Circũscissum in quadrãgulare formam cõijciunt in fictile, circũagunt q̃; donec absoluti orbis rotunditate circinetur, tempore aũt post rufescit, atomon, aut syagron nominant. Proxima cõmendatio eius q̃ Arabias dictum est, quod in Smilo aliqui copiscon uocãt, minus multo & rufius. Celebratur & amomitis, cãdidum; & cum fricatur, mastiches modo digitis cedit. Adulteratur resina

piceæ &

piceæ & gummi, alioqui præstigia facile colluditur. Nam gummi flammam non eiacula-
tur, resina in fumum abit: thus uerò statim accenditur. idem maleficium odor prodit. Na-
tura thuris excalfactoria astrictoriaq́, discutit oculorum caliginem, caua ulcerum replet,
& cicatricibus claudit: cruẽta uulnera protinus glutinat, infrenatq́ sanguinis eruptiones,
& etiam si cerebri membranis exeat. Vlceribus quæ cacoethe dicuntur, circiter sedem alias
ue partes enatis medetur cum lacte tritum, impositoq́ linamento. formicas incipientes &
impetiginem cum aceto & pice tollit perunctis. Ambusta, perniones q́ cum suillo pingui,
anserino ue additum sanat. Erumpentia in capite cum nitro infricatum, paronychijs cum
melle, auribus fractis cum pice succurrit. Ad reliquos earũ dolores cum uino dulci instil-
latur. Mammas à partu inflammatas cum cimolia & rosaceo perungit, medicinis ad arte-
riam utiliter miscetur, item ijs quæ ad uiscerum morbos conduntur. Sanguinem expuen-
tibus prodest in potu datum. Sed qui secunda ualetudine fruuntur, si bibant, insania peri-
clitãtur. largius cum uino potum interficit. Thus puro fictili granatim de lucerna succen-
sum donec conflagret, ubi ad plenum exarserit, operitur usquequo se restinguat, ita in ci-
nerem non redigitur. Quidam patellæ uas ahenum circũdant cauum pertusumq́ in me-
dio ad fuliginem capiendam, ut in mẽtione huius paulo infrà docebimus. Alij in crudam
fictilem componunt, & oblinunt luto, atq́ ita in fornace urunt. Torretur uerò in noua te-
sta carbone ardẽti usq́ eò dum neq́ amplius bullet, neq́ lentorem & halitũ reddat. quod
deustum non est, facile frangitur. Cortex thuris melior qui crassus, pinguis, odoratus, re-
cens, læuis, neq́ porriginosus aut mẽbranaceus. Adulteratur cortice arboris pinus, & pi-
ceæ, & huius exploratio ab igne, mutatus in eo non ardet, sed in uaporẽ sine odore expui-
tur. Syncerus accenditur, & cum odoris fragrãtia uaporem eructat. Vritur thuris modo,
effectus eosdem habens, ualentior tantum, magisq́ astrictorius, utilior & sanguinem ex-
creantibus: uuluis fluxione laborantibus in pesso confert, cicatricibus oculorũ, sordibus
& cauitatibus atq́ lacunulis prodest. Tostus scabris lippitudinibus auxiliatur. Mãna thu
ris probatur alba, pura, cartilaginea, uim repræsentat eandem quam & thus, sed inualidiu
sculam. Quidã resina piceæ cribro effusa ac polline, aut cortice thuris contuso, adulterant.
Sed hæc fraus igne coarguitur. Neq́ enim aerium nidorem, sed fuliginosum expuit, odo-
re satis misturam prodente. Thuris fuligo ita quæritur. Grana thuris, forcipicula compre-
hendito, singulatim ad lucernam accendito, & in patinam concauam, quæ fictilis & noua
sit, imponito, supernè ahenum cauum purum, cuius in media testudine foramen insit, ap-
plicato. Sed lapillos ad làtus eius alterutrum aut etiam utrũq́ subijcito, altos semidodran
tem, ut facile possit introspici, si probè thus cremetur. Prius uero q́ granum primum ex-
tinguatur, alia suggerantur. Nam aditus patere debet, quo noua in ustorum uicem suffici-
antur. Hoc faciẽdum quoad fuliginis modus tibi fecerit satis. Cæterum, habenda tibi præ
manibus spongia est, qua partes æris summi forinsecus ex aqua identidem refrigeres: ita
enim fuligo quæ subierit, adhærescet omnis, agglomerabiturq́, refrigerato fornicis feruo-
re. alioqui uapore nõ castigato, commeabit retro, naturali leuitate reciprocata, cineribus
thuris cõmiscebit sese. Detersa ergo pinna fuligine, cinereq́ cremati thuris substracto, idẽ
repetes opus, dum abunde fuerit tibi satisfactum. Oculorum inflammationes fuligo miti-
gat, fluxiones suspẽdit, ulcera purgat, caua replet, carcinomata sistit. Hoc exemplo è myr-
rha, resina, styrace, omni demum lachryma fuligo colligitur, ad easdem utilitates.

Viscum. Cap. CXL

Viscum non in nouissimis agnoscitur mirabile, ut quædam in terra gigni non
possint, in arboribus tamen nascantur. Nanq́ cum suam sedem non habeãt,
in aliena uiuunt, sicut uiscum est. Omnino autem satum nullo modo proue
nit, unde Maroni dictum, Quod non sua seminat arbor. Sui generis planta
est fruticosa, sesquipedalis, lẽta, semp uirẽs, grauis odoris, buxi folio, baccis
exiguis sine flore, tactum sequax, nunq́ in terra nascens, semper in arbore proueniẽs, præ
sertim quercu, robore, ilice, pyro maloq́ syluestribus, et terebintho, nec alijs arboribus ad
nascit. Copiosissimũ in quercu pleriq́ putãt, quod dryos hyphear uocant. Ion poeta sudo
rem quercus nominauit. Nãq́ quod in abiete & larice fit, stelin Eubœa dicit, hyphear Ar
cadia nõ uiscũ. Porrò uisci genera bina uel terna faciũt, & in omni arbore, excepta ilice &

quercu

quercu, differentiam constituit odor uirusq; & folium non iucundi odoris. Viscum coloris, ut Poeta inquit, aurei. Amarum & lentum è robore præcipuum. Hyphear ad saginanda pecora utilius, quia & alimẽti plus & pinguitudinis in larice & abiete sit. Vitia purgat primùm, deinde pinguefacit, quæ sufficere purgationi. Quibus sit aliqua tabes intus negant durare. Medendi ratio æstatis quadragenis diebus. Adijciunt & aliqui discrimen: in ijs, quibus folia amittant, & uisco decidere: contrà, inhærere nato in æterna fronde. Omnino autem satum nullo modo nascitur, nisi per aluum auium redditum, maxime palumbis & turdi. Hæc est natura, ut nisi maturatum in uentre auium nõ proueniat. quod ut uoluit Plautus de turdis loquens intellexit cum inquit, Ipsa sibi auis mortem creat, cum uiscum ferat quo postmodum ab aucupibus capiatur. Altitudo eius nõ excedit cubitalem, semper fruticosi ac uiridis. Mas fertilis, fœmina sterilis, aliquando non fert. Viscum fit ex acinis immaturis, hoc est uiridibus, nõdum candidis, qui messium tempore colliguntur. Siccantur deinde, et aridi tunduntur, ac conditi in aqua putrescunt, duodenis ferè diebus, unumq; hoc putrescẽdo inuenit gratiam. Inde in profluente rursus malleo tusi, cortícibus amissis interiore carne lentescunt. Quidã decoquunt in aqua tusum donec innatet. Nonnulli commanducatis acinis cortices expuunt. Si tamen messibus imbres accessere, amplitudine quidem augentur, uisco uerò marcescunt. Optimum est quod sine cortice est, quodq; læuissimum. Quidam efficacius futurum promittunt detractum prima luna è robore sine ferro. Visco nihil est glutinosius, pennis maximè uolucrum tactu ligãdis, iuglandium oleo subactũ, cum libeat insidias omnibus moliri. Druides in Gallia nihil habebant olim uisco & arbore in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Quare roborum eligebant lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiebant, ut inde possint appellati interpretatione græca Druides uideri, & adhuc apud nos ueteris uocabuli relucet uestigium, *Dreus* pro Druides uocantes. Quicquid illis agnascitur, è cælo missum putabant. Erat autem id rarum admodum inuentu, & repertũ magna religione petebatur, & ante omnia sexta luna. Post sacrificiũ & epulas sacerdos candida ueste cultus arborẽ scandebat, & aurea falce demetebat, candido id excipiebatur sago. tum demum tauros duos coloris candidi nunc primũ cornibus uinctos immolabant, precantes ut suũ donum deus prosperũ faciat. Fœcunditatem eo poto dari cuicunq; animaliũ sterili arbitrabantur, contraq; uenena omnia esse remedio. Fit & apud nos uiscũ ex aquifolia arbore passim in syluis nascente, folio aculeato, baccis purpureis. Huius cortices detrahũt, & facto humi scrobe locis uliginosis maximè obruunt, frondibus arborum inuoluentes, & inibi putrescere patiuntur, quod ferè duodenis diebus fieri solet: tum marcidos eruunt, & tantisper pila tundũt, dum in uiscum lentescãt: demũ in profluente, ut obhærentes corticũ reliquiæ sordesq; fluitent, proluunt, & adiecto olei nucum momento fictilibus recõdunt ad aucupia. Fit & uiscum in Syria ex acinis, quos ab Augusti, ut arbitror, honore, sebastos appellauerunt, & hodie quoq; officinis adhuc *sebeste* ubiq; dicũtur: ueteribus fuisse myxa cõiicio, quæ & per diminutionem quoq; myxaria recentioribus græcis nominantur. Arbusculæ eius ligno cortex albus, ramis uirens, folio rotundo, amplo. Fructus in racemo dulcis, candido lentore plenus, cum interiore nucleo quasi oliuæ siccatur. hic in medicina uentrem soluit, distillationesq; comprimit, & rosiones uesicæ, & intestinorũ animalia. Damascenũ inde uiscum paratur commendatissimũ aucupijs, præterq; aquatilium uolucrũ. Fingitur & ex radice quadã uiscum lantanæ dicti fruticis, æquè ueteribus incogniti, folio hirsuto, molli, flore candido, odorato, quẽ sustinet umbella uiminibus lentis annexũ, acinis ut uua, primo rubẽtibus, post nigrantibus. Viscum Dioscoridi optimũ leue, recens, intus porraceũ, colore foris subfuluũ, sine scabritia, sine furfuribus, ex acino quodã rotundo quẽ ferant quercus, folio buxi. tunditur, mox lauat, deinde in aqua decoquit. Quidã cõmãducãtes acinos id cõficiũt. Dãt & malus & pyrus & aliæ arbores uiscũ. Inuenit id & circa radices fruticũ quorũdã. Vsus ad multa. discutit, mollit, extrahit, cõcoquit: tubercula & parotidas, oĩs generis collectiones abscessusq; sanat, cũ resina & cera pari portione imposita. Epinyctidas, itẽ in splenio ulcera uetera, & cacoethe cũ pollíne thuris mollit. Lienẽ mista calce uino decoctũ aut gagate lapide aut asio, atq; ita impositũ extenuat. Vngues auripigmẽto, & sandaracha illitũ extrahit, additũ calci uiuę & fecibus uim suã intendit. Optimũ est q̃d sine cortice est, quodq; læuissimum

uiſſimũ, extrà ſuluũ, intus porraceũ, quo nihil ſit glutinoſius. emollit, humores ſiccat, ſtru mas cũ reſina & cera diſcutit, panos mitigat omnis generis, quidam galbanũ adijciunt, pa ri pondere ſingulorum, eoq; modo ad uulnera utuntur. unguium ſcabritias expellit ſi ſe ptenis diebus ſoluantur, nitroq; colluantur. Quidam ſi terram non attigerit putant comi tialibus mederi, conceptum fœminarum adiuuare, ſi omnino ſecum habeant: ulcera com manducatum impoſitumq; efficaciſſime ſanare.

Vitex. Cap. CXLI

Vitex agnos Græcis dicitur, q̃ authore Galeno caſtitatem conſeruet ijs qui bus aut eſtur, aut bibitur, aut ſubſternitur. Dioſcorides appellatam tradit, quòd matronæ in Theſmophoriis Athenienſium caſtitati ſtudentes, huius foliis toros ſibi ſternerent, uocataq; lygus ob ſurculorum firmitatem. herba rij *agnum caſtum* appellant, utraq; uoce idem ſignificante. Duo eius genera, maior arboreſcit ſalicis modo, uel foliorum aſpectu, niſi quòd gratiorem ſpirant odorem et perpetuo uirent, ramis frangi contumacibus, flore ex purpura candido, piperis ſemine. Minor ramoſior eſt, foliiſq; candidioribus & lanuginoſis, flore purpureo. utraq; iuxta flu mina naſcitur. Dioſcorides Latinis ſalicem amerinam, alijs piper agreſte tradit appellari, Græcis agnon aut agonon. Arborẽs frutex eſt, ſecundũ amnes ſolo aſperſo, et cõuallibus naſcẽs, uirgas habẽs lentas, proceras, folia oleacea tantũ teneriora. Vni generi flos in pur pureo candidus, alteri tantum purpureus, ſemine piperis. Non multum, ut Plinius refert, à ſalice utilium uſu diſtat uitex, foliorum quoq; aſpectu niſi odore gratior eſſet, ſed Græ ci lygon uocãt: alij agnon, quoniam matronæ in Theſmophoriis Athenienſiũ caſtitatem cuſtodientes ijs foliis cubitus ſibi ſternunt. Duo genera eius, maior in arborem modo ſali cis adſurgit, flore cum purpura candido, unde candida quoq; dicitur: minor ramoſa, foliis albioribus, lanuginoſis, purpureo flore, tantũ nigra nuncupata. Naſcuntur in paluſtribus campis, flos ſupra fructum inſidet. Lygon, ut inquit Athenæus, in nidos ſuos pariturí cy cni ferunt. Nec tamen ſatis habeo compertũ, hanc quam cycni petant aliud genus oporte re intelligi q̃ uiticem, q̃ ſciam græcos lygon lygeamq; & arborem & herbæ genus inter dum uocare. Corolla è lygo uſos eſſe ueteres Anacreonti poetæ credimus, cuius originẽ Samij Careſq; dederint diuerſis cauſis. Nam & Lacedæmones arũdine certis ſacris, ut au thor eſt Soſibius, coronabantur. Ariſtophanes quoq; ſcribit coronas ex arundine factita rí ſolitas Athenis, quas Caſtori & Polluci dicatas fuiſſe cõſtat, ut frugales atq; ſimplices. Inuenio & ſcopas amerinas ſpartis ſimiles deſcribi, folio tãtum minore, ſed lentitia uirgu larum maiore, quas ſunt qui geniſtillam amerinam uocitẽt hoc tempore. Piper agreſte ui ticem dici Dioſcorides adfirmat, quare ſuſpicor eſſe mendum in nomenclatione ubi lecri ſticum uocari à quibuſdã tradit, à ſimilitudine ſaporis & acrimoniæ, liguſticũ legendum puto. Galenus ſemen uiticis mandi cum bellarijs ſolere ſcribit, uſu tragematis, ita minus offícere capiti. Arcere ueneris ſtimulos credit, & ob id perquam idoneum ijs qui caſtita tem cuſtodire ſtatuerunt. Semen uini quendam ſaporem habet, & dicitur febres ſoluere, & cum ungatur oleo admiſtum ſudores facere, ſic & laſſitudines diſcutere. Vrinam cit & menſes, caput tentat uini modo, nam odor ſimilis eſt. inflationes pellit in inferiora, aluum ſiſtit, hydropicis & lienibus perquam utile, lactis ubertatem facit. Aduerſatur uenenis ſer pentium quæ frigus inferunt. bibitur ſeminis drachma in uino uel poſca, aut duabus folio rum tenerrimorũ. Illinuntur utrãq; aduerſus araneorum morſus: uel perunctis tantũ, ſuf fitu quoq; aut ſubſtratu fugant uenenata. At uenereæ rei impetus inhibent, eoq; maximè phalãgijs aduerſantur, quorũ morſus genitale excitat. Capitis dolorẽ ebrietate ſedat cum roſaceo flos tenericq; caulículi. Seminis decoctũ uehemẽtiorem capitis dolorẽ diſſoluit fo tu, & uuluã etiam ſuffitu uel appoſitu, purgat aluũ cum pulegio & melle potũ. Vomicas panoſq; difficile coquẽtes cum farina hordeacea mollit. Lichenas & lentigines cũ aphro nitro & aceto ſemen ſanat: & oris ulcera & eruptiones cum melle, teſtium cum butyro & foliis uitiũ: rimas ſedis cum aqua illitũ, luxatis cũ ſale nitro & cera & ſemine & folio. Ad ditur in malagmata neruorum & podagras. Semen inſtillatur in oleo decoctum capiti, in lethargia & phrenitide. Virgam qui in manu habeant aut cinctu, negantur intertriginem ſentire. Vitici ut Dioſcorides ſcriptũ reliquit, uis ineſt excalfactoria & aſtrictoria. Semen

aduerſatur

aduersatur serpentum uenenis, aquæ quæ cutem subit lienosisq; remedio est. Lactis pariti ubertatem, mẽses ciet drachmæ pondere potum in uino. Genituræ absumit, caput tentat, & grauitatem soporemq; adfert. Decoctũ fruticis seminis insessu mulieribus uuluæ malo opportunis auxiliatur, item inflãmationibus. Semen cum pulegio potum fœminas purgat etiam suffitu uel appositu. Capitis dolorem finit illitum. Instillatur cum aceto & oleo capiti in lethargo, aut phrenesi. Folia nidore aut substratu fugant uenenata, morsosq; ab ijs leuãt uel illitu. Durities testium cum butyro & uitium folijs discutit, rimas sedis semen ex aqua litũ mitigat, & cum folijs medetur luxatis uulneribusq;. Virgam eius uiator qui gestat negatur intertrigine tentari. Agnon uocant, hoc est castum, quoniam matronæ in Thesmophorijs Athenienſium castitatem custodientes ijs folijs cubitus sibi sternunt: & lygon, quasi uimen, ex argumento naturæ usu utilium inuicta flexibilitate pollentis.

Vitis. Cap. CXLII

VItis superuacuũ est genera eius persequi, quoniam totidem adfirmãtur esse quot soli, nec posset quisquam, nisi huic rei iustum secretumq; uolumen dicaret. Viti multa propria tribuuntur. Capreoli, quos & clauiculas et pampinos uocamus, Græci helicas. Is est codiculus ut Varro tradit, uiteus intortus ut cincinnus, à capiendo dictus, quoniam ad locum capiendum sursum uersus serpat: sicut uitis dicta primò, quoniam inuitetur ad uuas pariendas, & à pariendo parilema, deinde palma literis immutatis. Est autem palma maior flagellus, unde nascuntur uuæ, dalma unius inuersione literæ, à uenti flatu, ut idem inquit, dicta. Eadem uitis capreа nominatur, quoniam capreolum pareret, quo ad scapos, frutices, pedamẽta quibus hæreat, se uincire solet. Vitem, ampelon hemeron, id est urbanã uitem, & œnoen & œnophoron, hoc est uiniferam Græci uocant. Nascitur passim & in alto propinqua litori. Durare uitem ad infinitum restibili fœcunditate perhibent, culturæ quodam genere. Vitem Bœotij Thebis primum natam putant, quia & hic Liber pater. Vites magnitudine inter arbores numerantur. Siquidem in magnam altitudinem exeunt, ita ut sæpe domorum tecta scandant, nec est ligno ulli æternior natura. nimis propemodum luxuriarẽt nisi tonsura annua coercerentur, qua uis earum omnis euocatur in palmites, deprimiturq; in propagines, succi tantum gratia pluribus modis ad soli ingenia cælicq; mores. Iam arboribus nubunt, maritasq; complexæ, atque per ramos earum procacibus brachijs geniculato cursu scandentes, cacumina æquant, in tantum sublimes, ut uindemiator authoratus rogum ac tumulum excipiat. Nullo fine crescunt, diuidiq; aut auelli nequeunt. Nec memoria quoque indignum uillas & domos ambiri singularũ palmitibus ac sequacibus loris. Nam & apud nos subdiuales hortorũ ambulationes umbrosis opacat frondibus, musti cadis fœcunda. Vlmos ubicq; superant. Populos rumpotinos Latini uocant alio nomine, quarum comas in orbem patulas replent, puroq; producto dracone in palmam eius, inde subrectos ramorum digitos flagella dispergunt. Eędem modici hominis altitudine adminicula tæ sudibus horrent, uineamq; faciunt. Et aliæ improbo reptatu pampinorumq; superfluitate, domini arte media atria complent. Tot differẽtias Gallia recipit. Stat prouinciarum quarundam per se uitis sine ullo pedamento, artus suos colligens, & breuitate crassitudinem pascens. Vetant hoc aliubi uenti, ut in Narbonensis prouincię partibus, alijsq; pluribus locis. Excrescere quę ultra suos pollices prohibitæ, semperq; pastinatis similes, herbarum modo uagantur per arua, ac succũ terræ passim uuis bibunt. Vites arbustiuæ sunt & simplices. arbustiuas Græci anadendrades uel dendritidas appellãt, ipsa uerò arbusta quibus maritatæ sulciuntur eisdem nominant uocibus. Vitem optime alit opulus, deinde ulmus, deinde fraxinus. opulus aliquibus improbatur, quoniam frondem nõ idoneam præbeat. Vlmus generosissima & lætissima, multamq; frondẽ ministrat. ornicq; sylueſtres fraxini sunt, nec deteriorem frondem q̃ ulmi præstant. Ad Elephantinem ut Theophrastus scribit, non decidunt uiti folia, necq; circa Memphin. ad Deltam quoq; Nili, ferè tota semper uiret, & Varro inde mutuans confirmat. Esse uites in Tylo quæ uirẽtem comam non dimittant, idem Theophrastus est author. Multiplici cortice uitis cingitur, qui radicis speciem gerat, caudice contorto, flagellis longè lateq; uagantibus, sarmentis lata fronde lasciuientibus, longis pediculis pendẽte, neruosa corticosaq;. flos fructum ambit lanugineus,

uua cum

uua cum pluribus acinis aceruata, seminibus tunica clausis, carnosa ei medulla, frequētes pāpini, quibus suopte ingenio caduca colligetur. ex nouellis semper fructificat surculis. Acini numerosi, qui magnitudine, colore, saporibus multiplicātur in uino. Hic purpureo lucent colore, illic fulgent roseo, nitentq; uiridi, candidæ enim nigræq; uulgares. Tument mammarum modo bumasti, prælongis dactyli porriguntur acinis. Est & naturæ lasciuia, ut prægrandibus adhęreant pergulis parui, mites et suauite certantes, leptoragas uocant. Consistit in uitibus lachryma largior incisis paulo ante germinatum, parcior autumno & hyemis initio. Minus fœcundæ crebrioribus oculis gemmantur, solidioresq; feruntur. In sanæ uites appellātur quæ ad florem usq; perducunt. Insanas etiam alicubi Plinius appellat triferas uites, quoniam in ijs alia matureſcunt, alia turgeſcunt, alia florent. Vitis candida melius reddit quo lætius fuit germen. Capnia uocatur unum uitis genus, quę uuam nigram ex candida, & candidā ex nigra sine prodigio ferat. Austrinis flatibus uermes in uitibus nascuntur, ipes appellati. Peculiaris item morbus hirculus, quem Græci tragon uocant, importuno uento germinibus uel absciſſis uel imperitia colētis oblæsis. Hircire porrò uites dicuntur, cum infœcundæ fiunt. Laborant etiam crambo, qui similis rubigini est, uuæ ipsæ & pampini, sole post humores longos insequuto uehementi. Est & præterea niuatio siue roratio, quoties acini racemis defluunt. Ne rubigo uineam uexet, palearū acernos uerno tempore inter ordines cum frigus contra temporis cōsuetudinem intellexeris incendito, ita fumus nebulā & rubiginem remouebit. Genus est animalis, uolucra appellatur, id ferè prærodit teneros adhuc pampinos. quod ne fiat, falces quibus uites putātur sanguine linuntur hircino: uel quoties falx acuitur, pelle fibri acies in putatione detergetur. Vites quæ secundum ædificia sunt à soricibus & muribus infestantur. Id ne fiat, cum luna Leonis, Sagittarij Scorpionis, uel Tauri tenet hospitium, noctu putantur. Ne formica uitem ascēdat tritus lupinus cum fracibus, eoq; ima linea circumlinitur. Si bitumine ex oleo cocto imæ uites tangantur, formicæ non excedent. Contra animalia quæ uitibus nocent, cātharides quæ in rosis inueniri solent, oleo mergi iubēt Græci dum in tabem resoluantur. putatoriæ falces hoc oleo perunguntur. Et ne cantharides uitibus noceant, in cote qua falces acuuntur ipsas præcipiunt cōteri. Lachrymosa uitis nimia humoris profusione tabescit, & plorando uim roboris sui auertit à fructu: tum uolunt Græci rescindendum radicis robur, ut adferat medicinam uulnus impressum: tunc insulsa amurca ad dimidias cocta plagæ hiatus perlinatur, & acetum acre suffundatur. Sterilem ad fœcundam reduci affirmant, si imo caudici fisso lapillus adigatur. Sarmentis luxurians coercetur radicibus uitium summis euulsis. Puluere conspergi uitem aut ullo tangi pacto cū nigrescit uua alienum putant, cum tamen omnino nigritiam cōtraxit id citra periculum tentari potest. Sic Megarenses cum Etesiæ anniuersarij ue perflant, peponibus, cucurbitis atque cucumeribus puluerem sarculo concitant, quo fructus molliores, dulciores sine rigatu reddantur. Brassica & laurus uitem offendunt, succoq; suo & odore deteriorem faciunt, nam & eam olfacere & allicere dicunt: quamobrem cum germen ijs propius accesserit, auersum retro graditur, inimicum fugiens odorem. Ideo Androcides sapientia clarus brassicam aduersari uino ac ebrietatē arcere hoc prodidit exemplo, q uitis etiā uiua brassicę fugetur odore. Ea in cibis antecedente temulentia cauetur, postea sumpta crapula discutitur. Vitis ægrotat item uel cum alserit, uel præter modum incaluerit: siquidem gemmæ & algore nimio aut ardore hebetes syderantur. Ictus fodientium & uulnera reformidant. maximam morborum partem iniurioso contactu putant contrahi. Pessimum uitibus fuerit malum, si defloreſcēti succesſerit imber: simul enim labilem imbecillitate fructum rapiens præcipitat. Etsi uitæ sit breuis & multis obnoxia uitijs, fissionem caudicis citra iacturam sustinet, & corticis quoq; detractionem citra noxam patitur, quod arborum pleriscq; exitiale est: sed non principis illius atq; uitalis, uerum externi, qui plerunque subnascente nouo decidit. Multiplex cortex uitem uestit. Genus unū uitis Theophrastus prodidit, quod fructum inchoans ad florem usq; tantum perducat. Vitem in parte Idæ quæ Phalacras dicitur, fruticosam nasci tradit Theophrastus, paruulis uirgis, ramulis fere cubitalibus exporrectā, quibus acini laterales nigri, tuberculo fabæ pensiles hærēt, sapore dulces, ligno intus modo uinacei condito, folio circinatæ rotunditatis indiuiduo paruoq;. In Hircania feracissi-

mam esse uitem mirati sunt scriptores, cum sit Aquilonibus exposita. Nam in Carmanis & Margianis Arianisq; crassitudo tanta est caudicis, ut bini homines plerunq; amplecti nequeant, bicubitalibus racemis. Sine granis interioribus uuas arte nasci posse Græci docuerunt hac ratione, Sarmentum quod est obruendum, quantum latebit in terra, tantum findi debet omni sublata medulla, ac diligenter exculpta membra diuisæ partis iterum cogi, & uinculo constricta deponi. Vinculum papyro iubent faciundum, humidoq; solo fi/gendum. Aliqui reuinctum sarmentum quantum fuerit excisum, intra scyllæ bulbum de/mergunt, cuius beneficio sata omnia facilius comprehendere confirmant. Alij iam puta/tæ uitis fructiferum sarmentū in ipsa parente nō diuisum sublata medulla quàm alte pos/sunt, excauant, et adfixo adligant calamo, ne possit inuerti: tum in foramen Cyrenaicum lac uel succum suffundunt ex aqua ad sapæ spissitudinem resolutum. hoc idem transactis diebus octonis renouant, & tantisper dum uitis nouella pariat germina. Hoc idem in pu/nicis & cerasijs malis proditur à Græcis expertum. Nigros & albos acinos adferre Græci asserunt, si uicinarum uitium, albæ dico & nigræ, cum putantur, sarmenta utriusq; inter se diuisa sic iungas ut medios utriusq; generis oculos æquādo reddere possis unitati: tunc papyro ligabis stricto & terra molli atq; humida curabis adlinire, & interiectis ternis die/bus adaquare, donec germen nouæ frondis erumpat. Elapso tempore sobolem propaga/bis pluribus sarmentis, ut uitis uuas tales creet, in quibus uarij generis & coloris repe/riantur acini. Rationem hanc Latini tradiderunt, Quatuor aut etiam plures uirgæ diuersi generis sumuntur, eæq; diligenter & æqualiter compositæ colligantur, dein in tubum fictilem uel cornu arctè inseruntur, ut extent ab utraque parte, & in scobem terra stercorata qua extabunt obruuntur, & dum germina agant rigātur: & post biennium aut triennium cum uirgæ cohæserunt, tubulus dissoluitur, circa medium ferè crus ubi maximè uidebuntur coijsse, uitis serra præcidítur, plaga leuatur, terra minuta exaggeratur. Cum coles egerit, duo ualentiores reliquis deiectis submittuntur, ita uua compluribus acinorum generibus euariata nascetur. Vt autem uuæ sine uinaceis nascātur, ijdem suadent malleolum ita scindendum, ne gemmæ lædantur, medullamq; omnem eradendam. Tum demum in se compositū colligant, sic ne gemmas allidant, atque in terra stercorata deponunt, rigantq; cum coles agere cœperit, altè defodiūt. Sic adulta uitis uuas sine uinaceis creabit. Vitem theriacam sic fieri Democritus præcipit, cuius profectus est, ut uinū eius, uel acetum, uel uua uel sarmentorum cinis, contra morsus omnium bestiarum prosit. Sarmentum quod pangendum est trium digitorum spatio in ima parte findatur, & sublata medulla theriacę medicamen addatur, tunc terræ mandetur uinculo papyri diligenter adstrictum. Aliqui eadem sarmenta iam antidoto satiata intra scyllæ bulbum recondunt, & terris supradicta ratione committunt. Aliqui medicamentum ut combibant radices uitis, infundunt. Sanè sarmentum, si de hac uite sumatur ad transferendum, aut inserendum, potentiam materni medicaminis nō tenebit, processuq; temporis adscititiam uim expirabit. Oportebit ergo assidua theriacæ suffusione senescentis succi uim iterare. Contra serpentum ictus uinum, acetum potu, uua tam recens quàm passa cibo proficiūt, quæ si desint trita folia imponuntur. quorum si non detur occasio, crematorum sarmentorum cinis inditus hominem à pe/riculo uindicat. Quin & reliquæ uitis theriacam non expertæ sarmentum à canis morsus offensa liberat. Sic & purgatoriam uitem facere idem docet Democritus, si ima parte sar/menti fissa, in medullæ uicem elleborus inseratur. mirum est hoc pacto ueratri naturā ad/scisci, quanquam quorundam & odore & succi mistura lædatur, non necetur. Odit laurum & brassicā, olfactrix enim intelligitur & tangi odore mirū in modum recusat: ideoq; cum iuxta fuerit, auertitur & recedit, saporemq; fugit inimicū. Hinc sumpsit ut suprà dixi/mus, Androcides medicinā contra ebrietates, brassicā mandi præcipiens: quod de rapha no Plinius intellexit, quod erat tamen omnium opinione græcorū de brassica legendum. Odit & corylum, nisi procul absit, tristis atq; ægra. Si odoratam fieri uuam uelis quæ sua/uitate locum impleat, in fissa sarmenta modo quo suprà dictum, odoriferum omne quod uelis uuam olere, conijci præcipit Paxamus. Melius fieri putat idem si odore prius imbu/ta sarmenta macerentur, & pangantur uel inserantur. Democritus author est non attingi uespis uuas, quarū matres imbre sorbti olei roraueris. Præcocem uuam nigra uitis, ut Fa/

rentinus

rentinus docet, in uere creabit, si ceraso inseratur. Siquidē eodē tempore feret uuā, quo ce
rasus arbor sua gerit mala. Celerrimè uitem germinare promittit, quæ trito nitro & aqua
ut mellis crassitudo cōtrahatur, permistis post putationem protinus gemmantes oculi lar
gè linantur, germina infra septem dies citabit. Præcocem itidem fieri tradit, si dulces uina
cei, hoc est nō calcati, plantulis abundè cōiciantur: aut cum panguntur, scrobiculis accu
mulentur. Asserunt Græci uuā in parente seruari usq; ad ueris initia, si loco umbroso scro
bem fodis altitudine binū cubitorū, & misso sabulone admincula figis, quibus intorques
assiduè sarmenta fructibus plena, & illæsis uuis alligabis, ut solū non cōtingant, & coope
ries ut imber eò penetrare nō possit. Item Græcis docentibus uuas in uite si diu seruare uo
lueris, uasculis clausas fictilibus ab ima parte pertusis diligēter à summo tectas suspende,
sic in longam seruantur ætatem. Durant uuæ per hyemem pensili cōcameratę nodo. Aliæ
tantum in sua cōtinentur anima ollis fictilibus, & insuper dolijs inclusæ stipatæ uinaceis
circumstantibus. Conduntur & musto uuæ, ipsæq; uino suo inebriantur. Aliæ decoctæ in
musto dulcescunt. aliæ uerò sobolem nouam in matre ipsa expectāt, trāslucidæ uitro, ad
fertq; duratricem illam firmitatem austeritas picis infusa pediculo. Vuam Græci staphy
len à Staphylo Liberi patris filio, ut Ptolemæus uoluit, appellāt: lenida etiam poetæ, nam
& Lenæus dicitur is deus. Alia porrò uua eliquescit in potum, alia deligitur ad uescendū.
hæc autem in corbulam secernitur ut inde addatur in ollulas, quæ in dolia uinaceorū ple
na trudantur. Alia in piscinā picatis amphoris mittitur: alia in aram carnario suspenditur.
Vuā aminæam minusculā & apiciam cōmodissimè in ollis condi putauit Cato. Eiusdem
generis in sapa & mulso rectissimè seruantur. Duracinas & aminæas adfirmant opportu
nissimas quæ pendeant, quod genus omnes conditaneas & cōditanas appellamus. Vuæ
in palea seruatæ pensilibus proximæ dicuntur. Vuæ uehementiores nigræ, ideoq; ex ijs
uinum minus iucundū: suauiores albæ, quoniam aere trāslucido facilius accipiuntur. Flo
rem uuæ in cibis dari gallinaceis præcipiunt, ut præterea nō attingant uuas. Quidā è græ
cis authoribus altius curam petunt, putariq; uites ad hunc usum præcipiunt decrescēte lu
na post horam quartam, cælo sereno, aut discussis à uento roribus. Similiter deligi è locis
ficcioribus ante perfectam maturitatem, addito, ut luna infra terram sit, uuas cum malleo
lo sarmenti sui duro, demptis forcipe corruptioribus acinis, tabidis, & adhuc pubescenti
bus, sic ne uitium tabis proximi sentiant. Falcis acie citra uiolentiā secari, et illitis pice igni
resoluta surculis seorsum, ita ne se contingere possint, pauimento substratis paleis, si fieri
possit, maximè lupinorū, collocari. siquidem & duriores & ficciores eæ existimantur, &
mures infestos abigunt. Sin desint lupinorū paleæ, fabagineæ, aut eruinæ, aut reliquorum
leguminū in uicem substituuntur. Hordeaceæ in frumentaceo genere præcellūt. Si deside
rentur, fœnum quamsiccissimū in minutas dissectum particulas substernitur. Simili ratio
ne frondosos palmites pauimēto spargere uel suspendi cōuenit. Alij uuas sapa paululum
obruunt. Sunt qui malunt in picatis capsis uuas in scobe ramentis ue siccis piceæ, abietis,
populi, uel milij farina recondere. Alij in marinā aquam feruentem, aut si non adsit, in mu
riam permisto uino macerantes immergunt, & ita hordeaceis paleis seruāt. Quidam in ci
nere uitigineo, uel ficulneo lixiuio tingūt, mox in sole siccant, tum inuolutas paleis stipāt.
Sunt qui in granarijs protinus suspendi iubeant, quibus frumentū uannis agitatur, quo
niam optimo sit operimento puluis insidens pensilibus, ita lōgissimo tempore seruari uo
lunt. Alia custodiēdi ratio, Aquam ad tertias incoctam mox sub diuo refrigeratam in do
lium picatum fundunt, postea maturas uuas solidos acinos habētes detractis putribus &
immaturis obruūt ita, ut superueniat aqua, nec fluitent, gypsatoq; diligēter operculo uas
loco frigido solem diei nō admittente, quo etiam nullus succendatur ignis, reponitur. Vi
nosa reperietur aqua, fallendæ laborantiū siti nō inutilis. Pensiles quoq; in tabulatis custo
diuntur. Alij mustum habētibus dolijs dum ne cōtingant ipsum uuæ suspendunt, quo ge
nere tales remanent quales à uite fuerint decerptæ. In dolio quoq; picato exclusa omni au
ra, gypsato diligenter operculo, integræ quæ nulla in parte senserūt offensam, appendun
tur. Simili modo litæ figlino luto sic subacto ut mellis referat crassitudinem, intinctæ pen
deant & ad usum eluantur. Item portulacæ succo illitæ pensiles diu custodiuntur. In soli
dum annum uuas seruabis, si ante uindemias paulo lectas aqua calida alumen cōtinente

demerseris,& protinus raptas sustuleris. Seruantur etiam in melle. Eadem ratione & poma Didymus custodienda præcipit. Vuas quas seruari uolueris, Græci iubent illæsas legi,neq; acerbitate rigidas,neq; maturitate defluentes:sed quibus granum luce penetrabili splendet,tactu cum molli iucunditate calloso. Si qua sunt corrupta uel uitiosa resecari,nec pati interesse,quibus inexpugnabilis acerbitas cõtra blandimenta æstiui caloris induruit. Tunc incisos uuarum tenaces amburi calida pice,atq; ita in loco sicco,frigido,& obscuro sine luminis irruptione suspendi. Vuarũ acini differunt callo,teneritate,crassitudine,interiore ligno,alijs paruo alijs etiã gemino, qui minime feraces sunt musti. Si per ossa bubuli cruris uel per fictiles tubos traiecti obruantur malleoli binis eminentibus gemmis, humescunt hoc modo,recisiq; palmitem emittunt: postea fistula fracta radix libere rapit uires, uuaq; feret omniũ colorum suorum acinos. Alio genere inuentu nouitio finditur malleolus,medullaq; erasa in se colligantur ipsi caules,ita ut gemmis parcatur omni modo. Malleolus seritur,cũq; spargere cœperit caules decidítur. talis uuæ acinos nihil intus ligni habituros Columella promittit. Non fore conuoluulũ in uinea, si duos amurcæ congios ad crassitudinẽ mellis decoctos, addita bituminis tertia parte, & sulfuris quarta,sub diuo ne excãdescat sub tecto coxeris,& hoc uites circa capita & sub brachijs unxeris. Voluocem appellant animal prærodens pubescentes uuas.quod ne accidat,falces,cum sint exacutę, fibrina pelle detergunt,atq; ita putãt. Alij sanguine hircino uolunt liniri post putationem eadem. Contra uespas remedio est oleo aspergi ex ore uuas. Vuam passam Græci sic fieri iubent,Melioris acini dulcis & lucidi pediculos uuarũ in parente torqueri, & ut sponte inarescant pati: deinde sublatas in umbra suspendi, cõstrictasq; substratis pampinis algore sicco frigentibus componi,& impleto uase operculari,statimq; loco sicco,quem nullus fumus infestet,recõdi. A patiẽtia nomen acinis datur passis. Cõduntur musto uuæ,ipsęq; suo uino inebriantur. Aliæ decoctæ in musto dulcescunt, aliæ sobolem nouam expectant in ipsa matre translucidæ uitro. Adfert acinis eandem quam in dolijs amphorisq; duratricem illam firmitatẽ austeritas picis infusa pediculo. Sunt qui uuam dictam passam uelint, q; in rugas siccata cõtrahatur, ut passam frontem rugosam & flaccidam Plautus appellat. Hanc curam desiderant uuæ, ut passæ fiant, Albæ dulcissimi saporis maximis acinis, nec spissis,luna decrescente,sereno,& sicco cælo discussis roribus leguntur,et paulisper sic ne inter se põdere suo pressæ possint collidi,in tabulas porriguntur. Deinde in aheno,uel olla fictili noua lixiuiã cineris sarmenti calfieri cõuenit: quæ cum feruebit,exiguum olei q; optimi adijci atq; permisceri. Deinde uuas pro magnitudine binas,aut ternas inter se colligatas in ahenum feruens demitti, & exiguũ pati dum decolorentur. nec rursus cõmittendum ut excoquantur,nam quadã moderatione temperamentoq; opus est. Exemptæ deinde in crate rarius q; ut altera alteram cõtingat, disponuntur, & post tres horas unaquæq;,sic tamen ne eodem uestigio cohęreat,cõuertitur,ne in humore qui defluxerit uitietur. noctibus cõtegi debent ut à rore uel pluuia tutæ sint. Cum modicè tandem aruerint,in uasa nouа sine pice operculata & gypsata recluduntur. Quidam uuam passam foliis ficulneis inuoluunt,& alligant: alij foliis uitigineis,nõnulli plataninis semiuietas uuas cõtegunt, & ita in amphoras recondunt. Sunt qui culmos fabæ exurant,& ex eo quem cremauerint cinere lixiuiã faciant, deinde in sextarios decem lixiuiæ, tres salis cyathos & olei cyathum adijciant,tum adhibito igne calfaciant & cætera eodem modo administrent. Oleum uuis passis pinguitudinem nitoremq; dubio procul adfert. Sed iam ad uitiũ medicinas descendamus. Folio & pampino capitis dolores inflammationesq; mitigantur cum polenta. Folia per se ardores stomachi ex aqua frigida restinguũt. Cũ farina uero hordei articularios morbos mulcent. Pampini triti & impositi tumorẽ omnem siccant. Iidem sanguinem excreantibus & mulierũ à conceptu defectioni diluti potu prosunt. Succus eorum dysentericis infusus medetur. Lachryma uitium quæ uelut gummi est,lepras,lichenas & psoras nitro ante præparatas sanat. Eadem cum oleo sæpius pilis illitis psilothri effectum habet,maximè aqua,quam uirides accensæ uites exudant,qua & uerrucæ tolluntur. Clauiculæ ipsæ quibus repunt uites, tritæ & ex aqua potæ sistunt uomitionũ consuetudinem. Cortex & folia uitium arida,uulnerũ sanguinem sistũt,ipsumq; uulnus cõglutinãt. Cinis cum axungia uetere cõtra tumores proficit, fistulas purgat,mox & persanat. Neruorum

dolores

dolores frigore ortos,cõtractiones,contuſasq; partes cum oleo diſcutit.Excreſcentes carnes in oſſibus cum aceto & nitro. Scorpionũ & canum plagas cum oleo reprimit. Cortícis per ſe cinis cõbuſtus pilos reddit. Cinis ſarmentorũ uitiumq; & uinaceorum condylomatis & ſedis uitijs medetur,ex aceto:item ambuſtis,luxatis & lienis tumori,cũ roſaceo, ruta & aceto.Item igni ſacro ex uino citra oleum aſpergitur,& intertrigines & pilos abſumit.Dant bibendũ cinerem ſarmentorũ ad lienis remedia aceto cõſperſum, ita ut bini cyathi in tepida aqua bibantur,et qui biberit in lienem iaceat. Vitis albę uiridis tuſæ ſucco & thi in tepida aqua bibantur,et qui biberit in lienem iaceat. Vitis albę uiridis tuſæ ſucco & thure impetigines tolluntur. Vitiũ quæ uinũ ferant,ut Dioſcorides refert,folio & pãpino capitis dolores tritis & illitis, inflammationesq; ſtomachi leniũtur cum polenta. Folia ut quæ refrigerent & aſtringant etiã per ſe imponuntur. Potus eorũ ſuccus dyſenterícis,ſanguinem excreantibus,ſtomachicis,& grauidarũ malaciæ medetur.Eoſdẽ præbẽt effectus capreoli in aqua madefacti potiq;.Lachryma uitiũ quæ uelut gummi cõcreſcit in caudicibus,è uino pota calculos pellit. Illita lichenas, pſoras,leprasq; nitro ante perfrictas ſanat. Eadem cũ oleo ſæpius illitis pilis pſilothri naturã habet, maximeq; ſanies ea quã accẽſa uitium ſarmenta reſudarunt,qua & formicę corporis extrahũtur. Cinis ſarmentorũ & uinaceorum erumpentibus in ſede cõdylomatis & thymijs illitis ex aceto medetur.Prodeſt luxatis & à ſerpente percuſſis. Contra lienis inflãmationes cum roſaceo, aceto & ruta linitur.Omphaciũ è uite fit,incipientis uuę pubertate,cum ſunt acini ciceris magnitudine, ante Canis ortũ.In prima lanugine demetitur uua,eiusq; melligo,reliquũ corpus ſole coquitur,nocturni rores cauentur.In fictili cõdita melligo colligitur,ſubinde Cyprio ære ſeruatur.optima quæ rufa acriorq; & aridior. Fit & alio modo,cum in mortarijs uua matura teritur,ſiccataq; in ſole poſtea digeritur in paſtillos. Sanat ea quæ in humido ſunt ulcera,uteris,tonſillarũ,genitalium.oculorũ claritati plurimũ cõfert.Scabritię genarũ,ulceribusq; oris,tonſillarũ,genitalium.oculorũ claritati plurimũ cõfert.Scabritię genarũ,ulceribusq; angulorum,nubeculis,ulceribus quacunq; in parte manãtibus,gingiuis marceſcentibus, oſſibus purulente limoſis.Frangitur uehementia eius melle aut paſſo. Prodeſt dyſenteri-cis,ſanguinẽ excreãtibus,anginis. Omphaciũ ut Dioſcoridi placet,ſuccus eſt uuæ acerbæ necdũ maturæ,nigreſcentis ue,qui ex uite ſit Thaſia aut Aminæa. Exprimenda eſt huius melligo ante Canis ortũ,inſolandaq; Cyprio in ære,quod linteolo adopertũ ſit,donec penitus concreſcat, decutiendo aſſidue in ſubiectũ liquorẽ quicquid in ambitu lateribus cohæſerit:noctu à ſubdiuo refertur in tectũ,quoniam decidens ros craſſeſcere humores prohibet.Optima erit colore fuluo,friabilis,ſpiſſans abunde,mordensq; linguã.Sunt qui coquendo melliginẽ denſantes cogant.Prodeſt cõtra tonſillas,uuam,humida gingiuarũ uitia,purulentas aures cũ melle & paſſo:item fiſtulas,uetera ulcera,nomasq; ex aceto.Dyſentericis & mulieribus fluxione uuluæ laborantibus clyſtere ſuffunditur. Oculorũ clari tati,ſcabritiæ,& ulceribus angulorũ auxiliatur.Bibitur ad recentem ſanguinis excreationem,etiam ſi rupta intus aliqua parte acciderit. frangere aũt uehementiã eius aqua multa oportet,& in uſu præberi exiguũ,quoniam inſigniter cõburat.Tradunt aliqui ſtomacho diſſoluto & cibos nõ perficienti prodeſſe:item prægnãtibus defectis à conceptu,ſlei dolorem ſentiẽtibus. Auxiliarẽ uim habere fertur ſorbitionis uſu cũ peſtifera lues populatim graſſatur.Recentes uuæ ſtomachũ & ſpiritũ inflant,aluũq; turbant,itaq; in febri damnantur utiq; largiores,grauedinẽ enim capitũ faciunt.Innocẽtiores quæ decerptæ diu pependerunt,qua uentilatione etiã utiles fiunt ſtomacho ægris. Nam & refrigerãt leniter,& faſtidium auferunt.Quæ aũt in uino dulci conditæ fuere, caput tentant.proximæ ſunt penſilibus,in palea ſeruatæ.Nam & in uinaceis ſeruatæ caput,ueſicã & ſtomachũ infeſtãt.Siſtunt tamen aluũ, ſanguinem excreãtibus utiliſſimæ. Quæ etiam in muſto fuere peiorem uim habent,q; quę in uinaceis.Sapa quoq; ſtomacho inutiles facit.Saluberrimas putãt in cæleſti aqua ſeruatas,etiã ſi minime iucũdas, ſed uoluptatẽ earum in ſtomachi ardore ſentiri,& amaritudinẽ iecoris felliſq; uomitione in choleris.At in ollis ſeruatę et os & ſtomachum & auiditatẽ excitãt,paulo tamen grauiores exiſtimãtur fieri uinaceorũ halitu.Vuę florem in cibis ſi edere gallinacei, uuas nõ attingũt.Sarmenta eorũ, in quibus acini fuere, aſtringendi uim habent.Vua paſſa,quam aſtaphida uocãt,ſtomachũ,uentrem,interanea, tentaret, niſi pro remedio in ipſis acinis nuclei eſſent, ijs exemptis, ueſicæ utilis habetur. Tuſſi alba utilior,utilis & arterię & renibus.Carbunculis & articularibus morbis trita ſi-

ne nucleis imponitur cũ ruta, sed fouere ante ulcera uino conuenit. Testium inflãmationi cũ farina fabali aut coriãdro medetur. Sanat epinyctidas & dysenteriã cum suis nucleis. & in oleo cocta gãgrænis illinitur, cum cortice raphani & melle podagris, & unguiũ mobilibus. Per se ad purgandũ os caputq; cũ pipere cõmanducatur. Vua passa Dioscoridi spissandi habet effectũ, sed candida maiorẽ. Prodest earũ caro tussibus, arteriæ, renibus ac uesicæ. Estur in dysenteria per se sine nucleis decocta in sartagine, cũ melle admista milij ac hordei farina & ouo. Valet ad purgandũ caput. eiusdẽ gratia cum pipere cõmanducatur. Testiũ epiphoras sedat illita cũ lomẽto fabarũ, aut cumini farina. Sanat trita carbũculos, epinyctidas, fauos, articulorũ putrilagines & gangrænas sine nucleis trita & cum ruta imposita. Podagris cũ succo panacis medetur. unguiũ mobilibus illita uelociter eliberat. Nuclei acinorũ astringendi uim obtinẽt. ij sunt qui in uino capitis dolorẽ faciunt, tosti tritiq; stomacho utiles sunt. Inspargitur farina eorũ modo potionis dysentericis, & cœliacis, & dissolutis stomacho. Decocto eorũ fouere psoras et pruritũ utile est. Vinacei p se minus capiti aut uesicæ nocent, q̃ nuclei. mãmarum inflãmationi triti cum sale utiles. Decoctura eorũ ueteres dysentericos iuuat, & potione & fotu. Vua theriace cõtra serpentiũ ictus ualet, pãpinosq; eius edendos censent imponendosq;. Vinũ & acetũ ex ijs factũ auxiliarem contra eadẽ uim habent, ut supra diximus. Vuas quę legitimè cõmaturuerint optimè alere, ea collegit Galenus cõiectura, q; rustici qui custodiendis uitibus præficiuntur bimestri nihil adhibentes ad uuas præter pauxillũ panis, læta & uberi obesitate exhilarantur. Cæterum robur & firmitudinẽ inani sagina mentiunt, q; non longè pòst finito esu ea laxa fluxaq; in rugosum ac flaccescentẽ degenerat habitũ. Nam succum creãt qui uix in probum sanguinẽ transeat. Acini, ut idem testatur, quaternis cõstant partibus, carne, humore qui uinosus sit, nucleo, membranosa cute qua cõtegitur. Nucleus terrestris siccusq; per oẽs intestinorum anfractus citra cõmutationis sensum euadens exit foras. Nec cutis ab hoc longè dissidet, quando in uentre nullã aut admodũ cęcam experitur permutationẽ. quare plerique tunicam qua uestitur acinus, exucto interiore succo expuunt. Sola igitur caro cum succo, reiectis foras nucleis ac cingente membrana, deuorata melius nutrit. Succus qui nihil aliud q̃ mustum est, uentrẽ flatibus distendit, ni uelociter descendat. Porrò quibus acinis exiguus succus, ijs uberior inest alimonia: quibus copiosior, maior soluendi uis inest. Quæ in dolia plena uinaceorũ uuę obruuntur, operculato diligenter uase, ne ulla quidem aura prospiret, imbecillũ resolutumq; firmant uentriculũ. Facilè perficiuntur, longior in aluo ijs mora, sed largiore esu caput tentant. Fastidiosis auiditatem cibi moliũtur. Musto conditæ multo magis caput feriunt, pensiles nihil adferunt noxæ, nec uentrem cient, nec supprimunt, nec elanguescentẽ appetentiam uel inuitant uel infirmant. Inutiles prorsus cum ariditate distabuerint. Dulces calidiore succo sentiuntur, ideo sitim stimulant, aluum cient. Acidę frigidiore natura cognoscuntur, itẽ acerbę. Coctioni magis resistunt, aluũ potius cõtinentes. Mediam sortiuntur naturam uinosę, nullo uel caloris uel frigoris excessu notatæ.

Vitis syluestris. Vinum. Cap. CXLIII

LAbruscæ alterũ genus uuas ad maturitatem nõ perducit, sed ad florem tantum dictum œnãthen promouet. Altera perficit paruis acinis. Vis huic eadem quæ satiuę, folio, capreolis & caulibus, sed nigra astringentioris est naturæ. Est & labrusca syluestris uitis una species œnanthen ferens, duorum generũ albi & nigri, ne quenq; decipiat Pliniana lectio. Labrusca, inquit, œnanthen fert quæ à Græcis ampelos agria appellatur, spissis & candicantibus folijs, geniculata, rimoso cortice. fert uuas rubentes, cocci modo. Duos itaq; frutices non unum designauit, labruscã, & eam quæ ampelos agria uocatur. Oenanthe est uitis labruscæ uua. Colligitur cum flore quum optimè olet, siccatur in umbra substrato linteo, atq; in cados conditur. Vua œnanthe quam uites syluestres, hoc est labruscæ ferunt, laudatissima in Syria, maximè circa Antiochiæ & Laodiceæ montes. Item ex alba labrusca. Sunt qui principatũ in unguentis dent in Parapotamia nascenti, deinde in Antiochia et Laodicea Syrię, tertiũ locum ex montibus Medicis, quæ & utilior medicinæ. Quidã omnibus ijs præferunt quæ in Cypro insula nascit. Nam quæ in Africa fit ad medicos tãtum pertinet, & ad odores, uocaturq; massaris. Omnis ex alba labrusca præstantior q̃ è nigra. Labruscam dici putant, q; in marginibus terræ ceu labris quibusdã nascatur. Oenãthe, ut refert Dioscorides, uitis est sylustris uua cum floret.

Legitur hæc, in fictili nō picato cōponitur, siccatur uerò in umbra prius substrato linteo, atq; ita demū in cados cōditur. præcipua ex Syria, Cilicia, Phœnice. Sylvestres uuas cū florent, Græci iubēt sine rore legi, & in sole, ne quid restet humoris, ut flos ad excutiendū siccior apparetur, expādi: tum cribello spisso, ut grana nō transeāt, sed flos solus decidat cerni, & hunc ita recondūt. alij melle infuso seruant. Oenāthe ex alba uite refrigerat & astringit, uulneribus inspergitur, stomacho illinitur, utilis urinæ, iocinori, capitis doloribus, dysentericis, cœliacis, cholericis. Fastidia obolo exaceto pota discutit, siccat manātes capitis eruptiones, efficacissima ad uitia quæ sunt in humidis. Ideo oris ulceribus & uerēdis & sedi potest. Cum melle et croco sistit aluū, genarum scabritiē emendat, oculorū delachrymationes cohibet. Ex uino stomachi dissolutionē recreat. Ex frigida aqua pota sanguinis excreationes retinet. Cinis eius ad ulcera, reduuias probatur. Vritur in furno donec panis percoquatur. Pota stomacho ciundæq; urinæ utilis, aluū sistit, ac sanguinis excreationes. Contra fastidia & acores stomachi crebros illinitur. Capitis doloribus infusa cū aceto & rosaceo tam uirens q̄ arida præsidiū est. Cruenta uulnera si protinus illinatur ab inflāmationis periculo tuetur. Incipientes ægilopas & ulcera in ore uerendorumq; nomas cum melle, croco, & myrrha trita discutit. Pessis cōtra sanguinis abundantiā miscetur. Fluxiones oculorū coercet, cum polenta uerò impositā ex uino feruores stomachi restinguit. Eadem in testa carbonibus cremata medicamentis oculorū adiungitur. Probatur ad paronychia, reduuias digitorū, gingiuas à dentibus recedētes, cruentasq; cū melle. Nasci in Africa uitē Græci produnt quā accolæ uocāt ubolimā, oliua in uites insita, utriusq; arboris fructum ferentē: hanc & Græci elæostaphylon ab utroq; parente nomen mutuātes appellāt, de qua suprà in olea dictū est. Fit è labrusca hoc est uite sylvestri uinū quod œnāthinū cognominatur, duabus libris florū in musti cado maceratis, qui post triginta dies mutantur. Hi paulo postq̄ defloruere, singulare remediū habent ad refrigerandū in morbis corporū ardores, gelidissima ut ferunt natura. Pars eorū æstu moritur priusq̄ reliqui, qui solstitiales dicuntur. uniuersi nunq̄ matureſcunt. Incocta datur cibo gallinaceo generi, fastidiū gignit uuas appetendi. Oenāthen à uitibus dulce uinū ferentibus maximè arbustiuis Græci colligi præcipiūt, floremq; detractis uuis in umbra siccari & cadis condi nouis, infuso uetere defruto odoratoq; mensura pari, & manibus diligenter subigi & in offas digeri, ut ad usum recondātur. Vinum Græcis οἶνος dicitur, poetæ πολὺ uocāt, quasi mentē uibrare faciat. inde κραιπάλη inquit Photion, id est crapula nominatur. Tenuissimū est id quod celerrime inueteratur. nā cui fumi amaritudine accedit ętas, insaluberrimū putatur. Quo generosius uinū est, hoc magis uetustate crassescit, & in amaritudinē minime corpori utilem coit. Vinū alit uires, sanguinē, sicut lactis potus ossa, frugū neruos, aquę carnes. Simias et quadrupedes digitatas negāt crescere assuetas uini potu. Vinū succus est, qui feruēdo uires è musto sibi fecerit. Mustū Græci gleucos uocāt. Vinū omne aut mustū est aut uetus, ut in prouerbio sit mediū pro aqua, quod prādiū caninū dicit apud Varronē, ut in Plauti Casina, cœna canina, hoc est abstemia. Vinū aqua miscerī Staphylus Sitheni filius instituit. Ob id græcū uulgus nō aliter uinū modo noīat q̄ crasim, hoc est mistū. De uino tēperando quod & dilutū & lymphatū dicit, alij alia p̄cipiunt. Hesiodus tres partes uini in una aquæ permiscet. Cæteri meracius fecere, hoc est ut q̄nq; in duas adderent, quasi aut duas uini partes ad quinq; laticis, aut unam ad tres bibere oporteat nō quatuor: cautio est græca, ceu futurū sit dilutius quàm sanitatis usus exigat. Anacreon, ut uinarius poeta, unam uini duabus aquæ temperat. Alij aliter. Ebrietatem Plato nunquam nisi semel in anno liberalibus permisit in legibus. Porrò ante decimum et octauum ætatis annum uino temperandum penitus existimat, ut ne gustetur quidem. Mnesitheus Athenienſis medicus inebriari nunquam, sed statis tamen diebus hilarescere permisit, quod genus cothonismon à calicis nomine uocauit, ut dilutū nihilominus, et sine bellariorū comitatu biberetur. ac prima quidē potio quia meraca erat, cum præfatione ἀγαθοῦ δαίμονος, in honorē uidelicet Liberi patris, nec tamē tota sed quasi p̄gustāda p̄bebat. Postrema uero quoniā dilutа esset & salutaris, cum præfatione Iouis liberatoris hauriebat. Cæterū, ut est Aristoteles author, senes maximè, mulieres minimè temulentia tentātur. Sed disquirenda ratio quid senes frequēter ad ebrietatē impellat, quidq; mulieres ab ea defendat: cōtrariā enim naturā

sortiuntur,ut Plutarchus refert,senile corpus,& muliebre.Fœmina humectissimo est cor
pore.docet lenitas cutis,splendor,mollities carnis. docēt & præcipuè purgationes humo
re superfluo corpus exonerantes. Cum ergo uinum epotum in tam largū humorem ceci
derit,edomitū uim suam exuit,& fit dilutius,nec facilè cerebri sedem ferit,deuicto & pror
sus extincto eius uigore.Sed et hæc ratio iuuat sententiæ ueritatem,ꝙ fœmineum corpus
crebris purgationibus obnoxium,pluribus consertū foraminibus,ut pateat in meatus, &
uias præbeat humori in excretionis exitum confluenti. per hæc foramina uapor uini ce
leriter euanescit. Contrà senibus siccū corpus est,quod probat asperitas & squalor cutis,
unde Græcis γεροντες appellātur,ut idem tradit Plutarchus,nō quasi εἰς γῆν ῥέοντες, hoc
est in terrā fluentes,sed γηραοὶ, quod est terrestres.Hæc ętas ad flexum difficilior,quod est
indiciū siccitatis, Dura item esse corpora nulla dubitatio est, ideo naturales meatus obse
rantur. Quapropter haustū uinum senile corpus non expirat,sed ad ipsam mentis arcem
ascendit. quare senes uitijs ebriorum laborant,membrorū tremore,linguæ titubatu,obli
uione, loquaci& garrulitate. Adde in fœminarū corporibus haustum uinum refrigescere
& ita retundi,ut elanguescens eius uis nullum calorem,quo nascitur ebrietas, possit exci
tare.Ebrij fiunt tremuli,graues,pallidi,& saltu tumultuātis spiritus artus & membra qua
tiuntur,corpus torpet,mens labat,lingua titubat,neruorum in extremis partibus disten
tio cōsequitur,quæ ingentis frigoris testimonia sunt.quapropter nōnulli his freti rationi
bus, colligunt largius sumptū uinum refrigerare:ꝙ eadem ferè temulentis & algētibus in
commoda notantur. Addunt mero plurimo uiros ad coitum fieri pigerrimos, geniturāꝙ
conceptioni asserunt inutilem.Nanꝙ calida uenerē cient,semen adaugent,& generationi
fauent.Adijciunt respicienda curationū genera, quæ adhibentur ebrijs. Cubare sub mul
tis operimētis iubentur,ut extinctus ferè calor recreetur,in lauacra calida descēdunt. Vn
ctionibus corporis calor excitatur.Postremo citam sentiunt senectutem qui frequēter in
ebriantur.Item & caluitium & præmaturā canitiem experiuntur, quæ caloris inopia pro
ueniunt. Addidere acetum quod culpatū uitiatumꝙ uinum est, ex omnibus laticibus in
crescentem flammā uiolenter extinguere, dum suo frigore flagrantem ignis calorem euin
cit. Cæterū,ut Plutarchus memoriæ prodidit,merum constat cicutę mederi propinatum,
quæ nimio frigore necat,id quod euidēs est caloris argumentū.In musto autem sola inest
dulcedo,quapropter minus de se sumi patitur,nec tātum quantū sufficiat ebrietati.Addo
ebrietati dulcedinem repugnare. quare nō inebriat mustum in quo sola sentitur dulcedo.
Sed cito grauitate sua descendit,iuuanteꝙ flatus & aquæ permistione,ponduſculo celeri
ter in intestina delabitur,aquaꝙ quę ei insidet profluit,nec partibus manet quæ ebrietate
capiuntur,uinosam diluens insaniā ac extinguens. Vinum adhuc cum in infantia,est dul
ce:cum pubescit,magis suaue ꝙ dulce.Cur in Aegypto,quę regionū aliarum calidissima
cēsetur,uinū frigida uirtute nascatur? Hoc euenit aere qui circūfunditur, frigus in terram
semper demergēte. Quod ergo uarietate temporis alternatur ubiꝙ,hoc in Aegypto sem
per persistit in calore. Frigus enim repulsum ima petens,uitiū radicibus inuoluitur,& ta
lem dat succo inde nascenti qualitatē.Hesiodus cum ad medium dolij peruentū est,cōpar
cendum,cæteris eius partibus ad satietatem dicit abutendū: optimum uinū sine dubio si
gnificans,quod in dolij medio cōsisteret.Nam pars infima permistione fęcis nō turbulen
ta modo sed & sapore deterior est:pars summa aeris uicinia corrūpitur,cuius admistione
fit dilutior.quapropter rustici operimētis extrinsecus dolia muniūt, ne aeris contagionē,
qua maxime lædituꝛ,sentiat,ut uix se tueatur in uase pleno & ideo aeri minus peruio. Va
saꝙ semiplena protinus in acorē degenerāt: siquidē aer aduena humorē elicit & exorbet,
eo siccato uinū uiribus spoliatū uel acore uitiatur,uel imbecillitate cōficitur. Cōtrà oleum
in summo traditur optimū. Superuacuo enim humore siccato, & mucore qui in eo latuit
absterso,nouam saporis cōtrahit suauitatem.Mel in imo creditur optimū, ꝙ pondere prę
stet & ideo supernatante pretiosius. Nanꝙ ut ait Plutarchus,si uas euertatur,pauco tem
pore suum locū unaquęꝙ pars repetet,aut ad ima sidens,aut ad superna emergens.Colo
res uinis quatuor,albus,fuluus,sanguineus, niger. Vinum dulce minus odoratū,quo te
nuius eo odoratius. Passum γλυκὺ Græcis dicit, quod fit passis & in uite diutius adustis
uuis.Probatur Ciliciū & Africum, & in Italia prouincijsꝙ finitimis. fieri certū est ex uua

quam

quam sticam Græci uocant, Latini apianam, ꝙ apes eam impopulari gaudeãt. Hanc sunt qui *muscatulam* uulgò dictam interpretentur. Quidam è quacũꝙ dulci, dum præcocta alba faciunt siccantes in sole, donec paulo amplius dimidium pondus supersit, tusascꝙ leniter uuas exprimunt: deinde quantũ expressere adijciunt aquæ puteanæ, ut secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo siccatis acinos eximunt, ac madefactos uino excellenti donec intumescãt, exprimunt. Hoc genus ante cętera laudãt. Similiꝙ modo aqua addita secundarium faciunt. Inter dulcia uinum est quod Græci aigleuces uocant, hoc est semper mustum. Id euenit cura, quoniã feruere prohibeatur. Sic enim appellãt musti in uina transitũ. Ergo mergunt è lacu protinus in aqua cados, donec bruma transeat, & consue tudo fiat algẽdi. Est aliud dulcis genus, cuius gratia asseruatur uua diutius in uite pediculo intorto. Ab alijs uua torretur in tegulis. Adijciunt aliqui quod uocant diachyton, uuis in sole siccatis, loco clauso per dies septem, in cratibus, totidem pedibus à terra alte, noctibus à rore defensis, octauo die calcatis, ita fieri optimi odoris saporisꝙ. Nam siræũ quod alij hepsema, latini sapam appellant, ingenij nõ naturæ opus est, musto ad tertiam usꝙ partem mensuræ decocto. quod ubi factum ad dimidiã est, defrutũ uocamus: & calenum, ad partes è tribus duas redacto. Defrutũ, calenum, sapa, uno omnia genere ex musto conficiuntur his modis, & uim emutant & nomina. Nam defrutũ à deferuendo dictũ, ut ad spissitudinem ualidè despumauerit effectum est: calenũ cum tertia perdita duæ partes remanserint: sapa, ubi ad tertias redacta descenderit. omnia in adulteriũ mellis excogitata. Passum uniuersa cõsueuit Africa cõficere, iucundum, pingue, quo uice mellis utuntur, ut se ab inflationis iniuria uindicent. Legũtur ergo uuæ passæ ꝙ plurimæ, & in fiscellis iunco factis rariore cõtextu clausæ, primo uirgis ualidè uerberantur, deinde ubi corpus uuarũ contusionis uis exoluerit, cochleæ supposita sporta cõprimitur. hinc passum est quicquid effluxerit, & cõditũ uasculo mellis more seruatur. Sed inter hæc genera potuũ poni debet protropum, ita appellatur à quibusdã mustum defluens anteꝙ calcentur uuæ. Hoc protinus diffusum lagenis suis deferuere patiuntur, postea in sole quadraginta diebus torrent æstatis secutę ipso Canis ortu, quod Iulius Pollux testatur. Habetur & protropon inter transmarina, quod Athenæus in Lesbo nasci dulce scribit, etiam prodromon ab aliquibus uocatum. At pramniũ Hippocrates et prior Homerus celebrauit: premebat hoc Smyrnæ regio, in insula primũ Icaro natũ Seuius in petra, à quo nomen Pramno. Est et factitiũ quod uocãt Græci adynamon. Albi musti sextarij uiginti aquæ dimidiũ feruet, donec excoquatur aquæ mẽsura. Alij marinæ sextarios decẽ, tãtundẽ pluuiæ in sole quadraginta diebus torrent. Dant ægris quibus uini noxã timẽt. Pro ueneno est sapa, si quis ieiunus à balneis eam bibat. Polybius author est, Romanas mulieres non uinum sed passum bibere solitas, ad restinguendã sitim. Non possunt dici uina quæ Græci deuteria uocant, Cato & Latini loram, maceratis aqua uinaceis. Sed tamen inter uina operaria numerãtur, decima aquæ parte addita quæ musti expressa, & ita nocte & die madefactis uinaceis rursus'que prælo subiectis. Alterum quod hoc modo: tertia parte eius quod expressum est addita aquæ, ex pressoꝙ decocto ad tertias partes. Nulli ex ijs plus quàm anno usus. dulci è genere est melitites. Distat à mulso quod fit è musto, quinꝙ congijs austeri musti, congio mellis & salis cyatho sufferuefactis, austerum. Fit & in Gallijs uinũ fictitij generis gratissimum, facili ratione. cinamomũ saccarum & carpesiũ teruntur in fiscum, ex eo uinũ liquatur, ut trãseundo qualitates eas combibat. hoc uulgus *hippocraticum* cognominat. datur epulis pręcipuis cũ escharite pane bellariorũ uice. Qui mos sed in alio uino Atheniẽsibus fuisse legitur. Ex potuum generibus quæ naturã habent inebriãdi, primas partes habet uinũ, ut Leontinus est author: secũdas quod mirabile dictu est, aqua: tertias tenet quod frugibus aqua maceratis, triticũ, auenã, hordeũ dico, barbari cõfingunt. Addit senes facile temulentia capi, fœminas rarius uiris ebrietate tẽtari. Vini desideria Democritus sanie tradit aboleri, quæ putatis uitibus emanãs, inscio temulẽto potui fuerit adiecta. Sic quam uitis attulerit noxam uini, sua sanie luit. Berytius ebrios ad sobrietatẽ reducere promittit acetũ abundè potum. Ad se quoꝙ redire brassicarũ cibo atꝙ mellitis placẽtis. Africanus raphani succo manso aut iride, tædia odoris uini discuti refert. Idẽ pollicetur ebrietatẽ non sensurũ etiã si bibẽdi certamine prouocet, qui caprinũ pulmonẽ tostũ ederit, aut ieiunus gnoꝙ aut septẽ amara

deuorarit

deuorarit amygdala, aut crudam brassicam præsumpserit. Arcet ebrietatẽ, eodem autho/re, corona è ramulis aiugæ facta. Vinum intra paucos dies optimi odoris Pamphilus effi/ci tradit, si baccas myrti montanas siccas & tunsas mittas in cadũ, & diebus decem requie/scere patiaris, tunc coles & utaris. Vitis etiam flores arbustiuæ collectos in umbra siccare iubet, tum diligenter tunsos & cretos in uinum cõijci, dolium septima die aperiri. Vinum fieri ad potandum suaue dicit, si fœniculi, uel satureię modum conuenientem mergi uino, atq; turbari feceris: uel fructum quem duæ nuces pineæ produxerint torrefactũ, & linteo ligatum mitti in uasculum, & usui esse, quinq; diebus exactis. Vinum uelut uetus effici ex nouello Damegeron pollicetur, si amygdala amara, absinthium, frugiferæ pini coma, fœ/num græcũ tundantur, ex his cyathus in amphora uini fundatur. Anniculũ quoq; uinum longam, ut inquit, ætatem simulabit, si melilоti unciã unam, dulcis radicis uncias tres, nar/di Celtici tantundem, aloes duas tundis ac cernis, & in sextarijs quinquaginta, cochlearia sex recondis, uasq; in fumo collocas. In album colorem fusca mutari asserit Fronto, si ex faba lomentum factum uino quis adijciat, uel ouorum trium alborem infundat lagenæ, diuq; commoueat, sequenti die candidum reperiri. Vitibus quoq; hanc esse naturã, ut al/ba uel nigra si redigatur in cinerem, uinoq; adijciatur, unamquãq; formam sui coloris con tribuere, ut ex nigra fuscum, candidum uero reddatur ex alba, & hoc exactis quadraginta diebus inueniri. Diophanes scriptum reliquit, nigras uuas potẽtius uinum fundere, albas medium, fuluas nigris suauius. Addit nouellum uinum frigidissimum esse, uetus calidissi/mum, idemq; potentissimũ, & cum primis odoratum: siquidẽ mora longa omnem aquo/sam partem absumit. Mustum quod per pluuias frequentes imbecillitatem contraxit, cre bro imbre perfusa uua, sic curari iubet, quod probari ipsius gustu poterit. Hoc mustũ de/coqui præcipit donec pars eius uigesima possit absumi, melius fieri si cẽtesima gypsi pars adijciatur. Lacedæmonij eo usq; decoquunt, donec uini quinta pars pereat, & quarto an/no usibus ministrant. Quidam statim atq; primum efferbuit mustum, in noua dolia trans/ferunt, in fundoq; sidit suo pondere fæculentum omne, atq; in metretas decem uini tres sa lis heminas adijciunt. Intermenstruo cũ silet luna Zoroaster maxime elutrianda præcipit uina, quod Sotion cõfirmat, obseruariq; exortus syderũ & emersus, in ijs enim fecem mo ueri uolunt. Item cũ rosa floret, aut germinat uitis, qua frondente cõsulunt sapientes, præ sertim Hesiodus, aperto dolio summũ imumq; uinũ expendendũ. Quod medias dolij par tes tenet seruandũ, utpote quod & ualidius atq; durabilius ac patiens uetustatis existime tur, Quod enim summis uasis faucibus residet, aeris cõsuetudine uires exhauriente, dege/nerat in uappam. quod fundo sidit fęcis uicinitate uitiatur, quod ita cecinit Hesiodus.

ἀρχομένῳ δὲ πίθῳ καὶ λήγοντος πορεῖσθαι, μεσσόθι φείδεσθαι.

Vasa nõ ad summum usq; labrum replenda, sed faucium tenus, ne occluso spiritu strangu lentur, coercitaq; suspiret aura. Laborat uinũ, ut Paxamus tradit, occasu Pleiadum, item bruma, uel cũ flore uitis exuitur, æstiuo solstitio, uel exortu Caniculæ. Sentiunt uitia cum cælum incendio flagrat, cum etiam nimio frigore riget, cum uehementes incesserunt plu/uiæ, itẽ cũ duro tonitru cõcutitur, aut uiolentis coruscat fulgetris. Arcere tonitrus & ful/guris noxam credidit Zoroastres, ferrũ operculis doliorũ superpositũ. Alij admotos lau/ri ramulos cæca naturarũ discordia uinum ab huiusmodi iniuria uindicare scripserũt. Vi/no quod acorem quendã iam cõcepit, ut author est Tarentinus, medetur ollula aquæ bo/næ plena, quæ diligẽter operta in doliũ demergatur, post triduũ inuenietur ab acore uinũ sese recollegisse, & aquã olere, si pristinũ robur resumpserit. Alij lactis caprini quinquage simam partẽ infundunt, & integũt, post quinq; dies elutriãt. Si sitũ oleat uinum uel aspergi/nẽ sentiat, iubet Apuleius tedas pingues igni flagrãtes in doliũ cõijci, & accensas in ui/no restingui. Alij cãdentẽ testam immergũt, alij uas cõtinens aquã obruũt, & post triduũ eliberari uitio experiuntur, alij apij semen & folia intingunt, alij recentis casei serũ permi/scent. Salignum lignum uino inditũ omnem nequitiam tollit. A serpẽte immissum uirus, ut Democrito placet, ferreus annulus elicit. Turbulentiam uini cõfestim residere promit/tit Anatolius, si decoctæ ad tertias amurcæ singulas heminas in singulas uini metretas qs in undat, Si scire cupis emptor, si nullã mistionis fraudem uinũ experitur, mala aut pyra syluestria in uas mitti præcipit Democritus. ℔ si supernatauerint fluitantia, meri syncerique putat in

putat indiciũ: ſin demergantur, aquam cõtineri. Aliqui arundinem, papyrum, uel lignum, aut fruticem oleo illitũ dolio mandant, dein extrahentes conſiderant ſi oleo guttulę aquæ ſtillatim congeſtæ cohæreant: quod ſi deprehendatur, aquam continere certum eſt. Si in oliam nouam antea nullo perfuſam humore biduo uinum adhibeatur, ea miſtam aquam extillabit. Alij calfactum uinum ſub diuo in nouum mittũt fictile, ſi aquam nouit degenerat in acetum. Alij in uiuam calcem uinum injiciunt ſi ſyncerum eſt, hanc cogit: ſin aquoſum, diffundit. Porrò ſi in ſartaginem feruens oleum capientẽ uinum aquam habens fundatur, obſtrepet, & bullans exiliet. Aliqui ſpongia oleo imbuta ſpiraculum uaſis obturãt, & inuertunt, ſi aqua inſit à ſpongia manans effluet. Si uas ad experienda uina è ligno hederæ fiat, uinum transfluet & remanebit aqua, ſi qua miſta fuerit. Aphricanus in doliũ uini liquidum alumen infundebat, & penicillo oleo peruncto dolij ſpiraculũ operculabat, per quod inclinatum ſola profluebat aqua. Græci uini naturam tali ratione diſcernunt, & hanc in eo uolunt eſſe diſtantiã, ut quod dulce eſt, grauius dicant: quod album, conuenire ueſicæ: quod luteo colore blanditur, concoctioni cõmodum: tranſmarinũ pallorem gignere, et id tantũ ſanguinem non creare. Ex nigris uuis potentius fieri, ex rubris ſuaue, ex albis mediocre. Vino exhauſto natura eſt ſuccendendi uiſcera calore: foris infuſo refrigerãdi, ut iure dici poſſit uiribus corporis nõ aliud utilius, neq; aliud uoluptatibus pernicioſius, ſi modus abſit. Muſta differẽtias habent naturales, q̃ ſunt cãdida, aut nigra, aut inter utrũq; media. Muſtũ omne ſtomacho inutile, uenis iucundũ. à balneis raptim et ſine inter ſpiratione potũ necat. Cantharidũ naturę aduerſatur, itẽ ſerpẽtibus, maxime hæmorrhoo & ſalamandræ. Capitis dolores facit, gutturi inutile. Prodeſt renibus, iocinori, interaneis, & ueſicæ: colleuat enim ea. Priuatim cõtra bupreſtim ualet, contra meconiũ, lactis coagulationem, cicutã, toxica, dorycniũ, ex oleo potũ redditũq; uomitionibus. Ad omnia infirmius album, iucundius paſſi muſtũ, & quod minorẽ capitis dolorem adferat. Vino alũtur uires, ſanguis, coloſq; hominũ. Vino modico nerui iuuantur, copioſiore lædũtur, ſic & oculi. ſtomachus recreatur, appetentia ciborũ inuitatur. Cura triſtitiarũ hebetat, urina & algor expellitur, ſomnus cõciliatur. præterea uomitionẽ ſiſtit. Collectiones extrà lanis humidis impoſitis mitigat. multũ roboris hic ſuccus facit. Lactis potus oſſa alit, frugũ neruos, aquæ carnes. ideo minus roboris eſt in corporibus illis, & minus roboris, contracq; labores patiẽtiæ. Aſclepiades utilitatẽ uini ferè æquari deorũ potentiæ pronũciauit. Vetus copioſiore aqua miſcẽ, nouum urinã magis expellit, minuſq; ſiti reſiſtit. Dulce minus inebriat, ſed ſtomacho innatat: auſterũ facilius cõcoquitur. leuiſſimũ eſt quod celerrime inueteratur. Minus infeſtat neruos quod uetuſtate dulceſcit. Stomacho minus eſt utile pingue, nigrũ, ſed corpora magis alit. Tenue & auſterũ minus alit, magis ſtomachũ nutrit, celerius p̃ urinã trãſit, tãtoq; magis capita tentat. Vinũ ſi ſit fumo inueteratũ, inſaluberrimũ eſt, etſi in ijs quæ cariẽ traxerũt fortaſſe ut in materijs eam fumus erodat. Fumi amaritudine uetuſtatẽ induiſ perſuaſum eſt. Quo generoſius eſt uinũ, hoc magis uetuſtate craſſeſcit, & in amaritudinẽ corpori minime utilẽ coit. Sua cuiq; ętas, media gratiſſima eſt. ſua cuiq; ſaliua innocentiſſima. Vinũ annoſum, ut prodidit Dioſcorides, neruis et ſenſibus cæteris officit, quanq̃ iucundũ guſtu. Damnatur ægrotãtibus, quibus aliquid intus adfectũ laceſſitum ue ſit: innocẽs ſano, ſi dilutũ & modicũ ſumat. Nouitiũ inflat, difficile coquitur, ſomnos graues facit, urinas pellit. Media ætas & hoc & illud incõmodũ uitabit, ideoq; ad ualetudinẽ utranq; pertinet. Albũ leue, deiectu facile, ſtomachũ excitat: cõtrà, nigrũ pingue, peragi cõtumax, ebrietatem carnesq; alit. Rubrum ut colorẽ ita & naturam inter illa mediã poſſidet. Candidũ utroq; ſtatu corpori ſalubrius eſt. Differẽtia in ſapore. Dulci craſſitudo maior, expiratio difficilior. In ſtomacho ſpiritus creat, aluũ & inteſtina muſti modo turbat, ſed parcius inebriat: ueſicæ neruiſq; prodeſt. Auſterũ urinas uehemẽtius molitur, temulentiã & capitis dolores facit. Acerbũ coquendo cibo utiliſſimũ, item aluo cõtinẽdæ rheumatiſmiſq; iſtendis. Quod uerò lene, tenerũ atq; molle dicit, minus infeſtat neruos, minuſq; urinã ciet. Vinũ marina aqua factũ inutile ſtomacho eſt, ſitim creat, neruis nocet, uẽtri facile, ab infirmitate ſe recolligẽtibus inimicũ. Reſina cõditũ frigidis ſtomachis utile putat, nõ expedire uomitionib. ſicuti nec muſtũ, neq; ſapa, neq; paſſum. Nouitiũ reſinatũ nulli cõducit, capitis dolorẽ & uertigines excitat, et ab hoc dicta crapula eſt. Tuſſientibus

& rheuma-

& rheumatiſmo prodeſt, item cœliacis, dyſentericis, mulierũ menſibus. In hoc genere rubrum nigrum ue magis conſtringit magisq; calfacit. Innocentius pice ſola conditum. ſed picem ſcire debemus non aliud eſſe q̃ combuſtæ reſinæ fluxum. Hoc genus uini excalfacit, concoquit, purgat: pectori, uentri utile. Item uuluarum dolori ſi ſine febre ſint, uetuſtæ defluxioni, exulcerationi, ruptis, conuulſis, uomicis, neruorum infirmitati, inflationibus, tuſſi, anhelationibus, luxatis in ſuccida lana impoſitum. Merum remedio eſt contra cicutas, coriãdrum, aconita, meconium, argentum uiuum, apes, ueſpas, crabrones, phalangia, ſerpentium ſcorpionumq; ictus, contraq; omnia quæ refrigerãdo nocent. priuatim cõtra preſteres, hæmorrhoidas, fungos, aduerſus inflationes roſionesq; præcordiorum, & quorum ſtomachus in uomitiones effunditur, & ſi uenter aut interanea fluxiones ſentiant, dyſentericis, ſudatoribus, in longa tuſſi, in epiphoris meracum. At uero cardiacis in mamma læua merum in ſpongia poni prodeſt. Ad omnia maximè album inueteraſcens. Vtiliter etiam uino fouetur uirilitas iumẽtis, quo etiam infuſo cornu laſſitudinem auferri tradũt. Simias & quadrupedes quibus digiti ſunt, negant creſcere aſſuetas meri potu. Quod ad febrium ualetudines attinet, certum eſt non dandum in febri niſi ueteribus ægris uinum, nec niſi declinãte morbo: in acutis uerò periculis nullis niſi cum manifeſtas habent remiſſiones, nec à partu abortúue, nec à libidine ægrotãtibus, nec in capitis doloribus, nec quorum acceſſiones cum frigore extremitatũ ueniant, nec in febri tuſſientibus, nec in tremore neruorumq; doloribus uel faucium, uel ſi uis morbi circa illa intellígatur, nec in duritia præcordiorum, uenarum uehementia, neq; in opiſthotono tetanóue, nec ſingultibus, nec ſi cum febre difficultas ſpirandi ſit. minime oculis rigentibus & ſtantibus genis, aut quorum conniuentium perlucent oculi, neu palpebris nõ coeuntibus, aut ſi cruore ſuffundantur oculi, uel ſi lachrymæ in oculis erunt. minime língua graui fungoſaq; imperfecta ſubin de loquentibus, nec ſi urina difficile redditur, neq; expaueſcẽtibus repente, neq; defectis, aut torpentibus, nec ſi per ſomnos genitura effunditur. Cardiacorum morbo unicã ſpem in uino eſſe certum eſt. Meracis potionibus per uiginti dies ante Canis ortum, totidemq; poſtea, ſuadet Heſiodus uti: aquæ tamen potum interponere utiliſſimum. Item iugi ſuper bibere ebrietati, quã frigidæ potus extemplo diſcutit. Dari non niſi inter cibos debet, nec à ſomno ſtatim, nec præcedente potu alio, hoc eſt utiq; ſitienti. Viro facilius q̃ fœminæ, ſeni q̃ iuueni, iuueni q̃ puero; hyeme quàm æſtate, aſſuetis potius q̃ expertibus. Modus dandi pro uehementia uini, item miſtura. atq; uulgo ſatis putant unum uini cyathum duobus aquæ miſceri. Si diſſolutio ſtomachi ſit, dandum, & ſi cibus non deſcẽdat. Vinũ quod ex uuis à decerptu ſole aduſtis, aut diutius in uite percoctis exprimitur, dulce Creticum, ſiue protropon, ſiue pramnion Dioſcorides appellari tradit. Item quod muſto decocto fit & ſerium, ab aliis hepſema & ſapa dicitur. Si nigra ſpectantur, pinguia copioſiq; alimenti erunt: ſi alba, tenuiora: media, mediam utriuſq; naturæ uim ferent. Omnibus tamen aſtringendi continendiq; uis adiuncta. Arteriæ languidos ictus recreat. Contra uenena omnia quæ exulcerando necant pro remedio eſt, ex oleo potum redditumq; uomitionibus. Datur contra meconium, toxica, lactis coagulationem, cicutam: item aduerſus renũ ueſicæq; roſiones atq; morſus, alioqui inflationem & uitium afferre ſolent. Nigrum priuatim alui fluxiones cohibet, album emolliendo eam efficacius. Vini naturam in commune ſic proſequitur Dioſcorides. Vinum meracũ ſyncerumq; omne cui auſteritas ſpõte naturæ contigit, excalfacit, facile digeritur in membra, ſtomachum recreat, appetentiam ciborum inuitat, carnes alit, ſomnum concíliat, uires coloremq; nutrit. Copioſiore hauſtu ualet contra cicutas, coriandrum, pharicum, ixiam, ſpumam argenti, taxum, aconita, fungos, morſus & uulnera ſerpentum, & omnia quæ refrigerando necant, aut ſtomachum in uomitiones effundãt aut redundare faciant, ac quorum ſtomachus flacceſcat diſſolutusq; infirmitatem contraxerit, ſi uenter & interanea rheumatiſmũ ſentiant. Sudatoribus, expaueſcentibus repente, & quibus corpus immodico ſudore digeritur, albũ maxime, inueteraſcens, dulce: item renibus ac ueſicæ. Vlceribus inflammationibusq; in ſuccida lana imponitur. Vtiliter theriomata & phagedænæ & ulcerum fluxiones fouentur uino. Ad ſanorũ uſus prima authoritas Italicis tribuit, phalerno, ſurrẽtino, ſetino, & pluribus aliis quæ in Campania premuntur. Inter græca palma tribuitur Chio, Lesbio, Phygelitæ, & quod Epheſi

naſcitur

naſcitur. Stomacho minus utile, inflãs, pingue, nigrum, ſed corpora magis alit. Tenue au ſterũ minus nutrit, magis ſtomachũ iuuat. Vetus candidũ tenue, ualidius urinas prouocat, tantoq; magis capita tentat: copioſius neruis infenſum. Nec in uetuſtate, nec nouitate, ſed media ætate bene ualẽtibus ſalubria. Modus aũt pro ætate, & bibẽdi cõſuetudine, pro temporũ ratione, pro uini uehemẽtia decerniẽ. Optimũ habetur præceptũ ut ſitienti demũ bibatur ad deſideriũ redimendũ, ut cibus potu madeat. Omnis ebrietas præſertim iugis pernicioſa corpori, quoniã nerui copioſo uino diebus ſingulis obſeſſi acutis morbis iaciunt fundamenta. Vino tamẽ copioſius indulgere poſt aquę potus nõ eſt alienũ, quoniã ita repurgatis ſenſibus ex alto extrahunt quæ impedimẽto ſunt, & per cæcos meatus diſcutiunt: cæterũ aquã ſuperbibere cõuenit. Ebrietatẽ ſequunt pallor, genæ pẽdulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundẽtes uaſa plena, inquies nocturna, omniũ ferè rerũ obliuio, morsq; memoriæ, poſtero die fœtidi halitus. Præmiũ ſummũ ebrietatis libido portẽtoſa, & iucundũ nephas. Omphacites uinũ priuatim in Lesbo fingi Dioſcorides eſt author, uuas paulo ante maturitatẽ decerptas, etiã ſemiacerbas per triduũ aut quatriduũ ſole torreri, donec acini paſſi fiãt, rugasq; plane cõtraxerint: tũ premi, deinde fictilibus fidelijs ſole inueterari. Cõſtringit hoc, ſtomacho utile cibos nõ coquẽti diſſolutoq;, grauidarũ malacijs defectionibusq;, neq; nõ ilei tormẽtis. Placere incipit ab annis pluribus, nõ aliter idoneo, poculento ue uſu eius. Vinũ omphacites idẽ eſſe uidet quod & biæũ Græci uocant, quanquã largiorẽ marinã ei aquã adijciũt: cętero conueniũt. medicinę itẽ congruũt. Vt et rare mihi uideant, qui potius bion, quaſi à uita ductũ nomen ſcribãt: cũ Plinius biçon à feſtinatione, quaſi uiolẽter fiat, uocari ꝓdiderit. Deuterias ita fieri præcipit Dioſcorides, In uinaceos è qbus triginta muſti cados expreſſeris, cados aquæ tres addi, tũ calçari, expreſſumq; ad tertias decoqui, deinde in ſingulos cõgios modi huius qui remãſit, ſextarios ſalis binos cõijci, acta hyeme decapulari in fictilia, poſt annũ uti. Datur hoc ægris quibus uini timet noxa, appetentia eorũ ſæpenumero urgẽte, quorũ deſiderio ſubſcribere nõnunquã cogimur: itẽ ijs qui à longa ualetudine ſe recolligũt. Vinũ melitites, ut Dioſcoridi placet, diſtat à mulſo: quod illud è uino uetere auſtero addito mellis exiguo tẽperatur: hoc è muſto in quinq; cõgios auſteri muſti, congio mellis & ſalis cyatho inditis. Vas in quo id fiat amplitudine capaci quæritur, ut locus feruẽti & ob hoc intumeſcẽti ſufficiat. Salis modus qui dictus eſt, paulatim inſpargitur donec bulliat: ſimul uero q̃ feruere deſijt, in cados diffundit. uinũ hoc alit uires, odoratũq; habet. Datur in febri uetuſta, imbecillo ſtomacho, quoniã uentrẽ molliter lenit: itẽ articularijs morbis, uitijs renũ, capitis infirmitate laborãtibus, mulieribus uini abſtemijs. Mulſum quod œnomeli uocãt, ex annoſo auſteroq; uino & melle quãoptimo utiliſſimũ fit. Minus hoc inflat & uelociter ſidit, inueteratũ corpus auget, media ætate aluũ urinasq; ciet, ſuperſumpto cibis noxa cõtrahitur, antecedens implet quidẽ, ſed auiditatẽ cibi cõmouet. Temperat duobus cadis uini, uno mellis adiuncto. Quidã ut compendiũ operæ faciãt, cum uino mel decoquũt, deinde ita in fictiles lagenas diffundunt. Alij parcẽtes impendio in ſextarios muſti feruentis ſextariũ mellis adijciunt, cũ deferbuerit elutriãt, ita conditũ dulcedinem cõtinet. Vinũ facillimè cũ melle concorporatur, quod in dulci nunq; euenit: uerum ex auſtero factũ mulſum et decocto melle non implet ſtomachũ, ac minus inflat, appetẽdi reuocat auiditatẽ cibi, aluũ mollit frigido potu, calido ſiſtit, auget corpora. Mulſum in Thracia primus Ariſteus cõperit. Multi ſenectam longã intinctu mulſi tolerauere, nihil ad cibũ adhibẽtes quàm panẽ. Longæuos in integris ſenſibus degere pollicetur Diophanes, qui mellis uſum ſequũtur. Interrogatus itaque Democritus quanã ratione homines uigorẽ animi & corporis integritatem cuſtodirent, ille reſpondit: Si foris oleo, intus melle linirentur. Multi itaq; annos uitæ lõgos mulſo uino retulerũt acceptos. Porrò ex muſto quod fit mulſum, Græci nectar uocant, & hac ratione cõficiunt. Muſtũ quouſq; ad dimidias ferè reſideat excoquũt, & in decem eius ſextarios unum mellis Attici miſcent ſextariũ, & in cadum transfundũt, gypſatoq; uaſis ſpiraculo in umbra recondunt. Hoc genus inflationibus obnoxiũ eſt, aduerſum ſtomacho: datur alui ciendæ cauſa. Sed quod emendicato à Latinis, ut arbitror, cognomine conditũ ijdem appellãt, ita ſolẽt cõficere, Piperis eloti, et ubi fuerit reſiccatum triti ſcrupulos octo, mellis Attici ſextarium unum, uini ueteris albi ſextarios quinq; permiſcent. Sed res expoſtulat, ut ſimul de aceto diſſeramus: eſt enim uini uitium, quod ad luxuriam ceſſit homini

bus, tot ad usus expetitũ, sine quibus uita mitior exigi nõ posset. Est uappa uitiũ uini sed nulla cõmendatione, quin probrosa quoq; res uel hominũ cõuitio quorũ degenerauit animus. Fit aũt uappa cum iterũ sponte musta feruẽt, qua calamitate cũ deferbuit, deperit sapor, uappæq; nomẽ accipit. Infusum terræ acetũ spumat, saxa rũpit, quę nõ ruperit ignis antecedẽs. cibos quidẽ & sapores non alius magis succus cõmendat & excitat. Cõpescitur asperitas eius tosto pane, aut uino, aut sale: cõtrà iners accendit pipere aut lasere. Acetum aliud nõ esse quàm culpatũ uinũ quis nescit? Aqua mistũ oxycratum, Latini poscam uel pusca appellãt: ipsi quoq; Græci, ut Paulus & Aetius, phusca nominãt. Acetũ subito sic fieri Græci promittũt, si tusam betę radicẽ in uinũ conieceris, post horas tres in acetum degenerabit. Quòd si in pristinũ statũ restitui uoles, brassicæ radicẽ indidisse satis est. Mirum acorẽ cõcipere tradit Sotion, si aridi uinacei aut pauci uuæ acerbæ acini demittãtur. Pyrethrũ infusum acorẽ supra modũ accẽdit, si cũ una parte feruefactũ reliquę miscueris. Acerrimũ idẽ fieri putat & suaue, uetustis graminis radicibus aut immerso lactis sero, aut cinere querno, aut candentibus carbonibus in eo restinctis, aut si ciceribus testis ue igni flagrantibus acetũ uratur. Diu suum acorẽ tueri refert Apuleius, si fabæ cũ citrij mali succo uasi cõfundantur. Si iniecto alumine tanq; feruescens intumuerit, aquã cõtinere Græci existimãt. Dulce faciũt addito musto, quo post triginta dies utuntur. aliqui musti quod uarũ calcatu cõfluxit unã metretam in duabus aceti, ut triens ex modo supersit. Alij mensurã musti duplam, aquæ potabilis triplam ad aceti partẽ discoquũt, dũ totius modi dimidiũ restet. Acetũ etiã fit nõ ex uino cõmentitiũ multis modis. Persica mala mollia et torre factũ hordeũ in uase mixtim cõputrescere sinuntur, expressus fisco succus acorẽ cõcipit. Alij sine uino ita acetũ cõfingunt. Fici ueteres & torridũ hordeum & citriorũ malorũ interna caro crebrius subacta cõturbataq; colis exprimuntur, ut in aceti uicẽ succus cedat. Alij marinã aquam & gypsum cõcoquũt, admistaq; aqua fluuiali percolãt aceti usu. Acetum transit in remedia, calidissimum Theophrastus existimauit natura, frigidũ cõprobat Galenus. Vis ei summa in refrigerãdo, nõ tamen minor in discutiendo. Haustum per se fastidia discutit, singultus cohibet, sternutamenta olfactu sistit, uim ęstus in balneis arcet si contineatur in ore. Itẽ cum aqua bibitur aut utiliter gargarissatur ijs præsertim qui à solis ardoribus cõualescunt. Plurimũ fotu medetur post uredines. Lepris, furfuribus, manantibus ulceribus, canis morsibus, scorpionum ictibus, muris aranei & scolopendrarum uenenis auxiliatur. Cõtra aculeatorum uirus, multipedũ morsus remedio est. Cõglobatum utiq; sanguinem discutit. Aduersus lichenas bibitur & imponitur. Sistit aluos & defluxiones infusum. Calidum in spõgia appositũ medetur sedis uitijs, melius adiecto sulphuris sextante, sextarijs tribus aceti, aut hyssopi fascículo. In procidentia sedis ac uuluæ salutare. Tussim ueterẽ inhibet, gutturis rheumatismos, orthopnœã, & dentium labefactationẽ leuat. Vesicę nocet & neruorũ infirmitatibus. Acetũ usus docuit, ut Celsus tradit, bibendũ cum aspis percussit. quod demõstrasse casus dicitur cuiusdam pueri, qui cum ab hac esset ictus, partim ob ipsum uulnus, partim ob immodicos ęstus siti premeretur, & siccis locis alium humorẽ nõ habentibus, acetũ quod secũ forte habebat, ebibit & liberatus est. Credit quoniã id quamuis refrigerandi uim habeat, tamen habet etiã dissipandi, quo fit ut terra respersa eo spumet. Eadẽ ergo ui spissescentẽ quoq; intus humorẽ hominis ab eo discuti, sic dari sanitatẽ. Idem refert Plinius cõtra aspidẽ pollere: nam cũ aspide calcata quis per cussus utrem aceti ferẽs, quoties deposuisset sentiebat ictũ, alias illæso similis. Intellectum inde remediũ est, potuq; succursum. Neq; altero os colluut uenena exugẽtes. Nõ est prætereundũ silentio: quosdã graui morbo pedũ conflictatos, cum dolori pares nõ essent, demersis in acetũ calidum cruribus in acerrimo ualetudinis impetu, sospites euasisse, portentosa medicorũ scientia. Aceto refrigerandi et spissandi uim tribuit Dioscorides. Stomachũ & appetentiam excitat, omnẽ abundantiã sanguinis potu infessionęq; sistit. Alui fluxiones cibis incoctũ reprimit. In uelleribus succidis aut spõgia impositũ sanguinẽ uulnerum & inflammationes inhibet, procidentiam sedis & uuluæ constituit, gingiuas sanat abscedentes & sanguine manantes. Prodest nomis, ignibus sacris, ulceribus quæ serpunt. Eodem pterygia, lichenes, & lepræ curantur, addito utiq; semper aliquo ex ijs quæ priuatim aduersus ea uitia polleant. Vlcerũ phagedænas nomasq; sepius fouendo cohibet. Podagricis calido fotu cum sulphure auxiliatur. Sugillata cum melle litum emendat. Capitis

ardores

ardores cũ roſaceo in ſpõgia uel ſuccida lana refrigerat. Iuuãtur hydropici, grauitates auri
um, ſoni tinnitusq; ſuffitu feruẽtis. Eodẽ inſtillato uermes earũ necãtur. Panos coercet te/
pidi fotus aut imbuta eo ſpõgia, prurítus mulcet. Cõtra uenenatos morſus qui refrigeran
do nocẽt calidũ cõmodè fouetur: frigidũ aculeatis è quibus uredo ſequit remedio eſt. Ad/
uerſus omnia uenena propinatur calidũ uomitionibus redhibendũ, præſertim cõtra me/
coniũ, cicutã, cõglobatũ in uentre ſanguinẽ, cõcretũ lac, fungos, ixiam, taxumq; cum ſale.
Hauſtu raptas hirudines ſorbitione pellit. Tuſſim ueterẽ placat, recentẽ laceſſit, gargariſ/
ſatum fluxionibus fauciũ reſiſtit. Anginis, uuæ procidẽti, dentiũ dolori calidum colluitur.
Acetũ mulſum quod oxymeli uocant Græci, hoc modo tẽperatur. Aceti heminas quinq;,
ſalis marini põdo, mellis minas decem, aquæ ſextarios quinq; pariter coquito, decies ef/
ferueſcẽte cortina. atq; ubi refrixit diffũdito, & ſinito inueterari. craſſitudines detrahit po
tum. Iſchiadicis, morbis articularibus, & comitialibus prodeſt. Cõtra ſerpẽtes quos ſepas
uocãt & cõtra meconiũ hauſtũ ixiæq; uenena auxilio eſt. Anginis utiliter gargariſſat. De
mocritus aceti ſcyllini tẽperandi hãc rationẽ dedit, Scyllæ quæ ſit alba, direptis duris atq;
extrinſecus poſitis omnibus, tenera medietas pondo ſelibræ in minutas partes reciditur,
ſegmẽta per dies triginta in ſole reſiccant, duodecim imbre aceti cõſperguntur, dein in a/
ceti q; acerrimi duodecim ſextarios mergunt. Poſt eũ numerum dierũ ſcylla eximitur, ace
to diligẽter excolat, in uas bene picatũ transfunditur. Quidã pondo ſcyllæ in ſextarios
aceti quinq; demittũt. Alij tunicis quidẽ eas repurgãt, ſed exareſcere nõ patiunt, ſtatimq;
muſteas & recẽtes alias pari mẽſura cõiiciunt in acetum, & initio ſeptimi mẽſis eximunt:
hoc aſperius acriusq; cenſet. Gingiuas labantes collutũ aſtringit, mobiles dentes firmat,
graues oris halitus & putrilagines tollit. Corroborat & fauciũ callũ ijs qui uocis ſtudioſi
ſunt, eam em̃ expedit clarãq; ac canorã efficit. Prodeſt affectis ſtomacho, cibosq; ęgrè con
coquẽtibus: itẽ comitialib. melãcholicis, uertiginoſis, mẽte captis, uuluarũ ſtrãgulationi/
bus, lienis incremẽto tumidis, uitio coxendicũ, recolligendis corporibus. Colorẽ alit, uale
tudinẽ firmat, oculorũ aciẽ obiter exacuit, tarditatẽ auriũ inſtillatione purgat. Generatim
ad omnia laudatiſsimũ, modo inteſtina ulceratio nõ ſentiat. Capitis doloribus, neruis in/
firmis dat quotidie bibendum, inter initia modicè, proceſſu copioſius, paulatim modo cre
ſcente uſq; ad cyathũ, quanq; nõ deſint qui cyathos binos & amplius dari præcipiãt. Fex
uini non incõmoda medicamẽtis, cui tãta uis ineſſe creditur, ut deſcẽdentes in cupas ene/
cet. Experimentũ demiſſa præbet lucerna, quãdiu extinguat deſcenſionis periculũ denun
cians. Siccata recipit ignes ac ſine alimento perflagrat, cuius uis & natura quæ nitro. Fex
cum expirauerit lauãdis corporibus utilis. Fex aceti pro materia acrior ſit oportet, utriq;
multũ adijcit uiriũ crematio. Vſta ſphecle quaſi fęcula dicitur, interim ſpheclen pro cruda
fæce Græci uſurpãt. Cruda reprimit humores, aduerſus alui defluxiones & ſtomachi im
ponitur, profluuia mulierũ illita genitalibus & imo uentri mitigat, panos diſcutit nõdum
exulceratos, rigentes mãmas & ſui lactis impatiẽtes extinguit. Cremata ungues ſcabros
aufert cũ reſina, addito lẽtiſcino oleo. Illita una nocte rufat capillũ. Oculorũ medicamen/
tis eluta miſcetur, cicatrices hæc eorũ & caligines pellit. Crematur noua teſta copioſo ig/
ni donec ardeat. Alijs gleba fecis in carbones accẽſos abſconditur. Experimentũ legitimę
coctionis ut exalbeſcat, aut æris colorem ſibi adſciſcat, illataq; linguæ uideatur urere. illo
modo & aceti fęx coquitur. Virtus inſigniter adurẽs & uehemẽter exiccãs. melior quo re
centior. celerrimè exanimatur nõ incluſa. Hęc cremata ampliat uires, utiliſsima ad compe
ſcendas lichenas furfuresq;. Sic lepris et ulceribus manãtibus imponitur, eruptionibus pi
tuitæ illinitur. Sicca uel madida cõtra phalangia et teſtiũ mammarũq; collectiones. Mede
tur illita & teſtibus & genitalibus. In uino aduerſus ſtrangurias bibitur. Reſiſtit ſuppura/
tionũ incrementis. Stomachũ, interanea, uentrẽ illitu adiuuat. Appoſita in linteo uuluas
purgat. Decoquitur in patinis cũ ſale & adipe ad tumorẽ maxillarũ & ceruicum. Fęx ace
ti ſua pro materia acrior ſit eſt neceſſe, multo magis exulcerat. Acetũ aqua miſtũ oxycra/
tum, Latinis poſcã, recentioribus Græcis phuſcã diximus appellari. Sed ut Aetius eſt au
thor, ſi ſimplici ratione conſtruatur, refrigerat & humectat: condita tamen & calorem ſibi
& ſiccitatẽ adſciſcit. Inter ueteres, ut idem inquit, omnes ferè cõuenit, noxium parere ſuc/
cum. neruis officere, flatuoſos ſpiritus creare, capitis dolores cõcitare, cõtra ſacrum mor/
bum prodeſſe, uini crapulam mitigare, ſanguinis acrimoniam lenire. Conſuluntq; ea po/

tione abstinendum, quod facile putrilaginē concipiat qui ex eo contrahitur humor, item propter noxam quam neruis infert. Produnt ebur aliquādiu phusca maceratum ceræ instar emollescere, obsequiosumq; in opus quodcunq; tractari, quod Dioscorides zytho tribuit. Recentiores, qui diligenter placita ueterum obseruarūt, multis utilem, & secundam tueri ualetudinem deprehenderunt: & ut uerum, idem inquit Aetius, fatear, prodest calidiore natura præditis: itē ijs qui intestino uentris calore flagrantes perpetua siti cruciantur, maximè si citra quācunq; misturam simplex meraq; propinetur. Tum desideria sitis ardoresq; restringit, cibi fastidiū abigit, appetentiam inuitat. Ventrem mouet & subinde molitur urinā. Cæterum apprimè nocet ijs quibus in humidiore stomacho pituita cōsit, frigidamq; sortiuntur huius partis naturam.

Vlmus. Cap. CXLIIII.

VLmus Græcis ptelea Gallis *orma* nominatur, procera est arbor, folio indiuiduo, lente crenato, scabro, oblongiore quàm pyro, semen racemosum. in foliolis & petiolis gummi producit, et quoddam bestiolarū genus quod cnipes dicunt, materie flaua, robusta, neruata, deformi, & quæ nihil præter cor habeat. uiridis cæsu facilis, sicca difficilis. Germinat inter primas paulo ante Aequinoctium. facilis apud aquas incremēti. Duūm est Theophrasto generū, montanæ quā oripteleam nominat: alterū campestris, quę fruticosior, foliū indiuisum, leniter per orā serratū, oblōgius quàm pyro, scabrū. Arbor grandis & celsa, irriguis amica, ligno flauo, neruoso, robusto, ut quæ tota cor sit. Vtuntur ea ad fores lautiores, ad cardines, assa mēta portarū, & torcularia prælaq; & sontiū caueas, & ad carpentariū quādoq; opus. Viridis facile cæditur, sicca difficile. Sterilis habetur arbor. Cradæ ulmo ut fico, robori, platanoq; gignunt. Vuā fert, & in petiolis lachrymę modo gummi, & bestiolas culicibus caprificis similes in folliculis, & autūno cachryes uocatas, cōplures, minutas atq; nigras. Rigorem suū materies constantissimè tuet, ob id cardinibus ualuarū dicatur, in aere perpetua, ut immersum aquis robur æternū. Post uindemiā & Arcturū cęditur. Lenta est & humidior, argumēto quod post cæsurā erecta multū remittit humoris. Italiæ quatuor sunt ulmi fastigia, nostrates densiore folio & ab eodē pediculo numerosiore, Gallicū, item sylueſtre, quartū attinias uocāt excelsissimas, & in ijs siccanas illis præferūt, quę nō sunt riguæ. Steriles attiniæ: ideo plātis serūtur autumno uitibus, & maritæ appellant. Omnes radicū plantis proueniūt, reliquæ samara, ita nominatur ulmi semen. Vitiū amicitia accipitur ulmus. Attinia scopis tantū nascitur, damnataq; religione, quia fructum nō ferat. Circūaguntur ulmo folia post solstitiū. quo argumēto intelligitur sydus cōfectū. Tradūt ulmū in exemplis cuius cacumē amputatū erat, restitutā spōte, ita ut postea floruisset. Fluit ex ea gummi in Corico mōte Ciliciæ ad nihil utile, & culices ibi nascūtur. Rigorē fortissimè seruat ulmus, & ob id cardinibus assamentisq; portarū utilissima, quoniā minimè torqueatur, permutanda tantū sic ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. Vlmorū prius quàm folio uestiant, samara, ita uocatur eorū semen, colligenda est circa Martias Calendas, cum flauescere incipit: deinde biduo in umbra siccata serēda densa in refracto, terra supra minutatim cribrata. pluuiæ si nō adiuuēt, rigāda. Deferēdæ ex arearū uenis post annū in ulmaria interuallo pedali in unamquamq; partē. Maritas ulmos autumno ferere utilius, quia carēt semine, nam eæ à plantis seruntur. In arbustū quinquennes transferuntur, aut ut quibusdam placet, quæ uicenūm pedū esse cœperūt, altitudine pedū trium, pari latitudine, circa positas terni pedes undiq; ex solido exaggerentur. Columellæ ulmorū duo tantū genera, Gallicū & uernaculum: illud attinia, hoc nostras dicitur. Attiniā ulmum, ut idem ait, Tremellius Scropha ferre samerā, quod est semen huius arboris, falso est opinatus. nam rariorem sine dubio creat, idcirco pleriſq; sterilis uidetur, seminibus inter frondem, quam prima germinatione ædit, latentibus. Itaq; nemò iam serit ex samera sed ex solidis. Est autem ulmus longè procerior & lætior quàm nostras, frondemq; iucundiorem bubus præbet, qua cum assiduè pecus alueris, & postea generis alterius frondem dare institueris, fastidium bubus adfert. Itaq; agrum genere uno attiniæ ulmi conserendum probat Columella: sin minus fieri poterit, dabitur opera ut in ordinibus disponendis pari numero uernaculæ & attiniæ alternentur: ita semper mistis frondibus erit utendū, quasi hoc cōdimento illectæ pecudes fortius iusta cibariorum conficiant. Vlmus quòd iucundissimum

diſsimum pabulum bubus adfert uariſq; generibus ſoli prouenit, à pleriſq; referitur. Minus lætatur montoſis, uitem alit, eiusq; ſocietatem commodiſſimè patitur. Vlmus quam attiniam uocant ruſtici, generoſiſsima eſt & lætiſsima, multamq; frondem miniſtrat, eaq; maximè ferenda pinguibus locis uel etiam mediocribus. Capræ quidem & oues libenti/us hanc frondem appetunt. Ea ad recipiendum uitem formatur, alternis brachijs in modum ſcalarum relictis. Cum firma uidebitur, ab ipſo crure pedali intermiſſo ſpatio marita bitur uiti. Vlmi folia, cortex, rami, uim habent ſpiſſandi & uulnera contrahendi. Corticis interior tilia lepras ſedat, & folia ex aceto illita. Corticis denarij pondus potum in hemina aquæ frigidæ aluum purgat, pituitas & aquas priuatim trahit. Imponitur collectionibus lachryma, & uulneribus ambuſtiſq; decocto fouere prodeſt. Humor folliculis arboris huius naſcens cuti nitorem inducit, faciemq; gratiorem præſtat. Caulículi foliorum primi uino decocti tumores ſanant, extrahuntq; per fiſtulas. Folia, cortices, rami, ut Dioſcorides adfirmat, aſtrictoriam obtinent naturam. Folia ex aceto trita lepris efficaciter illinuntur, uulnera glutinant, ſed multo magis corticis tilia, ſi faſciæ loco deligetur. eſt enim uitilium modo ſequax lentusq;. Craſſioris corticis unciæ pondus in uino uel aqua frigida pituitas trahit. Fracta celeriter ſarcit decoctum foliorum corticis ue radicibus detracti, ſi crebro foueantur. Humor in folliculis prima germinis eruptione cuti illitus nitorem adfert, faciemq; ſplendidiorem reddit. Qui dum ſiccatur abit in animalia, quæ culicum formam gerunt. Folia cum tenereſcunt olerum modo ad eſus obſonantur.

Ziziphus. Cap. CXLV.

IZipha Papinius ex Africa nouiſsimis Auguſti temporibus primus inuexit in caſtris ſata, & aggeribus præcipuè decora: baccis ſimiliora quàm malis, & in tecta iam ſyluæ aſcendunt: flore oleæ, ſed odorato magis: baccis cornis ſimile pomum, quo amplius & maturius eo innocentius. Duplex ziziphi genus, ut Columellæ placet, rutilum & candidum: nam & rutilam & albam ziziphum probatiſsimã ad apũ paſtiones tradit. arbor malorũ generis, officinis omnib. iuiuba dicta. Zizipha grano ſeruntur. Locis calidis Aprili menſe ziziphum conſeremus. amat calida loca. Pangitur oſsibus & ſtipite & planta, creſcit tardiſsimè. Si plãtam ponis, Martio magis in terra molli: ſi oſsibus ſeras, in ſcrobe palmari, ita ut terna grana per ſcrobem cacuminibus ponantur inuerſis, quibus in imo & in ſummo infundatur lætamen, & cinis, & herbis adnaſcentibus manu planta liberetur erumpens. Cum pollicis ſoliditati ſimilis fuerit, transferatur in locum paſtinatum uel in ſcrobem. Terram dilígit non nimis lętam, ſed proximam tenui atq; ieiunæ. Per hyemem prodeſt illi ut circa caudicem lapidum cumulus aggeretur, qui æſtate debet auferri. Si arbor hæc triſtis eſt, ferrea ſtrigili ſub raſa hilarior fiet, uel ſi fimum bubulum radicibus modicè & frequenter adfundas. Zizipha collecta matura in longo uaſe fictili ſeruantur oblito, & loco ſicciore compoſito: uel recenter lecta poma ſi guttis uini ueteris perfundas, efficitur ne ea rugarum deformet attractio. Seruantur etiam deciſa cum ramis ſuis & fronde ſua inuoluta atq; ſuſpenſa. Prę feruntur è ziziphis ædeſina uocata ut quidam putauere, quamgrandiſsima, calore & humore temperata medicis monſtrantibus. ſerica ea uocat Galenus, parui ſucci poma, nec concoctioni nec ſtomacho facilia. Nanq;, ut idem teſtatur, inſolentibus, & effrenatis pueris, & mulieribus cibi gratia tantum expetuntur, exiguumq; præbent alimentũ. Pomum tamen quo fuerit grandius, & maturius, eo innocentius, cum alioqui difficile perficiatur & lienem offendat, itaq; decocto potius utendum cenſent. Calore et humore temperata tradit Aetius: ideo ſanguinis acrimoniam edomant. probũ ſuccum creant, ſeroſum ſanguinis humorem eliciunt. Decoctum eorum tuſſim & difficultatẽ ſpirandi lenit: pectori, renibus, ueſicæ prodeſt. Præſtãtiora ſunt maiora, cuiuſmodi quę ædeſina nominãtur. Vomitionem acri concitatã humore ſedant, uerũ ægrè coquũtur, & lienẽ lædunt. Eorum decoctũ ſalubrius propinatur.

IOANNIS RVELLII CANONICI PARISIENSIS ET MEDICI, DE NATVRA STIRPIVM LIBER SECVNDVS.

Iris Cap. I

MAXIMVM hinc naturę opus, arboribus iam expositis, aggrediemur, dicemusq; rerum surdarum ac sensu carentium ingenia, pacem, bellum, odia, amicitias q; : item appellationes, quibus officinæ, rura, medici nunc utantur, ne quis utilitate nominum deceptus in his hallucinetur: tantum uenia sit. A frumentis, oleribus, hortensibusq; rem ipsam auspicabimur, si prius tamen de salutaribus aliquot odoramētis, quæ pretiosis unguentis iaciunt fundamenta, ab iri exorsi differamus. Iris radice tantum commendatur, unguentis & medicinæ nascens. æstate floret, folio arūdinaceo, caulem emittit cubitalem, rectū, albucum prorsus æmulantem, sed minorem durioremq; . E rebus in unguenta ueniētibus aliquid inueniri in Europa præter irin negauit Theophrastus, quę laudatissima apud Illyrios exit, non maritimis, sed parte mediterranea septentrionibus obuersa, & ut Nicander author est, in sylueſtribus Drilonis ac Narone. Fossuri, ut idem memoriæ prodidit Theophrastus, tribus ante mensibus mulsa aqua circunfusa hoc ueluti placamento terræ blandiuntur. Circunscriptam mucrone gladio ue triplici cum legerint, protinus in cælum attollunt. Præcipitur ante omnia, ut casti eruant. Nullos cultus efflagitat, nisi quod ablaqueatam resiccare soleant. Leontinus prius iubet recentissimam tenuissimamq; seri plantulam, à Martio mense ad Aprilem usque. Teredines non sicca modo, uerum & in terra celerrimè sentit. Optima quæ tactu sternutamenta mouet. Iris duūm generum est, raphanitis à similitudine, quæ melior est: rhizotomos subrusa. Genus etiam unum eius Troglodyticum appellant, quæ dum estur, ut Aphricanus scriptum reliquit, os uinum non obolet, quamuis copiosius hausturn fuerit. nam iris mirum in modum os commendare cognoscitur ijs, quibus anima fœtet. Irin Dioscorides designauit folijs gladioli, maioribus duntaxat, latioribus atque pinguioribus. Flores summis caulibus paribus inter se spatijs erumpunt, mutuo inflexu recurui, diuersi coloris specie, candidi, pallentes, lutei, purpurei, cærulei, à qua uarietate cæleſtem arcum exprimente nomen inuenit. Radices fundit geniculatas, solidas, odoratas: quæ simul atque fuerunt recisæ, siccantur in umbra, mox filo transsutæ, pensiles reconduntur. Officinis suam appellationem retinuit: herbarij *cæleſte lilium* malunt uocare, rura nostra partim *flammam*, partim *glaiutum*, quasi dicas gladiolum, quòd folium in gladij speciem mucronatim exeat. Siquidem ea radicibus nititur torosis, odoratis, & geniculatis, quas apud nos adhuc exitu ueris terra erutas dissecant in orbes, & funiculo traiectas prius, lixiuo macerant ad exhauriendam succi uim, quo tinearum iniurijs, quibus adhuc hærentes sunt oportunæ, minus pateant: dein siccatas recondunt. Plericq; curatas ad hunc modum iris taleas armarijs indunt, ut suo perquam iucundo odore ueſtes commendēt. nec ijs præparandi ueterū usus exoleuit. Folia Theophrasto arundinacea, Dioscoridi gladioli faciem simulant, maiora tantum, latiora ac pinguiora. Caule recto sesquipedali, è cuius singulis fastigijs pari interuacante spatio flores emicant, inflexis mutuo foliorum labris, qui nitent uaria colorum mistura, instar cæleſtis arcus. Siquidem, quemadmodum aq uarius ille arcus, qui est imago malè expressi solis, caua nube recepta, uarios mentitur colores, sic ut cæruleas, uirides, luteas, purpureasq; lineas ducat: ita cauo calyculi sinu uersicolores lituras flores ostendunt, qua diuersa specie cæleſtem æmulantur arcum. Quemadmodum stilla aquæ radijs icta solis, rutilo aeris reflexu rudē aquarij arcus imaginē in proximos paries eiaculat: sic calathi floris concauū uersicolore linearū discursu, rudimēta quædā arcus cæleſtis exprimit. Falluntur, qui in toto floris ambitu huiusce modi uarietatem perquirāt,

cum

cum intersa foliorum labra uel cæruleus, uel purpureus semper colos inficit. Inuenitur apud nos frequẽter flos emaculati cãdoris, cuius radix cum Illyrica de odoris principatu tendit. Quòd si uires quibus donatur radix, libeat cõsulere, deprehendes, quæ à doctoribus traduntur, ad amussim respondere. Cum ergo tota Dioscoridis pictura huic, quã lilium uocant cæleste, suffragari cognoscatur, eã esse irin nemo ibit inficias. Sunt qui pudẽdo errore aliã assignent herbam recto, aliam casui paterno, ut iris ab ireos, tanquã purpureus color à niueo distingui putetur herbarijs. Verũ hec opinio anilibus nugis adnumerãda, nec digna quæ exibiletur, nedũ à pullatis & rudibus explodatur. Iris est cõcalfactoriorũ alterius ordinis, et resiccantiũ tertij. Aluũ soluit duabus drachmis cũ melle. uomitiones quoq; cit duobus obolis sumpta. Lentitiã humorũ digerit, excreationesq; reddit faciles. lienẽ extenuat ex aceto: tussim leuat, tormina, inflationesq; conuulsis, perfrictionibus & algoribus imponitur. Illinitur lũbis & coxẽdicibus ex resina. Naribus subdita, sternutamenta mouet, caputq; purgat. lachrymas elicit, somnũ conciliat, discutit crapulas, et orthopnœas: oris halitus cõmanducata abolet, alarũq; tædia, ac graue uirus earundẽ emendat. Cũ uino mẽses pellit. Decocto incõmoda fœminarũ fouẽtur: emollit enim locos, cõtractosq; corrigit. In dolore coxendicũ succus infunditur: fistulas, sinusq; replet. arida radix purgat ulcera. Ad paronychias farina eius utũtur, cũ uino ad clauos et uerrucas. Ossa fracta extrahit indita cũ melle, nudaq; carne cõuestit. subdita more collyrij ex melle partus elidit: duritias ueteres & strumas litu emollit: emaculat lentes, & uitia cutis in faciet doloribus capitis ex aceto & rosaceo linitur. Pituitam crassam & bilem, denarijs septem cum aqua mulsa potu detrahit.

Acorum. Cap. II.

ACorum iridis folia habet, radicesq; non dissimiles, implicatas, nec in rectum nec altum actas, sed cespite summo in obliquum tendẽtes, internodijs distinctas, albicantes, gustu acres, odore nõ ingratas. Plinius ei folia reddidit iridis, angustiora tantum, longiore pediculo, radices nigras minusq; neruosas: cætero & has similes iridis, gustu acres, odore non ingratas, ructu faciles. Ea quæ apud nos inuenitur, intus subrubet. Gallis nostris id genus est gladioli in palustribus nascens, folijs albicantibus, dorso obtusè cultellato, mucrone crasso & duro, feréque in effigiem gladij turbinato: radice obtorta geniculatáque & raua: flore aureo uel luteo, figura ab iri non multum discrepante: semine compresso, duro, odorato. Officinis nomẽ retinet, quę radices melle uel saccaro conditas seruant. Recentibus uirus maius quàm uetustis. Optimæ Ponticæ, dein Galaticæ, mox Creticæ: sed primæ in Colchide iuxta Phasim amnem, & ubicunque in aquosis. Creticę candidiores Ponticis. Siccantur utribus in umbra digitalibus frustis. Venereiam Apuleius uocauit, rarámque inuentu falsò prodidit, nec nisi cum flosculum emiserit, cognobilem: locis cultis, pratis, & hortis nascentem, legendam Augusto mense. Apes suspensa uasis earum herba examinibus non diffugere idem author scriptum reliquit, & inde piper apium uocatã. Acorum ab iride sic dissidet, quòd in foljs longitudo maior insit, color minus herbaceus, in summo acuminatior mucro. In floribus nõ ut in iride folia crassiori cohærent ungue: sed aliquo nixa pediculo propendent. neque flos uersicoloribus lituris interstinctus notatur, sed mero auri fulgore, uel colore luteo micat, semine spisso, glisccnte, non sine odoris gratia. Radicis tãtum est usus cuius succo caliginem oculorum discutiunt, lienosis medentur. decocti iure urinam impellunt: torminibus, ruptis, conuulsis subueniunt: stillicidijs urinæ, & uenenatorum morsibus auxiliantur. desiderijs fœminarum insessu succurrunt, compescunt lienis incrementa. Acorum tertiam calfacientium siccantiumq; sedem sibi uendicat, partiumq; tenuitate pollet cum purgandi detergẽdiq; facultate. Pectoris doloribus acorum subuenit, & ideò antidotis miscetur. Fœminarum morbis traditur utile. Medetur iocineri, thoraci quoq;, & præcordijs. lien eo poto consumitur. Radix in uino trita & illita testium tumores mire discutit. Duritias & collectiones omnes sanat decocto huius herbæ fouentibus. Contusis & euersis potatur in aqua mulsa. uitia omnia corporis emendat. Præcordijs & ilibus utilissima, sed inflationes & ructus gignit. Non desunt, qui acorum oxymyrsinæ radicem uocent, hanc uerò acorum syluestre. alij anagallidi eam communicauerunt.

Meu seu meon. Cap. III.

MEu quod Athamanticum cognominatur, in Macedonia & Hispania copiosissimum, caule, foliis anetho simile: uerum crassius, & interdum altitudine duum cubitorum adsurgens: radicibus sparsis, tenuibus, aliis in obliquum actis, quibusdam altissimis, odoratis: gustu calido, linguam accẽdente. Duo genera Plinius fecit. nobilius Athamanticum uocat tanquam ab Athamante inuentum, uel quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur, foliis aniso simile, & caule aliquando bicubitali, radicibus multis, & obnigricantibus, quibusdam altissimis. Alterũ rusius in Italia non nisi medicis seri solitũ, & ijs admodum paucis. Meu nostris officinis *anethum syluestre* hodie uocatur, ꝙ anethũ plane uideatur imitari foliis, & umbella, & caule, qui ferè binum cubitorũ altitudine attollitur, radicibus in obliquũ rectũq; sparsis, frequẽtibus, obnigris, & incuruis: unde quidã herbarij *tortuosum anethum* appellauerũt. nascitur in montibus & apricis. Calidũ est et siccum in altero ordine. Itaq; ciet urinã ex aqua potũ, radice trita uel decocta. item angustias uesicæ, & uitia renũ emendat. inflationes stomachi mirè discutit. item tormina, uuluarumq; noxas, fluxiones pectoris cum melle tritum illinctu sistit. Infantibus cum apio illitum imo uentri urinas mouet. largius sumptum caput tentat. Vinum, in quo efferbuerit, iocineris infarctus leuat. menses trahit insidentibus decocto. Sunt qui sedem foueant in tenesmo, in quem etiam usum farinam eius cum melle subigunt ad linctum.

Cyperus. Cap. IIII.

CYperus folia fert porraceis longiora, exiliora què: caulem magnitudine cubiti, nonunquam altiorem, anguloſum, odorato iunco simílem, in cuius cacumine minuta folia prodeunt, inter quæ semen resident. Tument radices oliuarum tuberculo inuicem commissæ, obnigræ, iucundè spirantes. Democritus cyperum tradidit aliquibus zeruam appellari, foliis porri nuper in lucem æditi, gracilibus, caulículo odorati iunci, tenuiore, semine milij sursum in panicula nutante: radice nigra, cohærentibus oliuis non dissimili, grato odoratu placente. Locis in quibus enascatur aquam aquilegibus quærendam idem subesse testatur. Plinius cyperũ iuncum esse tradit anguloſum, iuxta terram candidum, cacumine nigrum, pinguémque. Folia ima porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ semen est. Radicem oliuæ nigræ simílem, quam quum oblonga est, cyperida dicit uocari. nostrates officinæ *cyperum* adhuc hodie nominant: rura *foucheti* nomine norunt, quod lunio mense radicitus eruunt, digeruntq; stipites in manuales fasciculos, quos prius insolatos aceti imbre conspergunt, siccatósque frustatim tundunt, ut sua odoris gratia uestes interpositi commendent. Nanque souchetum hoc, iuncus est triangulus, paluſtribus emicans, cubitali & amplius proceritate, ab imo candicans, fastigio niger, carnoſusq; : foliis porro exilioribus, solidioribus : dorso aliquantum cultellato : paniculis in caulis cacumine dependentibus, inter quas semen occulitur : stirpibus tum longis, tum rotundis in oliuas inter se connexas extuberantibus ac inuicem perplexis, nigris, suauiter olentibus, gustu subamaris. Cum ergo tota soucheti pictura cyperi figuræ subscribat, idem haberi nemo inficias ibit. Quid tamen Plinio, Dioscoridiq; fuerit cyperis Indica herba, non facile fuerit ostendere, cum suo nomine nec officinis, nec herbarijs quibuscunque, sed quodam potius ascititio & uulgari noscatur. Est ergo in India huius nomenclaturæ radix, gingiberis effigie, quæ cõmanducata croci uim reddat. Cui psilothri uis tribuitur, quòd confestim detrahat pilos, nec aliud ab ijs authoribus memoriæ proditum est. Defertur ad nos ex India radix, quam officinæ *terram meritam* appellant. ea gingiberi permista sæpius inuenitur, & prorsus effigiẽ eius refert, manducatáq; magnã crocati liquoris uim reddere cognoscitur, pictoribus ideo optimè cognita, et ijs qui pro phaleris equorũ ęra poliunt. Siquidẽ inducta uerũ auri fulgorẽ mẽtitur, quare auri loco ad exornãdas ęneas laminas opifices utunt. Hãc itaq; Plinij cyperidẽ, siue Dioscoridis Indicũ cyperũ id esse, quod terrã meritã officinis appellari modo diximus, nõ ambigimus: cũ ex India cũ gingibere deferatur, cęterę q; dotes ei ab ijs auhoribus attributę respõdeãt, nec effectu reclamãte. Nanq; si libeat uim eius experiri, in uenies parteis pilosas ea perunctas cõfestim glabrescere, tã aperte pilos detrahit. Cyperũ priorem

priorem Cornelius Celsus iuncum quadratũ nominat: Dioscorides iunci radicẽ Latinis dici meminit, quod & Lucius Columella testatur. Theophrastus cyperũ inæquali radice deliniauit, partim crassa carnosaq́, partim gracili atq́ surculosa. Addidit hanc et in altum agi, ideò contumacẽ mori atq́ uelli: nasci è latere huius radiculã, unde cauliculus erũpat alius. Sunt qui censeant cyperũ hunc quẽ gladiolũ in Theophrasto Theodorus uertit, à Dioscoridis cypero dissidere. Verum nusquã à priori finitione posita superius inuenitur descisscere, immo Dioscoridis placita firmare. Siquidẽ eius radix magna inæqualitate notatur, ꝙ pars quędã crassa carnosaq́, quædã gracilis atq́ lignosa sit. Nõne uides radicis tenuitatẽ surculosam protinus in oliuaria tubercula uerticillari? nemo nisi ueritatis cæcus, id potest inficiari. Num è latere huius radiculę iaciũtur, unde caulis se promat ęqualis: deinde caro rursum in orbiculos glomeratur? Radices in altũ duci, euelli, moriq́ cõtumaces quis non uidet? Quòd si reliqua, quæ sparsim à Theophrasto tradũtur, prosequi libeat, in uenies huic nostro cypiro suffragari. Nam palustrẽ esse idẽ adfirmat author, caule enodi, folio arundinaceo, tam terrenis q̃ aquosis uliginosisq́ prodeũte: radice partim tenui, partim carnosa neruosaq́, quæ unguentis expetatur. quæ non de xiphio, id est gladiolo possunt audiri, cũ merito debeat unguẽtis abdicari, ut pote quæ uirus oleat, inde *spathulæ fœtidæ* nomẽ ei dederunt officinæ: nanq́ sua odoris grauitate lautiorũ unguentorũ gratiã aboleret. Vides ergò horũ dicta authorum in eandem herbã referri. Plinius alteri iudicio subscripsit, inquiens, Quidã unũ genus faciunt iunci trianguli, cyperũ uocãt, multi enim nõ distinguũt, uicinitate nominis fallente, nos distinguemus utrunq́. Cypirus est gladiolus, radice bulbosa, laudatissimus in insulis Creta, dein Naxo, et postea Phœnice. Cretico candor odorq́ uicinus nardo: Naxio acrior Phœnicio, exiguũ spirans: nullus Aegyptio, nã & ibi prouenit. Quod ad cypirũ pertinet, mirũ tradit Apollodorus, nõ egredi barbaros domibus, nisi ab hoc suffitu. uegetiores enim firmioresq́ sic fieri. Addit nidorem eius herbæ excipientes ore, lienes cõsumere. Ista tamen uidentur cyperi propria, cũ suffitionibus dedicetur, & domãdis unguentorũ oleis: nã ei odor est nardũ imitãs. quod in nardo Dioscorides fatetur, tradens nardum odore iucundo cyperũ æmulari. Hunc, ut arbitror, palustrem Mago secari iubet ad radicẽ, terti oc̃ die in sole siccari, donec cãdidus fiat: quo tidie autẽ ante solem occidentẽ in tectum referri quoniã palustribus dissectis nocturni rores officiant, quod hodie, ut supra tetigimus, nostri obseruant. Quæ uerò de radice tradit, magis uidentur ad gladiolum, quem xiphion appellant, pertinere: quæ bulbosa est, & ut alibi tradidit, ad nucis auellanæ figuram fimbriata. Rotũnda hæc est Theophrasto, capillamentis gethyi modo fibrata, gustu dulcis, quæ decocta panem gratiorem faciat, & farinæ subacta commendet: quanuis in eam frequentes scolopendras tradat cõuenire, ac ipsa delectari. Radix xiphij, id est gladioli, nec à Theophrasto, neque ab ipso Dioscoride, ne ab ipso quidem Plinio traditur odorata, quapropter fere suspicor dotes cyperi cum gladiolo confudisse, uagámque ijs & communem nomenclaturam Plinio imposuisse: sed de hoc inferius aliquid dicetur. Nõnulli distinctionis gratia cypirõ pro gladiolo, cyperon pro iunco triangulari uel quadrato malunt intelligere. Non desunt, qui pseudocyperon uocent gladiolũ, de quo Plinius semel, quod meminerim, tradidit, o cyssimã omniũ cyperum, & pseudocyperum. Frutex protinus (inquit) floret, semenq́ profert. Sed cum Theophrastus per, ω, diphthongũ κύπειρον scripserit, cum ad nos uenit, aliqui e, alij i, ex ea retinuerunt. Græci quandoq́ diphthongo, quandoq́ uocali breuem penultimã scriptitant. Cypirum tamen Theophrasti à cypero Dioscoridis nullo discrimine separari supra docuimus. Galenus & Paulus in simpliciũ censu, unius tantũ meminerũt, nõ alioquin omissuri, si aliqua diuersitate secernerentur. Nec Plinio gladiolus à cypero differt odore. nã gladiolo odor uicinus nardo, sed nullus Aegyptio cypero nardũ imitans, sed in Aegypto durissima uixq́ spirans, si natione uideantur aliquantum discrepare: nimirum cũ in gladiolo Plinius Apollodorum sequitur, in cypero Dioscoridem, alioscq́ Græcos. Quare cum mihi Græci omnes astipulentur, longè tutius fuerit unum genus facere, neque discernere aut distinguere in gladiolum qui cypirus dicatur, & cyperum. De angulis cyperi grauis inter authores discordia. Celsus quadrangulum iuncum uocauit, Plinius triangularem, Dioscorides anguloſum, qui medius inter eos litem uidetur diremisse, & utriusque histo-

riam

riam confirmasse. Est nō longè dissimilis radix, quæ uocatur officinis, recentioribusq; medicis *galanga*: quę surculosa, geniculis scatens, subrubra, & in quosdā nodos crassiores exinteruallis intorta, sapore acerrimo, linguā admodum uellicante, odore cyperum quadā tenus imitante: unde multi herbarū coniectores cyperum Babylonicum cognominarunt. Tertiā excalfacientiū sedē ei assignant. Deligi debet pōderosa, rubenti cortice, gustu perquam acri. Quæ uerò candicat, & pondere cedit, aut odore uacat, aut crebris scatet foraminibus, ac in puluerem fatiscit, improbatur. Sunt nebulones, qui intortis iunci radicibus in aceto piperato maceratis galangæ mētiantur acrimoniā: sed impostura detegitur, cortice derasō, qui hūc saporē ebiberat. nanq; interius tale nihil inuenietur resipere. Galanga calfacit, concoctionē stomachi iuuat, sinit dolores eiusdē, quos frigida caussa cōcitauerit: spiritus digerit cocta ex uino, Cerebrū roborat naribus indita: os cōmendat ijs, quibus anima grauiter olet. Ex succo plantaginis datur, quibus cor palpitās micat. Cœliacis, & coli doloribus noxio spiritu cōceptis auxiliatur. acidis subuenit ructibus. Huius apud recentiores medicos tam Græcos quàm Latinos magnus erupit usus. Præstantior est cyperi radix (nam hæc una commendatur) quo ponderosior, densior, asperior, crassior, miniméque fragilis, cum quadam acrimonia suauiter spirans, cuiusmodi est Cilicia, proximè Syriaca, mox quam insulæ cyclades mittunt, nouissimè Aegyptia. Laudatur quoque in nostro orbe Gallica, iucunda suauitate, quæ minutim concisa uestibus interponitur odoris gratia. Radix uuluas aperit potu, ciet urinam, pellit calculos, aquam intercutem extrahit, ob id hydropicis utilissima. Aduersus scorpionum ictus remedio est. Illinitur ulceribus quæ serpunt, sed ijs præcipua, quæ in ore depascunt, insparsa tusæ farina. Menstruos cursus morantes euocat. perfrictiones, & uuluæ contractiones utiliter fouet. Excalfacit & siccat altero abcessu. miscetur unguentis olei domandi gratia: item malagmatis, quibus corporis calfactio petitur.

Cardamomum. Cap. v.

CArdamomum (ut nomen arguit) frutex est amomo non dissimilis, odoratus, oblongo semine & angulosō: metitur eodem modo, quo amomum, & in Arabia. Aliqui, ut Theophrastus refert, è Media putant, alij ex India cū nardo & amomo, atq; plurimis id genus aduehi. Quatuor eius fastigia. uiridissimum ac pingue, acutis angulis, contumax frianti, quod maximè laudatur. Proximū è rufo candicās. Tertiū breuius atq; nigrius. Degenerat uarium, friabile, odorisq; angusti. quod uerius est, uicinius esse cosło debet. In ijs generibus deligendum est pertinax terenti, farctum, occlusum, odore nares feriens, gustu acri subamaroq;. quod tale non fuerit, intelligitur exoletū. Prima laus ei fuit quod ex Syria, Comagene, Armenia, & Bosphoro uehitur: proxima ei quod ex India & Arabia mittitur. Amomū unguentorum expetitur spissamētis. Recētiores Mauritani hoc cordumenū & sylueſtre caros, nō cardamomū interpollato nomine uocāt. Carda Persis appellatur, ex quo uocabulo & amomo, cardamomi nomē deflexū putari facilè possit. Cardamomi uerò uocabulo genus aliud intelligūt, in geminas digestū species, maioris & minoris discerniculo insignes. Maius alabastris rosæ corticeis tradūt, in quibus semina lentis magnitudine cōcipiuntur, angulosa, pinguia, odorata, suo mordaci gustu linguā uellicātia. Minus inuolucris seminū minoribus & siliquulis, cādida intus carne, minore odoris fragrātia, granulis obnigri ciceris amplitudine. His tēporibus tota seplasiarū caterua ad Mauritanos planè deficiēs, hoc duplicis fastigij amomo abutitur, pro eo, quod à Dioscoride & ueteribus Græcis perscribitur. Vnū ostendūt *amomū* appellātes, alterū uiribus prælatū, uulgo *malagreta* Hispanis, *melligreta* Italis, nostris officinis *grana paradisi* nominatur. Cardamomū Mauritanū, uel cordumenū, frutex cōsurgit cubitalis, caule quadrāgulo, & lateribus leniter striato, prodeūtibus geniculatim & surculis & frondibus, hortensi solano non dissimilibus, flore luteo, dependētibus ab alarū sinu rosarum alabastris crassiore pediculo nixis, in mucronē sensim turbinatis, per initia uirentibus, per maturitatem quàm ruberrimis, uetustate puniceis, cute læui relucente, quæ dehiscens aut aperta semina ostendit candida, lentis similitudine, in uuæ modum conuoluta, quæ uel per se uel cum ualuulis gustata linguam adeo uellicant, ut os etiam totum igneo feruore sentiatur deflagrare, tanta ineſt utrique comburendi licentia.

Grana

Grana cum deglubuntur callum demõſtrant pinguem, odoratum, guſtu cum quadã ſub ſtringentia mordaci. quod iam apud nos ſatũ, hac quã repræſentauimus forma prouenis ſe teſtamur, in ædibus quibuſdã. Sed hoc duplicis apud eos faſtigij: maius appellãt cuius ſemen lentis amplitudine grandeſcit, minus ciceris obnigri, in quo granum albũ ſit, uelli cante guſtu, utrunq; odoratum. minus intelligunt quod uulgo Italis *melligreta*, Gallis *granum paradiſi* dicitur, prælatũ uiribus. Herbã uulſam non hærentẽ uidimus hac forma: ſcapo ſtriato, foliis longis, in cuius culmine caput emicat papauerino lõgius, rugoſum, in forma pyri turbinatũ, & ex umbilico ſummatim foliatũ, in quo ſemina ciceris obnigri ſimilia iacent, intus cãdidiſſima, tenuibus membranulis diſcreta, intercurſante per inanitatẽ ſepto duriore, quadrifariam digeſto. Vidimus quoq; conſimilia grana, ſed aliquãto minora, in prælongis atq; teretibus alabaſtrulis concepta, quæ ad idem genus merito ſunt referẽda, cum nec cæteris mordaci guſtu cedant, nec figura quouiſmodo diſcrepent, alabaſtro tantum euariãte: qui in hoc teres, in illo turbinatior extuberat. Vtrunq; genus calfacit, roborat, diſcutit, ſtomachũ firmat qui imbecillitate tentetur. Iis auxiliũ adfert quos liquerit animus, maximè ſi cum ſiliquis & corticibus eius ebibatur ex maſtiche uel agalocho, aut cũ uinoſo punicorũ ſucco: ſed minus extenuat potẽtius, magiſq; concoctionẽ roborat. Pituitã quæ ad fauces & guttur decubuit, reſiccat, eamq; digerit quæ in ſtomacho hærẽs coijt. Piperis loco in condimẽtis apud quoſdã creber inualuit uſus, & iam culinæ gratã palato acrimoniã experiuntur. Nec ab re id eſſe putauerim, q̃ recẽtioribus Græcis capſicon appellatur, q̃ ſemina in ordinẽ digeſta, quibuſdam thecis inuoluentibus quaſi capſis congerãtur. Id Actuarius diſtẽdẽtes ſpiritus diſcutere, & crudítates cõcoquere prodidit. ideoq; dicatum cenſet capſicũ medicamẽtis, quibus cruditatũ coctio & flatuũ digeſtio queritur, cum pipere præſertim & gingibere: miſcetq; idem aſegapeno catapotijs, quę turgentibus ſpiritu netuis auxiliari, concitatãq; à recremẽtis humidis craſſisq; ualetudinẽ abigere cõtẽdit. Cardamomo uis feruẽs: ex aqua potũ comitialibus auxiliatur, prodeſt tuſſiculoſis, iſchiadicis, neruorũ reſolutionibus: ad cõuulſa, rupta, torminaq; bibitur: latiores uẽtris tineas pellit: renum morbis, urinæ difficultatibus auxilio eſt. Scorpionum, uenenatorumq; omnium ictibus aduerſatur. Sumptum denarij pondo cum cortice radicis lauri calculos rumpit. Suffitum enecat partus. Scabiem & impetigines ex aceto delet, id quod acceptũ fertur cuidam amaritudini, qua uermes perimat, & pſoras detergeat.

Nardum & ſpica eius. Cap. VI.

NArdum frutex eſt grauí & craſſa radice, ſed breui ac nigra, fragilíq;, quanuis pinguí, ſitum redolente ut cyperi, aſpero ſapore, folio paruo denſoq;. Cacumina in ariſtas ſe ſpargũt, ideo gemina dote nardi ſpicas & folia cõcelebrãt. In officinis nomẽ retinet: nanq; quod ab eis oſtẽditur, folio prodijt paruo dẽſoq;, cacumínibus in ariſtas ſpicatis, craſſa radice, breui, nigra, fragili, ſitũ redolente. Duo nardi genera ſtatuũtur. alterum Indicum nominatur, q̃ pars montis in quo legitur, in Indiam ſpectet: aliud Syriacum, non q̃ inibi naſcatur, ſed quòd pars eiuſdẽ mõtis, in quo metitur, in Syriam uergit. Syriacum melius, quo recentius atq; leuius eſt: item comoſum, colore rufo, odore uehemẽter iucundo, cyperumq; imitante, breui ſpica, ſapore amaro, maximeq; ſiccãte os. cuſtodit ſuaueolentiã pertinaciter. Alterum Indici genus apud Gangem fluuiũ naſcens, qui montem, in quo proſilit, ambitioſo lapſu perfluit, inde Gangetidis nomen duxit: languidũ uiribus, ut quod uliginoſo proueniat ſolo. proinde illam odoris gratiã exuit, ſic, ut ſuauitas madore retuſa diluatur, ſed iactura altitudine compenſatur: quippe q̃ Syriaco procerius adoleſcit, pluribus ab una radice fruticantibus ariſtis, una complicatis, & uirus olentibus. Odoratius, quod locis celſioribus emicat, breui ſpica, cyperum redolente, eiſdem omnino dotibus, quibus Syriacum. Damnatur in totũ ozenitidis nomine, uirulentum expirans odorem. hoc à grauí nariũ fœtore cõtraxit appellationem. Habetur Sampharitícum pumilo ſanequam frutice, gẽtilitium natalis, unde carpitur, ſoli nomẽ referens: candidum, ſpicis ingẽtibus, caule qui prorũpit è medio, hircinũ uirus ſpirante, quod in totũ reijcitur. Nardũ cõmendat & folio & ſpica, ſed ipſum uarijs modis impoſtores adulterant: pſeudonardo, de quo ſtatim dicemus: itẽ radicis permiſtura, ponderis, & gummi, ſpumaq; argenti, aut ſtibio, cyperi ue cortice, palmeoq; uino.

Item

Item elotum ab inſtitoribus uænundabatur, ſed fraus candore ſpicæ ſqualoreq; deprehẽditur. Vitium aliàs coarguitur, q natiua lanugine, qua prius pubeſcebat, ſit exutum. In uſu tamen lutum quod hæſerit radici, decutere ſolemus, & puluerem ipſum cribro ſuccre tum recondimus, eluendis manibus utilem. Syncerum quidem leuitate deprehenditur, & colore rufo, odoriſq; ſuauitate, & guſtu linguã ſiccante, ſapore iucundo. Verum odoris gratia omnibus maior recentibus. Nardo color qui inueterauerit nigriori melior. Indicum Syriaco præfert Galenus, proximè laudatum Syriacum. Flauius Arianus nardum Gange fluuio deuectum Gangicum uocat. Non deſunt, qui uſum nardi omnem abdicẽt, propter ancipitem ex ea medicinam, quòd nonnihil delibutorij ueneni uicem gerens, in nardo naſci tradant, ex quo piſon illud uulgo nominatum Indi conficiant, exitiale nõ potu modo, ſed in ſudore corporibus admotum, et ſi ab legulis purgari & elui curioſiſſimè moris ſit. Hoc à nonnullis eſſe putatur, quod à Dioſcoride Plinióque Pharicon, ab Atheneo Phariacum appellatur. argumento, quòd in guſtu ſylueſtre nardum reſipiat, & eius odorem prorſus imitetur, reſolutionemq; neruorum adferat, cum conuulſione & delirio. Huic tamen ueneno Gallicum nardum, aut nardi ſpicas aduerſari Dioſcorides prodidit. Commendatur nardum odore cyperi, quem referre ſi quis nares cõſulat, facile percipiet, & radicem ſitum olere. Principatus in unguentis nardo apud ueteres ſtetit. Plinius inuentam in Thracia nuper herbam refert, cuius folia nihil ab Indico nardo diſſentiant, radicu las etiã quaſdam odore nardum æmulari teſtatur. Sed res expoſtulat, ut de pſeudonardo diſſeramus, quod ubique naſcens fruticat, folio craſſiore, carnoſo, anguſto, colore languido in candidum uergente, frequentibus ſpicis in ariſtas ſparſis, floſculis purpureis. Gaudet apricis & petroſis, tanta ſuauitatis fragrantia, ut omneis flores odoris iucũditate prouocet, qua dote ueſtibus inſeritur. Duum cernitur generum. unum procerius adoleſcit, & maiorem ſpirat odorem. quod quia nõ minus quàm nardũ placet, ſibi ſpicæ nomen apud nos arrogauit, uulgus *aſpicum* appellat. Alterũ tum amplitudine, tum odore minus. quod quia balneis, & hominum lauacris expetitur, elotaq; omnia, ſi permiſceatur, odoris ſuauitate cõmendet, & *lauanda* uulgo uel *lauandula* cœpit nominari, cæterum ſimillima. Vtraq; perpetua coma caneſcit, exitu ueris, Iunio & Iulio menſe ſpicatur: tum cacumina manipulatim in ſcopas componuntur, & aliquãtum inſolata ſiccantur ad uarios odorum uſus. Vtroq; Narbonenſis prouincia, quantum audio, ſcatet, & montes & campi ueſtiuntur. In reliqua Gallia, in uinetis & hortis ſeritur, & auulſo ramo & uiuiradice. Vis ei calfactoria et reſiccans abceſſu ſecundo, tenuibuſq; conſtat particulis, nec multo à natura Celtici diſſidens. Hallucinãtur, qui Sampharíticum eſſe pſeudonardum arbitrentur, falſi quadam partium cognatione. Siquidem Sampharíticum pumilo cõſurgit frutice, grandibus ſpicis, candido caule, qui è medio proſilit, hircorum uirus expirante. Hoc loci cuiuſdam, unde nomen retulit, familiare, illud ubiq; naſcitur: hoc hircum olet, illud iucundo placet odore, ſic ut cum nardo de ſuauitate certet, hoc in totum damnatum reſpuitur. Item huic caulis è medio proſilit, illi firmior caudex emicat in multos brachiatus ramos, quorum cacumina per floris exortum in prælongas exeunt ſpicas. in hoc tamen ſocietatem inuenit, quòd utrunque grandibus luxuriat ſpicis. Nardo uis excalfacere, ſiccare. Vrinas mouet: quo fit, ut aluum ſiſtat repercuſſo liquore. Abundãtias fœminarum, ſanioſamq; colluuiẽ appoſitu cohibet. In nauſea bibitur ex frigida. Inflationibus ſtomachi, iocineroſis, reni bus, & morbo regio laborantibus ſubuenit. Decoctũ in aqua uuluæ inflãmationes inſidẽtium fouet. Pilorum defluuia in genis coercet, quando iacturã reſarciat, eoſq; cõſtringendo firmet. Tritæ farina humectis corporibus inſpergitur, additur in antidota.

Nardum Gallicum. Cap. VII

NArdum Gallicum, ſiue ut græci nominant Celticum, puſillus frutex cum radice uellitur, & in manuales faſciculos digeritur. Folia ei longiuſcula, flauescentia: flos luteus. uſus in caule atque radicibus. Plinius cum radice uelli tradit, abluiq; uino, ſiccari in umbra, allígariq; faſciculis in charta. Quod nũc ab officinis demonſtratur, hac forma uiſitur. Folio lõgo anguſtoq;. Florem qui legerunt, luteum eſſe prædicant. Vulſam herbam, non hærentem uidimus, tanquam flaueſcẽtem ſpicam, multis aceribus & paleis parte ima, qua radices iacit, obſitam: odore gratiſſimo

gratiſſimo, Indico non cedenti. Tam radiculæ, quàm ſpicatus cauliculus ſuauiſſimum ſpirant odorem, ſic ut reliqua nardi genera odoris fragrantia prouocet. paleæ nõ tam iucundum efflant odorem. Vellitur à legulis cũ radicibus, indicio, quòd adhuc hærere conſpiciuntur: quæ ſi digitis frientur, ſuauitate nares implent. Et ſi natales eius conſulantur, inuenietur in Iſtria, & Liguriæ Alpibus erui. Sed pridie quàm repurgarent, manipulos aqua cõſpergebant, & humenti pauimento charta prius inſtrato componebant: poſtridie eius diei terrenũ, & hærentẽ ſpurcitiam eximebãt: ita quiſquiliæ, aceroſum, & alienũ omne, ab eo quod erat frugi ſyncerumq́, madoris beneficio quæſita puritate ſecernebãtur. Cũ Gallico nardo ſemper naſcitur herba, quę hirculus uocatur à grauitate odoris & ſimilitudine qua maximè adulteratur. Diſtat q́ ſine cauliculo eſt, & cãdidior, minoribus foliis: quodq́ radicis neq́ amaræ, neq́ odoratæ. quare diſtinctio perquã facilis habetur. Sunt qui in uino terant, & in paſtillos defingant. Alij, ne ſuaueolentiæ faciant iacturã, in figlinũ opercu lo diligẽter iniecto componũt, ne odor euaneſcat. Optimũ recentiſſimũ quodq́ & odoratiſſimum, radice multiplici, plena, nec fragili. Laudatur in orbe noſtro poſt Syriacũ, quippe quod Syriaco leuius ſit, neq́ multũ ab Indico differens. Verũ quum omnes deliniationis huius notæ uideantur huic fauere, nec alia inueniatur, quæ tãtum odorem fundat, hãc eſſe & Celticum & Gallicum nardum putauerimus: quod & Dioſcorides uernacula indigenarum appellatione ſaliuncam dici tradit. Verum hoc nomẽ iandudum uenerat in Latium, quum Virgilius in bucolico carmine meminerit, huius canens breuitatem,

Puniceis humilis cedit ſaliunca roſetis.

Hanc priuatim depinxit Plinius. Saliunca folioſa quidem eſt, ſed breuis, & quæ necti non poſſit. radici numeroſæ cohæret, herba uerius quàm flos, denſa ueluti manu preſſa, breuiterq́ ceſpes ſui generis. Pannonia gignit hanc & Norica, Alpiumq́ aprica, urbium Eporedia, tantę ſuauitatis, ut metallum eſſe cœperit. Veſtibus interponi eam gratiſſimum. Saliuncæ radicem decoctã ſiſtere uomitiones, & corroborare ſtomachũ idem prodidit: quæ omnia Gallico nardo ſuffragari cõſtat. Nanq́ ceſpes ſui generis eſt, nec ab humo ſe attollens, argumẽto, q́ è caudiculo radiculas iaciat, quibus terræ cohęreat, ſed adeo breueis, ut in coronas necti minimè poſſit. Herba eſt denſa & ueluti compreſſa, cuius cauliculus frequentibus foliis ſtipatur, tantæ ſuauitatis, ut uectigal eſſe cœperit: quare ueſtibus interponi gratiſſimum. Gignitur quoq́ Alpium apricis, ut Dioſcorides teſtatur, à ruſticis inibi, & Alpinis populis ſaliunca uocabatur, quod nomen in alias nationes ob odoris gratiam inito cõmercio manauit. Sed nõ ideò debet erroris Plinius inſimulari, quòd de herba eadem diuerſos authores ſequutus, uarijs nomenclaturis & duodecimo, & uiceſimoprimo uolumine tractauit, præſertim quum ſcripta ſua multis authoribus accepta ferantur, quæ non pugnare quouis modo, ſed poſteriora diſſidentibus tantum uocabulis priora firmare cõſpiciuntur. nanq́ & claſſici ſcriptores perſępe rem eandẽ uarijs appellationibus proſequũtur. Subſcribũt iudicio noſtro uiri doctrina & ingenio celebres, qui de medicina bene meriti permulta priſtinæ ſyncerităti reſtituerunt. Qui in contraria ſunt opinione, cauſantur ſaliuncæ notas Celticæ nardo nõ reſpondere: quũ ex hiſtoria Dioſcoridis, nardus oblongis ſit foliis, luteo colore floreat, & in caules erigatur: ſaliunca folioſa quidẽ ſit, ſed tã breuis, ut coronamentis inſeri nõ poſſit, herba uerius q́ flos et ceſpes ſui generis. Illa in Liguriæ Alpibus, hęc in Pannonia & Noricis naſcitur. Sed oculati teſtes oſtendũt, nardũ Celticam folioſum eſſe ceſpitem, breuem, humiq́ procumbere: in Alpium apricis inueniri & Norica, quæ non longè abeſt. quid ſi quoq́ Pannonia mittat? Sed nemo, niſi caliget animus, & apertè cæcutiat, has deliniationes pugnare, imò obortam quannis diuerſitatis ſuſpicionem omnino diluere cõtendet. Longè magis à ueritate deficiunt herbarij, qui pro Celtica nardo, quũ cõſuluntur, herbã ſpicati floris, colore purpureo naſcentẽ ubiq́ proferant, quæ falſa quadã odoris imitatione, pſeudonardi nomen impetrauit: tantũq́ abeſt, ut nardus Celtica ſit, ut nihil omnino notarum ei cõuenire putetur. Siquidem Celtica breuis & exigua eſt, pſeudonardus in ſurculoſum fruticem exurgit. folia illius flaueſcunt, huius candore quodam caneſcunt: illa flore luteo nitet, hæc purpureo rutilat: illa radicitus uellitur, huius tonſilis ſpicarum coma per æſtatem legitur, & in manuales ſcopas, longáque muſcaria cõponitur. Dioſcorides pſeudonardum ſilentio prætermiſit: niſi quis Sam-

pharitici appellatione, de quo supra diximus, comprehendi putet. Verum Plinius eam non reliquit intactam. Neque prætereundum duximus unguem odoratum, qui Græcis onyx nominatur. Operculum conchylij est, quale in purpura uisitur, in Indiæ paludibus inuentum, ubi regio nardifera est. Iucundum ideò odorem sibi adsciscit, quòd nardi fruticem inibi pascatur, legiturq; è lacunis exhausto solibus humore: paluſtria resiccantur. Prima tamen authoritas à rubro mari deuectis, colore subcandido. nígricant Babylonij. Vtrique suauis odor inest, castorium quadam tenus imitans. Locosas mulieres, & uteri strangulatu concidentes, quum suffiuntur, exuscitant, comitialesq;. ostracium nonnulli nominant. Onychem Paulus testam uocari dicit conchylij duntaxat Indici. pressas uuluę strangulatu fœminas, comitialesq; reuocare, uentrem turbare contendit. Cęterum Actuarius, quantum equidem inuenerim, primus blattas bizantis, & blattia bizantia onyches appellauit, quem recentiores medici & officinæ sequutæ *blattæ bizantiæ* nomen usurparũt. Nam ea ætate qua scribebat, blattam, purpuram Indicam: & blatteum, purpureum colorem periti etiam authores appellarunt. Eutropius Neronem tanta luxuria fuisse tradit, ut Caligulæ exemplo frigidis & calidis lauaretur unguentis: hamis aureis argenteisq; piscaretur, qui blatteis funibus extrahebantur, quos Orosius purpureos interpretatur. Luxuriæ tam effrenatæ fuit Nero, ut retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur. Suetonius eundem piscatum tradit reti aurato, purpura coccoq; funibus nexis. Quod hactenus Galli nomen *blauei* pro blatteo retinuerũt, coloris genus satis dilutę purpuræ, nec quouis modo saturatæ, ad cæruleũ aliquatenus accedẽtis. Sed gentilitiũ cognomen bizantarum blattæ retulerunt, q̃ ad eos forsitan Indi demittant, & hinc ad nos deferantur. Est & genus nardi mõtani, quod aliqui tylacitin, alij nerin appellant, Galenus pyritin. In Syria Ciliciaq; nascitur, ramulis & folio eryngij, minoribus tantũ, neq; scabris & aculeatis, sine caule, sine flore, sine semine: radice nigra, duobus aut pluribus hastulæ regiæ bulbis, gracilioribus minoribusq; multo, suauiter olẽtibus, eiusdẽ naturæ cuius Gallicum. Sed Dioscorides in Græcis codicibus à seipso dissidere uidetur, idq; uitium obstrepit, ut prima pars cum ultima omnino pugnet. nanq; folia & caules eryngio similes fecit: mox nõ procul in calce, neq; florẽ neq; semen ferre tradidit. ita quod in fronte capitis adfirmet, statim in exitu inficietur. Porrò uocũ uicinitas librarijs parum diligentibus impo/suit, καύλους pro κλάδους scriptitantibus. Non enim est simile ueri, tam oculatum authorẽ, qui diligentissimè hanc naturæ partẽ tractauit, ueluti sui immemorẽ adeò turpiter fuisse lapsum. Subscribunt opinioni nostræ uetustissimi quiq; scriptores, qui ex alijs linguis ad nos redeũtes, Dioscoridẽ citant in testẽ. Sed hoc fuerit minutius, q̃ ut studiosum lectorẽ debeat remorari. Optimũ, quod recentissimum, & suauissimo odore fragrans, radice multiplici, plena, nec fragili. Eosdẽ effectus exibet quos Syriacũ: nisi quòd urinã acrius ciet, utilius stomacho, uellicationes eius discutiens. Aduersus serpentes duabus drachmis in uino succurrit: item inflammationibus iocineris, suffusisq; felle, si cum absinthij decocto bibatur: eodem modo uesicæ morbis ac renum. Sistit purgationes mulierum, & abundãtias cohibet. Aquæ subtercutem fusæ prodest, lieniscq; duritias emollit. Calfacit in abscessu primo, & exiccat in altero. Montani natura ad eadem efficax.

Asarum. Cap. VIII.

NArdi uim habet asarum, & ideo ipsum aliqui nardum syluestre appellant. Est autem, ut Plinio placet, hederæ foljs, rotũdioribus tantũ mollioribusq;, flore purpureo, radice Gallici nardi, semen acinosum saporis calidi ac uinosi. mõtibus in umbrosis, bis anno floret. Optimũ in Põto, proximũ in Phrygia, tertiũ in Illyrico. Foditur, quũ folia mittere incipit, & in sole siccatur, celerrimè situm trahẽs ac senescens. Dioscorides hac pingit forma, Asarum quod aliquibus nardum uocatur syluestre, alijs rusticũ, Romanis perpensa, herba odorata est, hederæ foljs, uerum multo minoribus rotundioribusq;: flore inter folia iuxta radicem erumpente, purpureo, bene olente, cytino apollinaris herbę (quã appellant hyoscyamũ) simili, in quibus semen acinosum, angulatis cauliculis, subasperis ac solutis. Radices multæ spargũtur geniculatæ, tenues, obliquæ, similes gramini, graciliores multo & odoratæ. Gaudet macris & sitientibus locis. Officinis hodie nomen retinet. Gallicũ uulgus *asarum, baccaram*

uel

uel *cabaram* uocat, quod etiam Dioscoridi dicitur à Gallis baccar uocari, studioseq; multis in hortis seruatur. nam foliis hederæ conspicitur, rotundioribus tantũ & mollioribus: flore iuxta radicem purpureo, cytino apollinaris herbæ non dissimili: radicibus numerosis, tenuibus, gramini proximis, sed gracilioribus et odoratis, atq; in anfractum nodosis. asperum siccumq; solum amat. Inde legitur quũ frondescit, situm extẽplo contrahẽs, ni statim in umbra siccetur. Quod ad seminis rationẽ pertinet, res est cõtrouersa, & cõtentionis inter scriptores plena: nã Plinius semẽ acinosum, & ut quidã legunt uenosum, statuit, quòd forsitã acinaticia specie, prominẽtibus uenarũ torulis, acuminatoq; uertice spectetur. Sed quis non rideret Plinium, si semen acinosum protulisset, deinde calidi saporis ac uenosi: quasi sapor aliquis sit uenosus, ut legit Marcellus, & quæ ad deliniamẽta pertinent, cum sapore confestim miscuerit. Verum facilè sensus hanc diluet discordiam, si lingua consulatur. Semen asari mansum planè uinum resipiet, & os prępotentis uini sapore complebit. non ergo uenosum, sed uinosum, quum de sapore, nõ de forma iam subderetur, intelligẽdum est. Sed Marcellus, dum ea, quæ (ut sua fert opinio) mala coaluerant insitione, separat, & diligẽtissimè hortos medicinæ noxijs & inutilibus herbis uelut erroribus expiat, urticis, sentibus, & spinis, neq; nõ echinatis captionibus lætos & uberes medicinæ cãpos refercit. Quis putaret Dioscoridẽ ignotã herbarũ faciẽ, clarioribus et uulgo notis designationibus, semper quasi petita ab euidentioribus demõstratione declarantẽ, in duabus proximis herbis nobis quibusdã uerborũ inuolucris turpiter imponere, ita ut caulẽ & caulículũ Latinis, & καύλου & καύλια Græcis in pugnãtes sensus detorqueat: de quibus inter omnes cõuenit, id esse quod simplex supra terrã adsurgit, & in styli modũ à radice sursum prorepit? Sic Theophrastus, ut describendis stirpibus fundamenta iaceret, partibus herbarum finitiones proposuit, quibus citra cõtrouersiam in toto opere esset utendum: easq; herbas tantũ caules fundere, quæ semen aut fructũ ædãt, nulli dubium est. Caulis enim seminis gratia promitur. Is author tamen Dioscorides præter cõmunem in plantis usurpationem, cuspides & cacumina, quæ semen asari profert, hic intellexerit, quasi uocabulorũ indigo non aliud occurrisse potuerit, quod acumini exprimendo faceret satis. Num tam inops uerborum Græcia, quę nominum copia, & fingendis nouis felix à Quintiliano traditur, ut uno ferè momento & caulẽ pro thyrso, & pro ferramẽto mucronato in extremo hastili, in quod cuspis inseratur, usurpasse coactus sit? De hac re ad literatores græcos sui similes, nõ Theophrastum & herbarum scriptores retulit. Nec me fugiebat ita Hesychiũ tradidisse. Verum quum Dioscorides iam de semine agens, nullam caulículi fecisset mentionem, sine quo semen, nec etiam flos prodire non potest, seminisq; & floris habitum ostenderit, caulículorum meminisse fuit opus, in quibus & flos & semen erũperent. Nanq; herbæ tantũ caules fundunt, quæ semen aut fructum (ut Theophrastus est author) ædũt. Quare quum Dioscorides florem inter folia erumpere, et excusso flore semẽ emicare prodiderit, quod sine caulículo fieri nõ potuit: subiunxit caulículos quibus acinaticia specie semen fulcitur, esse subasperos, & solutos uel molles, quod ad foliorum & pediculorum discrimen subnectit. Nanq; pediculi & folia summo nitent læuore, ut nullam in eis asperitudinem tactus sentiat. Styli illi qui è radicibus inter folia prosiliunt, strijs quibusdã & angulis leniter exasperati, quadam teneritate mollescunt, neq; diu seruant ut folia firmitudinem, sed pauco tempore uelut languidi flaccent, & euanidi caduco semine marcescunt. Sed cur cæteros Dioscoridis interpretes Marcellus nolens appellet, profecto non uideo. qui (ut refert) caulículos asperos & molles contrario inter se, et ob id simul impossibili (ut eius uerbis utar) habitu protulerunt. Scimus durũ opponi molli, & læue aspero: sed asperum molli nequaquam. Num dura permulta æquabili lęuore poliuntur: permulta quoq; dura scabritijs & asperitudinibus horrent? num mollia multa æquabili læuitate nitent? nũ permulta mollia strijs, bullis, neruis, tuberibus, alijsq; puluinorũ toris exasperantur? quo nihil in hoc authore frequẽtius occurrit. Quare nemo qui philosophorũ placita calleat, ea ut pugnantia carperet: sed ut cõuenientia, & quę nostris quotidie sensibus sese ferant obuiam. nihil tamen durũ & molle simul inuenitur. Ergo perpulchrè, sed parũ ad rem dixisset Marcellus, caulículos illos molles uel laxos strijs uel angulis exasperatos, semine perinde quasi mucrone turbinari. Sed quum spicula sua, & tela uel missilia exacuit, ut in nos

torqueat & immerito iaculetur, monstrũ longè difformius parit, flores uasculis apollinaris herbę similes asserens, quo nihil fuerat absurdius, & à ueritate magis abhorrens. Nam flos in asaro siquis oculos cõsulat, ex paruulo alabastrulo paulatim dehiscẽs panditur, nõ secus atq; in flore herbę apollinaris, quã uocant hyoscyamũ, paulatim ex imo calyculo foliis purpureis sese in latũ explicãtibus. Verũ in uasculo seminis capaci cõtrariũ uisitur. siquidẽ hoc capitulũ papaueris imitatur, parte superiore uelut operculo clausum, denticulatoq; uallatũ ambitu. Cæterũ satis errorẽ explodit Dioscorides de apollinari tractãs, qui florẽ specie cytinorũ punici prodire tradit. Cytinus itaq; Dioscoridi flos est punici inuolucrum, siue capitulum, quo flore decusso semen cõcipitur. nam, ut idẽ testatur, mali punicæ flos cytinus Græcis dicitur. Sed non satis possum mirari Marcellum qui suis humeris nutantẽ hanc herbarũ historiã non aliter q̃ Atlas cælum fulcire uidetur, in re tã clara cæcutiuisse. Sed hoc parũ esset, nisi Plutarchi locũ uertens pro cypro, id est ligustro, manifestissimo errore cyperũ transtulerit, florẽ ei reddens coronis inserendum, cui Dioscorides nullũ tribuit, sed folia minuta inter quæ semen est. Si nullus inueniatur, quomodo in coronamẽta necti posset? quomodo etiã somnũ ut uiola & rosa accerseret, si cacumina quoq; cyperi foliata nullo placeãt odore? sed is error in baccaris mentione refellitur. Porrò cum hac parte medicinæ quæ simplicibus pugnat, præclarè fuisset actum, si soli de ea differuissent artifices. Non ignorandum tamen est asarum omnino aliud esse, q̃ baccarem: et si Plinius baccarem rusticum nardũ uoluerit appellari, etiã si medicinas, quas Dioscorides asaro dicauit, ipse magna ex parte baccari retulit acceptas. Cõtra quoq; descriptio à Dioscoride facta multis partibus baccari cõgruit. Primum quòd ei odor cinamomo uicinus redditur ut asaro: deinde quum gracili nec humente solo prouenit ut asarum. Verum quum multa quarundam partiũ germanitate persæpe confundantur, si uetusti consulantur authores, qui de asaro tractãtes Dioscoridẽ citant in testem, inuenientur permulta huic capiti hærere, quæ ad baccarem releganda essent. Nam quantum pertinet ad radicem, iucundum spirare odorem tradunt: sed si ea de re ad iudicem sensum referatur, inuenietur nardum potius asarum olere, quàm cinamomum, & ob id rustici nardi appellationem usurpauit. Quòd uero coronamentariã esse herbam asarum Dioscorides tradiderit, id baccari potius conuenire putatur, quã Plutarchus in Symposiacis, coronis esse dicatam contendit. Asarum radice cõmendatur, ruptis, cõuulsis, spirandi difficultatibus salutare. tussi ueteri, & quibus lotiũ ægrè it, suspirioslq; auxiliatur. Foliis astringendi natura. Illinũtur doloribus capitis, oculorũ epiphoris, ægilopijs incipientibus, mammis tumentibus à partu, ignibus sacris. odor somnum accersit. De asaro Crateias herbarius ita proditum reliquit, Asarum excalfactoriam sortitur naturam, urinis immundis efficaciter datur. hydropicis prodest, & ischiadicis diuturnis. fœminas purgat in mulso mixto sumpta sex drachmis radix. aluum deijcit elleborí albi modo. miscetur unguẽtis. Nascitur umbrosis mõtibus plurimum in Ponto, Phrygia, Illyrico, & in Italiæ Iustina.

Phu. Cap. IX.

PHu, quod aliqui nardum Creticum uocant, folio est olusatri, caule cubitali, geniculato, in purpura albicante: radice obliqua uillosaq; & imitante (ut Plinius est author) auium pedes. Phu Dioscoridi, quidam & hanc sylueſtre nardum appellant, nascens in Ponto, folio elaphoboſci, siue etiam olusatri: caule cubitali, interim maiore, læui, in purpura candicãte, cauo, geniculato: flore narcissi, sed ampliusculo, molli, in purpuram albicante: radice primori digitum minimum crassa, cæterum in obliquum uillosa: capillamentis iunci odorati, aut nigri ueratri modo fibrata, quibus color ineſt subflauus, odor iucundus, & nardi uim referens, non sine grauitate quadam uirosa. Prouenit in Creta, & Ponto: in Gallia uerò studiosè colitur in hortis. Huius tempestatis herbarij *ualerianam maiorem* nominant, nonnusquam rura *uertentretum*: quippe quum adolescat caule sesquipedali, concauo, articulato, ex purpura candicante, folio olusatri, lacteo narcissi effigie flosculo, per medium leniter purpurascente: radice obliqua, uillosa, suppingui, fibris ueratri nigri modo capillata, nardi odorem imitantibus cum nonnulla grauitate. effoditur æstate, siccaturq; in sole. Siquis nares consulat, comperiet capillamenta odoris suauitate cum nardo certare. Sed hoc unum in Gallico

lico phu me torquet, quòd flores, qui in cacuminibus aceruatim emicant, longè narcisso magnitudine cedant: quanuis tamẽ narcissi certã exprimant effigiem. Quapropter apud me non facessit suspicio, quin in Græcis codicibus νόσους pro μείζους legi debeat, quum reliqua omnia sic ad amussim respõdeant, ut prorsus nulla dissentire nota cognoscãtur. nisi quis putet Dioscoridẽ Ponti phu dũtaxat delineare, ubi fauẽtis cæli beneficio & ubertate soli maiusculis floribus comari credatur. Sed in nostro orbe aliud ualerianæ genus, minoris cognomine mõstratur, lucis & cęduis syluis familiare: sed forma longè dissimili, nanq; ieiunis & sitientibus locis multo minor cubito consurgit, quanuis lætioribus nonnunquam id æquare comperiatur. Cuius caulis inter prima uitæ rudimẽta molli lanugine pubet, geniculatus, læui purpura candicans, aliquantũ striatus. folia quadam tenus olusatri similitudinem referunt. flosculi summis caulibus emergentes paruuli, aceru atimq; coeuntes in purpuram candicant. Sed radix non ut prior ex obliquo capillamenta iacit: uerum in multas plexiles fibras cõglomeratur. Odor ei pinguis, irin cum grauitate potius quàm nardum subolens. Priori caules multa lanugine horrent, multisq; strijs exasperantur. Flores in exiles descíscunt pappos, alabastrulo semẽ concipiente. Folia primo partu elaphoboscí simulãt imaginẽ, postmodũ per adolescentiam in olusatri modum laciniantur. Non desunt, qui è Græcis codicibus uertentes, elleborum pro elaphoboscо legere maluerint. Phu nonnunquam adulteratur permistis ruscí radicibus: sed discrimen est in promptu. quòd illæ asperæ, nec difficiles frãgi, nec odoratæ. Excalfacit, urinam mouet, impetus muliebrium purgationum infrenat radice potui data uel decocta, quomodo & strãgulationibus uuluarum succurrit, pectorisq; & laterum doloribus. menses quoq; cit. In reliquum uis illi eadem, quæ nardo: sed imbecillior. additur in antidota.

Malobathrum. Cap. x.

Malobathrum sunt qui folium Indici nardi putẽt esse, falsi quadam odorum cognatione: quum & alia sint permulta, quæ uim nardi reddunt, ut phu, asarum, & neris. Proinde sui generis est folium, quod in paludibus Indiæ genitum, aquis innatat palustris lenticulæ modo, nulla fultum radice: sed lectũ protinus pertũditur, linoq; transutũ, ubi fuerit resiccatum, reconditur. Tradunt exustis æstiuo feruore paludibus, humum cremijs sarmentisq; peruri, folio non alio qui prouenturo, nisi id tentaretur. Plinius malobathron Syriæ uocat arborem conuoluta fronde, aridi coloris, ex qua exprimitur oleũ ad unguẽta. fertiliorem dat Aegyptus. Laudatius malobathrum ex India uenit. in paludibus inibi gigni tradunt lentis modo, odoratius croco, nigricans, scabrumq;, quodã salis gustu. Minus probatur cãdidum, celerrimè situm in uetustate sentit. Sapor eius nardo similis esse debet sub lingua. Odor in uino sufferuefacti antecedit alios. Dioscorides laudat recens, fractu contumax, in nigritia candicans, solidũ integrumq;: odore qui nares feriat, summotoq; eo suauitate diutius impleat, quòd odore nardũ imitetur, nullo salis sapore uel gustu. Damnatur infirmum, quòdq; frigidum fatiscit in puluerẽ, & carioſum expirat halitũ. Si hæc uera sunt, malobathri gemina cõditio. Alterũ palustre Dioscoridi, quod lenticulæ in modũ existit aquis. Alterũ Plinio ex arbore Syriaca lectũ. Medici nũc nec primũ, nec secundum, quũ forte nõ amplius deferatur, sed tertiũ malobathri genus nouere, Mauritanis suis *tembulum* appellatũ. Cuius surculi cum folio, quale arbuti uel lauri est, pollicares plerunq; ad nos ferantur, fructusq; laurinis baccis simillimus. Omnia tria genera folij appellatione consueuerunt uenire. Nã Plutarchus in eo libello cui titulũ fecit, φ bruta ratione utantur, odoramẽta quædã numerans, cinamomũ, nardum, Arabicum calamum & folium subdidit: à quo Martiali, & plerisque Græcis & Latinis authoribus foliatum pro malobathrino unguẽtum uenit usum: quãuis ob odoris similitudinẽ aliquibus idẽ fuisse cum nardino creditum sit. Sed alterũ Indicum, φ India ipsum mitteret: alterũ Syriacum, φ ex arbore uulsum à Syria deportaretur. inde foliatum fiebat unguentum, quo fœminas locupletes oblini Romæ solitas Galenus author est. Græci phyllon, hoc est folium nominant. Atqui ne fallaris, quod officinæ folium nominant Indicum, cinamomi non malobathri dicunt esse comam. profecto id quidem sub lingua cinamomi refert saporẽ, folio iuglandis flauo, uenisq; tribus maiusculis uirgato. Porrò de sapore malobathri nõ satis inter Dioscoridẽ & Plinium cõuenit, φ alter ma-

lobathrum probari ſcribit quodam ſalis guſtu: alter inſulſo ſapore. Cæterum ut Flauius Arianus in maritimarum urbiũ luſtratione ad Imperatorẽ Adrianũ ſcripſit, aduerſa parte Ponti & maris Caſpij, qua Mæotis palus hoſtio in Oceanum deuoluitur, quotannis quædam hominum natio in finitimos ſe cõfert tractus Thinos oppidi, quod ſub minore Vrſa ſitum iacet. Ea gens mutilo cõſtat corpore, lata facie, robore uirium inſigni, quæ graues ſarcinas, ſtragula, faſces geſtans ad uicina municipij huius loca migrat, inibiq; moram trahens diebus aliquot deprædatur. Dein ad intima ſe recipiens, è calamis qui petri dicuntur, cubitus ſibi ſternit. Cumq; ſolum uertit ad peculiares caſas remeatura, dimiſſos inibi ſtratus accolæ non ignari colligunt, foliáque neruis caſtratarum arundinum diſſecant, duplicatisq; ſegminibus in orbem circinantes cogunt: demũ ex uberioribus malobathrum quod adroſphæron dicitur, è mediocribus meſoſphæron, è minuſculis micro ſpheron effingunt, qui genera hæc tria deuehunt ad Indos. Malobathrum calidum eſt in altero, ſiccum in tertio abſceſſu, partiumq; tenuitate ualet, ideo cit urinas. Oculorum epiphoris inferuefactum uino utiliſſimè imponitur. Naribus illitum ſomnos allicit. Oris halitus & ſuauitatem commendat linguæ ſubditum folium, ſicut et ueſtium odorem interpoſitum, eas à noxis erodẽtium tinearum obiter uindicans.

Crocus. Cap. XI.

SMilax uirgo, ut fabulatur antiquitas, ob amorem iuuenis Croci mutata eſt in fruticem, infauſta ſacris omnibus & coronis, quoniam ſit lugubris: ſic & Crocus puer in florem ſui nominis uerſus eſt, quod Ouidius teſtatur,

Et Crocon in paruos uerſum cum Smilace flores.

Crocum optimum plurimumq; dat Corycum Ciliciæ, det licet Sicilia, det Cyrena, det Lycia, hoc primum eſt. Spirat fragrantius, colore plus aureo eſt. Succi ope citius proficit ad medullam. Crocum herbæ uulgaris modo erumpens, ſapore dulci, foliatur pene in capillamenti exilitatẽ, cauliculo anguſto & breui, florem producente cærulei calycis, in quo flammea croci ſtamina, radice bulboſa copioſáque et uiuaci. Proinde, ut author eſt Theophraſtus, iuxta ſemitas & fontes lætiſſimum exit: quando calcari gaudet & atteri pede, pereundóque melius prouenit. Galli Mauritanos imitati *ſafranum* appellant. Hoc autem folio eſt anguſto ad uſq; capillamẽti exilitatem, è quo florem expellit obiter, quin & prius uidetur. Subeſt radix multa, carnoſa, peruicax, germine ac flore ſerotino per autumnum, occaſu Vergiliarũ. hoc ſemitas & fontes amat, calcatũq; lætius adſurgit. Duo eius genera, montanum & ſatiuum: prius hebes, poſterius odoratum. Vtrunque primis imbribus emicat. Viret bruma, & autumno legitur. Florentinus eſt author crocum radicis bulbo ſeri, florem ante folium ædere, meti debere quum media florum ſtamina grato colore nitent, detractis à medio flore capillis, & triduo aut quatriduo reſiccatis. Cacumen croci repurgatur, & ſi quid hæſerit albi, detrahitur, uaſis ad uſus reconditur. Diophanes crocum in umbra ſiccandum præcipit. Inodori duo genera, candidum & ſpinoſum. Crocum ſylueſtre optimum ſerere in Italia non expedit, areis olitori decoquentibus. Satiuum maius nitidiuſq;, ſed leui momento degenerat. porrò nec ubiq; fœcundum, etiam Cyrenis, ubi ſemper flores laudatiſſimi. Paſſim quidem in Gallia ſeritur: uerum nullibi uegetior q̃ in Agenenſi agro, & Narbonenſi prouincia. Cilicio tamen croco maior gratia, & ibi in Coryco monte. Proxima nobilitas Lycio, in monte Olympo, dein Centuripino Siciliæ. Aliqui Phlegręo ſecundũ locum dedere. nihil æquè ſentit ſeplaſiarum fraudes. Probatio ſyncerí, ut impoſita manu crepet, ueluti fragile: dilutum autem & uliginoſum cedit. Altera probatio, ſi manu ad os prolata, leniter faciem oculóſque mordeat: quapropter optimum fuerit recens, fragranti odore, colore aureo. Non damnatur, cui parum candoris in capreolo: præterea in reuolutione oblongum, in frangendo lentum, incolume, calloſum, ſolidum, manus fricantis inficiens. Optimum ubicunque, quod pinguiſſimum & breuibus capillis. peſſimum ſqualidum & quod ſitum redolet, ac cariem ſentit, odore ſubacuto. Eſſe tradit Plinius & per ſe genus ſatiui blandiſſimum uulgo, cum ſit medio ſui candidum, dialeucon uocant: contrà, Cyrenaico uitium quod omni croco nigrius eſt, et celerrimè marceſcit. In Lycia anno ſeptimo aut octauo transfertur in locum ſubactum, atque ita degenerans reuocatur. Vſus eius in coronis nuſquam: niſi quæ ad mulcendam

cendam ebrietatem à quibuſdã fieri ſoleant. Antiquitas coronamẽtis abdicauerat, quòd eſſet lugubre: ſed uino mirè congruit, præcipuè dulci. teritur (ut inquit Plinius) ad theatra replenda. In Italia ob ſucci copiam & coloris præſtantiam officinæ illo utuntur ad infectus ex mortario: grandi ob hanc cauſam pretio uænit. Adulterant recremento, crocomagma nominatur, intrito, aut ſapa quam ſublinunt, addentes argenti ſpumam, aut plumbaginem ponderis cauſa. Vitium proditur, quòd in eo pulueres intercurrũt, & defrutum ſubolet. Theſſalus odoratum eſſe tantum exiſtimat. Sed authores ſunt, qui in ueneno rum cenſu comprehendant, ſi drachmis tribus ex aqua bibatur. Acerrima uis croco tribuitur, ut illatum manus palmę continuo ad cor permeet. aſſeruatur pyxidicula è cornu.

Crocomagma ueteres appellarunt retrimentum crocini unguenti, quod fiebat expreſſis odoramentis, & in paſtillos digeſtis. Optimum quod odore pollet, myrrham modicè redolens, ponderoſum, nigricans, ſine ramentis ligni, & quum ſubigitur, multo colore crocí rubens. Item leue, ſubruſum, & quod guſtatu uehementer linguam & dentes inficiat, ali quot horas permanente colore. tales notæ habentur in eo, quod è Syria deportatur. Hoc oculorum claritati plurimum confert, caliginem diſcutit, urinam ciet, excalfacit, concoquit, mollit: reſpondet aliquatenus croco, utpote cuius plurima parte ſit particeps. Quod ad græcam Dioſcoridis rationem pertinet, non ſatis conſtitit θύϊα, an θέα, id eſt mortarium an theatrum ſit legendum. Nonnullis theam ſcribi librariorum errore malentibus, quòd Plinius dixerit teri ad theatra replenda: alij tingendis mortarijs interpretandum cõtendunt, præſertim quum de mortarijs atq; croco mentionem habitam à Plinio ſciãt. Ego ad thuiæ infectus ambiguitatem cognoſcens, reliqui græcam uocem, quæ ad lignum & mortarium ancipiti ſenſu traheretur. Nanq; thuia trogete arbor ueteribus fuit, cupreſſo ſylueſtri ſimillima & caudice & ramis, & foliis & fructu, nucleis hordei grano ſimilibus. Cuius radice ut nihil fuerit criſpius, ita neque pretioſis aliunde operibus celebrius: quæ forſitan croco ſolebant antiquitus inficí. Siquidem mortaria potius quàm cætera uaſa colorari croco ſatis abſurdum putamus: fidem tamen Dioſcoridi derogare nolumus, nec ueterum authoritatem eleuare. Crocum calduin in altero receſſu, & aridum in proximo. Sunt qui in tertio calidum prodant. Re autem uera emollit, excoquit, atque ſubſtringit, urinam cit, elegantiore colore corpus exhilarat. Quí crocum prius biberint in paſſo, crapulam no ſentient, eoq; ebrietati reſiſtunt. Coronæ quoque ex eo temulentiam mulcent, ſed caput leniter commouet. fluxiones oculorum cum humano lacte litum diſcutit. Potionibus, quę pro interaneis parantur, utiliter inditur: itẽ ijs, quæ uuluæ ſedíq; ſubduntur uel illinuntur. Incandeſcentes ignis ſacri inflammationes demulcet: aurium collectionibus auxiliatur. Verum ut facile tritũ frietur, fictili teſta ſole retorreſcat: ſic tamen, ut idem uerſetur. Radix in paſſo lotium pellit. Cæterum immoderato floris uſu & pallor & faſtidium contrahitur: ſed riſu perpetuo, ut ferunt, hominem cõcutit. Authores quoq; habentur immodico necare gaudio, ſi quadrantale pondus ex aqua bibatur.

Helenium. Cap. XII.

HElenium Dioſcoridi duplici natura traditur. unum inula Romanis dictum, folia ferens uerbaſci anguſtioris, aſperiora oblongaq;. Quibuſdam in locis ſine caule prodit, radice ſubcandida & ſubrufa, odore iucundo, maiuſcula, guſtu acri, tactu molli. ab ea propagines in ſatũ panguntur, excíſis è radice gemmantibus oculis, ut in lilio ſerundo & aro fieri ſolet. Naſcitur in mõtibus opacis, ſiticuloſis. Aeſtate radix eruitur, & conciſa ſiccatur. Ea hodie ab officinis *enula* uocitatur, & à ruſticis *campana*, iunctis utriſq; uocabulis uulgo enula campana dici conſueuit, foliis uerbaſco aſperioribus, maiuſculis, parũ ſe humo attollẽtibus, caule tricubitali, albicante, leui, capitulis auri fulgore comantibus, radice rufa, toroſa, amara, non ingrati odoris. Proſilit in montibus opacis & ieiunis, radicem in taleolas fiſſam melle condiunt. Breuior hæc eſt quàm paſtinaca, ſed toroſior amariorq;. Inula per ſe ſtomacho inimiciſſima, eadem dulcibus immiſta ſaluberima. Pluribus modis auſteritate uicta gratiam inuenit. Nanq; in pollinẽ tunditur arida, liquidoq; dulci teperatur, & decocta poſtea aut aſſeruata uel macerata et miſta defruto ſubigit melle, uuis paſſis, aut pinguib. caryotis, itẽ cotoneis malis, uel ſorbis, aut prunis. aliquando pipere aut thymo uariata. Defectus præcipuè

ſtomachi excitat,illuſtrata maximè Iuliæ Auguſtæ quotidiano cibo. Superuacuum eius ſemen,quoniam oculis ex radice excisis ut arundo ſeritur,uere & autumno, magnis propaginum interuallis,neq; ullo minus quaternorum pedum,quoniã ſpatioſe fruticet. Inula Februario oculis ſeritur ſicut arundo, quos abſcindere & terra leniter obruere conuenit,foſſa & ſubacta excitatis ad lineam puluinis, quibus oculos eius oportet infodere, intercedente trium pedum ſpatio. Cõditura inulę ſic fiet menſe Octobris, quo maximè matura eſt,Radix è terra eruitur, aſpero linteolo, uel etiam cilicio detergetur quicquid arenæ inhærebit: deinde acutiſsimo cultello ſummatim eraditur, & plenior radicula pro modo craſsitudinis in duas uel plureis parteis digiti longitudine diffunditur: deinde exacto modicè in cacabo æneo coquitur,ita ne taleolæ inuri poſſint:poſt hæc in umbra triduo ſiccentur,& ita in fideliam picatam recondantur, adiecto paſſo uel defruto quod ſuperna tet,ſpiſſamentoq; cunilæ impoſito contectum uas pelliculetur. Alia inulæ cõditura. Cum radices eius raſeris,taleolas ut ſuprà,facito,& in umbra triduo uel etiam quatriduo ſiccato,deinde ſiccatas in uaſis ſine pice, interiecta cunila conijcito: cunila impoſita,ſex partibus aceti una pars ſapæ miſceatur cum hemina ſalis cocti, ut hoc iure macerentur taleolę, donec quàm minimum amaritudinis reſipiant:poſtea exemptæ iterum ſiccẽtur per quinque dies in umbra:tum craſſamentum uini fæculenti,nec minus ſi ſit mulſi, & utriusq; eorum quartam boni defruti confundito in ollam:quæ quum inferbuerit,taleolas inulæ adijcito,& ſtatim ab igne remoueto donec perfectè refrigeſcant: poſtea transfundito in fideliam picatam,operculo tegito,tumq; pelliculato. Tertia eiuſdem conditura,Radiculæ diligenter eraſæ & minutim conciſæ muria dura macerantur, dum amaritudinem dimittãt: dein effuſa muria optima maturiſsimaq; ſorba ſemine detracto conteruntur, & cum inula miſcentur, tum ſiue paſſum,ſeu quamoptimum defrutum adijcitur, & uas obturatur. Aliud habetur helenium,quod Crateias medicus tradit, in Aegypto herbam cubitalibus ramulis,quæ ſerpilli modo humi ſe ſpargat,folio lenticulæ ſed crebro,longiore circiter ramos,radice pallida,minimi digiti craſsitudine,per ima tenui,ſupernè craſſa,pullo cortice. ſit ergo hoc Aegyptium helenium. Rami à Dioſcoride cubitales, à Plinio dodrantales traduntur. Radix Plinio candida & dulcis,Dioſcoridi uero pallida. Folium item à Plinio ſimile ſerpillo aſſignatur,Dioſcoridi lẽticulæ. Theophraſtus hoc helenium folio coronare, & palmitibus exire memoriæ prodidit. Secundum mare in collibus naſcitur,in Helena inſula laudatiſsimum, ubi lachrymis Helenæ dicitur enatum, dum gubernatorem Canopum hæmorrhoi ſerpentis ictu exanimatum fleuiſſet. Helenium hoc contra ſerpentium ictus ex uino bibitur. Hilaritatem adferre Hippocratis teſtimonio creditur. præ dulcis in eo cremor. Animi nubila præclarè diſcutit, fauet formæ. Cutem in facie nutrit incorruptam, reliquumq; corpus perpetua uenuſtate condecorat,conciliatq; Venerem. Putant uſu eius à quocunque gratiam iniri, & triſtitiam omnem aboleri. Radix contrita mures necat. prodeſt orthopnoicis in aqua ieiunis pota. Diocles ad Antigonum iubet matutino hauriri iuſculum ad auertenda ueſicæ mala. Inuenitur fruticans herba cubitalibus penè ramulis,humi reptans ſerpuli modo, foliis lenticulæ ſed maioribus, utrinq; in ordinem digeſtis,radicibus paruis per ſumma ceſpitum uagantibus, ſed pratis & humentibus locis ſerpit. ſuper cuius nomine ruſticos conſului,qui referebant ſe audiuiſſe de ſuis maioribus auita quadam,uti moris eſt, per manus traditione, colubrorum herbam appellari, quòd diſſectum in partes anguem huius herbæ confrictu in priſtinam coire unitatem,& unà partes diuortio ſecretas coaleſcere adfirmabãt. Sed heleniũ Aegyptiũ nõ eſſe ſatis habeo compertũ,natali ſitu prorſus reclamante. Theophraſtus interim ueleniũ,Ariſtoteles beleninũ ſcripſere: ſi modo ſit eius liber,qui de plãtis ad authorẽ Ariſtotelẽ referẽ. Beleninum(inquit)delibutoriũ in Perſide uenenũ erat,translatum in Aegyptum & Paleſtinam ſine periculo mandi cœpit. Sed ut audio, quæ perierat apud Græcos commentatio, barbaris uocibus interpolata redijt in Græciam. Non eſt omittendum, quod recentioribus medicis celebratur behenum, nullis non officinis cognitum, diſcerniculo generum inſigne, purpurei & albi. Radices ſunt paſtinacam paruam magnitudine æquantes,quarum ambitioſo flexu contortæ cernuntur:aliæ in rectũ exeunt. ex Armenia deportantur,ſuaui odore,glutinoſo ſcatentes humore,quæ geniturã adaugere creduntur. Nec me

fugit

fugit Actuarium quadam in compositione nomine digitorum Mercurij, hermodactylos appellant, meminisse, candidos & purpureos adferentem, forsitan q̄ digitorū imaginem quandam exhibent: sed ea de re in hermodactylorum mentione latius disserendum erit. Omnes officinæ utrunque demonstrant *behem* appellantes. Helenij herba ieiunis commã ducata dentes confirmat, condita tussim emendat. Radicis decoctæ succus tineas pellit, urinam mouet, menses ciet: ruptis, conuulsis, inflationibusq̄ medetur. Datur in iulinctu cum melle tussientibus, & ijs qui non nisi erecta ceruice spiritum elidũt, orthopnoici græcis uocantur. Venenatorum morsus abigit. Folia ex uino decocta lumborum & coxendi cum doloribus illinuntur. In passo condita radix stomacho traditur utilis, quando salgamarij paululum siccatam eam mox decoctam frigida demergunt, postremo in defrutum coniectam seruant ad usum. ea trita sanguinem excreantibus potu subuenit. Radix æstate effoditur ad omnia, quæ resiccare, abstergere, & calfacere sit opus.

Triticum. Cap. XIII.

TRiticum omne radicibus multis ac prętenuibus exit, folio uno, germinibus omnino multis, sed quæ in ramos brachiari non possint. aristas ex se mittit, & in herba per hyemem est. Remollito autem cælo, caulículus de medio adsurgit, cuius tertio aut quarto genu spica geritur nõ prius euidẽs quàm folliculo inclusa, qui gluma dicitur. Consummato eo flos erumpit quarto aut quinto post die, ac totidem ferè diebus, plurimumq̄ septem durat. Varro quindecim diebus frumentũ in uaginis esse dicit, quindecim florere, quindecim arescere. Post florẽ crassescit, inquit Theophrastus, maturaturq̄ intra quadragesimum diẽ, cũ tardissimè octauo ab satu mense plurima parte metitur, Aegyptijs, ut scribũt, septimo. Folium tritico arũdineũ, angustius tamen quàm hordeo: caulis quoque leuior & lentior, nec perinde fragilis. Triticum multis integitur tunicis, hordeũ nullis. Culmus tritico altior est quàm hordeo, spica quoq̄ remotior à folio, palea suauior, mollior, succosior. Inconditæ tritico spicę explanatæq̄, hordeo in uersus dispositæ. Vtrique culmus spicam sustinet, quæ & spicus & spicũ à Cicerone dicitur in Arato: spica, granũ & aristam. Granũ, quod intimũ est & solidum, à gerendo Varroni dictũ, id enim feritur ut gerat frumentum. Gluma, est folliculus eius, uideturq̄ etymon habere à glubendo, quòd eo folliculo deglubitur granũ, eodemq̄ uocabulo appellant fici eius quam edimus folliculũ. Arista, quæ ut acus tenuis lõga emanet è gluma, dicta quòd arescit prima. proinde grani theca sit gluma, & apex arista. Aristę enim quasi cornua sunt spicarũ. Spica autẽ à spe uidetur nominata, eam enim q̄ sperãt ferre serunt: quæ cũ non habet aristam, mutica spica dicitur, quasi mutila. Vaginã uocant in qua latet herba, uti qua latet conditus gladius. Stipulæ, sunt folia culmum ambientia. est autem culmus idem quod calamus, cum spicæ penitus oriuntur in summo spicę iam maturæ. Quod minus est q̄ granũ, uocatur frit: quod uerò ad culmi cacumina infirma spica geritur, minus item q̄ granũ, uruncus appellatur. Cæterũ frumenti ipsius, ut tritici & hordei, genera per tempora satu diuisa. Frumentũ dico græcè sitos dictum est, quicquid ex se mittit aristas, & in herba per hyemẽ est. Hyberna, quæ circa Vergiliarum occasum terra per hyemem nutriuntur. Aestiua, quæ ante Vergiliarum exortum seruntur, ut milium, panicum. Frumenta multis radicantur fibris. Erumpit à primo satu hordeum die septimo, ex quo alterum caput grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ prior floret. Radicem crassior pars grani fundit, tenuior florem. Frumenta hyeme in herba sunt, uerno tempore fastigiantur in stipulam quæ sunt hyberni generis: quorum fructus in spicis continetur, munituręq̄ uallo aristarum quadruplici, ab auicularum iniurijs defensa. Quædam in genu tertio spicam incipiunt concipere, quædam in quarto, sed etiamnum occultam. Genicula sunt tritico quaterna, farri sena, hordeo octona. Sed non ante supradictum geniculorum numerũ conceptus est spicæ: qui ut spem sui fecerit, quatuor aut quinque tardissime diebus florere incipiunt, totidemq̄ aut paulo pluribus defloreſcunt. Varro quater nouenis diebus fruges absolui tradit, & mense nono meti. Frumenta cũ deflo ruere crassescũt, maturãturq̄, cũ plurimũ diebus quadraginta perficiunt. In Aegypto hordeũ sexto à satu mense, frumẽta septimo metunt. Grana in stipula crinito textu spicantur. tunicę frumento plures, hordeum maximè nudum. Calamus altior frumento q̄ hordeo,

sed

sed arista mordacior. Tritici summa genera tria obseruant qui scrupulose minus ista per-
sequuntur. Primum quod robus dicitur, quoniam & pondere & nitore præstet. Secunda
conditio est habenda siliginis, cuius species in pane præcipua pondere deficitur. Terti-
um erit trimestre, Græcis sitanion, cuius usus agricolis gratissimus inopię subsidio: nã ubi
propter aquas aliam ue causam matura satio fuit omissa, præsidium ab hoc petitur: hoc &
candidum esse dicitur. Tritici genera plura quę fecere gentes. Italico nullum Plinius com-
parauit. candore ac pondere, quo maximè decernitur, Italiæ agris externum, in quo prin-
cipatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa. Tertium pondus erat Thracio, Sy-
rioq;, deinde Aegyptio athletarum cum decreto. Græcia Ponticum laudauit. Ex omni eo-
dem genere grani prætulit dracũtium & selenusium, argumento crassissimi calami, itaq; 10
pingui solo hæc genera assignabat. Leuissimum & maximè inane, seu tenuissimi calami,
in humidis seri iubebat, quoniam multo egeret alimento. Ex ijs quæ Romam inuehe-
bantur leuissimum erat Gallicum, Ponticum leue, Siculum ponderosum, ponderosius
Bœotium. deprehenderũt hoc athletę. Ponticum & Aegyptium, item Siculum sine lolio
nascuntur. cum Siculo tamen melampyrum nasci perhibent, sed innocuum, neq; lolij mo-
do graue, caput ue tentans. Africum facile folliculo absoluitur. Plurimis tunicis. Thraci-
um triticum uestitur, ob nimia frigora illi plagæ exquisitum. Eadem causa & trimestria,
quæ Græci trimena uel sitania uocant, inuenit, detinentibus terras niuibus: quod tertio
ferè satum mense, ut in reliquo orbe, metitur. Totis hoc alpibus notũ, & hyemalibus pro- 20
uincijs nullum hoc frumento lætius. Vnicalamum præterea, nec usquam capax, seriturq;
non nisi tenui terra. nostri Galli *martia* uocant, quod Martio sata terno hinc mense matu-
rescunt. Inueniuntur & bimestria circa Thracium sinum, quæ quadragesimo quàm sata
sunt die metuntur: mirumq;, nulli frumento plus esse ponderis & furfuribus carere. Tra-
dunt in Bactris grana tantæ magnitudinis, ut singula spicas nostras æquent. Et trans Ba-
ctra frumentum nucleis oliuæ par nasci referunt: in Pissotis tam firmum, ut multos Mace
donum largiore usos eo, saties peremerit. Genus id siliginis esse trimestre Columella uo
luit, qui authore Plinio fallitur, qui ne trimestris quidem proprium genus existimauerit
esse, cum sit antiquissimum. Trimestria ubiq; sunt, uerum infirma singulari calamo. Si-
tanium idem esse cum trimestri uideo. Sitanium inquit Galenus esse triticum instan-
tis anni, id quod uere seritur. Vnum apud nos tritissimum genus est macrum, triste, hor- 30
dei similitudine, cuius granum folliculo non facile deglubatur, nullis tamen aristis ualla-
tum, quod tamen uere non seritur: hoc nostro sermone uernaculo *succursus gentium*, siue
scourgeon dicitur, cuius agricolis usus prope nimius cũ annonæ premit penuria. Siquidem
populo uenit in subsidium, & sæuientis sæpiuscule famis arcet noxas. Triticum nimia
uligine commeat in lolium. In marcescente tritico gurguliones, cias Græcis uocatos, in-
nasci ferunt, ut in faba mydas gigni. & cantharidem in tritico, qui paruus est scarabeus, ut
phalangium in eruo constat. Nihil æque in spica durat quàm triticum. Varro conditum
diligenter triticum quò uentus non perueniat, mansurum ad annos promitit. Grana triti
ci, ferro combusta, ijs quæ frigus usserit præsentaneo sunt remedio. Farina ex aceto cocta 40
neruorum cotractionibus auxiliatur: cũ rosaceo uero & fico sicca, myxisq; decoctis: item
suppuratis, neruis cũ hyoscyami succo illinit, ex aceto & melle lentigini. Furfures exace
to decocti luxuriantes & turgẽtes lacte mãmas coercent. ijdem pollent ad uiperarũ mor-
sus & tormina. tonsillis faucibusq; gargarissatione prosunt. Adseruati diu in horreis triti-
ci uis discutiendi tanta est, ut plenos etiã cados exiccet, unde correptis dolore podagrę in
triticũ super genua mergi pedes fuerit utilissimũ. siquidẽ mirabili modo tumorẽ leuat, hu
moris uim exhauriens. Paleam tritici imponi ramicum incommodis experti iubent, quá-
que decocti sunt aqua foueri. Trimestrium farina imponitur contra uenenatorum ictus.
Ad crassitudinem glutinis decocta linctu prodest sanguinem excreantibus. Eadem tus-
si & exasperatis faucibus confert decocta cum butyro & mentha in pollinem subacta. de-
coctaq; cum aqua mulsa discutit inflammationes omneis. Gluten è similagine atque 50
polline molari, quo glutinandis libris chartariæ utuntur officinæ, sanguinem excre-
antibus datur elutius & tepidum sorbendum singulis cochlearibus. Fermentum è fa-
rina triticea uim obtinet excalfactricem extractoriamq;. Priuatim callos in planta pedis

nascentes

naſcentes extenuat, & alia tubercula: cum ſale uero furunculos concoquit & aperit.

Panificij & genera & nomina. Cap. XIIII.

PAnificij multa diſcrimina obſeruauit antiquitas. panis tamen uocabulum à pano duci Varro putat. Meſſapios redundantiam & faturitatem appellaſſe panian teſtis eſt Athenæus, unde, ut idem uult, Latini panis nomen deflexerunt. erant etenim Pani eunitæ cognomento ſacri. Nauticum panem intelligimus qui uetus ſit & ſiccus, fortaſſe bis coctus, quem Græci diephthon uocãt. Syncomiſtos uero is eſt, quem alio nomine uocari autopyron Galenus eſt author, quòd ex omnibus fuæ farinæ partibus citra ullã detractionẽ conſtet, interfurfuraceum & ſimilagineũ medius: ſyncomiſtos quaſi confuſaneus dictus, quoniam caſtratus nõ ſit, ſed omnia ſimul tulerit, furfures, utriculos & ſimilam. Vtriculos in authoribus eſſe uolunt id quod furfure melius eſt, & ſimila deterius, quod aliqbus uulgo *farinæ uentres*, Gallis *redundago*, Venetis *medianum* appellatur. Idem ferè panis qui ſordidus, quo Neronem uſum legimus. quanq; ſordidũ à ſyncomiſto Paulus ſeparet. Autopyri uero panes, ſiue quod idẽ eſt, autopyrites, qui furfure tantũ leniter ſuccreto fiunt, qualis ferè cibarius & ſecundarius eſt. Fieri aũt ſolet, ut Galenus ait, quoties triticũ generoſum nõ eſt. generoſum inquit, uocatur quod ſimilaginis plus habet q; furfuris. nã ſimilago & ſimila prorſus idẽ ſunt, ſemidalis græce dicta. Firmiſſima ſiligo, deinde ſimila ut tradit Celſus: deinde cui nihil ademptũ eſt, autopyron Græci uocãt, infirmior eſt. Ex polline infirmiſſimus cibarius panis. Autopyros itaq; tota cõſtat tritici farina, à qua detractũ ſit nihil. excuſſis cribro omnibus farinæ recremẽtis factũ, *panem album* uocamus lingua noſtra. furfure maxima ex parte excreto, *ciuicum panem* quem cibarium & ſecundariũ doctis audio uocitari. qui proximè huic ſuccedit *domeſticum* & *familiarem* nominãt Galli & tertiariũ. Vltimum uero magna ex parte recrementitiũ furfuraceumq; dicimus, quod exta tritici capiat quæ Græci cyribia, aut etiã furfures quos ijdem aphærema & pityra, nos etiam canicas & apludas uocamus, unde canicaceus panis furfureus eſt Pacuuio. Panis non ſine paleis aceroſus Feſto Pompeio dicit, quas Græci uocãt achyra. Nũc locus eſt ut alia genera q; breuiſsimè dicanẽ. Zymites, hoc eſt fermẽtatus, qui & naſtos dicit, quamq; naſtos quibuſdã placẽtæ genus ſit. cõtra nõ fermẽtatus azymos et daratos uocat. Nã acidus et ſquaroſus græce oxylepes uocat ab Aetio, febricitantibus eũ dante, quibus uenter profluat. hũc Aegyptij cyllaſtin dicũt. alij ex hordeo accipiũt q; cyllaſtis uocet, Herodotus ex ſiligine. Semidalites è ſimila, dictam uero ſimilã à Cerere putãt, quã Syracuſij Simalida nominant & Sitona. Aleurites à farina, gyrites à polline, chondrites ab halica ſiue zea, ipnites & caminites à coquendi ratione. Itẽ eſcharites à craticula, ſub finẽ cœnæ cõuiuijs apponi ſolitus, et intingi paſſo uſq; ad ebrietatẽ legitimã. Hic & inuoluebat, atq; ita ut calebat intortus Athenis maximè placebat. Coniectura colligi licet id genus panificij quod à tenuitate & cãdore nebulas ferè uocamus, eſcharitem ueteribus fuiſſe. Nã apud nos uulgari uoce detritis prioribus literis *caurulas* quaſi caurites appellamus, in quo uocabulo prioris uocis rudimentũ aperte relucet. Nec ab re ſcharuleas mulieres Plauto ab hoc panificio dictas crediderim. Tabarites puſillus erat, achænes prægrandis, quo in Theſmophorijs utebãtur Atticæ mulieres. Præfertur omnibus ſanitatis uſu à Galeno cribanites, ſiue, quod eſt idem, clibanites, à clibano quem Attici cribanum appellant: Varroni teſtuaceus dicitur, quòd in teſto calido coqueretur. nanque quod clibanum Græci, Latini teſtum dixere. Vſas eo comitialibus matronas ſcribunt. Cribana placentæ genus ſunt ſpecie mammoſa. Encryphias qui & agoræus, id eſt forenſis, & uænalitius & Atticus uocari ſolet. Dipyros, ſiue idem qui dipyrites ab Hippocrate cognominatur, delicatus fuiſſe traditur. Quia porrò dipyrites ad aquam intercutem cibo utilis exiſtimatur, coniectari licet pro biſcocto capiundum eſſe. Laſgana ſiue lagana minimo pondere: quamquam leuior & tenerior etiamnum à carbone dictus epanthracias, Saturnalibus præberi ſolitus, nihil ut quidam putant, ab encryphia differens. uterque ſubcineritius eſt. Tyronites à caſeo nomen habet. Encridi ſimilis eſt phyſicillus, quo Spartani utebantur in ſacris epulis rapi effigie. Magnos & ſordidos panes cilicios uocabant, & à colore ſubnigro phæos, ſicut agelæos, qui à noſtris gregarij et cibarij dicuntur. Ornides ab oryza ſiue ab ſemine quodã Aethiopico tam

ſimili

simili sesamo,ut difficile possit internosci. De ficu Aegyptia sycaminites. Collabus, siue, quod idē est & collix per diminutionē colliphion,ex caseo recēti cōstat,hic & crimmatias & chondribos quoq; dicitur. Sunt & maconides uocati. Sunt & chrysocollæ, sed ex lino & melle fiebant. Aegyptij sunt caces,ut inquit Strabo, appellati ad sistendam aluum utiles. Sūt & obeliæ Baccho sacri,ita dicti uel quod obolo Alexandrię uænirent,uel quod in ueru torrerentur. Habetur & cnestos à nidore. Spodites idē uidetur esse cum banchylo. Artoptitius uero panis à clibanite ac furnaceo differre eo uidet, quod hic duriore fermento splendidus conficitur,illi fermentū semper quàm tenerrimū desiderant. A boleti forma boletinus accepto papauere et fumosi casei colore. Strepticius siue streptos ex lacte,oleo, pipere cōficitur,aut olei loco adipe. Artolagana pusillum uini,lac,piper, oleū uel adipem olei uice continent. Capyria sunt,ut Athenæo placet,quæ alio nomine tracta dicunt. Sūt & cubi,hoc est quadranguli,aut etiā quadrati ex oleo,anetho, caseo: quanquā Athenæus eos qui Romæ quadrati uocarentur,incisuris præcinctos & blomilios appellari Græcis prodit. Thargelos qui & thalysius est,ita dici panē uolunt qui primus nouella messe fingitur. Ericitē uocant panē qui ex confracto nō excreto sit tritico. Blema porrò candidus & egregiè subactus panis est. Pityrites & bromites idem est qui furfuraceus, à quibusdā euconos appellatus. Est & phacinos de lente popularis Alexandriæ. Vt Athenæus author est,spolea panem Græci uocant,quo necessarij duntaxat cognatiq; uescūtur. Ea panis genera magna ex parte ex Athenæi Symposiacis breuiter excerpta deprompsimus. Est & operis pistorij genus quod buccellatū à Paulo & Aetio uocatur, quod inter militaris annonæ genera nonnulli connumerant,quæ bis coquatur,à buccea dictum. Est autem buccea,ut ex Suetonio colligitur, idem fere quod nunc bolus dicitur. Sunt qui buccellatum fermento putent carere. Plautus rubidum panem cum nominat putatur nauticum intelligere,quia sit bis coctus. Hæc obiter panis genera libauimus. Panis quo uiuitur multas cōtinet medicinas. ex aqua enim & oleo,aut rosaceo mollit collectiones. Ex aqua mulsa duritias ualde mitigat. Datur ex uino ad discutienda quæ perstringi opus sit. Prodest ex aceto aduersus acutas pituitæ fluxiones,quas Græci rheumatismos uocant: itē ad percussa, luxata. Ad omnia autē hæc fermentatus utilior. Illinitur, & paronychijs, & callo pedū in aceto ueteri. Nauticus panis tusus atq; iterū coctus sistit aluum. Vocis studiosis & contra destillationes siccum esse primo cibo utilissimū. Sitanius,hoc est trimestris incussa in facie,aut desquamata cū melle aptissimè curat. Candidus ægris aqua calida frigida ue madefactus leuissimum præbet cibum. Oculorum tumori ex uino imponitur, sic & pustulis capitis aut adiecta arida myrto. Tremulis panē ex aqua ieiunis esse statim à balneo prodest, quoniam & grauitatē odorum in cubiculis ustus emendat, & uini in saccis additus. Diphilus Siphnius panē triticeū hordeaceūq; tradit uberius alere uires, facilíusq; in membra distribui. quapropter ij primatum tenent. secundas partes sibi uendicant similacei: tertiam obtinēt sedem,farina subacti. Hos sequuntur syncomisti qui farina nullo incerniculo creta cogunturij enim,ut inquit,longè magis alere creduntur. Philistio Locrus ex similagine cōfectos panes plus corporis robur firmare prodit,post hos ex halica, dein ex farina coactos. Ex polline facti minus alunt,spiritū creāt,nec ęgrè membratim digeruntur: sicca ti tamen opplent, difficilius in corpus permeant. Inueterati minorem præbēt alimoniam, uentrem sistunt,improbum pariunt succum. Subcineritius,quem appellant encryphiam, stomacho grauis,& quòd inæqualiter torreatur,ægrius membra subit. Ipnites appellatus & caminites quasi fornacei,difficilius cōcoquunt. Escharites & qui à patinis aut sartagine olei misturam admisit, aluo facilius excernitur, etenim suo nidore stomacho negotiū exhibet. Clibanites siue testuaceus longè magis uiribus pollet, omnibus sanitatis usu prelatus. Siquidem probum creat succum,stomacho perplacet ac facile concoquitur,ad distributionem promptus,quando neq; uentrem coercet,neq; firmat,neq; spiritu distēdit. Andreas medicus ex ficu Aegyptia panem fieri quē uocant sycaminitem prodidit,quo qui uescuntur capillorum sentire defluuia. Mnesitheus addidit panem maza concoctu facilio rem esse. Qui ex typha factitantur panes satis alere,nec magno negocio aut labore coqui. Spissati è zea panis esus stomacho grauis & difficilis concoctu: quare qui eo utātur non diu prospera frui ualetudine deprehenduntur. Addidit idem panificia quæ ignem non

sunt

sunt experta, inflationes, grauitatem, tormina & capitis dolorem excitare. Diocles Carystius in salubribus præceptis panem à carbonibus dictum epanthracem, tradit leuiorem & teneriorem laganis haberi. Nam carbonibus excoqui nomen testatur, queadmodum apud Atticos encryphiam, quem Saturno dicatum Alexandrini sacris feriarum epulis præbebant edendum. Homoros, stætites, encris, aliphatites, & hemiartion, & placites, nõ longè dissimilem supradictis sortiuntur naturam.

Placentæ. Cap. XV.

IAm de placentis nonnihil dicere tempus admonet, quæ panis genere comprehenduntur, ut Athenæus tradit. Nam Diogenes in cœna placentã uora citer mandens, roganti respondisse fertur, se panem comesse bene cõfectum. In nomine amæ lonum, quas alij ametas & ametiscos uocant. Sunt & splenia colore candida. Habentur & amphiphontes, sacrum Dianę fertum, facibus urentibus circundatis. Sunt & basyniæ apud Delios Iridi sacræ, ex triticea farina cum melle cocta. Celebrãtur & coccora, quorum meminit Demosthenes in oratione pro Cresiphonte, continent ficos & nuces treis. Sunt & tageniæ quas epichytas & anites uocari Pamphilus author est, an idem sit genus quod apud Catonem uocatur enchyton existimandum relinquo. Photion nihil distinguit, Iulius Pollux seiungere uidetur. Has sequitur creion, quam apud Argiuos sponsæ ad sponsum ferunt, in carbone coquitur, accersebantur & amici & cum melle præsentabatur. Glycinas ex passo & melle Cretensibus similiaris, eadem ferè cum mustaceo, nisi quod illa ex passo, hæc ex mulso factitabatur. Empeptas triticeus panis est cauus, crepidæ non dissimilis, in cuius uentrem casearię placentulæ ut in thecam recondi solebant. Encris in oleo primum coquitur, mox accipit mel. Habet & panis hoc nomine ut paulo antè diximus. Cyribanæ Lacedæmonijs sunt propriæ, in conuiuijs fœminarum circunferri solitæ, cum uirgo à choro muliebri commendanda laudibusq; decantanda promeretur. Crimnites è crimno siue farinæ utriculo fiebat. Stetites ex pinsita conficitur, quæ liquida in patellis funditur adiecto melle, sesamo, & caseo, ut Hierocles tradit. Sunt qui in pingui melle & caseo, sesamo factitari prodãt. Verũ nõ stęs sed stear legere malũt, nec est uerisimile stętitẽ placentulã ab aliquo nomen trahere, quod eius misturam non subiret: sed plerique stætos & steatos capti uocabulorum uicinitate, falluntur. Scio apud Athenæum stear scribi, sed statim subdit stæs liquidum in sartaginem mittendum. Cæterum crimnites & stætites à farinarum conditione nomẽ traxisse euidentius est, quàm ut probari debeat. Charisios Aristophani placenta est, panis Eubulo: præmium hoc in peruigilijs dabatur. Sunt qui putent chalisiones quasi charisiones appellari, & amygdalis & saccaro, nec alia ferè materia, quàm maza panes, sed oblongi fastigiatiq; in medio quasi dehiscente crusta tument. Ex eadem miscella sunt fungi, solicitudine matronali cum feriantur, prælati semper quos sanctimoniales ipsæ finxerint. Epidętron sub finem cœnæ mensis apponebatur, inde nomen. Nanos placentaceus panis est, caseo & oleo constans. Psothia, siue, ut aliqui psathyria, sunt qui placentæ genus fecerũt, alij micas panis interpretantur, quas & attaragos uocant. Porrò attaragos rimula in pane est ignis ui facta, & omnino pro uilissima & minima quaque re capitur. Pollucí attaragos superior in pane crusta, sicut in ima epsethia. Taganitæ à patellis & sartagine dicuntur, quę cum accepto melle coquuntur ac tepentes bullant. Elaphos placenta erat ceruorum uenatoribus dicata. ea pinsita farina & sesamo construebatur. alij à nomine mensis quo fingebatur dictam putant. Cæterum apud Athenæum elaphebolia, id est uenationes ceruorum legimus, non elapheboliona, qui mensem Septembrẽ denotat. Sicula est amorbites. Alud ab hac genus amoræ appellatum, quod mellitum opus excoctum est. Oedepæsa Coi celebrãt, Syracusani myllos, ex sesama & melle muliebris pubis specie, quas fœminæ dearum focis & altaribus circunferebãt. Nastos è nucibus & intestinis & sartilibus adiecto melle fit atque lacte, unde nastos, quasi sartum dicitur. Ab erinaceo nomẽ echinus habet, qui secundis mẽsis offerebatur. Ab hemina cotyliscus, qui ex tertia chœnicis parte fictus erat, unde nomen. Sesamides ex melle & sesamo torrefactis, adiecto oleo orbiculata pilaricq; specie formabantur. A tritico pyramuntes nomen duxerunt, & ab ijs diuersæ sunt pyramides, quæ in peruigilijs dabantur quasi præmia, ijs qui nocte tota insomnes excu-

baſſent. Fiebant ex torrefacto tritico & melle irrigato, quidam tamen et pyramuntes hoc genus uocabant. A caſeo & uſu cribri tyrocoſcina dicuntur. Ab ijs differunt hypotyrides appellatæ, quas è caſeo, lacte, & melle condunt. In Creta fit à uentre gaſtris uocata, è nuce Thaſia & auellana & amygdala & papauere: item pomis, ſeſamo, & pipere, quadrangula figura. Ratio conficiendi ea erat, Thaſiæ & Ponticæ nuces & amygdala, item papauer parum reſiccatum pila munda teruntur accuratè, deinde poma melle cocto ſubacta, piperq; permiſcentur, & in quadrangulas formas digeruntur. Verum quoniam papaueris ratione nigritiam placenta contraxit, utraq; parte candido ſeſamo cum melle cocto detrito ſuperinducitur, cruſtis albis ſumma, nigris intima tenentibus. Itrion quod & itricon appellant Græci, exilis placentula ſeſamo & melle conſtans, ſuminale à Feſto dicta forſitan ut conijcio, quòd ſumen ὕτρον græce dicatur: quapropter nõ ſimplici ratione libum ſed ſuminale libum potius Latinis dicendum docti ſuadent, quòd Cato libum ex caſeo & ouo condidit. Sunt & quæ patriæ nomen habent, ut Samis & Rhodia, quam & coptam & coptoplacunta nominant, inſignem duritia: accipit hæc papauer & mel. Alexandrinis pancarpia celebratur in modum rotæ papyro inuoluta, diuturnitatis gratia. Sed hæc itria ſunt cum melle trita, & poſt cocturam in orbem coacta, & tenui charta quo diutius reſeruentur obducta. Ab ijs eſt poltos dicta quam nos uocamus pultem. in Catone quidem punicæ fit pultis mentio inter placentas, fortè libo non diſsimilis ei quod Punicum ea ratione uocabant, quod ex Africa ueniſſet, & probum cognominabatur. A melle melicerides, à ſuibus chœrinæ. Chryſippus Tyaneus hæc genera placentarum tradidit, tarentinum, craſianum, ſiculum, cruſtulum, iulianum, apicianum, canopicum, perlucidum, hedybion, maryptum, plicium, guttatum, montianum, quod ſi uino & dimidia caſei parte ſubigatur longe ſuauius erit: cœrianum, tuttatum, tabonianum. tria hæc poſtrema cruſtulacei ſunt generis. Iis adijcit muſtacea è mulſo, muſtacea ſeſamata, purium, goſgloaniũ, paulianum: & hæc quoq; cruſtula. Ex caſeo fiebant hæ placentæ, enchytos, ſcirbætiſsus, bitulus. Fit & ex halica ſubitullus, ſpira ex caſeo. Iam luculentæ, argyrotryphemata, libi, circi ſiue circuli, æxaphæ, cruſtoplacuntes, oryzitæ, phthoes: quæ ita finguntur, Preſſus caſeus teritur & æneo cribro colatur, dein mel et ſiliginis hemina in unum ſubacta coguntur. Et quę catillus ornatus à Romanis dicitur, ita, ut Athenæo placet, fingi ſolet, Lactucæ elotæ igni ferueſcunt, & iniecto uino in mortario teruntur, expreſſoq; ſucco cum ſiligine ſubigun-tur, ubi conciderint paulatim interterendum, nonnihil ſuilli adipis & piper adijciuntur, ea rurſum contrita colliguntur in lagana, quæ in placentaceas formas extracta in feruentiſsimum oleum coniecta coquuntur. Alia quoq; habentur genera, oſtracites, attacitæ, amylon, tyrocoſcinon, cuius parandi ratio hæc eſt, Preſſum bene caſeum in uas mittito, & per æreum cribrum ſuperpoſitum cernito, cum offerendi tempus aderit ſatis mellis ſuperponito. Hypotyrides ita finguntur Athenæo teſte, Mel & lac coniectum expreſſumq; in ficti le mittitur, & cogi coaleſcereq; ſinitur, et in tenuia, ſi adſint, incernicula ſubiecto uaſe miſta conijciuntur ut ſerum profluat: ſin deſint, flabellis, quibus ignis uentilatur utendum, nam eorum ſupplent inopiam. cum ſatis uidebitur concreuiſſe, in argenteum uas transferẽda. Catonianæ ſunt & ſpira, funi nautico in orbem conuoluto ſimilis: & globuli fortaſſe ſunt ij quos Syracuſani epicyclios uocabant. nam paſtillum in ſacris libi genus rotundum ut erneum & ſphærite. Item ſauillum quẽ Athenæus ſubityllum nominat, & ex halica quo que fieri monſtrauit. Aelius Stilo ſubuculum uocari ſcribit libi genus, ex halica, oleo atq; melle, ut Feſtus inquit. Latina ſunt & ſacris dicata libi genera, quę fertum & ſtrues appellantur. Vnde ſtrufetani qui ea ferre conſueuiſſent. Strues uero dicebantur, quod erat digitorum coniunctorum ſimilitudine, qui ſuperiecta panicula in tranſuerſum continebantur. Item libum farreum, à farre. Libum uero quod prius libaretur quàm eſſet coctum, ut Varroni placet, dictum eſt. Eſt & mola ſalſa toſtum far, ſale conſperſum, quo uictimæ perfundebantur, ulochyton græce dicta. Libi circi ſiue circuli adempta farina & aqua & caſeo fiunt, quia circuitum æqualiter fundebant: hos quidã qui magis incendere faciebant & lixulas & ſemilixulas, ut Varro tradit, uocant Sabino uocabulo. Nunc ea quæ in quotidiano uſu ſunt, apud nos, & quæ bellaria, quæ tam diuitum quàm pauperum cœnas implent proſequi paucis libet, ut ſi qua ueterum miſturis reſpondeant, aut paucis immutatis pro-

tis proximè accedant, in earum censu uel nominum ambage reponãtur. Vulgatissimum apud nos bellarium fingitur è polline uel simila cum lacte, ouis, & butyro subacta, consperſis ueteris casei micis: hoc in circinatæ rotunditatis pastillum colligitur, & furno mandatur excoquendum. Hoc quòd uentris modo iuxta umbilicum intumescat, Gallico sermone *gaster* nominatur, uel *gastellus* diminutionis formula. quæ nomina planè græcam fa tentur originem. primum è Græcia non immutatum uenit in Galliam, secundum diminutionis species aliquãtum uariauit. Sed coactam ijs omnibus supradictis offam pisto res in tenuissimas lamellas digerunt, & aliquo pingui uel potius butyro, ne membranæ coalescant, interiecto, crassiuscula omnes inuolunt crustula, figura & rotunditate superioris seruata. apud nos ubiq; *gaster foliatus* dicitur, quòd uelut instratis chartarum folijs altera continuo super alteram insidente quandam librariam exhibeat imaginem. neutrum tamen Cretensem gastrin esse constat, cum ratio parandi longè uaria sit, ut supra ostensum est. Matronæ placentam cum feriantur conficiunt triangularem, ex simila cum ouis, lacte & butyro in panificium subacta, capaci intus uentre, quem per dehiscentem rimulam uetere complent caseo, & furno dum eliquescat & torreatur caseus, excoquũt: rura nostra *gonarias* uel *goieras* ab angulis ut suspicor appellant. eæ non multum dissidere uidentur ab ijs quas empeptas suprà diximus appellari, cum caua sint panificia, quorum hiantes uteros caseariis implent placentulis: empeptæ fortassis dictæ, quòd intestinam desiderent coctionem. Consimile omnino genus tenent quæ à calceari figura uulgus Gallicum *calceolos* uel *calsciones* appellant, quorum uentris sinus caseo, polline ex aqua uel lacte subacto refercitur, id quod etiam placentulæ genus existimatur. Ruri tamen complures dissectis uiliore fartura contenti frustatim pomis ex fœniculi semine cõplent. Sunt qui capacitatem hanc cribrato tenuiter caseo solum offerciant, quæ tum tyrocoscina Græcis dici possent, à caseo & usu cribri donato nomine. Aliæ etiam circinata rotunditate finguntur ex consimili materia, interiecto uetere caseo creto, aut in taleolas dissecto: uulgus *ratones* appellat, quòd lienis farti more tumeant, lingua Gallica uiscus hoc *raten* nominante. quod ubi humore multo turget, in rotunditatem ferè contrahitur, splenia forsitan Græcis dicta, de quibus tantum legi ea esse colore candido. Libi tamẽ circi genus esse creduntur qui ex farina, aqua, & caseo fiebant fuso æqualiter circuitu. Sequuntur *popelini* à uulgo dicti, quasi quòd popinis se dedant, popinales uel popiniones. Fiunt ex polline, lacte, ouorum luteis subacto: quæ in circulares offas conglomeratæ danẽ furno igne flagranti, ut exterior pars in crustam occalleſcat, interna in rimas & cauernulas dehiscat: quæ postmodum superiore crusta in orbem circuitum ue adempta, butyro recenti & insulso abunde satiantur: & ubi totum ebiberunt, nouo imbutæ, reposita crusta, molliusculo igne coquuntur, & ita placentæ butyro saturatæ, uel ut potius dicam ebriæ, mensis offeruntur. Idem opus panis candidi mica farinæ loco nonnulli moliuntur, ita enim sperant plus sanitati consultum iri. an id genus ad popanum ueteribus celebratum reduci possit non ausim afferere. Nam popanum lata erat placenta dijs offerri solita, quanquam & genus libi intelligit uetustas, quod aperte docet Iuuenalis sic inquiens:

Scilicet ut tenui popano corruptus Osyris.

E consimili panificio in latiores capacioresq; circulos explanatè fingunt, nullis non eius placentas marginulis obsepientibus, ne qui induntur liquores effluant, arcente ambitu, capacitatem caseo uel recenti uel uetusto cum momento butyri complent margine tenus, interdum colostro, nonnunquam tritis nucibus amygdalis: aliquãdo prunis, pomis, uuis quoq; immaturis inferciunt, sed tam concinnè, ut perſæpe pars capacitatis una caseo, altera colostro, tertia prunis, aut pomis dignoscatur oppleri, semper tamen insparſa sacchari copia ut fructuũ dometur acrimonia, simul ut à lacte cita uindicetur corruptio. Vidimus è micis panis in farinam tritis iterũq; subactis fundum substerni, & ad summum impleri placidis herbarum generibus, præsertim quæ ad palatum faciant, sed leuiter tritis, betam dico, lactucas, rumicem, cymas bassicæ, & raphani turiones, maluarũ, menthæ, & siliquastri, item pro ratione sampsucum, hyssopum, thymum, rosmarini & saluiæ momentum, ea butyro condiuntur insperſa subinde panis mica, ut crustulam superne contrahat. Aliqui & medullas recentes aut adipem insulsum aut laridi portiunculas intermiscent cum

pauco cinnamo, & multo ſaccharo, & tantiſper incoquunt, dum herbæ uideantur intabu iſſe. argumentum erit ſufficientis cocturæ, cum uidebuntur herbaceum exuiſſe colorem. Galli *tartum* quaſi mutata priore litera fartum appellant. Simile quippiam aut idem arbi tror Græcis fuiſſe, quod ſuprà naſton quaſi fartum diximus appellari. Fiebat è lacte, nuci bus, cæteriſq; fartilibus adiecto melle, cuius uice moroſius palatum hodie ſaccharo abuti tur, quod mel tamen eſſe arundinaceum diffitetur nemo. Magnoq; in uſu habentur qui *bunij* nomine ſecundis menſis Gallorum circunferuntur, quòd forſitan in napi modum intumeſcant: nãq; bullantes huiuſmodi tumores ictu uel alio modo quouis acceptos, Grę corum more bunios lingua noſtra ſolet appellare. ij Latinis globuli mea opinione dicun tur & Syracuſanis epicyclij. Fiũt è ſimilagine, liquoribus ouorum & lacte reſoluta, & tan tiſper ſubacta dum concrementum retulerint, ut aliorum quæ indi aut inuolui libitum ſit, tenax hærensq; prehendat. Nam & caſeus qui uetuſtatem ſentit, pomorum fruſta, uuæ paſſæ, ſici, & pleriq; fructus qui communi uſu ſunt edendo, hoc lentore conuoluuntur, & in patinam uel ſartaginem quæ feruenti oleo uel butyro axungia'ue recenti deflagret, de mittuntur, & inibi friguntur abunde, & ueruculo ab igni demuntur, ſuſpenſa dum quic quid ebiberint olei uel pinguis remiſerint. ea omnia taganitis referenda putauerim, quæ à patellis & ſartagine nomenclaturam deduxerunt: ea bullis quibuſdam ab igne citatis ex tuberant. Duorum rurſus meminiſſe ſat erit, quæ compitatim uæneunt cum matronæ fe riantur, pinſita rectè farina ueteris caſei fruſta conuoluunt, & candentibus igne ſubiecto grandibus ferramentis, in fauorum ſpeciem interne cõcauatis, quæ longis manubrijs can cellatim cohærentibus clauo committuntur, ut poſsint premi. quod inditum ubi coctum eſt ab igni demitur fauaceam referens imaginem. hoc ſiue placentæ ſiue potius panis ge nus, eſcharitem ſuprà diximus appellari, uulgus noſtrum extritis aliquot literis *gauritem* & *gaurulam* appellat. Conflantur in ſimilibus ferramentis non altè ſed tantũ in rudimen ta fauorum excalptis, è tritici polline, melle & aqua ruri, ditioribus oppidis ſaccharo, in uarias ſpecies, aut planas rotundasq;, aut in uolumen inflexas, aut in corbulas et calathos effictas, una & eadem has effigies præſtante. Hæ opipera Galliæ conuiuia & inchoant & claudunt mulſo uel paſſo intinctæ. qui ſub noctem non taciti portantes uagantur, Gallis *nebularij*, forſitan aptiore uocabulo nebulones nuncupantur: ij ut ſtipem emendicent, ta xillorum aleæ mercem credentes oleum & operam ſubinde ludunt. Sed ſatis ſuperq; qui & iacturæ quam fecerunt luunt pœnas, nocturno errore. Quæ tamen ruri ex melle & fa rina in fauorum ſpeciem concreta circunferuntur, non ab re ſimilitudinis cauſa meliceri des dici poſſent. Aliud quoq; paſſim uænit, quod uulgus *panem* appellat *ſpeciarium*, reci pit triticeam farinam & mel. addiderunt aliqui cinnamomum, piper et gingiberim: in qua drangulares paſtillos digeritur, qui diutiſsimè feruentur, ſæpe bimos & trimos uidimus. baſyniam ueteribus fuiſſe ſuſpicor. Fiebat è triticea farina et melle, reliqua ſunt adiectitia. Aliæ habentur placentulæ puerorum ferè munuſcula, quæ farina, ouorum liquoribus & lacte finguntur, & tubercula ſunt, quæ in medio faſtigiata tumẽt: ea cũ ignis uim ſunt exper ta, intus inanitate fungoſa dehiſcũt, quare fungos ueteribus appellari crediderim, uulgus *caldos paruos* aut *calidulos* appellat. Vnam tantum omiſeram muliebris pubis effigie, quam fartores *ſacharatum cunnum* appellant, proximam ei quam Syracuſani myllon nominarũt: ſed illis ex ſeſamo & melle, nobis ex polline & ſaccharo fingitur. Cogũtur totius anni de curſu ex polline, aqua, interdum lacte & butyro, interdum oleo lunata ſpecie panes, corni culis ſeſe ſpectantibus, ij pro azymis uſurpantur. dantur & optimè gerenti in præmium qui arcu emiſſa ſagitta ligneam auiculam in arboris faſtidio ſuffixam deturbarit. feruen tes per uicos & plateas nõ ſine clamore feruntur, unde uulgo nomen *caldi* ſortiunt. Sunt qui à mutuo corniculorum inflexu *corneos* uel potius *corniculatos* malunt appellare, arto copos & artocoptos recens Græcia nominat. Non tamen in coptarum aut coptoplacẽ tarum cenſu audiri poſſunt, cum papauer & mel non recipiant. Proximæ coptis uel cop toplacentis, imò ut arbitror eædem, quæ in Sueſſionenſi agro ex albo papauere trito, lacte, & mellis exiguo ſpiſſantur in offas, & ſubdita cruſta igni coquuntur. Matronę cum ſub ueris tempus feriantur hac ratione parant, eisq; non ingrato guſtu ueſcuntur: de licatiores in mellis uicem ſaccharum ſufficiunt. Eædem farinam bene ſubactã in oleo pri

mum

mum decoquunt,mox mel adijciunt:encridas has esse nemo ibit inficias, qui eas primum oleo incoqui,mox mel accipere sciuerit,tagenias Pollux uocauit, quòd patinis ferè frigãtur.Suessionenses mei suo sermone *uitlos* fortasse nominant,quòd uitelli ouorum speciem uideantur repræsentare.Nec me præterit apud Athenæum placentarum generibus adnumerari uitulum & subuitulum,quas ex alica fieri quidem mõstrauit. Aelius Stilo subucu lum uocari scribit libi genus ex alica, oleo atq; melle ut Festus adfirmat,quæ nihil differre facile cognoscas,nisi forsitan parandi ratione.Encris in oleo coquitur,dein mel accipit: subuculus, ex alica,oleo atq; melle cogitur. Sed apparatus speciem demutare non debet, quare ad unum & idem genus referendæ.subuculum tamen latinã, encris græcam fatentur originem.Sunt & quæ ex candidissimo polline leuissimoq;, ouorum liquoribus,& aqua fingantur ambitu circulato,capaci intus cauo heminam sæpius æquante, unde putauerim nomen inditum cotylisci.uulgus *cracolin* pro cratere uocare maluit. Non est silentio prætereundum genus hoc quod uelut longis teretibusq; uericulis in funem primũ intortis,dein in orbem conuolutis constat, quod Catonis spiram esse euidentius est quàm ut probari desideret. Cæterum quæ funiculis cancellatim contextis in longũ potius protenduntur,dein in torques aut coronas tandem colliguntur,hoc genus effugere non mihi uidentur:uulgus tamen gallicum *uituli capistrum* uocat.Sed de ijs forsitan lõgius quàm par esset differuimus,iam ad hordeum redeamus oportet.

Hordeum. Cap. XVI.

HOrdeum Græcis crithe,Gallis *orgeum*, uulgo notum est culmo tritici, fragiliore minoriq;,sed octonis geniculato articulis, simplici in stipula folio & eo quidem scabro latoq;.grana ferè nuda longiore capillamẽto, mordaci arista, striatim spicantur, radice frequẽti, coma fibrata.Hoc ueteres frugum omnium nobilissimum appellarunt. Cæterum hodie nõ nisi quadrupedum pabulo accommodatur,eoq; Romani ignauos milites ignominiæ causa pascebãt. Genera duo rustici tradiderũt,hexasticum,quod etiam quidam cantherinum appellant,cuius frumentis proximus est usus:quoniam & animalia quæ rurí sunt melius quàm triticum,& hominem salubrius quàm malum triticum pascit, nec aliud in egenis rebus magis inopiam defendit.Seritur hoc soluta siccaq; terra.Eius segetibus arua macescũt,quapropter pinguissimo agro committendum.Altero sulco seminatur post Aequinoctium,si læto solo: si gracili,maturius.idq; ubi paulum maturuerit,festinantius quàm aliud ullum frumentum erit demetendum. Nam & fragili culmo, & nulla uestitum palea granum eius celeriter decidit: qua de causa & facilius teritur.Post messem ager stercore saturandus, & uirus omne quod ineſt terræ propulsandum.Cantherinum putauerim dici,quòd folliculo castratum enascatur:Galli qui serunt,mundum uocant hordeum, quòd spõte granum gluma concidat,in reliquo non nisi ægrè deglubitur.Alterum quoq; genus hordei est distichum, Galaticum nonnulli uocant, ponderis & candoris eximij,adeò ut tritico mistum egregia cibaria familiæ præbeat. Seritur quàm pinguissimis sed frigidis locis circa Martium mensem, melius respondet si clementia hyemis permittente seminetur circa Idus Ianuarias. Ad hoc genus reducendum putauerim trimestre illud hordeum quod gallicè *securgeon* dicitur,quod rebus ad egestatem adductis, cum annonæ premit penuria, plebem alat & ab famis noxa uindicet.Errant qui secundum hoc genus esse orizam interpretantur. In Aegypto sexto mense metitur, aliubi multo tardius, quàm celerrimè in Rhodiorum insula quodam tractu.In India syluestre nascitur hordeum, iucũdum in panis esu.hoc equis oblatum Alexandri ut manderent necabat eos primo,dein in palea exhibitum paulatim desijt esse noxium. Funditur hoc in brachia quemadmodũ & crithanias, hoc est hordeago. Ad Gedropolin in Thracia quod nascitur,iumenta nõ attingunt:cuius rei causa,ut Theophrasto placet,malus odor,etiam si non sentitur ab homine. Erumpit à primo satu hordeum die septimo,& caput alterum grani in radicem exit,alterum in herbã quæ prior floret.Radicem crassior pars grani fundit,tenuior florem:cæteris seminibus eadem pars, & radicẽ & florem.Granum spicis continetur, munitur aristarum uallo multiplici, fragili stipula,& tenuissima palea id cõtinetur. Hordeũ frugum omniũ mollissimũ seri nõ ualet, nisi sicco soluto solo,ac nisi lęta palea.Ex omni frumẽto minimè calamitosum, quia tol-

litur antè quàm triticum occupet rubígo. Rapitur omne à prima ſtatim maturitate, feſtinantius quàm cætera. Complura grani diſcrimina, alijs rotundius & breuius, alijs maius & oblongius & rarius, aliud candicat, aliud uergit in purpuram copioſius farina ualidiusq; quàm candidum. item aliud binos ſpicarum uerſus, aliud ternos quaternosq; continet: item quinos, nullum tamen plures ſenis. Cui ſpica folio perquam proxima eſt amplitudinis & craſſitudinis maioris, hoc achilleis à Theophraſto, & achilleias ab Hippocrate cognominatur. ob id propenſius obnoxium ærugini. Eryſiben Græci uitium hoc appellant, pleniluniſs fere accidens: quod & rubigo frequẽtius dicitur, hordeo quàm tritico infeſtior. Eteocrithon genus hordei eſt tutum à rubigine, quoniam incuruum naſcatur. Hordeum, latiore folio quàm triticum eſt, longeq; pauciorib⁹ tunicis contentum, ſiquidem prope nudum extat: cæterum ei minor quàm tritico culmus, ſpicaq; minus ſecreta à foliis emicat, ſed inſuauior quàm tritici palea. Hordeum in uerſus ſpicatur, triticum nullo uerſu conditum eſt, Indicum cõtra frumenti morem ramis brachiatur. Hordeum magis quàm triticum rubiginem ſentit, minusq; tolerat imbrium impetus. utriq; florenti pluuia nocet, cum nuper ſatis & adoleſcentibus proſit. Frumentis omnibus in plenum craſſatis noxia putatur aqua. Hordeum degenerare in lolium adfirmant, præſertim infeſtis imbribus aut uliginoſis locis, aut longiore pluuia dilutis. ſed ex corrupto lolium enaſcitur, quare ſicco ſolo potius credendum, quod auibus & alijs beſtijs minus eſt obnoxium: nam maximè inibi durare poteſt. ſatisq; gracili ſolo proficit, proſciſſaq; minus hordeum ferunt. Apud Babylonem in area reſilire narrant more eorum quæ friguntur. Sol ex nube hordeum interimit. auena in hordeo exire uidetur. Poſtquam hordeũ defloruit, intra quadraginta dies perficitur: ſed in Aegypto ſexto à ſatu menſe metitur. In Chalcia Rhodiorũ tam præcocẽ tamq; feracis naturæ locũ eſſe prodidit Theophraſtus, ut hordeũ inibi cũ cæteris ſatum, iterũ reſeri, & unà cũ cęteris frugibus rurſum demeti ualeat. Amphicauſtis nomine montanum hordeum intelligitur, quod & euſtron græcis dicitur. Hordeum critheum & cri & proconion poetæ Græci nominant, quanquam triticum toſtum proconion quoq; dicatur. Galenus in Hippocrate polentam ex hordeo recenti aut ex hordeo nondum toſto ſignificari tradit. Polentã Gręci alphita nominant torrefacti hordei farinam, quę nunc tota Gallia *ſicca criothe* uel *grio ſiccum*, quaſi torrida & reſiccata crithe uel cri uocatur. uænalis ea circunfertur, ſpiſſandis carniũ iuribus: quanquam & ex auena retorrida cœpit fieri, & eadẽ nominis ambage proferri. Torreť polẽta, nõ farina hordeacea. quæ Gręcis quoque omelyſis, ut arbitror, quaſi crudũ lomentũ dicit̃, quãdo crudum hordeũ nec torrentis ignis uim expertum reſoluat̃ in farinã. Hanc ὠμὴν λύσιν Plinius, ubicũq; uocẽ hanc Latino reddidit ſermoni, farinã hordeaceã eſt interpretatus: quãuis & Galenus interdum pro cataplaſmate uſurpauerit, quod hanc farinam, aquam & oleum conciperet. Antiquiſſimum cibis hordeum Menandro authore apparet, gladiatorum cognomine, qui hordearij uocabantur. Polentam quoque non aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis. Græci perfuſum aqua hordeũ ſiccant nocte una, poſtero die frigunt, deinde molis frangunt. Sũt qui uehementius toſtum rurſus exigua aqua conſpergant, ſiccentq; prius quàm molant. Alij uero uirentibus ſpicis decuſſum hordeũ recens purgant, madidumq; in pila tundũt, atq; in corbibus eluunt, ſiccatumq; ſole rurſus tundunt & purgatũ molunt. Quocunq; genere præparato uicenis hordei libris ternas ſeminis lini, & coriandri ſelibras, ſaliſq; aceta bulo torrentes ante omnia miſcent in mola. Meliorem quoque polentam fieri tradunt ſi hordeum non exacta maturitate tollatur. Qui diutius uolunt ſeruare, cum polline & furfuribus ſuis condunt nouis fictilibus. Italia ſine ſuperfuſione toſtum in ſubtilem farinam molit, eiſdẽ additis, atq; etiã milio. Panem ex hordeo ueteribus uſitatũ uita damnauit, qua drupedũq; tradidit refectibus. Ptiſanæ inde uſus ſaluberrimus tãtopere probat̃. Vnũ laudibus eius uolumẽ dicauit Hippocrates clariſsimus medicinę ſcientię. Ptiſana quę & piſana & olim dæſana Gręcis nuncupat̃, à πτίσσειν duxit originẽ, quòd hordeũ tundẽdo deglubereť, ac ſuo cortice caſtratũ ad uſum condereť. *mundatum hordeum* officinę uocãt, tundit̃ eñ hoc, nec molitur. Primo in corbibus perfuſum aqua dũ tumeat in ſole ſiccatur, mox in pila ligneo piſtillo tantiſper tundit̃ dũ corticẽ glumãq; exuat, & ita ut diu perennet reponit̃. Aliqui hordeũ aqua prius madefactũ, dein ſole reſiccatũ, in pila tundũt, & ſuis glumis explicitum

plicitum molunt, farinam in sacculo coactam diutissimè discoquunt, ita enim abigi uim flatus existimant, atque resiccatam & in offas conuolutam ad usum sorbitionis seruant. Ptisanæ bonitas præcipua Vticensi. In Aegypto uero ea est, quæ fit ex hordeo, cui bini sunt anguli. In Bœotia & aphrica genus, ex quo fiat, hordei, glabrum appellatur. Ptisanæ conficiendæ uulgata Græcis ratio, Coquitur ptisanæ portio in aquæ quindecim addito olei exiguo, & cum intumuerit aceti momento: cum uero ad exactam coctionem peruentum erit, frigatus sal inspargendus. aliqui paulum anethi aut porri adiecerunt. Sunt qui decem tantum aquæ partibus ptisanam, nec aliud quàm salem adijciant. Has arbitror uocari ptisanæ sorbitiones. Ex alijs etiam frugibus ptisanam confici solitam testis est Flaccus.

Didymus ptisanam ita iubet parari, Hordeum pinsitum in sole siccatur, rursusq; pila pinsendum repetitur, deinde tenui quod extusum est purgamento respergitur, id enim eam defendit. ea quo fuerit humẽtior eo magis alet. Sed ptisanę quę ex hordeo fit, laudes uno uolumine condidit Hippocrates, quæ nunc in alicam transeunt. Hippocrates tantum sorbitionis gratia laudauit, quoniam lubrica ex facili hauriretur, quoniam sitim arceret, quoniam in aluo non intumesceret, quoniam facile redderetur, & assuetis is solus cibus in febribus bis die dari possit, remotus ab istis qui medicinam fame exercẽt. Sorbitionẽ tamẽ dari totam uetuit, aliudue quàm succum ptisanæ. Item uetuit quãdiu pedes frigidi essent, tunc quidem nec potionem dandam. Hanc sorbitionem officinæ *hordeum mundatum* nominant, sed huic & trita amygdala & sacharum miscent & colant. sunt qui grana etiam intergra relinquant. Ius decocti huius, & cremorem & ptisanæ succum docti nominant: quem admodum ius decocti integri hordei in aqua tantisper dum coctione dissiliat, hordei cremorem Celsus appellare solet, qui bilijosis & incandescentibus propinatur febribus. Fit & ex tritico glutinosior atq; exulceratæ arteriæ utilior, Galli *frumentatam* dicunt, inter lautas sorbitiones celebratam. Hordeum optimum est quod candidissimum. Nam quod ad purpuram accedit, ut farina copiosius est, contráque cæli tempestates & hyemẽ ualidius, sic medica ui infirmius. Refrigerat & arefacit in primo ordine. Succus decocti in aqua cælesti digeritur in pastillos, ut infundatur exulceratis, interaneis, ac uuluis. Cinis eius ambustis illinitur, & carnibus quæ recedunt ab ossibus, & eruptionibus pituitæ: item muris araneí morsibus. Idem aspersо sale & melle candorem dentibus & suauitatem oris facit.

Eos qui pane hordeaceo utuntur, morbo pedum tentari negant. Murinũ hordeum, quod græcis phœnix herba appellatur, tritum ex uino præclarè ciet menses. Ptisana hordeacea magis alit quàm ex eodem polenta, quoniam hordeum coctura fit succulẽtum. Eius usus aduersum acrimonias prodest, arteriæ scabritias lenit. Fit & ex tritico ptisana ad eadem utilis, sed ualentioris materiæ, & maioris alimenti, & ad ciundas urinas efficacioris. Hordeacea, lactis ubertatem facit incocto fœniculi semine, lotium quibus ægrè it euocat, interanea detergit, inflationes molitur & stomachum lædit. Farina ex hordeo & cruda & decocta collectiones impetusq; discutit, & cõcoquit si coquatur in aqua mulsa & fico sicca. Cum pice, resina, & columbarum fimo duritias suppurat. Cum sertula campana & pauoris capitibus laterum dolores leuat. Cum lini semine, ruta, & fœno græco intestinorum inflatiões discutit. Item strumas cum pice liquida, oleo, & cera, & impubis pueri urina. Citam uẽtris proluuiem cum myrto, uel mero, uel syluestribus pyris, uel rubo, uel malicorio. Valet ad inflammationes podagrę cum cotoneo & aceto. Ad lepras decocta cum aceto acri, quemadmodum & cruda solet, sed calidam superimponi præcipiunt. Ad extrahendas suppurationes diluta aqua & in oleo ac pice insuccata. Ad articulos quos pituitæ fluxiones implent, subacta cum aceto, & decocta cum pice. Ad multipedum morsus cum melle & serpentium in aceto & contra suppurantia. Ad uirilium dolores cum papauere & meliloto, & quoties ab ossibus caro recedit. Contra tumores præcordiorum in febribus cum melle uel adipe uetusto, polenta. à farina hordei distat quod torretur. Ad stomachum utilis. Oculis illinitur & capitis doloribus cum refrigerante herba: item pernionibus, & serpentium plagis, item ambustis ex uino. inhibet quoque pustulas. Quæ fit ex hordeo aluum sistit & inflammationes mitigat. Suppuratis triticea farina lenior. Neruis cum apollinaris succo illinitur, ex aceto & melle lentigini.

Far. Cap. XVII.

VIgatíſſimum far quod ueteres adoreum appellauere, pluribus terris commune, quí tamen zea utuntur non habent far. Ex omni genere duriſſimum far & contra hyemes firmiſſimum. Patitur frigidiſſimos locos & minus ſub actos, uel æſtuoſos ſitientéſque. primus antiquis Latio cibus. Pulte autem non pane longo tempore uixiſſe Romanos manifeſtum eſt, quoniam inde pulmentaria dicuntur. In Aegypto far ſine ariſta eſt, ſpica maior, & ponderoſior. Geniculi farri ſena, ut tritico quaterna. Poſt ſupradictum geniculorum numerum conceptus eſt ſpicæ, quí ut ſpem ſui fecerit, quatuor aut quínque tardiſſimè diebus florere incipit, & totidem aut paulo pluribus defloreſcit. Purgari niſi toſtum non poteſt, itaque cum ſuis folliculis crudum ſeritur, idq; in uaginulis ſuis ſeruant ad ſatus atque non torrent. Leuiſſimũ hordeum, ponderoſius far, magiſq; etiamnum triticum. Far in Aegypto olyra conficitur. Galliæ quoque ſuum genus farris dant, quod *brance* uocant, apud Italos *ſandalam*, nitidiſſimi grani, quod plus reddit panis quàm aliud quodcunque. Populũ Romanũ farre tantum è frumento trecentis annis uſum Verrius tradit. In loco humili far ſeretur: in cretoſo, rubricoſo & aquoſiore agro adoreum. Far cretoſum & uliginoſum ſolum ſortitur. ſatum occari, ſarriri runcariq; deſiderat. Sarculatio induratam hyberno rigore triſtitiam laxat temporibus uernis, nouóſque ſoles admittit. qui ſarriet caueat ne frumenti radices ſuffodiat. Runcatio cum ſeges in articulo eſt, euulſis inutilibus herbis, frugum radicem uindicat, ſegetémque diſcernit à ceſpite. Seminis porrò adorei quatuor ſunt publica diſcrimina: far quod appellatur cluſinum candoris nitidi, far quod uocant uermiculum rutilo colore, atque alterum candidum, ſed utrunque maioris ponderis quàm cluſinum: quarto genere ſemen trimeſtre quod dicitur alicaſtrum, idq; pondere & bonitate præcipuum eſt. Adoreum folliculum quo continetur firmum & durabilem aduerſus longioris temporis humorem habet, quare minus imbres reformidat, ſeriq; poteſt in terra quæ pluuijs antea permaduiſſet. Placet Virgilio adoreum non antè ſeminandum quàm occiderint Vergiliæ, quod ipſum numeris ſic ediſſerit,

At ſi triticeam meſſem robuſtaq; farra,
Exercebis humum, ſolisq; inſtabis ariſtis,
Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur.

Abſconduntur autem altero & trigeſimo die poſt autumnale Aequinoctium, quod ferè conficitur nono Calendas Nouembris. Vliginoſis tamen, exilibus, aut frigidis, opacíſq; circa Calendas Octobris ſeminare conueniet, ut prius conualeſcant radices quàm hybernis imbribus, gelicidijs, pruinis ue infeſtentur. Iugerum adorei modios nouem, ſi eſt lætum ſolum: ſi mediocre, decem deſiderat. Denſa cretoſáque & uliginoſa humus non incommodè far adoreum alit. In Campania, ut Plinius ſcribit, campus montibus ſubiacet nimboſis, quí bis farre ſeratur, cuius pars ſumma puluerea, inferior bibula & pumicis fiſtulans uice: imbres percolat, acceptumq; humorem nullis fontibus reddit, ſed temperans & concoquens in ſe continet. Segetes uere quæ interquieuere fundunt roſam odoratiorem ſatiua, adeo terra non ceſſat parere. unde iactatum uulgo adagium, Plus apud Campanos unguenti quàm apud cæteros olei fieri. Ante Calendas Februarias ſarriendã ſeges ſeminis adorei, quod quidem far uernaculum uocant, eiusq; tempeſtiua ſarritio cum quatuor fibrarum eſſe cœperit. Frumenti itaque genus eſt quod ueteres ador & edor, & ſemen adoreum & far uernaculum uideo nominaſſe, ab edendo, uel quoniam adurebatur ut toſtum fieret: ex quo mola ſalſa in ſacrificijs, & adorea pro laude. Nouæ nuptæ farream præferebant, quoniam & in ſacris nihil religioſius erat confarrationis uinculo. Duo farris genera Gallia alit: unũ rutilo colore, quod agricolę *rubrum frumentum* appellant: alterum cãdidius, quod cluſinum putatur, *blance* rura noſtra adhuc cognominãt, quod & Plinius Gallis ita teſtatur appellari. Vtrunque communi uocabulo *barbatum frumentum* ceu potius *bladum* conſueuerũt nominare: ſed rubens partim *locar* quaſi loculare, quòd pluribus tunicis perinde quaſi loculis inuolutum condatur: partim appellant, à pullígine ut arbitror, *pullare*, quía ex rubro in pullum degeneret colorẽ. Candidũm rubro longe

longe minoribus aristis est munitum. Serunt Galli concauis tractibus qui facile sentiunt rubiginem. Nam, ut uolunt, nec pruinas nec æruginem horret. In perflatis & excelsis, et si bene conualescat, sationem tamen inibi damnant, simul quòd quadrupedibus respuitur, quia spica rigidiore noxioq; aristarum cingitur uallo, simul quòd ægre suis glumis euoluatur, quibus nisi extricetur, & usui & panificio fit eis incommodum. Item aceroſæ paleæ noxam causantur, quòd inter spirandum à iumētis rapta pulmones tussi lacessat. Sed ij inertes & pigri parcunt impensæ. Diligentior Hetruria spicam farris tosti pinsente pilo præferrato, fistula serrata, & stella intus denticulata pinsunt, intenti, ne grana concidantur, ferróque frangantur: Italia ruido utitur pilo, rotis etiam quas aqua uerset, obiter & molat. Sed breuiter de ratione pinsendi Magonis proponitur sentētia, Triticum, far, hordeum ante perfundi multa aqua iubet, postea euelli, deinde siccata sole, pila repeti. Sextarios horum uiginti duobus aquæ sextarijs spargi satis est. In Aegypto far sine aristā est, in Gallia locis humidis sæpe dodrantem extat. Mirumq; dictu, aliquid esse cui prosit negligentia, id autem farrago appellatur, occari tantum desiderat. Ea ex recrementis farris prædensa seritur admixta nonnunquam uicia. Sed inter farris, tritici frugem ueluti uitium aliquod innascitur, degenerátque è leguminibus quę uocatur ueteribus etiam craca, intantum columbis grata, ut pastas ea negent illius loci fugitiuas fieri. Id granum uidetur uicia multo minus, relucens, rotundum, exterius nigricans, intus candidum, in tritici cumulis inuentum. adhuc cum uannis succutitur, nec magnopere ab agricolis utpote minus noxium respuitur. *craam* à pristino nomine detractis duabus literis, uel potius *graam* partim Gallicum uulgus nominat, quòd capreolis perinde quasi unguibus uncinatis segetum culmos carpens illiget, *grauas* aduncos ungues uocans: partim *ueſſeron* quasi uiciolam uel uiciastrum. nam degeneris legumenti quædam species uiciæ æmula, multo graciliore habitu & rotundiore siliqua, in qua supradictum granum continetur: ita ut uicia in hanc desciuisse planè credatur, uel ex restibili eius semine neglecto, sequentibus annis cum segete pumilior renata degenerauit. Ea primis imbribus ueris emicat, citumq; capessit incrementum, ita ut et si frumento longe natu posterior, ipsum tamen cōfestim prę occupet, teneramq; adhuc segetem tam pertinaci uinctu quibusdam pampinulis perinde quasi cirris quibusdam distringat, crebriſq; implicet conuolutionibus, ut cum cęlum pluuium huic pesti fauet, ijs sese tricis non ualeat explicare. sic calamitosa seges sæpe suo decoquit domino. Huius tamē granum columbarum cibo gratissimum habetur, quod cum cæteris tritici uel farris repurgamentis non iniucunde per hyemem obijcitur. Iam & serunt craccam uillici qui populosa fieri columbaria cupiunt. Siquidem illecte eo cibatu columbę, cū emittuntur, ad peculiares cellas tam cicures alias q̄ feras adcersere noscuntur. Farinam à farre dictā nomine ipso apparet. Græci quemadmodum far ipsum uocent, nisi ehondri appellatione contineri dicant, haud scio reddere. Farina eius farris quod retostum purgatū est, stomacho utilis est. Aluū sistit, impetusq; rubicundi tumoris. Illinitur capitis doloribus cū mentha, item pernionibus & ambustis ex uino. Farina in pollinem subacta uim extrahēdi humoris habet, ideo & cruore suffusis in fascias usq; sanguinem perducit, efficacius in sapa. Imponitur in pedum callo, clauisq;: nam cum oleo uetere, ac pice decocta, pollíne condylomata & omnia sedis uitia mirabilem in modum curantur. Pulte corpus augetur. Farina qua chartæ glutinantur sanguinē excreantibus tepida datur sorbenda & efficaciter prodest. Est et in farre uermiculus teredini similis, quo cauis dentium cera incluso cadere uitiati dicuntur, etiam si fricentur.

Zythum, & Curmi. Cap. XVIII.

Iunt & potus ex hordeo aqua resoluto, zythum appellant. in Aegypto plerunq; fieri solet, ideoq; poetis quandoq; Pelusiacus potus dicitur. Madescit aqua hordeum donec resoluatur in liquorem uino similē. inebriat hoc & acre gustu est, quoniā ex putrilagine acescente constat: hinc uulgus Grę cū phocadion appellat. *Beriam* uel *bierā* consimilē fere potū occidētalis Gallia uocat, nō multū ut arbitror dissidentē, & una fere tantū litera ab eo quē Hispania *celiam* & *ceriam* appellat. Dioscoridi urinas impellit, sed renes & neruos adficit: maxime uero mē branas cerebri & omēta, quibus inuoluitur, tentat. Flatus creat, malos aggenerat succos.

Elephan

Elephantiasin creat. Addidit perfusum zytho ebur obsequiosum & tractabile hoc modo reddi operi. Plinius animal elephantum mitificari hordei succo prædicat. Phucam Aetius potum nominat, in quo ebur aliquandiu maceratum ceræ instar emolleſcat, flexiléque in opus quodcunq; domito rigore tractetur: sed phuscam aut phoscam pro posca aut pusca Romano uocabulo uidetur usurpasse, de qua in aceto diximus. Zythũ tamẽ a core quem acri putrilagine concepit ebur ut posca emollire, ut durum oui putamen acetũ creditur. Consimilia potus genera Hispania quoque occidentalis & Britania Galliáque excogitauit. Macerantur aqua fruges donec resoluantur in liquorem uino símilem, ac pro eo in potum magna in parte sufficitur, moréque uini, si largius bibitur, potores inebriat, *ceruisiam* Italia Galliáque hodie appellat, cuius potus conficiundi ratio hæc, Fruges paululum torrefactæ tantisper in aqua madent, dum prætumidæ dissiliant, & longo potu satiatæ fatiscant: dein cortinis in uinolentum cremorem uel succum semel aut iterum excoquuntur. Occidentales populi ceruisiam suam maceratis humore lupi salictarij floribus commendant, adscito quodam uini sapore. Sunt qui tantisper frugem aqua macerent dum germinare uideatur, & acorem contrahere. Dissidet apud nos ceruisia à ceria uel celia, quæ nunc unius literæ mutatione *beria* Gallis nominatur. Largior seges impenditur ceruisiæ, diutiusq; madescit dum & maceratione & coctura contabescat, ideo succulentior potus & uinosior elicitur, ualentioris materiæ, & coloris nigelli, uel pulli. Ceria pauciore fruge non tam diu madefacta liquidior ac poculentior emanat diluto cerę colore, unde putauerim cerię nomen deduxisse. In utrunque tamen potum omne frumenti genus resoluitur, triticum dico, hordeum, far, secale, auenam, siliginem. Eburones zeam, occidentales populi alicam etiamnum ad hos potus usurpant, *halam* & *goudhalam*, id est bonam alicam nominantes. Zythum tamen Dioscoridis ex hordeo tantum fit aqua resoluto, quapropter hordeacia ceria sit. Porrò ex hordeo quoque constat quod curmi nominuere, ipsum quoque pro uino in potus usurpatum. Hoc item fortasse sit hordeacea ceruisia. Possidonius homo stoicus non curmi sed corma maluit appellare. à curmite tradit Dioscorides dolores capitis cieri, noxium gigni humorem, & neruorum ires carpi. Addidit Hispaniam quoq; occidentalem et Britaniã ex tritico símiles potus excogitare. Nec alios ex fruge fieri nisi supradictos inueniet, qui nationes has exacte cõsuluerit. Plinius refert zytũ in Aegypto, ceriam & celiã in Hispania, ceruisiã & plura genera in Gallia alijsq; prouincijs ex frugibus fieri, quorũ omniũ spuma cutẽ fœminarum in facie nntrit. Ceriam uel celiã Hispanis, ceruisiam Gallis ex frugũ generibus fieri prodidit. Dioscorides in curmite cõsimiles potus ex tritico in occidentali Hispania & Britania fingi confirmat, sed nomina eorum subticuit. Nec in nostro orbe frugẽ scimus in alios resolui potus, quàm quos uulgus *beriam* & *ceruesiam* appellat: nisi forsitam unum, quem maceratis aqua furfuribus, adiecta fermenti portione ut acorem concipiat, deinde excoctis, pauperes ut inopiam uini suppleant, conficiunt, uocantes *bulionem*, quòd efferuescens liquor bulierit. acidum cremorem furfurum docti possunt appellare, quemadmodum Celsus decocti furfuris ius cremorem nominat. Galli qui cereales hos potus moliuntur, spumã, quam inter coquendum euomunt dum frumentũ resoluitur, colligunt: qua concreta fermenti uice utuntur, eo panes cæteris leuiores cogunt. Ea ceruisiæ genera uetustatẽ ferre nostrates edocẽt, qui anniculã & bimam cadis recluſam ostendunt, sed tantum quæ binam trinam'ue coctionẽ expertę sunt. trimatũ non audiuimus excedere. Ceria nostra magna ex parte mẽstrua est, raroq; sesquimensem durat: quanuis perquã recens in potu respuatur, q urinæ difficultatem & eiusdem tormina moueat. Sophocles & Aeschylus uinum ex hordeo bryton uocant, nõ zyton. Aristoteles pinum uocari tradit quod ex hordeo fit uinũ: hoc qui fiunt temulenti non in omnẽ partẽ cassabundos corruere ut cæteri, sed retrorsum duntaxat ac supinos. Hellanicus ex oryza bryton fieri cõmemorat. Fit & è milio, ut Athenęus testis est. Hieronymus sicera, quã uelut Hebraicã intelligi uocẽ, omne potionis genus cõprehẽdit, quod inebriare possit bibẽtes. hinc sicerites uinũ fortasse nominatur. Cyceõ Homericus aliud genus erat. id ex misto farina caseo cõstabat in sorbitionis usum. Paulus uinũ quod ex sordibus uellerũ elutis cõficitur, pinon uocari putat. Sunt qui pinon pro uino capiant, quo lanæ cum sordibus suis lauãtur atque ita siccatum reponitur. In Mediæ montanis se

ptentrio

ptentrionali ſitu gentes uini loco ſuccum è radicibus quibuſdam ebibunt.

Zea ſemen. Cap. XIX.

Eam græci, latini ſemen à præſtantia frugis appellarunt, frumenti genus uulgo notum triticoq; ſimillimum, radice multiplici atq; alta, culmoq; numeroſo: tritico fuſcius eſt & minus. Duo eius faſtigia, unum cuius grana in ſingulis tunicis gemina, alterum cui ſimplicia. Zea ſi ſeratur pinſita, hoc eſt tuſa, tranſit in triticum ut tipha, idq; non protinus ſed anno demum tertio: nunquam contrà ea in bromum dictam commeat. nihil hac robuſtius terramq; magis exinaniens. Nihil in aliud genus tam facilè tranſire quàm zea comperitur Theophraſto, qui ſimillimam aſpectu tritico tradit, robuſtiſſimam & terram extenuantem, radice alta, multiplici, numeroſo culmo, fructu facillimo, cunctis animalibus gratiſſimo. Lætum pingueq; ſolum deſiderat. Græciæ peculiaris eſt hæc. Italiæ in Campania maxime ſemen appellatur: hoc debet nomen res præclara. Celebrauit hanc Homerus, ζειδωρον ἄρουραν dicens, q̃ aruum zeam largiretur, non ut arbitrantur aliqui, quoniam uitam donaret. Commendauit & Heſiodus à magna eius excellentia. Apud Græcos fuit zea, quam cum ſit degener, tradunt redire ad frumentum ſi piſta ſeratur, nec protinus, ſed in trimatu. Alica fit è zea quam ſemen appellari diximus. Tundebatur granum eius olim in pila lignea, nam lapidis duritia conteritur. Nobilius, ut notum eſt, pilo uinctorum pœnali opera. Primori ineſt pyxis ferrea: excuſſis inde tunicis, iterum eiſdem armamentis nudata concidítur medulla. Ex zea etiam quæ in Africa degenerat, adulterina maxime fit alica. Latiores eius ſpicæ nigriores q; & breui ſtipula. Pinſunt cũ arena, ſic quoq; difficulter conterunt utriculos, fitq; dimidia menſura: poſtea gypſi quarta pars inſpargitur, atque ut cohæſit, farinario cribro ſuccernunt. Quæ in eo remanſit, exceptitia appellatur, & grandiſſima eſt: rurſus quæ tranſit, arctiore cernitur & ſecũdaria uocatur: item cribraria, quæ ſimili modo in tertio remanſit cribro anguſtiſſimo, & tantum arenas tranſmittente. Zeam Itali hodie *ſpeltam* appellãt, ruſtica potius quàm Latina uoce, quã ut puto prior Rhemius Palæmon uſurpauit in carmine de põderibus & menſuris, quod tamen Priſciano grãmatico inſcriptũ circunfertur, octo uolens ſpeltas pendere ſcrupulũ: quẽ Gregorius Tifernas in Strabone, & Theodorus alicubi in Theophraſto ſequuti ſunt. Galli nũc *eſpeltram* detorto inde uocabulo nominant. Zeæ duas ſpecies reddidit Dioſcorides: alterã ſimplicis grani, alteram gemini duobus armamentis inuoluti, & ob id dicoccos cognominatur. Vim habet Galeno inter triticum & hordeũ mediam. Tantũ in cibo tritico cedit, quantum hordeo præfertur in panificio. Alimonia eſt maiore quàm hordeũ, minore quàm triticum. Diocles zeam tiphæ, in ciborũ ratione, poſtpoſuit. Mneſitheo zea olyram & tipham duplici uocabulo rem unam cõplectente ſequitur. Zea minus quàm tipha nutrit, paneq; è zea coacto nemo diutus inoffenſa ualetudine ueſcens degit, præſertim ſi abunde eſtur. Quòd ſi quiſpiam inſolens eo utatur, pauco eſu noxam trahet: nam & ægrè coquitur, & ſtomacho negotiũ exhibet. Hybernis tamẽ regionibus, & gelido cæli ſtatu zea uiciitant, eamq; inibi rura ſerere cogũtur, ut quæ gelicidijs ac frigoribus minus ſit obnoxia, horũq; minus iniurias q̃ reliqua fruges reformidet. Parũ è zea per initia, q̃ ingrato ſit odore, deuorari poteſt, aſſuefactis tamẽ familiaris redditur cibus, & qui facile conficiatur. In ijs enim locis, rarior melioris frumenti prouentus. In ſumma grauis, cõcoctu pertinax zea eſt, ſed ualens & mẽbranoſa. Galenus tamẽ qui regiones omneis hybernas peragrauit, & ab ijs ſciſcitatus diligenter qui eas perluſtraſſent, nuſquã audiuit aliquod adeſſe frumenti genus quod incolæ zeam uel zeiam, utroq; enim modo ſcriptum inuenitur, appellarent. Porrò in frigidiſſimis Bithyniæ tractibus ſemen quoddã inuenitur, quod zeopyron nominant, ex quo panis cõficiatur præſtãtior quàm in Macedonia aut Thracia fiat ex briza: & quemadmodum zeopyri nomen à zea & pyro ſiue tritico ductum cernitur, ita mediam inter utrunque naturam & quaſi ex ambobus conflatam ſortitur. Proinde quanto zeopyron tritico cedit tanto Thraciæ brizæ præſtat. Prouenit ubertim in agris Nicææ, Pruſæ, Craſſopolis, & Claudiopolis: quin & Dorylis naſcitur, quod extremum eſt Phrygiæ Aſiaticæ oppidum. Qui uerò ex hoc ſemine conficitur panis, tanto eo qui ex briza fit melior eſt, quanto triticeo deterior. Occurrit notatu dignum, permulta eſſe cerealia grana ſpecie & figura diſſidentia, quæ partim in

hordei

hordei ac tiphæ olyręque, aut olyræ & tritici medio collocantur, quorum quędam ſimilimæ cum olyra naturæ traduntur, alia tiphæ & hordeo reſpondent. Non deſunt quæ panici aut milij dotes referant, quæ ſimplices ſibi arrogãt nomẽclaturas, ut in Italia id quod cereale granum ex quo cõficiunt alicam: alibi compoſitas, ut quod Cappadoces gymnocrithon uocant, & in Bithynia zeopyron. ſic tamen eorum exploranda breuiter eſt natura, Quæ parua corporis mole premuntur, eáque craſſa glutinoſaq;, & probiſſimum tum ſuccum tum alimoniam miniſtrant. contrà, quæ molli & laxo corpore concreta, eóque magna ex parte furfuroſo conſtant, minus alunt quidem ſed commodius aluo deijciũtur. Quæ tamen in ijs ipſis graue odoris uirus ſubolent, guſtuq; quippiam inſuaue reſipiunt, & prauum creant ſuccum, & ægrè etiam concoquũtur. Cæterum ea cognoſces quæ exiguo ſuæ molis callo permultum corpulentiæ claudunt. Ea nanque compactili densóque habitu coaluerunt, & exiguo granorum aceruo magnam farinæ uim reddunt. illud ex trutinæ æquilibrio perpenditur, hoc cũ inter molendum multum farinæ proficiſcitur. Porrò naturam eorum ſic explorare licet, partim cum indita ſenſum uentriculis ueſcentium imprimunt aut caloris, aut frigoris, aut neutrius: partim cum exterius adhibentur, ſi calorem moueant, aut frigus facientibus periculum adferant. Ex colore facultas ueriſimili cõiectura colligitur, qui hordeo candidus eſt, tritico flauus. Sed de ijs hactenus. Farina zeæ efficacior hordeacea uidetur, trimeſtris mollior. Ex uino rubro medetur ſcorpionum ictibus. Tepida ſanguinem excreantibus: item arteriæ uitijs, tuſſi cum caprino ſeuo aut butyro. Frequenti uſu uentrem aſtringi non patitur. Magno quondam in honore fuit, ut ex qua pretioſiſſimam alicam fieri diximus, cedebat nihilominus farri. Diocles zeam tiphæ in ciborum ratione poſtpoſuit.

Fermentum, Crimnon, Maza. Cap. xx.

Pręcipuus ad fermenta uſus milij è muſto ſubacti in annuum tempus. Simile fit ex tritici ipſius furfuribus minutis & optimis, è muſto albo triduo macerato ſubactis ac ſole ficcatis. inde paſtillos in pane faciendo dilutos, cum ſimilagine ſeminis feruefaciunt, atque ita farinæ miſcent, ſic optimum panem fieri arbitrantes. Græci in binos ſemodios farinæ ſatis eſſe beſſes fermenti conſtituere. & hæc quidem genera uindemijs tantum fiunt. Si tibi cordi ſit, ut Didymus eſt author, in annum totum fermentum adfore, cum muſtum in dolijs efferueſcit, quod eructat ſpumoſum cum farina milij ſubigis, & exacte tundens in offas digeris, quæ ſole ſicceſcant, & aſperginoſo uel humentiore loco ad uſum panificij recondantur. Alij, ut idem tradit, pridie quàm panes cogant, uuas in aquam demittunt: poſtridie, quas inuenerint fluitantes comprimunt, fluidóque humore fermenti loco utuntur, quo & ſuauiora & ſplendidiora moliuntur panificia. Non deſunt, qui nitrũ cum ſubactam farinam in panes ſpiſſant, adijciant: ſiquidem nitrum panes, nõ ſecus atque conditas eo carnes, fragiliores efficere. Addit, eos qui nullo fermento fuerunt imbuti plus fermentatis ſtimulare uenerem. Sed alia muſtei fermenti ratio. Ex nouo tritico purgato farriculum facies, & ex muſto ſub pedibus rapto curabis infundere, ita ut modio farris lagenam muſti adijcias: deinde ſole ſiccabis, & item ſimiliter infundis ac ſiccas. hoc cum tertio, panes ex eo breuiſſimos admodum facies muſteorum, & in ſole ſiccatos uaſculis nouis fictilibus recondis, & gypſeo operculo claudis pro fermento. Quo tempore anni muſteos facere uolueris hoc uteris. Quo libeat uerò tempore, ex aqua hordeóque bilibres offæ feruenti foco uel fictili patina torrentur cinere & carbone uſque dum rubeant. poſtea operiuntur in uaſis donec aceſcant, hinc fermentum diluitur. Cum fieret autem panis hordeaceus, eruſiæ aut cicerculæ farinæ ipſæ admiſtione fermentabantur: iuſtumq; erat, duæ libræ in quinque ſemodios. Nunc fermentum fit ex ipſa farina quę ſubigitur, prius quàm addatur ſal ad pultis modum decocta, & relicta donec aceſcat. Vulgo uerò ſufferuere faciunt, ſed tantum pridie aſſeruata materia utuntur, palamq; natura eſt acore fermẽtari. Spuma quoq; dum in cereales potus frumentum reſoluitur concreta utuntur fermenti uice, leuioremq; panem exhibet. Validiora eſſe corpore conſtat quæ fermentato pane aluntur: quippe cum apud ueteres ponderoſiſſimo cuiq;, præcipua triticeo ſalubritas perhibita eſt. Panis uaria nomina proſequi nõ erit alienum, alias ab opſonijs appellati, ut oſtrearij: alias à delicijs, ut artola

artolagani: aliàs à festinatione, ut speustici: necnon à coquendi ratione, ut furnacei uel artoptici, aut in clibanis cocti. Laudabatur & Parthicus non pridem huc aduectus, quem alij aquaticum uocãt, quoniam aqua trahitur à spongiosa inanitate. Summa laus siliginis bonitate, & cribri tenuitate constat. Siligineus lautissimus Senecæ & Iuuenali, tener, niueus mollisq; dictus. quidam ex ouis & lacte subigunt. Persarum reges ex Asso Troadis triticũ in panem sibi quærebant. Durat sua Piceno in panis inuentione gratia, ex alicæ materia: eum nouem diebus macerant, decimo ad speciẽ tractæ, uuæ passæ succo subigunt: in de furno, ollis inditum quæ rumpuntur ibi, torrent. neque est ex eo cibus, nisi madefacto, quod fit lacte maxime mulso. Panis mulierũ opus erat, sicut etiam nunc in pluribus gentium. Artoptam Plautus appellat in fabula quam Aululariam scripsit. Tostum panẽ lautioribus coquere solebant: quare pistores uetustissimis non fuisse cõstat, eosq; tantum pistores nominari qui pinsebant. Perquam ueterem fuisse Gallis appellationẽ, nomen quoque ipsum indicio est, qui polentariũ, una tantum mutata litera, adhuc hodie pistorem appellitent, *bolengarium* nominantes, uel quod non longe abest, pultarium. Cribrorũ genera Gallię setis equorum inuenere, quæ duplici modo texunt, unum setis equinis in telam ratiorem orditis, & geminis orbibus ligneis dodrantẽ utrinq; altis, pyxidatim ea tamen per comminssuras traduce coeuntibus, per cuius rariuscula foramina succussa farina cernitur, euoluto furfure, uel retento eo quod est crassiusculum q̃ ut per inanitates transmitti possit. Hispani è lino excussoria & pollinaria adinuenerunt, quibus ultro citroq; succussando pollen incernitur, uulgus nostrum *pollentare* pro pollinario adiecta tãtum litera. Aegyptus è papyro & iunco construit. Crimnum Dioscoridi pars est crassulenta farinæ, tritici atq; zeæ. Sunt qui suspicentur crimnum farinæ cremorem esse, ut succus à cremore differat sola crassitudine. Cornelius Celsus cremorem fere pro succo usurpauit. Crimnon hordei genus est Photioni, & cyceonis Homerici liquamẽtum. Hippocrates crimnodeas uri nas pro crassis, & ad similitudinem farinæ tritici corpulentis accepit, ut Galenus testatum reliquit. Alias eruo, alias frondibus, alias furfuribus similes haberi ab eodem docemur. Nam longe aliud crymodes, ita enim febris appellatur quæ pulmones sacris ignibus obsidet, ut lepyria q̃ stomachũ, & typhodes quæ iecur male habeãt. Puls ex eo crimno fit Dioscoridi, quæ egregriè alat, & ex facili perficiatur. Zea uero aluum cõtrahit, in quem usum ante torretur. Puls Aetio omnis uocatur sorbitio, quæ aut de leguminibus, aut cerealibus granis decoquendo in succum resolutis cõficitur. Pultem Græci polton, & pulticulã polarion appellant: quamuis Latinis & pro sorbitionis genere, & pro uasculo pultariũ usurpetur. Plinius, Calidam, inquit, potionem in pultario poposcit Offilius. Aetius polentam hordeaceam quæ sit humido conspersa, mazam appellari testis est, quæ uidelicet mandatur cruda cum defruto, uel melle, uel alio huiusmodi. Quanquam hordeacei panis genus unum mazam nominent, inter hordeaceos panes deterrimũ. Maza latinum nomen non habet, nisi quis, ut Plinius, offam interpretetur. Offam Festus appellat, abscissum globi panem aut glomeratam pultem. Penitam offam Næuius appellat absegmen carnis cum coda. Mola salsa tostum far erat melle consperſum, quo uictimæ perfundebantur, ulochyton græce dicta. Iulius Pollux chidron sorbitionẽ ex tritico uirenti factam intelligit, quia uirens triticum chidria Aristophani dicatur. Pelanos Euripidi accipitur pro quacunque re cõcreta gelatáue. Pausanias in pelano placentæ genus audit: Aristophani genus, ut putant, fuit leguminis. Mazarum plura & genera & nomina. Physten Attici uocãt quæ non multum subacta sit. Est autem anthema, & ephicois, & concon, & tripte, & cardamale dicta & berex siue caryx uel carycce, à nigritia nomen habens, nõ à nucibus. Distinguitur berex à carycca Iulio Polluci, & tolypa & thridacina siue thridacisca & anemolos. Item à uino œnutta, sicut à melle melitutta. Nam achilleos uocata ex hordeo, cui achilleis nomẽ est, constare creditur. In nomine sunt & Cypria & magidis. Hesiodus amolgeæ dictæ meminit, quæ nihil aliud sit. Iis uero quæ in sacrificijs deguſtandæ præbebantur melittutæ, areſtæ & hygicæ nomen erat. In summa laudatur Lydia, carycce, erethria. Præfertur omnibus cõchos. Maza minus hordeaceo pane uires alit, uentrem flatibus refercit. Conturbationes ac strepitus ciet, si longam inibi moram fecerit: uerum operose & pertrita & subacta facilius descẽdit. quòd si melle etiam imbuatur, uentris excretionem citius molietur.

Refellit Galenus quod Philotimus uniuersum pronũciauit, defendẽs ex omni mazalentum glacialemq; succum nasci, qui uitreo quodam cõcretu in corpore coeat, ita Praxaræ præceptoris uerbis utitur. longè res aliter habet, quoniam hanc lentitiam multa digerant, ut defrutum, sapa, passum, quæ mista eum fefellerunt.

Siligo olyra. Cap. XXI

OLyra Græcis, Latinis Plinio authore siligo, Gallis olim *arinca* uocabatur, frumẽti genus est, spica semper erecta, neq; rubigini obnoxia, grano candido, læui ac multipliciter tunicato. Nascitur in humidis tractibus, locis apertis, celsis. Serenda & ubi sol quàm diutissime luceat. Densa cretosaq; humus siliginẽ quoq; non inutiliter alit. Neq; nos tamen, ut ait Columella, tanquam optabilis fallat siligo, nam hoc tritici uitium est, & quamuis candore præstet, pondere tamen uincitur. Verum in humido statu cæli recte prouenit, & ideo locis manãtibus magis apta est: nec tamen nobis magna difficultate requirenda est. Nam omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem conuertitur in siliginem. Sustinet facile ueris tepores. Præfertur tritici genus quod robus dicitur, quoniã & pondere & nitore præstet. Secunda tamen conditio est habenda siliginis, cuius species in pane præcipua pondere deficitur. Theophrastus folliculo describit multiplici, sed zea molliorem infirmioremq; minusq; solum inaniẽtem. Siligo plurimis terris cõmunis, arinca Galliarum propria, copiosa & Italiæ est. Plinius siliginem dixit propriè tritici delitias: candor est, & sine uirtute & sine pondere, cõueniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt & Galliæ comatæ. Sed & trans Alpes in Allobrogum tantum Aruernorũq; agro pertinax, in cæteris ibi partibus biennio in triticum transit. Remedium, ut grauissima quæq; grana serãtur. Siligo nunq; pariter matureſcit, nec ulla segetum minus dilationem patitur propter tenerita tem, ijs quæ maturuere protinus granum dimittentibus. Sed minus q; cętera frumenta in stipula periclitatur, quoniam semper rectam habet spicam: nec rorem continet, qui rubigi nem creet. Arinca spissior q; far, & maior spica, eadem & põderosior. Exteritur in Græcia difficulter, ob id iumentis dari ab Homero dicta. hæc enim est q; uocat olyram. Eadem in Aegypto fertilis facilisq;. Siligo sine arista est, excepta ea quæ Laconica appellatur. Præcellit in Italia rufior illa, at Pisana candidior, ponderosior cretacea. Lautissimus è siligine panis operaq; pistrinarũ laudatissima. E grano Campanæ quam uocant castratã, è modio redeunt sextarij quatuor siliginis, è gregali sine castratura sextarij quinq;, præterea pollinis semodium. ita enim appellant in tritico, quod florem in siligine. hoc ærariæ officinæ chartariæq; utuntur. Cibarij panis, quod secundarium uocant, sextarij quatuor, è Pisana siliginis sextarij quinq;, cætera paria sunt. Clusina, Aretinaq; etiamnum sextarios siliginis adsumunt, in reliquis pares. Quæ sicca molitur, plus farinæ reddit: quæ salsa aqua sparsa, candidiorem medullam, uerum plus in furfure retinet. Siligineæ farinæ modius Gallicæ uigintiduas libras panis reddit, Italicæ duabus tribus ue amplius in artopticio pane. nam furnaceis binas adijciunt libras in quocunq; genere. Sed ut ad rem redeamus, sunt qui parum de tritico & siligine inter Columellam & Plinium cõuenire censeant, cum Plinius semine tritici nullum auidius esse tradat, nec quod plus alimenti trahat. Siliginẽ dixerit propriè tritici delitias: cãdor est, & sine uirtute & sine pondere, cõueniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt & Galliæ comatæ. Adiecit in Allobrogum Aruernorumq; agro pertinacem, & in cæteris ibidem partibus biennio in triticum trãsire, remedio esse ut grauissima quæq; grana eius serantur. Columella tritici uitium esse cõtendit, candore tamen præstare, sed pondere uinci, humido statu cæli rectius prouenire. Addidit siliginẽ non magnopere requirendam esse, q; triticum omne uliginoso solo creditũ post ternam sationem in siliginem cõuerti nouerit. Sic Plinio delicata illa tritici mollities pondere defecta, candore uincens, siligo est. Istæ tamen à Plinio traditæ siliginis notæ uitium planè fatentur, nam & mollitia, uirtute, pondere à tritico descisĉere perhibetur, quæ nonnullã uitij labem ostendunt. Item bienio in triticum transire alicui notæ putatur adscribi, cui tanquã uitio remedium assignat Plinius, uolens grauissima quæq; grana serenda, ne transeat in triticũ. Nanque redire in triticum unde post alteram aut tertiam sationem degenerauerat, infirmitatis argumentum est: quam etiam satis aperte Columella declarauit tradens, nõ summopere

conquirendam

conquirendam, solaq; loci uligine triticum in siliginem cõuerti, quæ cum defuerit tibi, largam uim copiamq; suppeditabit. Sic nihil controuersæ dissensionis inter classicos hos authores haberi cõperiet, qui dicta eorum sana mente reuoluet. Grana siliginis in uino oculis illita epiphoras sedant. Ex silígine seu olyra quam arincam diximus uocari, decocta fit medicamentum quod Aegyptij atharam uocãt, infantibus utilissimum, sed & adultos illi nunt eo. Atheram è zea fieri tenuiter emolita Dioscorides asserit, & in sorbitiones decoctum pulticulæ dilutioris modo, infantibus utilem & ad illitus efficacem. Aetius ex amylo cõstare prodit. Pollux Iulius athaiam uocat pultem è miliacea farina. Atharathrion piacentę aut libi genus erat, à folijs fici dictum, quibus circumdabatur. Compositum in Plauto uidetur, ex athara & thrio quod fici frondem exprimit atharathrium. Sunt qui poetæ huius studiosi utrunque seorsum legant. Sicut idem sub persona coqui, candauli mentionem facit. Erat autem candaulos siue candylos miscella ex carne cocta, pane, caseo Phrygio, ut Athenæus author est: ut Photion, ex lacte & melle, qui & amætacem tradit heroicum fuisse edulium.

Secale. Farrago. Cap. XXII

Secale Gallis extrita una tantum litera ad hoc usque tempus *fecle* uel potius *segle* nominatur, rarumq; dictu, ut Plinij uerbis utar, esse aliquid cui prosit negligentia. id autem quod secale atq; farrago appellatur, occari tantum desiderat. Secale Taurini sub Alpibus asiam uocant, deterrimũ & tantum ad arcendam famem utile, fœcunda sed gracili stipula, nigritia triste, sed pondere præcipuum. Admiscent huic far ut mitiget amaritudinem eius, & tamen sic quoque ingratissimum uentri est. Nascitur qualicunq; solo, cũ centesimo grano, ipsumq; pro lætamine est. Frumenti genus secale uulgo notissimũ, stipula est culmo triticeo, graciliore, ac procerio re: spica innocentioribus aristis horrente, non erecta sed semper procumbente, & ideo rubigini, quòd imbres retineat, opportuna: grano glumis explicito, & ob id caduco, tristi, nigricante, strigoso. Culmi prodeunt lenti, flexiles, quibus aqua madefactis uitilium uice festucandis uitibus utantur Galli. Præcocem cum adhuc floret segetem nonnulli secant, & sole siccatam per uindemias, uuis in torculari premendis alterno utrorunq; instratu interponunt, & quod profluxerit uinum, in prelum semel atq; iterum reuocant, ita & saporem & odorem uini commendant, festucaceum appellantes uinum. Hoc pacto ueram uini saliuam heluones mentiuntur. Duplici ratione apud nos secale seritur, aut simplex, uel tritícum aut far miscetur æquis fere partibus. miscellaneam hanc segetem Galli *mistellam* quasi miscellam nominant. Conditiuamq; excussis etiam granis, *farraginem* rustici nostrates appellant: quemadmodũ & fasces & manipulos inde compositos, *farreum*. Ea per hyemem iumentorum pecudumq; pabulo cedit, quibus etiam pro lætamine est, id causæ fuit cur secale Plinio farraginis genus fuerit. Farrago ex recrementis farris prędensa seritur admista aliquando & uicia. Eadẽ in Africa fit ex hordeo, unde hordeacea farrago dicitur. Sed hæc pabularia sunt. Farragini quæ ex hordeo est, Columella pabulorum secundas partes tribuit. eam in restibili stercoratissimo loco & altero sulco serere conuenit. Fit optima cũ cantharini hordei decem modijs iugerum obseritur circa Aequinoctium autumnale, sed impendentibus pluuijs, ut consita rigataq; imbribus celeriter prodeat, & confirmetur ante hyemis uiolentiam. nam frigoribus cum alia pabula defecerunt, ea bubus cæterisq; pecudibus optimè dissecta præbetur, & si depascere sæpius uoles, usq; in mensem Maium sufficit. Quòd si etiam semen ex ea uoles percipere, à Calendis Martijs pecora depellenda, et ab omni noxa defendenda est, ut sit idonea frugibus. Nostri equorum mãgones *dragetam*, quasi uario pabulorum genere conflatam nominant. equis repurgandis, deinde saginandis præcipuam uerno tempore, ut in ueterinaria docuimus medicina. Hæc farrago Græcis dicta grastis, post trimatum equulis dari solet. Hæc enim purgatio maximè necessaria est equino pecori, quod diebus decem facere oportet, nec pati alium ullũ cibum degustare; ab undecimo usque ad quartumdecimum, hordeum dandum est. Ex segete ubi sata ad mista hordeum & uicia & legumina pabuli causa sunt: inde quòd far ferro cæsum sit, farrago Varroni dicitur, aut quòd in farracia segete seri cœptũ. Ea equi & iumenta uerno tempore purgantur, atque saginãtur. Fuit & apud antiquos pabuli genus quod Cato ocymũ

uocat, quo sistebant aluum bubus. Id erat è pabulis segete uiridi dissecta, antequam gelaret. Varro appellatum censet à celeritate proueniendi, ab ὠκὺς quod cito ualet, dictũ. Amplius ocymũ quòd citat aluum bubus, & ideo ijs datur ut purgentur. id genus pabuli causa sunt segetes uirides sectæ antequam gerãt siliquas. Cæterum ut ad nostrum institutum redeamus, magno in errore uersantur qui secale uernaculis nostris dictum, esse siliginem existiment, cum ex hac lautissimus, tener, candidus & primatum tenens fiat panis: ex illo cibarius secundariusq́, ater & pondere præcipuus, ad arcendum pauperum famem tantum utilis, qui ueterascens acorem contrahit, perquam recens aliquam odoris habet gratiam, quam confestim durescens exuit. Miscetur apud nos secale tritico, ut panis inde confectus tenuitudinem suam diutius tueatur. Secalis panem quãoptime nostra natio nouit, qui etsi nigricet, & esus eius stomacho sit grauis, per annonæ tamen inopiam ieiunia uulgi satiat & inediam explet. Item ex siliginе pistrinarum opera fiunt laudatissima, ex secale nullum fere tentatum est. Triticum tamen asserunt rusticæ rei prudentes, si macro apud nos solo ieiunóue mãdetur, in secale post annum aut eodem degenerare. An tamen ad triticum si solum nanciscatur idoneum redeat, quamuis id aliqui uelint agricolæ, non facile crediderim, quoniam illa grani strigosa macies, quancunq́ soli ubertatem adipiscatur, uix unquam poterit in solidum resarciri.

Typha cerealis. Cap. XXIII

Typha cerealis specie siliginі non dissimilis, simplici culmo adsurgens, grano multiplici tunica uelato, atq́ leuissimo, radice numerosa, tritico perquam similis traditur. Mutari solet in triticũ prę́sertim si pista seratur, nec protinus, sed anno tertio. mutatione etiã loci degenerat: nec ullum offendes frumenti genus, quod in aliud transire tam facile queat. Cumq́ degener fuerit, redire ad frumentum facile solet. Granum, si Theophrasto credimus, multiplici folliculo concluditur, maturiusq́ seritur, calamo simplici prosiliens. Leuissima omnium typha, solo tenui contenta, nec pingue nec lætum desiderans. Postea quàm defloruit crassescit granum, perficiturq́ complurimum intra dies quadraginta. Plinio eiusdem cum oryza generis, ex qua fiebat in suo orbe oryza. Mnesitheus typhę tertiam à tritico & hordeo sedem assignauit, eamq́ duplici quidem nomine donatã, rem tamen esse unam statuit, quæ alijs typha, alijs olyra uocetur, priuatimq́ post tritici & hordei mentionem sermonem de typha facit his uerbis, Inter alia uero semina principatum tenet typha. nanq́ satis alit, nec magno negotio cõficitur. Præponitq́ eam zeæ, quòd nemo, ut inquit, abunde uesci pane qui ex zea spissetur, sine suæ sanitatis detrimento potest. siquidem grauis stomacho & coctione contumax. Diocles libro quem Plistarcho dicauit, in quo ciborũ facultates breuibus ac paucis perstringit, proxima esse olyram, & typham, zeam, panicum, & milium: tãquam aliud olyræ semẽ, aliud typhæ cognoscatur, zeamq́ postponit typhæ. Cæterum cum Galenus Thraciam & Macedoniam peragrans lustrasset, segetem multis in aruis offendit, non spica modo, sed & culmo quoq́ toto typhæ simillimam, quam Asiatici serunt: cõsulensq́ rusticos ac rogans quodnam illi fuisset apud eos nomen, stirpem totam semenq́ brizam uocari responderũt. Semen cogitur in panes atros quidem & grauiter olentes. Mnesitheiq́ iudicio libenter Galenus subscripsisset, zeam esse credẽs, si panis ater è zea fingeretur. triticeo longè est inferior. Typhæ largior in Asia prouentus, regione, ut uult Galenus, quæ supra Pergamum sita est, quam agricolæ, quòd triticum in oppida conuehi soleat, ad panificium usurpant. Prima laus panibus ex olyra confectis tribuitur, nanq́ triticeis sunt proximi. Secundas partes possident è typha coacti, si syncero constent semine: qui caldi ac recentes olyraceis etiam longe præstare noscuntur, uerum aliquandiu reseruati semetipsis deteriores euadunt. Quippe cum illorum massa tenax sit & lentitiæ sequacis, citius densati occallescunt adeo, ut si quis pridiano aut biduano uescatur, lutũ in uentre concretũ putet residere. Caldus uero ab ipsis urbanis expetitur, qui adhuc furni calorem & mollitiem retineat: quomodo nec rusticis solum, sed & politioribus in delitijs morosoq́ palato gratus habetur. At cum tres aut quatuor dies excessit, ipsis rusticis etiã insuauior. tum enim & difficilior concoctu, & tardius aluo descendit, quas molestias caldus non adfert. Corpus egregie dum caldus estur alit, et penè cum triticeo, qui farina parum succreta cogitur, syncomistos

ſyncomiſtos Græcis, noſtris cibarius appellatus, de paritate contendit. Granũ typhæ glu
ma uelut hordeũ ueſtitur, pinſitumq; denſatur in panes, totumq; uſui creditur. nanq; cum
ſapa aut defruto coctum adiecto ſalis pauxillo, ut triticum manditur. Color typhæ tritico
flauior, ſtrigoſum corpus & exilius. Inueniuntur qui typham aſſerant in tritici numerum
referri, ueſcumq; eſſe triticum, quod Hector, Homero teſte, ſuis equis obtulit, eoq; inno-
xie paſcuntur equi, cum reliqui tritici eſu noxam contrahunt. Quapropter non abſurde
typha, ut Galenus eſt author, exile triticum appelletur, cum & colore & denſitate & calfa
ctoria ui illi perquam ſimilis uideatur. hæc Galenus. Cæterum briſa illa de qua nonnihil
nunc diximus, non longè diſſidere creditur, ab ea quæ Gallis ſecale nominatur. ex quo pa
nis fit ater quidem, ſed recens non inſuauis, à qua nomen *bizi panis* in uulgus noſtrum ma-
naſſe putatur, extrita litera uocans bizum panem, nigrum. Nanque rei ruſticæ prudentes
adferunt triticum uel far ſi ieiuno aut gracili macróue ſolo mãdetur, in ſecale degenerare.
Hoc idem ſecale poſt unam aut alteram ſationem lęto ſolo pinguiq; creditum, redire in tri
ticum aut far, ita ut ſoli beneficio & ubertate è ſtrigoſo in plenum & altile corpus reuerta-
tur. Et iam noſtra ætas uidit in Pariſienſi agro ſatum frumẽti genus, multo craſſiore & ſti
pula & culmo, ſpica multiplici, una tamen tanquam fœtu grauida plures alias pariente, ſi-
ne ariſtis, grano tritici, multiplici tegmine uelato: typham tamen non eſſe ſatis granum te-
ſtatur, quod nec magnitudine, neque corporis coalitu, tritico cedit. Typhę uero grani exi
litas aperte reclamat, quod & ueſcum eſſe & ſtrigoſum antea diximus. Sunt qui exiſtimẽt
id eſſe farris genus quod nullis armatum ariſtis emicat, quod nõ auſim aſſerere, quamuis
nonnullæ deliniationi notæ uideantur ſuffragari. Hærentem tantum ſegetem non ſectam
ſemel aut iterũ uidere licuit. Sed opinionis authoritatẽ eleuat ſpica grandior, multis alijs
minoribus ſpicis perinde quaſi ramulis brachiata: id quod à claſſicis ſcriptoribus nõ fuiſ-
ſet ſilentio prætermittendum. Crediderim potius id eſſe tritici genus, quod Plinio centi-
granum uocatur. Fertiliſſimum ramoſumq;, nõ ut arbitror, culmo ſed ſpica, cacumine fre-
quenti coma ſpicato, & tot granorum feraci, ut ſæpe centum uel plura reperiãtur, inde no
men tritico centigranum. Theophraſtus tradit cerealem typham frumenti genus ut trití-
cum hordeum'que naſci radicibus multis, folliculo multiplici, culmo ſimplici, leuiſſimam
frumentorum. Addit gracili ſolo facile prouenire, tritico perquam ſimilem. Piſtam ſerũt
qui mutari uelint in triticum, id'que demum anno tertio procedit. Eſt huic gentilis apud
Theophraſtum typha, quæ aquaticis fruticibus adnumeratur, nec radice numeroſa co-
hærens, ſine geniculis, & folio ſcirpi modo proſiliens, Orchomenion circa lacum, parte
radici proxima, eſu præcipue pueris tenera. Idem tamen genus an diuerſum infra relinqui
tur exiſtimãdum. Sunt qui ſolius literæ mutatione à cereali typha putent differre, tipham
ſcribentes.

Bromos ſiue auena. Cap. XXIIII

BRomos ſemen eſt ſpicam ferentis herbæ, alterumq; genus auenæ, tanquam
ſylueſtre triticum naſcitur, inter uitia ſegetum, calamis ac folio frumenti, ſed
ab ariſta dependent paruulæ ueluti locuſtæ, radice numeroſa, ex qua cul-
mus frequens ſpargitur. Dioſcoridi auenæ genus eſt bromos, folio & ſtipula
triticum imitatur, herba geniculata, dependentibus in cacumine paruulis ue-
luti locuſtis, quibus ſemen includitur. Hoc granũ, nam de ipſo (quia ſit inter fruges) diſſe
ritur, natura maxime operuit, ut Theophraſtus ait. Radice copioſa nititur, multiplici cul-
mo ſparſa, ſylueſtri fere habitu quaſi ægilops, inter uitia ſegetis auenæ modo naſcens. poe
tæ bormum, interdum bormacem dicunt. Primum omnium frumenti uitium auena eſt, &
hordeum in eam degenerat, ſic ut ipſa frumenti ſit inſtar: quippe cum Germaniæ populi,
ſi Plinio credimus, edant eam, neque alia pulte uiuant. Vidimus in Gallia per annonæ ca-
ritatem confectum auena panem, quo famem pauperes arcerent, ſoli maxime celiq; hoc e-
uenit uitium. Sequentem cauſam habet imbecillitas ſeminis, cum diutius retentum eſt ter
ra priuſquam erumpat. Eadem eſt ratio ſi carioſum fuit quum ſereretur. Prima ſtatim eru
ptione cognoſcitur, ex quo apparet in radice eſſe cauſam. Eſt & aliud ex uicino auenæ ui-
tium, cum amplitudine inchoata granum ſed nondum matura, priuſquam roboretur cor
pus afflatu noxio caſſum & inane à ſpica euaneſcit, quodam abortiuo. Venti tribus tem-

poribus nocent frumẽtis, in flore, aut protinus cum defloruere, uel matureſcere incipientibus, tunc enim exinaniunt grana. Nocet & ſol creber è nube. Naſcuntur & uermiculi in radice, cum ſementi, imbribus ſecutis, incluſerit repentinus calor humorẽ. Gignũtur & in grano, cũ ſpicæ in pluuijs calor inferueſcit. Auena in reſtibili ſtercorato loco, & altero ſulco conuenienter ſeritur. quæ autumno ſata partim cæditur in fœnum uel pabulum dum adhuc uiret, partim ſemini cuſtoditur. Cæterum duo ſunt auenæ faſtigia, unum bromos, qui Plinio ſemen eſt ſpicam ferentis herbæ. Naſcitur inter uitia ſegetis, auenæ græcæ genere, & folio & ſtipula triticum imitatur. In cacuminibus dependentes paruulas uelut locuſtas habet. ea uulgaris noſtra eſt auena. Aliud feſtuca, quæ Græcis uocaſ ægilops. hæc necat hordeum in quo maxime naſci amat. Plinius auenam græcam uocauit cui non cadit ſemen. hæc nõ niſi poſt annum ex ſemine ſuo gignitur, uere piloſum ei folium ut lolio, nõ tamẽ ut illi pingue, ſi Theophraſto credimus, immitis aſpectu. Solum emaciat radice cumoq; multiplici. Melius in cultis erumpit. Remedium eſt ut arua biennium quieſcãt, tum plane luxuriantem eam immiſſum pecus obterat & conſumat. Ruſticis noſtris *auron* dicitur, quaſi auenago uel auenula. Caducum præcedentis anni ſemen, ut tradunt agricolæ, in agris reſtibili fœcunditate regerminat, reliquamq; frugem præcoci maturitate præueniẽs tabe conficit, ei ſubripiens alimentum, ita ſeges ſuo decoquit domino. Remediũ hoc unũ putant, ut ager qui hoc ſcatet uitio, rurſum aratro proſcindatur, uereq; trimeſtri frumento reſeratur, ſic ea pernicies eluetur. Auena iumentorum pabulo Gallis nota eſt, frumẽtacei generis, ſpica rara & molli, flore albicãte, ſemine ueſco et multipliciter tunicato, radice numeroſa. Huic ſemen nõ decidit, quare genus auenæ græcæ poteſt exiſtimari. Feſtucæ quæ ægilops dicitur ſemen ante meſſes deciduum, quod poſt annum humi conditum regermi nat, ſpicaq; inanis, & orba grano ſpicilegij tempore, uaneſcensq; culmus quaſi feſtuca reperitur, unde nomen adipiſci feſtucæ putauerim. Bromus, ut eſt Galenus author, iumentorum pabulo potius q̃ hominũ cibo naſcitur, nec niſi cum extrema premit fames, in panes cogitur. Verum extra annonæ penuriã, granum in aqua coctũ eſtur ex paſſo, ſapa, uel mulſo, ſicut typhæ. Egregie calfacit non ſecus ac illa, quanquam non ſit tanta duritie prædita, ex quo minus alit corpus. Inſuauis eſt alioqui panis qui eo fingitur. Cæterum nec firmat nec impellit aluum, naturę conſuetudinem ſeruans. Paulus item excalfactoriã ei uim aſſignauit. Coctum, adiecto defruto uel paſſo aut mulſo, Galli *auenatum* uocant, quo interdum inter epulas utunt̃. Bromos mediocriter refrigerat, & acerbitatis ui prædita quadam tenus ſubſtringit, unde & aluum cohibet potio, ſuccoq; in ſorbitionibus tuſſi medetur. Semen ad cataplaſmata perinde quaſi hordeũ utile. Puls auenacea Dioſcoridi efficax eſt aluo conſtituendę. Cremor eius tuſſientibus ſorbitione prodeſt. Auenæ farina in aceto tollit næuos. Nonnulli apud nos auenam tundunt, leniterq; piſtam *grualdum* appellãt, carniũ decoctũ ius ea opſonãtes, ut concoctionẽ adiuuent. Aegilops feſtuca folio eſt tritici, molliore ſummo in capite, ſemina bina uel terna quæ rubent, in quibus ariſtulæ capillamenti modo prætenues uiſuntur. Hæc ſui nominis morbũ oculorũ ſanat, illita diſcutit duritias. Succus exprimitur è calamis foliiſq; prægnantibus dempta ſpica, & in trimeſtri farina digeritur in paſtillos, ad eoſdẽ uſus. Bromos quoq; herba à quibuſdã ſiphonion & acroſpelos dicitur, Italia nominat *auenam*, ſimilis eſt ægilopi, naturamq; habet ſiccandi: proinde in aqua decoquit̃ donec ſe ſuccus ad tertias cõtrahat. Hic colo effuſus miſcetur melli æquis portionibus, deinde iterũ coquitur donec ſibi liquidi mellis craſſitudinẽ aſciſcat. Facit ad ozænas ſi linteolũ eo imbutum naribus adigatur. Quidam & aloen ſubigentes admiſcẽt, utunturq; ita quibus anima fœtet. Decoquitur cum roſa ſicca in uino. Ferunt in Orientis parte intima auenam ſponte prouenire, cuius gens ore concreto & naribus orba uno tantum foramine ſpirat, potumq; calamis eiuſdem trahit, & grana etiam ad ueſcendum.

Oryza. Tragos. Cap. XXV

Oryza frumenti genus eſt lolij aſpectu, non ſpica ſed iuba, ueluti milium, grana continens zeæ uel ſemini dicto ſimilia, uulgus Gallicum detracta priore litera *rizon* appellat, quidam *hordeum galaticum*, quia graue ſit atq; cãdidum. Theophraſtus oryzon uocauit peregrinũ initio ſemen ex Indiaq; delatum, ſimile zeæ, aſpectu lolij, magna parte temporis reſidens in aquis. Cæterum

effundit

effundit non ſpicam,ſed milij modo ac panici iubam. Indi hanc ſerunt zeæ modo piſtam, & ita reddunt concoctu facilem. Italici quidem oryza maximè gaudent,ex qua ptiſanam cõficiunt,quam reliqui mortales ex hordeo. Oryzæ quidem folia carnoſa, porro ſimilia, ſed latiora,altitudo cubitalis,flos purpureus,radix gemmeæ rotunditatis. Itaq; duo reperiuntur genera,unum grano candido,quo plurimum Gallia ueſcitur. decoquit cineribus calidis,non niſi perunctũ pingui iure. Sunt qui hodie in lacte parent ut ſanguinem alat & genituram augeat. Alterum grano rubente,quod Plinius cubitali demonſtrat altitudine, foliis porro ſimilibus ſed latioribus, carnoſis,flore purpureo, radice gemmeæ rotunditatis. Vtrunq; naſcitur in humidis. In Bactrianis quoq; ac Babylonia & Suſide atq; Syria inferiore gignitur: in Italia multis locis,in Gallia nõnullis. In eadem gente, ut eſt Strabo author,boſmorus frumenti religioſi genus traditur,tritico minus. Inter amnes prouenit,excuſſum areis torretur protinus: & iureiurando adiguntur meſſores nõ aſportaturos id ſe prius inde q̃ coxerint, ne ſemen in alias terras cõmunicari poſſit. In Diodoro boſporon non boſmoron corruptis exemplaribus inuenies. Dioſcoridi oryza frugis genus,uligino ſo & paluſtri ſolo proueniens. Alit mediocriter,uentremq; ſupprimit. Subacerbo conſtat ſapore,ut Galenus author eſt,quare mediocriter aluum cohibet. Decoctum eius ſuperne uel ſubter in aluum datur cõtra dyſenterias,tormina & uentris dolores. rubens efficacius adſtringit. Oryza omnes,ut idem tradit,decocta alicæ modo utuntur in ſiſtenda aluo. minus alit,ægrius conficitur,inſuauioris eſus. Pſellus oryzam prodit uentrem ſiſtere,difficiliorem q̃ cõcoctu alica. Indi ex oryza oleum facere dicũtur ſicuti è ſeſamo. Tragos cerealis,ut ab herba diſtinguatur,frumenti genus aſpectu perſimilis alicæ ſeu chondro,inferiorem longe zea præbens alimoniam, quoniam furfuroſi recrementi multũ in ſe concipiat: ideoq; in cibo deiectu difficilis,aluum quæ ſubſtiterit molliẽs. Galenus tragi granũ quod eſt alicæ non diſſimile compluribus glumis ueſtiri refert,& ob id minus zea nutrire,ægrè in uẽtriculo conuinci, & aluum magis emollire. Addit ex ſplendida & nobili ſiligine ceu olyra tragum confici,cuius pleriſq; eſt uſus. Primum in aqua coquitur,mox effuſa priore aqua mulſum,ſapa,uel paſſum infunditur: demũ pineæ nuces aqua præmaceratæ donec intumeſcant,ſuperinjciuntur. Sunt qui tragũ nõ æmulari tantũ aſpectu olyram, ſed idem eſſe genus defendãt. Quid tamẽ ſit ſtrygis in Hippocrate,quam leuiorẽ eſſe tritico,& uentrem magis ſoluere teſtat, nõ cõperi,niſi quis ſtrygitẽ pro trago capiat. E zea piſta quemadmodum chondros fiat,& ex alica quoque generoſa tragos,rei ruſticæ ſcriptores Græci produnt.

Alica ſiue chondros. Cap. XXVI

ALica res,inquit Plinius,Romana eſt,neq; Pompeij Magni ætate in uſu fuiſſe traditur, nec prídẽ excogitata: alioqui non ptiſanæ potius laudes ſcripſiſſent Græci,cui antefertur ſine dubio. Alicæ tria genera, minimum ac ſecundarium,grandiſſimum uero aphærema appellant: nondũ habent candorem ſuum,quo præcellunt. Mirum dictu,admiſcetur creta quæ trãſit in corpus, coloremq; & teneritatem adfert. Negantq; Campani alicam confici ſine eo metallo poſſe. Adulterina fit maxime ex zea quæ in Africa degeneret, latiores eius ſpicæ nigrioresq; & breui ſtipula. Pinſunt cum arena, & ſic quoq; difficulter conterunt utriculos,ſitq; dimidia modij menſura: poſtea gypſi pars quarta inſpergitur,atq; ut cohæſerit farinario cribro ſubcernunt. quæ uero in eo remanſit,exceptitia appellatur, & grandiſſima eſt: rurſus quæ tranſit,arctiore cernitur,& ſecũdaria uocatur. Item cribraria, quæ ſimili modo in tertio remanſit cribro,anguſtiſſimo & tantum arenas tranſmittente. Alia ratio ubiq; adulterandi. Ex tritico candidiſſima atq; grandiſſima deligunt grana,& ſemicocta in ollis,poſtea arefaciunt ſole ad initium, rurſusq; leniter aſperſa molis frangunt. Ex zea pulchrius quàm ex tritico fit granum,quamuis id alicæ uitium ſit. Candorem ei pro creta lactis incocti miſtura confert. Sed inter prima alicæ ratio dicatur præſtantiſſimæ ſaluberrimæque,quæ palma frugum indubitanter Italiam contingit. Fit & ſine dubio in Aegypto ſed admodum ſpernenda. E zea piſta quemadmodum chondros fiat, rei ruſticæ ſcriptores produnt. Item Dioſcorides chondron ex zea fieri refert, quam ex argumento duplicis grani,dicoc con nominari placuit. Omnino ea frumenti ſpecies à Græcis intelligitur, quæ Latinis far nuncupatur. Archigenes far chondro potius ſimile, quàm idem uidetur exiſtimaſſe.

far,inquit,Romæ,ut chondros Græcis, conficitur sanitatis usu. Frumentum aqua macerratum nudatur cortice,mox siccatũ in sole tunditur,sed leniter ita ut singula grana in partes quaternas quinas'ue dissiliant. Paulus alicam differre à chondro putat. Alix,inquit,similis chondro est natura,nisi quòd uentrẽ magis supprimit. Aetius chondron alicæ cum dicit, ptisanam ex alica denunciat, hoc est alicam farris modo fresam in sorbitionis usum, ut ptisana. Idem ut Archigenes meminit, pulte ad dysentericos ex farre quemadmodum cõficiatur docet. Ad eum usum far,inquit,clusinum desideratur. Alica siue chondros Galeno triticei est generis,ualentis materiæ, glutinoso prædita succo,siue in aqua tantum sit cocta cum mulso,uel passo,siue austero uino,siue oleo saleq; cõsperſa. interdum & illi acetum iniicitur. Sic conditum chondron medici alicæ ptisanam uocabant. Diocles & Philotimus triticeam ptisanam maluerunt appellare. Chondri nomen rariusculе ueteribus fuit usurpatum, quippe quod communi tritici nomẽclatura ueniret. Cæterum panes ex alica fictos abunde nutrire, sed tardius excerni, dictum est. In libello Hippocratis de uictus ratione præterea similaginem & coctam alicam ualentissimæ esse materiæ. Verum cauendus usus, iis maximè quibus iecur inferctus uitio facile implicat, aut quibus renes creandis calculis sunt opportuni. Sorbitiones ex elota alica succo aquę commisto constant,qui longiorem desiderat cocturam, alioqui noxam non paruam ægrotantibus adfert,cum ocius in lentorem coeat: quare admista largiore aqua tãtisper agitando subinde, debet discoqui,dum satis esse uidebitur. Oleum ab initio protinus infundendum,cum abunde coctus erit,sal adiiciendus. ea coquendi ratio. Alicam esse eximiè utilem nemo dubitat, siue eluta detur ex aqua mulsa, siue in sorbitiones decocta, siue in pulte. eadem in aluo sistenda torretur, dein fauorum cera coquitur. Peculiaris tamen longo morbo ad tabitudinem redactis subuenit,ternis eius cyathis in sextariũ aquæ sensim decoctis,donec omnis aqua consumatur: postea sextario lactis ouilli aut caprini per continuos dies,mox adiecto melle. Tali sorbitionis genere emendantur syntexes,id est corporis colliquamenta. Aluũ continet & stomachum firmat alica, commodius quàm oryza. Illinitur lepris cocta ex aceto, & unguibus scabris,& incipienti ægilopiæ. Cremor decoctæ infunditur dysentericorum torminibus. Conficitur apud nos non longè dissimili ratione. Far delectum & elotum tantisper in aqua cum sacharo mellis uice coquitur,dum prorsus intabuerit,adiectoq; pingui iure olei loco cremor colatur,relictisq; fresis aliquot granis,momentum friati salis insper gitur,ut in pultem sanis,in sorbitionem ægris coeat. Ea apud nos uocatur *frumentacea*: nam Galli far & triticum, tantum frumenti nomine uulgo complectuntur. Psellus Antiochenus chondron curcutin à rusticis appellari tradit: uires etiam alere, pituitam gignere si ad satietatem estur, uel crudam stomachi redundantiam. Scio à Mauritanis *candarusium* uocari.

Milium. Cap. XXVII

MIlium Latini iuxtà & Galli uocant, Græci cenchron, frumenti genus, stipula cubitali,geniculata,folio arundinaceo,semine in longis paniculis tereti & pendulo,radice numerosa altaq;,ac multiplici fruticante culmo. Milium æstate seritur Theophrasto, & intra quadragesimum diem metitur. caulis ei arundineus, lanugineus flos, quem circa spicam gerit. semen in iuba profert folliculo conclusum,effusam enim illam arundinaceam comam iubam appellant. Largior aquatio detrahit folia. Milium diu seruari potest, quòd maximè duret. Plus centum manet annos, si condatur quo uenti non perueniant. Ante Vergiliarum exortum seritur Italiæ ritu,alioquin in Græcia earundem occasu, nonnusquam utroque tempore: uere fastigiatur in culmum, geniculatum & concauum. Semen ei tantum pro indiuiso & paruis auibus expositum est, indefensum quippe membranis continetur. Est & aliud consimile quod Indicum cognominant, in Italiam Neronis principatu conuectum, nigrum colore, amplum grano,arundineum culmo. Adolescit ad pedes altitudine septem, prægrãdibus culmis, lobas uocant, omnium frugum fertilissimum, ex uno grano terni sextarij gignuntur. seri debet in humidis. Hodie Galli in hortis ostentationis gratia serunt, grano pisum æquante, atro, stipula arundinea quinũm apud nos senum'ue pedum proceritate, quod *milium Saracenicum* quasi peregrinum nominant, nec ante quindecim annos huc aduectum.

Fit & panis

Fit & panis prædulcis è milio qui in coquendo multum crescat. Sarmatarum gentes hac maximè pulte aluntur, et cruda quoq; farina, equino uel sanguine è cruris uenis admisto. Aethiopes non aliam frugem quàm milij hordeiq; nouere. Milio Campania gaudet, præcipuè pultem candidam ex eo facit. Milij, panici, & sesamę apludam uocant purgamenta. cum in folia milium exit, aquis minime gaudet. Vetantq; inter uites arboresq; frugiferas seri, terram emacrari hoc satu existimantes. In frigido & aquoso solo prius serendum: postea in calido præcipiunt. eo tamen infestatur ager, & eius segete fatiscit, nisi stercore iuuetur, & absumptas uires hoc pabulo refoueas. Sæpe duobus sextarijs iugerũ spargitur. Interdum sextarios quatuor aut quinque recipit. Prima satio circa Idus Apriles peragi debet, quinque sextarij singula iugera occupant. Panis ex milio conficitur, qui antè quàm refrigescat sine fastidio potest absumi. Pinsitum etiam & euolutum furfure pultem quauis inopia maximè cum lacte non fastidiendam præbet. Milium, ut Græci rei rusticæ authores memoriæ prodiderunt, solo limoso uliginosoq; gaudet, fabuloso etiã si frequentius irrigetur. Porrò seminis pauxillum omnem implet agrum. Sarriri & runcari continuo desiderat. Seritur ab Aequinoctio, quod ante octauum Aprilium Calendarum diem peragitur. Quòd si densius seratur, noxam trahit: quando uix iugerum recipiat quantum plena manus continet, etiam si inter sarriendum quippiam euellatur: itaq; satum diligenter iugerum modios quadraginta procul dubio pferet. Ad milij remedia Democritus noctu rubetam aruo circumferri iubet prius quàm sarriatur, defodiq; in medio inclusam uase fictili, ita nec passerem nec uermem nocere: sed eruendam prius quàm metatur, alioquin amarum fieri. cum in articulum seges ire cœpit, runcandum ne herbæ uincant. Pestem à milio sturnorum passerumue agmina sciuit arcere Plinius herba, cuius nomen est ignotum, in quatuor angulis segetis defossa. Mirum dictu, ut omnino nulla auis intret. Porrò milium à miliaria summa deriuatum Festus existimat, non à Grecis, apud quos cenchros, & Strabonis cenchrys dicitur. Hippocrates paspalen uocauit. Varro milium à Græco deducit, nam id melinen, inquit, uocant. Dioscorides & Theophrastus melinen panicum intelligunt. Farinam miliaceam, seu fractum milium sunt qui scrutum uocari putẽt in Horatio. Sunt quibus uasis potius appellatio ea uidetur, ex scroto, id est corio consuti, quod genus Græci thylacos, id est folles quasi pasceolos dicunt, in quibus panis quoq;, ut in panario, seruabatur. Miliarium uas à pondere non ab hoc semine nomen traxit. Est autem, ut placet Athenæo, in quo excalfiunt aquæ, quod è Græcis aliqui nominant ipnolebeta, id est caldarium. Aues quoq; ab eodem miliariæ, ut eidem placet Varroni, dicuntur, quòd (ut arbitror) ad hanc frugem cateruatim se cõferant, eoq; uescentes pinguescant. Vulgus nostrum *linotas* uel melius *linarias* appellitat, quia, cũ rarior apud nos sit usus milij, ad linum & cannabim turmatim aduolent, sicut carduelis ad carduos, inde nomen adhuc uulgo remansit. Et quamuis cenchridi aui nomen uidetur milium indidisse, eam tamen nõ esse miliariam audemus adserere, cum cenchridem, ut refert Plinius, accipitrum generis Græci faciunt, Latinis (ut puto) tinunculum dictam. Columella genus accipitris tinunculum à rusticis uocari scriptum reliquit, qui ferè in ædificijs nidos facit, cuius extat uetus Democriti præceptum, cum columba fastidiosa sit, ut sæpe sedes suas perosa, si detur euolãdi potestas, relinquat, præcipuè ubi liberos habet egressus. Eius pulli singulis ollis fictilibus conduntur stipantibusq; opercula supponuntur, & gypso lita uasa in angulis columbarij suspenduntur. quæ res auibus amorem loci sic conciliat, ne unq; deserant. Eam auem Gallia, ueterem Græcorum uocem adhuc imitata, *quercerelam* quasi cẽchridion nominat, uulgo præclare cognitam, q; in altis urbium turribus nidificet. Sed iam ad rem redeamus. Milio, ut Galenus tradit, in panes abuntur, cum cęterarum frugum urget inopia. Ii corpus parum alunt atq; etiã refrigerant, perq; arida prædĩti natura, ita ut arenularum aut cineris instar digitis frientur: nec mirũ, q; nullo glutinoso lentore iuncti coalescãt. Rustici milij farina cocta admisto adipe suillo & oleo uescũtur. Milium ad omnia panico præfert idẽ Galenus, nam & gratius estur & facilius cõcoquitur, uentremq; minus cohibet ac magis nutrit. Huius farinã lacti incoctã ueluti triticeã agricolæ mãdunt. Lacte pręstantius redditur eduliũ, q; in edẽdo iucundã uoluptatẽ cõciliet, deiectionẽ uẽtris facilis moliat, eoq; duce facilius mẽbratim digerat. Hoc semen ex se nullã gratiam init. Cæterũ quod ad medicinas

pertinet

pertinet,milio sistitur aluus,discutiũtur tormina,in quem usum torretur anté. Neruorum doloribus,& alijs feruẽs in sacco ponitur,neq; aliud utilius:quoniã nihil lenius molliusq; & caloris capacius. Itaq; talis usus eius est ad omnia, quibus calor est profuturus. Farina eius cum pice liquida serpentiũ & multipedæ plagis imponitur. Est et gentilis herba,hinc miliaria ex eo dicta,q; milium implicando enecet. hæc trita,& cornu cum uino infusa,podagras iumentorũ sanat. Vis milio refrigeratrix in primo ordine & resiccatoria in tertio, tenuiũ quadãtenus partium, quare minimo est alimẽto. In pulte aluum sistit, urinam pellit. Tostum in sacco ponitur feruens ad discutienda tormina & neruorum dolores.

Panicum. Cap. XXVIII

PAnicum nomen retinet apud nos latinum, Theophrasto nunc helimos,nũc melinos dicitur, Italiæ quoq; hodie melica, milij similitudine prosilit, denis cum minimum folijs luxurians,culmo penè in surculum extenuato,nutante,rubido panicularum fastigio,prædensis aceruato granis,aliàs purpureis, aliàs rufis, nigris aliàs, item & candidis. Panicum à paniculis dictum tradit Plinius,cacumine languido nutante. paulatim extenuato culmo penè in surculũ,prædensis aceruato granis, cum longissimæ pedali obsimili comæ granum complexæ, quæ fimbriato capillo curuatur. Sunt & panico genera,mammoso,e panno paruis racemato paniculis & cacumine gemino. quin & colore distinguitur candido, nigro,rufo,etiam purpureo. Calamus à Theophrasto ei tribuitur arũdinis ut milio, flos lanuginis. Seritur æstate, & quadragesimo die absolui inter omnes conuenit. Non tamen defuerunt qui pauciores assignarint dies,intra quos demeteretur. Minus cũ in folia exijt rigari desiderat,nam crebra aquatione folia dimittit ut milium: sed ualidius milium, dulcius panicum & infirmius. Durãtissimum inter fruges panicum, quod purgari ut milium non nisi tostum potest. Calidis & siccis regionibus panicum seritur: leuem enim & solutã terram desiderat. Nec in sabulone solum,sed & arena quoq; prouenit,dum cælo humente & solo committatur, quia siccum & argillosum agrum reformidat. Herbis liberetur assidue. Quinque sextarijs spatium iugeri complebitur. Maio mense locis frigidis & humectis seri potest, Septembri quibusdam in locis metitur. Seritur Italiæ ritu æstate ante Vergiliarum exortum. Aliqui uerna milium & panicum uolunt, uetantq; ea inter uites arbores q; frugiferas seri, terram emacrari hoc satu existimantes. Panico Galliæ quædam præcipue Aquitania utitur, sed circumpadana Italia addita faba,sine qua nihil conficiunt. Ponticæ gentes nullum panico preferunt cibum. Cæterum æstiua frumenta riguis magis etiam quàm imbribus gaudent, panicũ & milium aquis minime cum exeunt in folia. Frigido & humido prius serendum, postea calido. Cum in articulum seges ire cœperit runcanda,ne herbis uincatur. Satio prima circa Idus Apriles debet peragi. Seminis sextarij quini singula iugera occupant. Panico uexatus ager fatiscit, nisi stercore foueatur. Inter frumẽta & etiam legumina panicum & milium ponenda sunt,quamuis iam & leguminibus quoque Columellę contribuãtur: nam multis regionibus eorum cibarijs coloni sustinentur. Leuem solutamq; humum desiderant,nec in sabuloso solo,sed in arena quoq; proueniunt, modo humidum cælum uel riguum solum sortiantur. Ante uer seri non possunt, quoniam teporibus maximè lætantur. Vltima tamen parte Martij mensis commodissimè terræ committuntur, nec impensa graui sationem cultoris onerant. Quippe sextarijs ferè quatuor iugerum implent, frequentem tamen exigunt sarritionem & runcationem ut herbis liberentur. Ea cum spicas ædiderunt,prius quàm æstibus hient semina,manu carpuntur,& suspensa in sole cum afficcata fuerint reconduntur, atque ita reposita perennant. Panicum pinsitum & euolutum furfure pultem quauis inopia maximè cum lacte non fastidiendam exhibet. Pestem à panico sturnorum passerumue agmina abigi herba, cuius ignotum est nomen, in milij mentione diximus. Panicum, ut est Galenus author, nulla gratia aut iucunditate commendatur, maxime quod in Asia nascitur, nam apud alias gentes ut in Italia longè melius inuenitur. Panis qui ex eo defingitur, persiccus & cineris aut arenæ modo friabilis,lentoris fœdere aut humoris uinculo carens. quapropter iure optimo coeuntem in aluo resiccat humorem,atq; exhauriens exugit. Rustici haud fere aliter quàm admisto pinguisuillo,& oleo ad domandã ariditatẽ, farina uescuntur. Panicũ in omnibus milio cedit,

insuauius

insuauius esu, concoctu difficilius, uentremq; multo magis firmans. quare in edulijs rusti/
ci non sine lacte ad tollendas huiusce modi noxas utebantur. sic faciliorem concoctionem
non fastidiendam suauitatem, ac in totum corpus distributionem à lacte sibi adsciscit. Hoc
frumenti genere Galliæ pars illa quæ nunc Vasconia dicitur, potissimum uti solet, messi/
bus serens & multo ante hyemem colligens. Panicū Diocles mel frugum appellauit. Effe
ctus habet quos milium. In uino multum prodest dysentericis. Similiter ijs quæ uaporan/
da sunt excalfactum imponitur. Sistit aluum in lacte caprino decoctum & bis die hausti.
Sic prodest & ad tormina. Dioscoridi dignum est quod cerealibus adnumeretur. Milij si/
militudinem refert, eodem'que modo in panes defingitur, eosdemq; præbet usus, minus
tamen & alit & adstringit. Nascitur & herba alba panico similis, occupans arua, pecori
quoque mortifera.

Sesama. Irio. Orminum. Cap. XXIX

Sesamum & sesamam, nam utroq; modo dicitur, Italia hodie *iugiolinam*, offici/
næ *sisamum* uocant, quidam frumenti, quidam leguminū generi adnumerant,
culmo ferulaceo, foliis sanguineis, semine candido, infra magnitudinem li/
ni, quod uasculis ut papauer continet, radice simplici & alba. Theophrastus
sesamam repræsentat caule ferulaceo, flore foliaceo, ut irion. grana eius in sili
quis distincta ut lupini, sed peculiari quodā modo septa. Aestiua feracior quadragesimo
perficitur die. Genus ex ea cādidum præfertur dulcedine, quod & in cæteris leguminibus
accidit. Ei post sationem imber officit, cum cæteris omnibus superueniēs frugibus prosit.
Viride sesamū nullum attingit animal. Nihil ita emacrat solū, utpote cui crassior & mul/
tiplicior arundo sit quàm milio, & radix quoque numerosior. Aestiua sesama quadragin/
ta diebus maturatur à flore. Aestate ante Vergiliarum exortum seritur Italiæ duntaxat ri
tu. Venit ab Indis, ex qua & oleū conficiunt. Sesamam sic pinsi iubet Mago, In calida ma/
ceratam exporrigi, deinde confricari, frigidæ immergi ut paleæ fluitent, iterumq; expor/
rigi in sole super lintea, quod nisi festinato peragatur lurido colore mucescere. Milij, pani
ci, sesamæ apludam uocant purgamenta. Alia quæ eualuantur uariam pinsendi rationem
habent. Sesama in culmen ferulaceum fastigiatur, at milium & panicum in geniculatum
& concauum. Item granum sesamę includitur uasculis ut papaueris. Milium & panicum
paruis auibus exposita sunt, indefensa quippe membranis continentur. Sesamæ & irioni
sanguinea sunt folia, ea leguminum nomine uenit Columellæ. Sesama quæ rigantur, ma
turius: quæ carent humore, ab Aequinoctio autumnali serēda sunt in Idus Octobris. Pu/
tre solum quod pullum fuerit plerunque desiderant, non deterius etiam pinguibus are/
nis uel congestitia humo proueniunt. duo seminis sextarij iugerum spargūt. Hoc semen in
Ciliciæ Syriæq; regionibus se uidisse testatur Columella Iunio Iulioq; conseri, & per au/
tumnum cum permaturuerit tolli. In Pamphylia & Cilicia Augusto mense sesama serun/
tur. Italiæ autem regionibus humidis possunt ultimo mense Iunio seri. Sesami semen Ga/
leno præpingue, ideoq; condituum oleosam contrahit naturā: quapropter uescentes con
festim implet, & redundantiam parit, stomachumq; in uomitiones effundit. tarde conco/
quitur, pingue ministrans alimentum: nec uentrem firmat, nec roborat, & cum crasso con
stet succo, nec descēdit facile, nec permeat. rarus solius usus. Melli tamen crudo permisce
tur ut in placentas concrescat, quæ Græcis sesamides appellantur. Condiendis panibus
nonnunq; inspergitur. Calida prditū est natura, quam ob causam siti mandentes excru/
ciat. Nullus Orienti frequentior cibus q; sesami: quamuis sequacis sit lentitiæ, & oleagini
liquoris. Stomacho inutilis cibus, & animæ grauitatē facit, reliquijs inter dentes subsisten
tibus. Auriū fracturis & inflāmationi illinitur, item ambustis. Eadem efficit dum in herba
est. Amplius hæc oculis imponitur decocta in uino. Pituitæ lentitiam quæ in neruo coie/
rit, dissoluit. In ouo sumpta, cohibet uomitiones. Coli dolores discutit, ceraste serpētis &
stellionum morsibus resistit: item ulceribus quæ cacoethe uocant. Capitis dolores, quos
æstus excitauit ex rosaceo mulcet. Epiphoris oculorū & doloribus illinitur decocta in ui/
no herba. Ex ea fit oleū quo utuntur Aegyptij. Granū sesamæ datur in uino dulci ad detra
ctiones quantum trinis digitis capitur. Miscent ellebori albi unum & dimidium obolum,
purgationē eam adhibētes insanę melancholiæ, comitialibus, podagrę. & per se drachmæ

pondere

pondere exinaniunt. Irio cerealis inter fruges, siue malis erysimum, aut Gallis quondam *uelarum*, nunc quibusdam uetus nomen propè retinet, *ireon* Gallica lingua uocitante, culmo consurgit ferulaceo, foliis sesamæ similibus, sanguineis, flore sesamę foliaceo. prorsus idem erat nisi pinguis esset. Fruges est æstiua, & ante Vergiliarum exortum seritur Italiæ ritu, alioqui in Græcia & Asia earundem occasu: omninoq́, ut Theophrastus inquit, sesamæ proximũ, nisi esset pinguiusculum. Recens sato irioni pluuius imber nocet, quanq́ reliquis frugibus prodesse credatur. quo uirẽte sicuti sesama nullũ animal uescitur, quòd amarus sit. Consimilem rura nostra serunt frugem in agris folio hederaceo, sanguineũ colorem præferente, scapo grandi per fastigiũ paniculas exerente, triangulis rariusculè coaceruatis granis, quæ foliaceis membranis cõcepta detinẽtur. Hanc quoniam auorum nostrorum ætate è Græcia uel Asia uenerit, *turcicum frumentum* nominant. Ea pecudẽ omnem cæteraq́ ueterina quamoptime fagínant. & in candidissimam teruntur moluntur'ue farinam, quæ cum annonę premit inopia in panificia subinde cogitur. Cũ ematuruit granum suis apludis explicitum fagínæ glandis nucleo simile noscitur, quod incoquunt rustici ut bubus, iumentis, pecudibusq́ cedat in pabulum, cuius usu uehementer gliscit fagina, mire enim ab eisdem expetitur. Iam agri plericq́ in Gallia hac fruge rubent. De oleraceo, irione, ceu potius erysimo, alibi erit differendum: nunc tantum cerealem frugiferumq́ prosequimur. Dioscorides in frumentorũ censu hoc prætermisit, nisi quis eum putet sesami uocabulo, quod ferè suspicor, fuisse complexum, cui cum reliqua facie tum uiribus persimile traditur. Galenus inter legumina meminit erysimi, inquiens ipsum corporis coalitu sesamo uicinum: sed cum estur insuauius longè sentitur, tenue suggerit alimẽtum, ideoq́ in omnibus sesamo deterius habetur. & quemadmodũ milio panicum quadantenus est proximum, sed ad omnia deterius: ita & sesamo erysimũ consimile, in totum illo deterius. ambo tamen calfactoriam uim sortita æstuosa sunt, & sitim cum sunt edendo concitant. Irionem inter fruges sesamæ similem esse Plinius dicit, & à Gręcis erysimon uocari, uerum in censu frugum reponens. Herbæ oleraceæ quæ erysimum quoq́ Græcis nominatur, ei cereali longè dissidenti uires permistim assignauit, quod alibi à nobis ostenditur. Itaq́ capiti nocet, stomacho aduersatur, graue sudoris uirus mouet. Ex uino tritum illinitur aurium inflãmationibus & ambustis. Trionum constat ubiq́ non irionem à Theodoro uerti, forsitan quòd ei semen triangulum. Orminum quoq́ inter fruges à Theophrasto reponitur, cuminaceũ quoddam atq́ nigrum. Seritur cum sesama æstate appetente. Orminũ à Græcis dictum Plinio medicaminibus annumerandũ potius q̃ frugibus, eiusdem naturę cum irione, syluestri cumino simile, seriturq́ cum sesama & irione. nullũ animal uescitur uirentibus. Galenus inter legumina de eo tradit, mediæ inter erysimum & cuminũ naturæ, parum habet in se quod alendo sit. Est & hoc prius torrefactum, instarq́ farinæ detritum in usu, admisto itidem melle. Orminũ Græcis putauerim dictum, q̃ uenerem extimulet. Seritur cum sesama & irione, omninoq́ in æstiuis, hoc est cum ijs quæ æstate post Vergiliarum exortum nascuntur. Medicas alterius herbæ uires huic cereali ormino reddidit Plinius inter segetes, duo faciẽs genera: alteri semen nigrius & oblongum, quod ualet ad uenerem, ut inquit, stimulandam et oculorum albugines: alteri candidius semen & rotundius. Vtroq́ tuso extrahi tradit aculeos ex corpore, folia panos discutere, Itẽ furunculos prius quàm capita faciãt. quæ omnia ormino satiuo & syluestri ad uerbum ferè Dioscorides attribuit, qui cerealis priuatam nõ fecit mentionem, sed herbæ dũtaxat ormini quam tradit à Latinis geminalem nominari, caule quadrangulo, sesquidodrantali, uasculis siliquarum effigie deorsum nutantibus, in quibus duorum generum semen, syluestri rotundius, colore fusco, alterum nigrius & oblongum. Plinius huic folium porri tradidit, Dioscorides cæteriq́ simile marrubio fecerũt. qui error ferè fatalis Plinio est, ut in multis ostendimus. Semen, ut Dioscorides refert. bibitur ad uenerem stimulandam. Illinitur ad oculorum argema, & albugines expurgandas. Tumores ex aqua impositum discutit. Illitum ex corpore aculeos extrahit. syluestri uehementior natura. Sic Plinius, ut suprà de erysimo diximus, cerealis frugis, quæ orminum Theophrasto & Galeno dicitur, cum alia dissidentis omnino naturæ, cognominis tamen, uires permiscuit: quod subolens ipse, medicamentis orminum potius q̃ frugibus censuit adnumerandũ. Appetentiã ueneris eidem facit, unde nomen inuenisse

men inueníſſe creditur. Quíd Dioſcoridi ſit orminum, alíbi profuſius à nobis dictum eſt. Mediã Galeno inter íríonem & cuminũ ſortitur naturam, parum corpus alentem. Porrò inuenitur inter ſegetes herba cubitum alta, gracílibus uirgulis, quarum latera utrinq; ueſtiũt folia, que lepidij uíderẽtur, níſi teneríora eſſent cãdídíoraq;, in cacumíne ut ſambuco umbella, & in ea flos cãdídus, ſemíne nõ diſſímílí ſeſamę, guſtu iucundo quídẽ, ſed in leuẽ amarorem ſpectante. Reliqua facíe propemodũ cumínacea. Ea putatur eſſe quæ Dioſcoridi dabra nomínatur aut araba, de qua paulo ante eryſímum egit ueluti cognata. Frequẽ tí Cappadocum cíbo herba ptiſanæ íncoquitur. Seminíbus arídís pro pípere utuntur. Rũſticis noſtrís *draua* uel *drana* uulgari ſermone, níhíl temerè à græco pronunciatu diſſíden-
10 te, nominatur. Ea aut cereale orminum eſt, aut ad íd proxíme uídetur accedere, ídeo cum eryſímo in olerum potíus quàm frugum ſenſu maluit collocare.

Lolium, Melampyron, Aracum. Cap. XXX.

LOlium Græcís æra, nonnullís zízanion, Gallís *iuraia* & *gaſſa* uocatur, hordeí quídem ut cuius eſt uítiũ effígie, cæterum folío anguſto, píngui & híſpído, ſemíne exílí, in cortíce aculeato, flore ſubpurpureo. Lolium penitus ſylueſtre Theophraſto reputatur, idq; è tríticó & hordeo corruptís uligíne ſeminíbus, aut ímbre nímío dílutís naſcí adfirmãt. Non deſunt quí è líno quoque fieri prodant. Negant uernam eſſe frugem, quãuís nonnulli conentur aſſerere. Síquídem hyeme ſtatím ineunte proſílit è terra, folío anguſto, píngui, hirſuto, nõ tunícis ut aue-
20 na multis, ſed nudum, nec pertũditur. Quídam non ex tríticó aut hordeo, ſed inter ea prouenire, ut melampyron, putant. Ponticum & Aegyptium triticũ lolío uacat. Sículum ſatis eo uíndícatur, ſine lolío Agrigẽtínum exít. Sículo peculíare datur melampyron, quod res ínnocens eſt, nec ſícut lolium graue & caput tentans. Inter lolía floſculí uíſuntur, è carne tantum non è cortíce atque uena ut cæterí. Tríticum hordeo frequentíus tranſit in lolium. Plínius inter frugũ morbos potíus quàm terræ peſtes numerat. Quod cum in pane eſt ínebríat, celerrímè uertígines mouet, unde Franci *iuraiam*, quòd uíní modo temulentiam cõcítet, appellant. Lolíum Græci uocãt æram. Plínius certe alíud uídetur genus exíſtímare lolíum, alíud æram. q; ſeorſum de lolío & farina eíus, & alíbí de æra & ærína farína tanquã díuerſorum mentionẽ faciat. Aeræ, inquit, granũ mínimũ eſt, in cortíce aculeato, cum eſt in pane celerríme uertígines facit. Aíunt in Grẹcía & Aſía balneatores ad pellendam turbam ſolítos carbonibus íd ſemen ínjícere. Tríticum, ut ídem ínnuit, ſuo cõplexu necat. Porrò quæ Plínius de æra díſſeruit, omnía de lolío intelligenda eſſe nemo íbit
inficías, qui uíres quas ei tríbuit cum Dioſcoríde cõtulerit, remq; eandẽ ínueníet, tantum aliter græca, aliter latína nomenclatíone deſignatam. In ſegete níhíl eſt controuerſum, de uíríbus cõuenít inter eos: quapropter ídem eſſe Grǽcis ærã & Latínís lolíum euidentius eſt q; ut probari deſideret. Plínius ærínam farínam magis cæteris purgare ulcera uetera, gangrænas in raphano & ſale, líchenas, lepras cũ ſulphure uíuo: capítis dolores cũ adípe anſeris impoſita fronti, ſtrumas & panos concoquere in fímo columbíno & líní ſemíne decoctum in uíno. Addit alíbí ipſas frugum peſtes in alíquo eſſe uſu, infelíx dictum eſſe à
40 Virgílío lolíum. Hoc tamen molítum ex aceto coctum impetígines ſanare celerius, quo ſæpius mutatum eſt. mederí & podagrís alíjſq; doloríbus cum oxymelíte. Curatíonem hanc à cæteris differre, aceti ſextarío uno dílui mellis uncías duas iuſtum eſſe, íta temperatis ſextarijs tríbus decocta farína ſextarijs duobus uíq; ad craſſitudínẽ, calídumq; ipſum ímponí dolentíbus mẽbrís. Eandem farinã extrahere oſſa fracta. Dioſcorídes uerò ſcríbit molitũ lolíum nomas, uetera ulcera, necnon gãgrænas emarginare, cum raphanís, ſale, & aceto feros líchenas ſanare, & ex aceto & ſulphure uíuo lepras: ſtrumas quoq; cum fímo columbíno & líní ſemíne decoctum in uíno diſcutere: difficíles panos & ſuppuratíones rumpere: mederí & coxendícum doloríbus cum aqua mulſa & illitũ: cum polẽta uero & myrrha aut croco ſuffítum cõceptíones adíuuare. Cæterũ de lolij origíne tanquã cæca nõ
50 parũ ambígitur. Tríticum & hordeũ in loliũ mutarí, magíſq; triticũ, adfirmat Theophraſtus, uolẽs ex tríticó & hordeo corruptís lolíũ exíre et naſcí, inter triticum quoq; ínueníri: feſtucã uerò in hordeo magís exíre, in lente aracum rem ſcabrã & duram, ítem ſecurídacã Dioſcorídes in tríticea ſegete naſcí. Galenus denſum frequenſq; in tríticó ínueníri, par-

cius in hordeo scribit: contraq; festucam, quæ Græcis dicitur ægilops, in hordeo frequentiorẽ erumpere, præcipuè cum imbecillius semen diutius humo conditũ infelici parumq; prospero exortu natũ adoleuerit. Porro Galeni pater in seníli ætate rei rusticæ studiosior, diligentẽ impendit operã, ut hanc dilueret controuersiam, certiorq; tandẽ fieri posset, si eæ frugum pestes suopte ingenio nascantur, an seminibus illarũ in alias species degenerantibus. quare triticum hordeumq; syncerũ omniq; alieno repurgatũ semínio terræ mãdauit. Cumq; permultũ lolij in tritico, in hordeo pauxillum prodijsse cerneret, in alijs quoq; frumentaceis idẽ fecit periculũ, comperitq; tandẽ in lente durũ rotundumq; aracũ, securidacamq; herbã, quã Græci à similitudine pelecinon uocãt, degeneratione quadã innasci lenti, abdicata cibis semina. Præterea lapã Græcis aparinen dictã, quæ nõ modo cibis damnatur, sed herba cõplexu suo lentem capessens angit, & humi deturbans enecat, sicut orobanche eruum circũligando se strangulat. Sunt igitur frugũ pestes hæc semina. Porrò degener creditur melampyron, quod ex tritico gignitur, in ipsum innocentius desciscente, quia nullã segetibus molíatur perniciem. Proinde monere Galeni pater solitus erat, ut cerealia semina prius quàm in sanorum usus uenirent, diligentissimè ijs frugũ uitijs liberarẽtur. Etenim triticũ, nisi lolium à re frumentaria operosè idoneis ad hoc incerniculis expietur, uescentibus noxam inferet. Cui infausto anni successu plurimũ hęc pestis intricata cõmiscetur, quæ graues utentibus morbos minatur. Nam capitis dolores continuo mouentur, uertigines obuersantur, postmodum sequens æstas cutem fœdis obsidet ulceribus, aliaq; emergunt incõmoda quæ nutrimenti huius improbitatẽ satis ostendunt. Præcipit itaq; Galenus nõ fastidiendum tritícei repurgamenti præceptum. Nanq; si grassantẽ sensim noxam inter initia propter exiguitatem, uescentes non sentiant, gliscente multo pluribus diebus uitio impune non effugient, quin tandem ea non sine magna uitæ alea manifestius eruptura prodeat. Lolium oculis officere testatur Plautus in milite, scribens,

Miru' st lolio uictitare te, tam uili tritico.
Quid iam? Quia luscioſus.

Et Ouidius quoq; testatur ita canens,

Et careant lolijs oculos uitiantibus agri.

Frumentum, ut Paxanus est author, lolium enecat, panibusq; mistũ uertigines edentibus adducit. Melampyron, et si tritici uitium esse Galenus fateatur, eius tamẽ exortu degenere, nihil incõmodi sentit. Hoc Siculo tritico peculiare fecit Theophrastus. Granum tamẽ innocẽs, nec sicut loliũ graue, ac caput tentans. Herba prosilit tripedanea, surculosa, foliis rubiæ pallidis, semen colli figura, oleosum. Tostũ hoc, ut Dioscoridi placet, tundunt, & illitum uirgis ad lumina lucernarum utuntur. hoc Parisiensi agro rarius exit, frequẽs Suessionibus meis seritur, ita ut solũ eo subinde uireat, frutice dẽso, tripedali proceritate, foliis oblongis, pallescentibus, rubiæ figura, semine in colli speciem exporrecto, oleo scatente. Nostri excussum in areis granũ legunt, eoq; trusatilibus molis presso tortiuum eliciũt oleum, quo pauperes in epulis, diuites in lucernis utantur: rura nostra *camelinam* uocant, de quo in myagro nonnihil etiã erit dicendum. Nasci quoq; ex corrupto semine album illud triticũ, quod cognominant ponticũ, Theophrastus putauit. hoc reliquæ segeti simillimũ & stipula & culmo, spica inani & euanida, nígrum quidpiã loco grani capiens, quod concussu cõfestim in fuligínẽ abit, qua rustici plerũq; suas facies fugillãt. hęc putris grani lues est. Est & herba quę fabã, cicer, & eruũ suo brachiorũ cõplexu circumligãs enecet, orobãche Gręcis uocatur, agricolis Gręcis ospreoleon, uel leõtobotanon, hoc est legumẽ leonũ uel leonis herba: rusticis nostris *tenia* dicitur, ut arbitror à tenẽdo, ꝙ tenaci noxa eruũ, cicer, & uiciã obuoluat, cinciníscq; uel cirris tanquã brachijs strictim amplexetur, ut ea penitus obstrangulet. Sunt qui non ab re teniã putant dici, ꝙ pestis hæc pertinacius hæreat quàm facile possit extricari, sicut nec manantia capitis ulcera, quæ uulgus appellat *tineas*, quos implícuerint pueros ijs uix possint expediri. quare græcæ agriculturæ authores remedia aduersus natales eius exortus cõdiderunt. In aruis ut aiunt nõ prodibit, si in quatuor eorum angulis, et medio rhododaphnę ramuli pangantur. hoc eodẽ remedio putant legumẽ omne à noxa uindicari. Qui uolũt hanc frugũ pestẽ prorsus aboleri, quinq; testas creta depingũt Herculis effigiẽ leonẽ strangulantis referẽtes, & in quatuor agrorũ angulis atq; in medio collocãt. Sunt qui deliniatã eo modo testam in area tantũ media ut hanc

amoliantur

amoliantur perniciem, iubeant obrui. Democritus affirmat orobanchen herbam confestim abigi, si mulier quæ in mẽstruis est, solutis crinibus & nudo corpore, gallum in manibus tenens, aream circumeat. Ita ualidiora coalescere legumina testantur, qui hac superstitione sunt imbuti: quippe cum herba gallinaceum uerens gallum delitescat. Sunt è græcis qui longa probarint experientia, quæ serendo sunt legumina galli cruore conspersa, nullam ab hac aduersante herba sentire penitus iniuriam, eóque roratu à nocumentis tuta esse asserunt. Cauendum tamen ne quæ sementi destinantur legumina, bubulo cornu contingantur: sic enim inania & cassa uanescere produnt. Aracus, ut Theophrasto placet, in lente exit, res scabra & dura. Galeni pater agriculturæ studiosus, cum per senectam ruri degeret, inuenit aracum quodam degenerationis argumento, durum ac rotundum innasci lenti, cibo tamen damnatum. Galenus araci semen cicerculæ proximum prodit, eamq; reliqua facie tam æmulari, ut multi idem esse genus existiment: quando quidẽ tam usu quàm uiribus consentiunt. sed aliquanto duriores sentiuntur araci, coctiui quoque difficilius in uentre conficiuntur, sed postremam syllabam per c exaratam offendit Galenus in comœdia quę Holcades inscribitur, ubi inquit, Aracon, triticum, ptisanam, zeiã, lolium, similam. Ambo hæc rustici nostri *ferras* quasi cicerculas nominant. Et, ut idem Galenus est author, syluestre quiddam durum, eruoq; minus in cerealibus granis apud suos inueniri, quod arachum adiecto in ultima syllaba spiritu nominant: selectum id ut securidacam cum reliquis frumenti repurgamentis excutitur, nostris rusticis *uesseron*, id est uiciola appellatur, de qua supra differuimus. Nec ab re fuerit existimare non dissimile genus esse quod cracca Plinius appellat, forsitan rectius araca, cum degenerare ex leguminibus cracca tradit, in tantũ columbis grata, ut pastas ea negant illius loci fugitiuas fieri. Facilis librarij lapsus prioris literæ mutatu cracca pro araca scriptitãtis. Traxit me in suspicionem nominum & rerum germanitas. nanq; si litera quæ uocabuli caput erat ad pristinam integritatem redeat, procul dubio araca reperies. De rebus satis inter eos cõuenit, cum generatim araca ex leguminibus degenerare referat. Theophrastus & Galenus patris sui testimonio fretus, ex lente potius exire meminerunt. non tamẽ negant quin interdum aliis leguminibus adnascantur. Plinius inter Aegypti uernacula tradit aracos habere radices ramosas ac multiplices, nec folium aut herbam ullam aut quicquam aliud supra terram ferre. Itidẽ de aracoide prodidit Theophrastus: sed longe dissident ab araco cereali, ut alibi demonstratum est. Sunt qui ex Galeni sententia aracũ cereale ita describunt, caule oblongo, semine cicerculæ, duriore tantum, radice molli, alba, dulciq;. Vsus ei qui & cicerculæ quam lathyrum Græci nominant, quam tota imitatur effigie, alioqui concoctu difficilior.

Amylum. Cap. XXXI.

AMylum ex omni tritico ac siligine, ut Cato uoluit: sed optimum è trimestri. Inuentio eius Chio insulæ debetur, inde Plinij temporibus laudatissimum erat, appellatum quòd sine mola fiat. Officinis hodie mutata litera communiter *amydum*. Proximum trimestri, quod est minime ponderosum. Madescit dulci aqua in ligneis uasis, ita ut integatur, quinquies in die mutata: melius si et in nocte, ita ut misceatur pariter emollitũ, prius quàm arescat: linteoq; aut sportis siccatum tegulæ infunditur illitæ fermento, atq; ita in sole densatur. Post Chium maximè laudatur Creticum, mox Aegyptium. Probatur autẽ leuitate, ac læuore, atq; ut recens sit. Amylum appellatur Dioscoridi, quòd sine mola fiat. Optimum ex trimestri maximè Creticum: laudatur & Aegyptium. Ratio faciundi hæc est, Purgatur trimestre, & madescit aqua dulci quinquies in die mutata, melius si fieri potest & noctu: emollitum atteritur pedibus, sed non ante quàm summa teneritas constet, effuso prius humore tam diligenter ociosecq;, ne quid cremoris cum aqua effluat. deinde aqua iterum infusa denuo cõfricatur, et furfure qui supernatat ligulis perforatis exempto, reliquum percolatur: mox linteo aut sportis siccatum obiter tegulæ infunditur nouæ, atq; ita calidissimo in sole densatur, alioqui breui madidum relictum acorem contrahit. Galenus ex tritico confici amylum tradit, uiribus partes exasperatas læuigandi pollere, quæ ab arida constringente acriq; proficiscitur corpulentia, ad quod obeundum opus diluta quædam facultas quæritur omnis qualitatis expers. Amylum similem elotis panibus naturam sibi uendicat, in alendo ma-

iori tenuitate præditum: nec tamen aperte calfacit, sicut nec elotus panis, quod tamẽ alijs est donatum panificijs. Amylum fluxiones oculorum inhibet, ulcera caua: sanat item pustulas. Datur in potu ijs qui sanguinem reiecerint, præsertim ex arteria. Miscetur & lacti obsanandis plerisque. Hebetat oculos & gulæ inutile contra quàm creditur. Sistit aluum, fluxiones sanguinis, item epiphoras. genas duras emollit. Datur in uesicæ dolore cũ ouo & passis tribus, sufferuefacta amyli semuncia, statim à balneo. Amylum & è zea fit quam appellauimus semen, macerata aqua die uel biduo, & axungiæ instar manibus expresso, necnon acerrimo ut prius in sole resiccato. Hoc amyli genere ad medẽdum non utuntur, ad cæteros usus conuertunt. Quia uerò placentę genus amylum reputatur, ideò de tagenitis ex Galeni sententia nonnihil agere, quod et ante fueram pollicitus, placet. Principio oleum in patẽllam aut sartaginem mittitur, inde nomine donato, subiectoq; igne luculento, ne fumus adspiret, cum inferbuit farina tritici conspersa plenius aqua conijcitur: ea ubi inter coquendũ in recẽtis casei concrementũ coierit, ultro citro semel & iterum aut etiam tertio uersatur, donec tota strues æquabiliter quoquouersum ignis feruorem experiatur. Hoc cibi genus ut liquido cõstat, crassum crudumq; parit succum & uentrẽ firmat. quare nonnulli mel, alij marinũ salẽ adijciunt. Porrò ut in uniuersum de placentis pronunciẽtur, quæ leni manu citra operã aut perfunctorie, tum à rusticis tum ab urbanis inopibus definguntur, quæq; furno citra fermentum decoquuntur, in mel calidũ præcipitatę, ut id affatim undiq; perbibant, obruantur. Generibus quoq; placentarũ itria Galenus adnumerat, quæ supra suminalia liba diximus uocitari, in duoq; partitur fastigia. Prestãtius quod à fluxo coalitu rhyema putamus appellari, deterius lachanum. Sed quæ ex ijs & similagine conduntur placentæ prauũ creant succũ, tardius in membra permeant: iocineris uias quibus alimentũ defertur obstruunt: sic lienẽ infarciunt, ut sæpius increméto laboret: renes calculis uitiant. Sed ualentis sunt materiæ, si probè in sanguinẽ conuerti queant, quæ ubi mel acceperunt, mistam sibi facultatẽ adsciscunt. Quippe cum mel ipsum tenui prędi tum humore quæcunq; sibi promiscua extenuat: quapropter itria omnia quum subigũtur, largo melle satiari & diutius excoqui desiderant, ita uelocius descendũt, & tenui crassoq; mistũ humorem procreãt. Sic neq; iocineri, renibus, lieni, recte ualentibus, minus cęteris, quæ melle carent, officiunt. Quòd si inferctus aut inflãmationis uel duritiæ rudimẽtum sentiatur, non alijs minus, sed & longè grauius oberunt, multoq; maximè si glutinosa lenteſcat farina. Siquidem creatus inde succus, suo crassiore cõcretu retentus, penitiora subire non potest: sed angustijs uasorum hærens & penitus spiraculis uenarũ impactus, indissolubili tenacitate cõprehendit. Sic grauitatẽ in uiscere ita læso præsentiscũt, quæ tenuiori ratione uictus abigitur. Sic etiam panis cui & fermenti & salis plusculũ fuerit indictum, si quàm maximè prius subigatur cę in formas digeratur, clibanoq; calido moderate perassetur, is ad secũdam hominis ualetudinẽ apprime conducit. Sufficientis modi tam salis cę fermenti gustus index est, qui neq; largiore horum copia, neq; insuaui tædio offendatur. Porrò qui eluendi panis rationem excogitauit, cibũ profecto imbecillioris materię ac alentem minus adinuenit, qui ab impẽdente obstructionis noxa uindicaretur: siquidẽ elotus plurimũ sui lentoris & crassamẽti deponit, ita terrestri grauitate exutus aeream sibi leuitatẽ adsciscit. quæ liquido stateræ libramento si pendatur, partim cognoscitur, partim quòd in aqua mersus non sidit, sed suberis instar enatet. Cæterum edulia quæ ex triticea farina cum lacte finguntur, eorum classi adscribuntur quæ obstruendi uim habent. Ea probè quidem alunt, sed assiduo usu tandẽ plurimum nocent. Nanq; iecur infarctu uitiant, calculos creant in renibus: quando si crudus humor lentorem contrahens ad angustas renũ uias se conferat, pertinaciter hærebit, & in callum concrescet, qualem in ahenis, lebetum faucibus, & saxis aquatilibus agnatũ cernimus coaluisse. Quinetiã natura renũ suffragatur, quę igneo calore incandescit. Eo genere comprehendũtur tophi qui in articulis occalluerũt. Quicquid in corpore superuacaneum redundarit, ad imbecillas se confert partes: quas cum impleuerit morbũ pro sui conditione concitat. Tritico elixo non utendum consulit Galenus, nisi cum grassans uicatim fames complurimos rapiat. nam cum suppetit triticum, minimo negotio cogitur in panes. Ipse tamen cum rus procul ab urbe situm concessisset, noxam elixi tritici cum suis comitibus expertus est, cum iam cœnatos offendisset

offendisset rusticos, meliorum inopia, eo abunde uesci coactus est, cum itineris labore famelicus inedia cruciaretur, id in ollam coniectum addito salis momento coquebatur. Eo cibo impletus, à cœna statim pondus in uentre, quasi considentis luti, sentit: postridie crudus & cibum fastidiens elanguescebat, ut nihil indere ori ualeret. Insuper flatulento spiritu distentus capite dolebat: oculi sic caligabant, ut quasi per obuersam nubem intuerentur: aluus nihil reddebat, quod unicum cruditatis esse remedium consueuit: sicut ratione collegit optima, triticum rude & illaboratum & pertinax & firmissimum. Quod si ita estur, modo concoqui queat, suo ualentiore nutrimento insigne uescentibus robur conciliat. Nam quis non nescit farinam eius coctura contumacem, nisi salis & fermenti beneficio, crebroq; subactu, & furno prorsus edomita tenerescat? Sed de ijs hactenus.

Fœnum græcum. Cap. XXXII.

Fœnum græcum Theophrasto buceras uocatur, aliquibus telis & ceraitis. Hippocrati epiceras, quoniam fructum corniculis similem habeat, unde siliquam nonnulli appellant, Plinius siliciam, Varro siliculam, Galli primum nomen usurpant, uulgus *senegrenen*. Caulículis emicat exilibus, folio penè trifolij, semine fuluo, incondito, quod in mollissimam tunditur farinam. Silicia, hoc est fœnum græcum scarificatione seritur, non altiore quatuor digitorum sulco, quantóque peius tractatur tanto prouenit lætius. Iugerum agri modios sex recipit. Fœnum græcum, quod rustici uocant siliquam, duo tempora sationum habet. quorum alterum est, Septembris mẽsis cum pabuli causa seritur, ijsdem diebus quibus uicia circa Aequinoctium: alterum autem, mensis Ianuarij ultimo, uel primo Februarij, cum in messem seminatur: sed hac ratione, iugerum sex modijs: illa, septem occupatur. Vtraq; cruda terra non incommodè fit, daturq; opera ut spisse aretur, nec tamen alte: nam si plus quatuor digitis adobrutum est, semen eius non facilè prodit. propter quod nonnulli prius quàm serant minimis aratris proscindunt, atque ita iaciunt semina & sarculis adobruunt. Pabulorum optimum est fœnum græcum. Seminis legendi gratia mense Ianuario ultimo circa Februarias Calendas seritur. Arandum est spisse sed non alte: nam si plus quatuor digitis obruatur, difficile nascitur. Quapropter Columella minimis aratris proscissa terra & sarculis statim sata cooperiri iussit. Verum pabuli causa Septembri mense satio fit. Septem modij fœnigræci iugerum implebunt, & Iunio resecatur ad pabulum. At fœnum græcũ solo tenui, ut tradit Theophrastus, inarescit, quod nulli reliquorum accidit, nec ullo pacto pingui prodit. Cui ab radice statim subnascitur quod hæmodorum Græcis uocatur, singulari caule nec longè dissimili consurgens, uerum multo breuiore. In culmine quippiam capitis instar gerit, radicéque subrotunda innititur. Fœnum græcum hominũ cibis non abdicatur, sed apertè excalfacit. Adijcitur ei garum ut aluum subducat. quod optimè munus obit, cũ nihil suapte natura possideat, quod eius transitum remoretur. Estur lupinorum ritu ex aceto & garo, aliqui oleum adijciunt. Sed is cibus caput nonnullis tentat: stomachum in uomitiones ex garo effundit. Quidam tantum seminis esu non contenti, herba aceto, garo, & oleo perfusa cum pane in obsonio uescuntur. sed ita multo liberalius caput ferit, præsertim si sine pane estur. uentriculi quoque os aliquibus subuertit. Porrò cremor fœni græci decocti cum melle haustus noxios humores, qui intestinorum ijs hærentes coierint, exturbat. quippe lubrico glutinis meatu læuorem iucundum, & suo calore leuamen citra doloris sensum adfert. Mel etiam sua abstergente ui interanea ad excreationem inuitat: sed parcius adijciendum, ne quod modo supereſt uellicans proritet. Adijciẽdæ pingues palmulæ, quoties diuturnius uitium pectus male habet. Expressus inde liquor melle satiatus denuo super prunas coquitur, dum mediocrem contrahat crassitudinem, procul à cibo bibitur. Fœno græco non parua tribuitur authoritas. Vis eius emollire, dissoluere. Succus decocti fœminarum pluribus malis subuenit, siue duritia, siue tumor, siue contractio sit uuluæ fouentur, insidunt. Ius decocti, furfures in corpore extenuat: capillum, & manantia capitis ulcera repurgat. Diocles difficile parientibus semen eius dedit acetabuli mensura tritum in nouem cyathis sapæ ad tertias partes bibere, ut qui haurirent in calida lauarentur: & in balneo sudantibus dimidium ex relicto iterum dedit, mox à balneo reliquum, pro summo auxilio. Farinam fœni græci cum hor-

deo aut lini semine decoctam aqua mulsa contra uuluæ cruciatus subiecit, itemq; impo/ suit imo uentri. Lepras, lentigines, sulfuris pari portione, mista farina curauit nitro ante præparata cute, sępius die illinens, perungiq; præcipiens. Theodorus fœno græco quar/ tam partem purgati nasturtij miscuit acerrimo aceto ad lepras. Damion fœni græci semẽ acetabuli dimidia mensura cum sapæ & aquæ nouem cyathis ad mẽses ciundos dedit po tu. Nec dubitatur, quin decoctum eius sit utilissimum uuluis, interaneisq; exulceratis, si/ cuti semen articulis, atq; præcordijs. Si uero cum malua decoquatur, postea addito mul/ so potus, ante cætera uuluis interaneisq; laudatur: quippe cum uapor etiã decocti plurí/ mum prosit. Cremorẽ eius ex adipe anserino in lana subiecit Dioscorides mulieribus, ad molliendos earum locos, aut, si præclusi sunt laxandos. Virens ex aceto torpentibus lo/ cis exulceratisq; partibus imposuit. Tenesmum eo & fœdam dysentericorum proluuiem discussit. Præterea decoctum fœni græci semen alarum graueolentiam emendat. Farina cum aqua & melle subacta collectionibus illinitur. Lienem cum nitro & aceto admota ex tenuat. Furfures capitis, porrigines, cum uino & nitro celeriter rapit, In hydromelite au/ tem decocta addita axungia genitalibus medetur: item pano, parotidi, podagrę, chiragrę, articulis, carnibusq; quæ recedũt ab ossibus succurrit, aceto uerò subacta luxatis. Illinitur & lieni decocta in aceto & melle tantum. Carcinomata subacta ex uino purgat, mox addi to melle persanat. Sumitur & forbitio è farina ad pectus exulceratum, longamq; tussim. Diu decoquitur donec amaritudo desinat, postea mel additur. Oleũ fœno græco expres/ sum cum myrto capillitium exterit: oculorum & genitalium cicatrices emendat.

Linum. Cap. XXXIII.

Linum Græci, Latini, & Galli pariter dicunt herbam uulgo notam, tenui do/ drãtaliq; auena, tamariscí foliis, flore cæruleo, speciosó. Herba cannabis mo do tunditur in lanæ mollitiem ad linteorum texturas. Linum in lolium de/ generare Theophrastus prodidit. Seritur fabulosis locis maximè, unoq; sul co, nec magis festinat aliud. Vere satum æstate uellitur. Lini semen nisi ma/ gnus est eius in ea regione quã colis prouentus, & pretium proritat, serendum non est. a/ gris enim præcipue noxiũ est: itaq; pinguissimum locũ & modicè humidum poscit. Seri/ tur à Calendis Octobris in ortũ Aquilæ, qui est septimo Idus Decembris. Iugerum agri octo modijs obseritur. Nonnullis placet macro solo q; spississimum semẽ eius committi, quo tenue linum proueniat. Idem etiam si læto solo seratur, mense Februario, decem mo/ dios in iugerum iaci dicunt oportere. Obesse solo uirus lini, quia sit feruidæ naturæ ait Tremellius. quod etiam Virgilius significat dicendo,

Vrit enim lini campum seges, urit auenæ,
Vrunt letheo perfusa papauera somno.

Seritur, ut Apuleio placet, ab Aequinoctio autumnali usque ad Arcturi exortum, qui sit pridie Nonas Ianuarias. Gaudet uliginosis tractibus & limosis. Arachne mulier ip/ sum lini usum reperit. Maturitas eius duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, uel flaueścente colore. Tunc uulsum & in manuales fasciculos colligatum ficca/ tur in sole pendens, conuersis sursum radicibus uno die: mox quinque alijs, in contra/ rium inter se uersis fasciũ cacuminibus, ut semen in medium cadat: deinde post messem tri ticeã uirgę ipsæ spargũtur in aquã solibus tepefactam, põdere aliquo depressę: nulli enim leuitas maior. maceratarũ indicio est membrana laxatior. iterumq; uniuersę, ut prius, sole siccantur: mox arefactæ tunduntur stypario malleo. Quod proximum cortici fuit, stupa appellatur, deterioris lini, lucernarum ferè luminibus aptior, & ipsa tamen pectitur fer/ reis hamis, donec omnis membrana decorticetur. Medullæ numerosior distinctio, can/ dore, mollitia. Cortices quoque decussi clibanis & furnis præbent usum. Depectitur operosè, digeriturq; sic ut iustum sit è quinquagenis fascium libris quinas denas carmi/ nari: textumq; rursus tunditur clauis, semper iniuria melius. Ita elaboratum linum mu/ lieres in fila digerunt, quamquam olim uiris nere decorum fuit. Galliæ uniuersæ eo telas texunt, nec pulchriorem linea uestem ruri pauperes fœminę norunt. Lineis quoque tuni cis diuites uti nulli dubiũ est. Vestes inde q candore & nitore præstent, sacerdotibus gra tissimæ. Caduci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimiq; hominum existimati Morini lino uela

texunt

texunt. In cúlcitris præcipuam gloriam Cadurci obtinent. Galliarum hoc, ad tomenta in uentum. Holandrinum nunc & candore & firmitate et filamentorum exilitate præfertur. Parísino ſecũda palma: Trecacinũ mollítia cedit. Multis in locis apud nos nígricat, quod minori in honore habetur: præfertur tamen cui tenuitas ſumma, denſitasq́, & candor, & lanugo pauca. Inuentum eſt lini genus quod ignibus non abſumeretur, uiuum id uocant, ardentesq́ in focis conuiuiorum uiſæ ſunt olim mappæ, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis, quàm poſſent aquis. Naſcitur in deſertis aduſtiſq́ ſole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter díras ſerpentes, adſueſcitq́ uiuere ardendo, rarum inuẽtu, difficile textu propter breuitatem. Rufus de cætero colos ſplendeſcit igni. Cum inuentum eſt, æquat pretia excellentium margarítarum, uocatur à Græcis aſueſtinum, ex argumento naturæ. Huic lino príncipatus in toto orbe: proximus byſſino, mulierum maximè delitijs, circa Elim in Achaia genito, quaternis denarijs ſcrípula permutata quondam ut auri. Cæterum ut eſt Pauſanias author, byſſus nõ alia Græciæ parte naſcitur quàm in Elide, tanta tenuitate, ut ne Iudaicæ quidem byſſo cedat, etiam ſi colore minus quàm Iudaica rufeſcat. byſſo ea referti ſunt ſacrarum literarum codices. Byſſon lini genus apud Indos eſſe traditur. Item apud Aegyptios, à frutice lanam erui, ex qua ueſtes texãtur, líneis nõ niſi craſſitudine differentes: quippe frutex ſimilem nuci defert fructum, triplici interſtitio celebrẽ, quẽ cum maturitate dehiſcit, in interiori bombyce lanugínem oſtendit, quæ netur, ex qua tramam ordiantur, ſtamen uero ei líneum ſubijciant. Inter medicamina ſemini uis, & in quodm ruſtico, ac prędulcí cibo tranſpadanis. Galenus hoc toſto obſonij uice quoſdam tradit ueſci ex ſale & garo, itidem melle conſperſum edendo eſſe. panibus quoq́ nonnulli inſerunt. Porrò ſtomacho aduerſatur eius cibus, cõcoctione cõtumax. Tenuiter corpus alit, ſed quod ad aluí deiectionem pertinet, nec laudandum nec uituperandum. Vrinam modicè ciet, toſtum aliquanto uehementius, ſed magis aluum ſiſtit. Ruſtici ſæpenumero torrefacto adiecta portione mellis utuntur. Oleum ſeminibus exprímitur. cuius fraces & retrimenta reponuntur ſaginando iumentorum generi, præcipuè bubus obeſitate ſola futuris inſignibus, quales interdum apud nos coronati ad oſtentandam altilis ſaginæ molem per urbium compita circunferuntur. Semini eadem natura quæ fœnogræco, diſcutiendi emollíendiq́. Mulierum cutis uitia & uaros emendat in facie crudum. Cum nitro & ficulnea lixiuia, parotidas durítiasq́ diſcutit. Epiphoras cum thure & aqua ſedat. Serpere ulcus in uino decoctũ prohíbet, fauosq́ purgat. Vngues ſcabros emẽdat cum melle & pari naſturtij modo: item teſtium uitia & ramices cum reſina & myrrha, et gangrænas ex aqua. ſemine fiunt eclegmata extrahendis à pectore pituitis, finiendisq́ tuſſibus, cum melle ac pipere. Muſculorum, neruorum, articulorum, ceruicum durítias cum fico cõcoquit ac maturat. Cum radice cucumeris ſylueſtris extrahit quæcunq́ corpori inhærent. Stomachi ſolutiones inſparſum polentæ modo mitigat: item anginas in aqua & oleo decoctũ & cum aniſo illitum. Torretur ut aluum ſiſtat. Cœliacis & dyſentericis imponitur ex aceto. Ad iocinoris dolores eſtur cum uua paſſa. Cerebri membranas mitigat farina ſeminis, nitro, aut ſale, aut cinere additis. Polentæ modo accepta cupiditates ueneris in cibo accẽdit. Decoctum eius ad roſiones inteſtinorum & uuluæ ſuffunditur, & ad aluum exonerandam. Fœminæ ſucco decocti contra ſuas inflammationes inſidunt, eodem quo fœnigræci profectu. Reperta quoq́ eſt lanugo línteorum è uillis, ſed maximè nauium maritimarum, in magno uſu medicinæ. cuius cinis ſpodij uim habet. Eſt & ſimilis omnino herba quæ cauliculis fruticat nígris, tenuibus, lentis, atris quoq́ foliis, lini ſimilitudine, cõcolori ſemine dum matureſcit, ubi ematuruit rufo. Hanc recentiores linariam aut ſylueſtre línum appellant, ſed oſyrim herbam eſſe deliniatio ſatis fatetur, ut in mentione ſua oſtenditur.

Piſum. Cap. XXXIIII.

PIſum pariter Græci & Latini uocant legumen, quod nullũ uel hoc nomine à faba nobilius, caulibus fiſtuloſis in terrã ſparſis, ramoſisq́, prętenui ſurculo, folio frequẽti, præter cæterorũ morẽ longiuſculo, ſiliqua cylindracea, granis rotundis, candidis, flore papilionis forma, circa umbilicũ purpureo, radice imbecílla. In ualuulis grana continet quæ ſe inuicem quaſi tangunt, ut in

eruo: sed siliquæ lõgæ, aliquantũ latæ ad figurã grani cylindratę. Pisum apricis seri debet, frigorũ impatientissimum, ideo in austeriore cælo nõ nisi uerno tẽpore, terra facili ac solu ta: nã tepidum locũ & cælum frequentis humoris desiderat. Septẽbri mense postremo, & ad Idus usq; Octobres serendũ soluta ac facili terra, tepido em̃ cælo delectat & humecto. Iugero quatuor uel tres modios sparsisse satis est. Stercorari agros piso Sarsena putauit. Nec dubitat Columella, si confestim aratrũ sequat, & quod falx reliquerit prius q̃ inarescat uomis rescindat atq; obruat, id em̃ cedit pro stercore. Pisum terræ mãdatur uel in uer uacto, uel melius pingui & restibili agro: facilẽ & solutã expostulat humũ, tepidũq; locum & cælũ. Eadẽ mensura nigrum, uel modio minus q̃ phaselum licet obserere primo tẽpore sementis ab Aequinoctio autũnali. Sera etiã satione gaudet ut est Theophrastus author. Duo apud nos genera reperiuntur. unum in aruis caducũ, humi serpẽs: alterũ in altũ scãdit, arboris ramo cui accubet adfixo, cui sese capreolis uinciẽs illigat, *ramulare* solemus appellare, cuius recẽs theca cum ipsis granis uere mandit̃ in patinis. Valuulæ etiã recẽtes eorum quæ nullo pedamẽto fulciuntur, antè q̃ durescãt, edendo sunt. Frugi etiã putãt reddi triuiale illud, minusq; cõtrahere rubiginẽ, si frutices aut ramuli substernãtur, quibus otiosos alioquin intorqueãt pampinos. Sic semen humore soli minus imbutũ, æuum diutius patitur, nec breui marcescit. Quo magis miramur, Dioscoridẽ tam uulgaris tãq; protriti leguminis nõ meminisse, cum Theophrastus, Plinius, Galenus, & Aegineta Paulus nõ intactum reliquerunt. Hippocrates scriptũ reliquit, pisa fabis minus inflare, magisq; per aluũ descendere. Diocles in leguminũ censu ei secundas à faba tribuit partes. addidit dolichis nõ minus nutrire, cõsimiliter flatu uacare. Galenus suã interponẽs sententiã, ita de pisis pronũciauit, fabis nõ dissimilẽ retulisse naturã, nec diuerso ab illis modo mãdi, in duobus tantũ euariare. Nõ enim pisa adeo uti fabę inflant, nec abstergent: ideoq; segnius aluo quàm illæ excernuntur. Decoctorum cremor aluum ciet. Recentia, quæ cum suis ualuulis manduntur, ructus mouent. Rura nostra nullum legumen magis nouere, quæ ad anni totius usum exactè siccata & suis ualuulis explicita recondũt. Ita em̃ exhausto solibus humore, diutius à putrilaginis labe uindicant̃. Diuites quoq; cũ pernis nõ insulsis aut suillis trũculis incoquũt non ingrato cibatu, qui in opiparis cœnis sese offerre sępius audeat.

Vicia. Cap. XXXV.

VIcia, ut placet Varroni, dicta est à uinciẽdo, quod itẽ capreolos habet ut uitis, quibus sursum uersum serpit, ad scapũ lupini, alium'ue calamũ, ad quem ut hæreat, eum solet uincire. Galenus uicij uocabulũ in pleraq; Græcia usitatissimũ esse testat̃. Hoc tamen semen Attici saracum aut cyamum appellare malunt. Galli latina imitatione *uessam* nominant. ea omnibus nota iumentorũ pabulo, cubitali altitudine, foliis ferè petroselini, amplioribus, flore pisi, minutis nigrantibusq; in siliqua granis. Serit̃ in quacũq; terra facillimo cultu, solũ in quo sata fuerit lętius reddẽs, nec ipsa agricolis operosa. uno sulco sata nõ sarrit̃, non stercorat̃. ea pinguescũt arua. Sationis eius tria tẽpora, circa occasum Arcturi, ut Decẽbri mẽse pascat, tũc optimè seritur in semẽ: secũda satio, mẽse Ianuario: nouissima Martio, tum ad frondẽ utilissima. Sic citatẽ ex omnib. quę seruntur, maximè amat: non aspernatur etiã umbrosa, quod nullũ respuat solũ: uitibus tamẽ prærípit succũ, languescũtq; si in arbustis seratur. Vicią solo q̃ minimè aquoso herbidoq; seri Cato præcipit. Adiecit à uigintiquinq; lunę diebus ad triginta, ita demũ sine limacib. fore. Ita Ianuarij ultimo mẽse legẽdi seminis causa, nõ pabuli, obserẽda. Iugerum sex modij occupãt. Serit̃ in terra proscissa, nõ antè q̃ ros sole discutiatur, quẽ ferre nequaquã potest, statimq; ante noctẽ cooperienda: nanq; si nuda manserit, noctis humore corrumpitur. Obseruatum quidẽ est satam ante uigesimamquartã lunã limaces persequi. Non proscisso serere solo sine damno compendium est operæ. Virgilius credendam solo occidente Boote iussit. Satio eius potest cruda terra fieri, sed melius proscissa. itaq; semen spargendum est, cum omnis humor sole uento'ue detersus est: siquidem id genus præcipuè non amat rores. neq; amplius proijci debet, quàm quod eodem die possit operiri. Nãq; si nox incessit, quãtulocunq; humore, prius quàm obruat̃, corrũpi solet. Cauendũ erit ne ante quintã & uigesimã lunam terræ mandetur, aliter satę ferè limacẽ nocere reperit Columella. In pabulũ secatur circa solstitium. Pabulari uicia agros stercorari nulli

nulli dubium est, si tamen eam uiridē dissectam aratrum sequatur, & quod falx reliquerit, prius quàm inarescat uomis rescindat atq; obruat. Nam si radices relictæ dissecto pabulo inaruerint, succum omnem solo auferent, uimq; terræ absument: quod etiã leguminibus accidit, quibus terra glisscere uidetur. Galenus uitiæ semini figuram assignauit non orbicularem, sed lenti similem, & fabarum modo longiusculam. Adiungit integra cum ualuulis uicialia diligenter à rusticis reponi, ut pecudibus conditiua pabulo cedant. Hominibus in reliquorũ leguminum penuria cũ fames urget, uere præsertim cũ siliquas egit, estur uicia: uerum semina, ut concoctu contumacia, stomachus fastidit, mansa tamen aluum firmant, noxium crassumq; succum creant, atræ bili gignendæ satis idoneum.

Cicer, Cicera, Cicercula. Cap. XXXVI.

Cicer erebínthos à Græcis uocatur. Legumina gallicani, ut Varro tradit, legaria nominãt, dicũtur ita, quoniã uellãtur à terra non subsecẽtur ut fruges, eadem Gellius etiã legumenta uocauit. Cicer Gallis *ciche*, radice surculosa est, eadēq; altissima, caule lignoso, obliquo, foliis circinatis, siliqua rotunda, semine uario, tum colore, tum sapore, tum forma. Altissima Theophrasto radice cohæret, & cũ legumina ferè cuncta singulis nitãtur radicibus, eisdē lignosis & prætenuibus surculis capillamentorũ modo fibratis, id nõnunquam è latere fundit. Floret diutissimè ut eruum, quadragesimo die uellitur, fructum celerrimè perficit. Caulis ei admodum lignosus firmusq;, sed in latus tendens, multa folia, siliquæ rotundæ. Vni leguminí floreti pluuiæ officiunt, erucis nascentibus eluta salsilagine. Nigrum & rufum cãdido ualidius herbas omnes enecãs, sed tribulum celerrimè. Syderatio radicis & erucæ, quas aliqui uricas & græcè campas uocant, ciceri proprię dicũtur, à quibus erosum protinus perit, ut abluta salsilagine syderatur. In corrupto cicere nullum animal gignitur, contra quàm in cætero frugũ genere: quanquam hoc & seminibus olerum & quibusdam alijs commune. nigrescit hoc cum putrilaginis uitium sentit. Durat erui modo plures annos. Ciceris genera sunt arietinum, crios à Græcis dictum, columbinum idemq; uenereum erui similitudine, orobiæon ob id appellatum, à Columella punicum. Iis generibus sylueſtre adijcitur à Dioscoride, Galeno, Pauloq;, cuius uis alia duo excedat. Orobias calidior arietino, subamarusq; ut eruum, unde nomen. In columbino & orobiæon & sylueſtre contineri putamus. Nasci & in India cicer aiunt diuersum omnino genere, cæterum tam simile, ut mensis apposítum dignosci ferè non possit. Edax est legumen, & ideo noualibus incõmodum: nec id quocunq; solo comprehendit, sed tantum pullo crassoq; gaudet, aliud ferè respuẽs. Terra maximè fruitur, quanquam in ea parum temporis maneat. Locis dilutioribus sero serendum id censent. Ciceris natura est gigni cũ salsilagine, ideo solũ urit, nec nisi madefactum pridie seri debet. Differentiæ plures, magnitudine, figura, colore, sapore. Est enim arietino capiti simile, unde arietinum appellatur: album nigrũq;, est & columbinũ quod alij uenerium uocant, candidum, rotundum, leue. Dulcissimum quod eruo simillimum, firmius quod nigrum & rufum quàm quod album. Cæteris leguminum siliquę longæ & ad formam seminis latæ, ciceri rotundæ, piso cylindraciæ. Cum mutuescere cœperit, cito rapiendum: quoniam cito exilit, latetq; cum decidit. Olerum medicina est cicer, arcet enim erucas. In horreis uni leguminum tantum bestiolæ non innascuntur. Tremellius obesse maximè ait solo uirus ciceris, quia sit salsæ naturæ: nulliq; dubium est, quin hoc semine infestetur ager. Cicer quod arietinum uocatur, itemq; alterius generis quod punicum, seri mense Martio toto potest, cælo humido, loco quàm lætissimo: nam etiam id terram lædit, atq; ideo improbat à callidioribus agricolis. quod tamẽ si seri debeat, pridie macerandũ erit, ut celerius enascat. Iugero modij tres abundè sunt. Cicer grãde nasci prodũt Græci, si infundat aqua tepida pridie: amare etiã loca maritima, temperius prouenire, si serat autũno. utrũq; tamẽ seri iubẽt humente cælo, & lętissimo loco, pręmaceratũ citius enasci uolẽtes. Cicerã uerò nõ tã leguminibus Columella q̃ pabuli generibus adnumerat, eamq; proximã fœnogræco & medicæ tradẽs. Cicera bubus erui loco datur fresa in Hispania Betica, quæ cũ suspensa mola diuisa est, paulum aqua maceratur dum inlenteſcat, atq; ita mistis paleis subtritis pecori præbet. Sed erui duodecim libręs satisfaciũt uni iugero, ciceręs sexdecim. Eadē hominibus nõ inutilis nec iniucũda est. Sapore certè nihilo differt à

cicercula

cicercula,colore tantũ diſcernitur:nã eſt obſoletior et nigro propior.Seritur primo uel altero ſulco,menſe Martio,ita ut poſtulat cæli lætitia,quod eadẽ quatuor modijs, nonnunquam & tribus, interdum etiam duobus ac ſemodio iugerum occupat. Optimi bubus cibi uicia in faſcem ligata & cicercula.ea piſo ſimilis eſt. Menſe Ianuario aut Februario ſeri debet,læto loco & humido:quibuſdam tamen Italiæ locis ante Calendas Nouembris ſeritur. Tres modij iugerum implẽt,nec ullum legumen minus agro nocet,ſed raro reſpondet:quoniam nec ſiccitates nec auſtros in flore ſuſtinet,quæ utraq; incõmoda ferè eo tempore anni ſunt.Ea,ut uolunt,ſtercoratur ager.Cicera diſtat à cicercula ſolo colore,quo ſordet,& nigrior eſt.Seritẽ primo ſulco uel ſecũdo,ſolo læto.Iugerũ quatuor,uel tribus,uel etiã duobus cicerę modijs,& cicerculæ tribus cõpletur.Eſt cicercula minuti ciceris inęqualis angulos habẽs ueluti piſum,rura noſtra modo *cerras*, modo *piſa cerra*, ut cicerã *cicerolam* nominant. Vtũtur cicercula perinde atq; piſis,& frequenter agris ſerunt. Ciceris uſus,ut qui parum urbanis hominibus ſit aſſuetus,reſpuitur,ut Galeno placet: ruſticis tamẽ in lomentum fabæ modo digeritur,quo ſua pulmenta cõdiant,aut freſum incoquitur.Sed qui cicer pro ſuo more eſitant,aut ſolo,aut ex ſale parato ueſcuntur. Quidã græci eius lomento ueterẽ caſeum infriãt.Sed eius cibus nõ faba minus inflat, Venerẽ ſtimulat,& genituręq; copiã ſubminiſtrat:quare admiſſarij equi,quo tẽpore uocanẽ à fœminis, eruo ſaginantur, ut eo cibatu roborati ueneri ſuperſint.Ineſt & ciceribus uis abſterſoria ualidior q̃ fabæ,adeò ut creatos in renibus calculos & cõfringat & comminutos deturbet. Sed lõge magis hac facultate pollet quod eſt exile,arietinũ cognominãt,id in Bithynia copioſe naſcit. Verum eius decocti cremor ad eũ uſum longe magis præſtiterit. Virẽtibus plericq; ciceribus antè quàm maturitatẽ adipiſcanẽ,perinde atq; fabis utuntur. Sed ut fricta inflandi uitium exuunt,ita cõcoctu redduntur pertinaciora,magiſq; uentrẽ adſtringunt,& corpori craſſius exhibẽt alimentũ. Cicercula multis in oppidis utuntur, cuius cremorẽ phaſelis præferunt in alendo potentiorẽ.Sed ad medendi rationẽ trãſeamus.Cicer & ſylueſtre eſt, folijs ſatiuo ſimile,odore graui,ſed ſilargius ſumatur,aluus ſoluitur,et inflatio cõtrahitur et tormina.toſtũ ſalubrius habeẽ.Cicercula etiã magis in aluo proficit. Vtriuſq; farina manantia capitis ulcera ſanat,efficacius ſylueſtris.Satiuũ urinas molitur,coloris hilaritatem præſtat.Lac in cibo nutricibus auget,menſes partusq; trahit. Emẽdat lichenas, & teſtiũ collectiones,regiũ morbum,hydropicos,formicas,pſoras. Gangrænis cũ melle utiliter linitur & ijs quæ cacoethe nominanẽ.Arietinũ uocaẽ alterũ genus eius,quod præcipiunt in aqua cum ſale diſcoquere.ex eo bibere cyathos binos in difficultatibus urinæ, ſic & calculos frangi morbũq; regiũ.Eiuſdẽ folijs ſarmẽtisq; decoctis in aqua quàm maximè calida morbos pedũ tolli. Vtrũq; appellat urinas. Colũbini decocti aqua horrorẽ tertianæ & quartanæ febris minuere traditur.Nigrũ cum gallæ dimidio tritũ oculorũ ulceribus ex paſſo medetur.Lædũt omnia hæc genera exulceratã ueſicam & renes. Verrucarũ in omni genere prima luna ſingulis granis ſingulas tangunt:eaq; grana in linteolo deligata abijciunt poſt ſe,ita fugari uitiũ arbitrãtes.Farina comitiales et iocinorũ tumores et ſerpẽtiũ ictus ſanat.

Dolichi,Lathyri. Cap. XXXVII.

DOlichi,ut arbitratur Galenus,ſatiui cuiuſdã leguminis ſemina ſunt, quæ bifariam Græcis nominãtur: quidam enim lobos quaſi ſiliquas,quidam quatuor ſyllabis proferentes phaſiolos uocant, atq; ita diſtinguunt à phaſelo, quod tribus pronunciatur ſyllabis.Sũt tamen qui dicãt phaſelum lathyrum eſſe,alij quandã eius ſpeciẽ.Diocles dolichorũ meminit,itẽ liber Hippocratis qui de ratione uictus inſcribitur.Porrò dolichos eſſe ſemina quæ in hortis alãtur,Theophraſtus octauo de plantarũ hiſtoria uolumine euidẽtiſſimè fatetur,ita inquiẽs: Aliqua caule recto proſiliũt ut triticũ,hordeũ et frumẽtacea:alijs ſcapus in latus tẽdit,ut ciceri,eruo,lẽti:alijs caducus humi,prepit,ut ochro,piſis,lathyro. Verũ dolichus ſcãdit,pedamento cui accubet prelõgo adfixo.ita eñ reddi putãt frugi, contrahẽs eruginẽ ni adminiculo fulciaẽ. ſemẽ eius euũ nõ patitur,breuiq; marceſcit ut aphaca.Galenus coniectura colligit uerba Theophraſti de phaſiolis uulgo dictis audienda. Hippocrates uolumine ſuperius citato uult piſum minus inflare fabis,ocius aluo excerni.Subdit ochros et dolichos promptius exire, & uberius enutrire. Quibus uerbis, ut Galeni fert opinio, dolichon indicat

eiuſdem

eiuſdem eſſe generis cum ſuprà nominatis ſeminibus, potiſsimum ochris. Diocles in legu minum cenſu primum fabas reponit, deinde piſa, mox adiecit dolichos nõ minus piſis ale re, item flatu uacare, quæ de phaſiolis uulgo ſic nominatis intelligenda cenſentur, cum la/ thyrus & ochrus piſis non minus inflant. Diocles propemodum Hippocratis iudicio ſub ſcripſit, dolichos & ochros aluí moliri deiectionem, pauciorem piſis creare ſpíritum, atq; ſatis alere teſtatus. Manduntur integrí cum ſuis ualuulis adhuc uírentes ex oleo & garo, nonnulli uínum adíjciunt. Cæterum cum humídiore ſint prædíti natura, citam ſentiũt cor ruptionem: quapropter Galeni pater díligenter reſiccarí iubebat, út hyeme tota à putrila/ gine uindícatí, eundem quæ piſa præberent uſum. Dolichos ítaq; qui & lobí & lobia no/ minentur, ut Aetío uídeo placere, quod ſoli ferè legumínum cum thecís ſuis manduntur in patinís, eſſe phaſíolos íllos non triuíales ſed rubentes ex ſímilace hortenſíana, non íbit inficías qui ueteres & íllos claſſícos authores euoluerit. Cuius fructũ lobia Dioſcorides appellat, folío hederaceo, molliore duntaxat, caule gracílí, flexu clauículárum adíunctos impediente frutíces, Adoleſcit uſq; in eo in hortís, ut rami ſufficiãt operí topíarío, ſilíqua fœnígræcí longiore, toroſioreq;, in qua contínentur ſemína renunculís ſímílía, nec colore uno, ſed ex parte rufeſcentía. Parãtur folliculí cum ſuis granís in patinís igní cocti ad cien dam urínam aſparagorum more. Non deſunt tamen, qui dolichos à ueteríbus pro phaſío lís dictos exíſtíment, à recentioríbus piſos. Verum Theophraſtus & ante ipſum Hippo/ crates, piſum à dolícho manifeſtè ſeperauerunt. De phaſiolís nuſquam meminit, niſi quís dolíchorũ appellatíone phaſiolos ab eo ſignificatos cenſeat, ut Aetío placere uídeo. Pau/ lus ín quadam cõpoſítione quæ día tettígon inſcribitur, phaſiolos requírit candídos, qua ſi etíam ſint non albí, utíq; ad renum uítia: quanquam non ſemper piſos & ochros & pha/ ſíolos à lobís, ſiue, quod ídem eſt, dolichís, manifeſtè ſeiũxerit. Lathyrum cicerculam eſſe docti putant, folío non rotundo, ut plurima leguminum, ſed oblongo. caulís humi repens ut piſo, quaterni & inæquales grano ſunt anguli ut Plínius inquit. Galenus ochrís & pha ſelís non longè díſſímílí natura lathyron conſtare prodídit, Aſiatícos ſuos eo cíbo maxi/ mè in Myſía & Phrygía plurímum utí, nec eo tãtum modo quo ín Alexandría alíjſq; plu ríbus oppídís ochrís & phaſelís, ſed ín modum phacoptiſanæ etíam, id eſt freſorum cre/ more. Succum reddunt phaſelo & ochro ualidíorem craſſioremq;, quapropter alíquan/ to plus enutríunt. Ochros folío eſt ut cícercula oblongo, uermículís ut ítem cícercula ob/ noxío, ſecutís poſt ímbres caloríbus. Ochron Theodorus modo ciceram modo eruíliam ínterpretatur. Ciceram Columella non tam leguminíbus quàm pabulí generíbus annu/ merat. Sunt qui ochros etíam phaſílos appellarí ſcríbant. Inter legumína & araci ſerun/ tur, à durítie uocatí, quod eos ῥέαται, id eſt frangere non ſit, lenti ſímíles, grammatici quídam ínterpretantur. An díuerſum genus ab aracís, quos lathyrís, hoc eſt cícerculæ ſí/ míles Aetíus tradit, & uſu & uíríbus duríores tantum & perfící difficílíores, haud ſcío. Aracos Theophraſto ínter aphacas ſíue lentem naſcítur, res dura & ſcabra, & proínde uí lís. Hippocrates aracída nomínat, & alíquíbus dícta lecíthos. Quídam lecíthon ad píſum & aracum genus eſſe defendunt. Galenus apud Hippocratem lecíthon pro lente, cui de/ tracta ſunt putamína, uídetur ínterpretarí, quaſi λεκιθώδες, hoc eſt quod ínra corium eſt. Nec íjs aſſentío qui lecíthon ab oui luteo cui ſímílís colore aracus, deductũ putẽt, cum ſcríptura díuerſa ſit. Et iã ſatís nobís eſt obíter notaſſe lecíthon pro putamíne uel gutto o/ learío ampulla ue per iota ſcríbí, pro oui luteo per y. Porrò Meleager græcus author uolu men dícauít lecítho & lenti. Præterea legumen omne, ut Athenæus eſt author, tríbus mo/ dís mandí ſolet: aut enim ex eo fit quod etnos dícitur, ut ex faba & píſo quã nos conchín uocemus ſi placet, faba cum corticíbus elíxa conchís ad diſcrímen freſę appellabatur: aut lecíthos ex araco & phace, aut ex aphaca & lente, quod nos lenticulam.

Faba. Cap. XXXVIII.

FAba, Græcís cyamos, Gallís *fæua*, ſola ínter legumína ſine adminículo nitíť, mira ínterdũ proceritate, folío carnoſo, portulacæ ſímílí, ita eñ ab extremo ín faſtígiũ rotundať, flore críſtato, uerſícolore, hírto, ſilíqua plerũq; ſemipe/ dalí, fructu íntus lato humaní unguís effígie, colore nõ ſímplící, quando præ ter uulgarem qui aut fuluus eſt, aut níger, iam & herbaceum & coccíneum con/

conſpeximus. Eadem parte ſcapus & radix funditur, non diuerſa ut in frumento, ſed ſingularis, lignoſa, & capillata fibris, ut in cętero leguminum genere. Foliis exit multis ut piſum atque cicer, non ſingulis ut triticum. Sola ferè leguminum ſcapo recto conſurgit, geniculato & inani, lignoſiſsimoq; poſt cicer. Diebus quadraginta floret, õ n uniuerſum ut frumentum, ſed particulatim. Caulis pars infera primum florẽ promit, quo excuſſo proxima, atq; ita ad ſupernam itur ſucceſſu continuo. Aquas in flore maximas concupiſcit, cum uerò defloruit exiguas deſiderat. Solum in quo ſata ſit, lætificat ſtercoris uice, ob id ſerius eam ſeri præcipiunt, Noualia, quanuis & frequens pangatur, & largiorem ferat fructum, meliora reddit. Circa Theſſaliam & Macedoniã, cum florere incipit, arua moris eſt inuertere, quia legumen id ſolo pro ſtercore proficit, alioqui moleſta. In fabis marceſcentibus mydæ uermes innaſcuntur. Apud Apolloniam Ionij maris, ullo pacto uermiculis corrodi negant, ideoq; ad uſum reponi iubent. Circa Cizicũ diutius durare teſtis eſt Theophraſtus, quòd inibi non niſi retorridas demetant. Longiſsimam præbet moram humoris uernaculi iactura. Fabæ ſuis inhærent ualuulis, perinde quaſi peculiaribus cellulis clauſæ: at nigrum id quod in ſumma ea uiſitur, hilum uocatur, ſicut uermes qui enaſcuntur mydæ Latinis appellantur, & ſiliquæ earum ſunt folliculi. fabalia uero, earum repurgamenta nominantur. Didymus in geoponicis eſt author, arborem nec areſcere, uel ſyderari, iuxta cuius radicem indita fuerit faba. Hebetare comedentiũ ſenſus exiſtimat, & inſomnia quoq; facere, ob hoc Pythagorica ſententia damnatæ. Sterileſcere quoq; cohortales gallinas, quæ ſæpius iſs ueſcantur. Fabis ideo non utendum conſulit Pythagoras, quod in flore eius literæ lugubres reperiantur: traduntq; eam ſolam frugum exeſam repleri creſcente luna, aqua marina alia ue ſalſa non percoqui. Porrò fabis abſtinendum Amphiaraus primũ præcepit, quod uaticinationibus quæ ſomnio colliguntur, obeſſe non parum credidit, quod ſuo flatu placidam interpellẽt quietem, atq; mentem in ſomnis conturbẽt. Orpheus uates fabarum cibum nobis etiam interdixit, ita canens:

Θεῖλοὶ πάνλειλοι λυάμοιο ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι,
Καὶ ἴσον γὰρ λύαμος φαγέειν λιφαλάς τε τοκέων. Quod ad hunc ſenſum trahitur

A fabulo miſeri miſeri ſubducite dextras,
Par fuit hoc fabulum caput ac exeſſe parentis.

Quoniam, ut magi tradidere, mortuorum animæ ſint in ea: qua de cauſa parentando adſumebatur. Callimachus poeta ex hac opinione ita ſcriptum reliquit,

Καὶ λυάμοιο ἀπὸ χεῖρας ἔχειν ἀνιώντων ἔδοσθαι,
Κἀγὼ, πυθαγόρας ὡς ἐκέλευε, λέγω.

A cyamo dextram triſtante amouit edentes,
Hoc, ut Pythagoras iuſſerat, ipſe loquor.

Sed cyamos hoc loco teſticulos aperte Pythagorico more uoluit appellari, ut teſtatur Agellius, quòd ſunt τὸ κύειν αἴτιοι, id eſt pariendi authores, uel εἰς τὸ κύειν δεινοί, hoc eſt ferendo utero ualentes. Porrò uetus inualuit opinio contra uerum, Pythagoram philoſophum fabam non eſitaſſe, cum in eo uerbo non cyamum, id eſt fabam, ſed rei uenereæ proluuium deteſtetur. Cum Philoxenus Ariſtotelis auditor ſcriptum reliquerit, nullo ſæpius legumento Pythagoram uſum fuiſſe, quàm fabis: quoniam is cibus & ſubduceret ſenſim aluum, & læuigaret. Cicero in ea opinione eſt, interdictum eſſe Pythagoreis ne faba ueſcerentẽ, quod errorem animis perturbationemq; tranquillitatem mentis quærentibus adferat: quibus is cibus cum magnam habeat inflationem, contrarius eſſe conſtat. Plutarchus hoc commento de educandis liberis hoc ænigmatis inuolucro abſtinendum à fabis interpretatur, id eſt tractandis reipublicæ muneribus: propterea quod antiquitus in creandis magiſtratibus ſuffragia per fabas calculorum uice ferebantur. Nempe qui negotiorum ſecurus & animi, in ſilentio ac tranquillitate uiuere cupit, is uacare debet perturbationibus, quæ in obeundis magiſtratibus frequentiſſimæ ſeſe offerunt. Sero faba ſeritur, gaudet lutoſis. Fabæ ſemina Græci aſſerunt capi ſanguine macerata aduerſantibus herbis liberari, aqua pridie infuſa citius naſci, nitrata aqua reſperſa cocturam non habere difficilem. Seritur ante Vergiliarum exortum leguminum prima, ut antecedat hyemem. Naſcitur & ſua ſponte pleriſq; in locis, ſicut Septentrionalis Oceani inſulis, quas ob id Latini appel-

ni appellant Fabarias: itē in Mauritania ſylueſtris paſſim, ſed prædura, & quæ percoqui non poſſit. Fabæ pinguiſſimus locus uel ſtercoratus deſtinatur. Iugerū agri fabæ ſex occupant modij, ſi ſolum ſit pingue: eaq; nec macrū nec nebuloſum locū patitur, denſa tamen humo ſæpe cōmode reſpondet. Poſt brumā parū recte ſeritur, peſſimè uere. Granū marcidæ fabæ potius ſuſtinet ueris tepores. quamuis ſit etiā trimeſtris faba, quæ menſe Februario feratur, ſed exiguas paleas nec multā ſiliquam facit. Veteres itaq; ruſtici dicere ſolebant, malle ſe matura fabalia, quàm fructum trimeſtris. Sed quocunq; feratur tēpore, danda eſt opera, ut quantum deſtinatur ad ſationē, tantum quintadecima luna, ſi tamen ea nō tranſcurret eo die ſolis radios, quod Græci ἀπόκαυσιν uocant: ſin minus, quartadecima, utique adhuc creſcente lumine ſpargatur, etiam ſi confeſtim totum operiri ſemen non poterit. nihil enim nocebitur ei nocturnis roribus aliſue ex cauſis, dum à pecore & auibus uindicetur. Virgilio prius amurca uel nitro macerari eam, & ita ſeri placuit:

Lætior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet,
Et quamuis igni exiguo properata maderent.

Sic medicatam comperit antiquitas, cum ad maturitatem perducta ſit minus à curculione infeſtari. Silente luna uelli ante lucē expertus præcipit Columella, deinde cum in area exaruerit, confeſtim prius quàm incrementum capiat, excuſſam refrigeratamq; in granarium conferri: ſic condita erit curculionibus innoxia. Modicus faſciculorum numerus pedibus, baculis, ſurculisq; contundatur: deinde culmi in aceruum regerātur: demum ſuper excuſſa ſemina, quæ in area iacēbunt, reliqui faſces excutiantur. Acus reſectæ à cudētibus ſeparentur: minutiores, quæ de ſiliquis reſederunt, uentilabris in auras iactantur, fabaq; longius emittetur, eoq; pura perueniet quò uentilator eam eiaculabitur. Virgilius eā per uer ſeri iubet circūpadanæ Italiæ ritu, ſed maior pars malūt fabalia maturæ ſationis, quàm trimeſtrem fructum eius. nam ſiliquæ caulesq; gratiſsimi ſunt pabulo pecori. Acus faba ginum, ſi fœnum non erit, iubet Cato recondendum. Inter legumina maximus honor fabæ, quippe ex qua etiam tentatus ſit panis. Lomentum appellatur farina ea, aggrauaturq; pondus illa. Iam uero & pabulo uænalis. Fabæ multiplex uſus omnium quadrupedū generi, præcipuè homini. Tota in Gallia recens, & dum in ſiliqua eſt, uendentium uoce nuncupatur. Miſcetur etiam frumento apud pleraſq; gentes ſolidā, ac delicatius fracta. Præualet & pulmentarij cibo, ſed hebetare exiſtimata. qua uacaturam noxa Didymus exiſtimat, ſi marini laticis imbre aut magudaris rore conſpergatur. Inflationē creat is cibus quocunque modo condiatur: nanq; quantumuis longa decoctione nunquam id uitiū exuit. Ex ea aut liquida in ollis pulticula, Galeno teſte, uel ſpiſſior in patinis, aut nonnihil adijciūtur ptiſanæ. Hoc edulio gladiatores qui corporis habitum inani ſagina mentiuntur, uti ſolent. Pariunt enim fabæ non ſolidam ut ſuillæ carnes, aut denſam corpulentiam, ſed quandam fungoſam, leuem, ac flatulentam ſaginam. Nempe ſuam conſulat naturam qui eis uescitur, corpus ſpiritu diſtendi ſentiet: nonnihil tamen abſterſionis poſſident, quandoquidem & lomentum earum cutis ſordes expurgat, quo mulierculæ in balneis facies ſuas emaculent, ac perinde quaſi nitro mangonizent. nanq; & lentigines & uitia cutis in facie fucasq; ſole contractas emendat. Neq; ferculum ex faba freſa paratum, quod etnos Græci nominant, flatu uacabit, maiorem tamen integra faba creabit diſtentionem. Fricta flatum deponit, uerum contumax coctioni minus cedit, tardiusq; deſcendēs craſſius alimentum in corpus effundit. Viridis et præmatura, minus alit, ſed aluo promptius excernitur, uerum humidiorē alimoniam corpori præbet. Ruſtici fabis olerū modo cum ſuillis, ouillis, caprinisq; carnibus ueſcuntur. Sed qui pulmento eo flatus iniuriam experiuntur, cepas adijciunt, uti ſpiritus uitium abigant, ſiquidem flatuoſum dapibus inſidens, calfacientibus & extenuantibus diſcutiē. Circa Philippos, ut Theophraſtum Plinius intellexit, aterramon uocant, in pingui ſolo herbam, qua necantur fabæ. ea nonnunquā in macro, cum udas quidem uentus adflauerit. Theodorus incoctilem ueriore ſenſu interpretatur, quod Theophraſtus ſatis indicat. Nam ateramna uulgo legumina Græci uocant, inobſequioſa, & cōtumacia. Quod genus ſeminis quoq; cerasbolon nominatur à Platone, ſuperſtitioſa ſatis origine, quaſi ſterilia & irrita proueniant, quæ per boum cornua ſerendo cecidiſſent in terram. Plutarchus in Sympoſiacis hac de re abunde diſſerit, tradens euidentius

esse quàm ut dici debeat, semina quæ inter iactandum inter boum cornua ceciderint, fructum ateramona, hoc enim uerbo utitur, quasi rebellem nec coctiuum dixeris, producere. Sic ex translatione lepida quidem, duræ ceruicis hominem apprimè contumacem, cerasbolon & ateramona appellare Græci consueuerũt. Verũ rei tam cæcæ non facile ratio inirí potest. Plutarchus q̃ amicis sæpe causam disquirentibus, planè sic irrita & cassa fieri semina cornibus bubulis procidua inficiatus est, etsi Theophrastus obscura uerborum ambage multa hac de re narrauerit, cum permulta sint euidẽtia quorum omnino cæca sit causa, nec ratio quouis modo possit inirí: ut quòd parturiens gallina festucas sibi conquirat, quòd uitulus marinus pinũ sumat quidem, sed nunquam deuoret. Itẽ quòd ceruus decidua obruat cornua, quòd capra eryngium herbã ore cõtinens totum sistat gregem: ea fide rí diffitetur nemo, causa tamen & dubia & perdifficilis. Quis nescit ceruas falsum respuere, sues dulcem prosequi lachrymam: caprificí grossos satiuæ fico appensas fructum sistere, & à casu tueri, necnon ad maturitatem perducere: apiũ & cuminũ alterum pedum calcatu lætius prodire, alterũ maledictis & cõuitijs lacessitũ dum seritur uberius enasci? Tandem leguminum seminumq̃ contumaciam frigori refert acceptam Plutarchus, quod prę mens & cogẽs habitũ ad durítiã perducat, sicut calor in mollitiẽ obsequiosam laxet. quapropter nõ rectè dixisse Homerũ existimant, annũ ferre nõ arua. Itaq̃ calídi suapte natura tractus cælo fauẽte molliores creant fructus. Ideo ex manu cõfestim deiecta in terrã semina & genitalibus locis cõdita, caloris, humoris beneficio fruunt. Quæ uero bubulorũ cornuum occursu repulsa cõcidunt, non optimã nacta, ut Hesiodus canit, conditionẽ, sed uelutí errantia ac prolabentia, flabellatis potius q̃ satis proximè accedunt. Inde conceptum frigus ea corrumpit, & exucca & lignosa reddit, adeò ut liquarí non possint. Fruges quæ sub dío diutius in area mãserint, inobsequiosas fieri, & contumaciores ijs quæ statim ausferunt. Vbiq̃ spíritus uentilatis afflans frigoris causa, pertinaciã & durítiẽ adfert, ut in Philippis Macedoniæ, referũt. huic inobsequio palea superiecta succurrit. Sed iã ad medicas uires redeamus. Faba nostri orbis pertinax cõcoctu, inflãs, spirituosa: insomnia facit ímaginosa, & undiq̃ tumultuosa. Augetur tamẽ fabarũ esu corpus, nã solida fricta feruẽsq̃ in acrí aceto cõiecta, torminibus medetur. In cíbo fresa et cũ allio cocta, cõtra deploratas tusses, suppurationesq̃ pectorũ quotídiano cíbo sumít: et cõmanducata ieiuno ore etiam ad furunculos maturandos discutiendos ue imponitur: in uino decocta, ad testiũ tumores & genitalium. Redduntur innocentiores minusq̃ inflant priore aqua dum coquuntur mutata. Virens infensior stomacho, plures flatus ciens. Lomẽto per se lito aut cũ polenta, inflammationes incussionũ ac plagarũ arcet: cicatrices ad reliqui corporis colorẽ reducit: abundantiã lactis & rubicũdos mammarũ impetus extinguit, & coagulationes earũ præduras discutit. Parotidas, sugillata ac liuores oculorũ cũ fœnígraeci farina & melle rapit: cum rosa uero & oui candído ac thuris polline, procidentes oculos, tumores, uuasq̃ reprimit. Dilutum in uino suffusiones & ictus in eadẽ parte sanat. Cõmanducatæ sine corticibus fabæ imponuntur fronti ad reclinandas pituitæ fluxiones. Testiũ collectiones in uino decocta discutit. Illitæ imo puerorũ uentrí, glabellos & rarípiles diu custodiũt. uitiligines emaculãt. Cortices in pilorũ euulsorum uestigia illiti, graciles & uescos renasci cogũt. Cum alumine scissili & polenta & olei uetustate, strumas discutiunt. Decocto earum lanę tinguntur. Putamine ablato sanguinis eruptiones ab hirudinibus excitatas reprimunt: in quem usum dimidiantur qua naturaliter cohærent, ipsaq̃ dimidia iubent apponí. Voci prodesse author est Marcus Varro. Fabalium etiam siliquarum cinis, ad coxẽdices, & ueteres neruorũ dolores, cum adipis suilli uetustate prodest. Per se decocti ad tertias cortices sistunt aluum. Coctæ cum suis corticibus fabæ cíbo dysenterias, alui profluuia, uomitionesq̃ cohíbent.

Faba Aegyptia. Cap. xxxix.

IAbam Aegyptiam, quoniam in Aegypto nobilissima sit, alij colocasiam, alij ponticam, Apuli caso nominant, calamis quaternũm cubitorũ dígitali crassitudine aculeatis, enodibus, intus lilij modo striatis. Folium latitudine concauitateq̃ spectabile Thessalicũ galerũ similitudine imitatur, ita ut aquam continere possit. Certè Alexandrinis & poculorũ & catinorũ præbet usus.

Scapo

Scapo pedali, capite papaueris, roſeo colore, in quo ſingulæ fabæ ſingulis cellulis diſcernuntur, non ſupra tricenas, uulgaribus maiores, atrę, amaro odore nedum ſapore: arundinea radice & rimoſa, cibocꝫ Aegyptijs gratiſſima, uel cruda, uel toſta, uel elixa. Naſcitur in Aegypto faba ſpinoſo caule, qua de cauſa crocodili oculis timentes refugiunt. longitudo ſcapo quatuor cubitorum, ampliſſima craſſitudo digiti. octona genicula habet, ſimile capiti papaueri, colore roſeo, in eo fabæ nō ſupra tricenas, folia ampla: fructus amarus & odore & ſapore, ſed radix perquam lauta incolarum cibis, cruda & cocta, arundinum radicibus ſimilis. Naſcitur in Syria Ciliciaꝫ & in Torone Chalcidis lacu. In Aegypto, ut Plinius refert, nobiliſſima eſt colocaſia. Hāc à Nilo metunt, caule cum coctus eſt araneoſo in mandendo, thyrſo autē qui inter folia emicat ſpectabilis, foliis latiſſimis, etiam ſi ad arbores comparentur, ad ſimilitudinē eorum quæ perſonata in noſtris amnibus uocamus: adeocꝫ ſui Nili dotibus gaudēt, ut implexis colocaſiæ foliis in uariam ſpeciē uaſorum, pota re gratiſſimū habeant. Theophraſtus fretuſcꝫ eius teſtimonio Athenęus, caulem ei reddi derunt longiſſimū, quaternum cubitorum, digitali craſſitudine, mollē, arundini ſimilem, ſine geniculis, rimas intus per totum ut lilio, calycem in cacumine rotundū, ueſparū fauo ſimilem, triginta plurimum loculis inſignē, qui ſingulas ſinguli contineant, non quidē omnino tectas ſed paulo extantes, florem dupla papaueris magnitudine, roſeo colore, latiſſimis circa calices foliis, quæ ſingulas fabas obire uideantur. atterenti fabas amaritudo uel odore proditur, radice craſſiſſima, pleniore quàm arundinis, rimoſa, quæ & cruda & cocta iis eſtur qui paludes incolunt, perquam lauta cibis. Seritur limo paleato obruta, ut deſcendat comprehendatcꝫ. ubi ſemel coaluit, durat in æuum. Refugiunt eam crocodili ſpinis horrentem caule & radice, oculis timentes quos hebetiores habent. Naſcitur ſpōte ac ſatu. Non excoquitur Syriæ Ciliciæcꝫ, & in Torone Chalcidis lacu ad maturitatem peruenit, ſed magnitudine deficitur. In India quoꝫ fluuio Hydaſpe cernitur, Alexandro id falſo in coniecturam trahente, nauigari poſſe in Aegyptum inde. Thyrſus inter folia emicat ſpectabilis, qui & araneoſus ſentiri dicitur ubi coctus eſt in mandēdo, filis ad morſum ut in lana ſequacibus, authore poeta Martiale. Scapo decem pedum lōgitudinem Strabo reddidit. Radices ab Alexandrinis colocaſias uocari prodidit. Nicander Aegyptiam fabam in Georgicis ſerendam iubet ut metatur, & flos quoꝫ coronamentis legatur. Fructus cibotiū eidem dicitur. Pocilli genus ab hac ſimilitudine ciborion uocari ſcribit Athenæus. Folia Aegyptiæ fabæ, quam aliqui Ponticam malunt nominare, latiſſima tribuuntur Dioſcoridi, etiam ſi arboreis comparētur: longitudo cubitalis, ſcapo ampliſſima, craſſitudine circiter pollicari, ſimile caput papaueris, colore roſeo, ſed duplici magnitudine. Veſparia fert ſimilitudine quaſillorum, in quibus faba operculo ſuo exerta leniter extuberat bullantis ampullæ modo. Vocātur ex ratione ſatus ciborion aut cibotion, quaſi arculam interpreteris, quoniam madefacto luto condita demittatur in aquam. Radix arundini ſimilis, uerum pleniuſcula. Incolarum cibus cruda & cocta, cui priuatim nomē eſt colocaſion. Faba omnino eſtur uirens, ſed ſiccata nigritiam contrahit. Efficitur maior quàm uulgaris, plurima in Aegypto prouenit. Naſcitur & in Syria Ciliciaꝫ in lacuſtribus. Philarchus nuſquam niſi in Aegypto ſiue ſatu ſiue ſponte naſci negat, nam Alexandri regis ætate circa Thyranium amnem lacu quodam coaluit, duos ferè annos uberē tulit fructū, & ad maturitatē perduxit: cūcꝫ edicto uetuiſſet Alexander, ne quis fabā decerperet, quin potius huc aquatū iret, lacus exhauſto prorſus humore reſiccatus exaruit, nec poſtea uel aquā uel fabam prodidit. Sed & in Italia quoꝫ ſeritur. Diphilus Siphnius radicē colocaſion appellari ſcribit, ſtomacho gratū eſſe cibū, qui corpus alat quidem, ſed ægrè, quod aſtringat, excernatur. Sed melius in ea fuerit, quod nec flocceā nec lanoſam refert naturā: ſed quæ è ciboriis naſcuntur uirides fabæ, ægrè coquuntur, parū enutriunt, plurimos flatus creant: uerū ſiccæ multo pauciores. Proueniens flos coronamētis apud Aegyptios dicatur. Aegyptia faba Galeno ut noſtræ multo magnitudine præfertur, ſic humidiorē magiſcꝫ excrementitiam ſortitur naturam. quare dotes ei nō lōgè diſſimiles aſſignat, quantum ad excretionem, alimentum, necꝫ non reliquā diſtributionē pertinet. Dioſcoridi natura eius aſtringere, ſtomachum iuuare. Lomentum eius inſperſum polentæ modo & in pulticulam formatū, dyſentericis datur & cœliacis: efficacius cortices decocti cum mulſa

cyathis tribus. Viriditas in mediis his reperta sapore amaro, trita decoctaq; cum rosaceo utiliter perluit aurium dolores. Frigitur ex oleo ad subducendam aluum. Flauam auget bilem, cit urinam. Aetius radicem manzinzanion appellauit. Calfacit & siccat absessu altero. Atram bilem parit, & morbos quos eadem solet excitare. Pallore usu continuo corpus decolorat, ex aceto datum inferctus nocumenta expedit: sed diutius decoquendum, nam ita sui succi malefícium exuit. Colocasia Glaucias acria corporis leniri putauit, & stomachum iuuari. Præterea nominatur & faba quædam Indica, ex arboribus in siliquis digitorum decem longitudine dependẽs, melle plenis, sed quo gustato difficile sit euadere, ut tradit Aristobulus.

Lens, lenticula. Cap. XL.

LEns nomen latinum ferè uulgo retinet, nam & *lentillam* appellamus, folio uicíæ, tribus aut quatuor in siliqua granis, inter legumina minimis. Lens fertilissima leguminum est, siliquis paruis, molliter in latitudinem fusis, alba dulcedine præstantior: melior tamen quæ coctibilior, & quæ maximè aquã absorbet. Enecat lentem herba securidaca Plinio, aparina siue lapa Theophrasto, quæ inter lentem maximè coalescit. huius caulis in latus spectat. Nascitur & sua Indiq; lens fœnogræco similis, quam circa occasum Virgiliarum demetũt. Differt hæc à nostra te prorsus, sed illatam cibo discerni posse negant ab ignaris. Aegyptia lens à Marone Ouidioq; laudatur, Pelusiaca ob id uocata. Græci lentem phacon, lenticulam phacen nominant. Virgilius lentem seri iubet occidente Boote. Sunt qui ante Vergiliarum occasum serant, sed à uigesimaquinta ad trigesimam lunam serendam Varro præcipit, ita demum sine limacibus fore. Lens amat solum tenue magis quàm pingue, cælum utiq; siccum, Seritur Nouembri mense. Duo genera eius in Aegypto: alterum rotundius nigriusq;, alterum sua figura, unde uario usu translatũ est in lenticulas nomen. Inuenerunt authores æquanimitatem fieri uescentibus ea. Cato in fruteto & rubricoso qui non sit herbidus seri iubet. Græcorum hæc est sententia: Lentem quę ante fatum bubulo fimo fuit obruta, longè præstantiorẽ emicare prodiderunt, celeriusq; demeti pollicentur. Addunt proceriorem euadere, quæ in aqua tepida cum nitro prius maduerit, quàm seratur: nec ullam sentire corruptionis labem, quæ laserpitiato aceto consperfa sit. Inuenerunt ijdem authores, æquanimitatem fieri uescentibus ea, sed præsertim Aegyptia. Lentem sementi media crescente luna usq; in duodecimam, solo tenui & resoluto uel pingui, & sicco maximè loco seri cõuenit. nam in flore facile luxuria & humore corrumpitur. Quæ ut celeriter prodeat aut ingrandescat, antequam seratur, fimo arido permisceri debet: & quum ita quatuor aut quinque diebus requieuerit, spargi. Sationes eius duas seruamus, alteram maturam per mediam sementem, seriorem alteram, mẽse Februario. Iugerum agri paulo plus quàm modius occupat. Ea ne curculionibus absumatur (nam etiam dum est in siliqua estur) curandum erit, ut cum extrita sit in aquam demittatur, & ab inani quæ protinus innatat separetur solida: tum in sole siccetur, & radice silphij trita cũ aceto aspergatur defricaturq;, atque ita rursus in sole siccata & mox refrigerata recondatur, si maior est modus in horreo, si minor in uasis olearijs salsamentarijsq;: quæ repleta, cum statim gypsata sunt, quandocunq; in usus prompserimus, integram lentem reperiemus. Potest tamen etiam contra istam medicationẽ, cineri mista cõmode seruari. Agrũ stercorari lẽte Sarsena putauit. Mago rationẽ pinsendæ lentis proposuit, Torrere prius cum iubet, deinde in furfuribus leniter pinsi, aut addito in sextarios uicenos lateris crudi frusto, & arenæ semodio. eruiliam eisdem modis quibus lentem. Lenticulam quoq; Februario seris mense, solo tenui & resoluto uel etiã pingui, sed sicco maximè, quia luxuria & humore corrumpitur. Vsq; ad duodecimam lunam bene seminatur, quæ ut cito exeat atq; grandescat, simi ariditate mi scenda est: atq; ubi ita requieuerit quatuor aut quinq; diebus, tunc spargitur. Iugerum modij unius semen implebit. Prima quoq; seritur Nouembri. Iunio mẽse lenticula legitur, cineriq; mista rectè seruatur, uel salsamẽtarijs aut olearijs uasis. Lenticulæ laudes Pythagorei sunt prosequuti. Zeno in eã coriãdrum decima parte indidit. Congruũt & cum ea bubi, ob id & bolbophace dicta est à Græcis poetis. Venit, ut Athenæus est author, in prouerbium, cuius ut refert Varro meminit in satyra Menippea, ὁ γὴ τῷ φακῷ μύρῳ, hoc est unguentum in lenticula: in eos iactari solitum, qui nullo rerum discrimine quas agunt, aut

aut dicunt, pari nixu cuncta moliuntur: quos, ut apud Senecam & Gellium, infrunitos appellamus, græce cacozelos & apirocalos. Ex lente intẽtatus est panis, cũ perarida citra pingue posſit friari. Cortex uehemẽter astringit corpus, exiliter succo crasso terrestriq; cõstans. Cremor eius cõtrariã uim exhibet: qui si decoctus in aqua cum sale, garo, oleoq; bibatur, alui deiectionẽ molietur. Porrò lentis excoctæ cibus uẽtrem firmat. Siquidem quæ in eum defluxiones incũbunt, resiccat: os uẽtriculi, interanea, & totam deniq; aluum robo rat, quapropter is cibus cœliacis, dysentericisq; efficaciter opitulat. Lens itaq; cortice suo castrata, ut illam astrictionis uehementiã exuit, ita sibi maiorem alendi facultatẽ adsciscit: nec tamẽ ita fluxiones exiccat, uti quæ cortice non est spoliata. Ideo cibus is, si modus abest, & cancros mouet, & elephantiasin creat, quòd facile in atram bilem horum uitiorũ patrẽtem, degeneret. Iis lens tantũ cibo utiliter præbetur, quos malus corporis habitus aquã inter cutem minatur, grauẽ siccis & squalidis cõstitutionibus noxam adferens. Aciem uisus siccis hebetat, contrà humidioribus tuetur. menstruos fœminarũ cursus sistit. Sanguinem parit hærentẽ ac tardifluũ. Cæterum Græci, ut lentis noxam quadã lege cõtrarietatis domarent, egregiũ edulĩũ excogitarũt, quod ab utroq; parente sibi nomen adoptauit phacoptisanæ. Lens & ptisana in æquis portionibus discoquũtur, ita ut minus ptisanæ adsumatur, quod in cremorẽ multũ effusa fatiscat, & in magnã excrescat molem, lente contrà inter coquendũ minimũ intumescente. Addunt huic satureiam & pulegiũ, ut magis faciat ad palatum. Solo anetho porroq; contenta est ptisana. Deterrimã nancisciturcõditionem lens, quæ sapam admisit. nam sibi incrassantia admisceri minime desiderat, sed tantũ quæ natiuam eius crasitiẽ digerant. Sapa etenim condita lens iocineris obstructiones gignit. Eiusdem uisceris, item & lienis inflãmationes excitat, nisi melle addito huiusmodi uitium eluatur: quin duritias utriusq; uisceris acerbius irritari hoc esu nemo ambigit. Lens tamẽ suillã carnem recentẽ adiecta ptisana sale parũ conditã non respuit, nec phacoptisana quoque. Verũ quæ cum inueteratis sale carnibus estur, crassiorẽ succũ creat, sanguinẽ atra bile refercit. Sic ex beta & lente nomẽ adoptionis teutlophace, quasi dicas betilentẽ apud Græcos inuenit, quã Heraclides Tarentinus nõ in secunda modo ualetudine, sed & in siniſtra quoq; cibis præbebat. Hoc eñ edulĩũ ex pugnãtibus naturis conditũ cognoscitur: quare tardius quàm beta, & citius quàm lens ex aluo descendit. Teutlophace, ut par est, mistas & betæ & lentis dotes sibi uendicat. Verum lens optima quæ facillimè coquitur, eaq; maximè aquã absorbet, nihilq; remisit in mandendo atri. Crebro esu aciẽ oculorum obtundit, & stomachum inflat, ei inimica: seroq; deijcitur, sed aluum sistit, magisq; in cortice discocta in aqua cælesti. Eadẽ soluit minus percocta. Insomnia fieri lente sumpta in cibis dubiũ non est. Pulmoni inutilis, capitis dolori, neruosisq; omnibus. In uentris profluuio melius est eã in aceto coquere cum intybo satiuo, portulaca, aut beta nigra, aut myrto, aut plantagine, aut malicorio, aut sorbo, aut mespilo, aut cotoneo. Sunt qui utant semine excoriarij fruticis, quod additur in obsonia. In hoc usu acetũ cum lente diligenter coquendum præcipiũt, alioqui conturbat aluus. Propter abundantiã dissolutionẽq; stomachi triginta lentis grana decocto cortice deuorantur. In choleris quoq; & dysenterijs efficacior est in tribus aquis coctatin quo usu melius semper eã torrere aut tũdere, ut quãtenuissima detur. Elixa prius, dein cũ polẽta fricta illinit podagris. Crustulas ulcerũ rumpit, eaq; foridib. expurgat. Collectiones omnes imposita sedat, maximè exulceratas et rimosas. Ex aceto durities & strumas discutit, oculorũ autẽ epiphoras cũ meliloto aut cotoneo. Ad collectiones sedis adhibet ex rosaceo. Cõtra suppurãtia cũ polenta imponit. In ijs quæ acrius remediũ exigũt, ut incandescẽtes sinus in ano, inflãmationesq; cũ putamine punici, melle modico, adiecta rosa sicca. qua forma aduersus pascẽtes cãgrẽnas adhibet admixto mari. Imponitur strumis, panisq; maturis uel matureſcentibus, ex aceto discocta, rimis ex aqua mulsa, & cangrænis cum punicę germine: item podagris cum polẽta, & uuluis, et renibus, & pernionibus, ulceribus difficile cicatricẽ trahentibus, & ijs quę serpũt, igni sacro. Mammis lacte coagulato turgentibus, itẽ quæ sunt pannosæ illinit decocta in aqua marina. Stomachi qdẽ causa polẽtæ modo potionibus inspergit. Quæ sunt ambusta, aqua semicocta curat. Trita per cribrum effuso furfure, mox procedente curatione addito melle ex posca coquitur ad guttura. Decoctæ cremor ad oris ulcerationes & genitalium adhibetur.

Phaseolus. Cap. XLI.

PHaseolus, qui fasillus, leguminis genus est exilis & teretis, colore tum candido tum etiam rufo, cauliculis tenuibus, sequaci capreolorum reptatu, leni umbra humiles cameras opacans, foliis hederę mollioribus atq; uenosis, siliquis fœnogræco longioribus, intus uersicoloribus. Serere eos qua uelis terra licet ab Idibus Octobris in Calendas Nouembris. Fasiolorum siliquę cum ipsis manduntur granis. Iugerum agri recipit faseoli modios quatuor. Octobri faseolus ad escam seritur terra pingui, et restibili agro. Iugerũ quatuor modijs cõpletur. Dum in herba est exonerandæ alui causa primis mensis estur, sed aqua præmaceratur & garo intingitur. Seminũ cremor corpus & uires alit, & græcofœno facilius coquitur. Cęterum edulium anceps est inter bonum malumq; succum ambigens, coctiuum & perfici contumax, tardo meatu & celeri, inflans & non inflans, parum & multum alens. Folliculi cum ipsis manduntur granis, pari ferè gratia, saltem eo modo quo asparagi. Cum sinapi aut cumino sumuntur ut innocentiores fiant, sic tamen bruta gignunt insomnia, alioqui cient uarinam, menses accersunt, aluũ emolliunt, sed in primis rufi. Dioscoridi flatuosam habet naturam, ægrè perficitur. Virens decoctus sumptusq; mollit aluum. Vomitionibus tempestiuum existimant. Præterea de uniuersis leguminibus Græci authores præceptum reliquerunt, ut fimo cũ seruntur nonnihil nitri permisceatur: ita mire cocturis oportuna reddunt. Quod si factum non est, ut cito contereścant, in ollam sinapis momentum iniiciendum est, & confestim cocta fatiscent. Quod si plusculum sinapis sit additum, prorsus resoluta distabescent.

Eruum & Eruilia. Cap. XLII.

ERuum Græcis officinisq; orobus appellatur, leguminibus annumerãdum, siliqua cylindracea, fructu lignoso, nec lenticulæ dissimili. flos ei cæterorũ leguminum more particulatim erumpit, diuq; floret. Aliud cãdidum aliud rufum inuenitur. candidum dulcedine præstat. Vtrunq; in siliquis grana sine septo habet, quæ seinuicem ut pisa tangant. Siliquę forma teres & adrationem grani cylindracea. Siliquatur diuersis diebus ab ima parte flore subeunte. Patientissimum uetustatis est, in eo tamen phalangiũ innascitur. Pestis eius est orobanche, quæ & scapum & comam aggreditur, ut imbecillitatẽ suam fulciat, & tanquã brachiorum cõplexu uinciens angit & obstrangulat, de qua suprà diximus. Eruum lætatur loco macro, nec humido, quia luxuria plerumq; corrumpitur. Potest & autumno seri, nec minus post brumam, Ianuarij parte nouissima, uel toto Februario, dum ante Calẽdas Martias, quem mensem negant uniuersim agricolæ huic legumini cõuenire, quod eo tempore satum pecori sit noxiũ, & præcipuè bubus quos pabulo suo cerebrosos reddit. Quinq; modijs iugerum obseritur. Nec sarriuisse prius expedit q̃ in cauliculos excreuerit, tenerũ nõ conuenit. Martio tamen mense nullo modo terræ committendum esse rustici præcipiunt, ne pastu suo pecoribus noceat, & boues reddat insanos: læto tamen agro non est serendũ. Stercorari agrum eo Sarsena putauit. Nec erui est operosa cura, hoc amplius quàm uicia runcatur. Sufficiũt singulis boũ iugis modij quini sati. Martio mense satũ noxium esse bubus aiunt, item autumno grauedinosum, innoxium autem fieri primo uere satum. Nascitur tamen in eruo phalangium, bestiola aranei generis, si hyems aquosa sit. Genus est & eruilia leguminis, folio quàm faba lõgiore, flore apibus gratissimo, ideo circa aluearia seri præcipiunt. Eisdem quibus lens pinsitur modis. torretur prius, deinde cum furfuribus leniter tunditur, aut addito in sextarios uiginti lateris crudi frusto, & arenæ semodio pinsitur. Nõnulli falso *durellã* uulgo dictã interpretant, propterea quòd agricolæ hodie etiã in Vmbria uocãt eruilĩã, quod in Gallia & Venetia prouincia *dorã durellamq;*, folio crasso & oblõgo leontopodij, sed maiore, capitulis semen includẽtibus minutũ, simile nasturtio, tantũ exilius, flore cãdido. Scopas ex ea ruri faciũt. At eruilia sylueſtris herba est amaritudinis eximiæ, colore et folio cicerculę, quanq; minore. Dioscorides eruum inter notissima reponit, frutice pusillo, folio prętenui, ãgusto. Hominũ cibis abdicari ut iniucundũ et prorsus insuaue fatet Galenus. Bubus tamen pabulo gratissimũ, si prius in aqua madescat. Porrò grassante famis iniuria, ut Hippocrates scriptum reliquit, inexpugnabili necessitate pressi homines hoc sese satiãt: medicaminis tamen uim obtinet, quòd crassam lentãq; pulmonũ pituitam

pituitam pectoris q; cum melle repurget. candidum tamen inefficacius est quàm id quod in pallidũ uel flauum colorẽ spectat. Eruum bis elixũ mutata subinde aqua amaritudinẽ exuit, sed deposita simul abstergẽdi digerendiq; facultate, citra sensum amaroris reliquis tantũ terrestribus saluis fit esculentũ. quare cibis hominis alienũ. Vomitiones mouet, aluum turbat, capiti & stomacho onerosum. genua quoq; degrauat. Sanguinẽ per urinam pellit. Madefactũ pluribus diebus mitescit iumentis & bubus utilissimũ. nanq; in cibis decoctũ eos saginat. Nec potentiã ei minorẽ q; brassicæ tribuere contra serpentium ictus ex aceto ad crocodilorum hominumq; morsum. Si quis eruum quotidie ieiunus edat, lienẽ eius absumi certissimi authores adfirmant. Farinę eruinæ cõficiundæ ratio hæc est. Vberrima & cãdidissima quæq; semina leguntur, & aqua tantisper madent dum satiata satis e biberint, postea exempta friguntur donec ab his cortex abscedat, tum moluntur et arctiore cribro cernuntur. quod excussum ita est, eruina appellatur, & conditur. Facilis ea uentri urinam arcessit, discolores in cibo exhilarat. Frequentior in esu aut potu tormina creditur excitare, & sanguinem tam aluo quàm uesica deorsum exigere. Maculas in facie, lentigines, cæterásque cutis molestias emendat. Compascere ulcera & grassari non patitur. Cohibet & cangrænas, mammarum duritias emollit, feris ulceribus imponitur, carbunculos fauosq; rumpit. Contra canum morsus in uino diluitur. Vrinæ difficultati, torminibus, tenesmo comite aceto illinere prodest. Ea quę cibũ non sentiant, atropha appellata tostum & in nucis auellanæ magnitudinẽ collectum deuoratumq; corrigit. Aqua decocti perniones & corporis pruritus sanat fouendo. Panos in melle suppurare prohibet impositum. Quin & uniuerso corpori, si quis quotidie ieiunus biberit, meliorem fieri colorem existimant. Siliquæ eius uirides priusquam indurescant, cum suo caule foliisq; contritæ, nigro colore capillos inficiunt.

Lupinus. Cap. XLIII.

LVpinus nomẽ Gallis retinet, unicaulis est, folium quinquefariã dissectum, siliquis per ambitum crenatis, quinis senis ue intus granis, duris, latis, rufis. cadunt ei folia tãtum. Lupino cura officit, quãuis altè conditũ in terra, diducit radicẽ, & in summa nititur, atq; ita ceu per uim germinat. Grana eius in siliquis discreta septis. Viride nullum mandit animal. Diuturnius id tradunt, eruo ac cicere. Sabulum & arenas & omnino uitia terræ sequitur: horretq; culta ex omnibus quæ eduntur, & maximè ex ijs quæ seruntur. iuuat agrum. nam uineis iam emaciatis & aruis optimum stercus præbet, ac uel effœto solo prouenit, uel repositum in granario patitur æuum. Boues per hyemem coctum maceratumq; probè alit. Famem quoque, si sterilitas annonæ incessit hominibus, commodè propulsat. Spargitur statim ex area, atque id solum leguminum non desiderat requiem in horreo. Siue Septembri mense ante Aequinoctium, seu protinus à Calendis Octobris, crudis noualibus ingeras, & qualitercunque obruas, sustinet coloni negligentiam; teporem tamen autumni desiderat, ut celeriter confirmetur. Nam si non ante hyemem conualuerit, frigoribus affligitur. Reliquũ quod seminis supereſt, in tabulatum quo fumus peruenit optime reponis, quoniam si humor inuasit, uermes gignit, qui simul atque oscilla lupinorum ederunt, reliqua pars nasci non potest. Exilem amat terram & rubricam præcipuè, nam cretam reformidat. limosóque non exit agro. Iugerum decem modij occupant. Lupino contraria est sarritio, quoniam unam radicem habet, quę siue ferro succisa est, seu uulnerata, totus frutex emoritur. quod si non fieret, superuacuus tamen erit cultus, cũ sola hæc res adeo non infestetur herbis, ut ipsa herbas perimat. Etsi iam prorsus stercore deficiatur agricola, lupini certè præsidium expeditissimum nõ deerit. nam satum, & ligone, uel uomere succisum, uim optime stercorationis exhibebit. Succidi lupinum oportet fabulosis cum secundum florem, rubricosis cum tertium egerit. Gręcorũ de lupinis hæc est sententia, Post Aequinoctiũ autũ ni ante imbres serantur. Antequã flores ædãt, boues immittãtur: quippe quũ omnẽ aliam herbam depascent, solum lupinum ob amaritudinẽ intactũ relinquent. Addunt quoque cum sole quotidie circumagi, horásque agricolis etiam nubilo die demonstrare: macerátum in aqua marina uel fluuiali triduo dulcescere, & ita siccatum ad usus recondi: hominibus & quadrupedum generi in cibo esse; boues cum paleis satiare; hominibus commodè

cum triticea aut hordeacea farina in panes dirigi: exilem adamare terram, ieiunamque: pingueſcere hoc ſatu arua: nec egere ſimo, cum optimi uicem repræſentet, telluremq; in futurum feraciorẽ reddat. ter præterea florere, confeſtimq; poſt imbrẽ rapiendum: ſiccatum enim ex ſiliquis exilit, latetq; cum deciderit. Impoſitum puerorum uentribus, aduerſum tineas pro remedio eſt. Culta & elaborata odit, ac ne ſpargi quidem poſtulat: coli utique non uult. Neglecta gaudet humo, capparis more, & ſi coloni ſentiat operam, relicta ſede fugit: culturam enim reformidat. Poſt tertium florem uerti debet, in ſabuloſo poſt ſecundum. ſic loca fœcundantur exilia. Cretoſa tantum & limoſa reſpuit, & in iſs non prouenit. Primumq; omnium ſeritur, nouiſſimum tollitur: quia niſi anteceſſerit hyemem, frigoribus obnoxium eſt. Impunè præterea iacet uel derelictum, etiam ſi non protinus obruãt imbres, ab omnibus animalibus amaritudine ſua tutum. Condi in fumo maxime cõuenit, quoniam in humido uermiculi umbilicum eius in ſterilitatem caſtrãt. Diphilus Siphnius lupinos tradit qui maceratu dulceſcunt, corporis uires alere. ideo Zeno Cittieus uir moroſæ ſeueritatis, in ſuos familiares ac notos prætermodum iracũdia percitus excãdeſcebat: uerum cum pluſculum uini hauſiſſet, blandior factus & ſuauior manſueſcebat. Rogantibus horum morum diſcrimen, reſpondere ſolebat, ſeſe idem cum lupinis pati. Si quidem illi antequàm maduerint, amariſſimi ſentiuntur: dulceſcunt uero, potu ſatiati, & miteſcunt. Communis hominum quadrupedumq; uſui lupinus. Coquitur in aqua dulci ut placet Galeno, dum omnem faſtidiendam exuat amaritudinem, & ita garo uel exiguo ſale conditus eſtur. Cõcoctioni non recte paret, q̃ dura & terreſtri cõſtet natura: ideo ſuccum creat craſſum, qui ferè in uenis crudus coeat. cũ tamen omni depoſita amaritudine dulceſcit, nec aluum mouet, nec retinet, ſicuti quæ fatua inſipidáue nobis offeruntur. ita tarde deſcendit & aluo difficilius excernitur. Ex omnibus quę eduntur, ſicco nulli minus eſt põderis nec plus utilitatis. Miteſcunt cinere, aut aqua calidis. Diſcolorem hominẽ frequentiores in cibo exhilarant. Amari contra aſpidas ualẽt. Vlcera atra aridi decorticatiq; triti ſuppoſito linteolo ad uiuũ corpus redigunt. Strumas, parotidas, in aceto cocti diſcutiunt. Iidem auiditatẽ cibi faciunt, faſtidiũ detrahũt, uitiligines nigras & lepras emendãt. In aceto cocti atque illiti minuunt panos & ſtrumas, rũpunt carbunculos. Si uerò in aqua cæleſti decoquãtur uſq; dum fatiſcant reſoluanturq;, ſuccus ille ſmegma fit cuti. Eundem cum ruta & pipere expedit ad lienem bibere: & gangrænas fouere, pſoras incipientes, maculas, uitiligines, ulcera manantia, eruptiones pituitæ utiliſſimum: cũ myrrha & melle mẽſtruis hærẽtibus partubuſq; ſubijcere. Cũ chamæleonis radice decocti pecoris ſcabiẽ per ſanant, ſed ita ut excalfacto liquore illo perfundantur quadrupedes: quibus etiã medetur aqua in potũ collata. Cocti ex aceto cicatricibus candidum colorem reddunt. Fumus crematorũ culices necat. Succus decoctorum cum ruta, pipere, uel in febri datur, ad uentris animalia pellenda maioribus, pueris uerò tritos in uentrẽ ieiunis impoſuiſſe ſatis eſt. Alio etiam modo toſti, & in defruto poti, uel ex melle ſumuntur. Farina eorum aceto ſubacta papulas, pruritusq; in balneis illita cohibet, & per ſe ſiccat ulcera, liuores emendat. Inflammationes cum polenta ſedat. Lentigines decocto & fouentium cutem corrigunt. Lupini pluribus diebus madefacti miteſcunt. Tales potionibus inſparſi, auiditatem cibi moliuntur, ſtomachóque faſtidium detrahunt. Lupini quoque ſylueſtres ſunt quidem, ſed omnimodo minores ſatiuis, præterquam amaritudine. foliis magis albicant, ſemine minutiore, quorum in medicina effectus quoque pares traduntur. Lupinorum ut uolunt medicamine formicæ abiguntur.

Rapum ſatiuum & ſylueſtre. Cap. XLIIII.

RApo radix eſt cartilaginoſa corticem carni adhęrentem habens. ſi terra adobruatur, & creſcit, & ad æſtatem uſq; perdurat. nec tamen germina aut foliũ faciet, niſi accumulatã humũ ſuſtuleris. Caulis fructũ è latere parit, qui calidis locis celerius exit, ociusq; ſiliquatur. Vtrunq; ſexum in hoc quoq; genere intelligunt ex eodẽ ſemine prouenientem, ut ſcribit Theophraſtus. Effœminari rarius collocata dicuntur, maſculeſcere denſius compoſita. Laudatur ſemen eius tenue, craſſum uitio non caret. Seritur ſemine, poſt transfertur. Dulceſcit algoribus, per quos in radicem non in folia incrementum capeſſit. Rapo ſemen in ſiliqua eſt. melius

Maio

Maio mense seritur. Sunt qui & huius discrimina statuant maris & fœminæ. hanc in latitudinem fundi, præcipua suauitate: illum in rotunditatem globari. Marem nihil aliud Athenæus intellexit quàm napum buniada. Eorum Græci duo prima fecere genera, masculinum, & fœmininum, & ea serendi modo ex eodem semine. densiore enim satu masculescere, item in terra difficili. semen pręstãtius quo subtilius. Species uerò omnium tres, aut enim in latitudinem fundi, aut in rotunditatem glomerari. Tertiam speciem syluestrem appellauere, in longitudinẽ radice procurrente, raphani similitudine, folio angulosо, scabroq; succo acri, qui circa messes exceptus oculos purgat, medeturq; caligini admisto lacte mulierũ. Rapa frigore dulciora fieri existimantur & grãdiora; tepore in folia exeunt. Palma in Nursino agro nascentibus. Athenæus & Pollux Mantinea maxime cõmendarũt. proxima laus in Algido natis. Nebulis, & pruinis, ac frigore ultro aluntur, amplitudine mira. Nec est in nostro orbe quàm in Lemouicis copiosior suauiorq;, affatim suppeditante eius regionis cælo nebulas, frigora, pruinasq;. Durant in sua terra seruata, & postea passa, ad alium prouentũ, famémq; sentiri prohibent. durántq; ad alia sinapis acrimonia domita. A uino atq; messe tertius hic transpadanis fructus. Terram non morosè eligit, pernè ubi nihil aliud seri possit. Hominibus cibis pluribus modis cõmendãtur, nec usus ab ijs præstãtior est. ideo à frumẽto protinus, aut certè faba & inter hortensia Græci locũ eis assignarunt. Ante omnia cunctis animalibus nascuntur, nec in nouissimis satiant ruris alitũ quoq; genera, magisq; si decoquantur aqua. Quadrupedes & fronde earum gaudent. Et homini nõ minor rapaciorum suis horis gratia, quàm cymarum: flaccidorum quoq;, & in horreis enecatorum, uel maior quàm uirentiũ. Rapa diligentiores seri iubent ante Calendas Martias quinto sulco, eoq; stercorato. Rapa lætiora fieri si cum palea seminentur. Vere in calidis & humidis seruntur. Græci extant authores, qui post trimatum rapi semen in brassicam degenerare prodant, & cõtra brassicę trimum semen redire in rapum. Addunt, hominum uitijs non opitulari, sed subditum ungulis iumentorum reliquarumq; pecudũ, alligatumq; fractis mederi. Vtilia admodum rapa sunt, quia & magno proueniunt incremento, & rusticos implent. Nec hominẽ solũ uerum etiã boues pascunt, pręcipuè in Gallia, ubi hyberna cibaria pecudibus id olus prębet. Solum putre & solutum desiderant, nec densa nascuntur humo, sed campis & locis humidis lætantur. Loci proprietas semina cõmutat: nanq; alio quàm dicto solo sata, biennio cõuertuntur in rapum: in alio napus rapo rum accipit speciem. Riguis locis rectè ab solstitio seruntur, siccis ultima parte Septembris. Subactum solum pluribus iterationibus aratri uel rastri, largéq; stercore satiatum postulant. nam id plurimum refert non solum quòd melius ea proueniunt, sed quòd etiam post fructum eorum sic tractatum solum segetes opimas facit. Iugerum agri quatuor sextarios raporum seminis poscit. Nanque multum in uentrem latescit, & hominum & pecudum causa seritur. Sed qui æstate seret, caueat ne propter siccitates culex adhuc tenera folia prorepentia consumat. id quod ut uitetur puluis etiã qui supra camerã inuenitur, uel fuligo quæ supra focos tectis inhæret, colligi debet: deinde pridie q̃ satio fiat cõmisceri cũ seminibus, & aqua conspergi, ut tota nocte succũ trahant. nam sic macerata postero die recte seruntur. Democritus præcipit semina omnia succo herbæ quæ sedum appellatur medicari, eodemq; remedio aduersus bestiolas uti, quod uerum esse Columellam docuit experientia. Verum quoniam huius herbæ minus larga est facultas, fuligine, & supradicto puluere utebatur, satisq; commodè tuebatur his incolumitatem plantarum. Higinius putat post trituram iacentibus adhuc in area paleis inspergi deberi, quoniam fiunt uastiora capita, cum subiacens soli duritia non patitur in altum descendere. Sed istud sæpe frustra tentauit Columella: itaque rapum, raphanum, & napum subacta terra obrui melius existimat. Locis frigidis, ubi timor est ne autũnalis satio hyemis gelicidijs peruratur, arũdinibus humiles cãterij fiunt, ijsque uirgæ transuersæ imponũtur, & uirgis stramenta supra iaciuntur, & sic à pruinis semina defendũtur. Rapi cõdiendi ea ueteribus ratio fuit. In minutas partes recisum, & leniter coctum, & tota die diligẽtius exiccatũ, ne quid reseruet humoris, & sinapi ex aceto, sicut moris est, temperato, mergere & condire curabimus, & repleta uasa claudemus, ac post aliquot dies gustibus exploratũ proferemus usuri. Rapas Lacedæmonios uocare gasteras apud Athenæum Apollas tradidit. Sed Nican-

der

der Colophonius gasteras à Bœotis brassicas intelligí, rapas uerò zaceltídas appellarí uoluit. Amerías & Timachides nõ rapas, sed cucurbitas ita dici arbitrantur. Sunt è Grę/cis quí raphyn esse dicunt napum buniada, licet Glaucus non raphyn sed rhapyn uocet, unde apud nos rapo nomen uideri potest manasse. Gongyliorũ uocabulum pusillos glo/bos, & catapotia significat Galeno, ut pastillos siue orbiculos, quibus in medicina uti/mur, dactylios appellat. Quod extra terrã exit, ut placet Galeno, oleris uice estur. sed ra/dix quæ terra conditur, cartilaginea & dura est: & ideo nisi decoquatur, cibo aliena. Hanc uarie salgamarij parãt. Nam muria & aceto condiunt, ut in annum totum usui possit esse. Optima quę bis excocta fuit, meliorem q̃ parit succum, qui nec aluum remoretur nec mo ueat. Si non recte percocta sit, cruditatem crebro esu adfert. Inflationes excitat, stomachũ excruciat, neque non interdũ uellicat. Radix cocta Dioscoridi inflat alitq̃ corpus, sed car ne fluida nec utili: uenerem stimulat. Ius feruens podagris etiam frigidis medetur. Frigus pellit è pedibus fotu. Perniones etiam exulceratos sanat, si quis rapum excauet, deinde inanitatem illam rosaceo impleat, cerato, & calido cinere liquefactum adhibeat. Thyrsus qui inter folia emicat asparagi modo manditur coctus, urinas pellit. Semen in antidota contra dolores additur, potumq̃ aduersus uenena salutare. Idem cupiditates ueneris ac/cendit. Diocles & Dionysius magnis laudibus extulere, stimulari uenerem eo professi, magisq̃ si eruca condiretur. Tostas articulorum doloribus cum adipe illiniri, tusas cru/dásque cum sale quæcunque pedum uitia. Earum decoctum pedum perfrictiones abige/re, & calidum ius podagris etiam frigidis opitulari. Galeno neque aluum ciet neque si/stit. Rapacia tamen, hoc est earum frondes, coquuntur ad accersendam urinam. Semen ex uino bibitur aduersus serpentes, genituram adauget. Exasperatas fauces & guttur le/nit. Rapæ iugi usu crassos creant humores, & iecur uitio inferctus impediunt, ideo à De/mocrito in cibos damnatæ. Vis ei medica excalfacere in altero, & humectare in primo ordine quibusdam assignatur. Custoditur hæc in muria minus ita enutriens, cæterum ap/petentiam cibi recollígit. Sylueſtre rapum cubitali altitudine consurgit, fruticosum, in cacuminibus leue, folio glabro, longitudine, digitali aut interdum maiore. fructum fert in siliquis calyculatis, dumq̃ seminum inuolucra dehiscunt, alia intus capitulata conti/netur siliqua, in qua paruula semina concipiuntur, foris nigra, sed quæ fracta candicent. Quæ deliniatio prorsus alludit ad hanc quam uulgus *rapontium* imo potius *reponcen* uo/cat, nonnulli rapunculum. Hæc uerno tempore, priusquam in scapum attollatur, acetarijs inseri solet, eruta radicitus cum suis foliis, quo tempore nemo non cognoscit. sed ubi exijt in caulem & prorsus adoleuit, pauci nosse uidentur, quòd faciem mutet: nisi qui singula deliniamenta præsertim duplices siliquas diligenter perspexerit, quarum interna capitis speciem repræsentat. eius ergo incrementum, ut in plerisque, cognitionem obliterat. Flos in purpureum uergit colorem. Radix digitalis fere est, qua cruda uescuntur, sed conco/ctu contumax est, & ructus ciet. Nemo hanc sylueſtrem esse rapam potest inficiari, cum omnes Dioscoridis & Plinij deliniationes nostro subscribant iudicio. Nam si natales li/beat explorare, in aruis inuenitur, fruticosa, cubitalis, folio digitali, nigro in siliquis semi/ne, quod cum teritur album intus apparet. Sylueſtrem Plinius appellat rapam in longitu/dinem radice procurrente, raphani similitudine, folio anguloso scabróque, succo acri, qui circa messem exceptus oculos purgat, medeturq̃ caligini admisto lacte mulierum. Has in Dalmatia frequentes sponte nasci Possidonius est author. Sylueſtre rapum, ut idem tra/dit, in aruis maximè nascitur, fruticosum, semine intus candido, duplo maiore quàm pa/paueris, radice in speciem raphani producta, caule breui. Hoc ad albicandam cutem in fa/cie totóq̃ corpore utũtur, mista urina pari mẽsura, uel addito in smegmata, quæ lupinorũ farina, triticea, uel eruina conficiuntur. Rapistrũ olus fauorũ ceras exuberare tradit Colu mella. nã & crudo cespite uiret, flores tamẽ creat apibus gratissimos. nec rapistrum aliud esse à sylueſtri rapo putauerim. Cuiusdã rapuli meminit Horatius in sermonibus cũ ait,

Cœnæ acria circum rapula, cum rapula plenus
Atque acidas mauult inulas.

Remedia

Remedia horti uel agri. Cap. XLV.

HOrtis aut uitibus noxios uermes extingui scribit Africanus, si eorũ latibula succensis secundo uento bubulis stercoribus fumigentur. Sunt qui galbani, uel ceruini cornus, uel ungularũ capræ, uel eburneæ scobis suffitu bestiolas & serpẽtes abigant. Eædẽ capillorũ muliebrium concrematorũ nidore fugãtur. Addit quoq; fœminas quæ crudũ sæpius & præcocẽ partum enitũtur, aut quibus uelut exanimatis sursum uersum recurrit uterus, horũ criniũ suffimẽto recreari. Non desunt qui pęoniã aut personatam herbã urentes, aut potius circũserentes, bestias & infesta animalia persequantur. Fertur, si uitiũ caudices ab imo pede ad summum crus oleo cum lachryma papaueris incocto perlinantur, nullã prorsus sentire noxam. Optime uitibus cõsulemus, si allio trito putatoriæ falces inungãtur. Contra animalia quæ uitibus nocent, cantharidas oleo mersas resolui patieris in tabem, & cum putandæ sunt uites hoc oleo falces putatorias perunges. Grandiores bestiæ satiua nõ attingẽt, si urinę ueteris imbre in qua canis stercus maduerit, areæ circunspergantur. Cæterũ Democritus asseuerat, neq; arboribus neq; satis quibuslibet noceri posse à quibuscunq; bestijs, si fluuiatiles cancros plurimos, uel marinos, quos Græci paguros nominant, nõ minus q̃ decẽ ficulí uascu lo in aqua missos tegas, & sub dio statuas, ut decem diebus sole uaporentur: postea quæcunq; illæsa uolueris esse, aqua diebus alternis perfundas, dum solidius quæ optaueris adolescant. Erucæ arboribus aut oleribus non hærebunt, si rore aquæ perfuderis in qua uitigineus cinis maduerit. Nasci quoq; prohibentur, si circa uitium, arborũ, uel olerum crura bitumen & ignẽ non expertum sulfur accendas. Si lixiuio quod è ficulneo cinere stilla uit macerata semina seras, erucę non innascentur: quę si permanserint, urina bubula & amurca æqualiter mista conferueant igni, & ubi refrixerint, olera omnia hoc imbre cõsperge, sic eas enecabis. Vel si allatas de horto uicino excoquas aqua cum anetho, & per horti spatia cũ refrixit diffundas, iam enatas abolebis. Democritus adfirmat has ipsas bestiolas cum abundãt perimi, si mulier quæ in menstruis est, nusquam cincta, solutis criníbus, & nudo pede unamquanq; aream ter circumeat: post enim decidere omnes erucas & uermiculos pollicetur, atq; statim emori. Aliqui ficulneũ cinerem super erucas spargunt: alij scyllã uel in horto serunt, uel certe suspendũt. Contra erucas semina quæ spargenda sunt, semperuiuæ succo macerant, uel erucarum sanguine. Fungi eius qui in iuglande cõcretus exit cremati nidore, item fimo uespertilionis extinguntur. Erucas euincet qui fasciculos allij sine capitibus per horti spatium omne comburẽs, circũcirca nidorem pluribus locis excitarit. Vt olera infesta animalia non generent, in corio testudinis omnia semina, quæ sparsurus es, siccas, uel mentham pluribus locis maximè inter caules seris. Hoc præstare fertur eruum aliquantulum satum, præcipuè ubi radices & rapa nascuntur. Cicer inter olera propter multa portenta serendum est. Acetum acre succo hyoscyami mistum, fertur olerum pulices necare, si spargas. Contra culices & limaces uel amurcam recentem, uel ex cameris fuliginem spargimus. Culices, ut author est Democritus, calaminthæ aut gith crematorum nidore fugantur. Abiguntur & macerata ruta & per areas conspersa: item decocta conyza, si iure spatiũ horti rigetur. Galbani, sulphuris, & cumini suffitu necãtur. Florẽtes cannabis surculi inuolantia culicũ agmina coercent. Non attingent eæ uolucres bestiolæ quod thuris polline, aceto, & oleo perlitum sit. Horrent in primis culices acrementum aceti & cunilę nidorem. Bubulũ stercus suffitum culices persequitur: item inulę radix, adiecto buccinorum crematorum cinere. Spongia aceto imbuta conuolantia inibi culicum agmina cum adpenditur ad se cõtrahet. Non feriunt si cannabis frutices substernantur. Rutæ aqua maceratæ uel conyzæ resparsus culices abigit. bdellium quoque suffitu propellit. Blattæ, quas praso curides, quasi porricidas Græci uocant, ut Diophanes scriptum reliquit, hortis solent nocere. ergo uentriculum ouis statim occisæ non elotum, sed sordibus suis plenum, spatio quo abundant, non alte sed superficie tenus debebis operire. Post biduum reperies animalia ipsa congesta uentrem hunc replere. Hoc cum iterum uel tertio feceris, genus omne quod nocebit extingues. quippe blattarum hoc genus stercore lætatur, in eóque semper uersari consueuit, ita facile hoc captum uenatu perimetur. Olera omnia Iulius Fronto tradit ab infestis animantibus uindicari, si pluribus

ribus in locis inter hæc eruca seratur. Addidit hortum ab eisdem non impeti, si anserino stercore muria resoluto, olera perfundantur. Pulices, ut Pamphilus refert, necat aquæ respersus, in qua gith, quod melanthion Græcis dicitur, maduerit. Eosdem ius decoctæ conizæ perfusum perimit. Itẽ sinapis semen, & rhododaphnæ feruescunt unà, ut pulicosis oleribus infundantur. Locis quæ pulicibus scatent uiuã calcem incerniculo cretã sparsisse satis est. Absinthiũ, uel sylueſtris cucumeris radix mari macerata, hos imbre consperso tollit. In scrobiculũ omnes cõuenire prodit, in quẽ rhododaphnæ frutices iniecerís. Pulices amurca per pauimentũ frequẽter aspersa fugantur: itẽ cumino sylueſtri cũ aqua trito, uel si cucumeris agrestis semẽ aqua resolutũ infundatur. Lupinorum cremor infusus eos abigit. Formicas fugari Diophanes testatur, si quæ ex ea familia captæ concrementur. itẽ si suorũ latibulorum aditus cedria oblinantur, in areas non exibunt. Frugum aceruos nõ attingunt, si cretæ candore cumulatim obsignemus, aut sylueſtri cunila lustremus. Formicas abiges, si cochlearum uacuas testas ex styrace combusseris, & eo cinere foramẽ inculces. Item si origano & sulphure tritis earum specus aspergas. Prorsus extinguẽtur formicæ, si oleo quod Cyrenaico lacte perfusum sit, speluncæ conspergantur. Formicæ arborũ herbarumq; frutices non attingent, quorum caudices lupinis amaris cum amurca tritis uel bitumine ex oleo perlinantur. Cæterum ad mellitũ uas formicæ non adrepent, cuius ceruix uel ora candido uellere coronetur, aut creta uel minio etiam obsignetur. Sunt qui lachrymam papaueris aceto resolutam earum cauernulis infundant, aut satorum scapos eodem liquore perungant. Si uitium crura, brachiáque frondosis hederæ fruticibus obliges, paulopost inuenientur non formicæ modo, sed & cantharides quoque, tanquam captiuę, sub umbra delitescere. Perimuntur omnino sylueſtris cucumeris incensi nidore, aut siluri leui suffitu. una interempta reliquæ terga uertentes in suam se recipiunt speluncam. Si quis ad suas officinas deferentem granum tritici pollice sinistræ manus coercitam puniceo inuoluat pittacio, muliebriq; capiti amuleti uice suspendat, uterum ferenti facilem præbebit enixum. Crematarum odore reliquæ omnes fugantur. Audio uita functas ab alijs efferri. Prohibentur in caudices subrepere taurini fellis & picis cum amurca perlitu. Graculum piscem in arbore suspendunt, & ita formicas necant. Contra formicas si in horto habent foramen, cor noctuæ admoueri præcipiunt: si foras ueniunt, omne horti spatiũ cinere signemus. Teredinem formicámque prohibet illita amurca. Contra formicas non minimum hortorum exitium, si non sunt riguí, remedium monstrant limo marino aut cinere obturatis earum foraminibus: sed efficacissime heliotropio herba necantur. Quidã & aquam diluto latere crudo inimicam eis putant. Etsi ueteribus permulta memoriæ fuerint prodita, opinio Democriti faciliora deligentis est, si nubes locustarũ repente surrexerit, latentibus intra tecta cunctis hominibus, eam posse transire. quòd si inobseruantes homines sub aere deprehendant, nulli fructuũ noceri, si continuo omnes ad tecta confugiãt. Pelli etiam idem prodidit, si amari lupini, uel sylueſtris cucumeris feruefactus cum muria cremor perfundatur. siquidẽ cõfestim emorientur. Similiter ueſpertilionem altissimis aliges arboribus, solum uertentes illico transfugient. Si captas aliquot ambusseris, offensæ nidore reliquæ obducta caligine cæcutiunt, & partim animam agunt, partim ab insidiatoribus torpentes fatiscentibus earum alis capiuntur, aut sole illustratæ necantur. Naturale putat idem Democritus, uolucres locustas fugari, si aliquæ ex ijs urantur in medio. quod & formicis, & scorpijs, & id genus animalibus aduersari experiẽtia docuit. Si in effossum scrobẽ maceratas garo locustas obruas, reliquas fugabis: nanq; postridie accedens offendes sopore pressas somnũ captasse, quare pro tuo necabũtur arbitrio. Nihil attingent locustæ quod porro, aut cẽtaurio aqua resolutis fuerit aspersum. Contra bruchos nõ minimã hortorũ pestem, iubet Didymus circa caudices uitium prope radicẽ tria grana sinapis obrui. nanq; ea fata suo odore bruchos enecant. Aduersus agrestes mures Apuleius fudet semina bubulo felle maceranda, ne ab ijs attingantur. Melius per æstus Caniculæ, cicutæ semen cum elleboro nigro & polenta, aut sylueſtri cucumẽre, uel hyoscyamo, uel amaris nucibus, portionibus æquis cõtundere, atq; ijs cum oleo subactis earum foramina obstruere. siquidem eius rei degustatus necẽ infert. Nonnulli rhododaphnæ foliis aditus eorum claudunt, qui rosis his, dum in exitu nituntur, intereunt. Mures qui in domibus oberrant

oberrant, Paxamo authore, necantur, si ueratro polentã permisceas, & offeras. Sic sylue-
stris cucumeris & colocynthidis cũ elleboro nigro suffusio nocebit. Apij seminis & gith
incensorum nidore fugantur. Mures etiam rusticos, si querneo cinere aditus eorum satu-
res, attactu frequenti scabies occupabit ac perimet. Ramentum ferri mistum fermento lo-
cis quibus abundant inditũ, eos gustatu ad perniciem perducit. Tithymalus tusus et cum
polenta subactus si rodatur, cæcitatem muribus adfert. Tarentinus eisdem ad necandos
mures utitur remedijs. Addit, si captus aliquis mus detracta pelle capitis emittat, reliqui
solum uertent, & alio diffugient, nunquam reduces. Rubi radice cum butyro, pane, & ca-
seo gustata necantur. Aliqui ueratrum album & corticem cynocrambæ tundunt, & cũ po
lenta, lacte, & ouis subacta digerunt in offas, quibus foraminum aditus obturent. Lapidis
hæmatitæ suffitu fugantur: item ardentis myricę fumo. Anatolius refert, mures si amurcã
æneæ patinę infuderis, & in media domo nocte posueris, conuenientes adhærebunt: in re
liquis Didymi iudicio subscribit. Talpas græci hoc genere persequuntur, Veratrum can-
didum & brassicæ caninæ, quam appellant cynocramben, cortex tusus cretusq; cum po-
lenta & ouis rigata, lacte uinoq; subiguntur, & in offas coguntur, quæ in spiracula cunicu
lorum adiguntur. Nucem Sotion græcus author perforari iubet, uel aliquod pomi genus
soliditatis eiusdẽ, ibi paleas & cedriam cum sulphure sufficienter includi: tunc omnes par
uulos aditus, & reliqua spiramenta talparum diligenter ne fumus exeat obstrui, unum fo
ramen quod amplum sit reseruari: in cuius aditu nucem intus incẽsam sic poni, ut ab una
parte possit flatus accipere, qui cedriæ & sulphuris odorem diffundant: sic impletis fumo
cuniculis talpas uel fugere protinus, uel necari. Diophanes est author cremati scorpionis
nidore reliquos omnes protinus fugari. Subdit, peruncta succo raphani manus impunè
scorpios cęteras q; serpentes tractare. Sandaracha cum galbano, butyro, uel adipe caprino
suffitu & scorpios & serpẽtes omnes abigit. Democritus uult radicem rosæ gestatam esse
ueneficij scorpionis amuletum. Stellio sic cæca naturæ discordia cum scorpione pugnat,
ut mersus in oleo dum resoluatur in tabẽ, & ictæ parti litus liberet dolore. Plutarchus ne-
gat scorpium ad id unquam adrepere, cui nucula coryli suffixa cohęrebit. Tarentinus est
author sideritim herbam tenentem uiuos ita domare scorpiones, ut ne ab ipsis quidẽ ullo
pacto lædi contendat. Ficulneum lac in uulnus instillatum, ita uenenum sistere dicitur, ut
ne ulterius quidem serpat. Nulli scorpionum iniuriæ patet, qui scyllæ bulbum deuorarit.
Zoroastres lactucæ semen ex uino potum ictibus scorpionum mederi prodidit. Serpẽtes
omni prope fugantur austeritate, et nocentes spiritus innocentia fumi graueolentis exagi
tat. Vramus ergo galbanum, uel cerui cornua, radices lilij, ungulas caprę. sed longè plura
de ijs in ueterinaria diximus medicina. Sotion scriptum reliquit, feles cortales non aggre-
di aues, quarum sub alis rutæ sylueſtris surculus adhæreat. Vespertiliones non aduolare
tradit Africanus, ubi per itinera platani frondes pendeant. Necantur hederæ suffitu. Vo-
cales addit ranas silere, si incensa lucerna lacuum & fluminum ripis adhibeatur. Grandi-
ni credit obuiam iri Philostratus, si quis uituli marini pellem, uel hyænæ, uel crocodili per
spatia possessionis circumferat, & in uillæ aut cortis suspendat ingressu, cum malum uide
tur imminere. Alij, ut idem refert, ubi instare malũ uiderint, oblato speculo imaginem nu-
bis accipiunt, & hoc remedio nubem seu sibi obiecta despiciat, seu tanquam gemmata al-
teri cedat, auertunt. Alij hac superstitione imbuuntur, si plurium domorum claues funicu
lis appensæ spatium in orbem cingant, grandinem sine damno trãsituram. Item si quis pa
lustrem testudinem dextra manu supinam ferẽs, locum perambulet, & reuersus eodẽ mo-
do sic illam ponat in terra, & glebas dorsi eius obijciat curuaturæ, ne possit inuerti, sed su-
pina permaneat, hoc facto fertur spatium sic defensum nubes inimica transcurrere. Item
equi fluuiatilis, ut Apuleio placet, pellis segmẽta diuersis spatijs imposita, creduntur satis
contra malum imminens totius menmbra conuestire. Contra grandinem omne spatium
horti alba uite præcingitur. Obruto fluuialis equi, quem appellant hippopotamon, tergo
re, locus fulmine nõ icitur. Diophanes præcipit, cum nebulas & rubiginem uidebis insta-
re, paleas & purgamenta pluribus locis per hortũ dispositа simul omnia cõbures quà uen
tus inspirat, ita enim impendens malũ auerti creditur. Satis fabis hortum à pruinis lędi ne
gant. Cum rubigo imminet, iubet Berytius statim bubulũ cornu dextrũ cum fimo sic uri,

ut plurimum circũcirca concitet fumum, præſertim quà uẽtus perflat, ſic ut omnis fumus cõtra rubiginis impetum feratur, ita enim noxiam cæli occaſionem diſcutiet. Fumus è paleis contra nebulas auxiliatur, ubi nebulæ nocent. Sarmenta aut palearũ aceruos & euulſas herbas fruticesq; per uineas camposq; cum timebis incendito, fumus medebitur. Quidam tres cancros uiuos cremari iubent in arbuſtis, ut carbunculi non noceant. Alij ſiluri carnem leuiter uri iubent à uento, ut per totam uineam fumus diſpergatur. Si fictili nouo obſerata obruatur rubeta rana in media ſegete, tradunt non eſſe noxias tempeſtates. Semen olerum ſi ſucco herbę ſedi, quam aizoon uocant, madefactum ſeratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. In totum uerò nec erucas, ſi palo imponantur in hortis oſſa capitis ex equino genere, fœminæ duntaxat. Aduerſus erucas & cancrũ fluuiatilem in medio horto ſuſpenſum auxiliari narrant. eæ arcuatim ſe uoluentes irrepunt, Gallicum uulgus uocat *chenillas*. Sunt qui ſanguineis uirgis tãgunt ea quæ nolunt his eſſe obnoxia. Infeſtant & culices hortos riguos præcipue, ſi ſunt arbuſculæ aliquæ, hi galbano accenſo fugantur. Omnia ſemina horti uel agri, refert Anatolius, ab omnibus malis ac monſtris tuta ſeruari, ſi ſylueſtris cucumeris tritis radicibus antè macerentur q; ſeras. Olera nulli erodentium iniuriæ futura tradit obnoxia, quorum in teſtudinis corio ſemina fuerint reſiccata. Vberantur horti, quorum puluini aqua in qua lotus uel fœnum græcũ maduit, irrigentur. Caluaria aſini intra hortum poſita creditur fœcundare quæ ſpectat. Olera pulices nõ creabunt, ut Anatolius ait, ſi cum eorum ſemina iaciuntur modicũ eruum miſcueris, præcipuè ubi radices & rapa naſcuntur. Alij naturalius erucam pluribus locis maximè inter braſſicas ſerunt, ut nulli pateant iniuriæ.

Napus. Cap. XLVI

NApus in duas ſpecies degenerat: unam, buniadem Græci nominant, omnibus olim cognitam, nunc medici, pace tamen eruditorum dixerim, prorſus ignorãt: cuius ſemen ob id quòd uenena expugnet, antidotis dicatum erat. nunc ſuffecto quodam ſylueſtris rapi ſeminio, huius uice abutuntur. A ruribus tamen quædam herba colitur, rapo radicique ſimilis, quam *nauetam* appellant, foliis rapi, læuioribus, poſt adoleſcentiam erucæ modo laciniatis, cubitali ſcapo aut interdum altiore, radice minuſcula, floribus eidem proximis, rapitio caule, cubitali uel altiore, cuius foliis non ſecus atque rapacijs ueſcuntur agri, præſertim cum ruſticos olerum inopia premit. Ea tum cocta tum cruda aceto & ſale condita deuorant. Nec eam crebro frondiũ auulſu coercent, quo minus in caulem erigatur, quod in rapis fieri certum eſt, ut in radicem incrementa capeſſant, ſed in ſcapum attolli patiuntur. nam uberiore ſemínis prouentu non mediocrem quæſtum faciunt. Semen huius calfactum truſatilibusq; molis preſſum magnam olei uim remittit, quo non ad obſonia modo, ſed ad lumina quoque lucernarum utuntur. Auiculas caueis recluſas, cardueles, miliarias, frigillos, & id genus ſimiles ſemine huius apud nos aucupes alunt. Rapum in hanc deſciſcere, & longo ſatu ad ſe redire, & priorem naturam reconciliare ferunt. Vtrunq; ſexum ex eodem ſemine prouenire ſcribit Theophraſtus. Maris nomine rapum buniadem intellexiſſe contendit Athenæus, præſertim cum alibi nuſq; buniadis meminerit, & Nicãder eo antiquior mentionem fecerit. Quo argumẽto, uel extante ueteris uocabuli ueſtigio, ducor, napum hanc debere dici. Napi, quorum eadem ferè cum rapis natura, gaudent frigidis. Seruntur ante Calendas Martias, in iugero ſextarij quatuor. Diligentiores quinto ſulco napum ſeri iubent. Et ut medici rapa maſculini ſexus fecerunt in his rotunda, latiora uero & cõcaua fœminini, præſtantiora ſuauitate, & ad condiendũ faciliora, quæ ſæpius ſata tranſeunt in marem: ita naporum quinq; genera cum raphanis confuſa fecit Plinius, quæ Theophraſtus uerbotenus raphano tribuit, corinthium, cleoneum, liothaſſium, Bœoticũ, & quod per ſe uiride dixerũt. Ex ijs in amplitudinem adoleſcit Corinthium nuda fere radice. Solũ enim hoc genus ſuperne tendit, nõ ut cætera in terram. Liothaſſium quidam Thracium appellant, frigorum patientiſſimum. Ab eo Bœoticum dulce, rotunditate etiam breui notabile, neq; ut cleoneum prælongũ. In totum quidem, quorũ tenuiora folia, ipſi quoq; dulciores: quorũ ſcabra & anguloſa & horrida, amariores. Eſt et præterea genus ſylueſtre, cuius folia ſunt erucæ ſimilia. Palma Romę Amiterninis dabatur, inde Nurſijs. Napus ſationes

habet

habet duas, melior tamen mẽsis Augusti. Iugerum agri quatuor sextarios seminis pascit. Napus deuexã amat & siccam humum, tenuicq; propiorem: itaq; glareosis sabulosisq; arduis melior exit, locicq; proprietas semen cõmutat. Nancq; in alio solo rapa biennio sata conuertuntur in napum, in alio napus raporum accipit speciem. Riguis locis utrunq; recte absolstitio seritur, ultima parte mensis Augusti, uel prima Septembris. Subactum solum pluribus iterationibus aratri uel rastri, largeq; stercore satiatũ postulãt. Iugerum nõ amplius quatuor sextarijs raporum seminis obserendũ est, quarta parte amplius napis spargendũ, quoniam non in uentrem latescunt, sed tenuem radicem deorsum agunt. Napis pulices innascuntur qui tenera folia derodant. Abiguntur eisdem remedijs, quæ suprà in rapis dixi-
10 mus: uel manu uelli debent, & matutinis temporibus frutices olerũ cõcuti. Sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore cum deciderint, non amplius in superiorem partem prorepunt. Id tamen superuacuũ erit tentare, si ante sationem semina succo herbę sedi sint macerata: nihil enim sic medicatis nec erucæ, nec culices nocẽt. Feras rapas nec adhuc cultu mitescentes in Dalmatia Stoicæ familiæ grauis author Possidonius tradidit inueniri. Diphilus medicinæ professor literarũ monimentis tradidit, rapũ uim acrem habere, corpus extenuare, spiritus creare. sed coctu cõtumax esse: napum uero buniam dulciorem, magis parentem concoctioni, q; ori gratior habeatur, multoq; magis ad stomachum faciat. De secunda napi specie alio loco nobis erit differendũ. Rapas & napos antiquitas condiebat, nunc ubiq; conditura prorsus exoleuit. Si cui tamen cordi esset in usum reuocare conditi-
20 uorum rationem, ad hunc modũ oporteret exequi. Raporum rotũdissima quæq; prius q; caulem aut cymam faciant, terra eruuntur, eaq; si sint lutosa aut obsita puluere detergũtur, & summæ cute nouacula decerpta, sicuti salgamarijs mos est, lunato ferramẽto decussatim inciduntur, sed eo manus libramento ne penitus & ad imum usq; acies adigatur: resparsisq; sale minuto præcisuris in alueo aut seria componuntur, & sale plusculo consperfa sinuntur dum exudent. Post tertiã diem degustanda est media rapi fibra, si salem ebibit,
30 deinde cum satis uidebitur recepisse, singula suo sibi iure eluuntur, uel si non multũ saniei liquoris ue reddiderint, adijciẽda erit muria dura. postea in quadratam cistam uimineam, quæ crassis uiminibus contexta sit, rapa componuntur: deinde sic aptata tabula superponitur, ut usq; ad fundum, si res exigat, intra cistam deprimi possit, superiectoq; graui pondere, nocte tota & uno die sinuntur siccari, tum fictili picato uel uitro reponũtur, & sic infunditur sinapi & acetum ut à iure contegantur. Napi quoque si minuti sunt, integri: si maiores, insecti, eodem iure quo rapa condiri possunt. qui in uas conijciuntur, & indito aceto sal coctus ita adijcitur, ut in aceti congium salis sextarium infudisse sat erit. Sed nõdum
40 satis constitit, quænam fuerit secunda napi species, quæ caulem mittit angulosum, in quo ramusculi uisuntur frequentes, prætenuibus folijs atque floribus referti, longitudine digitali: foliaq; proxime radicem sparguntur, apio similia, uerum exiliora multo, magisq; coriandri faciem simulãtia, flore anethi, semine apollinaris herbæ, quæ hyoscyamus dicitur, odorato sed minore. Eam excalfacientium ordinis esse cõuenit, quòd & urinas ciat, remoratos menses euocet, hærentes secundas pellat. Si quis herbam ijs deliniationum notis celebrem quærat, satis ad eam accedere cõperiet, quam officinæ nunc *minorem saxifragam* uocant, bunium tamen oleracei generis esse nemo contendit: quare cõiectura colligi potest,
50 luxatam hanc Dioscoridis partem, quæ uolumine secundo de bunio mentionem facit, nisi discriminis & discerniculi gratia duobus locis inseruerit. Melius tamẽ fuerit in suam sedem uolumine quarto restituere, de quo pluribus inibi agemus. Naporum duas differentias in medicina Græci obseruant. alterum genus buniada appellant, raphano & rapo simile, seminis præclari contra uenena, ob id antidotis utuntur illo. Radix flatus creat in cibo, et minus quàm rapitium alit. Asseruatur etiam salsugine. Alterum angulosis foliorum caulibus florentis, & quod bunion uocant, purgationibus fœminarum, & ueſicæ, & urinæ utile decoctum, potum ex aqua mulsa, uel succi drachma. Semen dysentericis tostum, tritum in aqua calida, è cyathis quatuor: sed urinam inhibet, si non lini semẽ unà bibatur. Galenus buniada in raporum censum reponit, easdemq; uires assignat.

Radix,raphanus. Cap. XLVII

RAphanus die tertio à satu prosilit,et ex hybernis celerrimè exit,latere potius fructum parit: calidis locis,austrinis,atque serenis teporibus celerius in caulem attollitur,semencq; promit. Radice terreno adoperta sequenti anno germinat,tellure abiecta:nam & crescere & durare ad æstatem usque ualet. Gaudet dulcescitq; frigoribus, quibus incrementum in radices non in folia uertet, quas ligneſcere Theophrastus est author. semen in siliquis. Genera Bœotium rotundum & dulce, Liothasium quod alij Thracium uocant patientissimum hyemis, Cleonæum in lõgitudinem porrigitur, Corinthium amplissimum detecta stirpe nascitur. Quo folium læuius & suauior & mitior est raphanus. Traditur & genus unum erucæ folio. Pulices appellantur bestiolæ raphanis innascentes, quibus ne noceant, authore Theophrasto, eruum interserere remedium est. Sed ne nascãtur, nullum suo seculo repertum adhuc medicamen putat. Fœminini generis existimant quę minus acres, & habent folia latiora, læuiora, & iucũde uirentia. Raphanum uitibus inimicum esse constat, ut si circum se seratur diffugiãt. Bis anno recte seritur, Februario mense cum uernum fructum expectamus, & Augusto mense cum maturius. hęc satio sine dubio melior habetur. Cura est eius ut terra stercorata & subacta obruatur: post,ubi cœperit aliquod incrementum, subinde aggeretur. nam si super terram emerserit, dura & fungosa fiet. Aliqui alia fecerunt genera, Algidense à loco longum atque translucidum. alterum rapi figura quod uocant Syriacum, suauissimum ferè ac tenerrimum, hyemisq; patiens. Præcipuum quidem est quod è Syria aduectum apparet, id tota hyeme durat. Radicis Syriacę iugerũ, ut est author Columella, supra quatuor sextarios seminis heminam recipiat, nec amplius poscit. Est etiam genus syluestre fronde copiosius quàm corpore, armoratiam Latini uocant, de qua priuatim diximus. Cæterum raphani, qui nostris radix dicitur, Græci duo genera seruant, satiuæ & syluestris. Satiua raphanus radix ue notior est quàm ut explicari debeat, cum ipsa quotidie uescendo sit. Hac siquidem in cibis antecedente plerique omnes cum fastidium urget, uorandi facultatem moliuntur, & appetentiam accersunt. in quem usum in taleolas orbiculosq; digeritur, ut aqua saleq; conspersa cœnas inchoet. Si quis etiam cibos fastidit, ad excitãdam cupiditatem interponitur. Quo magis error eorum, qui hactenus inoleuit, explodendus, qui pro re explorata omnibus cognitaq;, raram inuentu herbam, uiribus que plurimum ab hac discrepãtem, in compositione raphanati mellis usurparunt, lepidiumq; exulcerantem herbam in uicem eius, ut paulopost edocebimus, suffecerunt. Nam omnibus officinis raphanus peregrina demonstratur herba, quæ cum fructificauerit, iuxta terram pręciditur. exit & in cubitalem altitudinem, foliis laurinis, sed mollibus. Rarior apud nos huius cultus, ubi sæuitia hyemis ingrauat: quando impatientissima est frigorum, uiolataq; gelicidijs emoritur. Vsus eius olim non sine lacte fuit, ut arbitror, propter exulceratiam uim qua prædita est. Quæ omnia lepidij sunt propria, non raphani, ut suo loco demonstrabitur. Raphanus caudice assurgit nonnunquam arboreo: folia gerit laciniata, angulis horrida. semen in siliquis. Quo folium læuius, eo suauior et mitior existimatur. Dulces ut Græci produnt enascentur, si semina mulso, uel passarum uuarum succo macerentur. Constat radix cortice ac cartilagine, acuto quidem sed grato sapore, quæ in longitudinem plerunque porrigitur: cuius pars cum extra terram emersit, dura fit & fungosa, nisi terra circumobruatur. Dulcescit frigoribus ut rapum. Fimum odit palea contentus. Salsugine amaritudo eorum eximitur: nanque salsis ut uolunt aluntur. itaque talibus aquis irrigandos censent. Cocti dulcescunt, & in naporum uicem transeunt. Dati cum sale iciunis uomitionibus præparant meatum, quare medici semine ex aqua tepida dato uomitus eliciunt. Vitis tam pertinaci odio dissidet à raphano, ut iuxta satum refugiat, et depacta in eius scrobe nõ comprehendat. In tam uulgari nobilitate raphanus, ut nihil scrupulose demonstrari postulet, uulgus *rauen*, tum *reforum*, tum *raphan* appellãt. Theophrastus multa eius recenset genera, quæ falso Plinius decimonono uolumine napis attribuit. Corinthiũ in amplitudinem eximiam adolescit, nuda ferè radice, quando hoc genus supernè tendit, nõ ut cætera in terram: Liothasiũ in terram demittitur, inde nomen datum, quidam Thracium appellant, frigoris patientissimũ: Bœoticum dulcissimũ est, rotunditate etiam breui

notabile

notabile,neq; ut Cleonæũ prælongũ. Sylueſtre etiamnũ genus habetur fronde copioſius q; corpore,folio ſatiuæ ſimili,ad lapſanæ frondem accedente,radice gracili,molliuſcula,accrementũ reſipiẽte.Italia rerum antiquarũ parens adhuc *armoraciam* nominat. Seritur quibuſdam in locis ut edomita feritate miteſcat, aut transfertur ad culta quo melior fiat:nam hæc eſt agreſtis raphanus.Sed apios quæ agrioraphanus aliquibus aut iſchas dicitur,qua neceſſitudine aut cognatione iuncta ſit, ut cum hac ſocietatem & conſortium inierit, imò uerius in idem caput coaluerit, non ſatis poteſt explicari:niſi forſitan greçorũ librarij uicinitate nominũ illuſi, hanc, quanq; uiribus,figura, deliniatione diſcrepantẽ,in idem caput contulerunt, ſed eorũ fiant diuortia quæ diſſona inſitione cohçſerant.Hoc igitur quod de apio dictũ, uelut abhorrens à conſortio debet expungi, luxatumq; uertibulo quo diſſilierat reſtitui. Ideo cum eadem quarto uolumine à Dioſcoride repetantur, inibi mentionem eius diſtulimus,ibiq; quænam ſit apios oſtendemus.Pituitã,ut Florentinus tradit,raphani extenuant, urinam cõcitant. Decocti uero & poti cum uino ieiunis ad ternos cyathos, cõminuunt & eiiciunt calculos. Ad tuſſim cum melle proſunt.Puerperis ad lactis copiam augendam præbentur. Venerem ſtimulant,ſed uoci nocent. Semen toſtum ipſumq; commanducatum,tuſſientibus & ſuſpirioſis medetur. Venenis uſq; eo aduerſantur,ut præſumentibus ieiunis nõ ſint nociturí:quibus etiam ſuccus in aqua coctus ſuccurrit.Idem contra fungorũ & boletorum uenena ſalutaris.Succo infectis manibus impunè ſerpentes tractantur.Impoſitæ ſcorpionibus confeſtim emoriunt.Hydropicis medentur.Ex aqua ſumpti lienem extenuant.Ad uomitus eos eſſe utiliſſimum,nam uentrem exinaniunt ex melle ſumpti reddítiq; uomitionibus. Appetentiã faſtidioſis inuitant. Quartanis liberant, ſi continuo uſu ſtomachus in uomitiones effundatur. Succus ex paſſo potus regium ſanat morbũ. Contra aquarum uitia raphanum incoxiſſe ſatis eſt, ita enim earũ pernicies eluetur.Dentibus ſolis inimici, quoniã atterant. Ad hæc ſanguinem excreantibus cocti dantur,item cruentis reiectionibus præcordiorum.Si quis prçguſtans à ſcorpione feriatur,citò citra aleam uitæ ad integram redigetur ualetudinem.Si quis à tormentis plagas & uibices accepit,tritus & impoſitus emendat.Reducit & cicatrices ad colorem,lentigines in facie delet. Alopecias capillo replet. Summo cibo ſpiritum elidit,ructus laxat,urinas eijcit. Poſtremo cibo alui deiectionem raphani moliuntur. Nam ſummo,ſuſpendunt illata neſi dant:præſumpti,uomitiones cient.exquiſitiores ſenſus exiſtimantur præſtare.Folia quæ in oblongis naſcuntur,excitare oculorũ aciem dicuntur.Craſſitudines è pectore eliciunt. Inſignita ex melle tollunt. Veternoſis q̃ acerrimos mandere prodeſt,ex aceto lethargícis. Hippocrates capillos mulierũ defluos fricari raphanis iubet:& ſuper umbilicũ poni contra tormenta uuluæ. Ilioſis dandos cenſet Praxagoras, & Pliſtonicus colicis. Menſes accerſunt, Cum melle ſumpti inteſtinorum animalia detrahunt.Cum uino enterocelis proſunt.Cortex ex aceto uomitiones acrius mouet.Eaſdem & ſemen molitur,& lotiũ cit.Impoſitum quoq; ſiſtit ulcera quæ phagedænas uocãt. Gangrænas admotum mirabilem in modum excarificat. Cum aceto mulſo anginis gargariſſatum opitulatur. Ceraſtæ morſibus in uino datum ſuccurrit. Aurium grauitati ſuccum inſtillant. Vbi acrior admota ſit, hyſſopum dari protinus imperant,hæc antipathia eſt.

Siſer. Cap. XLVIII

Siſer,greçe ſiſaron,frigidis locis gaudet.Hinc Tiberius princeps flagitabat omnibus annis à Germania. Ineſt longitudine neruus qui decoctis eximitur, magna tamen parte amaritudinis relicta, quæ mulſo etiam in cibis temperata uertitur in gratiam.Radice tantum cibis commendatur.Siſer Plinio raphani,Aetio paſtinaçe ſpecies eſt,quę nõnihil amaritudinis cum aſtrictione pauca reſipit ut author eſt Galenus. In ſecundũ excalfacientiũ ordinem aſſeritur. Paulus tertium nanciſci aſſeuerat. Addidit,ſemenq; tenuibus particulis conſtare,diſcutiendi naturã habere.quare ſingultientibus & torminoſis ex uino datur.Siſer condiebat antiquitas. Ianuario menſe uel Februario radicem eius exerebat, & ne quid terreni adhæſiſſet diligenter defricabat, & in aceto & ſale cõpoſita poſt trigeſimũ diem eximebat, & corticem eius delibratũ abiiciebat. Cæterum medullã eius conciſam,in fidelíam fictilem uel uitreã conijciebat,poſt menſem uuam paſſam,exiguam cepam aridam cum torrido farre & exiguo

melle ſubterebat. quæ cũ fuiſſent bene detrita, ſapæ uel defruti duas partes, & aceti unam permiſcebat, atq; ita in eam fidelią cõtundebat, eamq; operculo contectã pelliculabat: ſed cum exegiſſet uſus, cõciſas cum iure ſuo radiculas promebat, & exemptas de fidelia, oxymelli cũ exiguo oleo ſuperfundebat. Ea ut ſentio uidetur eſſe toroſa quædã radix paſtinacæ cõgener, per cuius lõgitudinẽ inteſtinus neruus excurrit, quæ cocta cinerib. aut aqua, & patinis infricta manditur, magna ſtomachi uoluptate, & ganeæ nunc magis q̃ medicinæ naſcit̃. Hodie uulgus, ni fallor, extritis prioribus literis diminutrice forma *ſerullum*, aut *ſeruillam* uel *cheruillen*, pro ſiſere aut ſiſerculo pronũciat. Facit huiuſce rei fidem, auxitq; ſuſpicionẽ, q̃ adhuc ſeritur apud nos nõ ſemine ſed bulbis, aut oculis radice exciſis, uti ueteres tradiderũt, qui reliqua radice auulſi in nouam ſobolẽ diſponũtur. Siſer circa calendas Septẽbres, uel melius ante calendas Martias ſeritur. Auguſto tertia ſatio eſt, eaq; optima. Cõualeſcit alt̀e paſtinato & ſtercorato loco: ſed rariſſime ponendũ, ut maius capiat incrementũ. In multis Gallię tractibus lętiſſim̀e prouenit. frigidis locis cõuenit. Ideo in caſtello Gelduba, quod ſupra Rhenũ ſitũ eſt, generoſitas prę̃cipua. Siſer his ſerit̃ mẽſibus, Februario, Martio, Aprili, Auguſto, Septembri, Octobri. Duorũ generũ eſt, ſatiuũ & erraticũ q̃d. eſt ſatiuo ſimile & effectu. Stomachũ excitat, faſtidiũ diſcutit. Ex aceto laſerpitiato ſumptũ, aut ex pipere & mulſo uel garo, urinã ciet, & uenerẽ ſtimulat. In eadẽ ſentẽtia eſt Dioclesaddẽs prę̃terea cordi cõuenire cõualeſcentiũ, aut poſt multas uomitiones perq̃ utile. Heraclides contra uiuũ argentũ dedit, & ueneri ſubinde offenſanti, ægriſq; ſe recollígentibus. Tradũt ideo utile ſtomacho uideri, quoniã nemo tres ſiſeres edendo cõtinuaret: eſſe tamen utile conualeſcentibus & ad uinum tranſeuntibus. Satiui radix commendat os ídoneaq; ſtomacho eſt, urinam ciet & uenerẽ. Priuatim ſuccus cum lacte caprino potus ſiſtit aluum. Siſaram Varro, Plinius ſiſarum uocant herbam cuius flore ueſcantur apes. Eſt & in Eubœa frequens & apibus gratiſſima, fortaſſis quia nulla ex alia ſit copia.

Rumex. Cap. XLIX.

AMpliſſima lapatho radix, ut quæ nõnunquam deſcendat ad tria cubita. ſyluestri minores tumidæ. effoſſa quoq; diu uiuit. Hoc inſatiuũ, rumex uocatur. Tam uiuax eſt lapathum, ut ſemel ſatum nunquam uitietur in terra, maxime iuxta aquam. Succus cum cibis gratiorem leuioremq; ſaporem præſtat, præſertim ſi eo intingantur. Solummodo ex omnibus ſyluestre melius eſt, cũ omnia fer̀e ſyluestria & foliis minora, & caulibus ſuccoq; acriora. Olus hoc in multos caules proſilit, ramoſum, radice altiſſima, ſingulari, nec lateribus craſſiores alias niſi prætenues emittente. plerunque ſeſquipedalis ſatiuo radix, breuior ſyluestri conſpicitur. Cum perfect̀e adoleuit, figura betæ proximum, corpus carnoſum & madidum, eoq; erutum terra diu recens ſeruatur, & præ cæteris oleribus uiuaciſſimum, præſertim ſatiuum. Lapathi ceu rumicis genera produntur multa. Oxylapathũ, non niſi paluſtribus naſcens, in cacumine acutiora duraq; folia habet, ob id officinæ noſtrates *lapatium acutum* nominãt. Alterũ genus hortenſis illi diſſimile. Tertium ſyluestre, paruum, plantaginis figura, molle, humiliter fruticans, *acidula* aut *minuta oxalis* uulgo dictum. Quartum habet genus quod alij oxaliden, alij anaxariden, alij rumicem ſyluaticum appellãt. cuius folia ſyluestri & exiguo ſimilia ſunt, caulis teres, ſeſquicubitum altus, ſemine rubro, in mucronem acumínato, quod foliaceo ueſtitur inuolucro, ſapore acri, è ſcapo & agnaſcentibus coliculis erumpente. id partim ſeritur, partim ſponte in incultis prouenit. Omnibus exploratum quòd plerunque iuribus incoctiũ natet, et in acetarijs crudum ſingularem habeat gratiam. Quin & in carnibus intingendis ſucci uiridis acrementum ſummíniſtrat, nec aliud in obſonijs maiorem ſibi uendicauit authoritatem. Omnes fer̀e quòd gratum acorem palato repræſentet, acetoſam cœperunt appellare. Gallicũ uulgus *oxalim* adhuc imitatione græca nuncupat, aliqui *ozellam*, alij *uinetam*. Huius ſemen rubrum in mucronem emiſſum deſinit in cuſpidem, cæteraq; Dioſcoridis picturæ ſuffragantur, quare nemo rumicem acetoſum id eſſe genus ibit inficias. Eſt & quod hippolapathon nominant, olus magnum, paludibus familiare, eiſdem innaſcens, quam ut mea fert opinio *paricellam*, uel *grandem oxillam* officinæ dicunt, uulgus *parellam*, nec refragari quidpiam uidebitur. nam in olera recipitur, caulis ei ramoſus, prægrandis, folia betæ, uliginoſa, acutaq;, radix prælonga, paluſtribus lætior pro-

tior prouenit, quibus in hortis seritur. Lapathon, ut Galenus scriptum reliquit, discutiendi nãcisci tur facultatem: Oxylapathon mixtas sibi uires uendicauit. Nanque discutiendi & repellendi natura donatum est. Sed cum omnium semen, tum maxime oxylapathi, manifeste constringit, ita ut dysenteriæ & alui profluuio medeatur: quapropter quod demirari licet, semen à parentis natura desciscit, ut quod astringendi dotes habeat, herba uerò uentrem exinaniat. Hippolapathum à reliquorum uiribus non degenerat. Galeni iudicio Paulus subscripsit, eadem de natura rumicis adfirmans. Sunt qui hydrolapathum tradãt in aqua natum: sed huic speciei ferè cõgenerem esse nemo diffitebitur, cum aquarum uernacula sit herba, ambæq; paludibus exiliant, sed oleribus repudiatur. Huius foliis uel ampliſſimis butyri recentis offas inuoluunt. Omniũ fastigiorum foliis decoctis sistitur aluus. Cruda illita melicerias rosaceo, aut croco adiecto discutiunt. Semen sylueſtris & oxylapathi & oxalidis cœliacos & dysentericos potũ ex uino uel aqua efficaciter adiuuat. stomacho detrahit fastidia. Scorpionum ictibus medetur, & qui præsumpserit etiam percussus nihil molesti patietur. Radices coctæ cum aceto uel crudæ lepras, & impetigines imposita curant. Vngues scabros detrahunt, in quo desiderio infricare locũ in sole nitro, acetoq; oportebit. Decocti succo discutiunt corporis pruritus fouendo, atterendóue in folia balnearũ. Radix in uino cocta doloribus auriũ dentiũq; prodest, si colluantur iure. Strumas quoque ac parotidas in uino, lienis tumores ex aceto discutit. Quidam contra strumas in collo suspensam gerunt. Mulierum profluuia trita & admota cohibet. Tosta in uino, regio morbo auxiliatur. Calculos uesicæ comminuit, menstrua commouet, scorpionum uenena restinguit. Vis lapathi ructus facit, & urinam ciet, caliginem oculorum discutit. Firmat commanducata radix dentes. Eadem cum uino sistit aluum. folia soluunt adiecto sale. Sylueſtria scorpionum ictibus medentur, & ferire prohibent habentes. Semen stomachi inextricabilia uitia sanat. Dysentericos semen hippolapathi duabus drachmis in uino potum liberat. Oxylapathi semen lotum in aqua cęlesti sanguinem prodest reiicientibus, adiecta acacia lentis magnitudine. Præstantissimos pastillos faciunt ex foliis, & radice, addito nitro & iure exiguo. In usu aceto diluunt, sed satiuum in epiphoris oculorũ illinunt frontibus. Adiiciunt (ne omittatur) bulapathum, radicis tantum altitudine differens, & erga dysentericos efficacis effectus potum ex uino. Rumex in olerum cẽsu uiribus & gustu hortensi betæ respondet Galeno: quare merito quis sylueſtrem appellauerit betam, plus tamen quàm rumice, quòd sit aliquãto iucundior, homines ueſcuntur. Censet idem oxylapatho nomen ab acuta ui inditum esse. A nemine crudus rumex, sicuti nec beta, ut refert, estur. Oxylapatho tamen mulieres quæ ruri degunt fastidiosæ in malacia, & morosi palati iuuenes tantum utebantur: quare rumex dignus est, cum nullius sit alimenti, qui cibis abdicetur. Cæterum nihil magis eius acore per æstatem apud nos placet, nihil æque elanguescentem reuocat appetentiam. Theocritus alapathon uocauit ab effectu, quoniam exinaniat. Etenim Attici alapatha, quę nos inanitiones dicimus, appellant. Sylueſtris semen tradit Africanus ex uino potum cordi & dysentericis mederi, appensumq; sinistro brachio ademptam pariendi spem restituere, restibilemq; adferre fœcunditatem. Addit, eiusdem sylueſtris radicem regium morbum aquamq; intercutem sanare: lepras, uitiligines, lichenasq; litam emendare.

Lapsana. Cap. L

Lapsana olus sylueſtre est, pedalis altitudinis, trium foliorũ napi simillimorum, nisi candidior esset flore. coquitur in cibo. Hanc diui Iulij carminibus præcipuè iocis militaribus celebratam Plinius tradit: alternis quippe uersibus exprobrauere se uixisse apud Dyrrachium, pręmiorum parsimoniã caullantes. Hæc est quam rura *sanuas albas*, quasi sylueſtres napos uocãt. quod satis Dioscorides testatur, tradens à Romanis napum appellari. nanq; sylueſtre hoc olus pedali altitudine prodit, tribus hirsutis foliis, cætera napi similis, nisi flos esset aliquanto candidior. Ea uirent arua, & in pauperum cœnas plerunque uenit. Apud Arcades eam nasci, quam illi brassicam sylueſtrem appellant, medici quidam ceram, Theophrastus testatum reliquit. Herbæ cuiusdam quæ cara nominabatur meminit Hirtius, qua cum lacte uictitauit exercitus, radice usus non folio. Lapsanam prope aluearia serendam esse

præcepit Columella, q̃ copioſam ex ea ceram apes colligant. Eſt autem cyma ſylueſtris, & ubique ferè naſcitur ſylueſtribus braſſicis annumeranda. Vulgares lapſanæ flores amiciſſimos apibus creant, & fauorum ceras exuberãt. Lapſana cum ſuo coliculo ſilens in alueos componitur, & ſale conſperſa biduo ſub umbra dum conſudet reponitur: deinde ſi tantũ remiſerit humoris, ut ſuo ſibi iure abluí poſſit, ſin minus, dura muria lauatur, & ponere impoſito exprimitur: tum uaſe cõditur, & ius quod eſt miſtum duabus partibus aceti & una muriæ infunditur. Fœniculi aridi quod eſt per uindemiã proximo anno lectum, ſpiſſamentum imponitur, ita ut herbam deprimat, & ius uſque in ſummum labrum fideliæ perueniat. Inter ſylueſtres braſſicas Plinio braſſica eſt, pedalis altitudinis, foliis napi ſi millimis, niſi candidior eſſet flore. Coquitur in cibo. Aluum leniter emollit. Folia & cau- 10
les edendo ſunt, ſtomacho utiliores quàm lapathũ: ſed Galeno noxium humorem creat. Illita detergendi diſcutiendiq; naturam habet. Medetur coxendicibus & lienoſis. Lepras impoſita ſanat.

Blitum. Cap. LI.

BLitum radice non una nititur, ſed contra cęterorũ ferè olerum morem multiplici, prolixa, non in rectum tendente, betaceis frondibus, ſine acrimonia fatuis: ſemen corticeũ profert racematim ſingulis ramis inſidens. Olus hoc erumpit ocyſſime. Martio menſe ſeritur. Culto ſolo cum ſemel natum fuerit, ipſum ſe per multa ſecula ſeminis deiectione reparabit, ut etiã ſi uelis uix poſſit aboleri: ſatumq; ſemel pluribus annis reſtibili fertilitate prouenit, nec runcari nec ſarculari flagitat. Imbutũ quàm plurimo humore tradit Galenus, quem copioſum etiam 20
olus in decoctione fatet. Duplex id oſtendi ſolet, rubens & candidũ. Huic generi aſſignandum illud olus ruberrimum quod in cultis ſe attollit, cuius folia iuribus incocta ſic ea infíciunt rubore, ut nigelli uini dilutum colorem repræſentent, à quo *rubrum olus* uel *poreta rubens* uulgo cœpit uocari ab olitoribus, ubique ferè colitur. Quod albi diſcrimine tantum notatur apud nos nomine uacat, ſurculoſius rubro, ramis undiq; racemoſo fructu ſcatentibus. Hiſpani *bleti* nomen hactenus ſeruarunt, cuius olere multis in locis utuntur, *turgon* in Narbonenſi Gallia uocant. multis tractibus cœpit ſeri. Sed onobletum herba linguæ ſimilis, Hippocrati cõtra fœminarum profluuia in uellere adponitur. Blitum iners uidetur, ac ſine ſapore aut acrimonia ulla, unde cõuitium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Stomacho inutile eſt, uentrem adeo turbat, ut cholerã faciat aliquibus. Dicitur tamen 30
aduerſus ſcorpiones potum è uino prodeſſe, & clauis pedum illíni: item lienibus, & temporum dolori ex oleo. Hippocrates menſtrua eo cibo ſiſti putat. Dioſcoridi oleris & hoc uice in cibos uenit, & facile aluo excernitur: cæterũ iners & nullo in medicina momento. Blitum Galeno uliginoſum aquoſumq; olus, quod nõ ex ſolo oleo garoq;, ſed adiecto etiã aceto ſæpius eſtur: alioqui ſtomacho negotiũ faceſſit, lubricos tamen interaneorũ anfractus aliquantũ reddit. quare leniuſculam alui deiectionẽ moliri poteſt. Nullum tamẽ acrementũ, nitroſum ue poſſidet ingeniũ, quo ualeat inteſtina ad iuſtam excretionẽ laceſſere.

Malua. Cap. LII

MAluarum genera fuiſſe duo herbariæ rei prudentes tradiderũt. Vnum hortenſis, alterũ ſylueſtris, hoc eſt naſcentis in incultis. Hortenſiana ſæpe grandeſcit in arborem, & baculi uſum præbet, foliis amplis, circinatæ rotunditatis, rarioribus in ambitu ſegmentis. Caudex ſimplex, luxurioſę proceritatis 40
attollitur, à medio ferè ad uerticem pulcherrimis floribus decoratus, breui admodum pediculo dependentibus, qui uenuſtate roſis nõ cedunt, & ſi ſuppeteret odor, de principatu certarent: cum nec colore ſuperantur, purpureo uermiculatóue, nec etiam interdum candido, odore tantum uinci conſtat. Viciſſim è maluaceo caule funduntur roſæ, quædam iam patent, quædam naſcentibus ſimiles nunc primum exeunt, aliæ conuolutis adhuc foliorum paniculis nondum dehiſcunt. Capitula quædam breuibus innixa petiolis, & leuiter in mucronem faſtigiata, primum è caule proſiliunt, iſq; paulatim intumeſcentibus, prægnantia florũ inuolucra fatiſcunt: in quibus dehiſcẽtes roſę ſeſe pandũt, 50
& explicãtur in folia, ſtructili quadam ſerie numeroſa, calycibus apices paucos cõplexis, qui lutei mediis emicãt, q̃bus decidẽtibus erũpũt purpurea ſtamina. His fœtus ſuccreſcit multipliciter tunicatus, atq; in umbilici formã numeroſo ſemine coagmẽtatus, in q̃bus cũ

decuſſa

decussa sunt folia, reliquarum maluarum modo semina recluduntur. Hæc æstiuas coronas nectit. Flos is minus quàm rosa fugax, diuq; uigor uitaq; durat. Pulchritudinem demirantium uulgus *transmarinam rosam* cœpit appellare. Nemo non hanc hortis suis serit. Malachen hanc grandiorem Græci uocant in satiuis, cuius folia cum sole circumagi Lucius Columella numeris tradidit, uir antiquitatis studiosus,

Et moloche prono sequitur quæ uertice solem.

Folia maluarum solis iter sequũtur, incuruaq; cum eo pergunt ad occasum, ita ut ad eum semper spectent. Prodigiosum naturæ miraculum, ut herbæ nubilo die delitescentẽ solem prodant, & obiecta nube uelut indices curriculi, certam celati syderis sedem foliorum statu conuersioneq; demonstrent, imò uerius solarij uicem exhibeant, ita etiam ut nõ aperto sole, horas colligere possimus. Addidit Theophrastus, maluæ folia cum sole circumagi, seq; eodem inclinare, quò sydus feratur. quod humoris detractioni refert acceptũ: eodem nanque reclinari par est, quò sol humorem feruefaciens prouocarit. Alterum genus in incultis nascitur, folio rotundo, pingui, paucis in ambitu segminibus intercepto, caule magno, purpureis floribus prædito, radice cãdida. quod omnibus euidentius est quàm ut notificari debeat. Si quem satio delectet, Octobri serẽda est, ut quę occursu hyemis ab incrementi longitudine reprimet. Loco pingui delectatur & humido gaudet lætamine. Transferuntur plantæ eius cum cœperint folia quatuor habere uel quinq;. Melius comprehendit quæ tenera est, maior enim translata languebit. Sapor illis est melior, si non transferantur. Sed ne cito erigantur in caulem, in medio earum glebulas constitues aut lapillos. Rara ponenda est. Sarculo delectatur assiduo. Si liberandæ sunt herbis, ne motum sentiant in radice. Si transferendis plantis nodum facias, in radice sessiles fient. Omne solum in quo ferantur pinguius faciunt. In magnis laudibus malua est utraque. Duo genera earum amplitudine folij discernuntur, maiorem Græci malopen uocant in satiuis, alteram ab emolliendo uentre dictam putant malachen. E syluestribus cui grande folium & radices albæ, althea uocatur, ab excellentia effectus, à quibusdã aristalthea. Non audiendi sunt qui hortensem satiuamq; solis dissidere natalibus arbitrantur. nanq; syluestris, quantumq; domita cultu mitescat, altiliscq; nascatur in hortis, nunquam in hortensem, de qua suprà sumus loquuti, commeabit. Neglecta quoq; satiua quantumuis eam syluescere patiaris, nunq; in hanc syluestrem incultamq; degenerabit. Duo genera earum amplitudine folij discernuntur. Folia tamen, fructus, floresq; magnam inierunt similitudinem, & communem fere figuram referunt: quapropter merito, ut in ijs fieri mos est, uno donantur nomine, & generi eidem assignantur. Edendo satiua est, & in oleris locum cedit: de qua Martialis,

Vtere lactucis & mollibus utere maluis.

Flaccus & item Hesiodus maluæ usum pro oleribus increbuisse satis testatũ reliquerunt. Nec illud silentio supprimendum est, quod Phænias græcus author in stirpium censu memoriæ prodidit, ijs fere uerbis, Vernaculæ urbanæq; maluæ seminis formula placenta uocatur, cp eius omnino referat imaginẽ, quam columna fulcit pectinatim denticulata, à qua per medium placentaceæ molis foramen spiculum exeritur umbilicũ exprimens, echinato basis ambitu, quod facilè secanti circularem seminij globum liquido patebit. Facilem succum, ut Diphilus reliquit scriptum, creat, exasperatas fauces lenit, summæ cutis acrimonias emendat. Addidit, lacessitis renibus opitulari, & irritamentis uesicæ commodatem afferre, alimoniam mediocrem sumministrare, aluoq; facile excerni. Idem author syluestrem satiuæ prætulit, eam magnopere commendãs. Feruefactæ maluæ cibus per se, ut Damegeron scribit, irrauescentem expedit uocem: sed ex oleo, & garo uentrem resoluit. Folia cum saligna fronde trita pretiosum faciunt emplastrũ, quod inflammationes enasci prohibet, manantẽ sistit sanguinem. Recens claudit uulnus & ad cicatricẽ perducit. Luxatis, item fractis medetur. Folia cũ cepis uel porris trita serpẽtium & phalangiorũ ictus impositu persanant. Syluestris maluæ succo perunctus cũ oleo, uel eam habens, à uespis non icitur, quarũ etiam illato ictui idẽ succus medebitur. Tusa folia & percussæ parti admota dolorẽ discutiunt. Ea impetigines & cæca uuluæ uitia tollit. Dolorẽ sedat instillatus auribus succus. Potus ex melle iocinerosis remedio est. Comitiales idẽ recreat. Calculosis & ischiadicis pſenti est auxilio. Feruefactę ius epotũ urinæ tormina finit, difficiles soluit partus. Dant

tus. Dant ſuccum bibendum parturientibus ieiunis in uino decocta hemina. Eaſdem ſubſtratis foliis celerius eniti uolunt, ſed protinus à partu reuocandam ne uulua ſequatur. Quin & ſemen tritum adalligant genitale non continentium: adeoq; eæ uenerí naſcuntur, ut ſemen unicaulis adſperſum cubitali fœminarum auiditates augere mirum in modum Xenocrates tradat: item tres radices iuxta adalligatas. Olympias Thebana abortiuas eſſe cum adipe anſerino dicit. Purgari fœminas foliis earum manus plenę menſura in oleo & uino ſumptis aliqui prodidere. Eſculentiorem eſſe hortenſianã Pedanius Dioſcorides adfirmat: ſtomacho noxiam: facilem uentri, præſertim cauliculis: idoneam uerò interaneis & ueſicæ. Contra omnes aculeatos ictus uis efficax, præcipuè apum, ueſparum, ſimiliumq;. Ea trita peruncti cum oleo, uel tenentes eam nõ feriuntur. Folium impoſitum torporem ſcorpionibus adfert, ualet & contra uenena. Aculeos omneis utraque extrahit cruda & cum aceto pota. Putrefacta in urina ulcera manãtia in capite furfuresq; ſanat. Radix decocta dentium mobilitates firmat. Eius quæ unum caulem habet radicem circa dentem qui doleat perunge, donec deſinat dolor. Eadem ſtrumas, & parotidas, panosque addita hominis ſaliua purgat citra uulnus. Semen in uino nigro potum à pituita & nauſeis liberat. Radix mammarum uitijs occurrit adalligata in uellere nigro. Tuſſim in lacte cocta & ſorbitionis modo ſumpta, paucis diebus emendat. Folia in oleum decocta, tritáque, ſacris ignibus & ambuſtis imponuntur. Vuluas decoctum eius emollit inſeſſione: roſionibus inteſtinorum, uteri & ſedis infunditur. Ius decoctæ cum radice ualet contra uenena omnia, ſi potum identidem uomatur. prodeſt & contra phalangium. Et ut quidam uolunt, ſi quotidie quis ſucci eius ſorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis carituru. Succus melancholicis datur cyathis ternis tepidus, infanientibus quaternis, decoctæ comitialibus heminæ ſucci. Hic & calculoſis, torminibus aut opiſthotonico laborantibus, tepidus illinitur. Et ad uulneru impetus cruda cum pane. elicit lac. Semen ex uino potum addito ſylueſtris loti ſemine, ueſicæ doloribus leuamento eſt.

Atriplex. Cap. LIII.

ATriplex radice una cohæret in altum deſcendente, nõ glabra, ſed fibris quibuſdam capillata. caulem fundit ramis brachiatum, quibus foliatum ſemen & obductum cortice promitur, racematim congeſtum. Circa Calendas Octobres obrui oportet non frigidiſſimo loco: nam ſi regio ſæuas hyemes habet, poſt Idus Februarias ſemine differitur. Olus hoc ordine primo frigidũ, & ſecundo humidum eſſe teſtatur Galenus: tepentem itaque ſortiri calorem, uliginoſam aquatilemq; naturam nullius aſtringentiæ participem maluarum modo. quapropter humentis ſucci ratione cõfeſtim per uentris anfractus euadit, & aluo celeriter exigitur. Hortenſis ſylueſtri longè humidior frigidiorq;. Sylueſtris ſponte ſua naſcitur, ab hortenſi ferè non niſi natalibus differens, *arochias* uulgus appellat. Hæ tam luxurioſa proceritate prodeunt, ut quaternos ſæpe cubitos excedãt, caule interdum purpureo, interdum candicante, ramoſo, folio bliti, cum pubeſcit herbaceo, cum ſeneſcit flammeo, nonnunquam in luteum langueſcente, ſemine foliaceo, ſimplici radice in altum deſcendente, ex qua ſe multæ promant. Menſe Aprili et Iulio uſque ad autumnum atriplex recte ſeritur, ſi rigari poſſit. Amat aſſiduo humore ſatiari. Semen ſtatim cum ſpargitur, obruendum eſt. Herbæ ei ſubinde uellantur. Transferri neceſſarium non eſt, cum bene ſeritur: tamen poteſt melius adoleſcere, ſi ſpatio rariore pangatur, & iuuetur ſucco lætaminis & humoris. Ferro tamen reſcindendum ſemper eſt, quia pullulare non ceſſat. Sed hallucinantur & officinæ & herbarij, pace dixerim eruditorum, qui ſylueſtrem putant atriplicem herbam paſſim in uitibus & agris enatam, cauliculo binos palmos alto, molli, ſubalbicante, foliis mercuriali uel hederæ ſimilibus, per interualla ſubcandidis, ſemine apud folia paruo, rotundo, quum ex ea deliniatione picturáue cynocramben, id eſt caninam braſſicam eſſe liquido conſtet: nihilq;, quod ad finitionem pertineat, huic non congruere certum eſt, ut poſtea docebitur. Nec de chryſolachano ſatis inter Dioſcoridem & Plinium conuenit. Nanq; Dioſcorides chryſolachanum ab atriplice non ſecreuit, idem eſſe olus innuens, quod tamen aliquibus chryſolachanum uocaretur, id eſt aureum olus. Plinius uigeſimoſeptimo uolumine ſeorſum de chryſolachano, tanq; herba prorſus ab atriplice diſſidente, differuit, contrariasq;

uires ei

uires ei uelut alienæ assignauit. Siquidē uigesimo atriplicem morbos regios ac pallorem facere, cōscripsit, fretus Pythagoræ iudicio. Postmodum trigesimo septimo ait, herba hæc allīgata morbum regium habentibus, ita ut spectari ab ijs possint, sanare id malū traditur. Nec difficile fuerit dicti rationem inire, cum rerum lutearum cōspectu, bilem flauam regij morbi parentem, non aliter quàm rubrorum obiectu sanguinem cieri uolunt, & ad summam cutem elici, euocatum exterius facile discuti: quare suffusis bile, intueri lutea præcipiunt, ut erumpētibus papulis rubra. Dioscorides arquatis itidem opitulari fatetur semen ex aqua mulsa potum. Eandem intelligi herbam Græcis chrysolachani uocabulo quæ atriplicis appellatione designatur, præter Dioscoridis authoritatem hoc idem asseueran-
10 tis, fidem facit atriplicis herbæ colos in luteum elanguescens, & æmulus auri: quando-quidem aptiore uocabulo quàm à re ipsa ducto donari non potuisset. Et æmulum auri colorem satis confessus uidetur Plinius, quū capillos tingi syluestri præsertim atriplice commemoret. Quæ chrysolachani facies esset ita demū explicuit, Flore aureo, foliis oleris. Suspicatus forsitan ipse nonnihil erroris subesse, subiunxit: de chrysolachano non satis dicit scio, nec plura reperio: arcessens uitij herbarios, quo proximos sibi laborasse tradit, utpote qui notas uelut uulgares strictim & nominibus tantum indicauere. His itaque uerbis Plinius à calumnia se uindicauit. Nec ab atriplicis natura multū olus abhorrere, nec idem esse genus constat, quod recentiores Græci spanachia nominant, uulgus *spinacia*, ueteri-
20 bus (quod magnopere demiror) incognitum, cum de eo nihil antiqui, quod equidem inuenerim, literarum monumentis tradiderunt: uel forsitan ꝙ cibo, quàm medicinæ potius natum esset, nec quicq; illustre sortitum, ob id ingenij segnitie obscurū: uel coniectura colligi potest, nondum in usum uulgi literatorūq; cognitionem eo seculo uenisse, qui eorum, quæ sua fuerūt memoria, prorsus intactum nihil intentatūq; reliquerunt. Non enim silentio tam frequens olus abolere uoluissent, sed potius celebratū in lucem prodere. Fidem facit raritatis eius, nomen quod Græcis recentioribus à raro, ni fallor, medicis usu inditū esse uidetur: & quemadmodū culturæ negligentia quędam nimirū obsoleuerunt, ita diligentia olitorum aliqua de nouo nonnunquam emergunt, superioribus inuisa seculis. Nec me
30 pręterit nōnullos, quos parum id uocabulum delectauit, atriplex Hispanienſe nominasse, forsitan ꝙ hinc oriundum ad nos tandem cōcesserit, indeq; manans commigrauerit. Nec ab re fortassis nominis ratio Latinis assignaretur, quòd tam glabræ & mollis herbæ semē in spinas occallescat, inde spinaceum olus, quod nomen postmodum in recentiorem Græciam uenit. Seritur Septembri mense, & item Martio, ieiunijs aptissimū. Exit septem diebus à satu, folio primum triangulo, molli, mox intubaceo, plerunq; quà pediculo cohæret laciniato, inerti sapore, exigua radice, multiplici, tenuibus capillamentis fibrata, caule cubitali, nonnunquam altiore, intus cauo, floribus in uertice rotundis, racematim coeuntibus exiguis, semine spinulis horrido. Nullum solum respuit, sed quocunque prouenit lætissimē. in quo genere fœmina quidem floret, sed seminis infœcunda sterilescit. Eruitur radicitus, abiectisq; radicū capillamentis, citra aquam coquitur, utpote cum magnā uim humoris inter coquendū remittat, & ueluti proprio contentū iure, alienum aspernetur. Ligula subinde percussum abacto lentore uersat, dein in manuales globos expressa penitus sanie redactū, patinis in oleo uel butyro frigitur, addito, quò magis palatū titillet, omphacio uel acerbarū uuarum melligine. Aluū olus hoc emollit, primæ refrigerantiū humidorūq; classis. Melius atriplice suppeditat alimentum, sed aluo parum hærens facile exigitur. Flatus colligit & uomitiones concitat, nisi excrementitius humor abijciatur. Ventrē decocti iure proluit. In summa, cæteras atriplicis uires sibi fertur arrogasse, par ingenio, quasi neglectū atriplex aut ieiuniori solo creditum, in hoc olus degenerarit, prioris tamen naturæ non oblitū, sed quod pro foliaceo semine spinaceū sortiatur, minacibus aculeis gaudens, de quo nōnihil diximus alibi. Cæterū duo atriplicis genera, syluestre & satiuū q̄d Pythagoras culpauit, ꝙ difficillime coqueret, ac ne in hortis quidem iuxta id nasceretur quicq;
50 nisi languidum. Addidit Diocles plurimos gigni ex eo morbos, nec nisi mutata sæpius aqua coquendū: stomacho contrariū esse: lentigines & papulas gignere. Solon Smyrnæus difficulter in Italia nasci tradidit, Hippocrates uuluarū uitijs infundi cum beta. Dionysius ut morbosum damnauit. Lycus Neapolitanus contra cantharidas bibendū dedit. Panos,

furunculos

furunculos incipientes, duritias oēs uel decocto uel crudo utiliter illini putat: item ignem sacrum cum melle aceto nitroq; similiter podagras. Vngues scabros detrahere dicitur sine ulcere. Dioscorides in regio morbo semen atriplicis bibendum cum aqua mulsa dedit, item ad discutiendos panos crudum uel coctum. Similiter ad emolliendā aluum, cuius gratia coctū estur ut olus. Galenus hortense plus syluestri refrigerare prodidit, & humidiore præditum natura, utrunq; tamen ideo contra inflammationes & panos pollere. Addit semen extergendi uim habere, quapropter in regio morbo iocinoris infarctus expedire.

Brassica. Cap. LIIII

DE brassica consequenter differendū est, quæ decimo à satu die se demonstrat, nisi semina, quæ solo mandantur, uetustate sint exucta: tum enim in aliam degenerare stirpem Marcus Varro tradidit. Semen uetus tantum ualet in quibusdam rebus, ut naturam cōmutet. Nam ex semine brassicæ uetere sato, nascuntur rapa, et contrà ex raporum, brassica. Ea uulgo caulis nomen inuenit, quoniam nulla temere herba cole fit amplior. Profecto iam uisa est, ut fertur, septem cubitorum, simplici stipite, leuiter rubenti, crassitudine brachiali, folio prægrandi, carnoso, excæso candicante, in latus utrinq; diffuso, prominulis uenarum toris fruticante, patula cyma, flore tum luteo, tum albo. Genera brassicæ Theophrastus fecit tria, syluestre cui lęuia quidem folia, sed breuiora ac rotunda, copiosaq; atq; fruticosa, sapor autem asper & medi camenti instar ad eliciendas aluos. Reliqua duo foliorū differentia, læuis atq; crispi, quod & succi bonitate & foliorum amplitudine præfertur omnibus. Est etiamnum seminis discrimen, quoniam aliqua admodum exiguum ferunt. Hæc uitia nō cadunt nisi in crispa folia. Athenæus itidem in tria genera digessit nono Dipnosophistarū uolumine. Primū halmyris dicitur, quę ganeæ nata primatum sibi uendicauit. gignitur in Eretria, Epheso, Rhodo & Gnido. Secunda à læuore foliorum leophyllos, ubiq; nascens, quam nullam respuere tradit regionem. Tertia à crispitudine foliorum selinusiæ nomen accepit, ideo quòd ea in re apium uideatur imitari. Diphilus dulcem laudatissimamq; scribit Cumis nasci, amaram in Alexandria. Adiecit quoq; semen Rhodo delatum in Alexandriam, primo anno dulcem parere brassicam. A bimatu uitium resumit, quod nascendi cōditione suscepit. Cato fastigia eius fecit tria. Vnam grandibus & latis folijs, caule magno, tonsili cymarum luxuria. hæc uulgaris est notitiæ, omnibus conspicua, cum gelicidia sensit gratior cibis, tenerescitq; frigoribus, iusculis pinguibus incoqui solet. cymosum eius cacumen acetarijs sumministrat prius subferuefactum, mox oleo saleq; suffusum. Alterā crispo folio, quam à similitudine apij, selinoidem, id est apianam uocat. facile ab alijs discernitur, *crispum caulem* uulgus appellat. Tertiam proprie uocatā cramben, minutis caulibus, tenuioribus folijs, læuem, teneram, tenui succo, acerrimam quidem omnium, sed medicamentosiorem. hæc lenis dici solet. Complura quoque brassicarum discrimina non pigebit aliquanto uerbosius persequi, quæ tamen à natalibus locis usurpasse uocabula cōstat, utpote quę Cumis, Aricina conualle, Pompejis oppido Campaniæ, oriunda credantur. Quod sessile est, folio & capite patulum, Cumanum appellatur. Quod altitudine non excelsius, folio numerosius quàm tenuius, Aricinum. id utilissimum existimatur, quia sub omnibus fere folijs fruticat coliculis peculiaribus. Quod uero procerius caule ab radice tenui intra folia crassescit, quę rariora sunt angustioraq;, Pompeianum nuncupatur, cui teneritas in dote si frigora non tolerat. Sabellico usque in admirationem crispa sunt folia, quorum crassitudo caulem ipsum extenuat, sed dulcissimum perhibetur. Ex omnibus Marucina rubet, paucis folijs. hanc *rubros*, ut conijcio, *caules* uulgus uocat, medicamentis nascentem. Quę uero capite prægrādes folio innumeræ, aliæ in orbem porrectæ, aliæ in latitudinē torosæ, lacuturres à loco dicuntur ex conualle Aricina, ubi quondam fuit lacus turrisq; ut scribit Plinius. nullis cyma serior, nec ullis plus capitis, post tritianum, cui pedale aliquādo conspicitur. Primum omniū si in repastinato seras, dein si terram fugientes caulículos feces, à terraq; procerítate luxuriosa attollentes se exaggerādo aliam accumules, ita ne plus eā cacumen emineat: tritianum hoc genus uocatur, bis computabili impendio tædioq;. Has tritianas & lacuturres brassicas uulgaris sermo noster, ut uerisimili coniectura consequor, *capucos coles*, uel potius *cabutos*, quasi capitulatos appellat, quoniam in capitis formam extuberant

tuberant. Nonnulli à candore foliorum *albos* uocare maluerũt, quibus noſtra fere rura uiſcitant. Iis hyeme præcipua nobilitas, quorum folia in orbem conglomerantur, exterius calloſa & per ambitum rugata, multis intus carinarum uoluminibus, externis ſemper interiora complectentibus, nunquam niſi cum in florem exeunt dehiſcentibus, eximio candore, miranda teneritudine, humili caule, capite prægrandi, nonnunquam ſeſquipedem craſſo. Aliis folia ſurſum repanda, quæ non in abſolutum orbem coeunt, ſed ſummatim fatiſcentia breui interuacante ſpatio explicantur, non uſq; adeo conuolutis interioribus paniculis. hos uulgus *Romanos* uocat. Secari non debent, quæ ſementi deſtinantur. Partheno-peiæ ſunt hirſutæ. Adduntur iis quoq; Silurẽſes, Tiburtinæ, Stabianæ, Veſuuinæ, de quibus Columella in hortulo abunde ſcripſit,

Quæ pariunt ueteres ceſpoſo littore Cumæ,
Quæ Marrucini, quæ Segnia monte Lepino.

Braſſica cum ſex foliorum fuerit transfertur, ita ut radix eius liquido ſimo prius illita, & inuoluta tribus algæ teniolis pangatur. Hæc enim res efficit ut in coctura celerius madeſcat, & uiridem colorem ſine nitro conſeruet. Cuicunq; tamen generi pruinæ plurimũ ſua uitatis cõferunt. Frigidis & pluuiis regionibus poſitio eius optima. Sarrita ſæpius & ſtercorata melius conualeſcit, plenioriſq; incrementi coliculum facit & cymam. Nõnulli hãc eandem locis apricioribus à Calendis Martiis deponũt, ſed maior pars eius in cymã proſilit. Vineæ quibus braſſicæ naſcuntur, languidius uinũ creare tradidit Athenæus. Braſſica corrumpitur in dolio uinum ſapore & odore, betæ foliis demerſis reſtituitur. Pernicialia ſiquidem eis cum uitibus odia ſeruãtur, uitemq; uiuam oleris huius odore fugari Theophraſtus affirmat, aſſitamq; ad olus diffugere Varro tradit. Quo argumento uſus Androcydes contra temulentiam pollere credidit. Aegyptiis qui magnopere uini ſunt amantes, moris eſt omnibus eſculentis braſſicam coctam in cibatu præmittere, quæ uini noxam inhiberet. Cur crapulam ſedet, id cauſæ ſubdidit Ariſtoteles in problematis, quòd dulcem ſuccum diſcutientemq; contineat. Eaq; in plenum excocta & expurgato callo refrigerata, medici uehementes uentris deiectiones moliuntur, quo fit ut iis qui crapula tentãtur, ſuccus humores in aluum eliciat. Crudis etiam hominibus temulentiſq; ſupra in uentriculo remanens, corpus refrigerat, fitq; ut humores per urinarios meatus euadẽtes ad ueſicam delabantur. Qui cum utrinq; abigantur, refrigerato corpore, eos liberari crapula conſpicuum eſt, præſertim cum ſequax uini uapor, humoribus deorſum conuerſis deuocetur, & præceps ad ima deuoluatur: qui ſeſe efferens in caput, mentis arcem obſidet, & temulentiam grauitatemq; creat. Sed occurrit ingens diſcordiæ miraculum. Hoc olus quo uitem fugari diximus, aduerſum cyclamino & origano perareſcit. Iones iureiurando per braſſicam ſuam fidem aſtringebãt, ſicuti Zeno Citieus Stoicæ familiæ princeps, per capparim, Socratis imitatione per canem deierantis: ob id ſacram & mantin, id eſt uatem ab Hipponacte uocari braſſicam, teſtis eſt Athenæus, qui Athenis cibo parari ſolitã puerperis mulieribus amuleti cuiuſdam uice cõmemorat. Et cera Theophraſto ſylueſtris braſſica, quã alij erraticam, alij petræam dixerunt. Plinius ſpeciali nomine cramben, coma læui, parua, rotunda, ramis foliiſq; permultis conditam, ſatiua candidiorem, ſucco aſpero & inſtar medicamenti amaro. Hæc eadem illa eſt quæ tot exercuit, imò ferè occidit, grammaticos, illo Satyrici ſenariolo uaticinante, quantum crucis noſtris olim criticis poneret,

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Dioſcorides, Galenus, & Aegineta Paulus illi braſſicæ quæ ueſcendo eſt, adiecere ſylueſtrem & marinam quæ ſponte ſua aliiſq; locis ad medicinam naſcentes, non aliunde q̃ ex ſimilitudine aliqua in familiam & nomen braſſicarum uenerunt. Hæ cum nos propriæ deficiunt appellationes, gentium adoptione nomen & dignitatem inueniunt, & à conſimilibus nomenclaturam emendicant, ſuaq; mutuantur uocabula. Sylueſtris, quam ruſticam nuncupant, in maritimis plerunq; & præruptis tractibus naſcitur, ſatiuæ ſimilis, cãdidior tantum et hirſutior, non ſine amaritudine. Marina in totum à ſatiua diuerſa eſt, foliis tenuibus, prælongis, ariſtolochiæ rotundæ ſimilibus. ſingula à ramulis proſiliunt ſubrubentibus, uno nixa pediculo hederaceorum modo. Vulnerata cãdidum liquorem dimittit paueulum, non inſulſo guſtu amaricantem, pingui oleoſoq; concretu. Marinam eam eſſe con

ſtat herbam, quæ uulgo *ſoldana* dicitur, cum tota Dioſcoridis pictura, nulla reclamante no
ta, uideatur ſubſcribere. nanq; ſoldana eſt folio ariſtolochiæ longæ, prælongo, tenui ab ra
mulis ſubrubentibus exeunte, ſingulari ut hedera pediculo. lacte pauco madet, ſalſo gu
ſtu, aliquantum amaro, pingui coalitu. Varro Neſtoris ſapientiſſimi carmina quæ in Ale
xicepo ſcripta reliquerat interpretatus, quæ etiam ad ruſticorum utilitatem pertinerent,
una ſcribendū putauit. Primum braſſicam ſalſis locis ſeri iubet, cum trium foliorum fue
rit: nitro aut ſalſa terra cribro creta, ita ad coquendum habiliorem fieri. Sunt qui nitri uice
cinere potius utantur, quòd ſimul & erucas etiamnum enecet. Aluum nō percocta ſoluit,
eadem bis cocta ſiſtit. Menſes feruefactæ ius & ex uino dulci potum ciet. Tabidis perco
cta tritaq; remedio eſt. Aqua eius decocta mire ſanat, ſi foueātur uulnera & recentia & ue
tera: tumores etiam diſcutit. Podagræ autem, articularijsq; morbis medetur, cum ruta, co
riandri & ſalis mica, & hordei farina. Claritati oculorum multum confert, ſucco crudę an
gulis uel tantum tactis cum Attico melle. Vſque eo eius cibus alit, ut pueros ad citum per
ducat incrementum, & tanquam lętiore ſagina corpus exhilaret. Aduerſus fungorum ue
nena aut ipſa eſtur, aut ſuccus bibitur, ita boletis ueſcētes periculo liberat. Ictericis & ſple
nicis in uino nigro per dies quadraginta datur potandus. tuſſim lenit. Impetigines trita fo
lia tollunt. Sic & ſerpentium morſus impoſita ſanant: item lepras & pſoras cum alumine
rotundo ex aceto. Radicum cinis ambuſtis prodeſt. Oris ulcera, tonſillas, & uuam in fau
cibus tumentem diu contentus reprimit. Auribus ex uino ſuccus braſſicæ tepidus inſtil
latur. Iis qui ardorem in morbo ſentiunt trita & impoſita maximum adferet iuuamen. Co
cta uocem expedit & arteriæ impedimentum emendat, quare ſtudioſi uocis hac utuntur.
Muris aranei & canis rabioſi morſus & ſemen & trita folia ſanant, melius ſi cum laſere &
aceto trita imponantur: decoctumq; quoq; foliorum datur bibendum. Lienem extenuant
folia quæ prius q̄ coquantur conflacceſcunt, dein trita ſuperponantur. Inſomnia etiam
uigiliasq; diſcutit, ſi cruda eſtur. item uanas imagines dormientibus obuerſari non ſinit.
Neſtor in eo libro qui Alexicepos inſcribitur, braſſicam Lycurgi lachrymam eſſe tradit,
quam cum à Libero patre uiti adalligatus eſſet, effudit. Is Lycurgi ſeueritate deterritus in
mare ſe demerſerat, ex qua natum hoc olus prodidit. Ideo uitis & braſſica tanta laborant
diſcordia, ut ſi in agris olus hoc aſſitum uiti profiliat, uel ipſa cōfeſtim emarceſcet, uel cer
te ſarmēta eius elangueſcentia cōtabeſcent. Tam pertinax inter has plantas inimicitia, ut
ſi defluxionis impetu uua procidat, aut laxior in fauces decumbat, iniecto capiti braſſicæ
crudę ſucco in excelſum oris protinus reſiliat. Si braſſica fuerit uicina uiti, luxuriātes eius
palmites potius repandi curuabuntur, quàm recti uelint propius accedere, inteſtinæ mo
do quodam non immemores diſcordiæ. Similiter ſi quis feruefcenti in olla braſſicæ uini
paululum guttatim inſtillauerit, ne amplius quidē excoquetur, ſed ſuis uiribus defuncta
ad perniciem trahetur. Qui multum hauriunt uini, ut qui certamine potandi ſe prouocāt,
ne temulentia tententur, braſſicam crudam cibis anteponunt. Nec id eſt indignum ſcitu,
ſemen braſſicæ uetus in raphanum degenerare. Cato non parce braſſicam celebrauit, cu
ius uires paucis perſequi par eſt. Braſſica ſiue cocta ſiue cruda aceto tamen intincta mire
concoquit, aluum & lotium ciet, quod innumeris rebus eſt ſalubre. Si quempiam libera
lior uini potus in cœna delectet, antecedens in cibis cruda ex aceto ebrietatē arcet. poſtea
quinq; ſumpta folia, crapulam diſcutient, ita ut nullæ uinoſi halitus reliquiæ uidebuntur
ſupereſſe. Aluum cyma deijcit feruefacta, & noua ſemel, iterum, & tertio adiecta, cum oc
ceperit feruere indita ſalis mica & cymini momento. Verum qui bibit cubet incœnatus,
ſola contentus mulſa. Itidem faciendum præcipit ubi nauſeę libido ueniens quēpiam ap
prehēdet. Tormina diſcutit ſi cocta iterum decoquatur, addito cumino, ſale, oleo, & polli
ne polētæ: & ſi ita ſumatur ſine pane, magis profutura. Quibus ægre lotium it, aut ſubſtil
lum eſt, pauliſper coctæ, uti ſubcruda ſiet, iuſculum ſorbetur. Medicamentoſior quæ mi
nutis caulibus, foliis tenuioribus, acris & tenui ſucco uehemēs. Hæc omnia ulcera, uulne
ra putrida, cancroſq; purgat. Elota putorem omnē adimit. Si cācer ater eſt, is olet, ſaniem
ſpurcum mittit: ſi albus, purulētus eſt: ſed ſi fiſtuloſus eſt, intus ſuppurat ſub carne. Tumi
da cōcoquit, & erumpit. Luxata foueri prius aqua calida iubet, & bis die trita imponi: ſic
etiam fiſtulas & tumores euocari, & quæq; diſcuti opus eſt. Prodeſſe tradit capitis dolori
bus, ocu-

bus,oculorum caligini, ſcintillationibus:item ſi atra bilis urget, ſi lienes turgent,ſi cor do/
let,aut ſi iecur,& pulmones,aut præcordia dolitabũt. A ieiunis eſtur,ſed paululum ſilphij
adijcitur. Vbi ex multo cibo aluus non it,braſſica utendũ monet.Podagrę item morbiſq;
articularijs crudam comeſſe cum ruta,coriãdro cõciſam,adiecto laſerpitio,oxymele & ſa/
lis momento,nihil æque prodeſſe teſtatur:item eadẽ ratione inſomnioſis.Quin & lotium
eius qui eſitauerit aſſeruari iubet,calfactumq; neruis eſſe remedio, ſiue caput aut ceruices
dolent. Verba eius ſubijciuntur ad exprimendam ſententiam. Pueros puſillos,ſi laues il/
lo lotio,nunquam debiles fieri:idq; tarditati audiẽtium prodeſſe aſſeuerat.Et ſi mulier eo
lotio locos foueat, nunquam uiroſos fieri defendit. Hippocrates cœliacis & dyſentericis
bis coctam cum ſale dabat: item ad teneſmum & renum cauſas. Lactis etiam ubertatem
puerperis hoc cibo fieri indicat,& purgationem fœminis. Crudus caulis ſi edatur partus
emortuos pellit.Cibo eo ſenſum purgari Eraſiſtrati ſchola clamat, nihil eſſe utilius ſtoma
cho,neruis:ideo paralyticis & tremulis dari iubet,& ſanguinem excreantibus. Tradunt
Græci compeſcere mala corporis quæ ſerpunt,nomas uocant:item excreſcentia abſume/
re,cicatrices ad planum reducere,oris ulcera,tonſillas,manducatam & coctam ſucco gar/
gariſſato cum melle:item pſoras,& ueteres lepras ipſius tribus partibus cum duabus alu/
minis in aceto acri illitis: necari quoq; canes ea ſi detur ex carne: item ſemen eius toſtum
auxiliari contra ſerpentes & fungorum uenena. Cyma in omnibus generibus ſuauiſſima,
difficilior in coquendo, & renibus contraria. Crimina ſunt braſſicæ apud eoſdem animæ
grauitatem facere,dentibus & gingiuis nocere,uiſus aciem obtũdere Galeno. Cõtrà Dio
ſcoridi cibo aciem oculorum excitat,uitia ebrietatis & crapulę poſtea ſumpta diſcutit,tre
mulis prodeſt. Cyma ſtomacho utilior,urinamq; uehemẽtius pellit: inueterata ſale ſtoma
cho aduerſatur,aluũ perturbat. Ventrem emollit crudæ ſuccus exiri & nitro.Per uinum
pota ſerpentium ictus leuantur. Cum farina fœni græci & aceto podagræ,articularijs, ſor
didis ulceribus & uetuſtis illinitur.Inditus naribus capitis pituitam elicit,cęteriſq; humo
ribus exonerat. Cum farina lolij appoſitus menſtrua detrahit.Folia per ſe illita ſiue in po/
lentam contrita, tumorem omnẽ collectionemq; diſcutiunt:ignibus ſacris medentur:epi/
nyctidas leuant & lepras. Cum ſale carbunculos frangunt, capillum capitis defluuiũ con
tinent.Eadem cum melle depaſcentes gangrenas cohibent. Cruda ex aceto lieni mandun
tur.Ademptam uocem commanducata ſucco deuorato reſtituunt. Decoctura herbæ po
tu aluum & menſes ciet.Flos à conceptu in uellere ſubditus partum abortu uitiat. Semen
interaneorum animalia bibentibus pellit,ſed efficacius Aegyptiæ:faciem & lentigines ex
terit. Caulium & ſtirpium uirentiũ cinis cum axungiæ uetuſtate collectus dolores lateris
inueteratos appoſitu finit. Aduocatur ſemen antidotis aluinorũ. Syluestris ſiue erraticæ
immenſo plus effectus laudauit Cato, adeò ut aridæ farinam in olfactorio collectam, uel
odore tantum naribus rapto uitia earũ graueolentiãq; ſanare adfirmet.Hanc alij petræam
uocant,inimiciſſimã uino,quam pręcipue uitis fugiat,q; ſi non poſſit,emoriatur.Folia ha
bet parua,rotunda,læuia,plantis oleris ſimilior, cãdidior ſatiua & hirſutior,nõ ſine amari
tudine. plurima in diſruptis montiũ rupibus naſcitur. Cyma in lixiuio coquitur non iniu/
cundo ſapore. Natura eius cogere uulnera,tumores diſcutere,inflammationibus mederi.
Cruſtæ ſi occupant intus uaſa omnia,in quibus aquæ feruent,in tantũ ut non ſit eas euel/
lere,ſi braſſica in ijs decoquatur,abſcedũt.Marina ſtomacho inimiciſſima acrimoniã con
trahit.uehementiſſime ex omnibus aluũ ciet. Coquitur aliquibus cũ pingui carne,ut edo
mito acremento ueniat in cibum.

Beta. Cap. LV

BEta ſexto die naſcitur eſtate, hyeme decimo, floretiq; malo punica ſemine ob/
ruitur, & ſimul atq; quinq; foliorum eſt, ut braſſica, differtur æſtate, ſi riguus
eſt hortus:at ſi ſiccaneus, autumno,cum iam pluuiæ inceſſerunt diſponi debe
bit: quamuis alijs quoq; ſata temporibus recte proueniat. Verum cum trans
fertur oblini ſimo radicem oportet. Locum etiam madidũ amat.Latitudo ma
ior adquiritur, ſi cum cœperit colorem trahere,ponduſculum imponatur, eo quaſi onere
coercita in foliorum amplitudinẽ ſe diffundit.Radix ei unica in longum protenſa, carno/
ſa,guſtu non iniucundo,& nonnullis grata cibo, uel cruda:è lateribus aliæ item modo ſin
gulæ,modo binæ,nonnũquam ternæ funduntur,è quibus fibræ cohærentes alligãt. Cor/

tex neq; craſſus neq; raphani modo extricabilis, ſed oluſatro ad quẽdam modum ſimilis. Cortice ſemina conteguntur: quæ non continuo ſingula, ſed anno interim ſequenti, ſæpe tertio producuntur. Caulis exilit ſtriatus, bicubitalis, folio atriplicis, ſemine copioſo. uulgo nomen retinet latinũ, tametſi & *porrea* multis dicitur. Gemina huic natura, & oleris, & capite ipſo exilientis bulbi. Eius à colore duo faſtigia Græci faciunt, nigram & candidam, quam præferunt, parciſſimi ſeminis & candoris diſcrimine pręponentes, appellantq; ſicu lam, quę nũc extrita litera ferè omnibus noſtri ſeculi medicis *ſicla* cœpit nominari. Quam uis ſiculæ cognomento beta ſolummodo candida ueniat, ut Theophraſtus memoriæ prodidit, cuius ſententiæ Plinius etiam aſtipulatur. Nigra atro colore nitet, omnibus euidentior q; ut debeat à nobis indicari. Latini duo genera betæ tradiderũt, uernum & autumnale à temporibus ſatiuis, qui ſementis utriuſq; rationem ſequi magis uidentur. quanquã & alijs menſibus feratur. Si tibi ſit cordi multo maiorem betam, eandemq; candidiorem efficere, radices ſimo recenti bubulo lines, & priuſq; in caulem exeant lapillum latiorem aut fictilem teſtam ſuperpones, ita enim hoc ponduſculo cohibitam betam in latum ſe diſtendere, & candorem contrahere Sotion affirmat. Species ſumma in latitudine eſt, quæ nulli hortenſiorum maior eſt. In binos pedes aliquando ſe pandunt, multum & ſoli natura conferente eis. Quibuſdam in locis ampliſſimæ proueniunt. Transferri melius putant, cum quinq; foliorum eſſe cœperint. Mira differentia, ſi uera eſt, candidis ſolui aluos modice, nigris inhiberi. Et cum braſſica corrumpatur in dolio uini ſapor, odore betæ folijs demerſis reſtitui. Vſus ijs cum lente & faba, idemq; qui oleris & præcipuus, ut lenitas excitetur acrimonia ſinapis. Medici innocentiorẽ quàm olus iudicauere, ut ualidis potius in cibo ſint. Amat agrum putrem, humidum & lætum. Transferenda quatuor aut quinq; foliorum, radicibus ſimo recenti oblitis. Amat & frequenter effodi & multo ſtercore ſatiari. Eudemus in eo uolumine quod de oleribus cõdidit, quatuor aſſignauit genera, ſurculoſum colliculoſumq;, uulſile, cãdidum, populare, quod eſſe fuſco colore meminit. Betam innocentiorem quàm olus eſſe, mediocrem alimoniã ſuppeditare Siphnius Diphilus eſt author. Extenuat ſimul inferuefacta ſinapis acrimonia, tineas enecat. Adiecit aluos candida magis ſolui, nigra uehementius urinas cieri; radicem plus ori ſapere, & ſumminiſtrare copioſius alimentum. Menander è Græcis author eſt allium edentibus, ſi radicem betæ in pruna toſtam ſupererederint, odorem extingui. Galenus nitroſa quadam facultate præditam eſſe cenſet, qua & ſordes eluit & etiam diſcutit. Caput purgat, indita naribus coctura. Nitroſam uim & acrimoniam exuit, aſciſcitq; naturam quæ ab inflammationis moleſtia uindicat, & quadamtenus diſcutit. Efficaciorem detergendi diſcutiendiq; uim candidam fortiri. Nigram nõnihil aſtrictionis poſſidere, ſed radicem plus reliquis partibus hoc munus præſtare. Nec beta ſine remedijs eſt utraque. Coquitur nigra cum lente inhibendo uentri, at ſoluit inuicẽ candida. Vtranque culpant mali ſucci, propter uim nitri quam præferunt. Succus earum naribus inditus caput purgat, & dolores aurium infuſus ijs ſedat. Radicis & foliorum decocto furfures tolluntur & lendes. Pernionibus fotis occurritur. Vitiligines illitæ folijs crudis, inducto ante nitro emaculantur. Implentur & alopeciæ ſcalpello prius exaſperatæ. Illo modo ulcera depaſcentia finiuntur. Eadem cocta eruptionibus papularum, ambuſtis, ignibus ſacris medẽtur. in totum efficacior eſſe traditur nigra. Cuius radices in aqua coctæ prurigĩnem tollunt. Succus eius capitis dolores uetuſtos & uertigines leuat, ciet urinam. Medetur dyſentericis iniecta, & regio morbo. Dolores dentium ſedat illitus ſuccus. Contra ſerpentium ictus ualet, ſed huic radici duntaxat expreſſus. Vtri uſque radix recens ſuſpenſa funiculo contra ſerpentium morſus efficax eſſe dicitur. Albę ſuccus epiphoras ſedat fronti illita. Eadem contra ulcera quę ſerpunt & in capite manant illinitur. Validius cocta fluctuationes ſtomachi ſiſtit & uentris. Beta candida cocta & cũ allio crudo ſumpta uentris tineas abigit. Sotion græcus author tradit betam detergendi uim obtinere; uentrem feruefacti iure cum oleo, garo, & nitri pauxillo emollire; ulceribus quæ in capite ſerpunt ſuccum mederi. Impoſitum cum cera in panno duritias omneis & tumores diſcutere, uitiligines emendare, alopecias ad pilum reducere.

Portulaca

Portulaca. Cap. LVI

POrtulaca in duas ſpecies diſtribuitur. Vna in hortis emicat cauliculis teretibus, in altum erectis, lentè uergentibus in puniceum, foliis pinguibus, à tergo candidis, guſtu ſubſulſo, ſemine nigro, in herbaceis calycibus collecto. Alia ſpõte ſua in uitibus naſcitur, & ternis quaternis ue coliculis in terra ſeſſilibus ſerpit, cultaq; latius euagatur, folio carnoſo, uerum turbinatiore, cęte ra priori conſimilis. uulgus has tum *porcellinam* tum *porpierum* uocat. Vtraq; apud nos ſolet condiri hac ratione, Craſſiſſimos quoſq; coliculos exemptis radicibus legunt. nanque gracilenti facilius in aceto contabeſcunt. Arenulæ quibus ſunt obſiti diligenter aqua proluuntur: ſi qua inſedit ſordes aut limus obhæſit, decutitur, tantiſperq; ſiccantur donec aliquantulum inflaccuerint, alioqui marcoris labem, cui propter humoris copiam magnopere ſunt opportuni, confeſtim ſentiunt, aut rancore fraceſcunt. deinde acerbarum uuarum melligine madefacti ſubſtrato fœniculi uiridis ſpiſſamẽto, componuntur fictilibus uaſis, aut doliolis, & cõſperſo ſale ſufficienti, interiectoq; rurſum fœniculo, portulaca uas imple tur: & tandem ſpiſſamento fœniculi contegitur, quod herbas deprimat, iusq; quod eſt miſtum duabus partibus aceti, & una omphacij infunditur, ita ut ius in ſummum labrum fidelię perueniat: tum penore ſicciſſimo & auerſo à ſole recondi debet, ne ſitu loci conditura mucorem contrahat. quam innoxiam ea res conſeruabit ubi portulaca non innatet, ſed ſemper ſit iure ſubmerſa, & exemptis ad uſum ſalgamis, quicquid ſupereſt, ſuo põdere ad fundum leniter deprimatur. Deinde cum uſus exigit, aqua uel etiã uino abluunt, & ſuperfuſo oleo utuntur. Frigida conſtat natura, & ſi quis linguam conſulat, uliginoſæ conditionis eſſe, necnon auſteritatem quandam reſipere comperiet. Quapropter fluxiones præſertim bilioſas ac feruentes repellit, easq; commutando refrigerandoq; amolitur. Et quoniã à temperatis & mediocribus abſceſſu tertio refrigerat, & ſecũdo humefacit, ardente febri cõflictatis opitulatur. Dentibus qui ſtupore quodam obtorpeſcunt remedio eſt. Siquidẽ acrementorum occurſu præſiccati dentes exaſperãtur, ita ut citra noxam atterendis cibis adhiberi nequeant, ſolidioriſq; cuiuſcunq; commercio concipiant dolorem, lentore quo ſeſe ab ſiccorum iniuria uindicabãt exucto. Nanq; ſicca nullo interiecto humoris nexu durius ſeſe collidunt, unde ſenſus exaſperationis noxiæ contrahitur. Damnum ergo ſaliuarij lentoris, qui ueluti ſiccorum pignus intercedebat, glutinoſo portulacæ ſucco quàm optime reſarcitur. Sic ergo torporem dentium diſcutit portulaca. Alexander tamen Aphrodiſæus hoc portulacæ munus cæcis rerum facultatibus, & abditis delitеſcentibus ue cauſis acceptum retulit, quarum nullam inire rationem diligentiſſimus quiſq; poteſt. Quonam, inquit, modo ſtupori dentibus à frigidis fructibus adſcito portulaca quæ frigida eſt medebitur, cum contracta uitia non cõſimilibus ſed contrarijs abiguntur? Nos Galeni iudicio freti, ſtuporem exiccationem quandam acrementis frugum excitatam diximus, quę lubricos ſuapte natura dentes acerbius exaſperauit, ita ut non ſine moleſtiæ ſenſu in atterendis cibis committi ualeant. Hanc exaſperationem uernaculi lentoris exuctu conceptam, portulaca læuigat: quam iacturam humor non niſi glutinoſus repenſare poterit. Aſperitas ſic citate accerſita, cõtrario, ut diximus, humore propulſabitur. Adſcitiã quandam ſpeciem, quam ſyluеſtrem appellant andrachnen, hallucinantes librarij portulacæ coniunxerunt, cuius mentionem inter ſedi uel ſemperuiui ſenſum faciemus, ut ſuis congeneribus cognatiſq; reconcilietur. Portulacæ multi memorabiles uſus traduntur, cuius uis eſt aſtringere. Illita cum polenta capitis dolores, oculorum, et alias inflammationes corrigit. Ardoribus ſtomachi, ueſicæ doloribus, ignibus ſacris auxiliatur. Data in cibum cõmanducataq; dentium ſtuporem, ſtomachi & inteſtinorum feruores, fluxionesq; reprimit, roſionibus & ueſicæ utiliſſima. Veneris impetus infrenat. Idem effectus ſucco. Febres refrigerat, animalia uentris rotunda pellit, dyſentericos liberat. Item ſi ore ſanguis reijciatur, ſiue naribus, aut aluo profluat, ſiue fœminarum utero. Oculorum medicamentis utiliter adſeritur. Interaneorum rheumatiſmis, eroſionibus uuluæ ſuffunditur. Capitis dolores inſolatione cõtra ctos foueri proficiet cum roſaceo. Eruptiones pituitæ in capite deterget cum uino. Vulneribus ſyderatione periclitãtibus inungitur efficaciter polenta. Reſiſtit aquarũ uitijs. Infantibus umbilico prociduo imponitur, in epiphoris omnium fronte temporibusq; cum polenta. Ocu-

lenta. Oculis si procidãt eadem prodest folijs tritis cum corticibus fabæ. Vlcera oris com manducata cruda tumoremq; gingiuarum sedat: item dentium dolores, tonsillarum ulce/ra succus decoctæ. Mobiles dentes stabilit mãsa, cruditates sedat, uocemq; firmat & sitim arcet. Leontinus est author, folium linguæ subditum, ijs qui siti cruciantur bibendi desidería restinguere: sacros ignes illita mulcere. Salutaris est suspirijosis semine cũ melle hausto. Stomachum in acetarijs sumpta corroborat. Ardentibus febribus imponitur cum polenta. Dysenterię & uomicis datur ex aceto, uel bibitur cum uino. Tenesmis cocta & comitialibus cibo uel potu prodest: purgationibus mulierum acetabuli mensura in sapa. Succus eius potus renes iuuat ac ueficas. Venerem inhibet, ueneriscq; somnia. Inuenitur apud authores, caput inde litum destillationem anno toto non sentire, oculos tamen hebetare putatur. Addunt & serpentium hæmorrhoidum, presterum, & sagittarum uenena restringi pro cibo sumpta, & plagis impositа extrahere. Item aduersus sepis dictæ morsus ualere: cum ipsa non est, semen simili effectu prodest. Illita uerrucas tollit.

Asparagus. Cap. LVII

NVnc de asparagis agendum. Syluestres fecerat natura corrudas, ut quisque demeteret passim, ecce nunc altiles spectãtur asparagi. Hi serũtur bifariam: semine, ita ut quantũ tres digiti comprehendere queunt, singulis fossulis deponas, pingui & stercoroso solo, post Idus Februarias. Ferè post quadragesimum diem inter se implicãtur, & quasi in unitatem coeunt. quas radiculas sic illigatas & cõnexas olitores antiqui spongias appellarunt. Sed in locis siccis partibus sulcorum imis disponenda sunt semina fimo macerata, ut tanquam in alueolis maneant. At in uliginosis è cõtrario, in summo porcę dorso collocãda, ne humore nimio lædantur. Primo deinde anno, cum ita consita sunt, asparagũ quem emiserunt infringi oportet. nam si ab imo uellere tentes, adhuc teneris inualidisq; radicibus, tota spongiola sequetur. quæ per biennium in seminario suo est, stercore & assidua runcatione nutrienda. Reliquis annis non erit decerpendus, sed radicitus uellendus, ut oculos suæ germinationis aperiat. nã nisi ita fiat, stirpes præfractæ angunt oculos spongiarum, & quasi excæcãt, nec patiuntur asparagum emittere. Reseruabis eum de quo sumpturus es semina. Postea scopas eius & scorpiones incẽdes. tunc circa hyemem spongijs adijcies stercus & cinerem. Serũtur item spongijs, quas post quatuor & uiginti mẽses in locum apricum & bene stercoratum trãsferri conuenit. Sulci inter se distantes pedali mensura fiunt, non amplius dodrantalis altitudinis, in quam ita spongiolæ deprimuntur, ut facile superposita terra germinent: sed uere, priusquam emergere cœperint, bicorni ferramento, quod capreolum uocãt, terra commoueatur, ut & facilius stylus emicet, & relaxata humo plenioris crassitudinis fiat radix. Sarriri runcariq; iubet Cato, sed ita ne sarriendo radices uexentur, aut runcãdo calcetur. Ex eo uelli asparagũ ab radice, nam si defringatur stirpescit, & intermoritur: sed usq; licebit, donec in semen uideris ire. quo anno teneris substramẽtis per hyemẽ operito, ne rigore peruratur, & nouo uere aperito, stercore saturato. Asparagus, ut scriptũ Didymus reliquit, simplici gaudet solo. Seritur uere trium digitorũ fossulis, in quibus bina ternáue grana semipedis spatio discreta ponant. quæ primo anno nullo cultu uexari debent, sola runcatione uulsuq; herbarũ contenta. Addit plurimos nasci asparagos agrestiũ arietum cornibus tusis, atq; sulcatim defossis: sed ij crebram desiderant rigationẽ. Non desunt qui longe mirabilius tradant, integra etiam arietum cornua si tusa pangãtur, asparagos proferre. Si tibi sit in animo totius anni decursu edules inuenire asparagos, ubi fructum legeris, radices quæ summo cespite uagantur, circumfodiens aperies. hoc cultus mangonio frutex nouos dabit caulículos. Hoc olus siccitate lætatur, quare rigationem potius respuit: appetente tamen autumno, si quis irriget, mulo teneriores torosioresq; prosilient styli. Virent thyrsulis primũ emicantibus, qui caulem educentes tempore quo fastigiati in toros stringuntur, exeunt. Vere caules cibo idonei, qui aqua uel iure pinguí leuiusculè decocti, & sale oleoq; cõsperси comedunt. postmodũ scabrescunt & tandẽ abeunt in florem. Syluestris asparagus post inuentos altiles corruda propriè dicitur, Atticis orminon. Lucius Columella asparagũ à rusticis corrudã uocari tradidit. Altilis satiuusq; notior omnibus est, q̃ ut debeat explicari. nãq; è radiculis, quas uocãt spongias, thyrsus primũ exilit, cacumine

in torulos

in torulos turbinato, quod tandem increſcens explicatur in ramos prægrandes, quibus in ſunt folia capillamẽti modo tenuata, quę per uetuſtatẽ occalleſcunt in ſpinulas. Florẽ fundit paruulũ, quo decuſſo bacculæ dependent primũ uirides, quæ tandem maturitate rubeſcunt, ſeminibus refertæ. Radices maximè poſt bimatũ irretitæ ſimul colligãtur, quas uocant ſpongiolas, fertilitate in annos denos durante. Hæ medicorum omnium prædicatione urinas cient, & calculos exturbãt. Recẽtes thyrſulos in uoluptatẽ gulę uerterũt heluones, et Rauẽnatibus palmã dedere, quãuis ſylueſtribus etiã cedere Martialis ita cecinerit,

Mollis in æquorea quæ creuit ſpina Rauenna
Non erit incultis gratior aſparagis.

In conuiuijs piſciculos ijs circumdare ueteribus moris fuit, quod nobis teſtatum reliquit Iuuenalis inquiens,

Quæ fertur domino ſquilla, & quibus undiq; ſepta Aſparagis.

Bœotij eos detorquebãt in coronas, quibus nouæ nuptæ donabantur. Huius gentilitij ritus rationẽ explicuit Plutarchus, in eo opere cui titulũ inſcripſit præcepta coniugalia. Vt ex aſperrima, inquit, ſpina ſuauiſſimũ fructum aſparagus ſumminiſtrat, ſic ſponſa non fugienti uiro nec indigne ferenti primã cõiugis grauitatem ac moleſtiã, dulce præbebit commercium, lætioremq; conuictũ, ac gratiam ab eo inibit, manſuetamq; conſuetudinẽ. Nunc officinæ extrita priore litera *ſparagos* appellant. Habetur & aliud genus quoddã, ut refert Plinius, incultius aſparago, mitius corruda, paſſim etiã in mõtibus refertis ſuperioris Germaniæ cãpis. Illa aſparagi deliniatio cũ uiribus nõnullis in calce capituli Dioſcoridis, adiecta uidetur eſſe, cum in aliquot ueterum exemplariorũ monumentis nõ inueniatur. Aſparagus folijs eſt fœniculi, caule exili in ſpinoſam ariſtã faſtigiato, radice ſpongioſa, thyrſo primũ cum uer appetit emicãte uiret, ſpica tum cibis expetita, quæ mox dureſcere cõſpicitur, annuo caule. Aſparagus ita cõditur, Coliculi ſale cõſperſi & in alueos cõpoſiti ſub umbra biduo ſinunt deſudare, deinde ſuo iure proluũt, ſi ſatis remiſerint humoris: ſin minus, muria lauantur, & impoſito pondere exprimunt, & in uaſe cõpoſitis aceti partes duæ & una murię infundit, indito fœniculi aridi ſpiſſamẽto, quod herbã deprimere & ius uſq; in ſummũ fideliæ labrum peruenire ualeat. Aſparagorum cauliculi modicam coctionem poſtulãt, diutius percocti in tabẽ fatiſcũt. quare Druſus Imperator, celerẽ rei ſucceſſum demõſtrans, dicere ſolebat, hoc citius fieri q̃ aſparagi coquant. Vtiliſſimus ſtomacho cibus ut tradit aſparagi. Cumino quidẽ addito inflationes ſtomachi colicą diſcutiũt. Oculis claritatẽ adferunt, uentrem leniter emolliũt. Vrinã cient utiliſſime, præterq; q̃ ueſicam exulcerãt. Venerem ſtimulãt. Pectoris & ſpinę doloribus inteſtinorũq; uitijs proſunt. Vino cum coquunt addito lumborũ & renum dolores mitigãt. Radix in uino albo pota calculos exturbat. Quidam ad uuluæ dolorẽ radicem cum uino dulci propinãt. Eadem cum aceto decocta contra elephantiã proficit. Lumborũ & renum dolores ſedat. Aſparago tricto cũ oleo perunctũ pungi ab apibus negant. Dioſcoridi decoctus cauliculus cibo lenit aluum, urinas cit. Radicis decoctũ ægrè micturientibus prodeſt. Eodẽ iure proficit cõtra coxendices, arquatũ morbum, renes & ictus phalãgij. Succus in uino decoctæ dentibus medetur, ſi ore cõtineatur quà doleant. Idẽ effectus & ſemini dato in potũ. Decoctũ huius ſi caninis detur necari eos tradunt. Sunt qui prodiderunt naſci arietis corníbus tuſis atque defoſſis aſparagũ, quod Dioſcoridi nõ creditur. Sylueſtrem aſparagũ aliqui corrudam, alij lybicũ uocant, Attici horminũ. Huius ad ſupradicta omnia efficacior uis. Regiũ morbum extenuat. Veneris cauſa aquã eius decocti bibi iubẽt ad heminã. Coctus toſtuſq; diſtillationes urinæ difficultatesq; in cibo finit, ſtrangurias & lumborũ dolores diſcutit. Dyſenterícis opitulatur. Ad ſerpentiũ ictus ſuccus decoctus ualet. Radix in aceto uinoq; decocto luxatis medetur. Fœminas adalligatu uel decocti potu abortiri tradunt, & maribus genituram conſumi. Si ſanguis per urinam reddatur, ſemen aſparagi, apij, & cumini ternis obolis in uino cyathis duobus dari quinque diebus Chryſippus iubet. ſic hydropicis eſſe contrariũ docet, quãuis urinã moueat: itẽ ueneri, ueſicæ quoq; niſi decoctũ aqua. Si canibus deť occidit eos. In uino decoctæ radicis, ſuccus ſi ore cõtineať, dentibus mederi. Cæterũ teneri adoleſcentiũ olerũ partus Galeno ueteribusq; Græcis aſparagi dicũtur. Habẽtur & in alijs herbarũ generib. teneræ tã comæ q̃ cauliculi, quæ cibis uſurpãtur, nihil reſpuen

te grẽcorum palato. Itaq; cymosi brassicarũ fœtus minus stipite siccant: quamuis aliorum olerum asparagi plus sua parente arefacere creduntur, prẽsertim cum in semen exeunt, ut lactucæ, atriplicis, betæ, maluæ, bliti: cõtrà, cymę raphani, rapæ, sinapis, nasturtij, pyrethri, & omnium quæ calidam fere sortiuntur naturam, humidiores esse reperientur. Item erucæ, ocymi, apij, rumicis, sij, similiter cepitię frondes & bulbaceæ: eaq; omnia oleracei generis, ubi adulta iam sua crearunt semina, in aridítatem occallescũt: quare uelut inutiliora cibis abdicantur, primis tamen uitæ rudimentis tenerrima ex oleo & garo, adiecto aceti paulo comedũtur, sed modicam corpori præbent alimoniam. Aliud habetur asparagorum genus quod è fruticosis decerpit stirpibus, ut è syluestri myrto, chamædaphne, acuta spina, bryonia & lupo salictario. Omnia stomacho quidem grata sunt, urinas cient, sed modi cè alunt. Et si probè coquantur, multo magis olerum turionibus, q; sicciore sint natura, nutriunt. Edendo quoq; sunt tenerrimi quiq; fruticum arborumq; partus, qui ad palatum faciunt, & ab ore gratiam ineunt, modo nullam medicamentosam uim nanciscantur. Iis omnibus cum publica grassatur fames, coacti necessitate homines uescuntur. Quo in genere magis laudantur qui è terebintho, uitice, lentisco, uite, rubo et canina sente uelluntur: satis enim satiant inediam, neq; uelut ingrati gustantibus repudiantur.

Plantago. Cap. LVIII

HEmison arnoglosso propriũ uolumen dicauit, laudes abunde complexus. Duo genera plãtaginis, minor angustioribus uiret foliis, minoribus, mollioribus, læuioribus atq; tenuioribus, caule anguloso, in terram inclinato, flore pallido, semine cacuminibus caulium emicãte. Hanc officinas, quoniam folium arctius desinit in acumen, & uelut in lanceæ mucronem fastigiatur, *lanceolatam* audio sæpius appellare, uulgus *lancecolam*. quandoquidem penitus ad hanc aspirare deliniatio noscitur. Maior contrà crassior uegetiorq;, folio latiore, betaceo: caulis ei angulosus, subruber, cubiti altitudinem petens, à medio sui ad fastigium usque tenui semine uestitus, flosculo in spica lanugineo ut frumento, particulatim erumpente, radicibus tenuibus, pilosis, cãdidis, digitali crassitudine. Inuenitur in uliginosis, & circũ septa, lacunosisq;. Vtraq; nõ nisi radice foliata. suũ nomẽ ubiq; retinuit. Græci, q; folia agninæ linguæ similima sint, arnoglossum dixerunt. sed maior in angulosa spica luteũ, nonnunq; herbaceum florem ostentat. Folia plantaginis maioris betaceorũ effigiem nõ alterius oleris referunt, quod Dioscorides λαχανῶδες dixit. Nam apud Athenienses λωχανον pro beta sæpe solet sumi, à cuius foliis non multũ plantaginea uidentur abhorrere. Non enim olus intelligere potuit, cũ in exprimenda similitudine speciatim loqui nõ generatim cõueniat. Stomachũ corroborat plãtago per se sumpta in cibo cũ lente alicæue sorbitione. Spirãdi difficultati succo uel cibo medet. Abstergit fastidiũ, crudítates q; digerit decocta cauliũ modo. Renibus prodest eiusdẽ cibus. Interaneorũ uitijs occurrit mane sumpta duabus linguis, & tertia papaueris in uini nõ ueteris cyathis quatuor. Datur somnũ ineũtibus addito nitro seu polenta, simul si post cibũ detur. Colo infundit uel hemina succi uel in febri. Dysentericis datur, uel succus eius ex alica sumit. Lichenis fœdo malo medetur trita. Vitia sedis et attritus celerrimè sanat. Ex aqua mulsa duabus horis ante accessionẽ pota duab. drachmis tertianas leniores facit, uel succus radicis madefactæ uel tusæ, uel ipsa radix trita in aqua ferro calfacta. Quidã ternas radices in tribus cyathis aquę dedere. ijdem in quartanis quaternas fecerũt. Hydropicos sanat in cibo cũ prius panẽ siccũ comederint sine potu. Folia podagras refrigerãt, et in primo impetu podagræ rubẽtis, hoc est calidæ cõueniũt. Oris ulcera succus emẽdat, & folia radicesq; cõmanducata, uel si rheumatismo laboret os. Vitio rectionis sanguinis idẽ medet. Phthisim sanat si bibat, et ipsa decocta in uino cũ sale et oleo à somno matutino refrigerat. Eadẽ datur cibũ non sentiẽtibus, quos atrophos uocãt, interpositis diebus. Comitiales emẽdat, strumis medet. Cũ uerbenaca digitorũ uitijs omnibus & præsertim pterigijs succurrit. Panos cũ sale sanat. Semen in uino tritũ uel ipsa ex aceto cocta dysentericis datur, uel succus ex eius alica sumit. Ambusta sanãtur plantagine, ita ut cicatrix fallat. Neruis & articulis conuenit cum sale. Sanguinẽ claudit ex ubere fluentem. Carbũculos rumpit tusa. Hydropicos sanat in cibo. Eruptiones & pituitas emendat. Medetur cum creta cimolia igni sacro etiam medium hominem ambienti, zoster uocatur, & enecat

enecat si cinxerit. Luxatis dolores & tumores tollunt folia tusa addito sale modico. Fistulis infusus succus auxilio est. Sanguinis profluuium sistit semen, si ore reiciatur, siue aluo fluat, siue fœminarũ utero. Succus uomentibus sanguinem datur. Contusis, euersis omnibus modis ipsa sumitur. Medetur omnium generũ ulceribus, peculiariter fœminarum, senum, & infantiũ igne mollita, melior & cum cerato. Crassa ulcerum labra purgat, nomas sistit. Tritã suis foliis integere oportet suppurationes, collectiones, sinus ulcerum. Phthiriasi resistit. nanque in sanguine hominis nascuntur animalia corpus exesura. Contusis & euersis omnibus modis sumitur. Imponitur in lana, in dolore uuluæ: in strangulatu bibitur. Folia menses pellunt. Vis foliorum mira in densando siccandoq; corpore ut testatur Dioscorides: ideo ad ulcera quæ cacoethe uocãtur, & elephantias illinuntur. Conueniũt & ad ea quæ humore scatent ulcera: itẽ ad sordida, & quæ purgari facile nequeunt. Nulla res æque sistit eruptiones sanguinis, nomas, carbunculos, mala serpẽtia. Vlcera uetera & inæqualia si apponantur persanant, & ad planũ reducunt. Medentur & ijs quæ chironia nuncupãtur. Sinus glutinãt. Morsibus canũ, ambustis, collectionibus prosunt. Parotidas panosq; discutiunt. Strumas & ægilopiã cum sale cõpescunt. Coctum ex ea olus in aceto & sale dysentericis & cœliacis datur. Coquitur cum lenticula eodẽ quo beta more hydropicis. Si id uitiũ hæret, cui leucophlegmatiæ nomẽ est, tumoribus inæqualiter per corpus totũ exoriẽtibus, elixa datur herba, cũ prius panem siccũ comederint, ut media cibis interueniat. Comitialibus eadẽ laudatur atq; suspiriosis. Foliorũ succus oris ulcera collutione siccat. Cum creta cimolia & ceruſa medet ignibus sacris. Fistulas sanat infusus. Auriũ doloribus instillatur: itẽ lippitudini & collyrijs addit. Gingiuis sanguine prægnantibus prodest. Reiectiones cruentas coercet. Dysentericis subter in aluũ injicitur. In corporis tabe proficit. In uellere subditus, locosas mulieres strangulatu liberat. sistit & uuluarum fluxiones. Semen in uino potũ sanguinis excreationes cohibet. Dentiũ dolores radix cõmanducata sedat, itẽ si decoctæ succo colluantur. Ad uesicæ ulcera, renumq; uitia, eadẽ cum foliis in passo præbet. Quidã ternas radices in uini cyathis tribus cũ pari aquæ modo in tertianis potãdas dedere, & in quartanis quaternas. Produnt etiã si quis illigatam lycio radicem è collo suspẽderit, prohiberi strumas & discuti. Cæterũ plantaginis genera refrigerãt & siccãt in altero abscessu, nõnihil austeri gustatu repræsentãt: quare inflãmationes mitigant. Fistulas & omne genus ulcerũ ad cicatricẽ reducunt. Fluctiones cohibent. Retinent quæ serpũt, sanguinisq; ruentis impetũ infrenant. Resiccãt sine uellicatione, quamuis aliquam resipiant acerbitatem.

Sion, Lauer. Cap. LIX

Sion seu lauer Dioscorides repręsentauit frutice pusillo, pro in fluentib. aquis emicante, habitu subrecto pinguiq;, latis ac luxuriantibus foliis, olusatro similibus, minoribus tantum, odoratisq;. quæ deliniatio prorsus astipulatur huic, quam officinæ *berulam* uocant expunctis à lauere duabus literis priori bus, *laberlam* Gallicum uulgus, uel *berlam* adhuc appellat. In quo nomine ueteris uocabuli relucent uestigia, ut quod antiquitas lauer dixerit, sequuta ætas diminutione gaudens, *lauerulum* pronunciarit: & tandem, ut in pleriscq; moris est, extritis prioribus elemẽtis in *uerulum* & *berulum*, appellationem deflexit. Porrò si attributas ei uires experiri placuerit, inuenies herbam hanc & calculos pellere & urinas moliri. Quinetiã nostrates medici ciundo lotio & ejciundis arenulis usum eius, quam berulam uocari diximus, commendant. Sed ne forsitan ijs nomenclationũ aucupijs uidear credulis lectoribus imponere, singulis herbæ liniamẽtis hãc esse demõstrabimus. Nam berula riuulis gaudet, frutice pingui, pusilloq;, latis foliis, olusatro similibus, odoratis. Nõ sunt audiendi qui herbã uulgo *cressionem* dictã, sion seu lauer esse cõtendant, cũ & foliũ eius apertissimè refragẽt, in tumq; reclamet odor. Nam nusq;, si quis nares cõsulat, cressionũ folia uti laueris inueniet odorata, sed nasturtiũ uel erucã subolentia: laueris uerò digitis leniter friata iucundũ expirant odorẽ. Plinius lauer uigesimosexto uolumine, quanq; mendose silaus scriberet, desig nauit apij similitudine: dein glareosis et perẽnibus riuis nasci tradit, coquiq; ut olus atrum magna uesicę utilitate. Hallucinant qui hoc Plinij lauer ꝓ cressionibus accipiunt, folio eui dẽter repugnãte, quod cũ primũ emicat rotundũ profert, & simul atq; adoleuit in erucę folium laciniat, quod foliũ ab apio prorsus dissidere nemo iam ibit inficias: sed hoc idẽ esse

cum sio

cum sio uerisimilius est, cum nec uiribus, nec habitu, nec etiã natalibus dissentiat. Plinius uigesimo secundo prodidit, sion in aqua nasci, latius apio, pinguius, nigrius, copiosum semine, sapore nasturtij, ita ut uno loco græca nomenclatio, alio latina ei placuerit. Athenæus authore Speusippo, secundo similium uolumine tradit, sion in aquis gigni, folio palustris apij: quapropter Ptolemæus Aegyptiorum rex secundus, censuit apud Homerum hoc carmen sic esse legendum,

ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ σίου ἠδὲ σελίνου. id est,

Mollia prata uirent apio circumq; sioq;.

Non aũt ἴου, id est uiolæ, sicuti literatores quidam scribendũ præcipiebant. Siquidẽ sia dergunt in aquis, palustri apio uernacula. Violæ uero, quæ Græcis ἴα nominãtur, nec perennibus riuis sunt familiares, nec usq; aquarũ alumnæ cõperiuntur. Sion, ut Galenus est author, quatenus nõnihil aromatis gustui resipit, eatenus excalfaciendi naturã sortitur. Discutit aũt, urinas ciet, renũ calculos terit, remoratos pellit menses. Sij cuiusdam herbarius Crateuas mentionẽ fecit, fruticeæ naturę, pauca ferentis folia, in orbemq; circũacta, maiora q; menthæ, ad erucã spectantia. quod genus apud aquas frequenter inuenitur. Sion coctum crudũq; calculos eijcit & cõminuit: ualet urinis, partubus pellẽdis, mulierũq; mensibus. Dysentericis mãditur siue ipsum in cibo sumptum, siue ius decocti, siue semen è uino drachmis duabus calculos rũpit, aquisq; quæ gignũt eos resistit. Renibus, & lienibus prodest: item lentigini illitũ. Et mulierũ uitijs in facie noctu perlitũ momẽto cutem emendat. Ramices lenit & scabiem equorũ.

Sisymbrium. Cap. LX

IAm ad sisymbrium transeamus, quo montes plerisq; scatent. Lætissimum tamen nascitur circa piscinas, stagna, & in puteorum parietibus. Prouenit, ut Dioscoridi placet, in incultis, hortensi menthę proximum, latioribus tantum foliis & odoratioribus. Hoc nũc nostrates officinæ *mentam aquatilem* aut *thymbream* appellant, q̃ quandam menthæ speciem exprimat, & riguos tractus plerunq; sequatur. Mentham aliquantũ odore præcellit, quare non immerito rusticorum coronis dicabatur. Nec folio tantum hodie apud nos, sed etiam flore coronat. Hoc si sysmbrium, ut quod suapte natura ferum sit, uidetur culturam aspernari. Nam in incultis nasci gaudet: quamuis satiui cuiusdam & altilis sisymbrij meminerit Theophrastus quinto de plantarum causis, quod neglectum in mentham odore tradit degenerare, nisi cultu crebro coerceatur, sibiq; nouos natales quotannis adsciscat, præsertim cum id olitor non excoluerit, uel certe solitam non impenderit curam. Tum enim radices altius agit, quam in partem tota uis conuersa decumbit: eaq; superiores partes spoliatæ redduntur infirmiores, & illam odoris fragrantiam exuunt, quæ postquam exoleuit, reliquus odor elangescens edomitusq; proximè ad mentham accedit. Sic itaq; sisymbrium in mentham desciscere similitudine quadam odoris putandum est, speciei tamen ingenijq; prioris omnino non oblitum. Quod ne patiatur, olitoriæ rei prudentes sæpius transferendum præcipiũt. satiuum ergo sisymbriũ esse nemo potest inficiari. Quod est simile ueri, cultu detracta uoluntarij feritate in hortis cõmitescere, ut permulta uidemus quæ culturę negligẽtia in syluestrium sortem redeunt, aut mutata nonnunquã specie, ad alias stirpes deficiant. Id coniectura quadã possumus consequi, non aliud esse quàm quod uocant seplasiarij *balsamitam*, omnibus nobilem, folio menthæ, serrato, nigriore, & paulo rotundiore, quadrato caule, quadamtenus purpurascente, floscułis internodia geniculatim coronantibus, uerticillato semper ambitu: reliqua mentham æmulatur, sed odorem acriusculum uibrat, qua dote coronis inseritur æstiuis. Sisymbrium odore, si credimus authoribus, in mentham commeat, neglectum aspectu in nepetam. Sisymbrion, quod aliqui cymbron appellant, ut Damageron tradit, solo gaudet aprico, situq; sole iugiter illustrato, sed arboribus expediatur, quæ areas inopacent. nanque multo lætius prouenit cum libero fruitur cælo. Alitur sub terra & adolescit. Seritur semine et surculo. Semine satum nõ ante trimatũ fructũ dabit. Si quis tamen à radicis capite decerptã gemmam, quam oculũ aliqui uocant, pangat, eodẽ anno, ut inqt, fructũ creabit. Calfaciẽdi naturã habet, uomitiões sedat, singultus et tormina discutit, stomachi dissolutiões siue cibo sumptũ siue cũ uino. Tenera cacumina turionesue acetarijs inspargũtur, & quotidianis iuribus innatant. Aliud habetur sisymbrium cognomento

mento cardamine, quòd nasturtium sapore uideatur imitari, quasi nasturcinũ interpretetur, omnibus ignotum medicis (pace semper eruditorũ dixerim) & his quoq; qui suis humeris medicorum gymnasia fulcire uidentur: qui nuper cõmentarijs in Dioscoridem ædi tis, quasi de medicinali materia esset actum, re prorsus deplorata, non nisi lugubribus qui busdam declamatiunculis sua scripta referciunt, ut potius rem medicam tenebris obuolu tam reliquerint, q̃ herbulas nullis temere rusticis incognitas, quibus & ipsimet quotidie uescantur, ab ignorantiæ caligínibus asseruerint. Nec mihi de posteritate bene mereri uidentur, qui hanc prouinciã aggressi, nihil aliud q̃ aniles rerum protritarũ interpretatiũcu las præstiterunt, oratorem magis agentes q̃ medicũ. quod si fecissent, nostro labori consu luissent. Sed iam ad institutũ redeamus, & quid sit sisymbriũ cardamine declaremus. Eam quoq; esse herbã nemo negabit, cui tota Dioscoridis pictura, nulla reclamante nota, fauet. Officinæ hanc *nasturcium aquaticum* uocãt, uulgus *cressionem*. Hæc mensas & cibatus ferè pi sculentos inchoat, uerna satiat ieiunia. Herba hæc riguorum uernacula, & laueris comes, nusq; non aquatilibus nascitur: quam cum nasturtiũ resipiat, cardaminem, id est nasturtia nam uocant. Cæterũ officinæ non græco cognominatu norunt, sed potius gustus iudicio fretæ, simul à natalibus & sapore, tanq; rei nouæ, nasturtij aquatici nomen indiderant: folio inter initia cum emicat orbiculato, quod simul atq; succreuit, in foliũ erucæ laciniatim finditur. nanq; cressio cum primũ prosilit, folio rotundo conspicitur: cum adoleuit, in erucæ folia degenerat. Nec ei desunt uires à ueteribus assignatæ. Nam cum lotiũ hæret, medici huius decocto uel crudi esu urinas mouent, & calculos cõminuunt. estur quotidie primis mensis. Nec exacte noueris nasturtianũ sisymbrium, nisi iuuẽtam primum, & deinde senectam herbæ diligenter perspicias. Mutant enim folia faciem. nanq; ineunte pueritia, primoq; eorũ ortu rotunda prodeunt: adulta uero, iam erucæ modo laciniantur. His paucis in re notissima deliniamentis Dioscorides contentus est. Verũ ut reliquam prosequar finitionem, caule prosilit cauo, sesquipedali, ima sui parte pluribus radicularũ fibris subin de capillato, è cuius alarum cauis cirri frequentes sinuatim erumpunt, cãdidulo flore. Ramuli in aquis, cum insenuerunt, etiam candicantibus capillamentis articulatim cõfibrantur, quæ seniles canos aliquatenus repræsentent. Galenus sisymbriũ, quod cardaminẽ cognominat, q̃ gustatu nescio quid simile nasturtio resipiat, testatur cum exiccatũ flaccuit, tertij excalfacientiũ & exiccantium ordinis esse: cum adhuc humidũ uiret, secũdi. cui sententiæ Paulus accedit. Plinius syluestris meminit sisymbrij, quod in riguis nascitur, nasturtio simile, gustu uidelicet: & alterius etiam odorati, quod inseritur coronis. Vtriusq; uires simul prosequitur. Igitur apud Plinium sylueſtre sisymbriũ cressio est, nõ ut aliqui existimauere lauer aut sion. Aliud genus quod circa piscinas & stagna lætissimũ prodit, & corollis intorquetur, *mentam* nunc uocant *aquaticam*. Sed de sio multa ad hunc locũ pertinentia diximus. Natura sisymbrij excalfacere. Semen in uino strangurias finit, calculos frangit, tormina singultusq; cohibet. Cõtra capitis dolores folia fronti et tẽporibus illinunt. efficacia aduersus aculeata animalia, ut apes & uespas. In potu uomitiões sistit. Sylueſtre sisymbrium, à quibusdã thymbræũ appellatũ, pedali altitudine in riguis enatũ sedat capitis dolorem: item epiphoras. alij panem addunt, alij per se decoquũt in uino. Sanat epinyctidas, cutisq; uitia in facie mulierum noctibus impositum diebusq; detractum. Vomitiones, singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibet siue in cibo sumptum siue succo potum. Non edendũ grauidis nisi mortuo cõceptu. quippe etiam impositũ eijcit. Mouet urinam cum uino potũ. Calculos exturbat. Quos uigilare opus sit excitat infusum capiti cũ aceto. Satiuũ sisymbriũ, Damegeron tradit ciborũ auiditatẽ moliri, fastidia discutere, urinas ciere. Porrò sisymbriũ quod cardaminẽ cognominant, quia sapore similis sit nasturtio, excalfactorij est generis: urinã pellit, ad quem usum quoq; crudũ estur. Idem mulierũ uitijs in facie lentiginibusq; nocte tota impositum, & ubi dies illuxit detractum, emendat.

De Crethmo & Bati. Cap. LXI

BAtim duplicem ueteres prodiderunt. unam marinã quam Græci crethmon siue potius crithamon dicunt. Hæc fruticosa est herbula, cubitum unum alta. nascitur in maritimis, petrosis, folio copioso, pingui, albicante ueluti portulacæ, sed crassiore, latiusculo, & salso gustu, floribus candidis. semen ceu libanotidis

libanotidis odoratum, molle, siccatum rumpitur. Habet intus nucleum tritici modo candidum, radices digiti crassitudine tres aut quatuor, odorati saporis & iucundi. Hanc officinæ simul cum uulgo *cretham* uocant *marinam*, defertur ad nos sale & aceto condita. Altera batis hortensiana, quam Plinius asparagũ Gallicum quibusdam dici tradit, Lucius Columella olus cordum, caule palmum erecto, folio pingui, albicãte ueluti portulacæ, gustu nõ insulso, flore candido, feruenti semine, odorato ceu rorismarini, radicibus digiti crassitudi ne tribus quatuor ue, ramis duobus ultro citróque actis, cætera marinæ similis, ita ut ipsa cultu mitigata feritate uideatur in hortis commitescere. semen quoque tritici modo siccatur, ruptumq; intus candidũ ostentat nucleum. Hæc apud nos ab olitoribus ad quotidianos usus consita, nonnusq; spectatur comprehendisse. Vulgus nostrum *bacilas* quasi batí culas ab Italis appellare didicit. Meminit Plinius sylueſtris crethmi, quasi & satiuus esset, uigesimoquinto uolumine dicẽs, Crethmos agrios gramias oculorũ tollit, tumoremq; ad dita polenta. Batis appetente uindemia cõdiri debet. Hinc olus cordum quasi serotinum, non aliàs q; fœnum autumnale, id est secundariũ, & quod Augusto mense uellitur, cordũ appellari Plinius cõmemorat. Diligenter satiua batis purgatur, & sub umbra expanditur, deinde quarto die sal in fideliarum fundis substernitur. Separatim batis componitur, aceto q; infuso sal iterum superponitur. sic in alueos coacta, & sale biduo cõsperſa dum consudet reponitur: dein si tantum remiserit humoris, ut suo sibi iure ablui possit, si minus, superfusa dura muria lauatur, & pondere impositio exprimit: tum suo uase cõditur, & ius quod est mistum duabus partibus aceti & una muriæ infunditur, fœniculiq; aridi, quod est per uindemiam proximo anno lectum, spissamentũ imponitur, ita ut herbam deprimat, & ius usq; in summum labrum fideliæ perueniat. Verum de condítura non satis inter Plinium & Columellam conuenit: quandoquidem Plinius unà cum Dioscoride seruãdum in muria olus prodidit. contrà, Columella portulacæ & batí muriam non conuenire contendit. Neque ista pugnare mihi uidẽtur, cum Plinius de crethmo ceu batí marina loquatur unà cũ Dioscoride, qui satiuæ nullam rationem habuit: Columella tantum altilis & hortensianæ condituram prosecutus est. quam, si non satis remiserit liquoris, ut suo iure proluatur, dura muria lauandam præcipit: & tandem expresſu facto, ius quod est mixtum ex duabus partibus aceti & una muriæ, uasi quo reconditur infundendũ. Vides itaq; Columellę uerbis hanc batis cõdituram muriæ prorsus non expertem. Meram ergo muriam his uerbis batí & portulacæ non cõuenire uoluit, cum duas aceti portiones adiectas facile deprehendas. Hallucinatur itaque Dioscoridis interpres recentior, qui hac authoritate nixus, cõtra Plinij & Græcorum sententiam sale cõdiendam prodidit, interpollato uocabuli Græci significatu ἁλμόνερ, quod est muria seruatur. Is suo fretus sensu ab optimis authoribus desciuisse dignoscitur, nudam sequutus authoritatem Columellæ, quæ ipsi non astipulatur, nec hoc iudicio subscribit, imò potius refragatur. Parũ itaq; sibi constaret Columella, qui muriam batí non conuenire duodecimo rei rusticæ uolumine capite decimotertio profitetur, & paulo superius septimo eiusdem capitulo, muriam batis condituræ bis adiecit duram & liquidam, solam sine aceto sicuti plurimis oleribus non conuenire, ex præcedentibus inuenisse cognoscitur. Sed de ijs hactenus. Batis tam hortensiana q; marina medicinę nascũtur, oblectamenta uerius q; cibi. Batis aluum emollit. Illinitur podagris tosta & contusa. Marina nascitur in petrosis. Estur cruda coctáue cum olere. Seruatur in muria. Vsus eius ad urinę difficultates, strangurias, & auriginem, folio uel semine uel radice in uino decoctis. Mouet menses, colorem quoq; corporis gratiorem facit, uerum largior quoque inflationes. Aluum soluit decocto, urinamq; & à renibus dolorem trahit. Vtilis quoq; tradi tur internis fœminarum morbis.

Coronopus. Cap. LXII

Coronopum, siue, si dicere malis, cornicis pedem inter aculeatas sponteq; nascentes herbas Theophrastus retulit. Interim tamen medicinæ ad usum seri Plinius cõmemorat, qui oblongam esse herbam cum fissuris, cauliculis per terram serpẽtibus designauit. Dioscorides herbulam esse oblongam tradit, repentem per humum, fissis foliis. Coquitur pro olere. Radicem mittit gracilem, cibo adstringentẽ, quæ cœliacis præclarè faciat. Aculeorũ, quod maxime demiror, nusquam

nuſquã meminit, qui in explicãda deliniatione non fuerant ſilentio diſſimulandi. Sed per multa pridem notiora fuere, & ut ſingularum notarum expoſitionem deſiderarent, quæ nũc niſi magno labore cognoſci poſſunt, præſertim cum uel unica herbæ prætermiſſa nota, magnam caligínem uiris etiã peritis offundat. Sed Leonicenus noſter primus hanc uulgari uernaculaq; nomenclatura declarauit, uir dignus cui multum rerum bonarũ ſtudioſi deferant, cum nutanti medicæ rei primus manum præbuerit adiutricem, laborantemq; prorſus artem fulciuerit, de poſteritate quamoptime meritus, *capriolam* uulgo dici cenſet, nonnunquam etiam *ſanguinariam*, quòd naribus indita ſanguinem eliciat. Noſtri nunc olitores *dentem canis* ab acumine folij uocant, quanquam eodem nomine gramen appellent. nam huius folia fiſſa reptant humi, ſed in faſtigio ſunt aculei, quos conuolutos naribus inferunt extrahuntq; ciendi ſanguinis gratia. Hanc generibus graminis Plinius aſſignauit, nobis exprimens eandem eſſe quam Græci coronopum, & Romani gramen uocarent aculeatum. Verum ea ſtylum ædit, cuius cacumẽ quinis digitis uelut aculeis echinatur, ſic ut aperte cornicis pedem repreſentet. Magno nunc in errore uerſantur, cum officinę tum herbarij, qui coruinum pedem uolunt herbam eſſe folijs ferè coriandri, latioribus, ſubalbidis, pinguibus, flore luteo: caule gracili, cubitum alto: radice alba, breui, multis fibris ellebori modo capillata. Longe diuerſam ergo herbam à coronopo facile deprehendes, cum olerum modo coronopus eſtur. Sed officinarum coruinus pes ulcerandi uim obtinet, cuius contactu puſtulæ ambuſti modo corporibus attolluntur, ſæpeq; confricta carnem oſſe tenus exeſt. Quæ exulcerandi licentia cum omnibus tum maxime ijs eſt impoſtoribus cognita, qui crura & lacertos ſibi huius illitu uulnerant, quo ſtipem impudentius emendicent, aut quamuis pecuniolam aucupẽtur. Manifeſtè igitur abhorret ab uſu cibario. Item per humũ ſerpit coronopus, breuibus coliculis: in altum erigitur pes coruí, et faſtigio aſſurgit cubitali. ille aculeatorum generi aſſignatur, is nullis prorſus inhorreſcit ſpinis. Quę ergo ab herbarijs uulgo coruinus pes dicitur, eſſe ranunculum apud Dioſcoridẽ Pliniũq; fatendum eſt, cum & ulcerariæ uires nobis aſtipulentur, nulláque picturæ nota reclamet. Sed non ab re uenit in mentem illius herbulæ quæ protritis itineribus & ſemitis paſſim uiret, quaſi pedibus calcari lætetur, humi ſemper ſparſa proſerpit, folio in multas parteis laciniato, ſeſſilibus coliculis, flore candido, exili, inuolucris ſeminum orbicularibus, per ambitum echinatis, in quibus duplices prominulo uentre ſinus extuberant, ſinguli ſingulorum ſeminum capaces. Vulgus quòd folium multipartito conſectum, in ceruini cornus imaginem effigietur, hoc ei nomen non immerito dicauit. Verum quænam apud ueteres haberetur, nunc non auſim aſſerere, niſi forſitan pes eſſet miluinus, cuius Columella meminit, ſed nullis eam deliniamentis deſignauit. Auxit ſuſpicionem noſtram, quòd extremum folij in auiculæ aut miluí pedem articulatur, ſimul etiam quòd cruda eſtur in acetarijs, & cocta cũ aceto & ſale mãditur. Nec cõdiendi quoq; ratio noſtro adhuc orbe exoleuit. Nam portulacæ modo condita apud pleroſq; reſeruatur. Nec eſt ſimile ueri, ut uel priſcis ignota, uel certè potius intacta fuerit herba, quæ nõ prætereunda eſt hac reputatione. Ea ab ſimilitudine ceruini cornus nomen inuenit. Naſcitur in limitibus, ſe nunquã ab humo ſuſtollens: cylindro æquatam dixeris, ita ſolo cohæret. Coronopi radix cœliacis præclarè facit in cinere toſta, eſt enim ſpiſſantis naturæ. Cocta herba manditur pro olere. Naſcitur domi in terrenis & ſecus uias.

Sonchus. Cap. LXIII

SOnchus in duo genera dirimitur. alterum, ſylueſtrius & ſpinoſius exit: alterum, tenerius eſculentumq;, caule cubitali, anguloſo, intus cauo, interim rubeſcẽte, ſed qui fractus copioſo lacte manet, folijs per oras exinteruallo ſciſſis. Sonchi lactucæ ſimiles eſſent, niſi horrerent ſpinis. Herba, ut Galenus eſt author, cum tenera frondet eſtur ſylueſtrium olerum more, aculeatur autem cum perfectè adoleuerit. Dioſcorides cicerbitam à Romanis dici prodidit, quod nomen adhuc hodie in Hetruria ſeruatur. Veneti *lactucinos*, Galli *lacterones* appellant, herbarij nonnulli *leporis palatium*, quòd hoc animal ut ab æſtu uindicetur, & caloris propulſet incommoda, ſoleat ſub ramis eius decumbere & ſæpenumero ſtabulari. Hæc eadem forſitã eſt quæ ab Apuleio lactuca leporina nominatur, quòd cum leporem animus defecit æſtu,

hac ſibi ſolet mederi. quamuis pilos qui obſtant oculis, hac inquiat religari: quæ à Dioſcoride & Plinio de chondrilla traduntur. Sonchus diſſectus copioſo diffluit lacte, icticq; uulnus multum eructat lactei liquoris, inde *lacterones*, uel potius *laſſerones* noſtrum uulgus appellare cœpit. Nonnulli cum recentior uiret, in acetarijs eo ueſcuntur. Sunt tamen qui duplici colorum differentia notent. Candidum caule ſeſquipedali, cõcauo, longo, qui uulneratus plurimo madet lacte. Nigrum, horridioribus tantum ſpinarum aculeis diſſidere: ſed eo ueſci prohibent ut morbos faciente. Sunt qui credant eam eſſe ſonchum quam nũc officinæ *ſcariolam* uocant, quorum error eſt manifeſtior q̃ ut debeat coargui. Vis utriq; ſoncho refrigeratoria, & leniter ſubſtringens. Ambo feruoribus ſtomachi & inflammationibus commodè illinuntur. Datur in ſorbitionem ſuccus ſtomachi roſionibus. Caulis facit lactis abundantiam nutricibus, coloremq; meliorem infantium. Vtiliſſimus ijs quæ lac ſibi coire ſentiant. Inſtillaturq; auribus ſuccus, in ſtranguriaq; bibitur cyathi menſura. Illinitur & ſedis collectionibus. Aduerſus ſcorpionũ uenena & herba et radix opponitur. Contra etiam ſerpẽtes illinitur. Decocta in oleo punici mali calyce auriũ morbis præſidiũ eſt. Sed hęc de albo tradũtur. Alij nigro prohibent ueſci, ut morbos faciente. Agathocles contra ſanguinem tauri demonſtrat ſucco eius utendum. Refrigeratricẽ nigro ineſſe uim conuenit, & hac cauſa imponendum cum polenta. Zeno radice albi ſtranguriam docet ſanari. Albus, qui è lacte nitor, utilis orthopnoicis lactucarũ modo. Eraſiſtratus calculos per urinam pelli eo monſtrat, & oris graueolentiam commanducato corrigi. Succus triũ obolorum menſura in uino albo et oleo calfactus adiuuat partus, ita ut à potu ambulent grauidæ. Vberiores mammas fœminis facit.

Intubus & ſeris. Cap. LXIIII

SErin Græci in duo faſtigia partiuntur, in ſatiuã & ſylueſtrem. Sic & intubum Latini in duo genera digeſſerunt, in ſatiuum, qui nõ niſi cultu & humana diligentia prouenit: & erraticum, qui ſuæ ſpontis & liber, ſub nulla olitoris lege uagatur & errat. Satiuus iterum intubus in duas ſpecies diſtrahitur. Vna folio latiore prodit, lactucarum ſimilior: altera, anguſtiore & ſubamara. Vtraque nũc ab officinis *ſcariola* uocatur, à uulgo *cichorium hortenſe*. Ineunte uere, caulem floręq; ſimul ædit: ſed particulatim floret, unaq; cum emerſerit ramuſculorum flos emicat cæruleus, caule magno, frequentibus ſurculis brachiato. Fert ſiliquam ſiue folliculum, & in ea ſemen per extrema caulium. Germinat foliatu ſtatim ab radice uenoſo, torulis prominentibus, latioribus interuenijs. Hyemẽ intubus optimè ſuſtinet. ideo uel frigidis regionibus proximo autumno ſeri poteſt, aprico cęli ſtatu. Is quò tardius caulem faciat, cum aliquod incrementum habuerit, exiguam teſtam media parte accipiat. eo quaſi onere coercitus, in latitudinem ſe diffundit. Amat humores & ſolutam terram, ſed planior area huic appetitur, ne radices terra fugiente nudentur. Quatuor foliorum trãsferatur ad locum ſtercoratum. Sed ut hyemi ſeruiat, Octobri menſe ieritur. Nunc ut ad hyberna ſeruetur acetaria, cum folia ſua fuderit, ea uelut in orbem circumacta, ſummatim tenui ligamento uinciuntur, & fictili uaſculo hærente ſemper quò alimentum ſugant radice, conduntur. ita & candorem & teneritudinem ſummam contrahunt, & magnam amaroris partem exuunt. Sic ergo & incremento proficientes intubi hybernant, donec ad uſum promantur. Alij leuiore ſumptu contenti, terra duntaxat obruunt. Alij ſtramentis ſolis operiunt. Iam ferè nuſquam non inualuit hæc hyemandi ratio. Item conditur ad hunc modum, ut ſi forſitan hyemis inclementia deneget, eius ſalgamum inueniatur. Teneri caules, antequam florem ædant, cum ſuis folijs in alueolo ſaliuntur: dein poſtridie quàm muriam remiſerunt ea proluuntur, expreſſiq; in cratibus panduntur dum abſicceſcant: tum ſubſtrato anetho arido, fœniculoq;, faſciculi intuborum conduntur, & ius quod acceperit aceti partes duas & unam muriæ ſuperfunditur, & arido fœniculi ſpiſſamento ſic oportet comprimi, ut ſemper ius enatet. Sed qui præeſt huic negotio, ſi ſalgamum ſitiat, ius antedictum ſuffundet. Erraticus iterum intubus in duas ſpecies degenerat. Vna cichorium dicitur, nobilior Aegyptio nomine q̃ Latino. à Romanis nominatur ambubeia, ut Plinio placet, quod & Celſus confirmat. Germinat à radice poſt Vergilias, folio ferè ſemper humi procumbente, caule magno, fiſtuloſo, frangi contumace, ſurculis brachiato pluribus, ad uinctum quoq; lentis,

radice

radice prolixa, pertinaciter emoriente, flore cæruleo, particulatim usq; in autumnũ erumpente, qui nubilo etiam die solis exortu panditur, & cum eo circumagitur in occasum, nocturno semper cõpressus & interdiu dehiscens. Hanc nonnulli ob singularem utilitatem chreston appellauerunt: quidã, quòd aduersus omnia corporis uitia polleat, pancration: non nulli, ab insigni amaritudine, picrida. Altera folio latiore prodit quam hedypnoida cognominant, & *leonis dens* uulgari uoce dicta creditur, folio utrinq; denticulato, cauliculis dodrantalibus, intus cõcauis, leuibus & glabris, flore luteo summatim emicãte. Is senescens euanescit in lanuginem quę cum aura raptim fertur. Nemo tamen Dioscoridis pictura potest assequi eam esse, quæ *leonis dens* uulgo nominatur, sed maxima foliorum similitudine, & maiore aliquanto latitudine. Intubi nomen iam Galeni memoria uenerat in Græciam, qui cichorium Romano sermone dici intybolachanum, id est intybaceum olus memorat. Testatur itidem Paulus Aegineta, qui frequenter latina intubi appellatione est usus, quæ tandem per interpretes ad nos interpollata rediit, remanente Græcorum pronunciatu, qui suo more pro intubo solent indiuum proferre. hinc mutata principe litera, endiuiæ uocabulum profluxisse cognoscitur, retento etiam priore significatu. Nec me præterit recentiorum aliquot Græcorum, intubam tandem herbam pro intubacea pronunciasse. Verum herbarij ueteres, qui hanc uocem usurparunt, non aliud per endiuiam intellexerunt, quàm satiuam scariolam nunc nominatam & syluestrem, quæ notior ubique Aegyptio nomine, quo primum in Græciam, dein in cæteras nationes commigrauit, quàm gentili aut patrio. Explodenda igitur herbariorum opinio, qui endiuiæ uocabulo herbam repræsentant, in aruis sponte nascentem, folio lactucæ, pusillo, ubi consummatum est aculeato, caule spinulis horridulo, candicante, cui succus inest lacteus, quæ notæ syluestri lactucæ peculiariter assignantur. Decoctum huius sacharo condiunt officinæ, cuius tantus increbuit usus, ut nulla non ferè sinistra ualetudine à medicis præbeatur, utinam tam salubriter quàm inscite. Nec satis possum demirari, quid fuerit causæ, cur pro re tam salutari, ut suo nomine morborum omnium uictoriam polliceretur, tamq; ab omnibus authoribus commendata, herbam ad pauca utilem substituerint. Melius ægris, ut spero, consultum, si hoc intybo pro syluestri lactuca frequẽtius uterentur. Seris utraque refrigerat & astringit, stomachum adiuuat. si in aceto coquatur, cibo sistit uentrem. Syluestre genus stomacho utilius, quando deuoratum torpentem & dissolutum astringit. ardores in eo refrigerat. Per se & cum polenta cardiacis illinitur. Omnes podagricis utiles, & contra oculorum impetus. Percussis à scorpione ipsa herba & radix illitu medetur, & ignibus sacris cum polenta. Succo earum cum ceruſa & aceto inunguntur quæcunque refrigerari opus sit. Nigra & æstiua melior, deterior hyberna & candidior. Vtraque tamen stomacho utilissima, præcipuè quem humor uexat. Dysentericis prodest magis cum lente. Rupta, conuulsa, utroque genere iuuantur: item quibus genitura ualetudinis morbo effluat. Seris genera Didymus troxima dixit appellari. Cibo stomachum recreant. Succus sanguinem reijcientibus perquam utilis alterno dierum potu. Cardiacis medentur tritæ & super sinistram mammam illitę. Datur in iocineris doloribus succus, qui paulisper insolatus refrixerit. Addit, si quis post intermenstruum lunam conspiciens iureiurando præsertim astringat, se neque eam neq; equinas carnes triginta diebus esurum, nullo dentium dolore postmodum cruciari: sed hoc magicam redolet superstitionem. Petronius in totum damnauit ferim, sed aliorum omnium opinio resistit. Intubi quoque nõ extra remedia sunt. Succus eorũ cum rosaceo & aceto capitis dolores lenit. Idem cum uino potus iocineribus, & uesicæ & epiphoris imponitur. Erraticum, ambubeiam Italia uocat, in Aegypto cichorion appellant: satiuum autem, ferim, quod est minus & uenosius. Cichoriũ refrigerat. In cibo sumptum, illitumq; collectiones discutit. Succus decocti uentrem soluit: iocineri, renibus & stomacho prodest. Si in aceto coquatur, urinæ tormina discutit: item regium morbum è mulso, si sine febre sit. Vesicam adiuuat. Mulierum purgationibus decoctum in aqua adeo prodest, ut emortuos partus trahat. Adijciunt magi, succo totius cum oleo perunctos fauorabiliores fieri, & quæ uelint facilius impetrare.

Chondrilla. Cap. LXV

Chondrilla, ut placet Dioscoridi, folium, caulem, flosculum cichorio similem ædit, ideoq; inter syluestres intubos à quibusdam adnumeratur, sed per omnia tenuior intubo est. E ramulis mastichen fundit tuberculo fabæ. Hanc intubi speciem esse Galenus meminit, & eisdem præditam uiribus, paulo tamen amariorẽ, & ideo sicciorem. Aliud eidem habetur genus chondrillæ, folia habens intubi, circunrosis similia, oblonga, humi substrata, scapum lacte madentem, radice tenui, in mucronem turbinata, flauescente, succosa. Plinius tradit folia habere intubi circunrosa, caulem minus pedali, succo madentẽ amaro, radice fabæ simili, aliquando numerosa, cui succus ineſt lacteus, acer, copiosus, gummiq; proximum terræ funditur. Herbam mures à serpentibus læsi mãdunt. Hanc syluestrem endiuiam quibusdam dici audio, uerum affirmare non ausim, nisi quòd in aruis hac forma ferè inuenitur, succo usque adeo acri, ut mansus diu fauces, os et linguam uellicet, sed bicubitali proceritate uel amplius erigitur, ramis cum adoleuerit hirtis, folio intubi laciniatim serrato, prona carinæ parte horrida, supina leui glabraq;, flore luteo, speciosо. tota lacte turget amarissimo. Radix illi multiplex est, frequenti capillamento fibrata. Plorat proxime terram mastichen. sed primum genus potius uideretur, cum secundo radix, quæ turbinata traditur à Dioscoride aut à Plinio fabæ similis, respondere non inueniatur. Chondrilla è ramusculis mastichen sudat tuberculo fabæ, quæ cum myrrha in uellere ad magnitudinem oliuæ subdita, menses trahit. Tusa cum radicibus tota diuiditur in pastillos melle commisto. Hi aqua diluti cum nitro uitiligines discutiunt. Eadem inconditos palpebrarum pilos pro gummi efficacissimè reclinat. Radici recenti paruis, si acus succo eius imbuta cilijs applicetur. Succus decoctæ, uel syncerus, uel ex uino sistit aluum. Radix contra serpentes epota ualet, argumento probabili, siquidem mures agrestes læsi ab ijs hanc esse dicuntur. Sed aliud habetur chondrillæ genus folia ferens intubi, circũrosis similia, stratum humi & madentem succo scapum, radice tenui, mucronata, lactosa, cuius foliũ & cauliculi ad concoctionem sunt utiles. Natura succo inordinatos palpebrarũ pilos regere. Aliqui fœminis & oculis generationiq; uirorum contrariam putauere. Dorotheus stomacho & coctionibus utilem suis carminibus pronunciauit. Nascitur in terrosis cultisq; locis.

Cucurbita. Cap. LXVI

Cucurbitæ satiuæ duo genera prima, unum reptantibus flagellis scandens parietum aspera in tectum usq;, natura sublimitatis auida. Vires sine adminiculo standi non sunt, uelocitas pernix, leui umbra cameras, testudines ue ac pergulas operiens. In quo mirè tenui pediculo libratur pondus immobile auræ. hoc camerariũ Latini uocãt. Crescit qua cogitur forma, in uaginas uitiles coniecta, postq; defloruit: plerunq; draconis intorti figura: libertate uerò pensili concessa, iam uisa est nouem pedum longitudinis. Alterum plebeium quod humi creditur. Amat rigua ac fimum cucurbita, plurimumq; iuuatur humore. Quæ tamen sine multa rigatione conualuit, fructum iucundioris saporis præbebit. Copiam aquæ nacta minorẽ curam desiderat. Sesquipedali altitudine sulci fodiendi sunt, & tertia pars stramentis inditis tegenda: mox stercorata terra, usq; in dimidium sulcum aggerenda, positisq; seminibus tandiu est aqua præbenda, donec enascantur: atq; ubi cõualescere cœperint, adiecta humo incrementa eorũ prosequẽda, donec sulcus coæquetur. Erumpit post sextum septimũue diem. Iis quæ sicco loco mandata sunt, rigationem ministrari diligentius expediet. quare fictilia aquæ plena iuxta ponũt, inditis fascijs quæ perpetim humorem instillent. Cucurbitarum fructus aut in longum prorogatur, aut in orbem collectus intumescit, aut in breue crassamentum cogitur. Semina quæ proxima collo fuerint, proceras pariunt cucurbitas: quę in medio, rotundas: quæ lateribus, crassas breuioresq;: quæ tamen semini seruatur, antè hyemem præcidi nõ est mos. postea fumo siccantur, cõdendis hortensiorũ seminibus rusticæ supellectili. Cibis quo longiores tenuioresq; eo gratiores, ob id salubriores minimũq; seminis tales habent. quare si esculentæ merci præparabis, recto cacumine de collo cucurbitæ sumptũ semen, serendũ erit, quo prolixior & tenuior fructus enascat, qui scilicet maius cæteris inuenit pretiũ. Si uero cordi sit ut fiant incrementi uastioris, nam sunt ad usum uasorum sa-

ſorum ſatis idoneæ, de media parte cucurbitæ ſemen inuerſo cacumine ponito. Eæ cum inaruerint in uſum ueniunt cadorum uice, ad uina cõdenda, quòd aluo capaciore plus cæteris intumeant, uiatorijs ferè uaſis dicatę. Sed cuſtodiendum eſt ut quammaxime ad eum locum, in quo cucurbitæ conſitæ ſunt, mulier admittatur. nam ferè contactu eius elangueſcunt incrementa uirentium. Si uero etiam in menſtruis fuerit, uiſu quoq; tenellos fœtus enecabit: ſed ubi adoleſcere cœperint, adminiculis fulciantur. Quę ſeruãtur ad ſemina, uſque ad hyemem in ſua uite dependeãt: deinde ſublatæ in ſole ponantur aut fumo, aliter ſemina putrefacta depereunt. Quę in ceruice earum naſcuntur ſemina longas ædunt, & exiles: quæ in uentre fuerunt, cucurbitas gignunt craſſiores: quæ in fundo, latas, ſi in uniuerſis ſeminibus obruantur. quod Columella qua ratione ex eodem ſeminio hæc uarietas fieri poſſit, ſuo carmine demonſtrat ijs numeris,

Prægnansq; cucurbita ſerpit.
Vna neq; eſt illis facies, nam ſi tibi cordi
Longior eſt, gracili capitis quæ uertice pendet,
E tenui collo ſemen lege: ſiue globoſi
Corporis, atq; utero nimium quæ uaſta tumeſcit,
Ventre leges medio, ſobolem dabit illa capacem,
Naricíæ picis, aut Actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchóue lagenam:
Tum pueros eadem fluuijs innare docebit.

Cucurbita cum cucumere folio, floribus, reptantibusq; flagellis conuenit: ſed hæc in ſcandendo procacior, incremento pernici pergulas opacãs, dependente à tenui pediculo enormi ponderis fructu, coloris herbacei, pyri figura turbinato, quamuis ubi defloruit, ea quo que proueniat effigie qua cogit. Cortex muſteo tener, inueterato durus, quo carne prius exinanito peregre proficiſcentes urceorum uice frequentius utuntur in eo uina condentes, quò per uiam ſe ab excruciante ſiti poſſint uindicare. Nec cucurbita nec cucumis, ut Græcorum fert opinio, ſemen alet, ſi primum more uitium ſarmentum ſic inhumetur, ut ſolum eius caput exertum promineat, rurſumq; cum adoleuerit exaggeretur: ſed dãda eſt opera, ut quæ adnaſcentur propagines, eo tantum relicto, per medium diſſecentur. ita curatæ, fructus ſine inteſtinis ſeminibus creabunt, ſolis cartilaginibus contentę. Sine ſemine naſcentur ſi per triduum antea ſpargenda ſemina oleo ſeſamino macerentur, ita prolem ſeminibus orbam parient. Si quis præmaturos fructus habere uolet, ineunte uere terram cribro ſuccretam & ſtercoratam fictilibus aut cophinis obſerat, modicumq; præbeat humorem: deinde calidis diebus & inſolatis, aut imbre modico pluentibus ſub diuo ponat. Cæterum ſolis occaſu ſub ædificij tectum referat, idq; tandiu faciat, ſubinde rigans aqua, dum frigora, tempeſtates, & gelicidia diſcutiantur: poſtea cum primum opportunitas uocabit, totos cophinos & fictilia labro tenus demittat in terrã, reliquamq; impendat diligentiam, ſic enim præcoquem fructum habebit. Si luxuriantes earum uiticulas putaueris, longè celerius ſuos ædent fœtus. Aquas mire diligunt, & ut ijdem produnt, ſi propè in patens uaſculum aqua ſubijciatur, à quinque uel ſex digitorum interuallo ante poſterum diem adrepentes cognoſcentur deſcendiſſe. defectis aqua uaſis, reuerſi decuruãtur, uſque eo humore gaudent, & ſiccitates oderunt. Addunt, ſi florem uel primum fructus rudimẽtum, ſicut in ſua uite eſt, in forma fictili clauſeris ac ligaueris, qualem uultum figura uel hominis uel animalis, talem cucurbita uel cucumis effigiem præſtabit. Si nuper ędítos in lucem partus cum uiticularum ſuarum capitibus inſeras arũdini, cui prius omnes nodos perforaueris, ibi coaleſcent in nimiam longitudinem protenſi. Si uernos habere cucumeres optaueris, in defoſſos ſcrobes lætamine uel paleis ſemiplenos ſuperiecta humo ieiuna potu ſemina depones. Multo grandiores tam cucumeres quàm cucurbitas pariunt ſemina, quæ inueteris capitibus obruuntur. Non erodentur adoleſcentes à pulicibus, ſi origani uel cunilæ rami iuxta pangantur. ſiquidẽ iam inſidentes enecant, nouoſq; creari non patiuntur, ita omnem hanc amoliuntur peſtem. Recentes perdurabunt, ſi in ſynceram albi uini fecem picatis doliis demergantur. Itidem in muria compoſitæ incolumes perennãt. Diu uigor uitaq; manebit, ſi cadis modicum acetum cõtinentibus ita ſublimes pendeant, ne modo quouis

acetum attingant, ſed oppicanda ſunt uaſa quę huic negotio deſtinantur, ne foras acetum exiliat, ita recentes hyems tibi miniſtrabit. Diſſectæ uirentiũ taleolæ in feruentem aquam funduntur, dein exemptæ, ubi ſub diuo noctem totam refrixerint, in acri muria conditæ merguntur, ita diutiſſime ſeruantur. Cucurbitam uulgus noſtrum *courgen* uocat uel *cohurden*. Nec me præterit & officinas quaſdam & medicos etiam complures cucurbitam pro cucumi ſumere, quorum error eſt euidentior quàm ut debeat refelli. Eſt etiamnum genus unum ſylueſtris ſomphos cognominata, quia ſit inanis, digitali craſſitudine, non niſi in ſaxoſis naſcens, cucurbitã marinam nonnulli putant. De ſylueſtri quæ dicitur colocynthis ſuo loco dicetur. Diphilus cucurbitam tradit alimoniũ parum ſumminiſtrare, facile confici, habitum humectare & confeſtim aluo excerni, ſucco ualere, ſed ex aqua & aceto ſumptam ſtomachum corroborare, ſuccoſioremq; conditaneã, & cum ſinapi magis extenuare. Athenæus refert, demiratos conuiuas ſuos quòd Ianuario menſe uirides oblatæ eſſent menſis, peculiaris ſucci nõ immemores, nec proprium ſaporem ementitæ, quod olitorum ſtudio qui artem hanc percallent, referendũ putabant. Erant autem à ſalgamarijs qui condituras moliuntur afferuatæ, quamuis longè antea Nicander modum docuiſſet in georgicis. Cucurbitas aeri prius afficcatas, & funiculo transfixas fumo appendi iubet, ut refertas ijs ollas per hyemem otioſa ſorbeant ſeruitia. Iam penſiles apud nos tota hyeme cuſtodiuntur uirides, & cibis non ingratæ. Sed hæ duriores longè uulgaribus, nec tam facile labem corruptionis ſentiunt, quas citrulos à quibuſdã audio nominari, uulgus *Turcicas* appellare maluit. Aluum inanire tradũtur ſatiuæ, quarum ſemina in ſcammonio diu noctuq; maduerint. Græci uolunt earum cibo uentrem emolliri, aurium doloribus inſtillatum ſuccum mederi. Caro earum interior ſine ſemine clauis pedum opitulatur. Decoctæ ſuccus dentium motus ſtabilit, dolores inhibet. Tumores ſuppurationesq;, quæ Græcis uocantur apoſtemata, illitu mitigant. Ramenta corticis ardores infantiũ capitis deſtillationesq; quas ſiriaſin appellant, reſtinguunt illita parte qua cerebrum conditur. Podagras & oculorum epiphoras refrigerant. Succus de ſtrigmentis raſæ tam per ſe quàm ex roſaceo inſtillatus aurium doloribus auxiliatur. Idem febrium ardores illita cute refrigerat. Decoctę uniuerſæ ſuccus cum exiguo melle atq; nitro epotus aluum modice ciet. Idem præſtabit ſi quis in crudam & excauatam merum infundat, dein contentum ſub diuo temperatũq;, quibus ſuppreſſa eſt, propinet. Aridæ cinis impoſitus mirè cõbuſta ſanat. Toſta in argilla ac trita cũ adipe anſerino uulneribus medetur. Chryſippus medicus damnabat eas in cibis, ſed aliorum conſenſu ſtomacho utiles iudicantur, & interaneorum ueſicarumq; exulcerationibus. Numeroſus cucurbitarum uſus. Primus caulis pleriſque in cibo eſt. Cortex uiridi tener raditur cibis. Salubres cibos ac leues pluribus modis exiſtimant, qui perfici humano uentre nequeant nec intumeſcãt. Cibis quo longiores tenuioresq; eo gratiores, & ob id ſalubriores quæ pendendo creuere, minimumq; ſeminis tales habent, duritia eius in cibis gratiam terminante. Inuentã rationem qua cibis ſeruentur ad nouos ferè prouentus pauloante ex Græcorum ſententia docuimus. Galenus crudam ut inſuauem ſtomachoq; perniciоſam cibis abdicauit, quòd contumax concoctu minimè uincatur, & alterius cibi penuria dum eſtur, moleſto pondere uentriculũ grauet, eundemq; frigoris ſenſus excruciet. quapropter non niſi cocta uel in patinis aut ſartagine toſta ueſcimur. Refrigerat, & corporis humorem alit eſu fatuo, & omnis aquæ modo ſaporis experte, niſi ſinapis acrimonia aut ſalſamentum aliquod condiat. Inter aſſandum magnam humoris aquoſi uim deponit, ideo ualentius exhibet alimentum. Elixa acrium ſocietatem poſtulat. Acidis, auſteris, ſalſisq; miſceri gaudet, quorum ſibi facile conditionem ut nullo imbuta ſapore adſciſcet. ita & nauſea quam creat, diſcutietur. Non diu perſiſtit in aluo, quòd lubricos & parum tenaces efficiat meatus, quibus delapſa facile euadit.

Cucumis. Cap. LXVII

CVcumis die ſexto uel ſeptimo poſt ſatum emicat. qui & tener & iucundiſſimus fiet, ſi antequã feras ſemen eius lacte maceres. Nonnulli etiam quo dulcior exiſtat prius aqua mulſa imbutum ſolo credunt. Sed qui præmaturum fructum cucumeris habere uolet, confecta bruma, ſtercoratam terram indita cophinis obſerat, modicumq; præbeat humorem: deinde cum enata ſemina fue-

mina fuerint, tepidis diebus & insolatis, iuxta ædificium sub diuo ponat, ita ut omni affla tu protegantur. cæterum frigoribus ac tempestatibus sub tectū referat. Idq; tandiu faciat, dum Aequinoctium uernum conficiatur, postea totos cophinos demittat in terram. sic e/nim præcoquum fructum habebit. Possunt etiam si sit operæpretium uasis maioribus ro/tulæ subjici, quo minore labore producantur, & rursus intra tecta recipiantur. Sed nihilo/minus specularibus integi debebunt, ut etiam frigoribus serenis diebus tuto producātur ad solem. Hac ratione fere toto anno Tiberio Cæsari cucumis præbebatur, mira ei uolu/ptate expetitus, pensiles eorum hortos promouentibus in soles rotis olitoribus, rursusq; hybernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus. Cartilaginei generis extra terram est cucumis, crescitq; qua cogitur effigie: quare, ut Hippocrates testatum reliquit, in fistula flore dimisso, mira longitudine crescit, & quasi anguina specie protenditur. Ali/qui florem cucumis cum uiticulę suæ capite arundini inserunt, cui nodos omnes perfora/rint, ibiq; fructus nascetur in nimiam longitudinem protensus. Si eius florem, sicut in sua uite est, in forma fictili clauseris, qualem uultum uel hominis uel animalis uas habuerit, ta lem cucumis figuram præstabit. Hæc omnia Gargilius Martialis asseruit. alioqui in ob/longam teretemq; figuram tornari uidemus, nisi uasis, cui fuit inditus, formam exprimat. Oleum sic metuit, ut si iuxta posueris, uelut hamus plicetur. sed aquas ita diligit, ut ad eas modice distans, etiam dissectus adrepat. Contrà, oleum refugit, & si quid obest uel si pen/deat, reflexus in se torquetur, idq; una uel altera nocte deprehēditur. Si uas aquæ plenum subjiciatur, ante posterum diem à quatuor digitorum interuallo descendit. At si subest o/leum, tam pertinaciter odit ut in hamos recuruetur. Quoties tonat, uelut timore perterri/tus conuertitur. Sine semine nascentur, si prius eorum semina sesamino oleo perungan/tur, aut herba quæ culex dicitur, trita confricetur. Cucumis uulgo Gallis *cocomber* nomi/natus, amplexicaulis est, sarmentis utilibusq; prælongis serpit, in ramosq; uitis modo se diffundit: tamen ob caulis infirmitatem, humi spargitur, ni propius adsit cui caducus in/cumbat, folio rotundo, cucurbita aliquanto minore, flore luteo. Particulatim floret cucu/mis, sibi ipse superfloreſcens, & sicciores locos patitur candida lanugine obductus, magis que cum crescit, cartilagineo fructu maculosoq;, coloris tum herbacei, tum citrini, tum ni/gri. Tria genera Theophrastus fecit. Laconicum, Scytalium, Bœoticum. Laconicus riga/tur, non gaudent aqua reliqui. Hyemem omnes horrent, & oderunt frigora. Columella ta men tradit, si rubos aprico stercoroso q; loco in hortis consitas habeamus, ijsq; confecto Aequinoctio paulum infra terram recisis, laxatisq; ligneo stylo medullis lætamen immit/tamus, atque ita semina cucumeris inseramus, hinc nasci fructus qui possint & inter frigo ra non necari. Sed Plinius refert Columellam commentum suum tradidisse. quanquam hæc ipse sibi non uendicet, sed Dolo Mendesio retulerit accepta. Parum tamen inter Pli/nium & Palladiū, de hac re cōuenit, cum Plinius circa Aequinoctiū uernum fruticem reci dendum relicta stirpe iubet, ita ut in medulla rubi, semine cucumeris insito, radices fimo circumaggeratas resistere frigori: Palladius post Aequinoctium autumni hæc faciunda præcipit, quo tempore frigora timentur. Confecto Aequinoctio uerno non amplius à fri goribus uindicari desiderant. Nec etiam tum sati cucumeres hyeme præbebunt fructum, sed æstate potius. Seruatur cucumis usque ad alios penè prouentus, & id quidem mu/ria fit. Alij salgamarij sale, aceto, fœniculo, & sampsucho condiunt. Alij trita sinapi cum aceto sed scrobe opaco in loco arena substrato, fœnóque sicco opertos, ac deinde terra, uirides seruari tradunt. Plenilunio maxime gliscunt in hortis cucumeres, manifestumq; capessunt incrementum, et more marinorum echinorum implentur, ut tradit Athenæus, quod est aquei humoris argumentum. A mulis cucumeres expetuntur, capiuntúrque mira oleris huius uoluptate, necnon odorem eminus sentiunt: quare munienda sunt cu/cumeraria, ne irrumpentes ea depopulentur, ac proterant. Diphillus Carystius cucumim ueluti noxium damnauit primis mensis, ut qui raphani modo sursum feratur: ultimo cibo innocentiorem esse concoctúque facíliorem pollicetur, alioquin usum eius abdica/uit. Addidit, urinas eo cieri, uim refrigerandi possidere, difficulter in corpus dispensari, æ/grè per uentris anfractus euadere. Quinetiam horrores concitare, bilem creare, uenerem arcere. Memoriæ prodidit, cucurbitas gigni optimas circa Magnesiam, rapum quoque

quàm maximum & dulce, ſtomacho cõmodum: in Antiochia, cucumerem: in Smyrna & Galatia, lactucam: in Myris, rutam. Qui alui deiectionem eo cibo moliri uolũt, ut Græcis uideo placere, radices agreſtis cucumeris tuſas, in aqua potabili per triduum macerant, & diebus quinque plantulas huius liquoris hauſtu ſatiant. Longè magis uentrem purgatio ne ſolicitant, qui dum radices ſua germina fundunt, ablaqueatis tenuibus fibris, ellebori portionem adijciunt: dein exaggerata terra creſcere patiuntur. Tradunt ijdem, ſi ſubru/mo infanti qui febricitet par longitudine cucumis accubuerit, ipſum confeſtim ſanari: ad eum nanq; totũ caloris feruorẽ allici promittũt. Satiuus cucumis refrigerat, aluo & ſtoma cho facilis: nec corrumpitur, ut qui humano perfici uentre nequeat. Prodeſt ueſicæ. Ani/mi defectiones in olfactorium collectus emendat odore naribus rapto. Semen urinas cit. Præbetur in lacte uel paſſo, quibus ueſica exulcerata eſt. Folijs eius ex uino canum mor/ſus illini iubent, et epinyctidas cum melle. Semen, quantũ tres digiti apprehenderint, cum cumino tritum potumq; in uino tuſſientibus auxiliatur: ſed & phreniticis in lacte mulie/ris, & dyſentericis acetabuli menſura: purulenta autem expuentibus cũ cumino pari pon dere, & iocineris uitijs in aqua mulſa. Vrinam mouet ex uino dulci, & in renum dolore clyſteribus ſimul cum cumino infunditur. Aetius, quod equidem legerim, primus angu/ria uocari tradit, quæ ueteribus ſicya, id eſt cucumeres nominantur. Ea ſecundo abſceſſu humida eſſe cenſet, ideoq; frigidis humidisq; temperaturis noxia. Addit improbum crea/re ſuccum. Deligenda quæ cæteris & magnitudine & granorum exilitate cedant. Vrinas pellit. Iugis uſus geniturам imminuit, & deſideria ueneris obtundit. Reſiccatum ſemen nonnullam ſibi caloris dotem adſciſcit. quare urinam uehementius ciet.

Pepo. Cap. LXVIII

PEpo cucumerum generi contribuitur. qui cum natiuam magnitudinem ex/ceſſere, pepones Plinio uocantur. Viuunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem, nec perfici queunt, in cibis non inſalubres, tamen plurimum natant. Particulatim florent ut fabæ. Sunt qui & melopepones dicuntur, in Campa nia primum geniti, mali cotonei effigie: fortuitoq; ita natus creditur unus, mox ſemine ex illo genus factum. Non pendent ij, ſed humi rotundantur. Maturitatem adepti ſtatim à pediculo recedunt, quanquam illis penſilis non inſit natura, ſed humi ſeſſi les procumbant. Seruntur menſe Martio locis ſubactis uel paſtinatis, ſed diſtant inter ſe ſemina bipedali ſpatio. quæ ſi mulſo uel lacte per triduum macerentur, mox exiccata ſolo credantur, longè maiorem ſuauitatem contrahent. Odorati quoque fiunt, ſi eadem ſicca multis diebus inter roſæ folia demergantur. Libertate gaudent, qua poſſint ultro uagari, herbis'que iuuantur: quare nec ſarculo, nec runcatione prorſus indigent. Pepones om/nibus ſunt notiores quàm ut ullam deſiderent explicationem, *pompons* uulgo dicti. Cucu mis cui ſubijciuntur, ſtatim in pepones & melopepones degenerat, figura tantũ & quanti tate inter ſe diſſidentes. Cum magnitudine exceſſere, pepones uocantur: cum uero rotun di, formam & effigiem mali referunt, facta ex pepone & malo appellatione, melopepones ſunt uocati. neq; inter eos aliud quàm ex figura diſcrimen quondam fuit. Totum hoc ge/nus Palladius melones à malorum figura, quaſi pomeos appellauit. quod aperte nomen apud omnes manauit, idq; maior pars hodie medicorũ ſimul cum officinis uſurpauit. Pe/po uite ſerpit prælõga, flagellis ultro citroq; reptãtibus, uitigineis ferè frondibus, ſcabris, flore luteo, fructu cartilagineo, orbiculatim ſtriato, prominulis puluinorum toris, ſtrigli/bus in uertice pomi & umbilico coeuntibus, ibidemq; ſtellatim decuſſatis, cute aſpera ue/lut lentiginibus occupata, carne intus ſuaui, ſeminibus in utero liratim digeſtis. Eſtur cum ematuruit fructus, magna ſtomachi uoluptate. Genus unũ quod dulcedinẽ guſtui repræ/ſentet, uulgus *ſucrinos* quaſi ſaccharinos appellat. Phænias cucumim peponemq; citra ſe/minium, crudos cenſet edendos: cucurbitã, non niſi coctam aſſam'ue cõcedit. Diocles Ca ryſtius ſalubriũ ſecundo, peponem tradit concoctu facilem, cordiq; mirum in modũ pro/deſſe, nec parũ adferre iuuamẽti: cucumim uero moleſtias diſcutere, urinas pellere: ſed co ctus in aqua mulſa pepo magis alui recremẽta ciet. Diphilus peponẽ prodidit facile craſſe ſcere, paucã ſuppeditare alimoniã, ſed nõ ægrè per aluũ exigi. Pepones, ut eſt author Ga/lenus, refrigerãt, largoq; humore imbuunt. Nonnullã quoq; abſtergendi naturã referunt,

argumento

argumento, ꝙ obſitam pædore cutem emendent, & lentigines, uitia inſolatæ faciei & uitiligines emaculent. Vrinam cient, ſed ſemen uehementius, ita ut concretos in renibus calculos deturbet. Improbũ creant ſuccum, etſi interdum à ſtomacho perficiãtur: choleram tamen concitare ſolent, ſuſcq; deq; copiam humoris effundentẽ. Vomitum etiam eliciunt, niſi cibus bono præditus ſucco ſupermandatur, tum deorſum feſtinantius deuoluuntur. Viuunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem, nec perfici queunt. In cibis non inſalubres tamen plurimum innatant. Oleum odere miré. Refrigerant maxime in cibo & emolliunt aluum. Caro eorum epiphoris oculorũ aut doloribus imponitur. Cit lotium eſu. Illita oculorum inflammationibus medetur. Corium ipſorum ad ſiriaſin puerorum infantium anteriore parte capitis opponitur. Oculis humore uexatis adalligatum fronti fluxiones efficaciſſimè reclinat. Succus cum ſemine in farina ſiccatus, ſmegma fit ad cutẽ purgandam, & nitorem in facie conciliandum. Radix arida cum aqua mulſa denarij pondere uomitiones mouet. Quòd ſi quis modicè ſecũdum cœnam reijcere concupiuerit, partes duas ſextini denarij ſumpſiſſe ſatis eſt. Eadem radix ex melle ſanat ulcera concreta in modum fauſi, quem cerion uocãt. Faciem purgant & folia cuiuſcunq; ſatiui illita. Eadem cum melle epinyctidas ſanant. Cum uino canis morſus, item millepedæ, ſepa Græci uocant, oblongam, piloſis pedibus, pecori præcipuè nociuam. morſum tumor inſequitur & putreſcit locus ipſe. Secundam frigidorũ ſedem peponibus aſſignauit Aetius. Dulces minus refrigerant. Maturi quandam extergendi & repurgandi facultatem nanciſcuntur, partiumq; tenuitate pollent: quapropter urinas mouent, corporis cutem illuſtrant. Magis faciem exhilarat ſemen tuſum in farinam, quæ in ſmegmata adijciatur. nanque uehementius cutis ſordes eluit. Idem calculoſis renibus opitulatur. Pepo, ut idem refert, uitioſum humorem parit, multo magis quum non probè concoquitur. Primo cibo ſumi debet, ſed pituitoſi uinum uetus ſuperbibant. Bilioſis cibus præbeatur qui acremento placeat: dein omnes ea ſequantur edulia quæ bonum creant ſuccum, ſic omnis abigitur noxa. Is enim cibus perquam facile in flauam bilem uel pituitam degenerat. qua de re bilioſos prædulcis pepo, pituitoſos immaturus offendit. Facilius dulcis in ſtomacho perficitur. Magis offenſæ patent quibus uenter incalet, aut quorum flaua bile corpus incandeſcit, ſi uinum poſt peponem ebibant. quando uinum in uenas hunc ſuccum confeſtim rapit, iſcq; ſequax trahenti facile cedit, humorem'que hiſce corporibus efficit acriorem, atque nauſeam concitat. Humorum craſſitiem & lentitiam digerit. quapropter pituitoſis fungoſa pars laxaq; ſemini cohærens dari debet, bilioſis quæ corio tenus dura coaluit, ut quæ minus pmutari queat. Eſurientes talibus abſtineant, neque ſtatim alio cibo ueſcantur, ijs permutationi locus eſſet. Calculoſis neq; protinus exhibendum panem præcipiunt, ne glutinoſus tenaxq; lentor huius ad renes traducatur, præſertim niſi bene fuiſſet fermentatus. Longos peponas rotundis præferũt, quòd urinam magis pellant, & abſterſionis dote plus multo polleant. Omnes aluum mouent, & minorem contrahunt noxam, quibus horum cauſa frequẽtius ipſe ſubigitur. Traduntur deſideria ruentium in uenerem infrenare, & genituram immi-
nuere. Qui Saracenicus pepo dicitur, ardentes febres & ſynceras tertianas reſtinguit: calidos uentres refrigerat, frigidis & humidis perquam noxius.

Lactuca. Cap. LXIX

LActuca primum in ſylueſtrem & ſatiuam diducitur. Satiuæ Græci tria fecerunt genera. Vnum lati caulis, cui folium paulo maius herbaceo & anguſtiſſimum, ut alibi conſumpto incremẽto. Alterum rotundi caulis. Tertium ſeſſile, quod gentilitio nomine Laconicum uocant, folio cardui, rectum inſigni proceritate, nec à caulibus brachiatum. Laticaulium quædam uſque eo in latitudinem adoleuerunt, ut olitoria ex ijs hoſtiola factitari prodiderint, quas adfirmat Theophraſtus aliquos in ualuas hortorum uſurpaſſe. Columellæ ſunt complura lactucæ genera, quę ſuo quoque tempore ſeri oportet, quaſi ratione ſatus colores uariante, earum quæ fuſci & ueluti purpurei, aut etiam uiridis coloris & criſpi folij uti cæciliana, quę menſe Ianuario recte diſſeritur. At Cappadocia, quæ pallido & pexo, denſoq; folio uiret, mẽſe Februario. Quæ deinde candida eſt & criſpiſſimi folij, menſe Martio pangitur. Eſt & Cyprij generis ex albo rubicunda, læui & tenerrimo folio, quæ Idibus Aprilis recte diſponit.

Sic Colu-

Sic Columella coloris & temporis ſatus in genera diſcreuit. Quidã faſtigia quinq; faciũt, purpureas, criſpas, Cappadocas, Græcas. lõgiora his folia caulesq; lati. præterea longi & anguſti, intubis ſimiles. Quæ fuſco colore aut purpureo nitet, aut quæ folio criſpatur, cæ/ cilianam appellarunt. Irrepſit & ſatiuis alia ut Plinius tradit admodum probata, quæ Cili cia dicit, folio Cappadociæ, niſi criſpũ latiusq; eſſet. Locis inſolatis autumno optime po/ nitur. frigidis cõtrà. Hyeme non æquè cõmodè diſpergit. Sed huius quoq; radix ſimo lini ri debet, maioremq; copiã deſiderat aquæ, ſicq; fit tenerioris folij: ferè tamẽ aprico cæli ſta tu, quibus locis aquarũ copia eſt, pene toto anno lactuca ſeri poteſt. Sed multis ſeminibus condità naſci tradit Didymus, ſi caprini ſtercoris uel ouilli baccã ſubula ſubtiliter excaua ueris, & in ea ſemen lactucæ, ocymi, erucæ, apij immiſeris: tũc inuolutã ſimo baccam terra optime culta breui ſcrobe demerſeris, ſubſtratoq; molli lætamine leniter aqua rigaueris. apium nititur in radicẽ, cætera ſemina in ſummo, lactuca pariter mergente, proſiliunt, ſin/ gulorũ ſapore ſeruato. Alij duobus tribus ue harũ pecudum ſtercoribus cõtuſis antedicta ſemina permiſcẽt, & linteolo deligata obruunt, reliquã adhibentes diligentiã. ſic multipli/ ci forma uarioq; ſapore ſibi lactucam cõparant. Alij hoc ita aſſequuntur, Auulſæ lactucæ folia carpũt quæ radicibus iuncta ſunt, & in eiſdẽ gradibus ſurculo punctis, præter apiũ, ſe mina ſupradicta deponũt, ac ſimo liniunt. ſic obruta iterũ lactuca antedictorum ſeminum caulibus ambietur. Odoratã naſci idem Didymus pollicetur, ſi citrij ſemẽ impoſitũ unà ſe ratur. Seſſilem fieri, nec caulem promere, ſed conuolutis unà foliis in globum extuberare, uel in orbẽ circũagi uolunt græci, ſi trãslatæ radix, ubi in palmi altitudinẽ adoleuerit abla/ queata, bubulo ſimo recenti oblinatur, & aggere cõgeſto rigetur: dumq; ad incrementum peruenit, erumpens germẽ acie ferri præſcindatur, demum teſta fictilis nõ picata impona tur, ne in longitudinem ſed latitudinem augmentũ capeſſat. Teneriores et candidas reddi græci narrant, ſi biduum antequam uellantur earum comæ colligentur. Die quarto quin/ tóue q; ſemen fuerit ſatum emergit, caulem primum blandum, ſed profecta ætate ſpinulis inhorreſcentem promit. Suauiores habentur lactucæ, quæ coercitis caulibus reſtibili pul/ lulatu prodierunt. quæ quo minus in caulẽ proſiliant, cum iam aliquod incrementũ acce/ perint, teſtula alióue ponduſculo cohibitæ in latitudinẽ ſe diffundũt. Latior etiam fit ſi ra/ ra ponatur, uel cum incipiet producere caulem, eo leuiter inciſo glebula prematur, quo mi nus in ſcapũ erumpat. Si uitio loci dureſcit, euulſa & denuo poſita teneritudinẽ conſeque tur. Candidæ fieri Græcis putantur, ſi fluminis arena frequenter aſpergãtur in medias, & collectis ipſæ foliis alligentur. Ariſtoxenus Cyrenæus à patria deſciſcens philoſophia, he luonum uoluptati planè ſubſcripſiſſe fertur, qui quò delitijs ac profuſo luxui magis indul geret, natas in hortis lactucas ueſperi mulſo uino rigabat, eoq; dum ſatis ebibiſſent ſatia/ bat potu, ut poſtridie cum illuxiſſet, placentas uirides à terra miſſas habere ſe uenditaret. Nicander Colophonius memoriæ ſcriptũ reliquit, Adonidem Myrrhæ filium, cum lactu cam deuoraſſet, ab apro fuiſſe interemptum. Addidit Callimachus, Venerem eum ſub lactuca condidiſſe. Quibus uerborum inuolucris innuunt poetæ, eorum concubitus elan gueſcere, pigerrimosq; in coitum fieri, qui hoc olere continuo ueſcantur. Quare Eubolus graui conuitio cõiugem inceſſebat, quæ menſis lactucam obtuliſſet, ſimul q; hac emarce/ ſcit coeũdi facultas, ſimul quod emortuũ Adonin ſub hac abdidiſſe fertur Venus, ideoq; feralibus epulis dicata: quare prioresq; ob religionẽ minime cõmãducabãt, in tantũ rece/ pta nunc commendatione, ut ſeruari in alienos menſes eas oxymelite repertum ſit. Pytha gorici lactucã ſuapte natura latam & caule uiduã eunuchion, quaſi ſpadoniã appellarunt, quoniã hæc maximè refragetur ueneri: rotundã uero ac minimę radicis, latis foliis, aſtyli/ da. Diphilus hæc de lactucarum natura memoriæ mandauit. Lactucæ caulis multum præ bet alimenti, ſed aluo difficilius egeritur. Folia magis ſpiritum nutriunt, nec ægre uti cau/ les excernũtur. Et ut in uniuerſum dicatur, lactuca refrigerat, ſtomachũ iuuat, aluum ciet, ſomnum parit, ueneris impetus amolitur. Quæ uero teneriore folio cõſtant, ſtomacho fa/ ſtidium auferunt, cibiq; appetentiã faciunt, ſomnũ conciliant. Quæ durior eſt & obſita ſa bulo aut puluere, minus iuuamẽti ſtomacho adfert, minusq; uentrẽ emollit. Somnũ accer ſit. Nigra magis refrigerat & aluũ ſubducit. Aeſtiuæ lactucæ meliorem ſuccũ miniſtrãt & plus alunt. Autumnales ſucco uacãt, quare nihil aut parũ alimenti prębẽt. Caulis lactucæ

ſitim leuare

sitim leuare dicitur. Decoctæ in ollis, uti Glaucias refert, omnibus oleribus elixis antepo-
nuntur. Lactuca, ut tradit Athenæus, prima mensa apud ueteres non offerebatur, sed con
uiuia cœnasq; finiebat: nunc ex aceto & sale condita mensas inchoare solet. quod Martia
lis ostendit ijs numeris,

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Meminit Dioscorides eius condituræ, quæ ut ad hybernos usus reseruetur, ita solet facti-
tari, Caules lactucæ ab imo depurgatos eatenus, qua tenera folia uidebantur, in alueo sali
re cõuenit, diemq; unum & noctem sinere, dum muriam remittãt: deinde muria eluere, &
expressos in cratibus pandere, dum assicescant. tum substernere anethum aridũ & fœni-
culum: dein fasciculos lactucarum uasis reponi, superfundíq; ius quod sit aceti duarũ par-
tium atq; unius muriæ. deinde arido spissamento fœniculi sic comprimi, ut ius supernatet.
quod ut fiat, is qui huic officio præerit, sæpe diffundere ius debebit, nec pati sitire salgama,
sed extrinsecus munda spongia uasa pertergere, & aqua fontana q̃ recentissima refrigera
re. Lucius Columella rutæ aliquid & porri concidere præcipit, atq; ita miscere, tum sicca-
tos coliculos ita componere, ut faseoli uirides integri interponantur, quos ipsos antè du-
ra muria die noctuq; macerare oporteat, similiterq; assiccatos cum lactucarũ fasciculis cõ-
di. Sed syluestris lactuca similis est satiuæ, radice breuior, proceriore tantum caule, candi-
dioribus folijs, gracilioribusq;, gustu amaris, & asperioribus, quæ, ut addidit Theophra-
stus, ubi consummata sunt aculeantur. Hæc sponte nascitur in aruis, lacte manat copioso,
acri medicatoq; quod carpitur per messes inciso scapo, præclarum ad multa. Nam aquam
subtercutem fusam extrahit, caliginem ab oculis arcet. Argemas tollit cum humano lacte.
Hæc nisi sensus me deficiat, est quæ passim ab officinis nostris nunc *endiuia* dicitur, cum in
aruis nascatur sponte & uinetorum limitibus, folio cum adoleuit per oras aculeato, dor-
so spinulis inhorrescente, quasi prona carinæ parte echinata, supina læuiore, nonnuquam
cum insenuit laciniatim serrato, caulibus bicubitali proceritate consurgentibus, hirtis, flo
re luteo, succo candido, amaro, acri, ideo linguam & os aliquantulum uellicante. huius uti
satiuæ semen occultur lanugine, de qua nõnihil inter intubi genera diximus. Theophra-
stus tamen breuiori caule perfici tradit. quæ omnia uidentur ad hanc alludere quam uul-
gus medicorum perperam, ut diximus, endiuiam unà cum officinis appellat, cuius deco-
ctum saccaro condiunt. Hæc una tantum Dioscoridi fuit. Plinio tamen sponte nascens la-
ctuca in multas species degenerat, quarum tamen hæc sint communia, candor caulis, in-
terdum cubitali longitudine, & ipso & folijs scabritia, succus acris, lacteus, ad multa præ-
clarus, uiribus quoq; papaueri similis. Syluestrium principem fecit caprinam, qua pisces
in mare deiecta protinus necantur, qui sunt in proximo. Verum quæ sit huius facies, quis
ue peculiaris habitus ipse non repræsentat. Alterum genus tradit à Græcis esopon uoca-
ri, & in aruis nasci, cuius itidem imaginem non explicuit. De isati siue glasto, etiam quæ ge
neri syluestrium eidem assignantur, si deus uotis subscribat, suo loco disseremus. Lactuca,
ut Galeno placet, frigidum humidumq; succum creat, sed innocẽtem. Ea neq; aluum reti-
net neq; pellit. Præfertur, nec iniuria, reliquis oleribus, cum ne ullum quidem succi melio
ris inueniatur. Nec immerito Galenus explodendam eorum opinionem, qui uitio uertãt,
quod in maximã eius laudem cedere debet. Clamant olus hoc copiosum gignere sangui-
nem. Quotusquisq; uitio dabit lactucã laudatissimo succo donatã, plurimũ creare sangui-
nem? quod nulli olerum natura comparatum est. Si eo nomine eam damnent, à ueritate
prorsus deficere cognoscuntur, quòd huic malo perquã facile posset occurri. quippe cum
uescentibus exercitationi se credere, aut ea parcius uti liberum sit. Asserit tamen Galenus
reliqua omnia olera paucissimum sanguinem, & eum quidem uitiosum parere, lactu-
cam solam non multum quidem nec improbum, haud tamen omni ex parte laudabilem
progignere. Multus eius & crudæ & coctæ erupit usus. Oleo, garo & aceto condiri so-
let. Galenus in iuuenta, cum os uentriculi crebro flaua bile incandesceret, æstuationis in-
frenandæ gratia lactucas esitabat: confectus senecta hoc olere, quo posset placidiorem ini
re somnum, uescebatur. ad quem conciliandum lactuca uesperi mensa præsens attulit au
xilium. Lactucæ natura refrigeratrix, & ideo æstate grata. A stomacho fastidium aufert,

cibíq; ap-

cibíq; appetẽtiam inuitat. Sanguinem augere creditur. Aeſtus refrigerat, ſomnum accerſit, iuuat ſtomachum, emollit uentrem, lactis auget ubertatem. Decocta plus alit. Non elota cibo diſſolutũ ſtomachum firmat. Semine trito & poto crebras libidinum imaginationes in ſomno compeſcit, & ueneris impetus cohibet. Frequentior in cibo claritati oculorum officit. Aſſeruatur in muria. Cum in caulem proſilijt uim quandam adipiſcitur ſucco aut lacti ſylueſtris lactucæ parem. Cruditatem ipſa nequaquam facit, ſed concoctiones adiuuat. Semen contra ſcorpiones datur. Ambuſtis prodeſt recentibus, antequam puſtulæ fiant cum ſale illita. Vlcera quæ ſerpunt coercet initio cum aphronitro: mox in uino igni ſacro illinitur. Conuulſa & luxata caulibus tritis cũ polenta ex aqua frigida lenit. Eruptiones papularum ex uino & polenta diſcutit. In cholera quoq; coctam patellis dederũt. Deferuefacti caules ſtomacho utiliſſimi traduntur. Dantur & cœliacis cum intubo erratico, & ad duritiam præcordiorum et ueſicę uitia. Praxagoras dyſentericis dedit. Cæterũ Græcorum quoq; diſſidentes in quibuſdam opiniones inſeri conueniet. Suo ut narrant frigore incandeſcentes mulcet inflammationes. Sitim cibo reſtinguit, pręſtatq; ut ea ueſcentes ſomno facilius indulgeant. Lac elicit. Cocta copioſius alit. Deſideria ueneris amolitur, unde Pythagorici eunuchion eã appellauere, ſicut & mulieres aſtylida. Nec ulla res maiorẽ in cibis auiditatem incitat, magisq; faſtidia diſcutit: lentitiam pituitæ digerit, ueneris impetus refrenat. Sumpta cum paſſo uel aceto bilis acrimoniam domat. Præcordia cum hyſſopo & aceto iuuat: ſed addito dulci acrementum aceti temperãte, ſi craſſior pituita ſit, uino ſcyllite, aut uino abſinthite: ſi tuſſis ſentiatur, hyſſopite admiſto. Cocta & ex roſaceo data choleram ſedat. Lac eius tumentia uiſcera reprimit. Ex lacte humano lita ſacros ignes ad ſanitatem perducit. Semen tritum potumq; ſcorpionum ictibus medetur. Thoracis etiam uitijs prodeſt. Somnũ conciliat, ſed ijs qui ſecunda ualetudine fruuntur, in cibo ſumpta: ijs uero qui morbum experiuntur, ignorantibus impoſita, ea ratione pręſertim, ut antelucano ſiniſtra manu radicitus auellatur, clamq; ſtragulis ſubijciatur. Succus fronti male ualentis illitus ſomnum accerſit. Obſcuritatem oculi cum ſenſere frequens in cibo diſcutit. Eiſdem præcipuè dulcis claritatem adfert, ſed alter utrinque modus eſt. Aluum copioſiores ſoluunt, modicæ ſiſtunt. Tentantes aquas non nocere tradiderunt lactucã edentibus: ebrietatem non ſentiri, ſi quis ieiunus eam præguſtet: ſemen potum genituræ profluuia cohibere. quapropter aduerſus crebra ueneris ludibria in ſomno, dari, ſubditáque ceruicali culcitræ uè folia terna uel quina ægrotantibus ſomnum allicere, ſic ut decerpta imo caule ad pedes, ſummo ad caput ſpectent. Pſellus Antiochenus lactucas marulia nominauit, eisq; tertiam aſſignat refrigerantium et humectantium ſedem. Sitim cibo leuant, ſomnos faciunt, aluum modice ſubigunt. Neq; ſanguinem improbum creant, neq; undiq; perfectum, multo tamen cæteris oleribus præſtantiorẽ. Calidis uentribus auxiliãtur. Cæterum uſu crebro imbecillitas contrahitur, acies oculorum retunditur, caligoq; tandẽ obuerſatur. Veneris alacritas emarceſcit. Semen potu genituræ profuſionẽ cohibet. Ex ſtillatitio roſarum liquore temporibus admotũ peruigiles ad ſomnum reducit. Cauendus tamen lactucarum uſus ſuſpirioſis, ſanguinem excreantibus, pituitoſis, & ijs quoq; qui procreandis liberis dant operam. Siquidem, ut fertur, non fœcunditatem modo minuunt, ſed quos poſtmodum ſuſtulerint filios, uelut amentes et inepti à progenitorum ingenio degenerant. Regio morbo laborãtibus ex oleo ſeſamino proſunt. Refrigeratricẽ & humectantem naturã aquæ fontanæ cõparãt, quapropter ardẽtibus febribus opitulãtur. Adſumentes adfirmãt, neq; aquarũ mutatione tentari, neq; nouarũ cõditione infeſtari: quippe cum impendentẽ noxã præſumptæ prorſus arceãt. Ipſarũ ſuccus longe plus æquo ſumptus perimendi licentiã nãciſcitur. Sylueſtris ſuccus uiribus quoq; papaueri ſimilis. Carpitur per meſſes, inciſo caule, inſolatusq; cõditur in fictili nouo, ad multa præclarus. Sanat oculorũ uitia cum lacte mulierũ. Arcet cum eodẽ nubeculas, cicatrices, aduſtionesq; omnes. Caligines itidem et argemas emendat. Imponitur etiam oculis in lana contra epiphoras. Idem ſuccus cum aceto mulſo potus ad duos obolos aquas aluo detrahit. Serpentiũ ictibus medetur in uino, & folia toſta thyrſiq; triti ex aceto bibunt. Vulneri illinũtur, maximè cõtra ſcorpionũ ictus, uerũ cõtra phalãgia cõmiſto uino ex aceto. Alijs quoq; uenenis reſiſtũt, exceptis quæ ſtrangulando necant. Imponuntur & uentri ex melle & aceto ad detrahẽda

uitia alui

uitia alui. Vrinæ difficultates ſuccus emendat. In ſumma uis ei ſomnifica, dolores ſopit, quos per quietem leuari ſit opus, menſes euocat. Semen ſylueſtris inſumptum non ſecus atque ſatiuæ genituram per ludibria ſomniorum fluentem coercet, atq; uenerem inhibet. Eoſdem effectus ſed inertiores ſuccus repreſentat. Crateuas enim hydropicis obolis duobus in aceto & cyatho uini dari iuſſit. Porrò ſylueſtrium genus, tametſi multiplex, cõmunia tamen ſponte naſcentibus candor caulis, interdum cubitali proceritate ipſius, foliorumq; ſcabritia, lacteus ſuccus, acris, medicatus. Primum tamen ſylueſtriũ eſt eius quam caprinã uocant. huius lac ſpiſſatum in aceto põdere obolorũ duum adiecto aquę cyatho, hydropicis datur. Caule & foliis contuſis, aſperſo ſale nerui inciſi ſanantur. Eadem trita ex aceto colluta matutinis bis menſe dentium dolores prohibet. Alterũ in aruis naſcitur quod Græci eſopon uocant. huius folia trita, & cum polenta illita uulneribus medentur. Amaræ, lactentiſq;, quam appellant meconidem, ſuccus oculorum claritati cum muliebri lacte utiliſſimus eſſe præcipitur, dum tempeſtiuè capiti inungitur: oculorum quoque uitijs quæ frigore contracta ſunt auxiliari: fœminas hoc cibo purgari.

De Gingidio. Cap. LXX.

GIngidium ſuo nomine Syriaco uenit in Græciam & Latium. Herba ſylueſtri paſtinacæ ſimilis, tenuior tantum, denſiorq;, radice parua, candicante, ſubamara. Venit in cibos crudũ coctum'ue magna ſtomachi uoluptate. Plinius Syriam in hortis ſerere herbam ſtaphylino ſimillimam tradit, quam alij uocant gingidion, tenuius tamen & amarius. Me cõmonuit itaq; mendi cuiuſdam in codicibus Græcis, qui πυκνότερον, quod eſt denſius ſcriptitarũt, cum Plinij teſtimonio legendum πικρότερον, id eſt amarius. Huic etiam ſuffragantur ueteres nonnulli qui in herbarum notis uiribusq; tradendis Dioſcoridis nituntur teſtimonio, amariorem agreſti paſtinaca herbam prędicantes. Sed explodẽdus eorũ error qui gingidiũ pro fumaria ſiue capno hactenus acceperũt. In quem complures Mauritanicæ familię medicos manifeſtè lapſos deprehendes ex ſcriptis quæ literarum monumentis prodiderunt. Nam fumaria ſponte prouenit in aruis, gingidium in hortis ſtudioſe colitur. Illa cibis ob eximiam amaritudinẽ abdicatur, hoc crudum coctum'ue eſtur magna ſtomachi iucunditate. Illa guſtum offendit amarore, hoc appetentiam ſimul & cibi faſtidium diſcutit. Sed ſunt hæc euidentiora quàm ut refelli deſiderent. Accedendum uidetur potius eorum ſententiæ, qui uerendis licet inculte Græcis authoribus, ubique pro gingidio chærefolium interpretantur. nam erraticæ paſtinacæ, quam daucum aliqui uocant, folium æmulatur, aliquãto tenuius radicula candicante, ſubamara. Apud omnes manditur & crudum ex aceto & iuribus in coctum. Vrinas quoq; ciet. quare decoquitur cum uino præſenti ueſicæ iuuamento. Paulus Aegineta gingidion ſcandici ſimile fecit, aſtringente ui & amaritudine non pauca præditum, ſtomacho non ingratum: quare ieiunia inediasq; commode ſatiat ex aceto, non tamen magnopere nutrit. Galenus, quòd nonnihil amaroris & aſtringentiæ guſtui repræſentet, refrigerante ui ſimul & calfaciente donatum cenſet, & ab utraque ſiccandi naturã ſortiri. Adiecit ſtomacho accommodatum eſſe, quòd non parua aſtrictione prædituſ ſit, calorem tamen non manifeſtum prorſus poſſidet. Eſtur ut Aetio Melino placet, ex aceto, magna ſtomachi uoluptate. calfacit non aperte, ſed ſecundam ſibi ſiccandi claſſem adſciuit. Iam gingidion ætate Galeni Paulíq; tritiſſimum olus habebatur in uſu, et ſi primum Ciliciæ Syriæq; uernaculũ fuiſſe tradatur. Poſtmodum in omnes orbis ferè tractus commigraſſe quid prohibet? nouoq; in Græciam aduẽtu priſtinam appellationẽ obſoleuiſſe? Iam & quædam ſtirpes cum locis uocabula mutarunt. Itaq; regiones in quas deferuntur noua nouis nominibus donare conſueuerunt. quare chærephyllon tandem à Græcis dici ob id cœptum eſt quòd foliis luxuriet. & tandem graia uoce & latina coaleſcentibus in unum nomen, chærefolium multis nuncupatur. Nec ueri ſimile eſt uulgatiſſimum olus, quo omnes horti ſcatent, quoq; nulli non quotidie crudo uel cocto ueſcuntur, à ueteribus ſilentio fuiſſe prætermiſſum. Apuleius etiã chærefolij herbæ meminit, ſi modo ſit eius libellus qui hoc titulo circunfertur, tradens chærefolij uirides cymas treis legi oportere, & adiecto puleio cum mellis cohlearí tritas, induci in ſtomachum ut leuent dolorẽ. Chærefolio Plinius quidam recẽtior Galeno, niſi nos inſcriptionum fides fefellerit, igneam uim

tribuit & acrem quæ canceratis medeatur, lateris dolores ex uino mitiget. Quidam illud oleo incoctum acopis ad soluendam frigoris iniuriam miscuerunt. Ex aqua mulsa pituitam resoluit. Ex aceto lumbricos & tineas perimit. Vrinam ciet, menstrua pellit. Tritum cum cera & axungia uetere parotidas discutit. Chærefolium in hortis semel satũ pluribus annis restibili fœcunditate reuirescit. Ne tamen uocabulorum uicinitas aliquã pariat cõfusionem, aut cognatio nomenclationũ similitudine mentis aciem prestringat, est sciendũ longe diuersum esse ab hoc olere chærephyllon, siue chærefoliũ Plinio, qui inquit seri æquinoctio autumni chærefoliũ quod pæderota Græci uocant, acerrimum sapore, igneiq; affectus, ac saluberrimum corpori. Quanquam uerba hæc postrema de sinapi dicta uideri possunt, de quo statim idem author mẽtionem facit. Chærephyllum itaq; Plinio acanthi genus est, topiariæ & urbanæ herbæ, elato longoq; folio, crepidines marginum adsurgentiumq; puluinorũ toros uestientis. Qua de re quantum equidem sentio, sibi chærephylli nomen arrogauit, quòd usq; eo frondibus luxuriet, ut arearum porcas possit operire. Acanthum à Romanis dici pæderota Dioscorides asserit, quod & Plinius ipse confirmat. Lucius Columella præcipit chærephyllum, item olus atriplicis circa Calendas Octobris obrui debere, nõ frigidissimo loco. Nam si regio sæuas habet hyemes, post Idus Februarias semine differenda sunt, suaq; de sede partienda. Hoc idem iubet Palladius chærefolium locis frigidis post Februarias Idus serendum. Desiderat agrum lætum, humidum, stercoratum. Columella in horto suo breue chærephyllum appellans, uidetur huic uulgari nostro passim in hortis nascenti consentire, ita nominatum quòd largo grandiq; folíatu gaudeat, breui caule contentum, & uelut herba paria secũ faciente, quæ quod à caulículo dempserit luxuriosa foliorum ubertate compensat, mediocri tamen proceritate sustollitur. Breue idcirco chærephyllum merito nominauit, nisi forsitan id olus à natalibus primis paulopost explicuisset ijs uerbis,

Assyrioq; uenit quę semine radix.

quasi Syria in hortis operosissima gingidion sibi uernaculum ad nos trãsmisisset, quod satis Dioscorides & Plinius testatum reliquerunt. Hæc tamen plane nõ ausim asserere, pugnantibus utrinq; tot authorum sententijs. Item amaritudo maior aliquãto Galeno Paulo q; gingidio tribuitur, quàm in chærefolio possit inueniri: nisi longo forsitan transmigratu inuentoq; dulciore solo, bonam partem amaroris exuerit, nam quædam stirpes propter mutationes locorum, à qualitate sua discesserunt ita ut dignosci non possint. Prouerbiũ Græcis est: multa Syriorũ olera. Syria in hortis operosissima simillimã staphylino serit herbam, quam alij gingidion uocant, tenuius tamẽ & amarius, eiusdemq; effectus est. coctũ crudumq; magna stomachi utilitate mãditur. Siccat ex aluo omnes humores eius. Plurimũ, ut Galenus est author, in Syria nascitur. Mira stomachi uoluptate siue crudum siue coctũ estur, lõgæ tamen coctionis impatiens. Aliqui ex oleo & garo mãdunt. Alij uinum aut acetum adijciunt, quò magis stomachi auiditatem moliantur. Ex aceto fastidiosos ad cibum reuocat, herba medicinæ potius quàm cibo nascens, cum insigni amaritudine & astrictione prædita sit. Dioscoridi uenit in cibos crudum, coctum, salsum ue, magna stomachi cõmoditate. Vrinã ciet. Decocto eius per uinum sumpto affectus uesicæ sanantur. Hæc habebam de gingidio quę dicerem, iam ad scandicem noster conuertatur sermo.

Scandix. Cap. LXXI.

Scandix in olere syluestri à Græcis ponitur. Galenus similem gingidio fecit scandicem, Paulus gingidium scandicis effigie repræsentauit. Eadẽ erat Plinio anthriscus, si tenuiora folia & odoratiora haberet. Dioscorides syluestre tradit olus esse, amarum, subacre, quod in cibos coctũ uel crudum admittitur. Hæc est quam Aristophanes obijcit Euripidi poetæ ioculariter, matrem eius ne olus quidem legitimum uenditasse, sed scandicem. Notissima olim omnibus Græcis fuit scandix, quæ toties Athenis in theatro risum & plausum excitauit. Hinc Euripidẽ ludicro sermone quasi scandicopolam incessebant, quòd natus esset matre quę scandicẽ subinde uenditaret. Vulgare & sua sponte nascens incultis pleruncq; locis olus est, plebis cibus & quotidianum pulmentum, foliis gingidij uel anthrisci, sed maioribus & minus odoratis, gustu acri subamaróque, nec aliter huius facies ab authoribus designatur. Inter

syluestres

syluestres tamen quædam hac specie uisitur, quæ sit chærephyllo similis, frutice odorato, floribus candidis, radice parua, quæ tamen capillamentis quibusdam nitatur: caule dodrantali uel maiore, exertis in uertice corniculis, quæ acus effigiem repræsentent. à quo forsitan habitu Romanis aciculam dici non ab re Dioscorides asseruit. Et ut summatim dicam, hęc odore daucum, & reliqua facie chærephyllum imitatur. Sic quoque Galenus, Paulus, & Aetius gingidio similem fecerunt scandicem, cuius ne à rusticis quidem ullam appellationem extorquere potuimus. Sed hanc inter dauci genera referunt officinę, cum tamen magnum intersit discrimen. Hæc corniculatis gingidij modo munitur apicibus. illa rotatiles umbellas præmonstrat. Hæc nullum umbratile cacumen obtendit, illa orbiculatos obuersant muscarios. Scandice si remoretur uel hæreat plus æquo, solicitandam cõ sulit urinam Paulus. Eadem erat anthriscus, si tenuiora folia & odoratiora haberet. quam peculiari laude Plinius extulit, marcescentes iam senio coitus excitare, & fatigato uenere corpori succurrere professus. Addidit, profluuia fœminarũ alba hoc olere sisti. Galenus ordine secundo calfacientium, quòd sit subacre & amarulentum, donauit. quapropter ciundis urinis efficax habetur, obstructorumq; uiscerum infarctus explicat, & intestina expedit. Scandix in syluestri ponitur olere. Cruda & cocta in cibos admittitur, sed cruda uẽtrem resoluit & stomachum iuuat. Succus decoctæ medetur renibus, uesicæ, iocineri. Semine singultus confestim ex aceto sedat, urinas cit, illinitur ambustis.

De Caucalide. Cap. LXXII.

CAucalis repræsentatur à Dioscoride cauliculo dodrantali, interdum altiore, subhirsuto, foliis apij, sed in cacumine fœniculi modo tenuiter scissis, pilosisq;, umbella in summo candida odoratáque. Similis inuenitur in aruis spõte nascens, caule subhirsuto, foliis per ima proximis apio, latioribus multo, summa parte capillatis, & in fœniculi folia propemodum extenuatis, umbella sabuci summatim opacante, candida odoratáque. rura nostra, quòd ex putri uel euanido semine apij natam arbitrẽtur, selini degeneris cognomento *persinum nothum* appellãt, quam & pauperes oleris uice condunt in cibos. solent & nonnunquam ex aceto crudam esse. Verum à foliorum effigie quam præseferunt, detortum hoc nomen uulgo uerisimilius est. nec puto marcidum aut exuctum uetustate apij seminium in caucalidem degenerare: sed rura quædam, nec ab re, hanc mutationis induerunt opinionem, quod frequẽter ubi satum fuit aliàs apium, lætius prouenire uideant, eo forsitan argumẽto transire in caucalida putant. Sed in glabretis nusquam nõ, etiam in noualibus antequam aratione reuoluentur, & in culto solo, sponte naturæ nasci facile deprehenditur. Galenus apud aliquos syluestre daucum tradit nominari, nõ à similitudine, ut aliqui credunt, quasi rudimentum quoddam esset nascentis dauci, sed quod & gustu & uiribus id imitetur. cum, ut inquit, modo eodem excalfaciat, exiccet & propellat urinã. Constat enim imis foliis apium, summis fœniculum, caule & umbella daucum aut si mauis sambucum ęmulari. Idem testatur caucalidem sale condiri ad usum. Romani, q; extremum folium in gallinæ pedem conformatur, gallinaceum pedem, ut inquit Dioscorides appellarunt. Caucalidis huius meminit Nicãder in theriacis. Retulit Chrysippus antiquissimus author aliquam salsilaginem resipere: sed si quis linguam consulat, euidenter insulsam deprehendet. nec ex ueteribus quisquã, quod inuenerim, ita sensit. Caucalis cordi utilis. Succus eius bibitur stomacho perquam commodatus, & urinæ calculisq;, & arenis pellendis, & uesicæ pruritibus. Extenuat lienis, iocineris, renumq; pituitas. Semen menses fœminarum adiuuat, bilem à partu siccat. Datur & contra profluuia genituræ uiris. Chrysippus conceptionibus putat eã conferre multum. Bibitur in uino ieiunis. Illinitur & contra uenena marinorum. Oleris uice in cibum recipitur. Solent crudam esse. Vrinæ usus adiuuat. Renum uitia cibo, ut Paxamus tradit, emendat. Decoctum huius ex passo, per horam antequam in balinea descendatur, regium morbum sudore digerit. Ex aceto mulso mansa & uomitione reddita uentrem purgat, appetentiam inuitat, & fastidia discutit. Melancholiæ & quartanis febribus idem mederi promittit.

Eruca. Cap. LXXIII.

ERuca ſtimulādę ueneri nata uidetur, quod Martialis hoc uerſu demōſtrauit,
Et uenerem reuocans eruca morantem.
Quare Columella in hortulo Priapo ſerendam pronunciauit iſs ſenariolis,
Et quæ frugifero ſeritur uicina Priapo,
Excitet ut ueneri tardos eruca maritos.
Nec ab re in eodem ſalacem quaſi libidinoſam nominauit,
Iamq; eruca ſalax fœcundo prouenit horto.
Ouidius eruca præcipit abſtinendum iſs qui ab amore deſciſcere cupiunt,
Nec minus erucas iubeo uitare ſalaces.
Facillime æſtate uel hyeme naſcitur. Seſquipedali thyrſo conſurgit in hortis, folio longo anguſtoq;, in profundas ſed rariores crenas laciniato, guſtu præter modum acri, floribus candidis, rapitio ſemine, uel ſinapino, firmo. Hanc uulgus noſtrum *roquetam* appellat. Hęc acremento maiore placet. Hallucinātur qui ſylueſtrem putant erucam eſſe in ruderibus, circum urbes, domicilia naſcentē herbam, folio ſylueſtris erucæ, caule modo uitilium obſequioſo, & in lorum flexili, floribus luteis, ſiliquis in cacumine gracilibus, ut fœno græco corniculatis, in quibus ſemina continentur parua, naſturtij ſpecie, guſtu ardenti, cum ut paulo poſt patebit eryſimon ſit, Romanis dictum irio. His itaq; foliorū ſimilitudo turpiter impoſuit, cum omnia hæc de eryſimo tradantur. In condiendis obſonijs tanta eſt erucæ ſuauitas, ut Græci euzomon, quaſi iuribus gratam uocauerint. cuius ut narrant ſemen ex uino potum morſibus muris aranei medetur. Tineas & beſtiolas interaneis innaſcentes arcet, lienem extenuat. Cicatrices nigras cum felle bubulo miſtum reducit ad cādorem. Vitia cutis in facie cum melle litum emendat. Lentigines emaculat. Addunt, uerbera ſubituris potum ex uino duritiam quandam contra ſenſum inducere: graue uirus alarum diſcutere. Putant ſubtrita eruca ſi foueantur oculi claritatem reſtituí, tuſſim infantium ſedari: tria folia ſylueſtris erucæ ſiniſtra manu decerpta regio morbo mederi. Eruca frigorum contemptrix diuerſæ eſt quàm lactuca naturæ. concitatrix ueneris, idcirco iungitur illi fere in cibis, ut nimio frigori par feruor immiſtus tamperamentum æquet. Cruda hæc Dioſcoridi largius ſumpta uenerem ſtimulat. Vrinas cit, prodeſt concoctioni, emollit aluum. Vtuntur ſemine condiendis obſonijs, quod uti diutius ſeruetur, ſubactum aceto uel lacte & in paſtillos digeſtum recondunt. Naſcitur & ſylueſtris eruca Hiſpanię familiaris, cuius ſeminio regionis huius homines ſinapis uice ueſcuntur. Hæc ad pellendā urinam efficacior quàm ſatiua creditur, & acremēti maioris. Galenus erucam calfactoriā ui pollere cenſet. ideo non niſi iunctis lactucæ folijs eſtur, ut immodico calori additus algor exceſſum temperet. Libidinem concitat, adauget genituram. Cęterum per ſe ſumpta capitis dolorem ciet, calfacit, & humectat in altero abſceſſu.

Ocimum. Cap. LXXIIII.

OCimo nihil fœcundius. Satio eius optima eſt poſt Idus maias uſque in ſolſtitium, nam teporem deſiderat. Cuius cum ſemen obrutum eſt, diligenter inculcatur pauicula uel cylindro. nam ſi terram ſuſpenſam relinquas, plerūque corrumpitur. Quidam & autumno ſeri ferunt, iubentq; cum hyeme ſeratur, aceto ſemen ſuperfundi. nam citius naſci dicitur, ſi aceti imbre leniter aſpergatur infuſum. In horto ſatorum celerrime prouenit ocimum, ſatumq; maturius putant erumpere inter initia feruenti aqua cōſperſum. Facile ſe necat, degeneratq; rite in ſerpillum. Ocimo tantū meridiana datur aqua, cum cęteris oleribus horæ rigandi matutina atq; ueſpera, ne inferueſcat aqua ſole. Pręcidunt & hoc cum peruenit ad palmi altitudinē. Ferro tamen non expedire tangi author eſt Sabinus Tyro in libro cepuricon, quem Mecœnati dicauit. Sub Canis ortu quaſi morbum ſentiēs expalleſcit. Ocimum pedali altitudine proſilit, ſurculoſum, ramulis teretibus, folio muralis herbæ, uel mercurialis, aliquanto minore, diluti uiroris. Floret particulatim, primo parte inferiore, demum ſuperiore, floſculo candido, ſemine ueſco pullóque, cui cortex obducitur. Radix una deſcendit in altitudinem, craſſa & admodum lignoſa, cæteræ à lateribus funduntur exiles ac prolixæ. Mirum

rum quod Theophraſtus prodiderit, nēpe lętius prouenire ſi cum maledictis ac probris ſeratur: quod & Plinius adfirmat, ut fortaſſe Perſius hoc ſenariolo huc alluſerit.

Cum bene diſcincto cantauerit ocyma uernæ.

Tradit hoc Plutarchus non minore prodigio dignum, quòd ſuccinum leuiſſima quæque & quiſquilias omneis mouet & allicit, ſolos ocymi ſurculos abigit à ſeſe. Gargilius Martialis rem notatu dignam adfirmat, quòd modo purpureos, modo albos, modo roſeos flores pariat: ſi ex eo ſemine frequenter ſeratur, quod ſimul atque ſolo creditum eſt, aqua calida perfuderis, modo in ſerpillum modo in ſiſymbrium abire ſolitum. Theophraſtus author eſt, ſi ſole continenter illuſtretur ocymum, tranſire in ſerpillum, quòd inſolationis cauſa uehementius exiccetur, & ut foliis decreſcit, ita flagrantius odore redditur inopia alimenti. Recentiores Græci qui de re herbaria ſcripſerunt, baſilicon, id eſt regium appellant, quod nomen apud omnes ferè iam uſurpatum uideo. Ocymum Diophanes grauiter repudiauit ut inutile cibis. Addit præterea inſaniam facere & lethargicos, & iocineris uitia: commanducatum, & in ſole poſitum ſcorpiones creare: noxam eius ſatis capras teſtari, quæ cum cæteris omnibus pabulis auidè ueſcantur, hoc uno cognoſcuntur abſtinere. Subdit, maximè fœminis aduerſari, tantáque cum eo diſcordia pugnare, ut ſi pultario ſit ſubiectum inſcia muliere, futurum ſit, ut nunquam cibo manus admoliatur, priuſquam ſubductum ſit. hinc miſodulon, à cæco illo odio uocari creditur, quod alij innuiſſe Perſium uolunt inquientem,

Dum ne deterius ſapiat pannucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantauerit ocima uernæ, id eſt

cantando excluſerit. Sed parum ueteribus cōuenit, utile ne ſit an noxium cibis. Chryſippus grauiter increpuit, nocere ſtomacho & oculorum claritati profeſſus, prętereà inſaniā parere. Addit, capras id aſpernari, ideoq; hominibus fugiendum cenſet. Adijciunt quidā, tritum ſi operiatur lapide ſcorpionem gignere: commanducatum & in ſole poſitum, uermes adferre. Accedit, quod ſibi Aphri perſuaſere, ſi quiſpiam eo die feriatur à ſcorpione quo ederit ocymum, ſanari nō poſſe. Quinetiam tradunt, ad manipulum huius cum caneris decem marinis uel fluuiatilibus tritum, conuenire ſcorpiones à proximo omnes. Diodorus pediculos creare ocymi cibum fatetur. Galenus etiam Paulusq; ob humorē excrementitium internis partibus ut officientem cibis abdicarunt, externis tamen proficere nō inficiantur. Qui in contraria ſunt opinione Plinius, Dioſcorides Pedanius, Philiſto, hæc ut commentitia rident, aſſeuerantes & ſtomacho prodeſſe, q; inflationes eius diſcutiat ex aceto ſumptum, & inſanos odoratu recreare, capras id eſitare. Oculorū epiphoras abigere cū uino, urinas ciere, aluū ſiſtere, cœliacis mederi. Libyes addiderunt, ictos à ſcorpione qui ederint eo die incolumes euadere: tā terreſtribus q; marinis ſcorpionibus aduerſari. Nec deſunt, qui ut inter hos controuerſos authores componant, principeſque factionis huius Galenum, Paulum, Chryſippum, Diodorum, iis qui alteri familiæ ſunt addicti recōcilient, & ab eis, ſimul ut hos cum illis in gratiam reuocent, duo comminiſcuntur ocymi genera, unum baſilici cognomento, alterum garyophyllati. quod diſcrimen nuſquā apud claſſicum authorem legitur. De eodem ocymo non diuerſis generibus pugnare certum eſt. Galenus modo quodam inter hos medius inceſſit, commendans exteriorem uſum iis præſertim ualetudinibus quæ concoctionem diſcuſſionemq; deſiderant. Damnauit tamen internum, ob recrementitium humorem, quo grauat & lædit interanea. Sed, ut arbitror, duntaxat eſu eius immodico nobis interdixit. nam ſi quis perinde atq; cæteris oleribus affatim uteretur, inteſtina tandem ſentiret incōmoda. Si uero parcius, perinde quaſi medicamentū, ſumat, profuturum idē nō inficiaretur. Mediocriter itaq; datū auxilio eſſe poteſt ad ea quæ diximus. Eſus copioſior declinādus. Nec aliàs inter authores hos poſſe puto cōſtare. nā q; uermes creet et pediculos gignat, id acceptum ferendū eſt excrementitio humori, quo imbuitur. Qui male cōcoctus, calore natiuo herbæ, quaſi ſuperuacuus, cita noſcit putrilaginē, facile in pediculos & uermes abeuntem, quos hac labe gigni cōſpicuum eſt: nec aliā inire rationē prompte poſſumus. Hæc itaq; forſitan plurib⁹ dicta ſunt quàm res ipſa poſtularet, minus tamen multis quàm exigebat in uarios ſenſus detorta doctorum opinio. Ocimi natura eſt Dioſcoridi uentrem emollire, flatus diſſoluere, urinam

ciere, mulieribus prouentum lactis adferre, humano uentri peragi contumax. Illitum cũ polenta rosaceo & aceto inflammationibus pulmonum salutare creditur. Draconis marini plagis, & scorpionum imponitur: oculorum quoque doloribus cum uino Chio. Succus caligines illitus & eorundem fluxiones exiccat. Semen contra bilem atram & difficiles quoq; urinas bibitur, discutit inflationes. Tritum & haustum naribus continentia mouet sternutamẽta, idemq; facit herba. Cæterũ conniuere oportet instante sternutatu. Ocymum damnauere cibis, quoniam commanducatum, & in sole positum uermes gignat. Libyes asseuerant, si quispiam eo die quo ederit ocimũ feriatur à scorpione lædi non posse. Ocymo pleroscq; in obsonijs uti ex oleo & garo Galenus tradit, stomacho aduersari, concoctu pertinax, oluisculum prauo præditũ succo. Addidit, cõmentitium esse si fictili nouo tritum operiatur, breui præsertim insolatum, scorpionem gignere, sed hoc tantum abest à uero ut nihil magis ei repugnet. Psellus basilicum appellauit. quod mediocrẽ, ut ait, possidet calorem, capiti cordiq; odoratu salutare. Aqua maceratum ascito humore somnũ allicit, hos recreat quos cor defecerit. Mœrores quos atra bilis attulerit mulcet, animi nubila discutit, tristes exhilarat, atq; timidos animat. Aliqui cœliacis & sanguinem excreantibus in uino dederunt. Contra duritiã præcordiorũ mammis illinunt. auribus infantium cum adipe anserino instillant. Semine sternutamentum eliciunt, uuluas ex aceto purgãt, destillationes eo cohibent. Verrucas misto atramento sutorio tollunt. uenerem stimulãt, ideoq; & equis asinisq; admissuræ tempore ingeritur. Syluestri ocymo uis efficacior, Ad eadem omnia peculiaris, ad uitia quæ uomitionibus crebris cõtrahuntur, uomicisq; uuluæ. Contraq; bestiarum morsus radix in uino est efficacissima.

Orobanche. Cap. LXXV.

ORobanche caulículus sesquipedalis aut pusillo excelsior, subrubens, sine foliis, hirsutulus, pinguis, tener, flore subalbido in luteum uergente. Radix illi subest digiti crassitudine, quę dum aridítate flaccescit, scapus dehiscẽs in rimas dissilit. Legumina inter quæ nascitur strangulat, unde et nomẽ inuenit. Estur oleris uice. Placet tum cruda tum patinis decocta sicut asparagi. hac specie per æstatem inter segetes & legumina identidem offenditur. A recenti Græcia oleoprion, quasi legumen leoninum, ant leonteos botane, quod est herba leonina dicitur. Nec mihi succurrit idoneũ nomen, quo uulgus rura'ue passim utantur, uisi quòd in Parisiensi agro *teniam* supra diximus appellari. Quippe cum uniuersæ regiones, regionumq; penè singulæ partes, uernaculas herbas consuetudine sua nominant. In Gallia quoque ipsa, ne dicam in tam diffuso terrarum orbe, nationes etiam nominibus herbarum discrepant, uariantq; uocabula. quare commodius longe fuerit, gentilitię nomenclationis aucupio, quo potiri nequeamus, studiosos nõ demorari. Nemo nec numerum nec appellationes cum certa fide potest recensere, neque enim ut ait Poeta,

Numero comprendere refert,
Quem si scire uelit, Libyci uelit æquoris idem
Discere quàm multæ Zephyro uersentur arenæ.

Orobãche estur cum olere, placetq; tum cruda tum in patinis cocta, sicut asparagus. Addita leguminibus dum coquitur, facit ea facilius percoqui. Refrigerat et arefacit in abscessu primo. De orobanche suprà inter uitia frugum abunde dictum est.

Hirci barbula. Cap. LXXVI.

HIrci barbula, quæ Græcis tragopogon appellatur, hac facie repræsentatur à Theophrasto, Radix longa, dulcis, folium croci longius, caule paruo, super quẽ calyx latus & barbula, quæ summo uertice incana & prolixa funditur, unde nomen accepit. Describitur à Dioscoride caule breui, foliis croco similibus, radice oblõga, dulci, supina, magno supra scapum calyce, è cuius summo nigrũ semen pendet, inde nomen mutuatur. Herba edendo est. Nascitur in aruis sua sponte. Crescit & altilis etiã in hortis, pastinato altiusq; subacto solo, folio latiusculo, flore purpureo, calyce grandi, barbulis pensilibus, incanisq;, in auras tandem euanescentibus. radices in altum agit, quæ hybernis diebus acetaria dulcedine sua commendant. Vtraq; cum carpitur manat lacte, sed quæ nascitur in asperis magna ex parte luteo flore nitet: altilis

altilis ſæpius purpūreo apicibus multis, aureo colore ſparſim emicantibus. A plurimis nunc Romana conſuetudine dicitur petræ herba, quòd aſperis locis quaſi è mediis ſaxis uideatur erumpere. A quo etiam Hetruria ſaxificā peculiariter appellat: Gerontopogon eadem eſſe creditur permultis, ſic dicta, quòd naſcatur promiſſa barba, foliis longis inſtar capillorum, de qua priuatim diximus. Non ſunt hic audiendi ſeplaſiarij inſtitores, qui pro barbula hirci quandam demonſtrant, emēdicato alterius herbæ uocabulo, prælonga folia ferentem, hirſuta, anchuſę proxima, minora tantū, ſpinulis tenuibus horridula, ſentibusq; denſis obſeſſa, caulículos exiles, numeroſos, minutaq; utroq; latere folia, in uerſus digeſta ſumma ſcapi parte minuſcula, flores purpureos. Namq; illa caulis & folij leuigata glabritie placet, hæc mordaci lanugine tangentem uellicat. Illius folium inſtar croci gracileſcit. huius ſatis ampla latitudine protenduntur. Item huius uertex imberbis eſt, niſi flores in aceruum congeſtos barbā placeat appellare: alterius à calyce promiſſa pendet barbula. Hæ notæ magis ad echion herbam ſpectant, de qua ſuo loco dicemus. Præclarè ergo cum literis ageretur, ſi recentiores herbarij, qui nugis anilibus iuſta uolumina referciunt, à ueterum placitis & antiquis herbarum finitionibus in quædam poſterorum cōmenta nō deceſſiſſent. Herba ex iis quibus in cibos utimur, come ab aliis dicta, foliis croco ſimillimis naſci in aſperis, ſine uſu Plinius tradit, alioqui coquitur in pulte.

Ornithogalon. Cap. LXXVII.

Ornithogalon herbula eſt caule tenero, ſeſquipedali, tribus aut quatuor ſurſum mollibus agnatis, unde flores exeunt foris herbacei, ſed interius candicantes lacte, in quorum medio capitulum cachryos modo diſſectum emicat, piſtrinis commendatum ad panes cereali ſapore condiendos. radice bulboſa, cuius crudæ & coctæ in cibis eſt uſus. Nunquam illum offendere potuimus herbarium, qui nobis hanc demonſtraret, incognita ferè nunc omnibus etiam doctis, cum tamen pleriſq; tractibus ornithogalo frumētarij agri ſcateant. A ruſticis paſſim eruitur rotunda radice, bulbaceam ſpeciē præſeferente, è cuius medio cauliculus exit, tribus aut quatuor adnatis appendicibus in cacumine, foliis in capillamenta quædā extenuatis, floribus exiguis, foris herbaceis, intus lacteo colore candicantibus, qui ſimul coaceruati uelut paniculæ quædam cōpactili callo ſquamatim cohærentes in pilulā extuberant, nucamentū pineæ nucis repræſentantē. Noſter Sueſſionēſis ager *churlos* uocare conſueuit, pueris nō incognitos, qui propter aſtātes cū aratro terra proſcinditur, aut in latiores porcas ſulcatur, erutos uomere colligūt, multo caſtaneis ſuauiores in cibis, quibus & crudis & in cineribus incoctis rura ueſcantur, odore iucundiſſimo os mirū in modū cōmendante, nā tuberibus ſimiles ferè noſcuntur. quare tanq; germanitate, uel quadā cognatione iunctos, Dioſcorides his copulauit. Radix in orbē ferè collecta eſt, cortice pullo, cādidiſſima intus carne pulpa'ue perq; odorata, uere uel æſtate cū fronde uirēt: hyeme uel autumno cū exarantur agri, radicitus uelluntur. Diu ſeruari poſſunt, & ubi annonæ premit inopia, plebis ruſticæ famē & ieiunia caſtanearū more ſatiāt. Nec aliud humo genitū promptius in cibos cedit, cū frugū penuria gliſcit. Mirè ſuibus expetuntur, qui roſtro ſcrobiculos excauāt & horū capti dulcedine, gregatim ad hos eliciēdos, radicitusq; uellēdos aduolāt. Rura ex agris ſpōte natum gratiorē cibū non norūt. Lautiores etiā menſas diuitū ornithogalon non reformidat. Ornithogalon commendatur ut gith piſtrinis, ad panes cereali ſapore condiendos, radice bulboſa, cuius crudæ in cibis & coctæ eſt uſus.

Tubera. Cap. LXXVIII.

Tubera Gallis *truffa* dicuntur, in quo nomine Latini uocabuli relucent ueſtigia, diſſiliente è ſuo uerticulo litera r, & aſcitis inuicem aliarum duabus. Tellus, ut Theophraſtus eſt author, in ſe tubera parit, quæ geranea nominant aliq ui. Quod circa Cyrenen naſcitur miſon nomine, perquā ſuaue, carnis odorem æmulatur. Quod in Thracia prouenit, iſton cognominant. Carēt, ut idem inquit, me dulla, uena, cortice, ſolo undiq; circūdata, nullis fibris, nullisq; capillamētis nixa, nec extuberāte loco in quo gignuntur aut rimā agēte, nec ipſa terrę cohęrēt, nec terrā eſſe planè dicere poſſumus, neq; aliud q̄ terræ callū, cortice etiā includuntur. Cōſtat itaq; terrę ſaginam inid malum conglobari, quod eo deprehenditur argumento, quòd ſæpe ſuo callo ferrum

calculos aliam'ue materiam implicuerunt, quæ duritia mandentium dentes subinde la/ ceſſat. Simile quiddam tradit Plinius, Lartio Licinio prætorio uiro mordenti tuber acci/ diſſe, ut deprehenſus inde denarius primos dentes inflecteret. Siccis ferè & fabuloſis fru/ tetoſiſq; locis naſcuntur. Excedunt ſæpe magnitudinem mali cotonei. Duo eorum gene/ ra, arenoſa dentibus inimica, altera ſyncera, quæ nullo alienæ rei permiſtu mera prorſus occalluerunt. Findunt frequenter ſolum, quod inquit Martialis.

Rumpimus altricem tenero de uertice terram,
Tubera boletis poma ſecunda ſumus.

Tenerrima uerno tempore promuntur, nec ultra annum durant Athenæus exiſtimat an/ nicula duntaxat eſſe, nunquam ad bimatum prorogari, autumno cum imbres & tonitrua ſucceſſerunt gigni, uere iam uegeta ad uſum produci. Cæterum nõ deſunt, qui ſementica iudicent origine naſci. Negant, in Mitylenæorum litore prius inueniri, quàm imbriũ im/ petu primigenia ab Tiaris ſeminia deferantur, qui paſſim ager ſcatet tuberibus. Quinetiã addunt, in litoribus & ſabuletis plurima pronaſci. Hæc habent quæ de tuberum origine cauſentur. In Helleſponto ne ulla quidem prouenire compertũ eſt. De tuberibus hæc tra/ duntur peculiariter. Cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc naſci, & ma xime è tonitribus, quod Aquinas poeta confirmans inquit.

Et facient lautas optata tonitrua cœnas.

Cuius cauſam Sympoſiacorum quarto Plutarchus perueſtigat. Quanquam complu/ res aſſeuerant, tonitru perinde quaſi inſolatione, uel aeris impulſu terram hiare, ſic ri/ mis ſolo fatiſcente coniiciebant, qua parte tubera latitarent. Quapropter tonitru gigni tubera, non oſtendi uulgus opinatur: non ſecus quàm ſi quos exiſtimet imbres cochleas creare, potius quàm illectas humore ex macerijs & ſepibus in lucem euocari. Agema/ chus hiſtoria fultus, miraculum cenſebat, quod tamen credendi fidem non derogaret. Siquidem permulta tonitrus & fulminis prodigia, quæ cæcas habent cauſas, & cognitu difficiles, uel quorum nemo prorſus rationem poteſt inire. Etenim is in riſum effuſus, ſubdidit, Bulbus non exilitate ſua fulmen reſpuit, ſed occurſante diſcordantium uirium miraculo: ueluti ficus arbor fulmine non icitur, nec unquam uituli marini uel hyænæ ter/ gora fulguris incendio flagrant, quibus extrema uelorum ideo gubernatores nauis in/ ueſtiunt, ne fulmen experiantur. Pluuias coruſcante fulgetro demiſſas, frugum altrices agricolæ prædicant, & ſtultum prorſus ducunt, quenquam harum rerum admiratione teneri, præſertim uidentes in his affectionibus aquam rem mollem aſpero crepitu ſpar/ ſim ignem eiaculari, id quod omnium calculis, ab omni abhorret perſuaſione. Sed Plutarchus ex intimo philoſophiæ penu cauſas repetens, cum Agemachus ei dextram dediſſet, inquit, Irrumpentes ui tonitrus aquas feraces eſſe fœcundasq; nihil in præ/ ſentiarum adduci poteſt euidentius, cuius cauſam ignis permiſtioni refert acceptam. Quippe purus ignis ac pernix ruit, in fulgetrum illucens, ſæuiunt procellæ, inibiq; uen/ tus obuerſans frigus domat, & humorem exhaurit, ita ut germinantibus ſuauitatem quandam adferat, qua maturius craſſeſcant: quãdoquidem & temperaturarum propriè/ tatem & ſuccorum differentiam emergentibus ſatis talia conciliant, non aliter quàm ro/ res dulcius pabulum pecori ſumminiſtrant. Arquus etiam aquarius arbores, in quas pro/ cumbens deflectitur, mira replet odoris ſuauitate, dulci halitu cælitus inſpirato, multoq; ueri ſimilius, cæleſtibus aquis, tonitru, fulgetro, calore, & uentorũ impetu, penitus in ter/ ræ uiſcera compulſis humum in ſe colligi, & globoſas quaſdam collectiones abſceſſuſq; fungoſos excitare, quemadmodum in corporibus calor & ſanguis ſæpe ſtrumoſa glan/ duloſaq; tubercula creant. Itaque tubera non ſine calore neq; ſine aqua gignuntur, ſed à terra patiente permutataq;, corporum concrementa capeſſunt. Humus itaque fermẽto imbris cœleſtis imbuta globatur, & caloris adminiculo feruens in hæc tubera coaleſcit. Diphilus tubera ſcripſit eſſe concoctu contumacia, ſed utilem parere ſuccum, aluum læ/ uigare, & uentris recrementa ciere. Subdidit, inueniri nonnnulla quæ fungorum modo ſtrangulatus excitent. Herbam quæ ſuper tubera creſcit, qua reperta præſertim ſubeſſe cognoſcuntur, hydnophylla Pamphilus uocauit. Sed de ijs hactenus. Tuber radix eſt globoſa, ſine folijs, ſine caule. foditur uere, cruda & cocta ueſcuntur. Diſtinguuntur

colore

colore rufo nigroq́,& intus candido.Laudatiſſima quæ Africæ creſcunt.Tiaris plurima proueniunt,ubi negãt naſci niſi exundatione fluminũ delato ſemine.Certũ eſt ea ſeri non poſſe.Viuunt in terra,putreſcendiq́ ratio cõmunis eſt ijs cũ ligno. Aſię nobiliſſima circa Lampſacũ,Græciæ uero circa Elin.Galenus bulborũ nationi tubera reddit: cæterũ nullo euidenti ſapore placẽt,ad excipiendã tamen condimentorũ gratiã nõ reſpuenda, ceu quę ſunt aquoſo guſtu prædita,quæ fatuũ & moroſo indignũ palato miniſtrent cibum, ex tuberibus,craſſiorem:ex cucurbitis,liquidiorem tenuioremq́, utrunq́ frigidiuſculum.

Smilax hortenſis. Cap. LXXIX.

Smilax hortenſiana,cuius fructum lobia,quaſi ſiliquulas appellant, folio uiret hederaceo,molliore dũtaxat,gracili caule,flexu clauicularũ uicinos frutices implicante. Adoleſcit in tantum, ut rami ſcenas & tentoria uelut opere topiario quodam opacent.Siliqua fœnigræci lõgiore & toroſa,in qua ſemina continentur renunculis ſimilia, nec uno colore, ſed ex parte ſubrufa. Paratur igni folliculus cum ſemine cibis. Aetius unà cum recentioribus faſeolum à Dioſcoride hoc loco repræſentari ſcripſit,utiq́ nõ candidum,de quo ſuprà mentionem fecit, ſed rubentem,qui & lobos & dolichos dicatur, & latine ſiliquæ lobia nominãtur ut idem ait, quod ſoli ferè legumínum cum thecis ſuis manduntur patinis fricti.Scandũt hi pedamento cui accubent prælongo propter eos adfixo.ita enim reddi putant frugi.Contrahunt æruginem niſi palo ridica ue fulciantur.Qui ſectis Arabum ſunt addicti,cum Dioſcoride citant in teſtem,pro ſmilace hortenſi phaſiolos uſurparunt.Nec deſunt, qui lobos ſiue dolichos dictos à recẽtioribus,exiſtimẽt piſos. Cæterũ Theophraſtus,& ante Theophraſtũ Hippocrates,piſum à dolicho manifeſtè ſeparauerunt.De phaſiolis nuſquam meminit,ni ſi quis ab eo ſignificatos dolichorum appellatione cenſeat, ut Aetio placere uideo. Paulus piſos & phaſiolos à lobis manifeſtè ſeiunxit. Non itaq́ ſunt candidi & triuiales illi phaſioli, ſed rubentes è ſmilace hortenſiana. Paulus in compoſitione quadam aduerſus renum uitia,quæ διὰ τριῶν nominatur,phaſiolos requirit albos, quaſi ſint etiã non albi. Idem phaſelos & qui dolichi nominantur, ſi uirides cum ſuis ualuulis comeduntur, aluí recrementa ciere tradit.Hippocrates in libro quem de ratione uictus ædidit, piſos flatus creare ſcribit, ſed phaſiolos quos nominat dolichos, magis aluũ ducere,& pauciores excitare ſpíritus.Subſcribimus itaq́ eorum iudicio, qui non uulgares illos, ſed rubentes phaſeolos ſmilacem hortenſianam eſſe cõtendunt,cum ſint folijs hederæ, mollioribus atque uenoſis,caulículis tenuibus,ſequaci clauicularum reptatu propinquos frutices implicante,ramis fornices & cameras hortorum ueſtiẽtibus, & umbra leui attegias eorundem opacantibus,ſiliquis teretibus,& fœnogræco longioribus,ſemine intus uerſicolore: quorum ualuulas cum ipſis granis aſparagorum more mandímus,ancipiti edulio,inter bonũ malumq́ ſuccum ambigente.Piſo multa ſunt communia,nam longa ſerpunt flagella:quæ ſi prope nacta ſint rídicas,ſuis capreolis complectuntur. ſed ijs folliculus ferè tenuis ac fere membranaceus, illi toroſior teresq́. Seminum etiam diſcrimen. nam ſmilacis uario colore uiſuntur,piſorum ſemina ſimplici nitent colore, utraq́ tamen renunculis ſimilia.Folia quoq́ piſi aliquantum uidẽtur reclamare. Sed piſum & Græci & Latini uocant legumen,quo nullum in Gallia hoc nomine à faba nobilius,caulibus fiſtuloſis, in terram ſparſis,ramoſisq́,prætenui ſurculo,folio frequẽti,præter cæterorũ morẽ longiuſculo, ſiliqua cylindracea, granis rotundis, candidis,flore papilionis forma,circa umbilicũ purpureo,radice imbecilla.Piſo caduca eſt natura, niſi ramices inueniat quibus fulciatur per terram irrepit. ſed ſolent ſectos frutices interſerere quibus incumbat, alioqui facile ſentit ærugínem. Mirum eſt Dioſcoridem níhil, quod extet, de piſis pronunciaſſe. Paratur igni folliculus cibo cum ſemine tanquam aſparagus. Vrinam pellit,inſomnioſos facit.De ea ſuprà nobis nonníhil dictum eſt.

Medica. Cap. LXXX.

Ex ijs quæ placent eximia herba eſt medica, quòd cum ſeritur decem annis durat,quòd per annũ deinde quater rectè, interdum ſexies demetíť, quòd agrum ſtercorat, quòd omne emaciatum armentum ex ea pingueſcit, quòd ægrotanti pecori remedium eſt: ſed cum tenera proſiluerit, inter initia dum conſue-

ſcant

scant parcius, ne nouitas pabuli noceat, inflat enim & multum creat sanguinem. Multis enim regionibus medica natu satis morosa, alijs cumulatim emergit. Sed tanta dos eius, ut uno satu compluribus annis perennet. Solum efflagitat elapidatum. Subigitur autumno, mox aratum & occatum fimo satiatur. nam poscit succosum locum. Aprili aut tardius mense Maio seritur, alioqui pruinis opportuna. Iacta semina statim ligneis rastris obruantur, nam celerrime aduruntur à sole. Cum cœperit fruticare, omnes alterius generis herbæ eruncentur, sic culta sexies demeti poterit. Recens ædita trifolio praetensi similis: crescenti folia contrahuntur, caulículos trifolio proximos emittit, in quibus semen lenticulæ magnitudine pendet, inflexum in cornicula. Sexies ut tradunt floret, cum minimum quater modo non secetur. Flos in purpureum colorem spectat. Arescit surculosa, postremo in puluerem inutilem extenuatur. Hac herba plerique tractus Galliæ uirent, quam uernacula consuetudine *grande treflon*, quasi trifolium uocant. Alij quòd allatum à Burgundionibus semen auorum nostrum memoria, *Burgundiense fœnum* agricolæ nominant. Rura quædam etiam apud nos *fœnaciam* sermone patrio dicunt. Ruris disciplinæ prudentes medicam iactato semine serunt, adiecta nostratis auenæ portiuncula: eam siquidem radiculis fundamenta iacere putant, quibus comprehendens firmius nitatur. Sed & pleraque prata scatent apud nos medica, quæ uel naturæ sponte, uel cæli conditione nata est: nisi quædam olim illic satæ reliquiarum uestigia restent, quæ herboso, uti solet, cespite uicta desciuit in pratum, & restibili fertilitate sua sæpius in multos annos caduco semine regerminauit. namque cum altitudine fuerit unciali, omnibus herbis liberanda est, & manu sæpius quàm sarculo, alioqui deficit in prata. Sed quid sponte sua medicam nasci prohibet? nisi forsitan peregrina nobis & externo orbe petita sationem desideret. A fœnisecibus secatur melius, cum incipit florere. nam in semen maturescere prohibendum est, siccataq; digeritur in magnos fasces, qui ad trimatum seruantur, magno rei pecuariæ compendio. Namque ueterina ijs optimè pascuntur, eoq; pabulo uillici pecora saginant, nec ullo magis lætantur cibo, pinguescuntq; iumenta. Ad maciem equorum, ut Columella prodidit, nulla res tantum quantum medica potest. Ea uiridis tunc tardè tamen arida, fœni uice saginat iumenta: uerum modice danda est, ne nimio sanguine stranguletur pecus. Sed mirari subit quomodo res iam Galliæ triualis, tamdiu Italis incognita latuerit, & iampridem familiaris euanuerit. quam Marcellus renouandæ uetustatis, ut asserit, studio suo, dum in lucem reuocare & disciplinæ ruris restituere conat, magis eius obliterauit cognitionem. Nam cum non aliunde quàm ex Hispania quid esset nosse potuisset, caulículos integros huic respõdere satis deprehendisset, semen inuenit exiguũ, teres, colore flauescente, sed papaueris seminio uel panici minus. Quare mendũ in Dioscoride suspicatur. Sed res exigit, ut rẽ aliquanto uerbosius prosequamur. Medica quæ passim apud nos seritur, similis est caule foliisq; trifolio, in fœniscis & pabularibus prouenięti, geniculata, quicquid assurgit in caule, cõtrahitur in folia. In scaporũ cacumine breues siliquulę prodeunt in corniculorũ speciẽ intortę, denticulato foris inflexu, & uelut exiguos mucrones exerẽte, in quibus singulare semẽ, ferè lunatũ continetur, lentis magnitudine, folliculo cohærẽs. quod dentibus fresum, pisi saporẽ repręsentat, ori non ingratũ. singulæ thecæ singulorũ seminũ sunt capaces, quapropter forsitan cõdimentario sali permiscebat. Itaq; quis facile deprehẽderit nonnihil de medica à librarijs omissum, & ab eisdem luxatam Dioscoridis lectionem, quæ sic ex herbæ conspectu potest in sedẽ restitui, Medica colliculos trifolio similes profert, & siliquulas ut cornicula inflexas, in quibus semen lenticulæ magnitudine cohæsit: nisi quis seminis appellatione putet uenire, quod siliquula tanquam cortice & seminio constat, qua notione fructum frequẽter nõ semen accipit, cui tũc nihil esset adijciendũ. Verũ hoc genere loquẽdi nõ solet uti Dioscorides, nec hærere semina caulibus usquã, quod equidẽ sciã, notauit. Melius ergo ubi Græcis exẽplaribus scriptũ est ἐφ' ὧις id est in qbus, legendũ καὶ λόφοις, id est siliquas, in quod uitiũ facile librarij quodã scripturarũ cõfinio lapsi sunt, ἐφ' ὧις pro λόφοις scribentes. Vereor etiam, ne Marcellus cytisum pro medica uiderit, cui principatus datur in pabulis, nam hac ferè facie, quam explicat, repręsentatur, & Hispanijs etiam frequens, ut suo loco disseremus. Sed de medica satis sit dictũ. Medicę semen siccatur, & suauitatis gratia in

tia in condimentarios sales adijcitur. Iis quæ refrigerari usus, uiride illinitur. Pecorum magistri utuntur herba tota in pabulum pro gramine, ad quorum maciem nulla res tantum quantum medica potest. Ea herba uiridis nec tarde tamen arida, fœni uice saginat iumenta. Verum modicè danda, ne nimio sanguine stranguletur pecus. Fieri oleum ex ea tradunt ad neruorum tremores efficax.

Aphace Cap. LXXXI.

APhace nascitur in aruis, tenuia admodum folia habet, pusillo altior lenticula est maiores siliquas ferens, in quibus terna aut quaterna semina sunt, nigriora & minora lenticula. Hæc Plinij Dioscoridisq; pictura huic uidetur respondere, quam rura nostra uocãt *agrestem uiciam*, cũ simili omnino habitu in aruis conspiciatur. florẽ eius rusticis intorquent coronis, quoniã perpulcher citra tamen odoris suauitatẽ, emicet. Nec desunt è recẽtioribus, qui uiciã esse censeãt nostissimã omnibus frugẽ. Sed hæc, quãuis alteri cõgener uideatur, nõ tamen prouenit in aruis nisi cultu diligenti & labore parentẽ. Aliud aphacen, quanquã uicinũ satis, demonstrãt ueteres Græci, qui de re ueterinaria scripserunt, *ἔρικον* passim neutro genere pronuncian tes, pro triuiali fruge uicia, nusquam aphaces meminerũt. Num tantos authores fugisset, uiciam suo sermone dici aphacen? Sed nunc unum citasse uel alterum satis erit. E quo Columella uel ipse ex eo, uerbotenus hanc medendi rationẽ detorsit, Eumeli uerba sunt hęc:

Τὸν τῆς κεφαλῆς μιλύσει πόνον ἀλαχεῦντες ὀφθαλμοί, καὶ ὦτα διεφαιμένα, κεφαλὴ κάτω νένυσται. χρὴ δὲ θεραπεύειν ὅτως. λύει μὲν ὑπὸ ὀφθαλμὸν φλέβα, ἐπὶ τὸ σῶμα δὲ ἄλατι θερμῷ πυελίζει, τροφῆς ἀπέχεσθαι ποιεῖ. τῇ δὲ ἕκτῃ ἡμέρᾳ, χόρτῳ χλωρῷ καὶ ἅλατι χλιαρῷ κέκτηκε, τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρᾳ κελεύει μετὰ δικέως χόρτου ἐσθίειν ποιεῖ. κατολίγον δὲ ποτίζειν ὥσε μὴ πρόσβασιν τῷ μὴ φύσιν ὑγιείαν λαμβάνειν.

Eadẽ ad uerbum ferè Columella tradidit inquiens: Capitis dolorẽ indicãt lachrymæ quæ profluunt, aures flaccidæ, & ceruix cum capite aggrauata & in terrã submissa. Tũ rescinditur uena quæ sub oculo est, & os calida fouetur, ciboq; abstinetur primo die. In posterò autẽ, potio ieiuno tepidæ aquæ præbetur, ac uiride gramen: tũ uetus fœnum, uel molle stramentũ substernitur, crepusculoq; aqua iterũ datur, parũq; hordei cũ uicialibus, ut per exigua portione cibi ad iusta perducatur. Vides idẽ ergo esse uiciæ fœnũ & uicialia Columella authore. Sed quod apud Eumelũ legit corruptè *κατολίγον*, ex Columella restitui potest, qui *κατολύκα*, id est crepusculo & prima luce cõmodius uidetur legisse. A græcis è qbus nostri pleraq; hauserũt, nihil quod uiciæ respõdeat memoriæ proditũ est, quare uiciam ab aphaca diuersum esse genus nõ ambigo. Nec idem esse Theophrasto quod Dioscoridi cõstat aphacen, qui modo leguminũ generi, modo inter olera cõnumerat, inquiẽs primis ab Aequinoctio statim imbribus germinare, & aculeis armari, foliis sylueſtri cicorio similibus: primam appetẽte uere florere sed particulatim, nec secus hyeme tota totoq; uere in æstatẽ, uerũ cũ præcox est. properat flos eius qui luteus, sed celeriter senescit & in lanuginosos pappos soluitur, amaritudine inguſtabili. Plinius eadẽ ferè sparsim uarijs locis repetit, aphacen æquinoctio nasci tradẽs, caule foliato, per partes florẽte: sed diuturnior est florũ partus, nã subinde uno marcescente emittit aliũ, tota hyeme totoq; uere usq; in æstatẽ, amaro gustu. Sed Theophrasto, quod equidẽ inuenerim, aphaca nõ siliquatur, cũ flos euanescat in pappos, in quibus magna ex parte semen occulitur: nec foliũ eius ad lenticulæ, sed magis cichorij frondem aspirat. Plinius ijs quæ uarijs sparsim locis dicta sunt, in unam picturam collectis, assentiri Theophrasto cognoscitur. Hieraciarum primum genus à Theophrasto putatur intelligi: uigesimo tamen septimo uolumine, quinto capite, Dioscoridis deliniationem nulla reclamante nota secutus est Plinius. Natura ei ad spissandum efficacior quàm lenti, reliquo usu eosdem effectus habet. Stomachi, aluiq; fluxiones sistit semen decoctum.

Porrum. Cap. LXXXII.

POrri duo genera signauit antiquitas, capitatum, quod increscit in caput: & sectiuum, cui frondentem comam solo tenus amputarunt. hoc si facere uelis densius satum præceperũt ueteres relinqui, & ita cum increuerit secari. Sed longè melius sectile fieri consueuit si differatur, & modicis spatijs uelut inter quaternos digitos depangatur, & ubi conualuerit desecetur. Alij post

duos

duos menſes quàm ſatum eſt ſecare malunt manens in areis ſuis. Sed quoties reſcindetur aqua iuuari debet & ſtercore. Sed in eo quod magni capitis efficere uoles, ſeruandũ ſit, ut antequã translatũ deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarũ ſummas partes intondeas: tum teſtulæ, uel conchæ, quaſi ſedes ſingulis ſubiectæ ſeminibus, adobruunt, ut fiat capita latioris incrementi: ſic antiqui ſilice uel tegula ſubiecta porrorum capita dilatabãt. Capitatum aſſiduam ſarritionem deſiderat, & ſtercore ſatiari. Sectile præter id rigari debet, quoties demetitur. Semen calidis locis Ianuario, frigidis Februario ſeritur. cuius incrementum quò maius fiat, raris linteolis complura grana colligantur, atq; ita obruũtur. Sed ut magis in caput extuberet, cum radices agit, ſarculo leniter comprehenſum ſubleuetur: ut à terra modo quodam ſuſpenſum, quod ſpatij uacuum ſubter inuenerit, capitis uaſtita te cogatur implere. Sic inanitas ſpatij quæ radicibus ſuberit, incremento capitis ſupplebitur. Item ſi capiti eius rapi ſemen immittas ſine ferro, multũ fertur increſcere, melius ſi frequenter hoc fiat. Sotion græcus author laudat ſtatim atq; ſatum fuerit puluinos arearum pedibus proculcari, triduumq; uelut habitum neglectui minimè rigari, quarto die aquæ conſperſu iuuari, ita probatiſſimum naſci putat. Si inter ſerendum arena terræ miſceatur, uberrimum prodibit. Si dum transfertur, capiti ſtilo uel arundine citra ferrum puncto cucumeris ſemen in medium inſeras, mirum in modum fertur grandeſcere, quãdo ſeminijs coaleſcentibus in magnum tumorẽ extuberabit. Sunt qui non cucumeris ſed rapæ ſemen uentri potius inſinuent. hoc in unitatem coiens, turgidam capiti molem adfert. Item ſi quanta tribus digitis carpi poſſunt, oblita fimo ſemina uetere linteo ligata depoſueris, grandis porrus naſcetur ex omnibus, ſi protinus irrigetur. Non olebunt porros, qui cum num præguſtarint. hoc enim eſu, ut refert, grauis odor extinguitur. Nunc ſarculo radices leniter conuelluntur, ut delumbatæ alant neq; diſtrahant. Porrò duodeuigeſimo die à ſatu prorumpit, bimatũ perfert. Ab eo tẽpore ſementeſcit, & emoritur. Læto ſolo gaudet, odit rigua. Capitatum, quod & aricinum cognominarunt, id eſt quod eſtur uulgo, ſimplici capite ex albę ceruicis anguſtijs extuberãte, fronde ſuper terram carinata, & in angulum oblonga, colore adeo uiridi ut pro herbaceo porraceus color uſurpetur. Stipes cepitio ſimilis eſt, ſparſo quoq; per eius cacumen in orbẽ ſemine. Duo item ſectiui traduntur faſtigia. Vnũ herbaceũ folio, inciſuris eius euidẽtibus, quo utũtur medicamentarij. Alterum genus rotundioris folij ſuauioriſq;, inciſuris lenioribus. Capitatos porros Græci gethyllidas nominant, quas ut eſt Athenęus author Latonę ſacras eſſe narrant. nam cum Apollinem geſtans in utero pręgnantium malacia laboraret, hoc cibo fertur elanguentem appetentiam inuitaſſe. Quare Polemon uetuſtus Ariſtophanis enarrator, cũ id olus Latona concupiuiſſet, latam fuiſſe Delphis legem tradit in Theoxenijs, qui maximum attuliſſet porrum huic deæ, ſportulã è menſa ſacerdotũ acciperet. ſeq; uidiſſe fatetur Athenæus, gethyl lidem in rapi magnitudinem excreuiſſe. Non deſunt tamen è Græcis qui gethyon hanc eſſe cenſeant. Didymus ſimilia ampelopraſis gethya fecit, de quibus mox erit dicendum. Diphilus capitatũ tradit extenuare mediocriter & alere, flatus excitare. Cõmendat opſonia, ſed meliorẽ ſectili ſuccũ corpori ſumminiſtrat. Capitata gethyllidas idem dici teſtatur. Martialis utriuſq; meminit in Xenicis, graues ſectiui halitus damnans, hoc diſticho:

Fila Tarentini grauiter redolentia porri
Ediſti quoties, oſcula clauſa dato.

Nam odor hunc cibum confeſtim prodit: ſed Aritianis authoritatẽ dedit eos ut uerſibus commendans:

Mittit præcipuos nemoralis Aritia porros,
In niueo uirides ſtipite cerne comas.

Porrum radice eſt cartilaginea, candicante, craſſa, multis fibris capillata, tunicis quibuſdam inueſtita. Anniculum ſolo foliatu cõtentum magis in frondem luxuriat, ceruice prælonga. Bimum proſilit in caulem longum, intus cauum, multis in uertice floribus acerua tim collectis, & in ſpeciem orbis abſoluti conglomeratis. hoc ubi ſementeſcere cœpit interit moritur. Grauem uocem explicat porrum, ſua lentitia faucium aſperitatem deliniens. Certè et perdices utuntur eo, ſi credimus Ariſtoteli, canoræ uocis gratia, ut minus mirum ſit, hoc ex oleo manſum à Nerone cum phonaſco daret operam. Porrum, ut Sotion ſcriptis man-

ptis mandauit, ſerpentium, phalangiorumq; ictibus omni reliquo medicamine celerius, tritum et impoſitũ medet. Omnia arterię ſanat uitia coctũ & ex melle datũ. Semen ex paſſo potum urinæ difficultates emendat: oculorum tamẽ aciem hebetat, ſi continẽtur eſtur, & ſtomachum male habet. Succus ex aqua mulſa potus uiperarum morſibus auxiliatur. item ex aceto, thure, uel lacte aut roſaceo inſtillatus auriũ dolores finit: et ſi ſonant eædem aut ſibilum elidunt opitulatur. Nec ſecus folio prodeſſe tradit. Laterum doloribus olus hoc ſuccurrit. Porrorum uſus perquam ſalubris, ſi tantiſper incoquantur dum in tabem fere reſoluantur. Quippe cũ non minus quàm carnes alere credunt. Acrimoniam deponere Galenus aſſerit, ſi bis coquãtur. Excalfaciunt corpus, craſſos extenuãt humores, lentos digerunt: ideo biliоſis eſu continuo Amidenus Aetius interdixit, nõ inſalubri tamen ijs qui lentam craſſamq; collegerunt pituitã. Sanguinẽ reijcientibus ſuccus cũ gallę & thuris farina datur. Hippocrates ſine alia miſtura dari iubet. uuluas contractas aperiri putat, fœcũditatem etiã fœminarum hoc cibo augeri. Contritũ ex melle ulcera purgare, tuſſim & deſtillationes thoracis. Toſtus editur & contra fungorum uenena. Venerem ſtimulat, ebrietates diſcutit, ſitim ſedat, inflationem facit, quæ tamẽ ſtomacho nõ noceat, uentrem mollit, uoci ſplendorẽ adfert. Porrũ ſectiuum profluuia ſanguinis ſiſtit, naribus cõtrito eo obturatis: item ex abortu profluuia poto ſucco cum lacte mulierum. Tuſſi etiam ueteri ac pectoris et pulmonũ uitijs medetur. Illitis folijs ſanantur ambuſta, epinyctides. ita uocatur ulcus aciẽ hebetans, & in angulo oculi perpetuo humore manãs. Quidã eodẽ nomine appellant puſtulas liuentes ac noctibus inquietantes. Aurium uitia, cum felle caprino uel pari menſura mulſi, ſtridoresq; cum lacte muliebri mulcet: capitiſq; dolores ſi in nares fundatur, dormituris ue in aurem duobus ſucci cochlearibus, uno mellis. Succus ad ſerpentium ſcorpionumq; ictus in potum bibitur cum mero: ad lumborum dolores cum uini hemina. Sanguinem excreantibus, deſtillationibus et phthiſicis uel ſuccus, uel ex ipſo cibus prodeſt: item regio morbo, uel hydropicis. Capitato maior eſt ad eadem effectus, ſi purulenta excreentur. Crudum præter capita, ſine pane datur ita ut alternis diebus ſumatur: ſic & uoci, ueneri, ſomno multũ confert. Capita bis aqua mutata cocta ſiſtũt aluũ. Cortex decoctus illitusq; inficit canos. Capitatũ Dioſcoridi mali eſt ſucci, urinam cit, uentrẽ mollit, craſſitudines extenuat, aciem hebetat oculorum, purgationes fœminis reddit, ueſicam exulceratam renesq; lædit. Cum ptiſana coctum uitia pectoris emendat. Coma eius in marina aqua & aceto decocta contractiones uuluæ, ac duritias inſidentium tollit. Miteſcit uero porrum, minusq; inflat bis aqua mutata coctum, deinde frigida perfuſum. Semini maior acrimonia, nec ſine tamen ui quadam aſtrictoria. Proinde ſuccus ex aceto ſanguinis profluuium præſertim è naribus, adiecto thuris polline aut manna ſiſtit. Venerem ſtimulat. Omnia thoracis uitia tabemq; cum melle eclegma datum expedit. Voci ſplendorem in cibo facit, quanquam frequentius ſumptum uiſus obſcuritatem adfert. Arteriam expurgat, ſtomacho nocet. Ad beſtiarum morſus ſuccus bibitur ex melle. Idem auriũ dolores ſtridoresq;, cum aceto & thure, ac lacte, uel cum roſaceo inſtillatus diſcutit. Folijs illitis perſanantur uari cum rhu quod ad obſonia expetitur, item & epinyctides. Cruſtas impoſitum cũ ſale perrumpit. Vetuſtis reiectionibus ſanguinis ſemen duabus drachmis bibendum datur, cum pari baccarum myrti menſura.

Ampelopraſon. Cap. LXXXIII.

AMpelopraſon Galenus agreſte porrum eſſe tradidit, ſi quis ita dicere uelit: quapropter acrius ſicciusq; cẽſetur, uti ſylueſtria omnia maiore ſatiuis acremento placent. Quod & Aegineta Paulus confirmat, aſſerens ampelopraſon uelut ſylueſtre porrum eſſe, ſiccioreq; natura donatum. Ampelopraſon caule proſilit bicubitali, folijs porraceis, ſed anguſtioribus, flore candido, radice bulboſa. Prouenit in uinetis, unde à natalibus ampelopraſon, quaſi uitigineum porrum Græcis nominatur. Noſtrates officinæ *uineale porrum* appellant. Sunt & quibus *cepe caninum* & *aratillus* uernacula uoce dicatur. Ampelopraſon in uinetis naſcitur, ructu grauis, contra ſerpentium ictus efficax. Vrinam & menſes cit. Eruptiones ſanguinis per genitale inhibet potum impoſitumq;. Longè nocentius ſtomacho, calidioris item naturæ quàm porrum. Vrinas trahit uehementius, purgationesq; mulierum. Contra ſerpentium per-

cussus efficaciſſimum cibo. Diſſidet Galeno tantum à porro, quantum in congeneribus ſylueſtre à ſatiuo. Salgamarij ceparum modo condiunt in aceto, & uſq; in ſequentis anni prouentum recondunt, ſic innocẽtius redditur. Cauendus biliosis usus: ijs tamen quibus largior pituita coit, aut crudum lentumq; humorem colligentibus non incommodus.

Cepe. Cap. LXXXIIII.

CEpæ corpus tunicatum eſt, tutumq; pinguitudinis earum cartilagine, foliis ferè porraceis, intus concauis, caule tereti rotundoq;, per cuius faſtigium ſemen in orbẽ ſpargitur: radice capitata, pluribus cartilagineis compacta tunicis, quæ ſummatim prætenuibus rufiſq; ueſtitur membranis, nigricãte uertice, à quo fibræ capillitij modo fruticant, odore lachrymoſo. Cepæ genera apud Græcos plura, quæ gentilia ferè nomina retulerũt, ut Theophraſto placuit, Sardię, Cnidiæ, Samothracię: item Setanicæ, fiſſiles, & Aſcaloniæ, ſic ab oppido ludęæ nominatæ. Setania minima eſt, ſed largior & dulcis: fiſſiles & Aſcaloniæ tum cultu tum natura diſcrepant inter ſe. Fiſſilem hyeme cum ſua coma relinquunt inertem, uere folia detrahunt, & alia ſubnaſcuntur, ijſdem diuiſuris, quæ quòd parte findantur inferiore, fiſſiles appellantur. Hoc exemplo reliquis quoq; generibus detrahi iubent ut in capita creſcant, potius quàm in ſemen effundantur. Aſcaloniarum peculiaris eſt natura, etenim ſolæ fiſſæ & uelut ſteriles ab radice ſunt, nec parte illa craſſeſcunt, ob id illas ſemine ſeri, nõ deponi iuſſit Theophraſtus: præterea circa uer cum germinant, transferri. Maturæ celeriter putreſcũt. Si deponantur, & caulem amittunt & ſemen, ipſæq; tandem euaneſcunt. has adhuc hodie Galli nominant *aſcalotas*, relictis priſtini uocabuli rudimentis. Sunt & in honore Creticæ de quibus etiã dubitãt an eædem ſint quæ Aſcalonię, quoniam ſatis capitatæ craſſeſcunt. Iulius Pollux Samothraciam commendauit. Depoſitæ in caulem ſemenq; diffunduntur. diſtant ſapore tantum dulci. Latini duo fecerunt genera, condimentarium quod Græci gethyum uocant, quod ferè ſine capite eſt, ceruicis tantum longæ, ideoq; totum in frondem luxuriat, ſæpiusq; retondetur ut porrum. qua de cauſa ſemine feritur, nõ deponitur. uulgus noſtrum ſua conſuetudine *cebulam* quaſi cepulam uocat, alij *ſiboulam*: nonnulli *ciuas* uel *ciuones*, quaſi cepinas uernaculo ſermone proferunt. Alterum capitatum, quod ferè citra ceruicẽ in caput extuberauit, in cuius nominis ambitu eſt, quæ ſimplex non frutica uit, nec habuit ſoboles adhærentes, qualis eſt Marſica. Hanc uocant unionem ueteres ruſtici ut teſtatur Columella, quod nomen apud Gallos, uelut triuiale, hactenus uſurpatum eſt. Siquidem quod ſingulari conſtat capite, nec pluribus coagmentatur bulbis, *unionem* Gallica lingua nominat. quam prius in ſole ſiccatã, deinde ſub umbra refrigeratam ſubſtrato thymo uel cunila componebant in fidelia: & infuſo iure, quod ſit aceti trium partium & unius muriæ, faſciculum cunilæ ſuperponebant, ita ut cepa deprimatur: quæ cum ius combiberit, ſimili miſtura uas ſuppleatur. & ita conditam reponebant ueteres. Cepæ terram poſtulant pinguem, uehementer ſubactam, irriguam. itaque prius proſcindi ſolum iubet, ut hyemis frigoribus & gelicidijs putreſcat, deinde ſtercorari: mox bidentibus æqualiter perfoſſum in areas diſponi, uulſis herbis, omnibusq; deletis radicibus: deinde Februario menſe placido & ſereno die, auſtro uel euro flantibus, ſemina ſpargi. Intermiſcetur ſemen ſatureiæ, nam uiridis eſui iucunda, & arida non inutilis ad pulmentaria condienda. Si ſemina uoles excipere, cum uirentes caulem cœperint excitare, tum humilibus canteriolis ſtilorum rigor conſeruandus, ſcapiq; leuibus adminiculis arundinibusq; uelut iugatæ uites fulciantur: alioqui thalli ceparum uentis agitati proſternentur, deturbatiſq; ſcaporum cacuminibus totum ſemen excutietur. quod non antè legẽdum eſt, quàm cum nigrum colorem præ ſe feret. Siquidem eo colore integritatem fatetur, nigritiaq; maturitatis index eſt. Si uero non in ſemen creſcere ſed in caput colligi uoluerimus, folia radice tenus uellere debemus, ſic ſuccus ad inferiora cogetur. Tradunt ſi minuente luna ſerantur, tenues & acriores prouenire: ſi creſcente, robuſtas & ſaporis humecti. Capita uult Sotion reddi maiora, ſi cum transferuntur, fibras omnemq; comam auferas. Longè maiores cepæ naſcentur, ſi cum translationi locus eſt, in terra uiginti diebus antè ſubacta, & tantiſper reſiccata dum omnis exhauriatur humor, deponatur. Magis in capita creſcent

scent, si detractis tunicis nudæ pangantur. Optimæ rubro solo proueniunt, sicut allia candido. Incorruptæ durabunt, si in calidam aquam demersæ, mox insolatæ donec penitus siccescant, paleis hordeaceis recondantur, ita compositæ ut nulla ex parte sese contingãt. Id mirandum occurrit, quod apud Plutarchum quarto in Hesiodum commentario legitur. Cepe enim reuiresci & congerminat, decedente luna: contra autem, marcescit adolescẽte. Eam causam dicunt sacerdotes Aegyptij cur Pelusiotæ cepe non edant, quia solum olerum omnium contra sideris incrementa damnaq; uices minuendi & augendi habeat contrarias. Siquidem omnia quæ crescente luna glisc unt, eadem senescente tabescunt: quod in ostreis aperte cognoscitur, quas syderis iuuẽta complet, & uberiores facit, senium deplet, macrasq; reddit. echinos alit, eadem muribus fibras adijcit. Aelurorum oculi has syderis uires sentiunt, qui aut ampliores aut minores fiant. Cum ergo fruges, herbæ, arbores ijs lunæ damnis sint obnoxiæ, solum cepe uicissitudines nouit aduersas. Opinantur aliqui, semen eius ab auibus non attingi, quapropter terra negant obrui debere. Nullum cælí statum respuit, sed tepidiore lætatur. Hippocrates conspectu magis quàm esu commendauit, eo libro quem de ratione uictus inscripsit, asserens bonum uisu & corpore malum, quòd sit & calidum & æstuosum. Mentem lędi cepe quidam scripsere. Cur cepa lachrymas ciet, siue estur siue oculis admoueatur, cum nec nasturtium quod maiore morsu lacessit, nec item allium, lachrymas eliciant? Ea nimirum uaporem calidum, tenuem, ac lentum expirat, qui ad oculos irreptans lentitia cohæret, & sua tenuitate lancinans dolorem excitat, & sic lachrymas exigit. Nasturtium, utpote quod calidiore natura prędi tum sit, id exiccat quod colliquauit: & cum siccitate polleat multa, nullum expuit uaporem, qui lachrymas profundere ualeat. Allium & acre & calidum censetur, sed humorem continet qui lentus non sit: itaque lachrymam non elidit, nam calida sine humore uapor em non pariunt. Acria humida sine lentore dolorem non infligunt. quoniam prius uapor lentitia carens discutitur quàm oculis noxam possit imprimere, moram quandam efflagitat, quam adhæsio sola præstat. Itaque calida & humida, quæ acremẽto & lẽtore participant, lachrymas mouent, ut eadem ijs contraria supprimunt. Iam satis ostensum est lachrymosam esse cepam. Sed perueſtigandum nunc fuerit, si iniri ratio possit eius, quod itẽrum à Plutarcho traditur, ædito de Iside & Osiride commentario. Obseruatum, inquit, ab Aegyptijs sacerdotibus, uegetiore habitu cepam esse, & lætiorem congerminare, luna senescente. quapropter id olus auersabantur, eoq; cibo simul & feriatis & caste degentibus interdicebant, ijs, quod sitim inuitaret: illis, quòd lachrymas euocans feriarum celebritatem interpellaret: quibus Aegyptia superstitione imbutis, eæ licet ridiculæ rationes, satisfaciebant. Agellius ad cæcas illas rerum discordias, quas uocant antipathias, causam reuocare uidetur. Sed ut mea fert opinio, cepæ natiuus calor iuueneſcentis lunæ iutus feruore glutinosum humorem pertinacius concoquit, & terrenum cum aqueo aerioq; constantius permiscet. quod munus obiri nequit, quin magna fiat aquei iactura, nam glutinosus lentor non ita facile discutitur. quo fit ut partes ceparum quæ prius humore distendebantur, eo nunc exutæ flaccescant, & uelut passæ & in rugas contractæ tabescãt. Sed cum sydus orbe toto iam refulsit, & ad intermenstruum spectat, prægnans humorem parit aqueum: quem uelut alimentum ex aere perinde atque terra cum hærent, exuctæ auidius hauriunt, quo uernaculum lentorem ieiunæ foueant, priorem q; iacturam illo liquoris raptu resarciant. quo uelut satiatæ turgent, & suctu largiore dissilientes ferè reuiresc unt. Siquidẽ erutę solo diutius humi uel in laquearib. pẽsiles, in aere uiuunt, quasi ancipitis uitę, modo è terrâ, modo ex aere nutrimentũ capessant: nã & extra terram germinare, & humoris illectu gestire certum est. sed acto coliculo statim euanescere, cum tunc non satis suppetat crassioris alimonij quo scapus excitetur, depactæ cartilago in ceruicem abit. Quin & incrementum saliuæ cepis declaratur hoc illuni temporis curriculo, cum edomita paululum acrimonia subdulcescat, quæ tunc aliquantum ascito humore diluitur. Contrà forsan usu uenit in reliquis naturæ partibus, quæ lunæ sortem sequuntur, ut glisc ant crescente syderis & calore & lumine. Sotion est author, si teneriorem cepam cum melle quotidie ieiuni edant, firmitatẽ ualetudinis custodiri. Addit ulcera ad sanitatem perducere: contrà, allium admotu integrum corpus exulcerare. Vitiligines in sole perfrictas delere, succum

purulentis auribus prodesse. Illitam anginis auxiliari, sed oculorum aciem hebetare: tostam tussi mederi. Idem cum melle uulneribus imposuit. Alij somnum facere tradiderũt & olfactu ipso & delachrymationi & caligini mederi, sed magis succi inunctione. Vlcera oris sanare commanducatas cum pane: & canis morsus uirides ex aceto perlitas, ita ut post diem tertium soluãtur. Tostam in cinere epiphoris multi imposuere cum farina hordeacea, & genitalium ulceribus. Succo cicatrices oculorum, albugines, & argemas inunxere, & serpentium morsus, & omnia ulcera cum melle; item auricularum, cum lacte mulierum. & in eisdem sonitum ac grauitatem emendãtes, cum adipe anserino aut melle stillauere: & ex aqua bibendum dederunt repente obmutescentibus. In dolore quoque ad dentes colluendos instillauere, & plagis bestiarum omnium, priuatim scorpionum. Alopecias fricuere & psoras tusis cepis. Coctas dysentericis uescendas dedere, & contra lumborum dolores. Purgamenta quoque earum cremata ex aceto, serpentium morsibus linuere, & sepis quoque multipedæ ex aceto. Asclepiades ad ualidum colorem proficí in cibo prædicat: stomacho inutiles esse: uentrem mollire, hęmorrhoidas pellere subditas pro balanis. Succum cum succo fœniculi contra incipientem aquam intercutem mirè profice re: item cotra anginas ruta & melle. lethargicos eisdem excitari. Medici inutiles esse præcordijs & concoctioni defendunt, inflationem ac sitim facere. Varro quæ sale aut aceto pinsa est arefactaq; uermiculis non infestari author est. Dioscorides cepas omnes refert cupiditatem ueneris adferre, lentitiam pituitæ digerere, uentrem exinanire, fastidium stomacho facere, sitim mouere, hęmorrhoidas pellere: exitumq; omnibus excrementis aperire, detractis corticibus ex oleo subdita pro balanis. Caligines oculorum, argemas, suffusiones, incipientesq; nubeculas succo discutere. Anginis illitu eundem proficere, remoratos menses trahere. Naribus infusum capitis humores deuorare, eoq; canis morsus cum sale, ruta, melleq; lini. Cum aceto in sole uitiligines emaculari, cum pari modo spodij oculorum scabiem finire. Varos ex sale depellere, contra calceamentorum attritus cum gallinaceo adipe auxiliari, alui fluxionibus prodesse. Aurium grauitatem ac sonitum emendare, aut si pus inde manet, aut humor qui coierit elici debeat. Alopecias succo cõfricari, qui celerius areas quàm alcyonium pilo repleat. Copiosiores in cibo cepas capitis dolorem creare, urinas uehemẽtius exigere. Lethargicos efficere, si quis in aduersa ualetudine plus æquo uescatur. Cum passis uuis uel fico tubercula maturare, & confestim aperire. In omnibus tamen generibus acrior oblonga est quàm rotunda, item rufa quàm candida, itẽ sicca quàm uirens, recens quàm sale condita, cruda quàm cocta.

Allium. Cap. LXXXV.

ALlium notius est quàm ut debeat indicari, quum fronde uireat cepitia, sed minime caua, tereti caule & inani. in cacumine flores in globum circũagun/tur, in quo semen emicat. Radicis bulbus tenuissimus, & quæ separantur in uniuersum, uelatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis et ijs seorsum paratim uestitis, in cuius uertice complures fibrę cirrorum exemplo crispãtur, tædioso ut cepis halitu, aspero sapore: quo enim spicæ plures unà coierint, hoc asperius sentitur. Discrimen aliorum multiplex in tempore, præcox quod sexagesimo die maturuit: serotinum, quod tardius ad iustam maturitatem peruenit, & perfectionem adipiscitur. Est & in magnitudine diuersitas. Vlpicũ nominatur prægrande, quod Græci appellauere Cyprium allium, alij antiscorodon, præcipuè Africæ celebratum inter pulmentaria ruris. Trito in oleo & aceto mirum quantum increscat spuma, hinc aphroscorodon ut arbitror appellant, alij Punicum uocant. Caule adolescit multo proceriore, glabro, terete, foliis longe uulgari latioribus, in cuius fastigio semen in cumulum congeritur, capite ex grandioribus spicis conglomerato, quæ uelut fœdere quodam iunctæ cõfertim cohęrẽt, & prætenuibus cinguntur membranis, grandiore folliculo omnes simul ambiente, cerui ce breui, tunicata, fissilibus bulbis, in unum corpus coalescentibus, odore graui. radix primum extumescit in spicas, deinde curuatur: ubi succreuit, in nucleos iterum diducitur. Octobri mense fiunt cohærentium spicarum diuortia, eæq; liratim seri debẽt, arearum pulueris impactæ, quo minus infestentur hyemis aquis. Sed liræ similes sint porcis, quas in agris

agris faciunt ruſtici, ut uitent uliginem, ſed minores multo, in quarũ dorſo nuclei palmari ſpatio diſtantes deponantur. Quidam ulpicum in plano ſeri uetant. Caſtellatim grumulis ſpicas iubent imponi, diſtantibus inter ſe pedes ternos, ſed inter grana quatuor digiti intereſſe debent. Sic etiam allium uulgare conſeritur, ſulcis ſemipedali ſpatio ſeparatis, & nucleis non altè dorſo lirarum impreſſis, interuacante quatuor digitorum menſura: dein cum ternas fibras emiſerint ſpicæ, ſiue cum tria folia iam eruperint, ſarriri debent. grandeſcunt quo ſæpius id factum fuerit, & maius ſemina capiunt incrementum. Sed quo uaſtiora capita fiant, antequam caulem faciãt, uiridem comam omnem intorquere, & humi proſternere conueniet. Sed iam matureſcentium caules depreſſi in terram obruuntur, ita caueturne luxurient in frondem. Si capitatum facere uoluerís, ubi cœperit ſcapus prodire, proculcato, ſuccus reuertetur ad ſpicas. Ianuario menſe miteſcit. Fertur, ſi uel obruantur allia, uel eruantur ſolo, luna ſub terris latente, uel in intermẽſtruo, uirus odoris exuere, neque acerrimi ſaporis exiſtere, ac ne mãdentium quidem halitus inodorari. Allia tradit Didymus dulceſcere, quorum fractæ leniter ſpicæ ſerantur: dulciorem contrahere ſaporem, quæ in pangendo olearum fraces admiſerint. Idem aſſerit, allium ſi luna ſub terris poſita ſeratur, & item ſub terris luna latente uellatur, odoris fœditate carituram. Edentibus halitus tædium fertur aboleri, ſi crudam fabam ſupermanducarint. Verum ad amoliendam odoris tetri fœditatem, betæ radicem in prunis toſtam ſuperediſſe ſatis eſt. Eo ſiquidem remedio uirus extingui Menander è Græcis pollicetur. Diutius quoq; duratura, uel uſui meliora promittunt, ſed in ſatu ſterilia, ſi uel aqua ſalſa pauliſper intíngantur, aut ſuſpenſa caminis fumum experiantur. Paleis etiamnum condita, diutius inueterari cepæ modo authorum conſtat teſtimoníjs. Fumo quoq; ſuſpenſa durabunt. Audio apium uiride mãſis odoris grauitatem abolere. Maximus allij cum magnete diſſenſus, quam uocant antipathiam, tantumq; inter has res ſurdas & ſenſu carentes odium, ut ferrum abigat à ſeſe, ſi fricetur allio lapis, Plutarchus author eſt. Itidem confirmat Ptolemæus magnetem non trahere ferrum ſi linatur allio. ſicut ſuccinum non allicit amplius ad ſe paleas nec leuiſſima quæq;, ſi prius oleo macerentur. Nec prudentis fuerit uiri huiuſcemodi cauſarum aucupio, quo nõ facile potiri queat, legentes demorari. Sunt tamen qui ſubſtantiarum ſimílitudini, paribusq; elementorũ miſturis, hos effectus cæcos referãt, quæ & naturales concordías & amicitías, uelut ínito quodam inter ea fœdere pariant. Eadem utiq; magneti & ferro proprietas hæſit, quę miſtionẽ ſequitur, ſed efficaciorẽ lõge ualídioremq; in magnete quàm in ferro cauſantur: quare magnes conſimilis ſui uoluptate captus, non inuitum rapit ad ſe ferrum. quod ut amico fruatur conſortio, tractum non renititur, ſed perfectionem ſuam deſiderans ad magnetem ultro ſe confert. Quę uero diſſidentes cõtrariasq; miſtiones ſortita ſunt, diſſimilitudine quadam, mutua naturarum odia conciliarunt, cæcisq; diſcordijs uſq; eo flagrãt, ut admotis, uires tanquam ab aduerſis impeditæ refrenentur, & ſuis muneribus defunctæ ceſſent. quod allij confrictus in magnete declarat. Nam cum naturali ſeditione diſcordiaq; laborent, inimici concurſu hæc facultas elangueſcit, & ſilens torpet aduerſario præſente. Multaq; conſimilia ſunt naturæ prodigia: furibundum elephantem uiſus aries coercet. Vipera faginei ramuli iactu uel oblatu cohíbetur. Taurus quantumcunq; ferox adalligatus fico domatur. Remora piſciculus nauigia ſtare cogit, ruant uenti licet, ſæuiant procellæ, imperat furori, & uires tantas compeſcit. Succinum ocymi ramulos, feſtucas omnes imbutas oleo, abigit à ſeſe, alioqui rapit leuiſſima quæq;. Sic illitus allio magnes ferrum reſpuit. Sed iam ad inſtitutũ redeamus. Theophraſtus ait, allium quoque ſine nucleis inueniri, quod nec ſilentio prætermiſit Dioſcorides, aſſerens in Aegypto ſatiuum ſingulari capite naſci, in modum porri concreto, guſtu dulci, colore ad purpurã ſpectãte. Eſt etiamnũ ſylueſtre quod ophioſcorodon, quaſi anguinum allium uocant, in aruis ſponte naſcens, foliis prælongis, teretibus, intus concauis, ſunceam ſpeciem repræſentantibus, caule procero, leni, purpureos flores oſtentante, faſtigio tum colore tum forma conſpicuo, radice capitata, nucleis ſpicatim compactilibus intumeſcente, ſummo uertice capillamentis fibrato. Tradunt, aduerſus improbitatem alitum depaſcentium ſemina coctum, ne renaſci poſſit, abijcitur: ſtatim, quę deuorauere aues, manu capiuntur, & ſi parum commorentur, reſopitæ, nam eius guſtatu ſtupent. Pecudum

lac quæ comam eius depauerint allia ſubolet. Etiam ſi in caſeos coaluerit, non exuit illam odoris grauitatem. hoc rura *allium agreſte* uocant. Hallucinantur omnes medicamentarij inſtitores unà cum ſuis profeſſoribus, qui hoc ſylueſtre allium in theriacos paſtillos adijcere, & in alterius longè ab hoc diſſidentis locum ſufficere ſoleāt, turpiter non minus uicinitate uocabulorum quàm imperitia decepti. Nanque ſcordion, quæ maximè theriacis commendatur, folio eſt triſſaginis, multo maiore, fimbriato, aliquantum allia redolente, caulibus quadrangulis. quæ ſcordij facies tantum abeſt ut ſylueſtri ſuffragetur allio, ut nihil magis illi conſtet reclamare. Sed cum illis non agamus, qui bonos authores audire non ſuſtinent: ſatis nobis fuerit, ut errores, in quos paſſim labuntur, ijs pauculis authorum deſignationibus poſſint nunc expiari. Plura in ſcordij mentione dabuntur, ſi noſtris uotis deus ſubſcribat. Rura ferè frigidis regionibus allio uictitant. Inde abijt in hoc adagium: In retibus allium: quòd Athenienſes cum oram ſoluebant nauigaturi, magnam uim emercabantur, in linteum conijcientes, ut ſpero, ne aquarum mutationibus tentarentur, neq; infeſtarentur cæli conditione. Ophioſcorodon tradit Galenus allium eſſe ſylueſtre, quod ſatiuo ualidius habetur. Cēſet itidē Paulus. Aliud haberi ſylueſtre Plinius cōmemorat, quod uocant urſinum, odore molli, capite prætenui, folijs grandibus. Hippocrates libro quem de uictus ratione condidit, allium ait oculis utile, uentris dectionē molirī, uiſus hebetudines delere, urinas ciere, et ſpiritoſa ui flatus excitare, inno centius omnino eſſe coctum crudo. Contrà ſentit Dioſcorides, claritati oculorum officere uolens. Hinc ſuſpicor nonnihil ſubeſſe uitij Græcis libris. Nec ſimile quicquam apud ueteres legitur, qui Dioſcoridem adferre ſolent in teſtimonium. Verba ſubiunximus Hippocratis: Σκόροδον τοῖσι ὀφθαλμοῖσιν ἀγαθόν, διάθερσιν γὰρ πολλὴν ποιεῦμενον τῶν ὄψιν ἀναμβλύνει, quod eſt, allium oculis cōmodū, nanq; cum abunde deiectionē moueat, uiſum caligine liberat. niſi qui forſitan legendum putāt ἐπαμβλύνει, id eſt quod uiſum hebetet, quibus accedit Plinius, inquiēs: uitia allij ſunt quòd oculos hebetat. Verū parū ſibi cōſtaret Hippocrates, qui fatetur allium oculis bonū, & cauſam ſubijciens huius, aluū deijciendo uiſum hebetare proderet. Sed utile tradit, quòd ſollicitata uentris deiectione, obſcuritatem uiſus amoliatur, uel oculos caligine perſtrictos expediat, quod ἀναμβλύνειν uerbum ſignificat, quaſi tenebras abigere. Nec etiā omittendū græcè apud eundē legi, ἀλλοιωτικὸν ὑφανείας σωμάτων, quod eſt ſummā cutem permutare. quod parū propoſito Dioſcoridis quadrare uidetur, qui ſimili locutionis genere nuſquam eſt uſus, niſi uel corpus in meliorem colorem demutare, uel uitia cutis occulere, uerbis ijs intelligat. Marcellus hoc nomine ſibi placet, quòd græcum codicem hoc loco ſe credat emaculaſſe, quum hunc maximè ſugillauerit. Quid aliud fuerit ſummam corporis cutem uariare: nempe compertū non habeo. Sed quotus quiſq; tali uerborum ambage locutus eſt? Suſpicor itaq; ἑλκωτικὸν ὑφανείας σωμάτων eſſe ſcribendum, id eſt ſummam corporis cutē exulcerare. Harumq; uocū ſimili cōfinio lubricū ad hoc mendū iter librarijs patuit. Satis tuentur hanc ſententiā Sotion & Didymus ueteres Græci, qui referūt allium ſanū corpus exulcerare: cōtrà, cepam ulcera ad integritatem reducere. Subſcribunt iudicio noſtro ueterum quędam collectanea, qui ſecuti Dioſcoridem uerbo tenus cutem exulcerare prodiderunt. Verum cum primas medicinarum facultates genericasq; ſtatim ab initio demonſtret Dioſcorides, quibus aliæ uires priuatæ deſcendunt, ad quas ueluti principes cauſas, ſecuti effectus poſſint reduci: hæc de more ſuo, ueluti fundamenta quædam dicendorum iacit. Ergo cum in cibis excalfacere & erodere nos monuerit, non abs re poſtmodum hoc nixus adminiculo, cutem corporis ſummam exulcerare meminit, ne quis eſu interna corrodere putaret. ſicut ſinapis, piper, & alia pleraq; exterius admota rodūt, intus ſumpta calori cedūt innoxia. In quo genere alliū eſſe cōtendit, quare ſummā cutē & nō internā ſtomachi uel oris exeſſe declarauit, eroſionē ad exteriora tantū referens. Quod ſi libeat explorare, uidebis quoq; nō cicatrices modo redulcerari, ſed & ulcera ipſa perlitu refricari. Alliū & cepæ ſolæ ex plantis recōditæ germinare poſſunt. Cuius cauſam reddit Ariſtoteles, quòd humore alimētoq; ſunt refertæ, quorū copia germen excitare queat, cū adoleſcendi tēpus appetiuerit. Allia quoq; recens ædita minus olent: ſed cum iam adulta caules abiecerunt, longè grauiorē halitū expirant, cum ineunte iuuenta multum humoris diluti cōtineant: quo

per æta-

per ætatis curriculum euanescente, merum odorem adipiscuntur, qui acer est admodum. Allij comas cum capite solo molyzam Hippocrates appellat. Caput ipsum, ut Galenus est author, dætis nominatur, quod nomen adhuc hodie ruribus nostris immansit, *daecen* uel potius *daucen* pro dætin allij usurpantibus: qua cum illuxit, hoc ceu condimento crustas panis infricant rustici, ut obeundis laboribus sint pares: alij potius, ut hoc uelut incitabulo gulæ uorandi facultatem antelucanis moliantur, cum iam ad opus se conferunt. Est quoque scorodoprason, quod & gustu & odore porri & allij conditiones possidet, quasi olitorum diligentia in unum olera duo uelut monstrum aliquod coaluerit. Communes utriusque uires asciuisse sibi tradit Galenus, cui Paulus astipulatur. Habitu porrum simul & allium æmulatur, & utrunque exprimit olus, inde & medias uires simul porri allijq; naturam conflauit. *allium porrinum* uocant officinæ, mutuato ab utroque parente uocabulo. Allij suffitu secundos partus euocari existimat Hippocrates, quoniam & cinere eius cum oleo capitis ulcera manantia sanitati restitui. Diocles phreniticis elixum, hydropicis cum centaurio aut in duplici fico ad euacuandam aluum dedit. quod efficacius præstat uiride cum coriandro in mero potum. Suspiriosis coctum, aliqui crudum, alij tostum in lacte dederunt. Praxagoras contra regium morbum uino miscuit: aduersus ileum in oleo & pulte illinebant antiqui, & insanientibus dabant crudũ. Tineas, ut Didymus adfirmat, & noxia interaneorum animalia pellit: urinas ciet, uiperarum ictibus auxiliatur, sugillata delet, & liuẽtia reducit ad colorẽ. Alopecias replet, dentiũ dolores finit in ore detentũ. Eruptionibus papularũ ex oleo et sale medetur, lentigines & lichenas emaculat, uetustæ tussi & crudum & coctũ auxiliatur. Si quis allio præsumpto feriatur à serpẽte nullã inde trahet noxã. Item si quispiã alliũ præguſtans, uenenũ hauserit, nõ nociturũ idẽ asserit: ictibus quoq; serpentum tritũ & impositum mederi. quibus cum uino potũ remedio est. Vrinas pellit, renum uitia sanat. Magnę & alliorum utilitates ijs qui concoctionis munia non possunt obire. Nec minor efficacia cõtra aquarum & quoruncunq; locorum mutationes, quando uescentes ea, nec aquarum uitio, nec cæli mutatione tentari neq; infestari cõditione regionis patiuntur. Cæterum allij genus unum satiuum tradit, aliud syluestre, sponte in cultis nascens, quod ophioscorodon uocant. Hoc longè potẽtius satiuo, & ad omnes dictas medicinas efficacius. atq; ut aliqui tradidere serpẽtes abigit, et scorpiones odore. Bestiarum omniũ ictibus medetur potu uel cibo uel illitu, priuatim contra hęmorrhoidas cum uino redditũ uomitu. Contra uenenatũ muris aranei morsum ualet. Aconitũ, quod alio nomine pardaliãches uocatur, debellat, itẽ hyoscyamum depellit. Canũ morsibus imponitur, itẽ uulneribus cum melle. Serpentium ictibus cũ restibus suis exoleo efficaciter illinitur, attritisq; corporũ partibus, uel si uesica intumuerit. Dentium dolorẽ tribus capitibus in aceto tritis imminuit, uel si decocta aqua colluãtur, addaturq; ipsum in caua dentium. Contra anginas tritum imponi & gargarissare prodest. Auribus instilla tur succus cum adipe anserino. Compescit destillationes cum lacte tritum addito molli caseo, quo in genere raucitatem extenuat. Prurigines ex aceto & nitro tollit, lendes & pediculos abigit. In totum autẽ coctum utilius est crudo, elixumq; tosto. sic & uoci plus confert, tenesmo in pulte medetur. Tussi prodest cum adipe uetusto, uel lacte decoctum, & si sanguis excreetur, uel purulenta extussiantur. Extrahit fistulis uitia cũ sulphure & resina, etiã arundines cum pice. Lepras, lichenas, lentigines exulcerat sanatq; cum origano. Cõbustum ex melle credũt & comitialẽ morbum sanare, si quis eo in cibo utatur ac potione: quartanas quoq; excutere potum caput unũ cum laserpitij obolo. Suppurationes quantaslibet sanat fractę incoctum fabę, atq; in cibo sumptũ donec sanitatem restituat. Facit & somnos, & in totũ rubicundiora corpora. Venerẽ quoq; stimulat cum coriãdro uiridi trium potumq; è mero. Vitia eius sunt, q̃ oculos, ut Plinius scribit, hebetat. Inflatiões facit. Stomachum lædit copiosius sumptũ, sitim gignit. Cęterum cõtra pituitã & gallinę & gallinaceis prodest, mistum cum farre in cibo. Iumẽta urinã reddere atque non torqueri tradunt, si eo trito natura tangatur. Vis allio acris à Dioscoride tribuitur. Excalfacit, uellicat, excernit. Inflationes excitat, conturbat aluum, stomacho siccitatem adfert, sitim parit, flatus ciet, latas uentris tineas cibo sumptum abigit, urinas trahit. Contra uiperarum ictus, & præsertim hæmorrhoi prodest, ita ut non aliud magis, si cum mero continenter

hauriatur, aut in eodem tritum ebibatur. Valet contra mutationes aquarum. Iis quos canis in rabie momordit potu, cibo, illitu succurrit. Vocem expedit, ei splendorem restituens. Veterem tussim crudum coctumq; lenit. Pediculos lendésque necat cum origani decocto potum. Cremati cinis illitus ex melle sugillatis medetur. Alopecias cum nardino ad pilum reducit. Erumpentes papulas ex oleo & sale sanat. Vitiligines, lichenas, lentigines, manantia capitis ulcera, lepras & furfures rapit cum thure & teda. Dentium dolorem leuat si in ore contineatur. Contra muris aranei uenenatos morsus cum siculneis frondibus & cumino linitur. Feruefactæ comæ ius menses & secundos partus euocat, fœminarum desessionibus inditum. ad quæ suffitum quoq; proficit. Pulmētum ex eo, & nigris oleis, cibo cit urinam, meatus aperit, hydropicis utile. Genus id myttoton appellant. Galeno proprium alij sitim mitigare, Dioscoridi gignere, cui ratio & experiētia suffragatur. Constat enim excruciari eos siti qui largiore hoc cibo uescantur: nā et siccare stomachum tradit, unde sitis concipitur. Scorodoprasо natura promiscua, alij dico porriq;, temperatis in eo parentum proprietatibus, unde coagmentatum conflatur. Effectus utriusq; præbet, minores tantum. Coctum porri modo dulcescit, & in olerum uicem transit.

Sinapis. Cap. LXXXVI.

Sinapis sementem auspicantur autūno, uere perficiunt. quinto die post satum cōparet, eoq; semel consito, uix est liberare locum quoniam caducum semē protinus uiret, sed sua sede immota permaneat. neq; alium cultum deposcit, quàm ut stercorata runcetur. Planta tamen prima hyeme translata plus cymæ uere adferet. Terram diligit aratam, & si fieri potest, congestitiam. quāuis ubicunque nascatur, & nullo cultu plerunq; germinet. Tenui puluere fouetur, quare sarculari debet, ut eo obsita lætior erumpat. Nec minus humore gaudet. sed de qua semen legere cordi fuerit, suo loco non moliaris: quam parāueris ad escam, robustiorem feceris trāsferendo. Exuctū antiquitate semen, et usui et sationi censetur inutile. quod si dentibus fractū intus uiride spectetur, nouum erit: sin album, uetustatem fatebitur. Vsus cymarum eius etiam pro pulmentario in patellis decocto, citra intellectum acrimoniæ, Coquuntur & folia sicuti reliquorum olerum. Quæ trium sunt generum. unum gracile, alterum rapitiam frondē exprimit, tertium in erucæ folium laciniatur, caulibus ramosis, sæpe bicubitalibus, flore luteo, nonnunquā albicante, siliquis teretibus, duro semine uesco pulloq; re fertis, acerrimi saporis, igneiq; effectus. Apes horum florum auidissimæ. Nos tria obseruamus genera. Sylueſtrius, ubiq; sponte nascens, exilius, quod uulgus à minori procerita te *sanelam* uocat. Alia numerosioribus altioribusq; ramulis brachiantur, rapo similia, sed folio minori & asperiore. Verum semen euariat, in uno rufescit, in altero candicat ex toto. Hanc *blanchamm ustardam*, illam *nigram* nostri uocant rustici, utranq; communiter *seneue*. Nobilis est uel celebri apud Francos adagio. etenim insignem ueteratoris astutiā indicaturi, Callidior inquiunt est sinapi. q; ignea ui semen nares & cerebrum apprehendat, lachrimas excutiēdo, nullo asperrimi saporis præuio odore. Musteum semen nocte macerant aqua, deinde manibus expressum adiecto aceto pila terunt, acerrimo ciborum condimēto. Alij per uindemias cum musto maduerit semen conterunt, ita magnam acrementi uim exuit, totoq; anno seruatur. Si uel assidua consuetudine, uel usu, gratia ciborum exolescit, huius acremento fastidiosis gustum reuocant, & hoc uelut irritamento elanguescentem appetentiam inuitant, quo uelut igniculo morosius palatum titillante, uorandi moliuntur auiditatem. Sed huius uis confestim in sublime fertur, nec aliud magis in nares & cerebrum penetrat. Quare si modus abfuerit, huius odor naribus raptus, statim sternutamentū ciet, & uellicans sensum lachrymas elidit. quod testatur in hortulo Columella canens.

Secq; lacessenti fletum factura sinapis.

Quæ noxa cæli subito conspectu summouetur, ueluti noxio halitu per nares euanescēte, nec caput uibratim feriente. Antiqui sinapis semen diligēter purgatum cribriq; cretum, frigida aqua eluebant, & ubi duabus horis immaduisset, manibus expressum in emundatum optime mortarium conijciebant, & pistillis contusum totam intritam ad pilæ medium contrahebant, & plana manu compressam, subditis paucis carbonibus uiuis scarificabant, aquam nitratam suffundebant, ut omnem eius amaritudinem & pallorem

rem exinaniat: erectoq; mortario ut omnis eliquetur humor, album acre acetum adijcie-
bant. sic pistillo permistum colatumq; recondebant. Cæterum qui ad usus conuiuiorum
præparabant, cum exinanissent sinapi, nucleos pineos quàm recentissimos, & amylum in
fuso aceto, diligenter unà conterebant. Hoc sinapi ad embãmata non solũ idoneo sed etiã
specioso utebantur. Nam si curiose factũ sit, cãdoris erit eximij. Nec hyeme quicquam ad
intinctus ubicq; cibis frequentius intermiscetur, gratissimo obsoniorum condimento: ni-
hil quoque frigidis diebus magis epulas inuenitur commendare. Vulgus hoc *mustardum*,
quòd forsitan musto frequenter condiatur, cœpit appellare. Fecit nobili medicamento
nomen, quod uocant sinapismum. Is uariam quidem non recipit materiam, sed efficacis-
simus habetur, longis & deploratis ferè ualetudinibus. Si nihil aliis auxilijs proficitur, ad
hunc maxime recursus, præsertim cum iam inueterati morbi cæteris remedijs non cesse-
runt. Pollet plurimum sinapismus aduersus uetustos capitis dolores, etiam si capitis alte-
ram partem duntaxat occuparint. Contra comitiales, insaniam, uertigínésq; capiti admo
tus. Valet etiam ad suspiria, orthopnœas, lõgas tusses impositus thoraci. In uetere destil-
latione caput cum pectore sinapi linendum est. Diuturnis stomachi ualetudinibus, ischia
dicis, articularijs morbis, & omni resolutæ parti, uel perfrictionibus, quæ caloribus non
cedunt, adhibetur. Modus sit uiribus medicamẽti, cũ locus uehementer intumuit, & inflã
matione cingitur, caro turgẽs succrescit, et cicatricosa liuet, et post balineũ pustulis leniter
exasperatur. Sed non est cõmittendum, ut partẽ sensus deficiat, quoniã identidẽ ardore ni
mio uictã & uelut obstupentẽ amburi latet. quandoquidẽ cremantia subinde medicamen
ta sensus omnes corporis sopiunt. Non sunt adfigẽdi partibus cartilaginosis uel ulcus sen
tientibus, aut carne uiduis, ne adustionis iniuriã experiãtur. Nigrescunt etiã excarnes par
ticulæ quæ sinapismũ norunt. Conficiebatur hac ratione. Fici pingues tepida aqua pridie
macerabantur, postridie diligenter manibus expressæ contudebantur: deinde sinapim cẽ
acerrimã, qualis est Syriaca uel Aegyptia, priuatim terebant, adiecto ficuum cremore: po
stremo in offas simul hæc cogebant. Si sinapismũ uehementiorẽ facere fuisset in animo, bi
nas sinapis portiones ad unam ficuum addidisse satis erat: si inualidiorẽ, contrà: si mode-
ratum, æquas utriusq; partes commiscebis. Sunt qui sinapim in aceto madefaciant ante-
quã deteratur, quo magis eius dometur acrimonia. Postquam ablatus erat sinapismus in
balineum descendebant. Si uehemens dolor conflictaret, aut rubore multo membrũ per-
funderetur, aut tumẽtibus pustulis scateret, succo maluæ uel fœni græci cum rosaceo im-
butũ linteum imponebãt: postmodũ rosaceo cerato cum cerussa linebant. Cõstat itaq; ue-
terũ placitis nihil aliud esse sinapismum, quàm ita præparatæ sinapis illitum. Sed dropax
qui ex pice fiebat, quare & pittosis, quasi oppicatio dicitur, sinapismum uel antecedebat
ut ei locum præparet, uel cõsequitur ut reliquias digerens excutiat. Hallucinantur itaq;
qui sinapismum excitatã ui sinapis exulcerationẽ esse cẽseant, cum sit uerius medicamen-
tũ sinapi factũ, quo noxiũ uirus ex alto partis elicitur. Hoc pustulosum sæpe reddit locũ,
atroq; fugillat rubore. sic parua cutis iactura, conuerso foras humore, uel in exteriorẽ par
tem erumpente, membrum seruatur. Sed cur ætate nostra remedij tam excellentis usum
medici respuant, nihil possum excusare: nisi uel uilitatem eius, quoniam minimo ære cõ-
paretur non profuturum alioqui, nisi pluris uænierit: uel eiusdem acrimoniam causari,
quòd sæuitiæ morborum lenioribus blandiri placeat, differentibus magis occidionem
quàm prohibentibus, ut renitenti sæpius ægrotantium uoluptati subscribant: cum qui-
bus subinde melius esset actum, si hoc medicamenti genus in usum reuocaretur. Sinapim
probant quæ non obaruerit, quæ rubescat, adultáque sit, sed confracta interius uireat, &
quasi lactescat succo, colore in cæsium spectante. talis intelligitur recens & florente statu
lecta. Excalfacit, attenuat, extrahit. Contra pituitam tenetur in ore donec liquescat, com-
manducaturq;. Succus in aqua mulsa gargarissatur cõtra tonsillas & uetustam arteriæ sca
britiem callosamq;. Trita & naribus illata sternutamenta mouet. Suffita morbo comitia-
li & uuluarum cõuersioni remedio est. Excitat lethargicos capiti raso illita. Cum ficu ue-
ro super coxas imposita, donec locum perforet ac exulceret, dolores in ea parte subleuat.
Item ueteres lienis molestias, & in quacunq; parte corporis uitia ex alto extrahẽda sunt,
illita ad dolorem mutandum ferramenti modo candentis emendat. Vtuntur ad alopecias

cum

cum rubrica. Illinitur & liuoribus sugillatisq; cum melle, aut adipe, aut cerato. Ad lepras, impetigines, & erraticas febrium polentæ modo insperſum potionibus. Additur in emplaſtra, quibus humor inutilis euocatur, aduerſusq; ſcabiem. Aurium tarditatē ſonitusq; trita & impoſita cum fico diſcutit. Hebetiores oculos ſucco cum melle perungunt, & ſcabras genas. Succus exprimitur ſemine adhuc recēti, ſiccatur in ſole. Ad ſerpentium ictus & ſcorpionum trita cum aceto linitur. Fungorum uenena diſcutit. Ad dentium dolorem manditur. Ad uuam gargariſſatur cum aceto & melle. Stomacho utiliſſima traditur, contra omnia uitia, pulmonibusq; : excreationesq; faciles facit in cibo ſumpta. Datur & ſuſpiriosis. Senſus purgat, ſternutamenta capitis elicit, aluum mollit. Menſtrua & urinam ciet. Hydropicis imponitur: cum fico & cumino tuſa partibus ternis, comitialibus Si uehementior ſomnus lethargicos premat, cruribus aut etiam capiti illinitur cum fico & aceto. Puſtulas facit. In magna duritia ſine fico imponitur, & ſi uehementior urigo timeatur per duplices pannos. Ex melle caligantes oculos inunguntur. Veteres dolores thoracis, lūborum, coxēdicum, humerorum diſcutit. Humores qui in altum corporis decubuerunt, ui cauſtica euocando, extrahit. Exit è cauliculo ſuccus lacteus, qui cum induruit, dētium dolori medetur. Semen ac radix cum immaduere muſto conteruntur, manuſq; plenę mēſura ſorbetur ad firmandas fauces, ſtomachum, caput, ſenſuſq; omnes. Calculos quoque diſcutit potum ex aceto. Vtuntur ad hos quibus recta & immobilis ceruix intēditur, aut caput ſcapulis annectitur: illos tetanicos, hos opiſthotonicos Grēci uocant. Fit & oleum ex ſemine madefacto in oleo expreſsóque, quo utuntur etiam ad neruorum rigores lumborumq; & coxendicum perfrictiones.

Naſturtium. Cap. LXXXVII.

NAſturtium quinto die naſcitur, herbis reliquis ſuccum adimit miſta ſatis, frigora contemnit. Quare tam hyeme quàm æſtate facilime prorumpit. Quod et ſi nobilius quàm ut repręſentari depoſcat, uolumus propter generum differentias eius picturam ſubiungere. Naſturtium coliculis aſſurgit ſeſquipedalibus, lōgè ſtatim ab radice minutorum foliorum pediculo, floribus albis, ſemine per ramorum latera copioſo, firmo, calyculis orbicularibus contento, acri ſapore, pinguibus iuſculis incoctum magnam acrimoniæ partem deponit. Vulgus noſtrum bifariā nominare cōſueuit, tum *creſſionem hortenſianum*, tum *alenoyſſum*, quaſi altile naſturtium. Hoc recens Perſis obſonium præſtat, author eſt Xenophon, & Strabo poſt eum. quod & tuſculanarum quinto nō ſubticuit Cicero inquiens, Perſarum à Xenophonte uictus exponitur, quos negat ad panem adhibuiſſe quicquam præter naſturtium, cum principio frugalitatem amplecterētur, mox aucto imperio, in genus omne luxus prolapſi ſunt. Mirę amplitudinis in Arabia traditur gigni. Mileſium naſturtium ueteribus laudatiſſimum fuiſſe Iulius Pollux eſt author. Babylonium à Dioſcoride & Plinio maximè commendatur. Nicādri quiſquis fuerit enarrator, tradit acris & ignei effectus eſſe, caput ideo tētare, impetigines emēdare, lepras abolere, carbunculos diſrūpere, menſes ciere, uenerē ſtimulare, utero partū emoliri. idcirco grauē ſerpētibus halitū expirare. Perſas tradunt olim naſturtio uictitaſſe, quo magis ab excreatione ſputi, mucoſo nariū emunctu, & profuſione lotij ſe uindicarēt: quibus maxime noxis pridē fuerunt opportuni. ſiquidē, ut Hippocrati placet, abſumit corpus, ſiſtit candicantem pituitam, ita ut urinæ tormina concitet. Naſturtiū, ut eſt Didymus author, cū lomento & ſtactes parte ſtrumis illitū, opertūq; braſſica uice lintei, præclare medetur. Carbunculos ad ſuppurationē perducit, & rumpit. Semen ex uino potum, tineas & omnia inteſtinorum animalia expellit, ſed efficacius addita mētha. Pectoris dolores decoctum in lacte caprino perſanat. Suffitu ſerpentes fugat. Animū exacuere ueſcētibus traditur. Venerem inhibet. Tuſſi cum melle remedio eſt. Vlceribus quæ depaſcūt imponitur. Succus capillorum ſiſtit defluuia. Porriginem, ulcera capitis cū anſerino adipe necnon etiam furfures emendat. Furunculos concoquit cum fermento. Dentium dolores fertur mitigare infuſo in aures ſucco. Detrahit bilem potum in aqua decem denariorum pondo. Capitis uitia purgat, uiſum clarificat. Commotas mentes ſedat ex aceto ſumptum. Prodeſt contra ſuſpiria cum origano & uino dulci, item tuſſim ſi quotidie ieiuni ſumant. Lienem incremento laborātem extenuat ex uino potum uel cum

fico

fico. Panos discutit cum pice, extrahitq; corporis aculeos, & maculas illitum ex aceto. Contra carcinomata adijcitur ouorum album. Lienibus illinitur ex aceto: infantibus utiliter è melle. Sestius scorpionibus resistere tradit, ustum serpentes fugare, capitis dolores contritum & alopecias emendare addito sinapi, grauitatem aurium trito et imposito cum fico. Phagedænas ulcerum expurgat cum melle. Coxendicibus ac lumbis cum polenta ex aceto linitur: item licheni & unguibus scabris, quippe natura eius urens. Optimum Babylonium. Syluestri uero ad omnia effectus maior. Vtriusq; semẽ Dioscoridi calfacit, sapore acri, stomacho inimicum. Aluo negotium facessit, interaneorum animalia pellit, lienem extenuat, partus in utero necat, purgationes mensium ciet. Venerem quoque stimulat. Natura ei omnino sinapis erucæq; similis est. Lepras & impetigines tollit. Turgidum lienem cum melle inunctis reprimit & comminuit. Vlcera in faui modum concreta persanat, uitia pectoris decoctum sorbitionibus, uenena serpentium potu. Suffitum quoque refugiunt serpentes. Capillum in capite deciduum continet. Carbunculos perducit ad suppurationem ac rumpit. Ischiadicis cum polenta & aceto illinitur. Tumores collectionesq; discutit. Furũculos cum fermento coquit. Herbę uero ipsi ad omnia eadem effectus, sed minor.

Thlaspe. Cap. LXXXVIII.

THlaspi, siue ut alijs placet thlaspidion, ut Dioscorides & Plinius tradũt, herbula angustis folijs, digitali longitudine, in terram uersis, suppinguibus, in cacumine diuisis, cauliculo tenui, semipedali, non sine adnascentibus ramulis, fructu per ambitum eius contento, summa sui parte parum in latitudinẽ affuso, semine incluso nasturtij, lenticulæ effigie, nisi quòd infringitur, flos albicat. Hanc esse nemo inficiabitur quam uocant herbarij *nasturtium tectorum*, quòd subinde nascatur in parietinis: alij syluestre, uulgus nostrum *sinapi rusticum* appellat, quoniam digitis friatum sinapim subolet. Hæc in scrobibus, semitis, & sepibus inuenitur, folijs in terram se conuertentibus, digitum longis, angustis, & quadantenus pinguibus, per extrema leniter incisis, caule sesquipedem alto, agnatis in eo paucis calycibus capitulatis, breui pediculo nitentibus, quadam ligularum uel cochlearium effigie, in quibus semen continetur, nasturtio simile, sed latius, & uelut infractum, lunata peltarum specie. Calyx cum petiolo ligulæ formã exprimit, quæ tumidior una parte sit & altera pressior. Id quod in summo fructum in latus pandi designauit Dioscorides. Imò is repando dorso prominulus extuberat, aduersa parte funditur in latum. Folia colis decumbunt in radicem. Semen acerrimi gustus deprehenditur, ita ut mansum sinapis modo linguam & os uellicet. Quare, ut Galenus scriptum reliquit, abscessus potum rumpit, hærentes menses ciet, partus enecat. Ischiadicis opitulatur, subter per sedem aluo dimissum, utpote cruenta deijciens strigmenta. quippe cum eximiè purgat, bilem utrinque detrahit. Modus sumendi acetabuli mensura. Alterum thlaspe Crateuas tradit, quod aliqui persiconapy uocant, latis folijs, radicibus magnis, & ipsum utile ischiadicorum infusioni. Qui *pastoris bursam* uulgo dictã existimant esse, cum foliorum habitu tum seminis gustu & eiusdem figura conuincuntur. Item hæc sanguinis undecunque ruentis sistit profluuia, illa mouet. Semen asperi gustus excalfactorium, bilem utrinque detrahit. Modus sumendi acetabuli mensura. Prodest & ischiadicis infusum, & potu sanguinẽ trahit. Abscessus et uomicas rumpit. Menses quoq; cit, sed partus necat. Crateuas reddit & alterũ thlaspi, quod aliqui persicum sinapi uocãt, latis folijs, radicibus magnis, & ipsum utile ischiadicorum infusioni. Prodest inguinibus utrunq; & cõtra omnes collectiones, sed præcipitur ut qui collígit una manu tollat.

Drabe. Cap. LXXXIX.

DRabe cubitum alta est herba, gracilibus uirgulis, quarum latera utrinq; uestiũt folia, quæ planè lepidij uiderẽtur, nisi teneriora essent, candidioraq;. In cacumine sambuci gerit umbellam, in qua candidi flores emicant. Hanc nõ nulli herbarũ periti *orientale nasturtium* uocarunt, alij *Babylonium*. Inuenitur in noualibus & sæpe cultis cubitali proceritate, ramoso surculorum prouẽtu, folijs lepidij, incanis sed mollioribus, umbella sambuci, flore cãdido, semine ferè fœniculi, cuius nullum à uulgo nomen potuimus extorquere, nisi q; mihi *cuminum syluestre* nominarunt

narunt aliqui. Draba recens Perſis obſonium præſtat, ſeminibus aridis ijdem pro pipere utuntur in condimentis, & Cappadocibus ptiſanæ incoquitur frequenti uſu. Huius herba incoquitur ptiſanæ frequenti Cappadocum cibo. Seminibus aridis pro pipere ab obſonia utuntur, nam ea recte condiunt.

Eryſimum irio. Cap. xc.

ERyſimum Romanis irio dicitur, caule proſilit in lori modum flexili lentoq́, foliis erucæ ſylueſtris, floribus luteis. In cacumine ſiliquas ſuſtinet graciles, ut fœno græco cornículatas, in quibus ſemina continentur parua, naſturtij ſpecie, guſtu ardenti. Naſcitur propter urbes, & in ruderibus atque hortis. Italis nunc *nobilis eruca* dicitur. Galli quondam *uellarum* appellarunt. Ex recentioribus *brucam geratinam* & aliis *tortelam*. Quandoquidem hæc circum foſſas urbium in ruderibus & domorum ſeptis inuenitur, coliculis modo uitilium obſequioſis ac flexilibus, foliis erucæ ſylueſtris, flore luteo, cornutis in ſummo ſiliquis, gracilibus, in quibus ſemen naſturtij ſimile, feruido ſapore. Hac pomœria, aggeres oppidorum, & rudera uirēt. Guſtu mirum in modum erucam imitatur, quare ſylueſtris eruca, licet perperam, quibuſdam eſt dicta. Plinius eryſimū repræſentat fruticoſum, foliis erucę anguſtioribus pauło, ſemine naſturtij. Galenus author eſt irionis ſemen guſtu naſturtium imitari, ſed tanta urendi licentia donatum, ut ſi cuiquam in linctu placeat uti, melius fuerit aqua prius maceratum, igni torrefieri, laticis imbre ſubinde conſperſo, dein farinacea cruſta obductum inaſſari, ſic eclegmatibus inditum, craſſam glutinoſamq́ pituitam emolietur. Sed de eryſimo non ſatis inter ueteres conſtitit, quandoquidem Dioſcorides, Aegineta Paulus olerum generibus aſſignarunt. Theophraſtus in cenſu frugum apertiſſime numerauit. Quē ſecutus Plinius, pluribus in locis frumentis adſcripſit, quanuis idem medicamentis annumerandum potius quàm frugibus uigeſimo ſecundo uolumine contendat. Irionis etiam controuerſa ueteribus origo. Nam Theophraſtus Pliniusq́ ſeri in agris irionē uoluerūt, Galenus in leguminum cenſu collocauit. Contrà Dioſcorides inter rudera circiter urbes, hortos, & domorum areas prouenire demonſtrat. quæ loca ſemper inculta neglectui traduntur. Quare ſunt qui inter fruges pabulis deſtinatas relatum putant, quòd fœni græci modo, licet longè tenuius, ſiliquatur. Alijs inter olera numeratur, quòd agreſtem erucam folia ſemenq́ naſturtium æmuletur. Sed hæc antiquorum placitis repugnare uidentur, & plane mihi commentitia. Sed quomodo pabulis dicabitur, cum uirens tradat Theophraſtus à nullo animante attingi, quod Plinius aſſeuerat inquiens. Nullum animal ſeſama & irione ueſcitur uirentibus? Nemo itaque pabularem eſſe fatebitur. Oleribus etiam ſiliquarum gratia reddere parum huc facit, cum multa ſiliquas ædunt quæ olerum naturæ refragantur. quare uarias fuiſſe herbas in eam ſententiam me traxit, & foliorum & caulium q̄ maximum diſcrimen. Nam irionem inter fruges Plinius, & inter medicamenta cognoſcitur quaſi uarias retuliſſe, ambarū tamē uires unà commiſcuiſſe. Irio inter fruges ſiue malis eryſimum, culmo cōſurgit ferulaceo, foliis ſeſamæ ſimilibus, ſanguineis, flore foliaceo. Hoc eryſimon ſeſamæ prorſus idem erat, niſi pinguius eſſet. Fruges eſt æſtiua quæ ante Vergiliarum ortum ſeritur, qua uirente, ſicuti neq́ ſaſama, ullum animal ueſcitur. Hęc ex Theophraſto Plinioq́ uarijs in locis tradita deprompſimus. Conſimilem rura noſtra ſerunt in agris folio hederaceo, ſanguineum colorem præſeferente, ſcapo grandi, per faſtigium paniculas exerente, triangulis rariuſculè coaceruatis granis, quæ foliaceis membranis detenta continentur. Hanc, quoniam auorum noſtrorum ætate è Græcia uel Aſia uenerit, *Turcicum frumentum* uulgus nominat, multi Galliæ tractus *irium*. Huius granum pecudem omnē cæteraq́ ueterina quamoptime ſaginat, & in cādidiſſimam teritur moliturue farinam, quæ cum annonæ penuria premit, in panificia ſubinde cogitur. Agri plerique in Gallia toti hac fruge rubent. Cum ematuruit, granum glumis ſuis explicitum, ſaginæ glādis nucleo ſimile conſpicitur, quod incoquunt ruſtici, & bubus, iumentis, pecudibusq́ cedit in pabulum. Cuius uſu uehementer gliſcit ſagina, mire etenim ab eiſdē expetitur, quāuis uirentem herbam reſpuant. Quo argumento ducor eandem irioni frugiferę fuiſſe herbam cuius nunc memineram. maximo tamen diſcrimine diſcrepare frugem ob olere cōſtat citatorum authorum teſtimonijs. Nam illa culmo proſilit ferulaceo, fragili: hoc flexili

& uiti

& uitilium more lento, frangiq; contumace. Illa sanguineo caule foliõq; micat, hoc uiridi semper nitet colore. Huius foliũ erucæ syluestris modo laciniatũ, illius leguminũ modo rotũdum & quadãtenus hederaceũ. Sed quid plura? fruges uiridis à nullo estur animãte, olus uerò recens ubiq; nõ aliter q̃ eruca, suo perquam acri sapore fatua cõmendat aceta/ria. quapropter ueræ præferunt erucæ. Hinc *nobilis erucæ* nomen apud uulgus meruit. Mõ strum quoddam in hac parte naturæ satis constat eos ædidisse, qui utriusq;, dico frugis & oleris, simul deliniamenta permiscuerunt, tradentes irionẽ fruticosum, caule uelut sesama ferulaceo, floribus itidẽ foliaceis, erucæ foljs angustioribus paulo, sanguineisq;, amarum & sesamæ proximũ, nisi esset pinguiusculus. Qui herbã omnibus fere cognitã pingentes, hac multiformi portẽtosaq; facie prorsus obliterarunt. Nec usquã huic descriptioni respõ dentem inuenire quis poterit, nisi alterã Theophrasto quẽ Plinius est sectatus, alterã Dio scoridi quẽ Galenus & Paulus imitantur, assignet. Plinius oleris uires, etiã picturæ partẽ frugi uidetur attribuisse, forsitan hoc discrimen nõ sentiens. Nã & alia quædam frugum generi Theophrasto tribuuntur, & ijs gentiles herbę inter incultas & sponte nascentes in ueniuntur, ubi tipha aquaticis herbis annumeratur, & quædã frumentacea proditur. Sic ergo ne hæc promiscua magnã pariant confusionẽ, melius fuerit certis notarũ discrimi/nibus designare, quasi dicamus irionẽ frumentaceũ, & cereale erysimũ, & oleraceũ, sic nota bile discrimen interueniet. Nanq; nonnulla à Theophrasto, quæ longè diuersa facie à po/steris, repręsentãtur. Galenus olfaciens discrimẽ, erysimon inter cerealia retulit in alimen tis, tradẽs sesamæ coalitu corporis affine: mansu insuauius, ac tenuius alens: ideo deterius illa censetur. sed utrunque excalfacit modice, & sitim mouet. Alterius erysimi meminit in simpliciũ cẽsu. sed multa de ijs suprà diximus. Erysimõ utile fluxionibus, thoracis excrea/tionibus purulentis & tussientibus. Datur regio morbo & coxendicibus linctu cũ melle. Cõtra uenena etiã efficax potu. Illinitur uero parotidũ & carcinomatũ malis quę sint oc/culta, et cõtra duritias, testiũ quoq; ardoribus & mãmarum. Extenuãdi natura erysimo et calfaciendi. Quoties uehementer in perluendo uentre eius urigo timetur, mitescit imma/defactum aqua refrigeratumq;, aut tostum igni linteolo iniecto & adipe circumlito. Me/detur suspiriosis, item fistulis cum axungia uetere ne intus addatur. Vtilissimum sedis uitijs & articularijs morbis cum melle & fico: item lumborum uitijs, torminibus, cœliacis, & in thoracis purulentis excreationibus.

Hydropiperi. Cap. XCI.

HYdropiperi, hoc est aquatile piper, secus stagnantes aquas aut quæ pigro la psu repunt, gignitur. Caulem ædit geniculatum, robustum, multis alis con/cauũ. Folia menthę maiora, candidiora, tenerioraq;, gustu piperis amaro, ci tra illã odoris gratiã. Fructum gerit in ramulis secundum folia, continenti acinorum serie cõgestum uuæ modo, ipsum quoq; acrem. Hydropiperi no/stra nõ nouit ætas, quod maxime demiror, cum & lacustriũ uerna sit, ac nihil offendatur aquis familiarius. Notũ fiet omnibus, si modo nomẽ explicuero, quo nunc ferè medici & officinæ utuntur, interpollato tamẽ & emendicato alterius herbæ uocabulo, eupatorium nunc, licet falso, nominant. Nã si natalẽ locum liceat explorare, semper eã iuxta refides a/quas, aut tardo fluxu prorepẽtes nasci cõperies, Ambitiosos sequitur riuos. Raro aquas incolit quæ præcipiti feruntur impetu, feruentesq; decurrũt, sed quæ placidiores euoluũ/tur. Si caulem intuearis, inuenies geniculatum, solidum, ita ut fieri fere possent uitricularũ pedamenta, circa quem alæ panduntur, & folia menthæ consimilia, maiora tantum, tene/riora, & candidiuscula. Hæc omnia facile diligens quispiam oculis lustrabit. Si uero lin/guam in sapore consulas, gustu meram piperis amaritudinem resipiunt, nullam tamen o/doris suauitatẽ in eis deprehendes. Quin & si reliquã faciem oculo prosequeris, cũ adole/uit, offendes fructũ in summis surculis prope folia racematim aggestum, & quadã acino/sa serie cohærentẽ, ipsumq; acrem, radicem exiguam & inutilem. Itaq; cum natales, caulis rigor geniculis interstinctus, alarum sinus, foliorum effigies, gustus piperis inodorus, ra/cemosa fructus facies, huius quã modo nominauimus effigiatæ deliniationi Dioscoridis ad unguem amussimq; respondeant, ne ulla quidem reclamante penitus nota, nullus re/linquitur ambigendi locus. Nemo quoque nisi ueritatis cæcus hæc poterit inficiari. Fal/

luntur nimirum qui iuxta profluentes aquas uel ſtantes nihil tale dicãt eis inueniri licuiſ/ ſe, qui paruam uidentur impendiſſe huic dignoſcendæ diligentiam, ſola contenti imagine depicta libro qui ſexcentorum annorum uetuſtatem referret, cum aquoſi tractus & uli/ ginoſi hoc hydropipere ſcateant. Fructum tamen, ut in pleriſque, pro ſeminis & floris in/ uolucro uel continente uaſculo, quo ſemen claditur, accepit. in eo lanugine ſemen occu/ litur cum dehiſcit fructus, Quod autem fuerit uerum eupatorium, in eius mentione doce/ bimus. De ſubdititio illo, quo medicamentarij nunc utuntur, ſupra locuti ſumus. Hallucí/ nantur, qui *perſicariam* modo nominatam aut uulgo *curagen*, hydropiper eſſe ſuſpicantur. cum foliũ huic perſici reddatur, unde nomẽ, hydropiperi uero mẽthæ, cui ſummis ramu/ lorũ fructus racematim coit: perſicariæ magis corymbi ſpicatim cohærentes pẽdent, ſemi ne minuto, nigro, ramis ex articulis per interualla prorũpentibus. Natalibus quoq; diſſi/ dent. nã hydropiper in lacuſtriũ marginibus adoleſcit, illa magis exiccatis emergit paludi bus. Eſt & in folio perſicariæ litura maculæ modo conſcripta, quæ corniculantis lunæ re/ fert imaginẽ, quod nõ fuiſſet ab authoribus omittendum. Eſt ergo perſicaria, folio perſici, flore candido, ſpicaceo, guſtu acri, ſemine minuto, caule nodoſo, rubenti, lõgo, quorũ et ſi nonnulla ſint hydropiperi contributa, folia tamen, coma ramulorũ apertiſſimè reclamat. Quibuſdam placet, ut molybdenæ, quę plumbago etiam dicitur, ſpecies ſit. nam Plinio in aruis naſcitur folio lapathi, radice craſſa, hiſpida, qua cõmanducata oculiſq; ſubinde reli/ gata, plũbum, quod eſt genus uitij, ex oculis tollitur. Certè perſicaria maior foliũ perſicæ arboris habet, fuſca in medio plumbagine, caule geniculato, cubitali ſemine exili, lente ru fo, numeroſa radice, in humidis frequentius proueniens. Perſicaria minor foljs uiret ſan/ guinariæ, ramis exilibus pennatis, in quorũ cacumine corymbi dependẽt, de qua inferius dicetur. Hydropiperi, ut Galeno placet, minus q̃ piper calfacit. Si uirens adhuc herba cũ fructu linatur ſugillata delebit. Induratos tumores diſcutit. Itidem cenſet Paulus. Plinius hydropiperis ſub hoc herbæ titulo nullam mentionem fecit, nec quid ſit apud eum uſquã comperitur. ſicut nec Dioſcorides nec Galenus Pauluſq; piperitidis meminerunt quàm/ uis nomen à Græcis manaſſe ſatis conſtet. Siliquaſtrum Latini uocant. Piperis ſaporem reddit, ob id piperitidis nomine accepto. Locis putridis & macris ac roſcidis ſeritur. Pli/ nio Caſtor taliter demõſtrauit: caule rubro, longo, denſis geniculis, foljs lauri, ſemine al/ bo, tenui, guſtu piperis. Vtilis dentibus, oris ſuauitati & ructibus. Contra morbos comi/ tiales bibitur. Hæc ſiliquaſtri uel piperitidis effigies, herbam illam exprimit, quam recen/ tior Græcia coſtum nominat, uulgus *coquon*, in hortis naſcentem: nec ulla refragatur deli/ niatio, cũ folio laureo ſpectetur, ora minutiſſime ſerrata, caule lõgo, cũ inoleſcit rubeſcẽte, denſis geniculis intercepto, ſtrijs exilibus quaſi lineis ſulcatim in longũ protractis, pipera to guſtu, ſemine candido, flore abrotoni, comãtibus auri fulgore capitellis. Vires etiã aſti pulantur uſui: quando quidẽ & ſuo piperis ſapore iura commendet. Grauẽ oris halitum emendat, ſuauitatem cõcilians: & ructus tædioſos abolet. Siliquaſtrum piperitim ue eſſe quam uulgus appellat *coſtum*, quædã officinæ *herbam diuæ Mariæ*, nemo poteſt inficiari, q̃ uires & pictura reſpondeant. Coſtũ ſemine ſeri Maio & Aprili recentes Græci iubẽt, ſua radice Nouẽbri menſe, ita iucundiorẽ naribus odorẽ efflabit. Falluntur qui hydropiperis ſpeciem eſſe cõtendant ſiliquaſtrũ, quibus & ſi ſapor idẽ, multũ tamen differre mihi uidẽ/ tur, nõ ſolum medicinæ uſu, ſed etiam figura. ſiquidem ſiliquaſtrum & hydropiper nata/ libus, foljs, ſeminibus apertiſſimè diſſidẽt. Nam ſiliquaſtrum laureo ueſtitur folio, hydro piper menthæ frondibus uiret. Illud caule rubro micat, hoc ex uiridi candicante proſilit. Vtrunq; geniculis cingitur, ſed illud prædenſis, hoc tenuibus ac parũ prominulis tumet. Vtrunq; piper reſipit, ſed ſiliquaſtrũ ſuauiter olet, hydropiper nullũ expirat iucundũ odo rẽ. Illud aquas ſequitur, hoc hortis tantũ ſeri gaudet. Vtile eſt hydropiperis folia cũ ſemi/ ne ad tumores, et contra ueteres duritias ſubleuiſſe. Radicem exiguam & inutilẽ obtinet.

Ptarmice. Cap. XCII.

PTarmice fruticulus eſt ramulos ſpargẽs multos, teretes, abrotono non diſſimi/ les, qui foljs oleaginis frequentibus, longis ueſtiuntur. In cacumine anthemi/ dis capitulum obumbrat orbiculare, quod ſuo acri odore ſternutamenta ciet, unde nomen. Naſcitur in montibus ſaxoſiſq; locis. Galenus flores ptarmicæ tradit

tradit ſternutus prouocare, quapropter eo nomine donata eſt. Paulus folia mouere ſternutationes ſcriptum reliquit. Hæc ſi uiridis oblinatur, inſignita cæteróſque humorum impetus diſcutit. Recens ſecundam calfacientium ſiccantiumq; ſedem ſibi uendicat, ſicca tertiam. Cæterum apud nos herba fruticat, ſurculis teretibus, paruis, abrotono non diſſimilibus, qui foliis olea longioribus & copioſis ambiantur. Cacumen opacat capitulum, floribus anthemidis ſeu chamæmeli in orbem radiatum, quod ſuo acri odore nares feriens ſternutamentum irritat. Inuenitur ſæpius in mõtibus & ſaxoſis, locisq; quibus tofus ſubeſt. Herbarij noſtri ſimul & officinæ, q̃ guſtum pyrethri modo quanquam mitius uellicet, *ſyluestre pyrethrum* appellant. cuius flores naribus obiecti ſternutamentũ eliciunt, olfactum acrimonia titillante. Verum & ſi folium oleaceæ frondis aliquam referat imaginem, multo tamen arctius cõſpicitur, præſertim cũ petroſa ſequitur. Folio ptarmicæ cum ſuis floribus illito inſignita emendantur. Sternutamenta flos efficacius mouet. Naſcitur in montanis ſaxoſisq; locis.

Radicula ſtruthion. Cap. XCIII.

STruthion Græcis, Latinis radicula dicitur, uel lanaria, quæ ut olim notiſſima uulgo fuit, ſic à Dioſcoride minime depicta relinquitur. ſpinoſa herba eſt, non tamen acanacea, caule lanuginoſo, folio oleæ. floret æſtate, grata aſpectu, uerum ſine odore. ſemen ei nullum. radix magna, teres, oblonga, quæ concidítur purgandis lanis, Mirum quantum conferens candore mollitiáque. Aeque naſcitur ſatiua ubique, ſed ſponte præcipua in Aſia Syriáque, ſaxoſis & aſperis locis. Trans Euphaten laudatiſſima, caule ferulaceo, tenui, & ipſis cibis indigenarum expetito, nec eorundem mẽſis ingrato, tingentiq; quicquid ſit cum quo decoquatur. Succum habet eluendis lanis idoneum. Ea Plinio feruntur accepta, ne quis, ſi ſine authore loquar, ea me ſomniaſſe cauilletur. Ea eſt quæ communi officinarum conſenſu *ſaponaria* dicitur, quoniam eluendis ueſtimentorum maculis, ſordibusq; lanarum expurgandis, ſaponis uicem exhibet. Quidam *herbam fullonum* etiam nominant, quòd interpollandis ueſtibus, & mangonio poliendis fullones utuntur. Mauritanis *condiſum* dicitur. Nunc infectores in huius locum alumen ſubſtituerunt. Vulgaris eſt notitiæ, locis pleriſque naſcens, folio in ceſpitem conſerto, interuallatim ex eadem radice prodeũte, lauri figura uel oleæ, ſed maiore, caule ſpinoſo, breui, lanuginoſo: flore, ut inquit Theophraſtus, aſpectu pulchro, ſine ſemine. Hippocrates cõmendauit naſcentem in Andro inſula litoribus. Plinius aureum poculum medicis uocari tradit, quòd urinã cieret, aluum ſolueret, uuluáſque purgaret. Magno uerſantur in errore, qui neſcio quam herbam pro ſaponaria demonſtrant apud aquas naſcentem, & in glareis, fabaceo caule quadrato, bicubitali, glabro, folio plãtaginis, laciniſo, per ambitum ſerrato, flore purpureo ſummatim emicante, ſemine nigro in capitulatis calycibus contento, quaſi folliculis in ſeſe inflexis uelut in iride & polyporũ cirris, radice pingui, craſſa, rapum olente. Quæ deliniamenta minime priori ſaponariæ conueniunt, ſed magis clymenum, de quo ſuo loco dicemus, uidentur exprimere. Radicula, quæ ſtruthion uocatur à Græcis, tingentibus ramos præparat. urinam ciet: aluum ſoluit, uuluas purgat, quamobrem aureum poculum medici uocant. Medetur morbo regio ipſa decocta, & ius potum: item pectoris uitijs. Ea & ex melle prodeſt magnifice ad tuſſim, orthopnœæ cochlearis menſura. Cum polenta uero & aceto lepras tollit. Eadem cum panace & capparis radice calculos frangit, pellitq;. Panos diſcutit cum farina hordeacea & uino decocta. Miſcetur & malagmatis & collyrijs claritatis cauſa. Ad ſternutamenta utilis inter pauca, lieni quoque & iocineri. Eadem pota denarij unius pondere ex mulſa aqua, ſuſpirioſos ſanat. ſic & pleuriticos, & omnes lateris dolores. Dioſcoridi commorantes urinas trahit, iocineri auxiliatur, prodeſt ad tuſſim & orthopnœam cum melle, cochlearis menſura aluum reſoluit. Eadem cum panace & capparis radice calculos rumpit, & per urinam impellit, duritiam lienis diſcutit. Menſes elicit ſubdita, partus in utero perimit. Cum polẽta & aceto illita lepras rapit. Cum farina hordeacea panos & uomicas diſcutit, ſternutamenta mouet. Per os purgat trita cum melle & naribus infuſa. Miſcetur malagmatis & collyrijs quæ ad excitandam oculorum aciem parantur.

Cyclaminus, rapum terræ. Cap. XCIIII.

CYclaminus à Latinis rapum & tuber terrę, nonnullis etiam umbilicus terrę, folia habet hederæ, purpurea & uaria, in quibus supra infraq; candicant maculæ, caulículo digitorũ quatuor, glabro & foliis carente, floribus in eo purpureis, rosarum effigie, radice corticis nigri, tam lata ut rapũ uideri possit. Sic eam Dioscorides repræsentauit. Plinius folia ferre minora quàm hedera tradit, nigriora & tenuiora, sine angulis, in quibus albicant maculæ, caule exiguo, inani, floribus purpureis, radice lata ut rapũ uideri possit, cortice nigro. Nascitur in umbrosis. Flos eius Colossinus in coronas admittitur, in quo nomine genus est coloris, ut Straboni placet, à Colossis urbe Troadis, ubi præcipua lanitij cõmendatio fuisset, quem purpureũ esse colorẽ non ambigimus. Flos in modum roſę purpura nitet, nec candidus ei redditur à Plinio uel Dioscoride. Prouenit in uepribus et umbrosis, maximè sub arboribus. Theophrastus, tuber terræ cõmendat aduersus exhalatiões inflãmationum, & ulcera ex melle. Succus caput purgat illitus cũ melle. Addit, ebrietatẽ repræsentari si maceratũ in uino potui detur. Adpensa radix hærẽteis partus accelerat. Valet ad amatoria. Erutã radicem uinóque subactam digerunt in pastillos. In omnibus serenda domibus, ut inquit Plinius, si uerum est, ubi fata sit nihil nocere mala medicamenta. Suum tamen uenenũ ineſt, traduntq; si prægnans radicem transgrediatur, abortũ fieri. Siccata & in orbiculos concisa funiculo transfigitur & scyllæ modo reponitur. Nunc mutata interpollis ineruditorum uoce, partim *cyclamen*, partim *panem porcinum* nostra ætas appellat, quòd frutetosis ac uepribus & inter uiuas sepes nascentẽ subulci pecori suo gratã pabulis cognorunt. A quo nomẽ illi fecerunt *porcinum panem* nominantes. Hæc stirpium umbra gaudet. Quidam in agris agentes, quòd sæpius radicem in orbem circũactam intuerẽtur, quæ non in globum extumescens, sed ueluti pressa sese in latitudinẽ explicaret, qua forma quotidiano usu panes uisuntur, ignorato uetere cyclamini uocabulo, *terræ panem* cœperũt appellare. Pernicialia brassicę et cyclamini sunt odia. Nã ipsum olus quo uitis fugatur, cyclamino aduersum exarescit. An sit eadem Aetio sphæritis non satis constat, quanquã nõnullis uiribus consentiant, sed id non ausim asserere. Soluit aluũ cyclaminos ex aqua pota aut balanis subditis. Sanguinis profluuiũ eadẽ sistit, siue ore reiiciatur, siue naribus, siue aluo fluat, siue fœminarũ utero. Si mortui sint in utero infantes, protinus reddit sine uexatiõe puerperę cyclaminos adalligata. Pituitas emendat eius radix cum melle. Eadem drachmis tribus bibitur in loco calido, & perfrictionibus tuto, ut sudores felleos moueat. Radicibus cyclamini cum aizoo litis ambusta sanantur, ita ut cicatrix fallat. eisdem omnia corpori infixa extrahuntur. Sedem cõuersam celerrime restituit radix ex aceto. Medetur & podagrę morbo, cuius & decoctum pernionibus prodest. Vlcera manãtia sanat uel per se, uel ex aceto & cum melle. Eadem contra steatomata efficax. Maculas omnes emẽdat, lepori marino aduersatur, cõtra serpentes omneis bibitur. Veneficiorum est amuletum. nam ferũt ubi fata sit cyclaminos, nihil nocere mala medicamenta. quod si uerum est, in omnibus serenda domibus. Pota radix, ut Dioscoridi placet, pituitam & tentantem aquam per inferna detrahit. Menses potu appositu'ue ciet. Tradunt, si prægnans mulier radicem transgrediatur abortum fieri. Adalligata certe partus accelerat. Aduersatur uenenis, potissimũ leporis marini in uino sumpta. Ad serpentium quoque ictus utiliter illinitur. Ebrietatem in uinum addita reprę sentat. Arquatum morbum discutit trium denariorum pondere pota cum passo & melle misto & bene diluto, ut qui biberint conclaui cubent calido & à perfrictionibus tuto, subindéque obruantur pannis usq; dum cõmadeant sudore, ita enim fellei sudores excernentur. Succus in nares infusus cũ melle, caput purgat: sedi subditus in lana, dejiciendis excrementis uiã molitur. sed illitus umbilico & pubi coxendicum tenus emollit aluũ, sed abortus facit. Suffusiones & hebetatã oculorũ aciẽ cum melle salubriter illinit. Miscetur medicamentis partũ in utero necantibus. Procidentem sedẽ cum aceto litus resilire cogit. Expitur succus radice tusa pressaq;, ut decoquatur ad mellis crassitudinem. Purgatur eo cutis, eruptiones pituitæ coercentur. Vulneribus ex aceto & melle medetur. Lienem absumit illita. Molestias cutis in facie tollit, alopecias emendat, prodest & ad podagras. Vlcuscula capitis & perniones decocto eius commodè fouẽtur. Vlcera ducit ad cicatricem, si

ipsa

ipſa in oleo ueteri deferueſcat, perunctis antè partibus oleo: Excauata radix oleo complet
tur, & in cinere calido ponitur, adiecto Tyrrhenicæ ceræ puſillo, ut ſtrigmẽti craſſitudinẽ
contrahat unguentum, præſtantiſſimo remedio quibus pedes à frigore alſerint intumue/
rintq;. Siccata radix & ſcyllæ modo conſciſſa reponitur. Tradunt, tuſam eam & in paſtil/
los diuiſam ad amatoria expeti. Naſcitur in umbroſis, maximè ſub arboribus.

Altera cyclamínos. Cap. XCV.

DEmonſtratur & altera cyclamínos folijs hederæ ſed minoribus, geniculatis
caulibus, craſſisq;, circum arbores clauiculatim ſe uoluentibus, flore candi
do, odorato, acinis hederæ, ſed mollibus, aliquãtum acribus & guſtu lentis,
radice ſuperuacua. naſcitur in aſperis. hæc Dioſcorides. Plinius eadem fere
refert his uerbis, Eſt & altera cyclamínos, cognomine ciſſanthemos, genicu
latis caulibus, ſuperuacuis, à priore diſtans, circa arbores ſe uoluẽs, acínis hederę, ſed mol/
libus, flore candido, ſpecioſo, radice ſuperuacua. Acini tantum in uſu ſiccantur in umbra,
tuſiq; diuiduntur in paſtillos. Hęc à paucis nunc cognoſcitur, omneſq; medici, eruditorũ
pace dixerim, hanc ignorãt cyclamínum: ſed ſuperior pictura eam deliniat, quã nunc her/
barij uel officinæ *ſigillum Mariæ* uocãt, quandoquidẽ nihil huic refragari, ſed omnia cõſen/
tire declarabímus. *Sigillum Mariæ* folia fert hederacea, minora tantum, caules craſſos, uel ut
Plínius inquit, ſuperuacuos, geniculatos, uicinis arboribus capreolorũ ritu ſe conuoluen
tes, flores cãdidos odoratosq;, corymbis hederę, ſed mollibus, aliquantũ acribus, guſtu lẽ
tis & glutinoſis, radice nullius uſus in medicina, prę̃lõga tamen & in mirã molem extube
rãte, ita ut merito quoq; rapum terrę dici poſſit. Sunt tamen qui ſugillationibus abolẽdis
huius utantur illitu, qui informicationis ſenſum quendã teneris adfert partibus, quaſi car
nem exeſſe pediculi uel formicę uideantur. Glutinoſa radix eſt, cum friatur tam pertinaci
lentore ut tangenti cohæreat, filaq; mittat prętenuia, nõ confeſtim reſilientibus guttulis,
ſed ad digitos ſe quaſi reciprocantibus. Naſcitur in aſperis, præſertim ubi nonnihil aquæ
ſubeſt, ſed tam alte crebro deſcendit, ut eam lambere credatur. Baccæ corymborum ritu
racematim coeunt, quę ineunte primum adoleſcentia uirent, & adultæ per maturitatẽ ru/
beſcunt, tractantibus ſequacis etiam lentitiæ digitos comprehendentis. Mauritani *bothor
marien* primum, id eſt tuber Mariæ nominarunt, dein *ſigilli Mariæ* nomen ad officinas, quæ
in barbaros defecerunt, manare cœpit. Radicem, utpote medicinæ ſuperuacuam, non ex/
plicuit Dioſcorides, cum duntaxat fructu medeatur, altera tantum radice. Quam utriq; in
globoſam magnitudinem intumeſcere, rapi terrę nomen indicat, ut in orbem circinari cy/
clamini, quaſi circularis nomenclatura ſatis oſtendit. Itaq; cum *ſigilli Mariæ* coliculorum ar
boribus intorta conuolutio, hederaceus foliorum habitus, floris cãdor, acinoſa corymbo
rũ ſeries, acris eorundẽ mollities & lentor, natalis ſitus huic unice cyclamino reſpondeãt,
nec plura tradãtur ab authoribus, eam eſſe profecto fatendũ eſt. Adde, quòd ſi uires, quæ
tantum acinis attribuuntur, libeat experiri, ab ijs quæ cyclamino redduntur nõ inuenies
abhorrere, cum etiam id ratione à ſaporibus ducta ſatis colligi queat. Nam uis acinorum
acris, extenuandi naturam ſortitur. Quare per aluum & urinam lienem incremento labo/
rantem imminuit. Eadem facultate reliquias à partu purgat. Orthopnoicis lẽtore linctus
uicem præbente, & acrimonia pituitam digerente poteſt opitulari. Non longè diſſimilis,
niſi eadẽ fuerit herba, quæ in Hydroſcopico malacociſſos à Democrito nominatur, mol/
libus hederæ folijs, caule tenero, ſeſe cuicunq; quod fuerit nactus inuoluente. Tam cadu/
ca eius eſt conditio, ut ſeſe ſuſtinere non ualeat, niſi pedamento cui accubet fulciatur, nul/
lo enim corporis rigore cõtenditur. unde malacociſſi, id eſt mollis hederæ nomẽ deflexũ
eſt. Naſcitur in arũdinetis, & alto terræ ſinu. Subeſſe aquã ubi reperitur aquilex affirmat
Democritus. Nanq; noſtra rura radicẽ huius cyclamini lingere ſemper aquam adſerunt,
quã ſæpe dum erueretur radicitus deprehendimus in tantã altitudinẽ deſcendiſſe, ut ſub/
tus aquarũ ſcaturigines erũperent, quibus & ali et nutrimentũ haurire certum eſt, indicio
q; radix tota aquoſo cõcretu lentoq; cõſtet, friataq; digitis in liquorẽ reſoluta fatiſcat. Hãc
Dioſcorides ciſſanthemon, & ciſſophyllon cognominauit, q; & fronde & floribus hede/
ram uideatur imitari. Plínius tertiã cyclaminum ſibi demonſtratã aſſerit cognomine cha/
męciſſon, uno omnino folio, radice ramoſa qua piſces necabantur, quod Dioſcorides no/

mine tenus primæ cyclamino tribuit, ichthyotheron, à piscium uenatu, nominans. Acini huius drachma sumpta in uini albi cyathis duobus per quadraginta dies, lienē paulatim emittunt per urinā & aluū: orthopnoicis bibuntur. Reliquias à partu puerperis purgant.

Dracunculus. Cap. XCVI.

DRacunculus maior, ut Dioscorides testatum reliquit, prouenit in opacis & circum septa, caule glabro læuiq; recto, bicubitali, baculi crassamento, uersicoloribus draconum maculis, euincentibus numero, purpureis, foliis rumicis, mutuo complexu aduersis. Fructū summo caule facit racemosum, coloris inter initia cineracei, postea quàm ematuruit, croceo & puniceo rutilantis, radice grandi, candida, rotunda, tenui cortice tunicata. Carpitur cum nigrescit maturitate. Sed hæc supposititia mihi uidetur, præsertim cum nec Galenus, nec Paulus, qui huius authoris dicta bona fide solent referre, unius tantum dracunculi meminerunt. Auxit quoque suspicionem, quòd huius picturæ apud ueteres, qui Dioscoridis ubique placitis adhæserunt, nullum uestigium ostenditur: & si ueterrima quæq; consulantur exemplaria, comperientur tandem nihil minoris maioriscq; dracunculi discrimine notasse. Sed uter minor dicetur, cum cauli utriusq; bicubitalis assignetur altitudo? Quare caput quod maiori dracunculo dicatum est, historiæ Dioscoridis accreuisse suspicamur, præsertim cum uterque faciem eandem, magnitudinem, habitum, uersicoloriam cutem, natales eosdem sibi uendicauit. Nam uterque in umbrosis circum sepes & senticeta nascitur, rotunda radice, tenui libro uestita, caule recto, bicubitali, baculi crassitudine, uersicoloribus anguiū maculis, intercursantibus lituris purpureis, fructu in cacumine racemoso, primum acinis in pallore uirentibus, quare in altero cineraceo, in altero herbaceo legitur, qui cum ematuruerunt, croci colore uel punico rutilant. Sed quod lectorem potissimum male haberet, est, quòd foliis uidentur multum discrepare, in altero rumicis, in altero hederacea designantur. Sed in longè distantiores angulos exeunt, nec legitimo hederæ circino rotūdantur. Huius folij faciem Dioscorides explicuit, in hemionij mentione. nam hemionium dracunculi folio repræsentauit, quod prælongum est, & ferè rumicis figura. Hinc uulgus nostrum sua consuetudine *linguam cerui* uocat hemionium. Quare ut omnis faceſſat suspicio, unum genus tantum dracūculi credimus, historia duplici repræsentatum, priorem tamen adiectitiam fuisse, nec ex Dioscoridis sed alterius authoris officina prodijsse iudicamus. Adde, quòd uires, & si uarijs uocibus enarrentur, non tamen dissimiles multum aut abhorrentes à sese comperiuntur. In orbe nostro satis frequens inuenitur, & in hortis studiose colitur, ludentis naturæ miraculū, & draconis rudimenta in stirpibus facere cōdiscentis. Simplici caule dracunculus attollitur, binum cubitum alto, læui, glabroq;, baculi crassitudine, uersicoloribus anguium maculis uariegato, purpureis etiā intercursantibus lituris, ita ut plane serpentis habitum coloremq; mentiri uideatur. In uertice comoso folia prodeunt, sena septenaue, crassiore pediculo digitorum ritu propendentia, candicātibus respersa notis, rumicis figura, specie tamē hederacea longiore. E foliato scapi fastigio uagina quædam foris herbacea prosilit, cubitalis ferè longitudinis, in mucronē sensim turbinata, uelut erupturi partus inuolucrū, quæ cū dehiscens sese pandit, purpureū cornu in acumē fastigiatū demōstrat. Ea seminis incremēto distenta dissilit in rimam, & tandē elanguescēs flaccescit, subarescēsq; perit relicto cornu, cuius imā partē racemosus fructus ambit, acinis prima pubertate uirentibus, & per adolescentiā cocci rubore rutilātibus, gustu mordaci, odore uiroso, quandiu ianthinum illud exerit cornu: radice bulbosa, tenui libro uestita. nascitur in opacis sepibus. Sed & iam in hortis seritur, spectabili hiantis draconis forma, solido cornu perinde quasi lingua, cōcauo uaginæ sinu ceu rictu serpentis emicāte. Nec quis poterit inficiari, hāc esse herbā quā *serpentariam* nomināt officinę. Nā ueteribus Romanis & colubrinæ & serpētalis usus nominis increbuerat, nec aptius ei uocabulum potuit usurpari, cum caulis glaber, purpureis respersus lituris, uersicolori facie corpus anguinum repræsentat & æquat longitudine. uertex quoque sinuoso oris hiatu linguam exerens cruentam caput exprimit. Dracunculus triplici effigie Plinio demōstratus est, foliis betæ, non sine thyrso, flore purpureo. hic, ut inquit, est similis aro. Alij radice longa ueluti signata articulosáque demonstrauere, tribus omnino cauliculis. Tertia demonstratio

monſtratio fuit folio maiore quàm cornus, radice arundinacea. totidē ut affirmat, genicu-
lata nodis, quot haberet acinos, totidemq; eſſe folia. Quin & alium in Luſitania ſe cogno-
uiſſe fatetur, in hoſpitis agro nuper inibi repertum, eiuſdem nomenclaturæ, caule pollica-
ri craſſitudine, uerſicoloribus uiperarum maculis inſigni, quem ferebant ut miraculum è
terra ad primas uernationes ſerpētum exire, bipedali fere altitudine, rurſusq; cum ijſdem
in terrā ſe cōdere, nec omnino occultari. Eo apparet ſerpēs uel hoc per ſe ſatis officioſo na-
turæ munere, quę præmonet, tēpusq; formidinis oſtēdit. Sed herbarij quandā oſtendunt
incultis agrorum limitibus & lapidoſis familiarem, ſubrutila radice draconis conuoluti
modo, iunceo caulículo, glabreſcente, per ima tantum foliato, ſpicoſo florum uertice, qui-
bus dilutioris purpuræ color ineſt. hanc uocant etiam *draconteam*. Aetius dracunculi ſe-
men occuli terra, & piperi ſimile prodidit. Olitores herbam *draconem* uulgo uocatam in
hortis ſerunt, his toto genere diſſimilem, quam mirabili quodam modo naſci prædicant
ex lini ſemine, raphanis aut ſcyllæ bulbis incluſo, & ſic in terrā obruto. Herba eſt puſilla,
caule cubitali, nigro & minuto ſemine, folio tenui & oblongo, acri, utranq; originem pro-
dente, linguam & folio & radice amburens, aceti & ſalis guſtu. Hanc quoq; inter acetaria
olera gratiſſimam celebrant, quòd nec ſalem nec acetum exigat, utriuſq; ſaporem referēs,
utriuſq; parentis dotes ut puto retinuit. Sypontinus pyrethrum à ueteribus appellari pu-
tat, falſus quadam ſaporum cognatione. Nam pyrethrum ſylueſtre daucum caule & folio
imitatur: draco potius foliis hyſſopum uel línum. illud umbellam obtendit anethi, circi
natæ rotunditatis: hæc nullam prorſus oſtendit. Seminis ſuccus aurium dolores mitigat,
ſi cum oleo eiſdem infundatur. Polypum abſumit naribus eodem & lana obturatis. Carci
nomata illitu ſiſtit. Acinis triginta in poſca potis fœminæ contrahitur abortus. Olfactu,
ut ferunt, cum flaccidi flores emarcuere recentes conceptus extinguuntur. Natura radi-
cis excalfactoria. Orthopnoicis prodeſt. Rupta, conuulſa, diſtillationem, tuſſesq; finit. Ex
creationes pectoris faciles exhibet, ſiue toſta cocta'ue cum melle, ſiue ſola eſtur, ſiue farina
eius ex melle delingatur. Vrinam pellit. Venerem excitat è uino pota. Vlcera phagedæ-
nas, & quæ uocantur cacoethe, intrita cum melle & alba uite purgat, & ad cicatricem per-
ducit. Ex hac collyria parantur ad fiſtulas & partus extrahendos. Qui radice ſuas manus
perfricuerint, à ſerpentibus percuti negantur. Ex aceto uitiligines emaculat. Cōtrita folia
uulneribus linamenti loco recētibus imponūtur. Decocto eius ex uino perniones fouen-
tur. In foliis dracunculi caſeus optime ſeruatur à carie tutus. Succo radicis nubeculæ, al-
bugines, & oculorum caligines exteruntur. Radix cruda cocta'ue ſanorū cibis expetitur.
In Gymneſijs inſulis, quæ Baleares appellantur, cocta cum melle radix cōuiuijs apponi-
tur, placentæ uicē implens. Radix per meſſes effoditur, elotaq;, & filo tranſuta in umbra
ſiccatur. Græci alij ſemen dracunculi feruens mordaxq; tradidere, tātumq; ei uires ineſſe,
ut olfactum grauidis abortum inferat: omnino habentem ſerpētes fugere, ideo percuſſis
prodeſſe in potu. Aiunt & menſes ſiſtere, ſi ferro non attingatur: ſuccū eius aurium dolo-
ri prodeſſe. Dracunculum hordeo matureſcente iubent effodi luna creſcente. Alij cum di
luto crudam radicē coctam'ue delingi præcipiūt contra orthopnœas, rupta, uulſa, deſtilla
tiones tuſſesq;: potam è uino, uenerē ſtimulare: ulcera cacoethe, phagedænasq; ſanare ſu-
bactam cū melle & alba uite. Iidē addito melle in collyria digeſſerūt ad eliciundos partus,
extrahendasq; fiſtulas. Ea uitiligines abigūt, polypos in naribus & carcinomata diſſipāt.
Succo medicamentis oculorum adſcito, caligines, nubeculas & albugines diſcutiūt. Ad-
dunt, & olfactu grauidis teneros conceptus abortu uitiare, itē ſi triginta ſeminis grana bi-
bantur in poſca. Quidā ſuccū ex oleo auriū doloribus infudere: folia, ut quæ ſpiſſent, uul-
neribus etiamnum cruentis impoſuere, ut cocta in uino pernionibus. Eum qui folia ma-
nibus contriuerit feriri poſſe à ſerpentibus negant. Radicem effoſſam tenentem eaſdem be
ſtias fugere. Carpunt ſuccum cum maturitate nigreſcit, ſiccātq; in umbra. Radicem meſ-
ſibus effodiunt, ablutam in partes concidunt, dein funiculis transfixam ſuſpendunt locis
opacis ut obareſcat. Galenus dracunculi radicem ſemel, iterum & tertio decoctam, quo
omnem exueret medicam uim, interdum ari modo in cibis exhibebat, præcipuè cum len-
ti craſſiq; humores maiore nixu ſunt propellendi, qui pectoris & pulmonū obſident offi-
cinam. multiplex illa ſiue aſſatio ſiue coctura domat acrimoniam.

Aron. Cap. XCVII.

ARon folia emittit dracunculi,sed minora,pauciorib⁹ reſperſa maculis, ſcarpo dodrantali,in purpuram leniter tendente,piſtillí ſpecie, à quo croci colore fructus exit.Radix alba ſimilis dracuntio. hæc manditur cocta minorem quàm ſuperior acrimoniam præferens. Hæc nunc eſt in magna nomenclaturarum apud recentiores ambage. Quidam,quòd folium effigie bubuli ueſtigij prodeat, *pedem uituli* nominarunt.Alij,quòd dracunculum æmulatur, ſola magnitudine diſcrepãs, *ſerpentariam minorem* appellarũt. Vulgus,quod piſtillũ promit exerti ferè genitalis effigie, *ſacerdotis uirile* nuncupãt. Officinæ,corrupto,ueluti ſolent, uocabulo *iarum*. Siquidẽ ſerpentaria minor,uel ſi mauis uitulinus pes,folia promit dracũculi,minora, pauciorib⁹ ſugillata liturís,caulem ſemiſſem altũ,pupuraſcentẽ, piſtilli facie, in quo fructus croci colore nitet,radice bulboſa,cãdida.Sed non eſt omittendũ, quòd ante ſeminis partũ ſagaci naturę artificio dignum erumpit inuolucrũ, palmari longitudine, quod mucronata in turbinẽ uaginula piſtillum cõplectitur, & ſuo fouet ſinu,tam eſt diligens ſeruãdis rerum ſeminibus natura:ſed ubi fructu prægnãs fatiſcit in hiatũ,ſolida piſtilli facies dilutiore purpura rutilans emergit:& anfractu penitus patente, crocea ſemina ſpectãtur, quę in coronæ modũ concinnè cõtexta,imam eius partẽ ambiũt.Ari folía, ut Theophraſtus inquit,cum latitudine caua ſunt ac cucumeracea,quibus terra obrutis, radices inhibita germinatione fiunt altiles,cũ frondibus luxuriet,quæ perquam amplæ funduntur.Sed ut radix maiore proficiat incremento,deflexæ terra ſolẽt operiri, quo minus in germina ſuſcitetur,alimentumq; in ſuum reſiliat caput.Nam radix,ut idẽ inquit,carnoſa,nuda cortice, mandi poteſt. Quin & folium aceto incoctũ eſtur, ſuauis profecto cibus. ſed caulem ei nullum reddidit.Fuit aron magnæ cum dracuntio litis, diſſidentq; aliquantum in hoc genere ſcriptores.Phænias (ut Athenæus refert) eandem herbã exiſtimauit dracunculum, aron uocãs & aroniam:Theophraſtus contrà, dracunculum quendam tradidit aron appellari,quòd maior eſſet caule: Glaucias ſatu diſcreuit, dracuntium ſylueſtrem aron pronuncians.Aliqui radicem aron appellauerũt, caulem uero dracuntium, in totum alium. Plinius aron radicem nigram in latitudinem rotundam habere,multoq; maiorẽ adfirmat, qua manus impleatur:dracunculum autem ſubrutilam,& draconis cõuoluti modo. Hippocrates candidam radicem cum nominauit, dracuntij uult Galenus intelligi. Dioſcorides tria genera conſtituiſſe uidetur,dracunculũ,aron, & ariſaron. Theophraſtus aron putauit eſſe genus ſub quo ſpecies quædam continerentur. Radicẽ dracunculi idem author cibo damnauit,medicinæ tantũ natã:ari radicẽ foliaq; mẽſis cõmendauit.Aron multis laudibus extulit Dioſcorides,primum in cibis elixum edomito concoctu ſaporis acremento præferẽs.folia quoq; ſale condiri præcepit.Dracunculi cibũ omnes menſæ faſtidiũt,quòd uirus inſit ei graue,feruor,& mordacitas quæ merito cibis reſpuatur.Sunt qui ut hos authores ſimul in concordiam reuocent, duo dracunculi genera conſtituant, maius uocantes dracunculum, minus aron, cum herbæ quidem ſint figurarum notis proximæ, ſed magnitudinis diſcerniculo tantum inſignes.Dioſcorides in depingẽdo aro multum à Plinio diſcrepat.De dracunculo quoq; parum cõuenit inter eos,deliniationes tamen Dioſcoridis ſequi tutius eſt, cum nullo non orbe reſpondentes his herbæ comperiantur. Nam quanuis effigie triplici Plinio monſtratum ſit,quod Græci dracuntium uocant, unum duntaxat putatur aſpirare Dioſcoridis picturis,quod erat foliis betę,non ſine thyrſo,flore purpureo,hoc eſt, ut inquit,ſimile aro. cui alio loco caulẽ reddit pollicari craſſitudine,uerſicoloribus uiperarũ maculis, quẽ in Luſitania cognouit in hoſpitis agro nuper ibi repertum.Alijs alia figura ut ante mõſtrauimus.Rapi modo, ut Galeno placet, ari radix eſtur. Verum quibuſdam in regionibus tanta pollet acrimonia, ut dracunculo parum cedere uideatur. Verum ſi recte paretur, acrementũ deponet. Oportet autẽ effuſa decocturæ prioris aqua ſtatim alteram feruentem iniícere,uti in braſſica & lente ſolet factitari. Cyrenis minimam præ ſe fert acrimoniam,adeo ut rapis in cibo præferatur, quo in loco hanc alendis corporibus utiliorem eſſe conſpicuum eſt.inde in Italiam tranſportabant, ut quæ perennaret,nec cariem facile nec germinationẽ ſentiret.Acrior tamen deſideratur, cum è pectore uel pulmonibus craſſi glutinoſiq; humores debent extuſſiri.Eſtur ex aceto, oleo, &

garo

garo cocta. Pleriſq; locis acerrimæ ſunt ari radices, medicinę potius quàm cibis naſcẽtes. Aron miris laudibus extulere Græci, primũ in cibis fœminã præferẽtes, quoniã mas dulcior eſſet, & in coquendo lentior, pectoriſq; uitia expurgaret: aridum impoſitione, inſperſu, uel eclegmate urinã & menſes cieret. ſic in oxymelite potu ſtomacho, interaneis exulceratis ex lacte ouillo bibendum. Ad tuſſim in cinere coctũ ex oleo dedere. Alij coxere in lacte, ut decoctũ biberetur. Epiphoris elixum impoſuere: itẽ ſugillatis, tõſillis. Ex oleo hæmorrhoidũ uitio infudere, lentigines ex melle illinentes. Cleophantus tuſſientibus aut ſuſpirioſis & orthopnoicis & purulenta excreãtibus farina permiſtũ in pane dedit: item pro antidoto contra uenena, pleuriticis quoq; & peripneumonicis. Diocles ſemen tritũ cũ oleo et roſaceo auriũ doloribus infudit. Diodotus tabidis è melle eclegmate, et pulmonum uitijs, oſſibus etiã fractis impoſuit. Partus omniũ animalium extrahit naturę circũlitum. Succus radicis cũ melle Attico oculorũ caligines ac ſtomachi uitia diſcutit. Tuſſim decocti ius cũ melle finit. Vlcera omniũ generũ ſiue phagedænæ ſint, ſiue carcinomata, ſiue ſerpẽt, ſiue polypi in naribus, ſuccus mire ſanat. Folia ambuſtis proſunt, itẽ podagricis cum ſale recẽtia uel ſicca. Hippocrates ad collectiones quaſlibet cum melle impoſuit. Ad menſes trahendos ſeminis uel radicis drachmę duæ in uini cyathis duobus ſufficiunt. eadem potio, ſi à partu non purgantur, & ſecundas trahit. Hippocrates & radicem ipſam appoſuit. Dicunt in peſtilentia ſalutarem eſſe in cibis. Ebrietatẽ diſcutit. Serpentes nidore cum crematur, priuatimq; aſpides fugat, aut inebriat, ita ut torpentes inueniantur. Peruncto quoq; aro & laureo oleo fugiunt, ideo & contra ictus dari potu in uino nigro putant utile. In foliis ari caſeus optimè ſeruari traditur. Dioſcorides radici, foliis, ſemini naturã aſſignat dracunculi. Priuatim radicem podagris illinebat, omninoq; inter edulia reponit, ſic ut ob mitiorem acrimoniam menſis expetatur. Folia quoq; ſale inueterãtur cibis. Eadem ſiccata incoctaq; manduntur per ſeſe. Radix dracunculi more reponitur.

Ariſaron. XCVIII.

ARiſaron puſilla eſt herba, radix ei oleæ tuberculo, acrior guſtu quàm aron. Galenus longe minus aro tradidit, radicem magnitudine oliuam æquare, multo maioris acrimoniæ. Paulus multo minus eſſe ſentit, ſed acrius, radicem oliuæ magnitudinẽ referre. Aris Plinio ſimilis aro naſcitur, minor tantum, minoribusq; foliis, & utiq; radice quæ tamen oliuæ grandis magnitudinem implet: alba geminum caulem, altera unum tantum emittens, ſed Aegypto familiaris. Eſt & inter genera bulbi, ut idem fatetur, quod in Aegypto uocant aron, ſcyllæ proximum amplitudine, foliis lapathi, caule recto, duũm cubitorum, baculi craſſitudine, radice mollioris naturæ quæ edatur & cruda. Eſt etiamnũ aris herba Hippocrati, ſed qua ſit facie non explicat. Hærent nõ immerito quidã, an eadẽ ſit herba aris & ariſarũ. Ambiguitatem tollit pictura & uires, quæ utriq; conſimiles redduntur. Plinius ſiquidẽ eiſdẽ omnino notis arum quibus alij ariſarum repræſentauit. Sed imprimis fidẽ facit apertè nomenclatura, quæ utriuſq; retinuit appellationẽ, duobusq; tandẽ uocabulis in unum coaleſcentibus ariſaron dici cœpit. quare apud ueterrimos aris primũ, dein poſterioribus copulatis unà nominibus ariſarũ confictũ ſit. Adde, quòd ſi quis eas perpẽdat diligẽter, nec delinimentis nec uiribus inueniet diſcrepãtes. Nã radix oliuæ magnitudinẽ cõplet, ſimilis aro, minoribus tantũ foliis. Si uires contẽplari libeat, nomas utraq; ſiſtit. Medentur fiſtulis itidem collyrio immixtæ. Cõtacto, quod mirũ eſt, genitali cuiuſq; fœminei ſexus utraq; animal in pernicie agit. Nec plura traduntur ab authoribus. Cũ nec uiribus nec reliqua facie diſſideãt, unã & eandẽ eſſe fatendũ eſt. Ariſaron medeť ulceribus manantibus, itẽ combuſtis ac fiſtulis collyrio immiſta, acrior guſtu quàm aron. proinde nomas ſiſtit illitu. Cõtacto genitali cuiuſcunq; fœminini ſexus, animal in perniciem agi Dioſcorides eſt author.

Aſphodelus, haſtula regia, Cap. XCIX.

HAſtula regia, quæ Græcis dicitur aſphodelus, herba non ignota multis, foliis porro ſimilibus, ſcapo læui florẽ gerẽte cacuminibus, antherícon uocãt. radices lõgę, rotũdę, glãdib. ſimiles, guſtu acri. Theophraſtus & fere Græci caulẽ eius fecerũt cubitalẽ et ſępe binũm cubitorũ, antherícũ uocauere Latini albucum, folio porri prelongo, anguſto, ſublentoq;, radice napis modicis

ſimili

simili,nec alia numerosior,octoginta simul aceruatis sæpe bulbis.Scapus, ut placet Theophrasto,albucũ dictus,unice inter omnes excellit, maior quàm iridis,sed mollior, cæterũ eum æmulatur.Semen abunde profert lignosum, triquetra figura, colore atro. Nascitur in orbiculari folliculo qui flori subiectus est,æstate decidẽs cũ dehiscit.Particulatim floret ut scylla,incipiens ab imo.Vermes albucũ creat, qui in uolucres bestiolas flosculorũ specie degenerãt.ij tandẽ cum flaccescẽs inaruerit scapus,eroso conceptaculo prouolãt. Verba Theophrasti subiecimus, quod nõnihil dubij uideat, ὅταν ὁ ἀνθέρικος ἀνάνθῃ λεπτόν ἐκπέτεται. cum Theodorus aliter legisse monstretur, ἄνανθῃ potius,in hunc sensum, Cũ herba floret eroso statim operculo animal euolat, quasi Theophrasti codicem emendauerit: de qua re ad rusticos referendum est, qui melius norunt, si uolucres uermiculi erumpente flore euolent, uel flaccido caule ascitis alis in floridos abeant papiliones: sed uerisimilius,tabescente thyrso,pabuli inopia inuolucrum suum erodere. Caulis id sibi peculiariter uendicauit,quòd tametsi læuis & angustus,in ramulos tamen superne finditur.Mandebatur olim hic in cinere tostus:item bulbus cum semine, oleo, & sale addito: præterea cum ficis quoque tusa radix præcipua uoluptate, ut uidetur Hesiodo in syluis eum nasci prædicanti,canenti etiam latere homines quantũ cibi copiosioris sit in asphodelo, quam quam ætas nostra lautiorem uictum sequuta prorsus ipsum aspernetur.Mentionem eius & Homerus fecit inquiens: λειμῶνα δ' ἀσφόδελον. Sed accentu acuto scriptum notãt enarratores Græci,locum hastula regia consitum, uel pratum cuius amœnitate quis capiatur significare,ut loco nuper huc citato:alioquin herbam,sed mutata pronunciatione.Aristarchus eius radicem quoque prodidit esculentam,& odore grato placentem. Sacrã Diannæ Proserpinæq; putarunt Rhodij,quare coronis earum asphodelum dicauerunt. Bis anno florere memorat Nicander in suis theriacis.Putãt ante portas satũ esse ueneficijs amuletũ.Bulbis hastulę regię mures necant,& cauerna pręclusa cõmoriuntur.Hellanicus Nomadas in Libya prodit ex asphodelo casulam factitare,quã circunferunt,ut se ualeãt ab solis æstu uindicare.Caulem eius cochleæ terrestres mire persequuntur & fugendo arefaciunt.Eius tamen duo genera faciunt ut Plinius refert, albucum intelligentes cãdidum, cui scapus amplior cubito,purus læuisq;.De quo præcepit Mago Carthaginensis:exitu mensis Martij,& Aprilis initio,semine nondum intumescẽte,demetendũ: findendosq; scapos quarto die in solem proferendos, & ubi peraruerunt manipulatim digerendos. Alterum uero asphodelum siuè hastulam regiam, cui acinosus sit caulis. Dionysius discreuit sexu, marẽ & fœminã in ea cõperiens.Dioscorides, Galenus, & Paulus uno cõtenti genere in species uarias nõ distribuerũt. Verũ interdũ in frutetis hac inuenit forma, Caulis erũpit auricularis digiti crassitudine,pedali altitudine,in cuius fastigio denę duodenæ ue racematim coeunt punicæ baccæ, foliis porraceis, radice fulua, multis bulbis perinde quasi allium nucleis coagmẽtata.Radices asphodeli Theophrastus Dioscoridesq; glandium similes effecerunt.Plinius modicis napis eas comparauit, quas frequenter uidimus aceruatis simul triginta quadraginta ue bulbis. Officinæ perperam detritis duabus uernaculis literis, & in earum uicem ascitis alijs, *aphrodilos* appellant. Defectis corporibus & tabidis constat bulbos eius cum ptisana decoctos apertissime mederi,panem ex ijs cum farina subactum saluberrimum esse. Hippocrates semen eius ad impetus lienis dari censet.Nicander contra serpentes & scorpiones uel caulẽ,uel semen,uel bulbos dedit in uino tribus drachmis,substrauitq; somno contra metus. Xenocrates lichenas & psoras radice in aceto decocta tolli putat:item si cocta sit cum hyoscyamo & pice liquida,alarum quoque & fœminum uitia:& capillum crispiorem fieri,raso prius capite,si radice fricetur. Crateuas uenereis desideria auiditatesq; tradit finire:radicemq; in uino datam drachmæ pondere aduersum podagræ dolores auxiliari. Venerem quoque concitari cum uino & perunctis aut bibentibus tradiderunt. Alij contra perniones decoctam ex oleo, & suffusis felle in uino & aquæ intercutẽ dederunt.Folia illinunt uenenatorũ uulneribus. Bulbi neruis,articulis cum polenta tusi perunguntur.Prodest & cõcisis ex aceto fricare, itẽ ulceribus putrescẽtibus imponere,mammarũ quoq; & testium inflammationibus.Decocti cum fęce uini oculorum epiphoris suppositio linteolo medentur.Foliis in quocunq; morbo decoctis medici magis utuntur:item ad tibiarum tetra ulcera,rimasq; corporum quacunq; in parte farina arefacto-

arefactorum. Succus tusis expressus utilis fit corporis dolori cum melle. Odorem corporis iucundum affectantibus cum iri arida & sale exiguo præbet. Folia strumis, panis, ulceribus in facie decocta cum uino medentur. Cinis è radice alopecias emendat, & rimas pedum. Decoctæ radicis in oleo succus perniones & ambusta sanat. Ad grauitatem aurium infunditur, à contraria aure in dolore dentium. Pota radix prodest urinæ, menstruis, & laterum doloribus: item ruptis, conuulsis, tussibus drachmæ põdere in uino pota. Eadem uomitiones elicit in uino pota. Semine sumpto turbatur uenter. Parotides ammista uino decocta radice curantur. Quidam aiunt, si imposita radice pars eius in fumo suspendatur & quarta die soluatur, unà cum radice arescere strumam. Addunt, lapides renum in uino decocta atq; pota eximi. Iumentorum scabiem ac ulcera radix illita aut decoctæ succus ad pilum reducit. Mures uolunt eadem fugari, cauernaq; præclusa mori. Autumno bulbi colliguntur, cum plurimum ualent. Dioscorides radicem excalfacere tradit, potam urinas & menses ciere. Laterum doloribus, ruptis, uulsis, & tussibus ex uino sumptam mederi. Commanducatam astragali mensura uomitiones adiuuare. Contra serpentes dedit denarijs tribus. ipsos quoque ictus illeuit folijs, floribus, radice, cum uino. Vlceribus sordidis & depascentibus imposuit: item mammarum & testium ardoribus, tuberculis & furũculis decoctos cũ fæce uini bulbos, recẽtibus inflammationibus ex polenta. Succum radicis cum uino dulci uetusto, myrra, & croco pariter decoctis ut in medicamentum redigãtur, oculis inunxit. Auribus purulentis syncerum tepentẽq; infudit. Aliqui pollinem thuris, myrrham, uinum, & mel admiscuere. A contraria aure in dentium dolore per se demisit. Radicis crematæ cinerem alopecijs ad pilum reducendis imposuit. Oleum in excauatis radicibus decoctum illitu perniones exulceratos & ambusta emẽdare tradit. Ad aurium surditatem infundi, candidam uitiliginem tollere, sed confricatam ante linteolo in sole. Semen, flores, bulbos in uino potos scolopendræ & scorpionum uenenis resistere, uentremq; purgare. Floret albucũ per messes triticeas. quare post æquinoctiũ uernum, nondum semine eius intumescente, metitur. Galenus asphodeli magnitudine, figura, amaritudine, quadam tenus similem scyllæ fecit. hoc tantum interest, quòd lupinorũ modo paratа plurimũ suæ deponat amaritudinis, quæ in scylla pertinacior est quàm ut facile possit elui. Cęterum magnis laudibus albucum extulit Hesiodus, paucos nosse tradens, quot in maluis & asphodelo bona reperirentur. Exploratum tamen habuit Galenus, cum fames per Asiam grassaretur, rusticos crebris in aqua dulci macerationibus, lõgisq; coctu ris radicem hanc uix domuisse, ut in cibos famelicis ueniret. Extenuat tamen, & inferctus uitia in dracunculi modum expedit. ideoq; caulículus arquatis præsenti datur remedio.

Bulbi. Cap. c.

BVlborum facies notior est uisa Dioscoridi quàm quæ deberet repræsentari, nunc incognita omnibus ferè cum medicis tum officinis habetur. sed qua serimus specie demonstrabimus: Bulbi caput ex pluribus nucleis coagmentatur, qui simul in capillitio coeunt, factis sensim eorum diuortijs, ita ut in latius pateant, uertice fibris crispato, medio torosiore, ceruice tenui, tota radice corticosa, foris squarosis membranis tunicata, nullo tamen folliculo omnes partes amplectente, fronde cepitia, terete, inani, angusta, in mucronem desinente, caulículo dodrantali, in cuius fastigio flos emicat purpureus ut in scylla circunactus. Inueniuntur & simplici capitulo quod tandem in multa coalescere cõspicitur. Cepæ modo tunicati sunt bulbi. Cum capilli uelluntur, aut cum uertex præciditur nõnihil lactis remittunt bulbi, quo Celsus utitur. Iis rura sibi uorandi facultatem moliuntur, miram enim excitant auiditatẽ, qua re *appetitus* appellationẽ agris sibi uendicarũt. Verum genus hoc quod in hortis copiosiore coma uiret, nucleis gracilioribus, nunc *porretam*, alij *unionetam* à porri uel unionis, tum sapore tum forma uocant. sic grandioris formæ bulbos eadem donarunt appellatione. Celebrauit imprimis Cato Megaricos, quos potissimum serendos præcipit. Damnauit Ouidius ob Venerem ut puto, quam mirum in modum stimulat, his numeris:

Daunius an Libicis bulbus tibi missus ab oris,
An ueniat Megaris, noxius omnis erit.

Ad quam commendauit Martialis in Xenijs suis:

Cum

Cum sit anus coniunx, cum sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Radice seritur hortensis, nam semine partim primo, partim altero prouenit anno. Vt bulbi in caput crescant & grandiore corporis callo protuberent, Anatolius testam satorum radicibus substerni præcipit. Serendi tempus à Nouembribus Calendis ad Februarias. Bulbos Cato imprimis serendos præcipit, celebrans Megaricos. Bulborum genera differunt magnitudine, colore, suauitate. Quippe cum adeo dulces quibusdam in locis prodeunt ut Cherroneso Taurica, ut crudi facillime mandi possint. post hos in Africa nati maxime laudantur, mox Apuli. Effodiuntur ante uer bulbi, at deteriores illico fiunt. Si finduntur, maturitatem foliorum aridítate fatentur, præsertim si inarescant ab imo. Vetustio res improbãt, itẽ paruos & longos. Contrà, rubicundis rotũdioribusq; laus est, & grandissimis quibusq;. Amaritudo sentitur in uertice, media cartilago dulcior. Syluestres & sponte sua nati quibusdam locis inueniuntur. hos nostri sua cõsuetudine uocant *syluestres cepas*. Theophrastus author est, esse bulbi genus circa ripas amniũ nascẽs, cuius inter sum mum corticẽ, eamq; partẽ qua uescuntur, laneã cõtineri naturã, quæ media cõculcetur, ex qua mappę, alię uestesq; quondã cõficerentur. ob id eriophoron, id est lanigerum appellarunt. Eadẽ Phænias de bulbis retulit. Indis nõ lanati sed criniti nascũtur. Plutarchus prodidit memoriæ, bulbos nunq; de cælo tangi, quod nõ exiguitati corporis, sed cęcis rerum discordijs refert acceptum. Namq; sicuti uituli marini tergus aut ficus, ita bulbus fulminis ictum respuit. Hercules, ut est in Amalthia Euboli, bulbis abstinuit, feruorem eorum cauatus & grauem halitum. Heraclides Tarentinus in Symposio, bulbos genituram creare putat, non similibus naturis, aut facultatibus, sed quòd in uentriculo suo lentore diutius hærentes, implicitum exhibeãt humorem. Diphilus medicus eorum naturam in hũc sensum explicuit: Bulbi ægrè concoquuntur, copiosam subministrant alimoniã, stomachum bene habent, abstergendi uim possident, aciem uisus hebetant, uenerem excitãt. Quare ut Athenæus tradidit, uenit in adagium: Nihil te iuuat bulbus nisi farinam habueris. Accersunt profecto uenerem, qui regij nominantur. ij sunt cæteris multo præstantiores. Hos sequuntur fului, scyllę naturam æmulantur. Deterrimi omnium Aegyptij. Nicander Megarenses bulbos commendauit. Prouerbio sunt obnoxij, qui obstipo capite terram spectãt, & oculos humi defigunt, quasi bulbos quærant, ut est apud Aristophanem. Libidinosos quoq; taxauit, quos ait bulborum ollam deuorasse, quasi mulierosos esse. De bulbis Paulus hæc decreuit: Bulbi astringendi naturam habent, ciborum appetentiam inuitant, firmant stomachum, elidunt screatu quæ glutinosa coierunt in pectore. Leniter elixi magis enutriunt, sed exuentes amaritudinem concoctu non ita iuuant excreationem. Seminis abundantiam præbent. Venerem stimulat frequentior cibus. Flatus excitant, & tormina pariunt. Si cum oleo & garo manduntur, facile coquuntur, nec inflant. Bulbine & sisyrinchium, quòd radice orbiculentur, ad bulborum genus redigi desiderant. In hoc mirum, ut tradit Theopraſtus, imas eius radices crescere hyeme: uerno autem, cum apparuerit uiola, minui ac cõtrahi, tũ deinde bulbũ pingueſcere. Bulbina foliis est porraceis, flore uiolæ purpureo, siue ferrugineo in spicis, nigro semine foris, rubicũdo radicis bulbo, intus candido, squamis carente. Maurice *buberigim* cognominant herbarij, quam bulbis croci reprę sentãt, foliis porri, floribus uiolæ, adduntq; hermodactylorum esse speciem. barbaro notior officinis nomine, quàm latino uel graio. Bulbinas Diphilus tradit meliorem bulbis crare succum, nõ tamen ita gratas utilesq; stomacho, quòd dulcescentem in se quandã crassitiem contineant. Facile leuiterq; ob multam duritiem excernitur. Matron Græcus poeta Ioui Olympio celebres nuncupatasq; cecinit, quas in incultis syluis Iouis imber alit, aspectu candidiores niue, amyli placentis colore nõ dissimiles. Syluestrium bulborum florem coronis inseruere ueteres anemonem uocantes, post narcissum, ut Theophrastus inquit, exeuntem uere, sed aliam quàm quæ dicetur in phænij mentione. Græci florem hunc codion bulbi uocant. Nec tamen ijs authorum placitis uidebitur alienum, syluestrem bulbum eam esse herbam quæ per initia ueris Aprili mense, narcisso similis erumpit, radice bulbosa ceu allium, citra odorem glutinosa, fronde porracea, caule dodrantali, cauo, flore lilij sinuatim emicante, speciosо, quaternis foliis è calatho stellatim radiatis, ex albo in lutеum

teum tendentibus, aliquantum odoratis, capillo intus croceo. hanc rura nostra, quod radice & foliis porrum imitetur, *porrionem* appellant. Nanq; huius flores uernis coronamentis se dedere, & ineunte uere promuntur, croceis intus staminibus. Inclinat animus eam esse forsitan quã codiaminum Plinius uocet, cum florem codion bulbi diximus appellari, bis, ut inquit, uere & autumno emicantem, æstates hyemesq; fugientem, quod in superiore deprehenditur, & initio ueris & æstatis exitu floret. Nihil tamen perpetuum in his statui potest, cũ ea uelut notissima nõ depingantur ab authoribus. Bulbus etiam, quẽ uomitorium uocant quòd uomitiones repræsentet, folia habet lentiora, multoq; lõgiora quàm esculentus: radicem bulbo similem niger cortex integit. Quæ de hoc bulbo dicuntur, bis in exemplaribus superflue repetuntur. Inuenitur apud Hippocratem sylueſtris oleris genus oloconitidem uocari dulcem, bulbo simili radice, uerum parua & oliuę magnitudine, ad secundas trahendas utili. Amara austeraq; ui præditos inueniet bulbos, qui gustum exacte consuluerit. quapropter elangueſcentis & fastidiosi appetitus auiditatem reuocant. nam, ut inquit Galenus, & eorum radix frondibus spoliata, & uere cauliculus estur. Nec iis inutiles existimantur, quibus pectore ac pulmonibus purulenta sunt elicienda: quanquam crassiore corporis concretu & glutinosiore natura constẽt. Siquidem amaritudo crassitudini aduersatur, lentitiam & crassitiem digerens. Proinde bis mutata aqua cocti copiosius alunt, sed exuta amaroris gratia excreationem minimè prorítabunt. tum ex aceto, oleo, & garo sumpti maiore placent oblectamento. sic facilius coquuntur, pauciores mouent flatus, & corpus augent largiore alimento. Bulbis uberius ueſcentes copia genituræ stimulati pronius in Venerem ruunt, & libidini salacius indulgent. quippe cum eo cibo manifeste marceſcentis coitus desideria refricantur. Bulbi longam coctionem reformidant, exigua supramodum contenti, siue aqua bulliant, siue patinis frigantur, sine prunis torrefiant. Quos amarulentiæ & austeritatis irritamenta delectant, crudos esse malũt, quòd iis ignem non expertis magis ciborum auiditatem moliantur. Verũ ad restinguendas edentium illecebras binos aut ternos ediſſe satis est, cum sua noceant cruditate, maleq; cocti spiritus & tormina creent. illud ad cibos, hoc ad medẽdi rationem pertinet. Succus bulborum cum melle canum morsibus, & ut Erasistrato placet, cum pice medetur. Sanguinem idem eos sistere tradit illitos cum melle. Alij si è naribus fluat, coriandrum & farinam adijciunt. Alij lichenas ex aceto bulbis curant, & erumpentia in capite cum uino austero aut ouo, & bulbos epiphoris illinunt. sic & lippitudini medentur. Aequè uitia, quæ sunt in facie, præsertim rubentes bulbi cum melle & nitro in sole illiti emendant, lentiginem cum uino & cucumi cocto. Vulneribus quoque multum prodesse tradunt per se aut ex mulso, si quinto die soluantur. Iisdem auriculas fractas sanant, & testium pituitas. In articulorum doloribus miscent farinam. Cæterum ex aceto & sulphure uulneribus in facie medentur, per se uero triti neruorũ contractionibus, et ex uino porriginibus. In uino cocti, & uentri illiti duritiem præcordiorum emolliunt. Dysentericis in uino aqua cælesti temperato dantur. Ad sudorem tusi linuntur. Neruis utiles, ideo paralyticis dantur. Ad conuulsa intus cum silphio pilulis fabæ magnitudine. Venerem Megarici maximè stimulant, hortensij partum cum sapa aut passo sumpti. Flos bulborum tritus crurum maculas uarietatesq; igne factas emendat. Semen antiqui bibendum insanientibus dabant, & contra phalangia in uino. Ex aceto contra serpentium ictus satiuos illinebant. Diocles oculos hebetari ab iis putat. Elixos assis minus utiles adijciũt esse, & difficile concoqui. Omnes bulbi, ut Dioscorides scriptum reliquit, natura sunt acri, calfactoriaq;, uenerem accendũt. linguam & tonsillas exasperant. In cibo ualentis sunt materię. Augentur eo esu carnes, flatus creant. Eluxatis, collisis, articulorum doloribus efficaciter illinuntur. Infixa extrahũt spicula. Gangrænas & podagras ex melle uel synceri aquæ intercutem tumores, & canum morsus cum melle ac piperis farina illiti cohibent. Sudores arcent, sedant & stomachi dolores. Manantia capitis ulcera & furfures cum nitro tosto emendant. Sugillata uaroscq; per se uel oui luteo, & lentigines cum melle & aceto discutiunt. Fractas auriculas cum polenta & incussos ungues sanant. Fico tollunt in calidis cineribus torrefacti, & cum mænarum capitibus crematis appositi. Combusti uero & alcyonio permisti uitia cutis in facie tollunt, & nigras cicatrices emaculant, & ad candorem reducunt in sole corpo-

ribus illitis. Cum aceto elixi manduntur ad rupta. sed copiosiore eorum cibo nobis interdicitur, quoniam neruosas partes tentant. Cocti cum polenta & suillo adipe collectiones & panos suppurant, & compendio perrumpunt. Syluestres bulbi interaneorum plagas & uitia cum silphio pilulis deuoratis sedant. Bulbus, quem uomitorium uocāt ab effectu, multo longior est quàm esculentus. cuius decoctum uesicæ uitijs medetur, uomitiones elicit. Bulbine traditur uulneribus mire utilis, duntaxat recentibus.

Scylla. Cap. CI.

SCylla notior fuit quàm ut à Dioscoride pingeretur. Scyllæ radix cepæ modo multipliciter tunicata corticosaq; ex qua prius caulis per se prosilit, tū ex eo flos emergens insidit. qui cum senuerit, folia demum emicant, lata, nullo nixa pediculo, cepitia quadam specie. terni florum prouentus spectantur, singulis singulas sementes denunciantibus. Viuax est scylla, utpote quæ pensilis diu uitam prorogare possit. *Squillam* exemplo Varronis omnes nunc uocant officinę. Germinant celerius quædam intra scyllam consita, & ut tradit Theophrastus, ficus si iuxta scyllam seratur, ocius crescit, minusq; uermibus infestatur. In summa, quicquid scyllæ fuerit inditum facilius germinat, & celerius gliscit. Fructus condendos seruat, præsertim punica mala pediculo prius exempto. Ante portas domorum fata ueneficiorum noxam arcet. Scyllæ flos (ut est Berytius author) uirgata specie prosiliens, modo celeriter non emarcescat, largos frugum prouentus ac uberem annonam nobis promittit. Duo scyllę genera, masculus albis foliis, fœmina nigris. Tertium genus est cibis gratum & esu tenerum Epimenidia scylla uocatur, ab usu nuncupationem sortita, angustius folio, ac minus aspero, seminis plurimum. Omnibus celerius tamen proueniunt bulbis circum latera natis: & ut crescant, folia quæ sunt in ijs deflexa circunobruuntur, ita succum omnem in se trahunt. Capita sponte multis etiam in locis nascuntur. Nobilissima bulborum scylla medica minì nata, acetoq; exacuendo. Scyllæ quæ fuerit candidissima, direptis uiuotenus aridis tunicis, quod reliquum est suspenditur cōsutum lino modicis interuallis. postea arida fusta in cadum aceti quàm asperrimi pendētia merguntur, ita ne ulla quidem parte uas contingant. Gypso deinde oblitus cadus locis exponitur sole illustratis, ac totius diei feruorem accipientibus. post quadragintaseptem dies tollitur uas, scylla eximitur, acetum trāsfunditur. Genus unum scyllæ aut bulbum eius omnem, ab Hippocrate schœnum uocari Galenus est author. Scylla uim habet ardentem & acutam. Pluribus modis utilis redditur tosta. Luto hæc uel pistorio opere circumlita mittitur in clibanum, aut sub prunas occultur, donec ambiens tegmen retorridum uideatur: quo exempto si nondum probe contabuit, alterum statumen superinducitur, denuo idem opus obeundum, alioqui citra curationem hanc intereranea morsu lacesset. Torreri etiam solet in ollula, quæ indito operculo conijciatur in clibanum: tostaq; purgatur, & medium eius in taleolas dissectæ rursum in aqua coquitur, toties mutata usq; dum acrimonia eius aboleatur. Item cruda quoq; concidítur, & in umbra suspenditur lino modicis interuallis, ita ut segmina nulla sui parte se cōtingant, postea in oleum, uinum, acetumq; merguntur ad usum. Crudæ aridis tunicis direptis, quod reliquum è uiuo est inferuefactum oleo, aut cum resina liquefactum ad rimas pedum imponitur. In aceto cocta serpentium plagis illinitur, ad singulas tostæ portiones adiectis octonis torridi salis. cochlear unum aut alterum datur ieiunis aluo molliendæ. Inspergitur & potionibus & odoramentarijs pastillis ad urinam ciendam, & ad hydropicos & stomachicos, quibus innatet cibus, regios morbos, tormina, ueterem tussim cum suspirio, & cruentum extussientes. tres obolos inde linctu cum melle sumpsisse satis est. Coquitur cum melle & estur eorundem gratia, maximè uti concoctionem adiuuet. Srigmenta aluo detrahit. Cocta & simili sumpta modo eosdem præbet effectus, sed cauendus scyllæ usus ijs qui intestinum sentiunt ulcus. Prodest uerrucis & pernionibus tosta. Tritum semen exceptum fico sicca, si cum melle manditur, aluum emollit. Scylla in limine ianuæ suspensa cōtra ueneficorum noxam amuletum est. Scyllinum acetum clariorem oculorum aciem facit. Salutare est stomachi laterumq; doloribus parum sumptum binis diebus. Sed tanta uis est, ut auidius haustum momento aliquo extinctæ animæ speciem præbeat. Prodest gingiuis & dentibus uel per se commanducata. Tineas & reliqua uentris animalia

pellit

pellit ex aceto & melle sumpta. Linguæ quoq; recens subiecta præstat ne hydropici sitim sentiant. Discutit & folijs strumas quadrinis diebus soluta. Furfures & ulcera manantia sanat illita ex oleo cocta, item rimas pedum. Coquitur in melle cibi gratia, maximè uti cõ coctionem faciat, sic et interiora purgat. Semen lumborum dolori ex melle imponitur. Pythagoras in limine ianuæ suspẽsam malorum medicamentorum introitum pellere tradit. Coquitur pluribus modis in olla, quæ conijciatur in clibanum aut furnũ, uel pane aut luto illita, aut frustatim in patinis. Item cruda siccatur, deinde concidítur, coquiturq; in aceto: tum serpentium ictibus imponitur, tostaq; purgatur, & medium eius iterũ in aqua coquitur. Vsus sic coctæ ad aquam intercutem & urinam ciendam tribus obulis cum melle & aceto potæ. Lienosis & stomachicis datur, si ulcus non sentiant. Elicit scylla ueterinis cupidinem coeundi. nam si equa marem non patitur, detrita scylla naturalia eius liniuntur, quæ res accendit libidinem.

Pancration. Cap. CII.

PAncration, sunt qui et hanc scyllam malint appellare, radice bulbi magni, colore rufo, purpurascente'ue, gustu amaro, qui os accẽdat, folijs lilij uerum longioribus. Plinius pancration, aliqui pusillam scyllam uocant, folijs albi lilij longioribus, crassioribusq;, radice bulbi magni, colore rufo. Sũt qui Gallis propriè loquentibus *sciponliam* existiment appellari, sed imperitum uulgus hoc nomen iam cepis communicauit. Galenus radicem tum gustu tum uiribus scyllæ similem fecit, ita ut nonnulli, cum eius non datur occasio, pancration in uicem sufficiunt. Omnes siquidem scyllæ repræsentat effectus, sed longe censetur inualidior. Paulus & specie & uiribus cõparauit scyllæ. Pancration aliqui pusillam scyllam appellare malunt. Aluum soluit succo cum farina erui sumpto, ulcera purgat. Hydropicis splenicisq; cum melle datur. Alij decoquunt eam donec aqua dulcis fiat, eaq; effusa radicem terentes digerũt in pastillos sole siccatos, et postea utuntur ad capitis ulcera, et cętera quę repurgãda sunt. item ad tussim, quantum tribus digitis apprehenderint in uino dantes, & ad lateris dolores. Peripleumonicis in eclegmate præbetur, propter ischiada in uino bibendum, & propter tormina mensesq; ciendos. Et in summa, potest ad quæ scylla. Paratur ministraturq; modo eodem, morbos omnino quos illa pellens, quanquam lenitas huius maior quàm scyllæ. Radicis succus cum erui farina cogitur in pastillos, qui cum aqua mulsa spleneticis & hydropicis utiles sunt.

Capparis. Cap. CIII.

CApparis plurimis prouincijs sua sponte noualibus prouenit. Sed quibus locis inopia eius est, si seratur, siccum locum desiderabit. iscq; debet ante circundari fossula, quę repleat lapidibus, areaq; indefossu cauata, ripisq; undiq; circunstructis pariete, ut sit quasi quædam lorica ne possint eam prærumpere seminis huius frutices qui per agros euagantur, & nisi circumueniente munimento aut circulari scrobe coerceantur, structilíq; fossa cohibeantur, cogunt solum sterilescere. namq; noxium uirus egerunt, & succum eructant nascentibus satis incommodum, nisi frequenter extirpentur. Capparis cultu uel leni uel nullo contenta est, nanq; diligentia marcescere uolunt. Gracili solo herbas sponte persequitur, fabulosis familiarissima: quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam conualescit. Seritur utraq; Aequinoctio, floret æstate, sub occasu Vergiliarum inarescit. Frutex firmioris ligni sentícosus & humilis, in orbem proserpit, caule breui, ramis in rosæ modum aculeatis, spinis aduncis hamatisq;, folio circinato horridoq;, baccis oleæ, rotundis, quibus fatiscẽtibus emicat flos roseus, candidus odoratusq;. qui postquam excussis decidit, glans extuberat oblonga, seminis acinosi plena, radice nigra, multiplici, lignosa. cortex subrufus ac minime friabilis eam uestit. Viret usq; ad Vergiliarum occasum. Aristoteles et Theophrastus capparim negarunt in cultis hospitari, cum tamẽ, uti iam diximus, seratur in multis locis. Semen, flos, bacca culinis principales, cibiq; uulgati, caule quoque unà plerunque decerpto. Cauebãtur olim genera peregrina. Siquidem Arabicum, pestilens erat, ut Plinius ait, & Galenus cõfirmat: Africum, gingiuis inimicum. Apulum, uomitus faciebat: innocen-

tius, Italicum. Nunc mitia, undecunq; sint allata, cibo non respuuntur. Paulus usum eius commendauit ex aceto & oleo, quòd & inuitet appetentiam, & lienem laxet, pituitamq; per aluum exigat. In officinis nomen retinuit. Vulgus decurtandis nominibus felix, detritis duabus literis, *capres* quasi cappares profert. Aliqui Latinorum inturim uocant, nanq; frutex cernitur spinosi generis, in gyrum humi se spargens. Spinas ut rubus habet, in hamum curuatas, folia cotonei, fructum oliuæ, quo dehiscente flos candidus erumpit. quo deciduo, glans oblonga coalescit, quæ demum se pandens acinulos repræsentat rubētes, quales in punico malo spectātur, radicibus surculosis grandibusq;. Cauliculi, folia, flores, semina, glandes sale conditæ deferuntur ad nos hac specie & figura quam diximus. Fruticem iam alit Gallia. In Cypro capparis plurimum prouenit. Parum alimoniæ uescētibus præbet, quòd partium tenuitate polleat, medicinæ potius quàm cibo nascens. Fructus sale conspersus adseruatur, alioqui cito corruptionem sentit. Recēs salem nō expertus plus alit quàm eodem inueteratus, aluum tamen magis mouet. Elutus & tantisper maceratus dum omnem salis naturam deponat, minime quidem enutrit, sed elangueſcentem appetentiam inuitat. Fastidia ciborum discutit, pituitam quæ in uentre coierat dejcit, lienis ac iocineris obstruentes inferctus expedit. Verum ad hos usus præstandos, ex aceto mulso, aut oleo & aceto cæteris dapibus præponi debet. Teneris germinibus dum uirent cum aceto & sale uescuntur, atq; ad usus recondunt. Ferunt eos qui quotidie edunt resolutione neruorum non periclitari, nec lienis doloribus. Radix utiligines albas tollit, si tritæ in sole fricentur. Spleneticis prodest in uino pota, radicis cortex duabus drachmis, dempto balnearum usu. Feruntq;, trigintaquinq; diebus per urinam & aluum, totum lienem emitti. Bibitur in lumborum doloribus, ac paralysi. Dentium dolores sedat tritum ex aceto semen decoctum, uel manducata radix. Infunditur aurium dolori decoctum oleo. Vlcera quæ phagedænas uocant, folia & radix recens cum melle sanat. sic & strumas, & parotidas discutit radix. Oris exulcerationes in aceto decocta tollit: iocinoris quoq; malis medetur, uermiculos aurium necat. Dant ad tineas in aceto & melle. Stomacho inutiles esse inter authores conuenit. Caulis & fructus cibi gratia condiuntur. Aluum conturbat, stomacho officit, sitim creat. Cocta tamen stomacho quàm cruda utilior est. Semen ipsum duabus drachmis in uino haustis per quadraginta dies lienem absumit. Vrinas trahit, cruentaq; strigmenta pellit. Prodest in coxendicum doloribus & neruorum resolutione: item ruptis & conuulsis. Menses ciet, capitis pituitam elicit. Dentium dolores sedat semen ex aceto decoctum si colluatur os. Eosdem habet effectus cortex radicis aridus. Vlcera omnia uetusta & sordida & quæ occalluerunt expurgat. Lienosis cum farina hordei linitur. Radix mordicus apprehensa dente malum id leuat. Vitiligines candidas tollit cum aceto trito. Radix & folia intrita strumas ac duritias discutiunt. Cotra uermiculos aurium succus infunditur. Peregrinum cappari quod è Marmarica Libyæ deportatur, magnas excitat inflationes. Apulum uomitus ciet. Asperrimum Africum, & quod è mari rubro conuehitur. siquidem in ore pustulas attollit, inimicum gingiuis, eas enim osse tenus exest, quare cibis damnatum.

Lepidium. Cap. CV.

Epidij facies à Dioscoride non repræsentatur. Peregrinū olim fuit lepidium, nunc multis in locis seritur à Fauonio: dein cum fruticauerit, iuxta terrā præciditur, & uelut porrum sectiuum demetitur, sed rarius. Post Calendas Nouembres secandum nō erit, quoniam frigoribus uiolatum emoritur, præsertim si sæuitia hyemis ingrauat, nam impatientissimum est algoris: biennio tamen sufficiet, si diligenter sarritum runcetur, & stercore satietur. Multis in locis uiuacitatem suam usque ad annos decem prorogat. Exit, ut Plinius tradit, in cubitalem altitudinem, foliis laurinis, sed mollibus. Vsus eius non sine lacte. Paulus Aegineta uolumine tertio in ischiadis mentione ait, Lepidium quod apud nos nascitur, fruticosum est, foliis lauri, longè maioribus. æstate sunt efficaciora. Quæ si tempus anni negauerit, cortice radicis uti frondium uice conueniet. Miram ischiadicis & lōgis ualetudinibus dedit experientiam. Hæc herba colitur apud nos officinis non ignota, mutuatitio tamen alterius plantæ uocabulo. Nam herbarij nunc non lepidium sed *raphanum* appellant, radicis forsitan similitu

ſimilitudinẽ contemplati. Nam hæc frutícat folio laurínis maiore, molliuſculo, quod tandem poſtquã adoleuit, gladij retuſi ferè ſpeciẽ accípit, primũ exeuntis folij rudimentũ ſtatim in laureum explicatur. Caulis in cubitalem exurgit altitudinẽ, radice magna, intus lígnoſa, ſpiſſiore líbro ueſtita. Hoc guſtanti mirã adfert acrimoniã, linguamq; magnopere uellícat. quare uſus eius non ſine lacte, quo magis feruor retundatur, & eius acrementum dulcedíne lactís edometur. Duo lepidij genera Columella fecit. Satiui, cuius ſerendi ratio nem ac imaginẽ ueteribus traditam nuper docuímus: ſylueſtris, quæ híberis exiſtímatur, quam Paulus tradit & lepidiũ & agriocardamon appellari. Galenus lepidiũ uoluit odore, guſtu, uíribus naſturtiũ ímitari, nec uſquã inter ſimplícia meminit híberídis. Paulus octauo uolumine, quod ſimplicibus & compoſitis dicauit medícamentís, lepidiũ híberidem cognomínari teſtatur, nec ſecreto quouis loco híberídis ullã ueluti diuerſę mentionem fecit, alioqui nõ relicturus ſi propriũ genus habuiſſet. Addit, naſturtío uiribus cõſimílem, uerũ tertío uolumine híberidẽ fateẽ & lepidiũ et agriocardamon appellari. Sit itaq; ſylueſtre lepidiũ ſiue cardamantice, folio naſturtij, caule cubitalí, interdũ mínore, flore lacteo, ſemine tã paruo ut uix aſpící poſſit, exili radice, cui inſit odor naſturtij: uel ut apud Dioſcoridem legitur, radicibus binis naſturtío ſímilibus. Sed cum non legitimũ ſibi locum apud Dioſcoridem, ſed inter arbores ſpuriũ ſibi uendicarit, qui tamen ſolitus ſit res in ſuas claſſes diſtribuere, herbas cum arboribus nõ commíſcere, credímus calcí primí uolumínis irrepſiſſe hoc caput, & imprudenter arborũ aceruo ſuccreuiſſe: præſertim cũ nec Galenus, nec Aegineta Paulus, qui ab hoc emerito duce nuſquã comperiantur deſcíſcere, priuatim huic híberidi caput aliquod dicarint à lepidío diſcretũ. Nec tamen hanc repudiamus, ſed expunctã & uelut luxam ſuæ ſedi reſtituendã monemus, ſi qua conueniens ei propitiaq; reddí poſſit. nanq; nuper ante Plíniũ Seruílius Democrates primus medentium eam appellauit híberidẽ, quanquã (ut ait) ficto nomine, inuentioni eius aſſignato carmine. Galenus hanc plurímum commendauit ad coxendícum dolores, ſed eãdem eſſe cum lepidío contendit. Senariolum quoq; Democratís ípſius prætexuit ex eius líbro qui Clínicus ínſcribítur. Sed Archígenes ín quadam, quã ad Arıſtonem dedit, epiſtola, híberídem lepidíum & agríocardamon, id eſt ſylueſtre naſturtiũ ímprímis prodidit uocarí. Adiecit, cũ flores, radíces accuratè cõcídantur, tunduntur etenim difficulter, mox cũ axungia quantum emplaſtro ſatís ſit, coxendícibus & artículis quos dolor infeſtat non mínus quaternís horís adalligetur: dein deſcendatur ín balneum, poſt exíguam corporís humectatíonẽ aqua tepidíore proluantur. In exítu uíno et oleo perungantur lumbís lana pura tectís: díebusq; uícenís hoc ídem fíat, ſí qua admonítio doloris ſuperſit. hoc modo cæcæ ſanantur fluxiones & rheumatiſmi. Conſtat ergo quæ tam à Dioſcoríde quàm à Plínio ſcribũtur, hæc ab Archígenís oraculís eſſe deprompta: nec tamen ídeo ſuſpícione carebit, íd quod de híberíde tradítur, ex hac Archígenís æditione Dioſcoridi coaluiſſe, cum nec ſedem debitam, nec uíribus cõuenientem inuenerit, ſed ín primí líbri calce, ubí locus uacabat, ínſertũ eſſe. Inuenítur tamen ín íncultís circa ítínera pratáq; herbula cubití ferè altítudíne, folío naſturtij, lacteo flore, quem æſtate fundit, ſemíne ín ſíliquulís tam exíguo, ut temere uíſum effugiat, ſed una frequentius radice quàm duabus nítitur, odore naſturtij quàm acerrímo, cui rura nullũ adhuc índídere nomẽ, quod equidẽ potuerím extorquere, niſi quod obíter herbarius míhí *pratenſem* appellauit *ualerianam*, quòd rude folíũ cum primũ exít alatum & laciníatím díſſectum ſpectatur. Columella docens quonam pacto fieret oxygala, cõdiendi lepidij utriuſq; ratíonẽ explicuit ínquiẽs, Sũt qui ſatiui uel etiã ſylueſtris lepidij herbã cum collegerũt ín umbra ſiccẽt: deínde folía eius abiecto caule díe & nocte muría macerata expreſſaq; lacti míſceãt ſine cõdimentís, & ſalís, quantũ ſatís arbítrentur, adíjciãt. Alij in olla iuxta fundũ terebrata, foramíne ſurculo obturato, & lacte ouíllo quàm recẽtíſſimo uas ímplent, adíjciuntq; uíridium condimentorum faſcículos, origani, menthæ, cepæ, coriandri. Has herbas ita ín lacte demittũt, ut earũ ligamína extẽt. Poſt quintũ díẽ, laxato uaſis emiſſarío, ſerũ manare ſinũt. hoc ídentidẽ faciũt. Nõnulli recentía folía lepidij cũ dulcí lacte in olla míſcent, & poſt díẽ tertiũ ſerum emittũt: deínde cõpertam ſatureíã uíridẽ, tum etiam arida ſemína coriandrí atq; anethi, thymi, & apij, ín unum bene trita adíjciunt, ſalemq; bene coctum cribratumq; permíſcent. quod ín hoc ſenariolo ídem cecínit author:

Ponitur & lactis guſtus quæ condiat herba.

Dioſcorides quoq; lepidium ſcribit aliorum ſalgamorum more ſale cum lacte condiri: uſuſq; eius nõ ſine lacte, ut inquit Plinius. Barbari uerſus meridiẽ lepidio cogũt lac acorem contrahere, quo magis acremento moroſum ijs palatum titillet, & ad ſtomachum faciat. *ſataragim* Maurica lingua lepidium nominant. Recentiorum ferè plurimorum errorem patefecimus ſupra in radicis mentione, qui deturbandis renum calculis lepidium pro rapha no ſoliti ſint uſurpare, magno ſumentium damno, cum eos fugiat exulcerantẽ uim poſſidere, ſæpeq; renes & ueſicam inteſtinis eroſionibus uellicare. ſed hæc iam faceſſant. Lepidium inter urentia intelligitur. ſic in facie cutim emẽdat exulcerando, ut tamen cera & roſaceo facile ſanetur. Sic lepras & pſoras tollit ſemper facile, & cicatricũ ulcera. Tradunt, adalligatam brachio quà doleat compeſcere dolorem. Foliorum natura exulceratrix & aſpera eſt. quapropter iſchiadicis illinũtur præſenti remedio trita cum radice inulæ, ita ut poſt quartam horæ partem ſaluantur. Lienoſis ſimili modo prodeſt. Lepras emendat. Eadem radix adalligata collo dentium dolorem leuare creditur. Coniectum in murias lactis lepidium inueteratur. Lactis guſtum condire & ſigna fucarum facie depellere tradit Columella in hortorum cultu, ijs numeris:

Ponitur & lactis guſtum quæ condiat herba,
Deiectura quidem fronti data ſigna fucarum,
Vimq; ſuam idcirco profitetur nomine graio.

Ranunculum, batrachium. Cap. CVI.

PLura ranunculi genera Dioſcoridi demonſtrantur. Vnum coriandri foliis, latioribus, ſubalbidis, pinguibus, flore luteo, interdum purpureo, caule graci li, cubitum alto, radice parua, amara, candida, multis capillamentis elleborí modo fibrata. Naſcitur in limitibus humidis. Plinius hoc genus pinguioribus quàm coriandri foliis ad latitudinem maluæ accedentibus, colore liuido, caule albo, gracili, radice candida. hoc opacis uliginoſis margínibus familiare. Noſtri herbarij *pedem corui*, quanuis perperam, uocãt: nam foliis conſtat coriandri, latioribus, ſubalbidis, pinguibus, luteo flore, radice multis fibris capillata, amara: alteram tamen omnino quàm coronopus, de qua ſuperius habita eſt mentio, demonſtrauimus. Vulgus noſtrum huius florem *bacinulos* appellat, quòd uaſis æneis tonſtrinarum, in quibus barbam emolliunt, ſimiles uideantur, colore, figura: qui ob pulchritudinem iam in coronamenta uenere, & à multis florũ cauſa ruſticis colitur. Effecitq; cultura, ut qui in limitibus ſimplici foliorũ compage flores oriantur, ſtructili quodã denſoq; foliorũ ſtipatu nunc in hortis colluceſcant. Alterum genus lanuginoſius, uel ut Plinius ait folioſius, pluribus foliorum inciſuris, altiore caule, copioſiſſimũ in Sardinia, guſtus acerrimi, quod priuatim *apium ruſticum* cognominãt. Herbarij noſtri *apium riſus*. Ab hiſtoricis ſardonia herba, quæ in defluuijs prouenit fontanis iuſto largior. Ea ſi edulio fuerit, ueſcentibus neruos contrahit, rictu ora diducit, ut qui mortem oppetunt uelut ridentium facie intereant. Pauſanias author eſt apud Sardos herbam gigni apij ſimilitudine, quæ comedentes cum profuſo riſu humanis rebus exigebat. inde Homerus, & poſteri riſum nullo ſalubri ſenſu dignum, ſardonium nominant. Naſcitur herba ſecus fontes, nullum tamen uirus peſtilens aquis impertitur. Strabo ex hac herba toxici genus Hiſpanos confeciſſe meminit, hauſtu cuius urgente uimaiore citra dolorem ipſi ſibi mortem conſciſcebant. Saluſtius uenenati huius meminit. In Sardinia, inquit, quædam herba naſcitur, quæ ſardoa dicitur, apiaſtri ſimilis. hæc oram hominum & rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interimit. Dioſcorides libro ſexto ſardoan ranunculi genus eſſe teſtatur, quæ ueſcentibus mentem adimat, & quadã neruorum diſtentione dehiſcere in rictus ora cogat, ita ut imaginem ridentium præbeant. Obid ſardonius riſus in adagium ceſſit. quanuis Timæus aliam originem prouerbio reddiderit, aliam Sophocles, aliam Clitarchus. Apiaſtrũ, ut Plinius inquit, in cõfeſſa damnatione eſt uenenatũ in Sardinia. Apuleius de hac ſpecie loquẽs, quantũ arbitror, inquit: Si quis eam guſtauerit ieiunus ridendo exanimabitur. ibi notandũ & apiaſtrũ antiquis, hoc eſt apium ſylueſtre ranunculum dici, quod ſatiuum modo quodam apium foliis imitetur, manifeſto Nigidij doctiſſimi uiri errato, qui apiaſtrum pro meliſſophyllo uſurpauit. Hyginus quoq;

apiaſtrum

apiastrum uocauit melissophyllon. Idē fatetur Varro linguæ latinæ doctissimus, quos & sequitur quoq; Dioscorides. In cōtraria opinione fuit Salustius, qui sardoan apiastro fecit similē, id est syluestri apio. Plinius etiā qui uenenatū tradidit in Sardinia apiastrū, apertissimè de hac loquitur Sardoa: nā de melissophyllo scripsit inter apij species, quāuis modo hos, modo illos sequatur. Sed illi quantum existimo, ꝙ esset apibus gratū nomen deduxerunt: hi ꝙ apium æmuletur, sicut quæ ita desinunt, imitationē quandā, ut grāmaticis placet, important. Sed ista facessant, quoniā de re non de Latio nobis sermo est. Tertium genus minimū est, graui odore, flore aureo. hoc plerisq; locis cōspicitur. Quartū huic simile, flore tantū lacteo. Hoc ultimū syluis familiare, altioribus foliorū diuisuris, flore cādido, exitu ueris emicante. hoc syluæ, luci, nemora scatent. Rura nostra ab herbarijs ut arbitror edocta *seniclon*, quasi fere saniculū appellant. Sed nonnihil discriminis in radice, quæ longior & modo quodam nodosa tā frequens est & copiosa, ut uerno tempore floribus huius candicent syluę. Sed obiter emēdanda Plinij lectio, lubrico facilicq; librariorum lapsu, qui pro lacteo in hac specie nobis luteo scriptum reliquerunt. id uerbis Dioscoridis conspicuum cognoscitur. Sed ne id silentio prætereatur, Democritus in Hydroscopico batrachion, cuius flos aureo splēdet colore, chrysanthemon Græcis tradit appellari, foljs apio similibus, maiusculis, flore auri coloratū relucente. Nec herba temere binum palmorū altitudinē excedit, inueniendis aquilegijs ab eo mire celebrata, ꝙ aquæ latices subesse loco certū sit ubi solet emicare. Omnes urēdi nanciscuntur licentiam, pustulasq; uelut ignis excitant. Adalligata brachijs subinde corpus ossetenus exest. Hac ualidi mendicantes sibi crura & lacertos dilaniant, quo possint impudentius stipem extorquere, uel hac impostura pecuniolam aucupari. hinc nonnullis herbarijs *ulceraria* dicitur, alijs *scelerata*. Si exulcerationis argumētum libeat experiri, tusam supra manum illiges & statim erodet corpus. Plinius à suis strumeam dicit appellari, quòd strumis medeatur. Omnibus ranunculi generibus uis acris & uehementer exulcerans. Si cruda folia imponātur, pustulas ignis modo faciunt. ideo ad lepras & psoras utuntur, & ad tollenda stigmata, causticisq; omnibus miscent. Alopecijs imponunt, celeriter remouentes. Radix in dolore commanducata diutius, rumpit dentes. Eadem sicca concisa, sternutamentum facit. Medetur strumis, & panis parte in fumo suspensa, quare ueteres herbarij strumeā uocarūt. Redulcerat cicatrices & ad colorem reducit. Eadem uitiligines concorporat. Folia, flores, cauliculi recentes, ut Dioscoridi placet, exulcerant illitu: crustas & puluillos non sine doloris sensu creant. Scabros ungues expediunt, scabiē tollunt. Formicis quidē & uerrucis omnibus imponūtur, sed statim debent amoueri. Tepente decocto perniones fouentur. Sicca radix concisa sternutamentum ciet, illata naribus. Dolores dentium appensa leuat, ipsos tamen frangit.

Anemone, phænion. Cap. CVII.

ANemonem Nicander ex Adonidis cruore natam prodidit. Theocritus in bucolicis lachrymis Veneris Adonidem lugentis prodijsse finxit, eiq; dicauit epitaphium carmine hoc,

Quotq; cruoris agit guttas hic cæsus Adonis,
Tot Venus effundit lachrimas, quæ singula flores
Cespite demittunt: lachrymę pariunt anemonen,
Sed cruor ille rosam creat.

Florem suum facit non multo post germen. Erumpit autumno post aphacen primis imbribus. Inter aculeatas, sed mitioris generis Plinius collocauit. Duo eius fastigia, syluestris prima, altera in cultis nascens. huiusq; plures species, aut enim phœniceum florē habet, aut candidum, aut lacteum, aut purpureum: folia coriandro similia, cæterum scissa tenuius inclinātur in terram, cauliculi exiles lanuginosiq;, super quos flores exeunt papaueris, & in medio capitula coloris nigri aut cærulei. Radix oliuæ implet magnitudinē, geniculis distincta. Syluestri per omnia maior amplitudo, latioribus foljs, durioribus, caput oblōgius, flos puniceus, radiculæ plures ac tenues. Aliud genus foljs nigrātibus. Plinius satiuis folia fecit apio similia, nec temere semipedalem altitudinem excedūt, cacumine ut inquit asparagi. Flos nunquam se aperit nisi uento spirante, unde & nomen accepit. Syluestribus amplitudo maior, *herbam uenti* uocant hodie peritiores herbarij. In fabulosis & montibus

montibus, cæduis ſyluis inter ſentes inuenitur, foliis coriandri, longè tenuioribus diuiſuris, in terra iacētibus, uiolaceo caule, tenui, ſemiſſem alto, in cuius faſtigio papaueris flos emicat, nunc purpureus, nūc lacteus, qui maxime dehiſcit cum uētus aſpirat. Excuſſo flore cacumen naſcētis aſparagi ſpectatur, exili flocco incanum, tenuiq; lanugine pubeſcens, quod in dilutum cæruleū quadātenus ſpectat, multis radicū capillamētis. Flores uere proſiliunt, quos rura noſtra *coquelourdes* aut *cocles* uocant. lacteos *blancas coclourdes*, purpureos *bleuas* aut *perſas cocles* ſolent nominare. quibus in aqua decoctis, oua cæruleo uel etiā puniceo inficiūt colore. Texunt iis ruſtici uernas coronas. Foliorū extrema in molles aculeos omnino innocētes deſinunt, qui tractātibus citra iniuriā cedunt. ob hoc aculeatarum, ſed mollioris generis eſſe nōnulli uoluerunt, quanuis nihil de hac re tradidit Dioſcorides. Sē per in incultis naſcuntur, nouo uere iis mōtes florent. Hos itaq; arbitror anemones dici, cum ita Plinius & Dioſcorides delinient. Aliæ ab olitoribus noſtris in hortis ſeruntur, ſolum coronis dicatæ, quas ob floris præſtantiā & pulchritudinem *paſſiflores* appellant. non enim aliis cedunt, ſed cum reliquis de uenuſtate certāt, foliis coriandri, multo tenuioribus inciſuris, caulibus aliquantū lanuginoſis, in quorū ſummo flores emicant purpurei, papaueris ſpecie, & in medio capitula nigra, nōnunquam cærulea protuberant: album florem non memini me uidiſſe. Noſſe tamen oportet, & ſi flos anemones fuerit papauerino ſimilis, nō tamen capitulum quod erumpit in medio, eſt papaueraceum, ſed uelut aſparagi cacumen. Non enim excuſſo flore calycem oſtentant capitulatum ſeminis capacem, qualē papauer, ſed recentis aſparagi modo uelut in ſpicam caput faſtigiatur, & in toros quoſdā ſtringitur. id quod pleroſq; traxit in errorē, qui inter erraticum papauer quod rhœas uocatur, & anemonem interſtinguere non ualuerunt, nec inter argemonem quoque. Verū euidens eſt diſcrimen. primum faſtigiorum in argemone quidem, latiuſculum ſuperne capitulum: in erratico papauere ſubanguſtum, utrunq; tamen papaueraceum: in anemone uero, quale nuper diximus. Eſt & ſuccorū diſtinctio, nam argemone ſuccum remittit croci colore acrimonia inſigni: erraticum papauer lacteum ſuccum candidumq; reddit: anemone ne ullum quidem illarum ſuccum fundit, ſerius item utraque floret. Explodendus ergo ille in hæc tempora inueteratus error exiſtimantium anemonem eſſe *rubrum papauer* uulgo dictum, foliis euidentiſſimè reclamantibus. Soſibius anemonas à Spartanis phenidas uocari tradit. Sunt qui Plinio authore phœnium nominant. Horus Apollo Niliacus anemonę flores inquit in Aegypto pingi, quoties hominum morbos uolunt intelligi. Proſunt anemonæ capitis doloribus & inflammationibus, uuluis mulierum, lacti quoq;. Et menſtrua cient cum ptiſana ſumptæ aut uellere appoſitæ. Radix commanducata pituitam trahit. Dentes ſanat decocta, oculorum epiphoras diſcutit. Quæ ex iis phœniceum florem habet, radice contrita cuicunque animalium impoſita ſiſtit ulcera, aſtringente ui, & ideo expurgandis eiſdem adhibetur. Vis omnium acris. quare ſucco in nares infuſo caput purgatur. Pituitam commanducata radix elicit. Decocta in paſſo, illitáque medetur oculorum inflammationibus. Cicatrices eorundem & hebetudines emēdat. Sordida purgat ulcera. Folia & caules decoquuntur, ut cibo ſumpti lac euocent, et menſes pellant uelere appoſiti. Illitu lepras amoliuntur. Quæ artemon & arſella cognominatur, recens trita præciſiones ſanare dicitur, & oculorum epiphoris mederi. Dyſentericis bibendam præcipiunt ex aqua. Conglutinat uulnera. Collectionibus efficaciter illinitur. Cōuulſis punctiſq; auxilio eſt. Serpentium ictibus pota reſiſtit.

Argemone. Cap. CVIII.

ARgemone, ſicuti tradit Dioſcorides, ſimilis eſt papaueri ſylueſtri, foliis anemonæ diuiſis, florē habet puniceum, caput in caule papaueris, quod rhœadē appellauimus, duntaxat longiore, ſupernis partibus fuſo in maiorem latitudinem, radicem rotundam, ſuccum colore croceo, ſapore acrem. Plinius argemonen folia habere anemonæ ſcripſit, æqualia, diuiſa apij modo, caput in caulículo papaueris ſylueſtris: item radicem, ſuccum croci colore acrem & acutum. Naſcitur in aruis. Tria ſtatuit genera, idq; demum probat, cuius radix thus redoleat. Galenus tamen, Paulus, reliquiq; ueteres Græci uno contenti genere, ſecundam ſpeciem non adiecerunt, cum unius duntaxat argemones meminerint. quapropter adulterinam

ſuppoſi

ſuppoſititiamq; eſſe credimus, quãuis in ijs qui circunferuntur preſſis codicibus intenia-
tur inſerta. Si uetuſtiſſima quęq; conſulantur exemplaria, nihil quod ad ſecundam ſpeciẽ
pertineat, literis offendes exaratũ. Non ſunt audiẽdi medici, qui luxatis literis *agremoniam*
hodie uocent, herbam in frutetis prodeuntem, cauliculis in terrã reſupinatis, foliis cũ ado
leſcit herbaceis, ubi maturuerit ferrugineis, per ambitum ſemper fimbriatis, quinquefolij
aut canabis ſimilibus, ſingulari thyrſo, quẽ piloſæ concoloresq; ueſtiunt lappæ, quæ cum
efflaccuerũt aridæ ueſtibus propter ingredientiũ adhæreſcũt, cum hæc magis eupatoriũ
eſſe cenſeat, ut ſuo docebimus loco. Quorũ opinio facillime refelletur: nã argemone apij
folium aut coriandri præſefert, hæc quinquefoliũ aut canabinũ exprimit. Illa florẽ dimit-
tit puniceũ, hæc ſi diligenter inſpiciatur, luteũ. Illa papaueris erratici caput extendit, hæc
pilis horrentes lappas in caulis faſtigio demonſtrat. Eſt & etiamnũ ſuccorũ diſcrimen. Ar
gemone ſuccũ fundit colore croci acrem. Altera & ſi radix exprimatur, nullo ſuffectũ co-
lore dimittit. Cum omnia reclamant huius deliniamenta, aliã ab hac prorſus diſſidentem
eſſe fatendũ eſt. Diuerſum uidetur genus eſſe quod apud Plinijũ uigeſimoquarto uolumi
ne uocatur argemõ, quã Minerua reperit ſuibus ijs remediũ, qui de illa guſtauerint. In ar-
uis herba quædã inuenitur erratico papaueri ſimillima, capitulo & flore, foliis coriani, te-
nuioribus multo ſegmẽtis, in totum habitu glabro, ſed omnino ruſtico nomine defuncta.
Hãc herbarij ſylueſtriũ papauerũ generibus perperã aſſignant, negligentes hoc quod mo-
do diximus diſcrimẽ. Argemonia radice eius denarij pondere in uini cyathis tribus cõtra
ſerpẽtes potatur. Anginæ medetur ſumpta ex uino. Septẽ diebus in uino ſumpta lienẽ cõ
ſumere dicitur. Vt proſit inguinibus in manibus tantũ habẽda eſt. Ex melle tuſa podagrę
medetur. Eadẽ torpentibus membris prodeſt, & ad omnia quæ periclitantur ſecari diſcu-
tiendo. Neruis & articulis cõuenit tuſa ex melle. Ad carcinomata efficaciſſima eſt. Ea uer
rucas tollit ex aceto. Argemas & nubeculas expurgat. Folia illitu inflãmatiões cõpeſcũt.
Crateuas herbarius argemonẽ narrat tuſam cũ axungia ſtrumas diſcutere, uitiligines ni-
gras cũ nitro & ſulphure ignem nõ experto cõcorporare: in hoc deſideriũ adſiccari, con-
tundi, cribrari, ut qui utũtur confricent ea ſeſe in balneis, antequã in ſoliũ deſcendant. Ean
dem cõtra ſcabiẽ corporũ prodeſſe tradunt. Aliqui recentẽ detritam præciſiones impoſi-
tu ſanare, epiphoris oculorũ mederi, potã ex aqua dyſentericis auxiliari, uulnera cõglutí-
nare, collectionibus efficaciter illini. eodemq; modo cõuulſis punctiſq; auxilio eſſe, ſerpẽ
tũ percuſſibus in uino datã reſiſtere. Argemõ herbã Minerua reperit ſuibus ijs remediũ,
qui de illa guſtauerint, quã mederi tradunt eiſdem effoſſam ſine ferro, & additam in collu
uiem poturis, uel ex lacte & uino. an eadem cum argemone neſcio.

Anagallis. Cap. CIX.

ANagallis in duo genera dirimitur. fœmina flore cęruleo cõſpicitur, mas pu-
niceo. Iacet in terra uterq; ſexus. Folia in cauliculis quadratis puſilla & mo
dice rotunda, ad helxinæ ſimilitudinẽ. gerit ſemẽ quoq; orbiculatũ. Plinius
Dioſcoridis exemplo duo cõſtituit genera, Marem flore phœniceo, fœmi-
nã cæruleo, nõ altiores palmo, frutice tenero, foliis puſillis, rotũdis, in terra
iacentibus. Naſcũtur in hortis & aquoſis. Mirũ, q̃ fœminam pecora uitant, at ſi decepta
ſimilitudine (flore enim tantũ diſtant) deguſtauere, ſtatim eam in remedio quærunt quæ
aſyla uocatur, à Romanis ferus oculus. Anagallis hodie *morgelina* ſiue *gallinæ morſus* uulgo
nominatur. Nec quicquã certius his ſcriptorum picturis reſpondet, cum duplex ſit in flo
re color, quadranguli caules per terram ſparſi, & pauca non tota ambitu rotunda folia, ſe
men ei coriani circinatum, radix minuta, ſubdulcis. pedibus in aruis ubiq; proteritur, in
uligmoſis lętior prouenit. Galenus utranq; tradit anagallidem ſiue quæ florẽ parit cæru-
leũ, ſiue quæ phœniceum, quendam attractorium calorem poſſidere, quo ſpicula uel im-
pactos corpori refigit aculeos. Qua de cauſa ſuccus naribus raptus caput purgat, & ut
ſummatim dicatur exiccatoriam uim citra morſum obtinet. quare uulnera glutinant.
Idem de utraque ſentit Paulus. Conſtat itaque duas tantum eſſe anagallides diſcrimine
uel floris uel ſexus inſignes. Hallucinantur qui *mouronem* uulgo dictum aut *pauerinam* flo-
rem candidum ferentem, huic anagallidum connubio retulerunt, illius uirilis fœmi-
neique ſexus diuortium facientes. Nam hæc cauliculo rotundo, foliis helxinæ mino-

ribus

ribus,non ſic hirſutis exit,de qua dicemus in alſine.Hippocrates anagallim herbā ſiccan/
dis uulneribus probauit,quā uidetur ſatis intellexiſſe,præſertim cū itidē tradat Galenus.
Aetius nycterida ad caligines oculorum commendauit, quā pro anagallide, ut arbitror,
accipiendā reliquit,quādoquidē et nycteris inter cęteras nomēclationes Dioſcoridis legi
tur.Paulus in ea cōpoſitiōe quā podagræ dicauit, diacorallij cognomine, anagallim flore
puniceo micantē,corallīā appellauit,à qua nomen eſt inditū medicamēto,nō alia forſitan
de cauſa ꝙ colore flos corallīū imitetur. Quanquā uetuſtiſſima non mihi deſint exēplaria
quingentorū plus annorū,in quibus collarion nō corallion ſcribatur. Nec ab re fortaſſis,
quoniā & glutinādi facultatē,authore Galeno ſimul & Hippocrate, ſibi uti ſupra dictū eſt
uendicauit. quare minime putamus hærendū, quin Paulo diacollarion potius ſit ſcribē/
dū.Nanꝙ phœnicea anagallis ut oſtenſum eſt oras uulnerum ſuo glutine cōmittit, quod
πολλᾶν uocant Græci,à quo effectu merito collarion diminutrice formula quaſi glutinulū
poſſet appellari.Facit huius rei fidē ꝙ alio præſertim loco paſtilli meminerit alterius, quē
diacorallion uerius inſcripſit,cui corallius lapis inſumitur.Nec me fugit Actuariū in quo
dam antidoto cui diacoralliu titulum fecit, anagallidem puniceum florem ferentē, coral/
lium appellaſſe, neſcio an rectius collarion, cū, authore Galeno, citra morſum exiccet &
uulnera glutinet. Errant quoꝙ nō mediocriter, qui myoſotida ſiue muris auriculā, pro a/
nagallide cōpictam pręferunt,ut ſuo loco demonſtrabimus. Plinius tradit anagallim qui/
buſdam corchoron uocari, quod & Dioſcorides aſſerit,quo nomine uenit in adagiū græ/
cis, κόρχορος ἐν λαχάνοις, quod eſt corchorus inter olera:transferturꝙ ad frugales quoſdam
& indignos,qui ſua fortuna maiores ſibi quærāt honores, & gloriam ꝙ ſe deceat clariorē
aucupentur,cū humilis nec palmum excedēs herbula,inter grādiſſima quęꝙ olera ſibi lo
cum deſtinet,& internaſci lætetur. Quāuis in aliū ſenſum detorſerit Theophraſtus ſepti/
mo hiſtoriarum,uolens corchorū ob amaritudinē prouerbio dicatum eſſe, ac folium eius
ocymū ſanè æmulari. Taxauit eos potius qui gratā uoluptatē ſuauioremꝙ nonnullorum
conſuetudinē qua frui poſſent, triſti uel amarulēto cōuentu turbant. Qui magicis ſuperſti
tionibus ſunt imbuti præcipiūt ante ſolis ortū prius ꝙ aliquid quicquam loquantur,ana/
gallidē ſalutare,tū ſublatā exprimere,ita præcipuas ſortiri uires. Vrinā cient anagallides.
Aluū purgant ex aqua mulſa.Iocineri mire proſunt.Cohibēt quas nomas uocāt,& rheu/
matiſmos. Vtiles & recentibus plagis præcipuè ſenū corpori.Ad recentia quoꝙ uulnera
tanta traditur uis,ut ſaniē oſſibus extrahāt.Anagallis cærulea procidētia ſedis retro agit,
è diuerſo rubēs proritat.Hydropicos ſanat earū ſuccus duabus linguis in aqua potus.Ca
put purgat per nares infuſus, ita ut deinde uino colluantur. Bibitur & cōtra angues ſucci
drachma in uino. Vtriuſꝙ ſuccus oculorū caliginē diſcutit, & ex ictu cruorem & argema
rubens magis cū Attico melle perunctis. Pupillas dilatat & ideo hoc inungūtur ante,qui
bus paracenteſis fit.lumentorū quoꝙ oculis medentur. Vtriꝙ mitigandi uis.Inflāmatio/
nes arcet,ſpicula corporibus eiicit,erratica compeſcit ulcera. Succus gargariſſatus pitui/
tam capitis elicit.Per nares infuſus dentium ſedat dolorē, ita ut à cōtraria nare inijciatur.
Argema cum Attico melle emendat, oculorum caliginem diſcutit. Datur bibendus con/
tra ſerpentes,item iocineris renumꝙ morbos. Tradunt,eam quę cæruleum habet florem
prociduam ſedem reprimere:quę phœniceum,illitu prouocare.

Chelidonium maius. Cap. CX.

Helidonium maius caule cubitali conſurgit & amplius, adnatis compluri/
bus,folioſis,folijs ranunculi tenerioribus,cęruleo colore nitidis.Flos aſſidet
albæ uiolæ iuxta ſingula folia. Succus in ea croci,mordax,acer non ſine qua/
dā amaritudine graueolentiaꝙ.Radix ſupernè ſingularis,inferne multiplex
in croci capillamenta fibratur.Siliqua cornuti papaueris tenuis,longa,in me
tæ figuram, in qua ſemuncula papauere maiora continentur. Plinius maiorem delinia/
uit chelidoniam fruticoſo caule, folio paſtinacæ erraticæ, ampliore ipſa altitudine duum
cubitorum. colos albicans, flos luteus, ſuccus croci mordax, ſemen papaueris. Offi/
cinis hæc ſuum retinuit nomen. Vulgus Gallicum *ecleram* appellat, quòd caliganti/
bus oculis aciem uidendi reſtituat. Naſcitur in opacis & parietinis, fruticoſa cubi/
tali altitudine, cauliculis lanuginoſis, teneris, folio ranunculi, magis anguloſo, tenui,

aduer

aduerſa parte cæſio, auerſa incano, flore luteo, uiolæ candidæ conſimili, ſemine papaueris, quod in corniculis lõgis exilibus cõtinetur. Vulnerata ſuccum croci remittit, guſtum uellicantẽ. Radix ſuperne ſingularis, inferne multis luteis fibris capillata. Chelidoniũ, ut ait Theophraſtus, hirundinum aduentu florẽ excitat. Hanc herbã illæ aues adinuenerũt. Hac enim, ut Plinius author eſt, hirundines oculis pullorum in nido reſtituũt uiſum, & ut quidã uolunt etiã erutis oculis. Hoc idem teſtatur Ariſtoteles quarto de generatione animalium uolumine, qui ſtatim ꝯ de quibuſdã auiculis egiſſet, quę cæcos excludũt pullos, ſubiecit: quãobrem ſi quis nuper in lucem æditarum hirundinum oculos prępungat, rurſum incolumes reddentur. Dioſcorides quoſdã citat, qui ſcribant hirundines matres pullis ſuis in nido luminum ſedibus herbam hanc admouentes cæcitatẽ depellere, & momẽto uiſum reſtitui. Celſus Cornelius commentitium id eſſe putat, ſexto libro, ubi de oculis agit qui extrinſecus offendũtur, uolens, ſi ictus oculũ læſit ut ſanguis in eo ſuffundatur, nihil cõmodius ꝯ columbi, palũbi, uel hirundinis ſanguinẽ perũgere. neq; id ſine cauſa fit, cum eorũ acies extrinſecus læſa interpoſito tẽpore in antiquum ſtatum redeat, celeberrimeq; hirũdinis. Vnde etiã locus fabulæ factus eſt, per parentes id herba reſtitui, quod per ſe ſaneſcit. Eorum ergo ſanguis noſtros quoq; oculos ab externo caſu commodiſſimè tuetur. Hoc ordine, ut ſit hirũdinis optimus, deinde palumbi, miníme efficax columbæ & illi ipſi & nobis. Negauit itaque pullos oculis captos hac herba per matres priſtinæ claritati reſtitui. Nec hæc naturæ decretis aduerſantur, quæ ſanxit orbos in priorem habitum nõ regredi, ſed perfectis tantum. Iis uero quæ fiunt ſi læſum fuerit aliquid, id oriri denuo poteſt, iacturáque partis alicuius poteſt reſarciri, cum genitalis facultas lege naturæ inchoatum opus adhuc abſoluens, non euanuerit, ſed deliniationis fungens munere, nacta materiam, damnum inſtaurare poteſt. Nuper excluſi hirundinum pulli non uident, imperfecticq; æduntur in lucem. quare cum oculis nondum abſolutis adhuc inſideat genitalis aura, punctos erutóſque poteſt reparare: multo magis adiuta herbæ chelidonij ope à parentibus inditi, quo felicius officium ſuum proſequitur. ſed de ijs hactenus. Floribus ſuccus exprimitur, & in æneo uaſe cum melle Attico leniter cinere feruenti decoquitur ſingulari remedio contra caligines oculorum. Vtuntur & per ſe ſucco collyrijs quæ chelidonia uocantur ab ea. Chelidonia ſiccantur ulcera adeò, ut pro ſpodio utantur. Eadem cum axungia iam deſperatis imponitur. Menſes nimios mammis admota ſiſtit. Succus in æneo uaſe cum melle in pruna decoctus oculis claritatem adfert, & caligines eorundem diſcutit. Foliis, caule, radicibus ſuccus excipitur æſtatis initio, & in umbra ſiccatus digeritur in paſtillos. Radix cum aniſo & albo uino pota medetur regio morbo, ulceribusq; quæ ſerpũt imponitur. Dentium dolorem commanducata ſedat. Nomen ei uidetur inditum, quoniam floret aduentu hirundinum, diſceſſuq; marceſcit. Sunt qui ſcribant hirundines matres orbatis lumine pullis inuncto momento cæcitatem depellere.

Chelidonium minus. Cap. CXI.

PArua pingitur à Dioſcoride herba chelidonium minus, ſine caule, foliis hederæ, rotundioribus minoribuſq;, pediculis quibuſdam à radice dependentibus, itẽ teneris & aliquatenus pinguibus. Radices habet puſillas, frequentes ex eodem callo prodeuntes, in tritici modum aceruatim congeſtas, quarum tres aut quatuor tantum in longitudinem progrediuntur. In limitibus humidis & paluſtribus gignitur. Plinius minori chelidoniæ folia hederæ aſſignat, rotundiora, minus candida. Hæc à nullis nunc oſtenditur herbarijs uel medicis, quod demiror, cum nulla uerno tempore frequentior occurrat, præſertim hirundinum aduentu: & marginibus aquoſis inueniatur, qua nulli non uliginoſi tractus ſcatent. Quam longe diſſidenti nomine, proprio ignorato, nunc officinæ uocant *ſcrofulariam*, quòd ſtrumoſa radix multis granorum frumenti grumis uideatur coaluiſſe. quanquam putent inditam appellationem, quòd ſtrumis (quas uocant græca imitatione non latina ſcrofulas) medeatur. Sed ne ſine peculiari demonſtratione teſtemur, id euidenter pictura poterit comprobari. Siquidem *ſcrofularia* herbula eſt à pediculis pendẽs, uidua caule, foliis hederę, rotundioribus multo minoribuſq;, teneris & modicè pinguibus. Radices oſtendit ex eodẽ callo prodeũtes, paruas, complures in granorum tritici morem aceruatim congeſtas, quarum tres uel

quatuor

quatuor in longum protenduntur. Humida sequitur & palustria. Floret aduentu hirundinum, nec longo post tempore marcescens euanescit, sic ut irrigui limites, qui largo foliorum florumq; stipatu pubescebant, confestim ijs spoliati glabrescere cõspiciantur, qua de causa chelidoniũ, id est hirũdinariã dici nulli dubium est. Flos ei ranũculi, luteo colore nitens. Quòd si uires libeat experiri, magnam præsefert acrimoniã, gustum acerbè uellicantem, argumento Galeni & sectatoris eius Pauli, quòd celeriter illita cutẽ exulceret, quod & pueri sæpius probant. quare & scabros ungues excutit, & scabiem abolet. Succo etiam herbæ capitis purgationẽ moliuntur medici, ut pote qui magno sit præditus acremento. nam, ut Galeno placet, in quarti recessus calfacientis initium se recepit, cum maius tertiũ sibi uendicauerit ordinem. Cum itaq; tota Dioscoridis ac ueterum deliniatio suffragetur, omnesq; uires suum addiderint calculum, *scrofulariam* uulgo dictam nemo chelidonium esse minus inficias ibit. Luxatam esse Plinij lectionem quis facile deprehendet, cum maiori chelidoniæ reddatur colos albicans, flos luteus: minori folia hederæ, rotundiora, minus candida, succus croci mordax, semen papaueris: cum hæc duo postrema de maiore traduntur à Dioscoride. Nanq; minor acrem possidet succum, nõ tamen ullo pacto luteũ, nec papaueris semen, imò florem puto sine semine proferre, radicibus potius quàm semine nasci. Sic ergo in sedem restituetur luxata pars, Maiori colos albicans, flos luteus, succus croci mordax, semen papaueris. nisi quis ea quæ breuiter de minori chelidonio scribuntur, parenthesi censeat interiecta. Nõ audiendi sunt Arabicæ factionis authores, qui chelidonium minus glaucium putant esse, quod ipsi *memithen* dicunt: quorum error apertior est quàm ut refutari desideret. Vis ei acris, & phænij modo summam cutem exulcerans. Psoras & scabros ungues tollit. Succus radicum in nares illatus cum melle purgat caput. Decoctum eius cum melle gargarissatum caput ualidius inanit, & tædia omnia pectoris discutit.

Othonna. Cap. CXII.

PArum de othonna inter ueteres conuenit. Alij succum chelidoniæ maioris intelligunt, alij succum glaucij, alij liquorem floribus cornuti papaueris expressum. Sunt qui triplicis succi miscellam ex anagallide cærulea, apollinari, & papauere interpretentur. Non desunt qui liquorem esse contendãt herbæ cuiusdam Troglodyticę, quæ dicatur othonna. Nasci eam in Arabia quæ secundum Aegyptum sit, erucę similem, perforatis crebro foliis tanquam à tineis esset pertusa, eisdem squalidis & paucioribus, flore croci, latifolio. quare à quibusdam inter anemonę species collocatur. Aliquibus tamen placet, lapidem esse in Aegypti Thebaide nascentẽ, exigua magnitudine, candido colore, gustu mordaci, cum feruore quodam & astrictione. Plinius othonnen in Syria nasci memorię prodidit, similẽ erucæ, perforatis crebro foliis, flore croci. quare quidam anemonen uocauerunt. Paulus nonnullis succum esse meminit herbæ prouenientis in Arabia, quæ confinis est Aegypto: quanquã aliqui lapidem Aegyptium esse fateantur. quanuis idem in plerisque compositionibus othonnã nominans maioris chelidonij succum interpretetur. Quare nobis non est laborandum, ut quid sit othonna demonstretur, cum Dioscoridi, & post eum cunctis authoribus nõ satis fuerit cognita, sed ex aliorum opinione famaq; tantum prodita. Qui othonnam in Arabia quę secundum Aegyptum sit, nasci tradunt similem erucæ, perforatis crebro foliis, & ueluti derosis à tinea, scabris & obsitis puluere, minime frequẽtibus, flore croci, latifolio, anemonæ speciem esse putauerunt. Extractus succus oculorum medicamentis conuenit. Mordet leniter & excalfacit astringitq; siccando. Purgat cicatrices & nubeculas, & quicquid obstat. Caliginem oculorum discutit, & quæcunque claritati eorundem officiunt. Quidam tradunt, lauari atq; ita siccatum digeri in pastillos. Aiunt alij liquorem quẽdam ea herba defluere qui lotus exarenatusq; cogitur in pastillos ad eadem utiles.

Alsine. Cap. CXIII.

ALsine, alij myosota, Italia muris auriculam uocat. quod nomen inuenit à foliis, quibus aures musculorum imitatur. Eadem alsine dicta, quòd lucis opacisq; gaudeat. Hæc eadem erat quæ helxine, nisi humilior esset & minoribus foliis. hæc Dioscorides. Nascitur in lucis ut Plinio placet, unde dicta est alsine. Incipit à media hyeme, arescit æstate media. Cum prorepit, musculo-

rum

rum aures imitatur foliis. Sed aliam docet quæ iustius myosotis uocetur. Hæc eadem erat quæ helxine, nisi minor minusq; hirsuta esset. Nascitur in hortis & maxime in parietibus. Cum teritur odorem cucumis reddit. Ea est, arbitror, quam uernaculo sermone Galli *mouronem* quasi muraurē uel potius muris aurem appellāt, Itali *pauerinam*, quòd anseribus gratum pabulum sumministret. Auiculas caueis inclusas, cum fastidiunt escam, aucupes solent hoc cibo recreare, quandoquidem helxinę similis est, minoribus tantū foliis, minusq; hirsutis. In hortis quoq; prorepit, & maceriis opacisq; lætatur. Vita semestri contenta, sicuti dictum est. Herbæ cucumis cum teritur odorem remittit, sed non illam peponis maturi iucunditatem, sed herbaceum cucumeris uirus subolet. quanquā id quod de odore memorant, multis exemplaribus Dioscoridis non legitur. Verum ut reliquam prosequar finitionem, cauliculis serpit teretibus articulosis, è quorum geniculis exiles ramuli prosiliunt, foliis helxinæ minoribus, nec tantū hirsutis, flore paruo, candido, foris herbaceo. Hallucinantur qui hanc anagallidis generibus assignent, cū latissimo discrimine inter sese discrepent. siquidem anagallis quadrato cauliculo surgit, flore ceruleo uel purpureo: hæc tenere ac articulis interstincto caule proserpit, flore cādido. Si uires quoq; scrutemur, huius alsinæ inueniemus quæ traduntur à Galeno conuenire, uidelicet herbulam uiribus helxinæ proximam, aquoso concretu frigidoq; cōstantem: quare citra astrictionem refrigerat, feruidis collectionibus auxiliatur, & ignibus sacris opem adfert. Vulgus quoq; succum iam usurpauit ad mulcendā corporis prurigínem. De hac sub uocabulo alsine libro quarto repetuntur omnia titulo solū uariato, quare nihil inibi dicere decreuimus. Sed hæc potius alsine Galeno Paulo q; dicitur, sequēs myosotis, id est auricula muris. Vsus eius ad refrigerandū cum polēta. Epiphoris oculorū imponitur: item uerēdis, ulceribus cum farina hordeacea. Succus auribus infundit. quin & emendat omnia quæ helxine, sed infirmius.

Myosotis altera. Cap. CXIIII

ALtera myosotis uocat, cauliculis pluribus ab ima radice aliquatenus rubentibus, cōcauis ab imo, foliis angustis, oblongis, dorso acuto, nigris, per inter ualla assiduè geminatis, in mucronem paulatim se cōtrahentibus, tenuibus coliculis ex alis prodeuntibus, flore cæruleo uelut anagallidis. radix digitali crassitudine multis capillamētis fibrata. In summa, scolopendrio similis est, læuior dūtaxat & minor. Eadē de myosotide nominatim disseruit Plinius naturalis historiæ libro uigesimoseptimo. Galenus ordine tertio resiccare prodidit, nullū tamen manifestum calorē possidet. Paulus myosoton ad alsinen remisit, nec huius uelut distinctæ mentionem fecit, uires silentio prætermittens. Inuenitur frequenter herba caulibus multis ab ima radice prosilientibus, quadantenus ab imo rubris & concauis, foliis angustis, oblongis, non sine dorsi prominentis exertu, nigricantibus, per interualla deinceps geminatim copulatis, in mucronem desinentibus, coliculis ex alarum sinu prodeuntibus, flore cæruleo, radice digiti crassitudine, multis fibris capillata, satis ad scolopendrium accedens. Sed nomine uacat Gallico. nec huic respondet deliniationi, quæ partim ab herbarijs *pilosella*, partim *auricula muris* appellatur, quamuis humi proserpat, & nunquam à solo sustollatur, foliis sessilibus, latis, in mucronem exeuntibus, pilosis, musculorum aures exprimētibus, præsertim antequam explicentur perfectè, geminatim maritatis, prælongis, uitilibus, itidem solo reptantibus, flore ranunculi luteo. Produnt, ferrum quod huius succo commanduerit tantam cōtrahere duritiem, tamq; magnum induere rigorem, ut chalybis aciem respuat, & scobinæ modo quodcunque ferramentum elimet, imò potius dissecet. Inuenitur in asperis et incultis agrorum limitibus. nam flos qui in ea luteus cernitur, apertissimè muris auriculæ dissentit, foliaq; longioribus interstitijs distant, quàm ut possent scolopendrium herbam repræsentare. dorso quoque carēt eminulo, tergiq; perpetuū æquor apparet. Hæc *pilosella* tamen ab officinis dicta. Nascitur in uallibus, foliis quadrātalibus, lanugínosis, albicātibus, in terram sparsis, flore luteo, radice numerosa, sed exili. Ferūt, foliorum farinam uulnera mirum in modum glutinare. Herbæ recentis exprimunt succū ad cohibendos quartanę febris horrores. Eodem tingunt gladiorum aciem, ut omne ferrum aliud domet, secetq;. Igne admoto sanies destillat, qua epota iocineroſis præsentius inueniri remedium negāt. Huius radix illita ægilopas sanat. Tradunt Aegyptij si quis in Augusto men

O se incur-

se incurrente huius herbæ succo inungatur mane priusquam loquatur, eo anno non lippi turum. Non defuere qui helxinen ipsam hoc nomine uocauerint.

Isatis, glastum. Cap. CXV

Isatis satiua siue glastum, quo infectores lanarũ utũtur, folia fert plantagini similia, sed pinguiora nigrioraq; caulem duũ cubitorum & ampliorem. Plinio glastum, quo infectores lanarum utũtur, simile fuit lapatho syluestri sonchis, nisi quòd plura habet & nigriora, sed sponte nascentibus lactucis annumerat. Cæsar cõmentariorum quinto de Gallico bello tradit omneis se Britannos ultro glasto inficere, qp cæruleum efficiat colorem, atq; hoc horridiores fieri in pugna aspectu. Simile, ut inquit Plinius, plãtagini glastum in Gallia uocatur, quo Britannorum coniuges nurusq; toto corpore oblitæ in sacris nudæ incedebant, Aethiopum colorem imitantes. Glastum olim Galli dixere, nunc *guadum* uel potius *gualdum*, nõnulli *sancti Philippi herbam*. sunt qui Indicũ à colore nominent. glastum hoc est infectoribus dicatũ. Magnum quæstũ multis regionibus adfert. Viridem herbam trusatilibus molis premunt, ut herbaceã saniem excludant: dein abacto liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis in cinerem cõputrescere sinunt, *pastellum* pleriscp locis ab effigie pastillorũ in quam glomerantur, nominãtes. Hos cortinis infectoriæ coquunt officinæ, & laneos pannos ac uellera demergunt, ut cæruleũ ebibant colorem. Cæruleam illam spumam innatãtem quam igni conferuescentes eructant cortinæ, *indum* nostri uocant infectores. hanc ad pictorum usus siccãt. Dioscorides egnen quoq; uocari prodit, quam suspicor ignen ab Hippocrate dici. Sunt qui hoc sibi titulo placeant, qp uocem uitiatam ruta uel aluta in Romanam seruituisse credant, luteum scribentes. de qua Plinius & Vitruuius authores Latini tantum inter colores mentionem fecerunt, quorum diligentiã in emendandis ijs falsis nomenclationibus non possum non probare. Sed lutea herba an fuerit eadem glasto non mihi satis adhuc est exploratũ. Nam testimonia quæ pro se citant, aliam à glasto esse manifestè persuadent. Plinius chrysocolla, inquit, illa quoq; herba tingitur, quam luteam appellant. Et paulopost subdidit, luteam chrysocollam ab herba lutea dictam putant, quam ipsam cęruleo sublitam pro chrysocolla inducunt. Non itaq; cęruleo sufficit colore, sed potius luteo, uel certe uiridi, cum cæruleo sublita chrysocollæ colorem mẽtiatur, qui uiridis ab eodem traditur. Vitruuius in septimi uoluminis calce manifestius ait, Qui non possunt chrysocolla propter caritatem uti, herba quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt, & utuntur uiridissimo colore. hæc aũt, inquit, infectiua appellatur. Sed constitit inter omnes quæ glasto imbuũtur cæruleum sorbere colorem. Si ergo lutea glastum sit, cæruleum quoq; reddet, quem quantumcunq; infeceris, uirorem nunquam contrahet, sed cęruleum firmabit. Alium itaq; parere colorem luteum ex miscella & lege colorum facile constabit, si cæruleum luteo diluas colore uiridis colos enascetur. nãq; id à principijs colorum peti potest. Cæruleum multum habet atri uel opaci, uiride multo minus. ut igitur in uirorem degeneret cæruleum, medium postulabit, quod multum lucis & candoris habeat, quale luteum est. quam tentare commistionem pictores optime norunt. Nec ignorant etiamnũ infectores, qui cæruleo, quem glastum reddidit, luteum superinducunt colorem, ut uirorem lanæ concipiant. Quapropter ea suo nomine luteum colorem pollicetur, quem per se præstat, nisi cærulei sublitus superueniente luteo uiroris imaginem mentiatur. Nonne uides ærugínem quæ cæruleo ferè pollet, si croceo liquore diluatur, pulcherrimũ induere uirorem? Habetur nostra ætate herba quæ cortinis suffectorijs indita luteum lanis prębet colorem, cuius apud nos maximus increbuit usus. infectores colori cæruleo, quem glastum excitauit, superinducunt, & uiridem efficiunt colorem, quæ forsitan lutea fuit antiquitati. Ea folijs prælõgis, pinguibus & arctis, cubitali caule, interdũ altiori, torosо, flore exili, luteo, frequentibus in cacumine folliculis, cruciformibus, asperis, sed tam denso fastigij stipatu, ut ij quandam spicarũ imaginem monstrent, in quibus semen includitur, radice longa, singulari crassaq;. multis locis sponte nascitur, sed magno iam compendio seruntur in agris. Quæ nisi forte fortuna domino decoquat, magnũ ex eo sentit prouentũ. nanq; eruta solo radicitus in fasces magnos cogitur, donec usurpetur ad infectus. Siccata in luteũ colorem pallescit, aut certe languet in pallidũ, luteo quoq; colore pannos tingit. *Gaudum* etiam nostra rura uocant

ra uocant uel *gaisdum*. Porrò tam ex colore quem ſiccata præfert q̃ decocto, quod lanæ re ſorbentes ebibũt, lutea merito uocari poteſt. Nec quicq̃ à Plinio Vitruuioq̃, niſi inter co lores tantum, ſine herbæ notis peculiaribus dictum eſt, q̃ eſſet forſitan non medicinæ, ſed infecturis nata. Nec me fugit Dioſcoridem lyſimachiam lytron appellaſſe, item Plinium, quod aliqui deprauatum putant, legendumq̃ cenſent luteum, qua glaſti cærulei ſuperin ducta uiridẽ exhibent colorem. Veriſimile tamen, lyſimachiam, quaſi diſcordiam bellũq̃ dirimat, eſſe nuncupatã. nam calcitronũ boum ceruicibus impoſita cohibet aſperitatem: ita lytron, quod pro liberatione præmium importat, dici ueriſimile fuerit, q̃ ſedatæ diſcor diæ munus poſtulet. Sed de ijs plura in lyſimachiæ mẽtione. Iſatis ſyluatica ſiue malis gla ſtum ſylueſtre, ſatiuæ ſimilis habetur. folia fert maiora lactucaceis, caules tenuiores, multi fidos, quadam tenus rubentes, è quorum cacuminibus folliculi numeroſi linguæ ſpeciem repræſentantes dependent, in quibus ſemen. flore præterea gracili, luteo. quæ poſtea huic adijciuntur ſylueſtri glaſto, pugnant cum iſtis. Videntur quoq̃ ſpuria quædam huic fini tioni Dioſcoridis accreuiſſe. Parum ſibi conſtitiſſet is author, ſi florem huic reddi diſſet lu teum, nec multo pòſt purpureum uel cæruleum tribuiſſet: ingenueq̃ fateretur uanas eſſe quas inſeruerat deſcriptiones, & à ueritate penitus deficere. Quotuſquiſq̃ tã uerſatili fue rit ingenio, ut ſecum in eadem finitione pugnaret, & à ſuis illico decretis deſciſceret? nem pe nemo niſi mẽte captus, uel quem penitus memoria defeciſſet. Adde, q̃ ea uetuſtiſſimis exemplaribus nõ leguntur. quare uelut futilia quædam ac nullius in hac parte momenti ſunt expungenda. Sanguinem ſiſtit glaſtum. Phagedænas & putreſcentia ulcera, & quæ ſerpunt ſanat: item tumores ante ſuppurationem. Contra ignem ſacrum radice uel folijs prodeſt, uel ad lienes pota. Recentia uulnera glutinat, ideoq̃ cruentis inijcitur. Sylueſtre glaſtum eadem quæ mox ſupradicta præſtat. Potu & illitu lienoſis auxiliatur.

Telephium. Cap. CXVI

Telephium herba portulacæ ſimilis caule & folijs alas binas in ſingulis folio rum geniculis annectit. ramuli ab radice ſeni ſeptenique fruticant, folijs refer ti cæruleis, craſſis, lẽtis, carnoſis, flore luteo, uel albo. Naſcitur inter uites & locis cultis uere. Breuius Dioſcoride Plinius deſcripſit, Telephium portu lacæ ſimilis & caule & folijs. rami à radice ſeptenique octoni ue fruticant, folijs craſſis, carnoſis. Naſcitur in cultis & maxime inter uites. Hodie Galli partim *uineaticam ſem peruiuam*, partim *cicotrinum* appellant. Herbarij noſtri *fabam inuerſam*, alij *craſſulam minorem*, q̃ craſſo pinguiq̃ conſtet folio. nam hæc inuenitur in cultis & ſæpe inter uites, ſenis ſepte nis ue ramulis emicans, portulacæ non abſimilis, folijs cæruleis, pinguibus, lentis, carno ſis, flore nunc albo, nunc luteo. Viuax eſt ſupra modum, erutaq̃ diu ſeſe prorogat. quare nonnulli quoddam ſedi genus ſeu ſemperuiui ſuſpicantur. Siccare eam & abſtergere do cet aperte leuis amaror, qui guſtu percipitur: quare uitiligines emendare certũ eſt, et ut tra dit Galenus, putrilaginoſis ulceribus opitulari. Vnde Telephij nomen ductũ puto, quòd ulceribus malis, quibus rex Myſiæ Telephus cõſenuit ab Achille uulneratus, auxilietur. Dioſcorides ſenos ſeptenosq̃ à radice ramos tribuit, Plinius octonos. Differre merito cre dimus telephium à ſylueſtri portulaca, quam agriam andrachnen appellant. quandoqui dem uterque medicinas earum notasq̃, ſeorſum ceu diuerſorum generum reddidit. Tele phium herbam hoc loco deſignatã ſunt qui putant eſſe quam multæ uocant officinæ præ ſertim Romanæ *pulmonariam*. Vegetius in mulomedicina pulmonariã nominat, quã con filiginem dici prodit bubulcis & ueterinarijs præclare cognitam, ſed telephium non eſſe ſatis inter ueteres conſtitit, cum Plinius nuper inuentã aſſeruerit conſiliginem, telephium uero nomine ipſo & inuentionis & uſus uetuſtatem fateatur. Radiculæ conſiliginis Pli nius & Columella duntaxat meminerũt, quaſi ſuperficies in nullo haberetur pretio. Dio ſcorides radicem telephij ſubticuit herbam tantum cõmendans: quapropter uel nondum ad uſus eruperat, uel diuerſam quis non ab re ſuſpicabitur. Item Plinius medicinas utriuſ que ſeorſum uarijs locis reddidit quaſi diuerſarum. Radix tamen à Dioſcoride non expri mitur, quæ profecto ob ſui raritatem non fuerat omittenda, cum in numeroſa fabarum tu bercula coaleſcat. unde putauerim inuerſam fabam herbarijs appellari. Nam fabaginum cacumen pluribus fabis eſt onuſtũ: contrà radix ima innumeris tuberibus ſcatet, quę faba.

rum implent magnitudinẽ. Folia senis horis illita albas uitiligines cõcorporãt, sed postea hordeacea farina illini debet. Perunctas etiã in sole lentigines emaculãt cũ aceto, & cũ inaruerint auferũtur. Medentur uulneribus & fistulis. Sunt qui uitiligini, lentigini ternis fere mensibus senis horis noctis aut diei perlini præcipiãt, dein hordei farinã inspargi iubẽt.

Acanos. Acorna. Cap. CXVII

ACanos herba est spinosa, breuis, latioribus ꝙ eryngij aculeis, capite magno, chamæleoni albo simili, quam impositam ruentis sanguinis impetum infrenare tradunt. Eryngio à quibusdam contribuitur ut tradit Aetius, forsitan ꝙ eryngium in quibusdam æmuletur. Cæterum acanon ab eryngio Theophrastus secernere uidetur, cum utriusꝙ seorsum meminerit. Alij, ut idem inquit, chamæleonem album uocauerunt acanon, ꝙ suo echinato capite chamæleonem imitetur. Porrò nõ multum ab ea quam uulgus *calcatrepam* appellat dissidere cognoscitur, cum aculeata sit & breuis, latis & nocentibus uallata spinis, caule breui ac toroso, floribus ceu potius pappis in cacumine purpureis, rotundis capitibus, & spinarum septo muricatis. inde nomen in uulgus abijt, ꝙ murices *calcatrapas* nominet. radice candida, digitali. Hanc spinã humo erutam rura domorum laquearibus appendunt, ad arcenda ut putãt maleficorum uenefícia. Nascitur in incultis & asperis ubiꝙ. Ea spinæ breuitate, & multitudine capitulorum rigentibus aculeis armatorum eryngium sectatur, ideo eryngiorum generi nõnullis, ut Aetius retulit, adscribitur. Echinato capitellorum habitu reliquaꝙ facie album chamæleonem exprimit, quare ipsum acanon, ut Theophrastus testatum reliquit, aliqui uocauerunt. inde ab acano Latinis quæ aculeato sunt conceptu, aut floris sede, fructuꝙ spinoso, feliciter acanacea dicuntur, laborantibus Græcis uno uerbo hos tres affectus includere. Cæterum ixine cui radix folíosa, ex qua similis malo carduus seminis plenus extuberat, seminalis acanus Theophrasto dicitur, cuius inciso uertice summo lachryma erumpit iucundi saporis, acanthica mastiche uocata, propereaꝙ adulteriũ ex ea fit. Germinat atꝙ floret æstate folio & caule lanugines spinosas habens. Acorna herba est acanacearum generis, caule & foliis lanugine spinosa mordax, & quod ratione simplici potest exprimi, cneco simílis urbano, colore flauo, succo pingui. Acornæ, ut Theophrastus est author, spina pro folio est, uernaculo cneco simílis, colore tantum rufo, succo pingui. Eadem erat quę atractylis seu sylueſtre cnecũ, si candidior esset, & decerpta cute sanguineũ cruorem funderet. Cæterum colore tantum rufo distinguitur, & pinguiore succo, nequaquam cruẽto. Spina itaꝙ est in aruis quæ facie tota tum reliquo habitu, præter quàm sanguineo liquore, cnecum, quod officinæ nunc appellant *cartamum*, mentitur.

Alectorolophos. Alopecuros, uulpina cauda. Cap. CXVIII

ALectorolophos quæ Latinis crista dicitur, folia habet similia gallinaceæ cristę, plura, caulem tenuem, & semen nigrum in siliquis. Vtilis tussientibus cocta cum faba fressa melle addito, & caligini oculorum. Solidum semen conijcitur in oculum, nec turbat, sed in se caliginem cõtrahit. Mutat colorẽ, sed ex nigra albicare incipit, & intumescit, ac per se exit. hæc Plinius. quo argumento multi eam esse putant quam olitores nunc *orualam* aut *totam bonam*, Itali *sclariam* uocant. Nanꝙ & hodie apud nos rura semen *orualæ* ad eosdẽ effectus usurpant. folíũ ei betæ lanuginosum, serratumꝙ in modum cristæ, scabritie lacunosa prorsus inæquale, caulis ab imo rufescens, quadrãgulus, flos spicaceus, è rubro suppurpureus, quo excusso in alabastricu-lis dehiscentibus uescum & atrum semen conspicitur. odorata tota & uulgaris. Seritur in hortis ubiꝙ, mirantur ꝙ nõnulli herbam tam insignẽ notamꝙ uulgo, ueteres silentio prætermisisse. Verũ Plinianæ picturæ refragãtur principes notæ. nõ enim ei caulis tenuis, sed præter modũ crassus, ut fabaginũ quadrata ferè corpulentia peræquet: etsi nigrũ ei semen insit, nõ siliquis, sed potius dehiscẽtibus uasculis, aut patẽtibus capitulis cõcipitur, foliũꝙ ei frequẽtibus crenis serratũ, potius ꝙ cristatum cernitur. Alij hanc esse tradũt quã *cetrum gallinæ*, aut *galli centrum*, officinę perperã *gallitricum*, aliqui *saluiam transmarinam*, uel *Romanum* appellãt, quia eius semine eodem modo uulgus utatur. Siquidem ad discutiendã oculorũ caliginem integrum semen in oculũ conijcit, quod non nisi ambitiosa reuolutione per orbem oculi raptũ exucto humore, pręgnãs & quasi tenuibus onustũ membranulis egredit.

Enimuero

Enimuero *ſaluia tranſmarina* folio eſt marrubij maiore, odorato, rugoſa aſperitate, caule ſeſquipedali, leniter hirſuto, in terram depreſſo, & in quadrangulum ſtriato, flore è cæruleo in purpureum uergente, ad aquilini roſtri effigiem falcato, calyculis pluribus, gallinaceæ criſtæ forma, in queis ad ſummum quatuor grana reperias, parua, rotunda, fulueſcentia. Sed ne ea quidem alectorolophos dici meretur, cum & caulis craſſamẽto, & calyculi hiantes nõ ſiliquante figura, ſemenq; fuluo coloratu, omnino reclamẽt. Sed ut faceſſat omnis apud ueteres ambarũ ſilẽtij ſuſpicio, quid apud Dioſcoridẽ utraq; fuerit, oruala ſcilicet & trãſmarina ſaluia, paucis ſubnectemus. quũ illa orminum ſatiuũ, hac ſylueſtre deſignetur, marrubij foliis, caule quadrãgulo, ſeſquidodrantali proceritate, circa quẽ calyces promi-
10 nent ſiliquarũ effigie, radicem uerſus nutantes. In ijs duũ generum ſemen inuenitur: ſylueſtri rotũdius, colore fuſco: ſatiuæ nigrius & oblongũ, quod argemas oculorũ albugines q; cum melle purgat. Eæ igitur deliniationes ad amuſſim, nulla reclamante nota, ſatiuo ormino & ſylueſtri fauent. Male audiunt ergo qui eas ueteribus intactas fuiſſe ſuſpicant. Non deſunt qui gallinaceã criſtam Græcis periſtereon dici tradãt, in humidis naſcentem, folio inciſo & ſubalbido: ſed manifeſtior eſt error, q; explodi deſideret. Porrò in pratis frequẽs inuenit herba, caule tenui, foliis criſtatis & falcatis, ſuppurpureis apicibus, in uertice pinnatis, inter quos lunata emicat ſiliqua, cõcolor, lata et membranacea cute ueſtita, in qua ſemen pullum claudit. rura huic ab hac effigie ſuo ſermone uernaculo nomen *criſtæ gallinarum* dederunt. Ea propius ad Plinianã alectorolophi picturã accedere uidetur. Alope-
20 curos ſpecie tota ſimilis eſt tritico, uerũ folio latiore ut uult Theophraſtus, ſpica hirſuta, qua lanugineum floſculum particulatim emittit, radice articulata, ex cuius nodis emicant folia pinnata. nomen inde auſpicatur q uulpium caudis ſimilis exiliat. Spicoſa eſt ut plantago, ſed hirſutior & lanuginoſior, nec tamen in acus aut ariſtam exit. Plãtaginis in modũ ſpicatur, florem tamen non quemadmodũ illa particulatim ædit, ſed per totam ſpicam frumenti modo ſpargitur. Vtriq; lanugineus proſilit floſculus. Plinio alopecuros ſpicam habet mollem, & lanuginẽ denſam, non diſſimilem uulpiũ caudis, unde ei nomen. Sunt qui hanc eſſe contendunt, quã uulgus *paſtoriam uirgam* appellat fœmineo ſexu. Quin & in aruis inuenitur herba ſpecie frumentacea, folio tritici, culmo gracili, paucis nodis geniculato, ſpica plantaginis, nullis aceribus aut ariſtis armata, lanugine ſpiſſa horrens, aſperitate
30 ueſtium ſequaci. ſiquidẽ non uilloſa tantum lanugo, ſed & ſpica tota fimbriarum tenax, tranſeuntium ueſtimentis hæret. rura *caudati frumenti* nomine norunt.

Alliaris uel alliaria. Cap. CXIX

ALliaris herbę folia cum primum emicant, circinatæ ſunt rotunditatis, uiolæ nigræ ſimilitudine, aliquantũ maiora, uerum adulta in angulos exeunt. Herba bicubitali proceritate cõſurgit, caulibus teretibus, foliis urticæ, niſi q læuiora ſunt, parcius fimbriata, & à pediculo latiora, allij odoratu cum terun-
tur, floſculo luteo, exili in pelliculis ſemine, atro colore, radice oblonga, eodem cum foliis odore. Trita herba alliũ adeo redolet, ut in iuribus tortiuis q; ſuccis pro eo ſubſtitui cœperit: inde nomen ei dederunt officinæ. Sunt qui putent ſcordotim hanc eſſe,
40 falſi quadam odoris cognatione. ſiquidem ſcordotis foliis eſt ſimilitudine quercus, minoribus, lanuginoſis, quadrangulo caule, flore ſubrubro: alliaria uero frondibus urticæ modo fimbriatis, rotundo caule, flore luteo. Illa tantũ ſubolet alliũ: hæc ita repræſentat, ut iuſto allij odore nares impleat. niſi quis arbitretur alterũ ſcordotis genus eſſe, quam Crateuas repræſentat latioribus foliis, mẽthaſtro ſimilẽ, nec de ea ſcriptũ aliud inuenio. Nemo profecto poteſt inficiari, huius alliariæ folia multo maiora uideri, & profundioribus cre-
nis laciniata, ſatis tamen ad querna cum adoleuit accedẽtia. Huic iudicio facile ſubſcribe-
rem, niſi ſimilem menthaſtro ſubdidiſſet, cui certe ſerrata ſunt folia, ſed ſpiſſa lanugine caneſcunt, illi potius uirent ſola aſpritudine contenta. Quod ſi ita eſt, ipſa excalfacit, urinam
ciet ſi recẽs in potũ teratur. Sicca in uino coquitur ad ſerpentiũ morſus, et uenena omnia
50 efficax. In roſionibus ſtomachi, dyſenteria, contumacibus urinis, ex mulſa duobus denarijs datur bibenda. Lentam pectoris craſſitiẽ digerit. Cõtra ueterẽ tuſſim ex reſina et melle ſicca lingitur. Longis præcordiorũ inflãmationibus cerato collecta prodeſt. Podagras acri aceto circumlitas mulcet. Impoſita menſes excit. Vetera ulcera purgat & ad cicatri-

cem ex melle perducit. Recentia quoque uulnera cogit farinę conſperſus. Excreſcentia in corpore compeſcit.

Amarantus. Ambubeia. Cap. CXX

AMarantus radíce eſt fulua, bulboſa, ferulaceo caule, pedali altitudíne, folijs ocymo lõgioribus, ſpica purpurea uerius cꝫ flore, inodora, qua nihil gratius aſpectu cernitur, quando & purpuras Tyrias Laconicasq; ſuo rutilanti nitore prouocat. Coccum etiam qui in ueſtibus micat, ſiue ſaturatũ ſiue dilutum ſua coloris gratia uincit, adeo ut Franci, nunc *paſſeuelutum* appellent, indicantes eo nomine ſericum coccineum quod *carmeſinum* dicunt, cum quo nimirum de coloris principatu certabat, ſuperari. Solo colore cõmendatur amarantus. Spica Plinio purpurea uerius quàm flos, & ipſe ſine odore. Gaudet decerpi, & quo frequẽtius legitur, hoc lætius renaſcitur. Prouenit Auguſto menſe, durat in autumnum. Alexandríno palma, qui decerptus adſeruatur. Mirumq; cum defecere cũcti flores, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas nectit. Qua dote iam in fictilibus ferítur, ut ab Auguſto floreat in Octobrem, quo tempore geſtit frequenter carpi. Collectum & furni tepore ſiccatum, puellæ ad coronarios hyemis uſus recondunt. Summa eius natura in nomine eſt appellato, quoniã non marceſcit, ita græcam nomenclaturam uſurpante Italia. Siluit de eo priuatim Dioſcorides, quamuis multos flores hac nominum ambage complectatur, ut ageranton, elichryſon, & alios cõplures, forſitan ꝙ paucis uiribus in medicina polleret. Galenus heliochryſi nomine amarantum exprimit, ob id corymbos nunquam marceſcere Plinius ſcriptũ reliquit. Philoſtratus ex amarãto ſepulturas coronari ſolitas adfirmat, idq; Theſſalos inſtituiſſe primos ad tumulum Achillis. Extenuat & ſiccat amarantus, ideo cum uino fluxiones ſiſtit, ſed (ut aiunt) ſtomacho aduerſat. Ambubeia, uel ut alijs placet ambugia, Aegyptio nomine nobilior eſt cꝫ latino. cichorium enim nemo neſcit, quoniã illam pauci inter ſtudioſos norunt. dicitur & erraticus intubus, germinans à radice poſt Vergilias, folio betæ laciniato, fere ſemper in ſolo procumbente, magno, fiſtuloſo, multis ramulis brachiato lente, item aſpero & diuidi contumace, flore cæruleo, qui nubilo etiam die panditur, & cum eo circũagitur in occaſum, noctu ſemper compreſſus. Hanc nonnulli propter utilitatem chreſton appellauerunt, & propter ſingularem ſalubritatem pancration. Sed hæc duplicis eſt naturæ, una arctiore folio, quã diximus: altera latiore, quam hedypnoida cognominant. Herba eſt perennis, folijs multis, per anfractus diſſectis, in terra ſeſſilibus, caulículo ſimplici, concauo, ſemipedẽ alto, enodi, flore luteo, ſtipantibus in circulũ foliolis coronato, quo decidente ſuccreſcit euanidum quiddam: cæterum admirabile naturæ ludentis opus, nempe multangularis illa lanugo in orbẽ globata, quæ ſpirante uento efflatur in auras. Noſtri hanc appetente hyeme, & per frigora terra adobruunt, ut candorem depoſita amaritudine cõtrahat, & in acetarijs utãtur. Officinæ, ꝙ folium ſinuatim per lacinias denticulatũ ſit, *leonis dentem* uulgari uoce dicunt. Galli pueruli *florem piſſanlitum* uocãt, rati eius uel attrectatione, urinæ incontinentiã creari, atq; ita cubile lotio contaminari. Sunt qui etiam *roſtrum porcinum* nominent, dentq; ad laxandos inteſtinorum infarctus, ciendasq; urinas. Hedypnois ſylueſtre genus, ſtomachum diſſolutũ aſtringit cocta, cruda ſiſtit aluum. Dyſentericis auxiliatur, ſed magis cum lente. Rupta & cõuulſa iuuantur, item quibus genitura ualetudinis morbo effluat. Ambubeia refrigerat in cibo ſumpta. Collectiones illita digerit. Succus decoctæ uentrem reſoluit, iocineri & ſtomacho renibusq; prodeſt. Item ſi in aceto decoquatur, urinæ tormina diſcutit: item regium è mulſo morbum, qui ſine febre fuerit. Veſicam adiuuat. Mulierum purgationibus decocta in aqua adeò ſuccurrit, ut emortuos partus trahat. Tradunt magi, ſucco totius cum oleo perunctis fauorem cõciliari, eosq; facilius impetrare quæ uelint.

Anthalium. Anthemon folioſum. Anthyllon & Anthycellon. Anthríſcus. Cap. CXXI

ANthalium Aegypto peculiare, nec niſi menſis cognitũ. Naſcitur in locis arenoſis, haud procul à Nilo, meſpili magnitudine & rotunditate, ſine nucleo, ſine cortice, foliis cyperi. Anthalium Plinio, haud lõgius à flumine prouenit, meſpili magnitudine & rotũditate, ſine nucleo, ſine cortice, cyperi folio. mandunt igni paratũ. Anthalium menſis tantum dicatur, quod Aegyptij edunt,

nec alium

nec alium ullum Plinius reperit usum. Theophrastus malum anthali appellat, in arenosis nascẽs, haud procul à Nilo, figura rotundũ, magnitudine mespili, sine nucleo, sine cortice, foljs cyperi. Anthali mala legentes Aegyptij in bryto hordeaceo decoquũt, uehementer iucunda & dulcia, quæ bellariorũ uicem in secundis mensis impleant. Anthemon folio sum in segetibus passim nasci cernitur, foljs fere porri, oblongis, calamo lolij, flore purpureo, quo in coronamẽtis utimur, herbaceo calyce, semine tribus uersibus striato atroq;, unde ei nigellæ nomen. hoc Theophrasto anthemon phyllodes dici putatur. Theodorus folioſam nigellam interpretatur, doctis propius githago uel nigellastrũ uocaretur. Rusticis nostris *niella*, flos *micancalus*, qui in coronamenta reponitur. Cęterum hoc anthemon semine ac toto frutice maius est q̃ melãthion, nec odoratũ, quapropter pseudomelanthion uocari potest. uerũ pedali altitudine tantũ surgit, foljs fœniculi uel senecionis, flore cęruleo, stellato, scapo papaueris lõgiusculo, in quo semen nigrum, odoratum, gustu subamarum. hoc pistrinis, illud solum coronis nascitur. illi in procerioris culmi uertice unicus flos emicat, hoc non uno contentum permultis scatet floribus. Nostra rura propter odoris suauitatem *piperellam* uel *pocuretam* appellant, officinæ *nigellam Romanam*, de qua in eius mentione uires docebimus. Theodorus in Theophrastum anthemon pro melanthio uidetur intellexisse, ut qui nigellã uerterit. Sunt qui Theophrasto anthemon & anthemion eam esse contendant quam Dioscorides uocat anthemida, & chamæmelon uulgo dicitur, magnis ab Asclepiade celebratam laudibus. Duo Theophrastus constituit genera. unũ eius quæ ab radice tantum foliata sit, alterum quæ caule tantum. Porrò cum cæteris omnibus propriũ sit ut ab imo defloreſcant, peculiare utriq; ut à cacuminibus incipiant deflorere, flore candido in orbem, medijs herbaceo. Semini colos qui flori. decidit hoc sicut & spinosis, conceptaculo inani relicto. Sed hæc potius de chamęmeli generibus à Theophrasto dicta creduntur, ut apud eum idem anthemon & anthemis audiatur. Anthyllon, quam alij anthycellon uocãt, Plinio foljs & ramis lenticulæ similis, palmi altitudine, sabulosis apricis nascens, subsalsa gustanti. Dioscorides primũ genus anthyllidis, sic enim uocauit, lenti simillimum fecit, ramis rectis, foljs mollibus, radice tenui, oblonga, salsuginosis apricis natum, nõ insulso gustu, unde hanc salsolam posteritas appellauit. nam salem etiam ex ea fieri memoriæ proditum est. Ea siquidem palmari altitudine cõsurgit, similis lenticulæ, folio molliore & minori, insuper radice exili, gustu salsiuscula. Vuluis aptissima est ex rosaceo & lacte imposita, renumq; doloribus tribus drachmis. Cum eisdem uulnera ad cicatricem reducit. Bibitur in strãguria renumq; doloribus tribus drachmis, quomodo & sanguinem sistit. Excalfacit, & mediocriter resiccat. De cognato genere in anthyllide differendum erit. Anthriscus, ut Plinius ait, eadem erat quæ & scandix si tenuiora folia & odoratiora haberet, quapropter folio est scandicis, crassiore et minus odorato. Enthussicon in olere syluestri à Theophrasto ponitur. Athenæus & Plinius anthriscon maluerũt appellare. Peculiaris laus eius, q̃ fatigato uenere corpori succurrat, iamq; senio marcescẽtes coitus excitet, & alba fœminarum sistat profluuia.

Appendix spina. Cap. CXXII

Appendix spina Plinio dicitur, quoniam baccæ in ea rutilo colore pendeant, appendicesq; uocentur. Hæ crudæ, per se, & aridæ in uino decoctæ aluum citant, & tormina cõpescunt. De spina appendice nonnihil alibi diximus.

Aracoides. Ariana spina. Arianides. Armoracia. Arthritica. Cap. CXXIII

Aracoidem Aegypto peculiarẽ Theophrastus miratur, q̃ nec foliũ nec herbam ullam, aut quicq; aliud simile supra terram habeat: fructum autem in radice ferat, non ea quidem quæ carnosa & simplex altius infigitur, sed fibris quas per summa cespitũ agit. Idem de Aracidna tradit. Neutrũ, inquit, folia gerit, nec foljs quippiam simile, sed quasi binorum fructuũ partibus inter se oppositis fœcunda potius extant. Sunt & alia eodem authore pluscula supra terram cibo idonea in Aegypto maximè, & aracidna, & quod araco simile est aracoides. Plinius aracos appellat fructum. qui cum habeat radices ramosas ac multiplices, nec folium nec herbam ullã aut quicq; aliud supra terrã habet. Aracidna ergo & aracoides, si Theophrasto credimus, duo hæc pariunt sub terra, non minorẽ tubere, cuius pars carnosa radicẽ mittit

altam atq; craſſam, cæteras uerò quibus fructus inſidet, graciles atque multas, & ſummo ceſpite cohærentes agit, nec folium nec herba ulla aut aliud quicq; ſupra terram cernitur. Loca modice arenoſa diligunt. Quia porrò geminum & utraq; parte fructum ferunt, amphicarpa cognominãtur. Ariana ſpina ab Aria regione Indis contermina dicitur. tota aculeis horret, lachrymæ ploratu myrrhæ ſimilis, tum uiſu tum etiam olfactu. Profluit ubi ſol illuxerit. Eiuſdem regionis alumna eſt & arianis, herba ignei coloris, quam Democritus legi iubet cum ſol Leonẽ permeat, ut eius tactu peruncta oleo ligna accendantur. Aria nidem gigni in Arianis Plinius tradit, igneam colore, colligi cum ſol Leonis hoſpitiũ tenet, cuius tactu peruncta oleo ligna accendantur. Theophraſtus refert cõterminam Indis gentem Arianam, cuius ſpina lachrymarum pretioſa, myrrhæ tam uiſu q; olfactu ſimilis, acceſſu propter aculeos anxio. manat ea cum ſole illuſtratur. Armoraciam Latini, Græci cheriã uocant, põtici armon, alij leucon, officinæ *rapiſtrum*. ſylueſtris eſt raphanus, fronde copioſior q; corpore, folio leui, rotundo ac breui, radice tenera, exili, longa, ſaporis acuti. Plinius ſylueſtri læuia quidem folia tribuit, ſed breuiora ac rotunda, copioſaq; atq; fruticoſa, ſaporem aſperum & medicamẽti inſtar ad eliciendas aluos. Probatur magis quibus caules in initio rotundiores craſſioresq;, ac longis canalibus, folia triſtiora & angulis horrida. Plinius Arcadicum omnibus prætulit, quanquam & alibi naſcitur, utilius urinę duntaxat eijciendæ, cætero bilem detrahit: & item cortices in uino ſtomachum purgant, pituitam extenuant, urinam concitant. Sed & hodie ſeritur, ad deturbãdos calculos & urinam ciundam. Aeſtiuoſum in Italia, & armoraciã uocant ſatiuam. Arthritica, recentioribus nonnullis articularis, duorum traditur generum: unum folijs nigricantibus ternis aut quaternis, in terra ſeſſilibus, rugoſis, magnitudine inter uiolam et uerbaſcum, è quibus medijs ſtylus exilit tenuis, longus, colore in pallidum languido, in cuius cacumine bini terni ue flores dehiſcunt lutei, penſiles, turbinati, ſummis labris denticulati, nec inodori, calyculo in album palleſcente. Ii primo uere ſtatim emicant, certiq; appetentis huius nuncij. quare herba officinis *primula ueris* dicitur, ruri *cuculi brachula* aut *primiueria*. Prouenit in opacis & humidis. Ego hanc luteæ uiolæ genus quoddam eſſe crediderim, cum ſit primũ ueris munus, folio bãcharis, multo uiola latiore, uerum flore minus odorato. Quo in genere etiam ſatiua inuenitur, non diſſimilis priori, luteolo colore. ijs non parua coronis uernalibus tribuitur authoritas. Forſitan hæc Tuſculana fuerit uiola, cum haud longè plura de ea legantur. Ea cum cælũ ſilet, & tempus ſerenat, exitu hyemis necdũ exactis frigoribus erumpit, & ut prima uernas texit corollas, ita confeſtim fugax euaneſcit, in mediũ uer uix decorem ſuum prorogans. Vita ei cõplurimum menſtrua, nec temere ad ſummũ ſeſquimenſem excedit. Nec eſt ſimile ueri florem uſq; eo celebratũ, uernoq; coronatui tam frequentẽ, ſilentio diſſimulatũ. Cæterum permulta notiora fuerũt ueteribus, q; ut ab eis deſiderarent explicari, quorũ nobis notitia prorſus exoleuit. Nec deſunt qui phlomides coronarias eſſe cõtendant, ſed hæ quas nuper memorauimus notæ nõ conſentiunt. Alterũ genus *palatium leporis* appellant, q; ſubinde lepores ſub eius umbra lateant, cubitali altitudine, folijs fœniculi, ſine flore, baccis puniceis, radice numeroſa craſſaq;. utriq; eoſdem effectus aſſignant. Tritæ imponũtur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto ueſicæ renumq; infarctus expediunt. Ius herbæ propinatur & illinitur aduerſus rupta, luxata & liuentia.

Balſamine. Cap. CXXIIII

BAlſamínam Ligures Padani uocant, Hieroſolymítanũ pomum Hetruria, mirabile Gallia, uulgus *garantiam*, quoniã ſepti modo in hortis feneſtriſq; per cancellos opere topiario digeritur, de qua ne uerbũ quidem priuatim apud ueteres habitũ inuenio. Ea tenuibus prę lõgiſq; flagellis ultro citroq; reptantibus euagatur, folijs uitis albę, articulatioribus, exilibus pãpinis, ex alarum ſinu prodeuntibus, quibus illigantes ſeſe cãcellatim uicinis implicant ſtatuminibus, flore cucumeris ex albo in luteũ lãgueſcẽte, turbinato utrinq; fructu, carnoſa cute & per uerſus uerrucoſa, ac rigidioribus bullis intumeſcente, cucumeris puſilli uel citrij ſimilitudine, malo uerius ac tubere q; grandi bacca, aut folliculo: aureus maturo colos, cartilago intus puniceа uel lutea, ſanguineusq; ſuccus. Pomũ maturitate diſſilit, inanitasq; contracto patet, ſemina intus aliquot lenticulæ figura cõtinens, ruberrima, ex quibus oleũ exprimitur, ad

uulnera

uulnera præcipuum. Aliqui pomum oleo prius imbutum aliquot dies insolāt, deinde uel fimo uel terra tantisper obruunt dum prorsus intabuerit, sic balsami uires glutinandis uulneribus adsciscere pollicentur, inde tractum balsaminę uocabulum. *Mirabile pomum* Gallis dicitur, quòd uel pulchritudine sua uel insolita nouitate conspicientes in admirationē sui trahat. Nec sunt nunc prætereunda silentio *melensana* uulgo uocitata, quasi dicant mala insana, de quibus iam nihil ueteribus fuisse scriptum desino mirari, ꝙ multa huiusmodi reperio: sicut permulta quondā fuere, quæ hodie uel ignorantur, uel certe non habentur. Galli *amorum poma* nominant. Mala ergo insana è frutice uulgari dependent, qui personaceam frondibus & caule prorsus æmuletur. is passim nascitur foliis prope ficulneis, flore oblongo, speciosо, cādido, fructu pomi magnitudine, in orbem absolutum circinato, colore uel puniceo uel niueo, in quibus cartilago granis intercepta cucumeraceis continetur, quæ edendo sit. Estur uulgo pomum ex oleo, sale, pipere, fungorū modo coctum. Alij ubi paulum inferbuit igni in orbiculos uel taleolas digerūt, & in acetarijs ex oleo uel pipere & aceti momento mādunt. Salgamarij in muria acida seruant, cibo per hyemē & uer ori nō ingrato, sed tamen qui ægrius coquatur. Eodē gaudent cultu quo cucumeres & melones. In hortis apud nos serūtur, sed frequentius in fictilibus, ut fenestrarū pensiles hortulos exornent. Quur *amoris pomum* appelletur nostris haud scio, nisi forsitan ꝙ elegās & perpulchrū placeat, & ita dignū quod ametur.

Bellis uel Bellius. Cap. CXXV

BEllis qui & bellius dicit, flos est pratēsis, pastilicātibus quinquageniſquinis barbulis coronatus. Duorum generū est, maioris & minoris discrimine insignis. minor bellius in pratis nascit, flore albo, aliquatenus rubente, quinquageniſternis tantum barbulis circinato, folio pingui, in terra iacente, in rotundum oblongo, leuissime serrato: syluestris floris calyculis simplici foliorum cōstat ambitu, emaculato candore, unde Galli *margaritam* uocarūt. Iam & in hortis seritur, sed flore multiplici, barbularū stipatu densiore. In satiuis plericꝙ & punicei & uersicolores flosculi spectātur, sed omnes sine odore. Hæc trita cum artemisia strumas efficacissimè cōpescit. In officinis *minoris consolidæ* titulo demonstrat. Hybernis quocꝙ nascens coronis hyeme tota prouenit, primus etiā ueris flos, in Italiā ex occidente, ut quidā existimant, conuectus. Laudatur ad podagras, ischiada, & neruorū resolutionē, unde nōnulli eam *paralysim* uocāt. Maior bellis procerior assurgit, folio nō admodū diuerso, altioribus tantū crenatūris laciniato, cauliculis tenuibus, surculosis, cubitum altis, flore priori nō dissimili, maiore, paucioribus tantū barbulis mediū luteū in orbem cōcinnè cingētibus. Flos quoniā à longinquo cōspicuus est *paradelos* uulgo nominatur, rura nostra *grandem margaritam* appellāt, officinæ *consolidam mediam*, ꝙ uulnera glutinare credatur. Nōnulli, ꝙ flos orbē oculi uidea tur imitari, *buphthalmum* & *bouis oculum* nomināt, sed perperā, cum oculo bouis foliū fœniculi tribuatur: huic prępingue latumꝙ foliū minime ut fœniculo in capillamenta extenuatum. Hallucinātur qui belliū uulgo *leonis dentem* dictū interpretentur, quē non quinquagenæquinæ, sed plusꝙ centenæ coronāt barbulæ, non cādidæ sed luteæ, semine pullo in auras euanescente: bellio, albæ luteū uerticem circūdant, qui à multis semen intelligitur. Porrò qui *antipatrem* uulgo dictū rētur esse, liquido fallūtur, cū sit antipater surculosus & flore luteo, quasi cunilaginis, minore. folia roriſmarini, latiora, minus que longa. Huius illa proprietas, ꝙ flores pòst nascentes altius attollūtur ꝙ prius nati, *Christophorianam* & *oculum consulis* nōnulli uocant, officinæ *filium antepatrem*. Cęterū impiam non esse antipatrē plerisꝙ reclamātibus notis, in peculiari eius mētione docebimus. Multū quocꝙ uident à ueritate deficere, qui belliū maiorem halū aut petræum symphytū dici putant, cum halus surculosus sit, ramis tenuibus origano similibus, capitulis thymi, totus odoratus, gustu dulcis, saliuā ciens. Multa sunt inter utrancꝙ discrimina: primū bellius maior inodorus est, halus totus odoratus: flos bellio anthemidis uel chamęmeli, halo capitula insunt thymi: bellius maior simplici thyrso prosilit, halus multis tenuibus ramis origano similibus brachiatur.

Blattaria. Boleti. Cap. CXXVI

BLattaria uerbascum ita mentitur ut sæpius pro eo fallat, foliis minus albis, pluribus cauliculis, luteo flore. Plinius similem uerbasco facit herbam, quæ sæpe fallit pro ea capta, foliis minus cādidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hęc abiecta blattas in

blattas in se cõtrahit, ideoq; Romæ blattariam uocant. nomen itaq; latinum à colligendis in se blattis adinuenit. Boleti ut incerti sunt generis, ita profecto et ancipitis cibi, palato tamen gratissimi. Vt nascatur, albicantẽ uoluam prius terra gignit, ipse postea eo inuolucro, ceu in ouo luteum, claditur. Nec tunicæ minor gratia infantis boleti. hæc eo nascente rumpitur, mox adolescẽte eo in pediculi corpus absumitur, raroq; uncq; geminis ex uno pede. Ex limo mãdentis terræ acido humore boleti concrescunt, ideoq; originem primam causamq; acescẽti succo soli Plinius assignauit. Cuius rei argumentũ sumi potest, q; initio spuma lentior appareat, dein corpus membranæ non dissimile, mox partus striato galericulo petasatus. Venenosi deprehendũtur colore, extrà luteo, intus plumbeo, aspectu barbaro, rancido habitu, hiulcis canaliculis, lurido per ambitũ margine, aut summo pallescente labro. Improbantur ad hæc aridi, uitiliginosi, qui præsertim guttas in uertice cãdidas, nitri similes ex tunica gerunt. Perniciales habent si clauus, si ferri aut chalybis rubigo, si panni marcor adfuerit, nam omnem illico succum alienumq; saporem in uenenũ decoquunt. Exitiales quoq; noscuntur, si serpentis cauerna iuxtà fuerit, aut si patescentes primo adhalauerit, capaci uenenorum cognatione ad uirus accipiendum. Boleti oriuntur omnes & occidunt intra dies septem, quapropter inter ea quæ temere manduntur boleti merito reponuntur.

Bupleuron. Bupresti. Butomum. Cap. CXXVII

Bupleuron olus sponte nascens, caule cubitali, foliis multis longisq;, musserio anethi. Plinius in sponte nascentiũ herbarum numero Græcis haberi tradit, caule cubitali, foliis multis longisq;, capite anethi. Laudatã in cibis, Hippocrati & Nicandro in medicina. Semen contra serpentes ualet. Folia adsecundas fœminarũ, uel succum ex uino linũt, & strumis cum sale & uino. Radix contra serpentes datur in uino & urinæ cyundæ. Bupresti m Græci in laudibus ciborũ habuere, ijdemq; remedia tanq; contra uenenum prodiderũt. Et ipsum nomen indicio est boum esse uenenum, quos dissilire degustata fatentur: quapropter nec de hac plura dixit Plinius, nisi libidinis causa alicui expetenda uidetur, quã non aliter magis accendi putant q; potu. Verũ hæc de bupresti animali tradita potius q̃ de herba crediderim. Quòd si per imprudentiam in fœno uel herba latitãs deuorauerit, dissilire bouem memoriæ proditum est. Nam de equo tradit Hierocles, si fœno uescens bupresti m gustauit, distentus uentris dolore dissilit, quod & Pelagonius cõfirmat. Bupresti m cantharidũ generis esse nemo potest inficiari, quibus uenerem accendi omnibus est conspicuũ. Butomus frutex est palustris, caule inoffensissimo, peculiari quodã læuore, folio arundinis, angulari, fructu nigro, mali amplitudine, sexu duplici, mas fœcundus, fœmina uitiliũ ad nexus utilis. Pars abradice tenera manditur puerorũ cibo grata. Vbiq; fere in paludibus nascitur, quanq; humore & terra gaudeat, in Orchomenio lacu plurimus. Theophrastus folium ei reddit arundinaceum, angulare. Subdit, caulem peculiarẽ quandam sortiri æqualitatem, fructificare in lacu, malum fundere, magnitudine sidæ proximũ. Prodidit, in eo genere fœminã sterilem esse, ad nexus utilẽ, marem improbari, utrunq; Orchomenio lacu familiarẽ. Nomen inde tractũ putauerim, q; tam uiridis herba q̃ conditiuũ fœnum boues pascat, eiusq; sectiuo uicitent pabulo. Democritus in geoponicis est author, butomum in paludibus nasci, folia ferre irinis proxima, ex una radice nõ singulatim, sed ut frutices scaturiẽtia, quibus boues iucundè uescantur, unde nomen ei datũ. Vbicunq; prodierit, solũ excauandis aquilegijs idoneum fatetur: & ut addit idem Democritus, quibus in locis butomus, cyperus, arũdo, lætum gramẽ, & batrachion quod chrysanthemon appellãt eruperint, aquã subesse perennem aquileges affirmant. Herbarij & officinæ uocant hodie *iuncum cabacinum*, q; foliis eius tegetes & sportulę sicut & sparto texuntur. nanq; corbulas quibus ficus & passas uuas recondunt, *corbas* uel potius *cabas* solent appellare.

Cactus. Cacubalum. Cap. CXXVIII

Cactos, de qua Theophrastus & Plinius loquũtur, in Sicilia tantũ nascitur, suæ proprietatis, cuius in terra serpunt caules è radice emissi, lato folio et spinoso, quos uocant cactos. Nec fastidiunt in cibis desquamatos, gustu amariusculo, sed & seruati muria uel inueterati sale uescẽdo sunt. Vnum caulem rectum

rectum habet, qui pternix dicitur, & eiusdē suauitatis, sed uetustatis impatientem. Semen ei lanuginis quem pappum uocant, quo detracto ex cortice teneritas cerebro palmæ simi lis relinquitur, uocāt scaliā siue ut Plinius ascaliam. Athenæus in Theophrasto ascaleron legit, eius uerba citans, cuius iudicio facile subscriberem, mēdam in utroq; suspicatus. Ca ctus paucis hodie uel in Sicilia nobilis creditur, cum haud alibi temere nascatur sui gene ris planta: nam multicaulis uno tātum adsurgit, cæteri à radice statim procūbunt, lato acu leatoq; folio, fructu in quo lanuginosum semen, echinata specie horrido. Siculi quoniā in ea nihil non esset edule, singulis partibus singula dedere nomina. Enimuero sparsos in ter ra caules cactos dixerunt, solitariū illum erectum pternicē, partum ascaliā, cui desquama to teneritas eadē quæ palmæ. Ceterū ut uerbis utar Athenæi, quis non ijs notis suasus in trepidè dicat, cacton eandem esse quæ Romanis, qui nō procul à Siculis absunt, carduus nominatur, & cōspicuo reliquis Græcis cinara? Siquidē mutatis duabus literis cactos, & cardos in eandē uocem conuenient. Edendo fuisse cactum satis Epicharmus testatur, qui post olera asperas cactos obijcit, & idē post brassicā & lactucas statim cacton retulit. Phi letes Cous acutā cacton dicere solebat, q̄ spinis pungentibus horreret, quę cæteris quoq; Græcis authoribus cinara fuit appellata. Satis etiā liquet cacti uocabulū ad Italos & Gal los è singulorū cōfinio manasse, qui suo uernaculo sermone *articacton* uel potius *articalctum* appellitēt, uel recentem cacton innuentes, uel emendicato Mauritanorū articulo nomen interpollantes. Folia & cauliculos terra dum inalbescant obrutos *cardinam* nostrū appel lat uulgus, echinatū caput spinosumq; partū *articactum*, sed de eo in cardui mentione abun dè dictum est. Paulus cacton spinæ genus esse tradit, quam Dioscorides libro sexto uoca uit ixiam, cuius pappi recentes in cibo sumpti strangulāt: uericq; simile est, hāc esse cactum de qua Theophrastus, et fretus eius testimonio Athenæus Plinius q̄ loquuntur. Cacu balum quidā alio nomine strumū appellant, alij græcè, ut Plinius scriptum reliquit, strich non, acinos habet nigros. hoc solum nigri genus esse putatur. Folia trita cum aceto serpen tium ictibus & scorpionum medentur. Ex acinis cyathus succi cum mulsi duobus auxilia tur lumbis: item capitis doloribus cum rosaceo infusus. Ipsa strumis illita sanandis opitu latur, inde strumum nonnulli nominauere.

Calathiana & Caltha. Calcifraga. Cap. CXXIX

Calathiana munus autumni, uiolæ cæteræ ueris. ea minuto est folio, uiolę al bæ non dissimili, in totum sine odore, calathi similitudine, autumno tantum proueniens, tanta coloris pulchritudine, ut cæruleum ipsum quod imitatur prouocet. in pratis post æstatē emicat, autumnalē uiolam nominant. Cæru leas esse uiolas putauerim, aut quæ sint mihi nō constat, quas Galli *ancholias* appellant. eæ æstiuas nectunt coronas. Herba est pedali altitudine, folio in orbem angulo so, flore cæruleo, turbinato, semper inuerso, foris striato, luteis intus staminibus, inodoro, alioqui flos à coloratu cæruleo nomen trahit. Coronis additur tum ob coloris gratiā, tum ob speciei formā, qua dote & in hortis seritur, nullius in medicina usus. Inuenitur & palli dus. Rura q̄ floccum corniculata folia caligularū more dehiscant, *caligularum* nomine do narunt. Proxima superiori caltha est, concolori amplitudine, uincit numero foliorū mari nam, quinq; folia nō excedentē. Eadē odore superatur, est enim grauis caltha. Non leuior ei quam *scopam regiam* uocant, quanq̄ folia eius oleāt. Est itaq; caltha autumnalis uiola am plitudine calathianæ, colore luteo, folio multiplici, odore graui, nec ei quā appellāt scopā regiā leuiore. Virgilius eā luteolo cecinit colore tinctā, nec Plinius ab eo dissentit. Porrò à caltha calthulæ uestis genus dicit, ut à croci similitudine, crocotula. Facile putauerim eā esse quā uocant officinæ *calendam* uel *calendulam*, quasi dicāt calthā uel calthulā. nam ea au tumno fusius emicat colore luteo, folio multiplici, odore suauiter graui. flos itē colore lu teo nō ineleganti inficit aut crocato. Verū certo statui nō potest, cum alijs scorpioides ab similitudine seminis, alijs leontopodiū esse putet. Scio tamē calenduiā quæ uulgo dicitur *solsia*, nō esse Dioscoridis heliotropiū, nec magnū neq; paruū, q̄ illi flos effigie scorpionis nō semē tribuit: huic semē rotundū, uerrucarū more pendēs. ergo *solsia* quasi *solsequia* Gal lis dicitur. Ea simplici multoq; capillitio fibrata est, radice fruticosa, cauliculo dodrātali, li gnoso, folio angusto, longiusculo, flore speciosō, crocato, non ingrati quamuis grauis ali

quantum

quantũ odoris, qua dote uenit in coronamenta. non ſemen ſed uagina ſcorpionis caudam æmulatur. Prouenit in cultis. Adhibetur cõdimentis & acetarijs. Flos ex uino potus ciet menſes: item herbæ ſuccus, quo in dentium dolore os præſentaneo remedio colluitur.

Calcifraga Latinis, empetron Græcis nominatur, herba eſt ſeſquipedalis, geniculatis cauliculis, ſucculẽta, folio marini roris, niſi q̃ multo carnoſius et rarius, ſemine corymbis dependentibus, fœniculi effigie, floſculo luteolo, ſingulari radice, exili & breui, odore guſtuq̃ ſalſis. Perpetuo uiret, floret Auguſto. Naſcitur in maritimis, haud temere alibi q̃ nudo ſaxo. quo propius mari fuerit, minus ſalſa eſt: quo lõgius magisq̃ terrena, amarior ſentitur. Empetrum, inquit Plinius, naſcitur in mõtibus maritimis ferè in ſaxo. Quo propius mari fuerit minus ſalſa eſt, pota bilem trahit ac pituitas: quo longius magisq̃ terrena, amarior ſentitur, extrahit aquam. ſumitur autem in iure aliquo aut hydromelite. Vetuſtate uires perdit, recens urinas cit. Decoctum in aqua uel tritum calculos frangit. Qui fidem promiſſo huic quærunt, affirmãt lapillos qui ſufferuefiant unà rumpi. Siccaẽ in umbra iacens aut inuerſa pendens, aliàs cõtumaciter inareſcit. In puluerem redacta bibitur in mulſo, ad ciundas urinas, reſoluendosq̃ calculos. Strangurijs, ut tradunt, fere deploratis ſuccurrit. Vulgus noſtrum q̃ medijs erumpat ſaxis, *perforipetram*, Sanctones *rumpipetram*, multi *marinam criſtam*, quòd montium iuga & ſcopulorum crepidines ea ueſtitæ criſtentur, aliam tamen omnino ab ea, quam *cretam* appellant *marinam*. Frequens eſt in Maſſilienſi ora, neq̃ non in maritimo Sanctonum tractu. Acida muria ad ſeſquiannum uſq̃ cadis ſeruatur ad acetariorum uſus. Porrò apud Dioſcoridem quale fuerit huius herbæ folium, animaduerti nullo modo potuit, quòd corroſi hac in parte Græci fuere codices, ita ut in ipſo uerborũ textu ſpatiolum inane uacabat. Mihi tamen hallucinari uidẽtur, qui cuidam huius herbæ ueteri fidunt picturæ, notis omnibus ſupradictis apertiſſime reclamantibus. nempe cirris minutis potius quàm folijs per ramos ex interuallo conditis ſpectabatur, nec frequentibus. In cacumine ſurculorũ flocci ceu arentes potius quàm floſculi, ſubrubida radice non ſine fibris. Addunt, Romæ oſtenſam in maritimis ac montoſis, non rubida tamen radice, ſed alba, floſculis candidis. Cæterum calcifraga denſo caule & ſurculoſo, folio roſmarini ſed carnoſiore, ſemine fœniculi, in cacuminibus dependente flore luteolo, radice ſingulari, candicante, nullis fibrata capillamentis. Tota herba guſtu pollet ſalſo, longius à mari reſipit amarorem.

Canaria. Cantabrica. Cap. CXXX

CAnariam inuenerunt canes, qua faſtidium deducant, eamq̃ in noſtro conſpectu mãdunt, ſed ita, ſicut eſt Plinius author, ut nunquam intelligatur quæ ſit, etenim depaſta cernitur. Notata eſt animalis huius malignitas in alia herba maior. Percuſſus enim à ſerpente mederi quadam ſibi dicitur, ſed illam homine inſpectante nõ decerpit. Verum canaria humilis eſt herbula, folijs tritici, multo minoribus, calamulo tenui, geniculis pyxidatim cohærentibus articulato, interno/dijs modo tibiarum in ſe infarctis, quæ tracta ſuis à uaginulis exeruntur, euanida ſpicæ loco panicula, ita ut folio & culmo triticum, cacumine arundinem æmuletur. Noſtrates *herbam canis* appellitant, qua guſtata canes præſentaneam eliciunt uomitionem, ſic ut excuſſo rurſum uentris onere, uorandi moliantur auiditatem. Cantabrica in Hiſpania inuenta eſt per Diui Auguſti tempora à Cantabris reperta. Naſcitur ubiq̃ caule iunceo, pedali, in quo ſunt floſculi oblongi uelut calathi, in ijs ſemen perquam minutũ. Cantabricæ nomen dedit ea pars Hiſpaniæ quam hodie Biſcaiam uocant. Exilit paſſim propter uias, pedali ac iunceo caule, floſculis calathi figura, oblongis, in quibus exile ſemen, radice nigra, longa, digitali craſſitudine, folijs humi ſeſſilibus, longis, quæ non extollãtur à terra. hanc rura noſtra *colubrinam herbam* uocant. Traditq̃ Plinius, eius radicis drachmam in uini hemina ſæpius bibendam contra ſerpentium morſus. inde ruri nomen.

Caſſutha. Caucum. Cap. CXXXI

SEd mirabile ſatis nunc occurrit hoc loco non ſilendum, quòd quędam in terra gigni non poſſunt, & in arboribus herbisq̃ naſcũtur. nanq̃ cum ſuam ſedem non habeant, in aliena uiuunt. Huius generis eſt quæ à recentioribus Græcis caſſutha, ab medicis & herbarijs noſtræ ætatis *cuſcuta* uocatur. Hæc herboſis

herbosis fruticibus adnascitur, earum adminiculo fulta, radice nulla, sed uelut ab alarum sinu prodeunte cirro, capillamento ue miræ longitudinis, statim ab eius ortu sese ramulis conuoluente. quæ iam ueluti clauiculis nixa, sensim proserpens herbarum fastigia scandit, & crebris uoluminibus opere topiario per uertices rotata comas herbarum complectitur. ea uolubilis est natura. Nec ijs contenta, uicinos quoque frutices continuis implicat orbibus. siquidem gaudet summatim euagari, quos tam spisso sepius irretit contextu, ut tentorij modo herbosum cespitem uindicet ab sole. Nonnunquam cacuminibus impendens stirpes humi deturbat, propriamq; parentē suis laqueis strangulat, aut continuo materni alimenti suctu perducit ad tabem. Sæpe tanta eius luxuria est, ut mole tanta stirpes oneratæ procumbant, nanq; iustum fascem magnitudine uidimus æquare. hæc folijs uidua cernitur. Florem fundit album, semine quoq; scatet tenui. Cirri dilutiore rutilāt pura, nonnunquā ex rubro rufescunt, fidibus lyrarum crassamento pares. De hac nihil ueteres Græci quod adhuc inuenerim, memoriæ prodiderunt. Plinius in calce decimisexti uoluminis, cuiusdam consimilis herbæ meminit, quæ ut uiscum in aliena stirpe uiuit. hæc in Syria uocatur cassytas, non tantū arboribus, sed spinis conuoluens sese. Eandem esse, uel certe proximam fidem faciunt cum recētiores Græci, tum medici factionis Arabicæ principes, qui quadam usi linguę germanitate cassutham, unde *cuscuthæ* uocabulū neoterici uidentur declinasse, nominant, herbam fruticibus, herbis, & arboribus adhærentē & earum inuoluentē cacumina, in alienis stirpibus semper enatam, & incremento suo frutices pernecantē. Hanc forsitan ueteres græci quanuis triualē, eo nomine subticuerunt, quòd natiuas merito suæ parentis dotes adsciuisset, è sinu cuius uernaculum ebibens humorē, aleretur. Nam ut testatum ijdem reliquerunt authores, si calidæ insidet herbæ arbori ue, calidam sortietur facultatē: & si decubuerit frigidæ, uim sibi frigidam uendicabit. par est sic eam suæ parentis ingenium referre, nec à cōditione materna degenerare. Iam igitur memoria Plinij cassytas herba suo nomine Syriaco uenerat in Latium, quod multis postea seculis usurpantes tam Pœni quàm Arabes, suis scriptis protriuerunt. Eandem uticq; intelligi herbam constat, quæ cassytas Plinio, recentioribus tam Græcis quàm Pœnis cassutha, y, litera in, u, trāseunte ut sæpe fieri solet, appellatur, præsertim conuenientibus in deliniatione & nomēclatura citatis scriptoribus. Plinius tamen sine spiritu protulisse uidetur, nisi, quod ferè suspicor, inuertētes librarij mutarūt cassytas pro cassytha scribentes: sed id est minus quàm ingenia debeat distorquere. Officinis ubique hinc deflexa quadam pristini nominis umbra *cuscuta* dicitur, cum primum cassutha, dein conuersa cascutha, postremo cuscuta, cœpta est appellari. Sunt qui *podagram lini* uocant, quòd quasi compedibus id cui insederit illiget, nec uinctum eo facile possit explicari, uel ut potius dicā extricari. Cassutha quandam respit amaritudinem, quare cōiectam in uinum tantum uigorem adijcere tradunt, ut temulentiam bibentibus adferat. Eandē in primo calfacientiū absessu & resiccantium secundo recondunt. Quare abstergēdi naturā habet, & cum quadam astrictione participat roborandi. Iocineris impedimenta laxat, infarcti lienis expedit uitia, uenas pituitosis atq; biliosis exonerat humoribus, pellit urinā. Regio morbo subuenit qui iocineris obstructionibus cōtrahitur. Febribus ijs auxiliatur quę pueros male habent, sed usu nimio stomachum sua astrictione grauat. sed noxa tollitur, si anisi momentum adijciatur. Natura eius flauam bilem per aluum exigere, sed efficaciorem ut uolunt cum absinthio præbet effectum. Modus decocti uel iuris instar selibræ ex sachari sesquuncia. Vires cassutæ longè magis glisscere pollicentur, si parentis ingenium ei patrocinetur. Caucum quæ & ephedra, & ab alijs anabasis uocata, nascitur uētoso ferè tractu, scandens arbores & ex ramis propendens, folio nullo, cirris numerosa, qui sunt iunci geniculati, radice pallida. à reptili fruticum scansu, anabaseos cognomentū arrogauit: item ephedræ, à sessili positu, & quasi fulta ramis dependeat. Ea procul dubio est, quam rura nostra uocant *prelam*. Siquidem arbores in uentoso tractu complectitur, improbo cirrorum reptatu, proxima quæque uinciens, ab ramisq; dependens capillamento potius quàm folijs articulato, iuncea cuspide calamulis geniculatis, internodijs pyxidatim coeuntibus, radice pallida. Datur ex uino nigro austero trita ad tussim, suspiria, tormina, sorbitione facta in quam uinum addi conuenit. Hanc *prelæ* uocabulo quamoptime norunt artifices, qui expoliendis

domorum utenſilibus dant operam. Qui pectines exornant rudes, ea ſcabritiam omnem læuigare & tanquam ſcobina totam aſperitatem abolere experiuntur. In manuales faſciculos congeſta à ruſticis uenditur apud nos.

Cera. Cerinthe. Chryſolachanum. Cneorum. Cap. CXXXII.

CEra Theophraſto ſylueſtris eſt braſſica, quam alij petræam, alij erraticã dixerũt, Plinius ſpeciali nomine cramben, coma læui, parua rotũda, ramis foliiſq; permultis conditã, ſatiua candidiorem, ſucco aſpero & inſtar medicamenti amaro. Hæc eadem illa eſt quæ tot exercuit imo ferè occidit grammaticos, illo Satyrici ſenariolo uaticinãte, quantam crucem noſtris criticis olim poneret,

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Deprehenſum eſt ab Androcide eã uino aduerſari, crapulamq; coercere, quoniam iuxta uitem ſata eam enecet. Medetur inflammationibus, melancholicis quoq; ac uulneribus recentibus cum melle, ita ut ſoluatur ante diem ſeptimum. Ea medici quoq; alui deiectionẽ moliuntur. Eſt & cerinthe quę uocatur herba propter apes ſerenda, folio candido, in curuo, cubitalis, capite concauo mellis ſuccum habente. Hanc Virgilius ignobile appellauit gramẽ. Apibus gratiſſima traditur. Florum huius auidiſſimę ſunt apes, ideo herbam proxime alueario ſeri commodum fuerit. Ea uidetur eſſe, quantum mea fert opinio, quam rura noſtra *paſquetam* nominant, q̃ apum examina paſcat cum in capitula extuberauit. Siquidem cubitalis ei proceritas, folium candicans, inflexum, capitulum folliculare, concauum, dulci ſcatens mellígine. nanque ſæpius rore melleo madet. Tum protuberat, cum apes ad ſua pergunt mellificia. Chryſolachanum Plinius ab atriplice diſcreuit, in pineto foliis lactucæ naſci tradẽs, ſanare neruos inciſos ſi confeſtim apponatur. Et alibi genus chryſolachani tradit flore aureo, foliis oleris. Coctum eſtur ut ollus molle. Herba hęc alligata morbum regium habentibus, ut ita ſpectari ab ijs poſſit, ſanare id malum traditur. Stranguriam diſſoluit ſi bibatur ex uino & aqua. Aluum ſiſtit. De chryſolachano nec ſatis dici Plinius ſciuit, nec plura reperit. Nãq; hoc uitio laborauere proximi herbarij ſui, q̃ ipſis notas uelut uulgares ſtrictim & nominibus tantũ indicauere. Porro nuſquã non in cultis & hortis ſponte naturæ olus adoleſcit, quod frequentiſſimè pauperum menſas implet, præſertim cum cæteris oleribus deficiuntur. Siquidem id peculiariter eorũ iuribus innatat, non faſtidiendã habens gratiã. Noſtrum uulgus partim *chryſolanum*, perinde quaſi extrita ſyllaba chryſolachanum dicas, partim inuerſis literis *chraſalinam* appellat, officinę *minorem craſſulam*. cuius folia primis uitæ rudimentis cum adhuc ſilet caulis, in orbẽ ferè circinantur: uerum cum emicuit iam adulta, in acumen exeunt, & ima pediculi parte laciniãtur, cauliculo cubitali, lacte pauco madente, quibuſdam ramulis brachiata, flore luteo, auri colorem imitante, calyce paruo, in quo lactucæ ſemen cõtinetur, quam reliqua facie uidetur æmulari. De chryſolachano diximus in atriplicis mentione Dioſcoridis ſententiam interponentes, ſed atriplex aureo flore prorſus caret. Cneoron quod apud Latinos caſiam Hyginus uocat, frutex eſt coronarius. cuius duo genera, nigrum & cãdidum: hoc ramis permultis craſſis, ſurculoſiſq; ac lentis, ſtatim penè à terra fruticat, humilibus alioquí ſed odoratis, folio tenui, oblongo & quadantenus oleagineo: nigrum procerius eſt, folio tamarici carnoſo & inodoro. radix utriq; alte deſcendens. Germinant poſt Aequinoctiũ autumni, & diu florent. Theophraſto duo feruntur cneori genera: candidi, cui folium cutis modo quadam tenus oleaginum eſt: nigri carnoſum tamarici ſimilius, ſiue ut quidam, quos non improbo, legunt myrto. Candidũ magis humi ſe ſpargit & odoratũ eſt, nigrum ſine odore. Radix ambobus alta, prægrandis. Rami copioſi, craſſi, ſurculoſi, ab terra protinus aut paulo ſupra emicãt, admodum lenti, ut quibus ad uinciendum pro iunco utantur. Venere in coronamenta folio. Poſt Aequinoctium autumni germinãt atq; florẽ mittunt, qui diutinus in eis eſt. Hæc tota de cneoro Theophraſti ſententia eſt, Hygino apud Latinos caſiam interpretante. Dioſcorides cneorum & ceſtron uocari thymelæam prodit, at ego non ceſtron ſed cneſtron legendum arbitror, Hippocratis & Galeni, & codicũ ueterum fretus authoritate. Liparonis herbę meminit Aetius, & Alexandria ſic uocante, quam aliqui cneſtron inquit nominant, ad ulcera capitis manantia uehementer utilis: nec indicat is author qualis ea ſit.

Combretum

Combretum. Conferua. Conuoluulus. Cap. CXXXIII.

Combretum baccari simillimum traditur, nisi q procerius est foliorum exilitate usq; in fila extenuata. Hoc totũ cum axungia uulnera mirifice sanare.

Conferuam appellant à conferruminando, spongiam aquarum dulcium uerius quàm muscũ aut herbã uillosæ dẽsitatis atq; fistulosę. Frequẽs est in Alpinis fluminibus. Hãc præsentaneũ esse remediũ ad ossa cõfracta Plinius est author, cuius uerba subtexere nõ pigebit, Curatũ, inquit, ea scio omnibus ferè confractis ossibus prolapsum ex arbore alta putatorem, circundata uniuerso corpori, aquam suam inspergentibus quoties inarescceret, raroq; nec nisi deficientem herbam mutationis causa resoluentibus conualuisse, uix credibili celeritate. Porrò fluminum uadis enatans inuenitur conferta, floccosæ lanuginis densitas, fistulosaq; uillorum inanitas, spongiæ referens imaginem, quam cum adaucta rapidiore lapsu feruntur, expuunt in litus. uulgus *tofam mussu*, innuens muscosum aceruũ nominat. Nautæ qui in fluminibus uersantur, *fluuialem spongiam*, quòd spongiosa facie spectetur, malunt appellare. Conuoluulus improbo caulículorum reptatu quascunq; herbas irretit, hederæ foliis longè minoribus, & ferè in mucronem turbinatis, scansili ordine alternis subeuntibus, flore cum pubescit cãdido, lilij effigie, cum senescit in puniceum uergente rugatoq;, semine angulosо, nigro, nec per se innocenti. Flos ab angustia paulatim in latitudinem se laxat, effigie calathi, inde uulgus *campanulam* appellat. Non dissimilis lilio in herba quam conuoluulum uocant, nascens per fruteta, nullo odore, nec croci intus, candorem tantum referens, ac ueluti, ut Plinius ait, rudimentum naturæ lilia facere condiscentis. Iam *uolubilis* omnibus officinis dici cœpit, q crebra reuolutione uicinos frutices & herbas implicet. & quoniam flos lilij rudioris figuram præbeat, ob id *liliastri* nomen retulit. Folium ei pinnatum, nec similaci dissimile. Semen ei nigrum, triangulum in folliculis acinorum specie, qui numero tres habentur, conuoluuli maioris nomine.

Consiligo. Cornu ceruinum. Cyanus. Cap. CXXXIIII.

Plinianа ætas meminit herbam in Marsis repertam. Nascitur & Aequiculis circũ uicum Neruesiæ, uocatur cõsiligo. Radix huius herbæ quã nuper inuentã tradit Plinius, suum quidẽ & pecorum omniũ remedium prẹsens est, pulmonũ uitio uel traiecta tantum in auricula. Bibi debet ex aqua, haberiq; in ore assidue sub lingua. Superficies huius herbæ an esset in aliquo usu Plinio fuit incertũ. Columella aduersus pestilentiã ingruentem gregi præsens remedium cognouit radiculæ, quã pastores consiliginẽ uocant. Ea in Marsis montibus plurima nascitur, omniq; pecori maxime salutaris. Læua manu effoditur ante solis ortum, sic enim lecta maiorẽ uim creditur habere. Vsus eius traditur talis, Aenea subula pars auriculæ latissima circunscribitur, ita ut manante sanguine tanquã, o, literæ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus & ex superiore parte auriculæ cum factum fuerit, media pars descripti orbiculi eadem subula transfuitur, & facto foramini prædicta radicula inseritur: quam cũ recens plaga comprehendit, ita continet ut elabi non possit. In eandẽ auriculã omnis uis morbi pestilensq; uirus elicitur, donec pars quæ subula circunscripta est, demortua excidat, & minimę partis iactura caput conseruatur. Ouis quoq; pulmonaria curatur inserta per auriculã radicula quã ueterinarij cõsiliginem uocant. Sues nisi affatim satientur, fiunt pulmonarię. Is morbus optimè sanatur auriculis inserta cõsiligine. Hanc existimo ueterinarijs cœpisse dici pulmonariã, q cum pulmones uitium tẽtat, hoc remedio succurritur, uideturq; huic uisceri dicata. Cõsiliginem itaq; mulomedicis nunc pulmonariã dici testatur Vegetius. Verum quæ demõstratur apud nos pulmonaria, frutex aspectu tristi cernitur, caulẽ erigens squamosum, cubitalem, pollicari crassitudine, qui teretibus stylis ac ferè trientalibus brachiatur, mucrone septena uel octona folia spargente, breuibus nixa petiolis, saligna specie, uel canabina, per ambitum rariusculè serrata, sed uel è lacerto in formã expansæ manus radiatim expositа, mediis multo lõgioribus, ita ut quædã rudimenta digitorũ simulent. Omnibus ijs colos ex saturato uirore pullus inest. hoc habitu fere stirps immortali fronde pubet. At cum ineunte uere gestiens parturit, uelut herba secum paria faciente, quod ab una parte dempserit alio reddente loco, patulas fundit alas, digitali latitudine

tudine,quæ per extremum in fibras tenuiter foliatas crispentur,à sinu quarum exeruntur ramuli,diluto uirore languescẽtes, folia ferè plantaginis è luteo pallescentia. Summatim flos insidet herbaceus capparum non absimilis, candidis intus staminibus, apice minuto notatis,terna seminum loculamenta sepientibus. sed hæc ut oborta confestim emerserũt, ita breui tempore caduca contabescunt. Vulgus Gallicum *pomeleam* uocat,quasi pulmoneam.herbarij quidã *leonis patam*,pastoribus,bubulcis,equisonibus, totiq; ruri pręclare cognitam, qui ad eosdẽ quos ueteres consiliginẽ,usurpant effectus,Nanq; pulmonarijs pecudibus radicem,caules,stylos,impresso subula foramini ceruicibus adigunt,ut per uulnus tota morbi uis erumpat. Auribus etiam ferro traiectis inserunt, ad eliciendum pestiferæ luis contagium. eò loci prorepere morbi sæuitiã experiuntur, quo fruticem impegerint.Hęc à ueterũ placitis per manus tradita à recondentis sua secreta uulgi promptuario manarunt,& idoneos authores habent ex populo.Idcirco facile crediderim, quanuis nõ prorsus ausim affirmare, pulmonariã nostram ueteribus rusticis ac pastoribus consiliginẽ fuisse.quod & Vegetius in mulomedicina prodit,cum utriq; uires eędem respõdeant. Cœpitq; pulmonaria dici,quòd pulmonum uitijs præsens habeatur auxilium: inuenitq; posteris nomen à uiscere, cui præsertim nuncupatur. Consiliginem rustici ueteres olim uocarunt,quòd in campis inter siliginem triticumq; sæpius emicet. Qui de re ueterinaria scriptum aliquid reliquerunt,quantum coniectura capio,recẽtiores Græci,diapyron uocauerunt,quòd inter triticũ siliginem'ue frequẽter inueniatur. Cæterum Absyrtus & Hierocles huius loco ueratrũ nigrum eisdem infixerunt.cuius quandã esse speciem nonnulli suspicãtur.Sunt qui putant herbã hoc loco designatam telephium esse, quod non satis cõstat, ut in propria mentione docuimus. Non prætereunda est hac reputatione herba priscis uel ignota uel certe intacta, quæ à similitudine ceruini cornus nomen inuenit.Nascitur in limitibus tanquã pede calcari gaudeat,nunquã se ab humo attollens, quasi cylindro æquatã dixeris,ita solo ad hæret in orbem sparsa.Sunt qui sine flore,sine semine nasci putent,flosculum tamen in ea uidimus album, & semen in echinatis uulgis occlusum:nec multum dissidere puto ab ea quã Columella miluinum pedẽ appellauit, quòd folij extremum in miluini pedis effigiem articuletur.Conditur sale apud nos portulacæ modo, sed longè plura à coronopi mentione petenda sunt. In nomine est cyani colos, qui honorem nomenq; dederit cæruleo.Rosam cyanus excipit,cyanum amarãtus.Triuialis ut creditur flos est,in frumẽtario nascens agro, & hortis quoq; rusticorum & puellarum corollis,calyce rosarum,sed squaroso atque tristi, plurimis stipantibus cæruleis barbulis,unde partim à summa cærulei coloris gratia *blaueolos*,lingua nostra *blaueum* appellante cæruleũ. Pueri barbulas calycibus erutas ex candido oui liquore terunt,quo in pingendis grandioribus literis cærulei nitorem mentiantur. Italicis quoq; ruribus *baptisecula* dicitur, quoniã secantibus & metentibus officiat, retusa in occursu eius falce, nam & seculã ueteres falcẽ dixerunt.Flos rusticorum coronis quanquã inodorus inferitur, tum ob speciei formam, tum ob coloris gratiam.qua dote iam et in hortis feritur.Inuenitur et purpurei & niuei coloris cultus adulterio genitiuum colorem permutãte,alioqui semper flos,nisi culturę serserit mangonium,cæruleo nitet conspectu.Nullius in medicina usus.

Dios anthos.Phlox uel phlogium.Dodecatheos.Donax. Dryophonon. Cap. CXXXV.

Dios anthos. Plinius Iouis florem interpretatur, inodorus est, nec nisi coloris gratia coronamentis additus. Nam æstiuus is flos,& colore tantum commẽdatur,odor abest.Nanq; purpureo placet,quẽ Latium paradisi florẽ, Hetruria allisti appellat,Galli dei oculum,rura nostra *cocolurdas* nominant,caulicu lis incanis,calyce quadrangulo, purpureo bettonici flore aculeatis apicibus, foliis circa terrã frequentibus,semipedali lõgitudine, sesquunciali latitudine, mollibus ac lanuginosis, radice numeroso capillitio fibrata. Errare putem qui uiolã cognomento flãmeam,quę phlogion,aliquibus phlox appellatur,eandem esse cum Iouis flore scripserũt, quod apertissime liquet, nã flammea uere statim post purpureum emicat, syluestris duntaxat:interdum tepidioribus locis ubi cælum arridet clementius,nondum exacta hyeme, colore commendabili,odore nullo,semine proueniens coronis.Iouis flos licet sine odore sit &

sit & coronarius, obseraturq; semine, tamen æstate floret. Aestiuum esse Iouis florẽ Theophrastus prodidit, flammeam plurimum durare. Plinius Iouis florem tradit colore tantũ commendari, odorem abesse, sicut & illi qui à græcis phlox uocatur. Addidit, uernis floribus æstiuos succedere lychnidem & florem Iouis, quem ad gratiam coronarum tantum pertinere arbitrantur. Theophrastus urbanum esse & coronis tantum nasci docet, flãmeam syluestrem duntaxat. Violæ inodoræ genus esse putauerim, quam uulgus Gallicum *pensæam* uocat, folio mercurialis herbæ, per ambitũ crenato, caulículo triangulo, intus cauo, leuiter striato, ex interuallis geniculatim foliato, prodeuntibus ex alarum sinu pedículis longis, in quibus summatim elucent uiolæ, figura & specie purpurearũ, tribus flosculis superne latioribus, atra purpura saturatis, duobus inferne luteis, minoribus, quinq; uersibus exaratis, rutilo ignis fulgore nitentibus, unde putant aliqui flammeis annumerari. Iis decidentibus capitula protuberant seminis plena, qualia in purpureis uiolis spectantur. Ea etiam uere post purpureã emicat, syluestris duntaxat, quanuis etiam semine nascatur coronis, odore nullo quidem, sed commendato colore. Post purpuream uere prosilit. Ea quoque plurimum durat, ut quę prorogetur in autumnum. Nec alia de flammea inueniũ tur classicis authoribus memoriæ prodita, nisi forsitan ramuli & folia sunt odorata, flos inodorus. Dodecatheo folia septem lactucis símilia exeunt à radice lutea. Ab ea herbarum laudatissima, Homero teste, quam uocari ab aliis putat moly. Maxima, ut refert Plinius, authoritas herbæ quam dodecatheon uocant, omnium deorum maiestate cõmendantes. In aqua potam omnibus morbis mederi tradunt, item malis quæ membratim sentiuntur; neque non ijs quę totis corporibus grassantur remedium esse ante omnes potam dodecatheon inuenit. Folia eius septem lactucis símillima prodeunt ab radice lutea. Profecto hac effigie frequenter in dumetis enatam uidimus, uerum cum nec plura de ea tradantur, an dodecatheos sit non ausim adfirmare. Donax canna est omnium frutícosissima, nec nisi in aquatícis nascẽs, cacuminis torosi, fusca lanugine puluinati. Donacem omnium arundinum maxime frutetitiũ Theophrastus refert apud lacus & flumina prosilire, quonium & hæc differentia est multum prælata arundine, quæ in síccis proueniat. Galli *rosetum* nominant cannam in aquatilibus emergentem, geniculatam, cauis interno dijs, lanuginea, molli, ac plumea in cacumine panicula, qua tomenti uice pauperes implẽdis culcitris utuntur, foliis arundineis. Laudatur imprimis Cyprius donax, ut cuius cortícis cinere alopeciæ emẽdantur, & putrescentia ulcera. Folia cum melle trita impactos eius aculeos extrahunt. Vtuntur efficacius cõtra ignes sacros collectionesq; omnes. Dryophonum olus syluestre filiculam specie æmulatur, ramulis sesquipedalibus, quos circũdant utrinq; folia, pollicari amplitudine, rusco símilia, nisi quòd teneriora sunt, & cãdidiora, flore sabuci lacteo, semine gustu mordaci, unde eo uice píperis utuntur, coquũtq; caulículos in cibis admodum gratos. Dryophonõ Plinius dryopteri símilem fecit, caulículis tenuibus, cubitalibus, circundatis utrinq; foliis, qualibus & oxymyrsinæ, sed candidiori bus, mollioribus, flore cãdido sabuci. Edũt decoctos colículos, semine uero pro pípere utuntur. Nec hãc picturã alicui fauere magis arbitror quàm huic quã officinę nostrates *nemoralem* appellant *myrtum*, rusticis præclare cognitam, qui syluas accolunt, tenuibus caulículis, cubitalibus, ambiẽtibus utrinq; foliis quasi syluestris myrti, mollioribus & cãdidioribus, pollicari latitudine, flore albo sabuci, fructu acri, quo rura subinde uescantur, Isq; piperis loco rusticorum cibos cõdit, acremento ad morosum etiã palatũ faciente; à quo cum iniuerit gratiam, cœpit nõnullis hortis operose coli, sed difficile cõprehendit. Decoctos quoq; colículos cibis usurpant, nihil temere Græcorũ gula fastidiẽte, neq; rura hos quoq; repudiarunt. Gaudet Dryophonon cęduis syluis, et quercetis. Eo nostra scatent nemora, unde nomen duxit quasi syluę cędem dixeris. Sanè græci dryos uocabulo lignum omne, sicuti gerandryon ueterem quamcunq; arborem, quasi uetus ramale, significant. Siquidẽ acinorum succo dígitos & uescentum labra cruẽtat, & ueluti sanguinea tabe polluit. Officinæ quòd foliis syluestrem myrtum ut alterno situ filiculam imitetur, *nemoralem* appellant *myrtum*. Rura nostra *cusinos*, quasi culinarios, baccas nominare solent, quod iam uenerint in ganeam, gratissimo ori mandentium cibo, præsertim si edomita sacchari dulcedine acrimonia, præsententur.

Elatinè pampinaria. Elegia. Enneaphyllon. Eriphia. Eryſithale. Euphraſia. Cap. CXXXVI.

ELatine pampinaria, nam de alia ſupradictum eſt, ſi alia eſt ab ea quã noſtrates *pimpinellam*, aut potius *pampinulam* dicunt, germanum certe genus illi fuerit: utraq; enim helxinæ folia habet, puſilla, piloſa, rotunda, ſemipedalibus ramulis, quinis ſenis ue, ab radice ſtatim folioſis. Enimuero pãpinulæ folia latè crenantur, thyrſuli quoq; floſculis micant ex cæſio candicantibus. in quibus naſcuntur capitella rufeſcẽtibus punctis maculata. quę tametſi de elatine haudquaquam tradantur, in eo tamen genere poteſt eſſe, quando priſcis defuit cura omnes plantarum notas, differentias ue ſingulis in herbis anxiè conſectari. Nonnullis *bipennula*, & ruri *ſanguiſorba* dicitur, quoniã uulneribus iniecta ferrum & ſpicula facile ac citra ſenſum doloris exigat. folio paruo orbiculato, & extremitatibus ſerrato, ſurculis ab eadẽ radice pluribus, denſis, rubentibus, radice craſſa, lõga, ſubpurpurea. Eſtur in acetarijs quotidiè, ea iucundo peponis odore mirũ in modum cõmendans. Mandi tamen ſolet oleo, ſale & aceto parata, cuius cibi gratia nunc etiã ſtudioſè ſeritur in hortis: quanuis lucis et opacis, neque non etiam pratis affatim citra cultum erumpat. Pedum quoq; calcatu nobilis, quo preſſa peponis odorem in nares eiaculatur, qui minime olfactus ſenſum uibratus offendat, ſed quadam iucũditate recreet. Quibuſdam quoq; locis, ut ferunt, uermiculus eruitur, qui curatus ſericis præcipuè tingendis purpuram facit incomparabilem, cæteros colores ſplendore quodam & hilaritate ſuperans, inuentus ut alia quoq; multa caſu, excrementis gallorum ita coloratis. Nam et uſus purpurę, ſi Iulio Polluci credimus, ab Hercule uidetur inſtitutus, cõſpecto canis roſtro qui purpurã deuoraſſet infecto. Igitur purpuriſſum ex hoc uermiculo, *carbaſinum* à præſtanti amphitheatralium uelorum (ut exiſtimant) colore dicitur. Sed *carmaſinum* potius arbitror appellari, quoniam uermiculus is Punica lingua *carmes* uel adiecto articulo, *alcarmes* appelletur, quemadmodum & coccos. Poteſt & ab urbe Charmi, quæ Sardibus eſt, nomen accepiſſe coloris, quòd lanas inficere Sardibus cœptũ ſit, ut author eſt Plinius. De hoc uermiculo nihil apud ueteres inuenias. Vermiculum granum aquifoliæ fuiſſe poſteris arbitror, quod Plinio authore quibuſdam in locis uermiculi ſimilitudine conſpicitur. quem colorem noſtrates *uermelum* & *uermilium* nominant, faciem humanam eleganti rubore nitentem commendantes, uermiculatam roſæ modo dicimus, quaſi purpuriſſo rutilantem: & uermiculatam ueſtem ut quiſquiliatam, &, quod idem eſt coccineam, *uermiliam* aut *uermelam* uernacula lingua nominamus, detorto à uermiculo, ut conſtat, ſermone Gallico. Multis ut ferunt pollet uiribus. Folia cum polenta fluxiones oculorum ſiſtunt. Eorundem decocto dyſenterici liberantur: & quod obſeruauit poſteritas, eius farina uulnera ad cicatricẽ reducit. Eadem ex uino pota calculos terit. Folia carcinomatibus & fiſtulis proſunt. Succus bibitur cõtra ſerpentiũ morſus. Strangu ria decocta leuat. à cõtinente febri, ut uolunt, liberat. Succus ante tertianæ acceſſionẽ prę-ſumptus eã omnino tollit: ſed & phthiſicis præclare medetur, eius farina cum melle ſubacta in eclegmatis modũ, quod matutino lingant. Elegia arundinis genus traditur, humile, & contra aliarum naturam graminis modo in terrã ſparſum, cibo in teneritate animalibus gratiſſimo: maſculam ſolidam eſſe, fœminam uero inanẽ. Plinio eſt & obliqua arundo non in excelſitatem naſcens, ſed iuxta terram fruticis modo ſe diffundens, ſuauiſſima in teneritate animalibus. uocatur à quibuſdam elegia. Ea uliginoſis locis frequẽter occurrit. Enneaphyllon ſuo ſe nomine repræſentat, nam folijs nouem longis conſtituitur. Vſq; ad exulcerationẽ æſtuoſa ui ac feruente. Enneaphyllon Plinio folia nona habet, cauſticæ naturę. In lumborum doloribus & coxendicũ imponitur utiliſſimè, lana circundata ne urat latus: cõtinuo enim puſtulas excitat. Eriphia ſeptem lanuginoſis ramulis apij modo foliatur, purpureo flore, & eo quidem perenni, ſemine fabaceo, totidem radiculis quot ramis, Eriphiam magi prodidere in auena ſcarabeum habere, ſurſum deorſumq; decurrentem cum ſono hædi, unde nomen accepit. Hac ad uocem præſtantius eſſe nihil tradiderunt. Vidimus in editiſſimis montibus inter ſaxa herbam apij folijs, ramoſam, leui lanugine pubeſcentem, purpureo flore adhuc exitu autumni & per hyemis initium emicante, ſemine fabaceo, ramulis pluribus, foliatis, rubentibus, radice craſſa, longa.

Sed

Sed non animaduerti, si tot radiculis fibrata esset, quot est ramulis brachiata, eam tamen crediderim ranunculi genus esse, quod flore purpureo à Dioscoride notatur. Erysitha/le foliis est acanthi, luteo flore. Datur in uino contusis & euersis. Euphrasiam officinæ obseruant hyssopo similem, cauliculis purpureis, folio paruo & per ambitum serrato, flosculo albicante. Nascitur in apricis collibus. Vtuntur ea ad oculorum caligines & suffusiones, uel per se imposita, uel ex uino decocta. Nomen ei uidetur inditũ, quòd læti/tiam pariat, aut animi uoluptates augeat. Appellatio satis græcam testatur originẽ, quan/uis apud ueteres de ea nihil scripto relictum est. Nostri recentiores herbarij euphrasiam pampinulæ similem fecerunt, folio tantum minore ac magis serrato, & lentiusculo, minus fruticosam, flore luteolo, præcipuæ claritatis ad omnia uitia oculorum. Veteribus incom pertam existimo, etsi græcam nomenclationem fateatur. quemadmodum & illam, quam nos ceratophylacem uocandam putamus, quia partem oculorum ceratoidem, hoc est corneam defendat, salutiq; percussam restituat, foliis seriphij, uel potius roriſmarini, aut lini quoque, capitulis arentibus, cirris subluteis. Hæc à uulnerarijs cartophilago cor rupte pro ceratophylace dicitur.

Farranum siue farfugium, Flammea uiola, Fraga. Cap. CXXXVII.

FArranum siue farfugium Latinis herba nymphææ nõ absimilis, populi fo/lio, sed ampliore, flore tum luteo tum candido. propter flumina prouenit. Græcis chamæleucen uocari Plinius existimat. Nascitur secus fluuios, fo/lio populi, sed ampliore, unde *populago* dicta sit herbarijs. Radix eius impo/nitur carbonibus cupressi, atq; is nidor imbibitur in ueteri tussi, aut similiter hauritur, contra spiritus in faucibus colluctantis strangulatus. Hanc & farfariam dici Dio scorides testis est, fortasse à Farfaro amne, quem Virgilius Fabarim appellat in Sabinis. Huius meminit Plautus inquiẽs: Dissipabo te ut folia farfari. & item in Pœnulo: Prosper/nebam, inquit, eos ut folia farfari. Chamæleuce Plinio tussilago est. Vbi enascitur aquas subesse Democritus credit, & hoc habent signum aquilegi. Cæterum in uliginosis pratis inuenitur herba, folio ferè nymphææ, radice multis fibrata capillamẽtis, flore rosæ luteo, nitente. flores Gallicum uulgus *pratenses bacinos* appellat. Porrò chamæpeuce non chamæ leuce, ut ferè habent Græci codices, apud Dioscoridem legendum arbitror, quoniã chamę leuce bechion sit & tussilago: chamæpeuce uerò, apud Plinium laricis folio similis osten/ditur, lumborum & spinæ doloribus propitia. Dioscoridi herba est coloris herbacei, folio pusillo inflexa, inflexis item & ramulis, flore roseo. Nomen inditum ei putatur, quòd qua si humilis pumila uue larix appareat. Flammea uiola, quæ græcis phlox & phlogion dici tur, flos est coronarij generis, folio & ramulis odorata, uiola inodora, sed colore flammeo coronis adoptata: colore commendabili, odore nullo, semine prouenies coronis. Prima se ostendit florum uiola alba. Sub idem ferè tempus exit & uiola cognomento flammea, eademq; plurimum durat. Qui colos in nuptialibus flammeis quæsitus ritu antiquissimo, & fœminis totus concessus traditur: ideoq; fortasse non numeratur inter principales, hoc est communes maribus & fœminis, quoniam coloribus societas principatum da/bat. Cæterum hodie *flammulam* dicunt herbam in terra serpentem, foliis longiusculis, flore uiduam, semine thyrsulos ambiente, ui urente & æstuosa, unde illi nomẽ: itaq; recen/ti utendum censent ad phagedęnas, cangrænasq; addito salis momento. item lepris & im petiginibus imponitur. Collectiones ex oleo trita aperit. Teritur eadem cum rosaceo, & insolatur triginta dies, ad renum dolores, & lotij stillicidia, neq; non cætera urinæ tormen ta, seu eo cibũ intingere uelis, seu corpus illinere, siue subter in aluũ dare. Fuere è recẽtiori/bus, qui flammulã uocauere herbã in salictis nascentẽ, quę salicastrũ nominat, folio duro cinericei coloris, uiticulis callosis, rubẽtibus, qualiter flos quẽ flammã Iouis appellamus, in uiolis ferentẽ semẽ punici mali simile in acinis, cõtra hominũ et quadrupedũ scabiẽ effi cacẽ. Herba quę fraga gerit, sine caule spargit humi, multis à radice lanuginosis pedicu/lis, quorũ alij flore candido coronãtur: alij trigemino comãtur folio, per ambitũ serrato at/que uenoso: alij fructũ gerunt exiguis quidem moris haud absimilẽ, cæterũ sui generis, so lidum, callosum, tenerum, rubentem, tũ gustu tum etiã odore suauissimũ. hunc Galli *fresas*

dicunt,radice foris atra,intus candida,multo fibrata capillitio. Nascitur in opacis sponte quasi aliarum plantarum umbra gaudeat: iam & in hortis, ut grandiorem fructum ministret. Perpetua fronde uiret. Iam in cultis fraga tanto uidimus profecisse, ut corporis callo mora quæ in rubo nascantur, suo æquare globo cernantur. Nonnulla etiam diligentia cultus è rubris in candida degenerant. Virgilius Humi nascentia fraga cecinit. Commendari quinquefolium fraga terrestria gignendo Plinius existimat. Ego id qui uerũ esse possit nõ intelligo. nam herba ea quæ fraga gignit, trifolia est non quinquefolia, flore candido non luteo, in montibus opacis frequens, etiam secus uias. Fructus terrę, & mora terrestria Seruio grammatico dici legimus. Nec scio usquam loci sub frutice uel herba apud Dioscoridem posse comprehendi, nisi fortassis sub Idæo rubo, qui passim cum in lucis tum in Ida monte tenerior & sine spinis emicat. siquidem neq; folio, neq; fructu dissidet à rubo, quem uulgus nostrum *framboesiam* appellat, ita quasi pumilus & humilis, sed spinis uiduus rubus conspiciatur. Quinetiam utriq; consimile morum & hoc quidem rubẽs appendet. eadem effigies, idem color, germanusq; sapor, qui mirum in modum os commendet. Ita cum uinum à sapore laudamus, olere fragum uel morum framboesianum uernaculo sermone nostro dicimus. Nec temere fragum hoc moro fugacius est, utrunq; tamen citam sentit corruptionis labem: quapropter facile febrim experiuntur, qui largius hoc fugiente cibo uescantur. Iam ad uires redeamus. Herba cibo sumpta medetur lienosis, item succus ex melle potus. Idem cum pipere candido datur suspiriosis. Fraga sitim sedant, stomacho prosunt, sed præsertim bilioso. Succus fragis exprimitur, uetustate uires accipiens, præsentaneo remedio ad faciei ulcera, oculorum suffusiones, neque non epiphoras. Radicis decoctum iocinoris feruores mulcet matutino & meridie potum. Calido siccoq; tradunt esse temperamento.

Galedragon, Gerontopogon, Gethyum, Geum. Cap. CXXXVIII.

Galedragon uocat Xenocrates herbam leucacantho similẽ, palustrem & spinosam, caule ferulaceo, alto, cui summo in capite inhęreat simile ouo. In hoc excrescente ætate uermiculos nasci tradunt: pyxide cõditos adallígari cum pane brachio ad eam partem, qua dens doleat: ualere non diutius anno, si terram non attigerit. hoc Plinius, Xenocratis fretus testimonio, retulit. Cæterum proximum genus quibusdã, nec multo dissimile, dipsaci creditur, caule ferulaceo, rubro, id est spinis horrente, procero, capite oui forma. quo adolescente intus gignuntur uermiculi dentium dolorem sedantes, si pyxide conditi & cum pane gestentur ab ea parte qua dolor uellicat. hoc perannare quidem, si terram non attigerit: anno circumacto, euanescere. Profecto caput dipsaci ouata specie conspicitur, quo arescente dissecto uermiculi reperiuntur, qui in folliculo brachio aut ceruici deligati à quartanis febribus liberare traduntur. Sæpe enim eadem herba à uarijs authoribus tradita diuersis nomenclationibus, perinde quasi diuersa, repræsentatur. Gerontopogon lagenis herba plerisque dicta putatur, quòd inter saxa gignatur, longa barba, foliis instar capillorum prælongis. Hetruriæ saxifica, Romanis petræ barba nũcupata. Gallia cispadana barbulam hircinam uocat, quod tragopogoni fere tota similis sit, nisi quòd lacte manet, & radice amara sit, non dulci. Gerontopogon priscis, id est senilis barba. A Nicandro geraos pogon, hoc est barba senis appellata, folio hirci barbulæ, tenuiore, longioriq;, caule paruo, super quem calyx longus & barbula quæ summo uertice senum more incana funditur, inde *presbyteri barba* uulgo dicit. Acetariũ olus esse multi falso uolũt. Flore luteo nitet, q in uolucres barbulas euanescat, quas pueri *barbã dei* nominãt. Sed inter senis barbã et hirci hoc interesse noscit, quoniã hirci barbula radice dulci, oblõga, in scapo calyx ingẽs, flos purpureus & prolixa barba: in gerõtopogo radix amara, flos luteus, in caulis uertice calyx lõgus, qui in canescẽtes barbulas fatiscat. Gerontopogon iocinorosis & stomachicis succo decocti poto prosicit. Renum uitijs & uesicæ succurrit. Ex aceto ciet urinas. Semẽ singultus sedat. Aluum sistit, & intestinorum inferctus explicat. Gethyum, ut est Theophrastus author, penè sine capite est, ceruicis tantũ lõgæ, & ideo totũ in fronde, sępiusq; resecatur ut porrum: qua propter & illud ferũt, non deponũt, mensibus Martio, Aprili, & Maio. Secũda semẽte post ęstiuũ solstitiũ defigitur. Decimo aut duodecimo die prosilit, sed è recẽti semine maturius.

Non

Non anniculum modo, sed & bimũ quoq; fructificat. Germinat è latere uno caule consurgens, sed quo radix ipsa deficiatur, foliis intus cauis, condimentarũ est & ceparũ generis. Gethyon minime durat. Plinius à Latinis pallacanam uocari tradit. Sunt è Græcis qui gethyllida pro gethyo acceperunt, quod & epithyllida uocauerũt. Didymus uir sua ętate doctissimus, gethyon simile fecit ampelopraso. Epęnetus Græcus author capitatũ porrũ gethyllida tradit appellari. Gethyllides, ut Athenæus inquit, Latonæ sacras esse Græci uolunt, quoniã olus id in malacia prægnans Latona (dum Apollinem gestaret in utero) concupiuisset. latã hinc esse Delphis legẽ, ut qui maximã attulisset gethyllida, sportulam è sacerdotis mẽsa caperet: uidisseq; se testatur Polemo gethyllidas rapi magnitudine protuberantes. Cæterum gethyon putauerim esse, quod docti cepulam, Gallicum uulgus partim *porretam*, quasi porraginem, partim *ciuetam* quasi cepitiã appellat, cepã capite minuto, cerasi tantũ lõgæ, porri modo, fronde copiosam, quã cõdimentis subinde detondeãt, in reliquũ cepæ uulgari nõ dissimilẽ tam forma q̃ effectu. Geum nõnulli eam esse suspicantur quam uulgus *Diaboli morsum* appellat. quod si ita est, sesquipedali fastigiatur altitudine, foliis buglosso leuioribus, solidioribus & leniter laciniatis, flore purpureo, radicibus nigris et circũrosis. Nascit in opacis, pręsentaneo remedio ad maturãdos atq; adeo sanãdos carbunculos, si trita imponat, aut uinum in quo decocta fuerit bibatur. Radix per se estur in uuluæ doloribus. Veteres gei sui radiculas odoratas faciunt, & iucundi saporis ad discutiendas crudităes, pectorisq; & laterum dolores, sed de hoc geo suprà disseruimus.

Heliathe, Hermesias, Hesperis, Heptaphyllon, Hibiscus, Holcus, Hyosiris. Cap. CXXXIX.

HEliathen uocant in Themiscyra regione & Ciliciæ mõtibus maritimis prouenientem, herbam folio myrti. hac cum adipe leonino decocta, addito croco & uino palmeo, perungi magos & persarum reges ad conciliandam corporis gratiam: ideoq; eandem heliocallidem nominari, quòd aspectu corpus iucundum redderetur. Hermesias ab eodẽ uocant ad liberos generandos pulchros bonosq;, non herbam sed compositionem è nucleis pineæ nucis tritis cum melle, myrrha, croco & palmeo uino: postea admixto lacte bibere generaturos magi iubent, & à conceptu puerperas partum enutrientes: ita fieri excellentes animo & forma, atq; bonos pollicentur. Apud Democritum inuenitur compositio quo pulchri, boni, fortunatiq; gignantur liberi, quam ut puto hermesiam cognominant. Hesperis uiolarũ generis est ramosa, cubitali caule & exili folio, quasi brassicæ longo latoq;, aspera lanugine, canescenti, ambitu rariuscule laciniato, flore quadrifolio, non unius coloris. nam alij purpurei sunt, alij niuei. Foliaceum semen tenuibus siliquis teretibusq; continetur. Hesperis noctu magis olet, inde nomine inuento. Scribit Theophrastus hanc, præter cæterorum florum naturam, noctu fragrantius spirare quàm interdiu, unde illi nomen hesperidi, nonnullis *herba gallica* dicitur, ruribus nostris *giroflæ* nomine cognita, quòd caryophylli odorem naribus repræsentet, longè uiola alba fragrantiorem, qua dote in coronamẽta uenit. sæpe enim sum expertus, florem appetente nocte plus redolere, ueluti nocturna cæli temperie ad odores conficiendos opportuna. Sunt qui hesperidem arbitrentur albam esse uiolam, odore quanquã diluto sit caryophylli, cubitali altitudine, ramosa, caule brassica exiliori, folio longiusculo, molli, canescente, quadrifolio flore, uerum non unius ut tradũt coloris, nam purpurei, alij candidi, alij lutei. Foliaceum semẽ tenuibus quidem, sed quincunc ialibus siliquis cõcipit. Sed Theophrastus seorsum, ut differẽtibus, uiolæ albæ, quę Græcis leucoion dicitur, & hesperidis mentionẽ fecit. Itẽ uiola alba caryophyllon tantummodo subolet, hesperis uiolento eius odore tentat nares. Heptaphyllon quasi dicas septifoliam, Galli *tormentillam*, rura *boscisouchetum*, officinæ *bistortam* appellant. quinquefolio herbæ similis esset, ni septem haberet folia, utrinque lanuginosa, flore luteo, radice punicea & intorta. Nam quæ *tormentilla* uulgo dicitur, quinquefolio simillima uisitur, nisi quòd septem non quinque caulem ferè certis interstitijs ambirẽt, quare potest à nobis heptaphyllon uocari, hoc est septem folia. *Bistortæ* quoque nomenclatura censetur, & altera rumicis folio, à terra cæsio, supra herbaceo, flore rubro, concoloriq; radice. Vtrique ad eadem effectus, sed huic imbecillior. Farina herbæ ex succo plãtaginis propinatur in difficultate

urinæ

urinæ. Eadem resperſu uulnera ad cicatricẽ perducit. Cum albo oui ſubacta & in figlino decocta datur cholericis. Foliorum uis deploratis quoque fiſtulis inſtillatur, neque non oculis ad diſcutiẽdas plumbagines atque nubeculas. De hibiſco diſcrepant ſententiæ, nam quidam ſylueſtrium maluarum generi tribuunt, atque althæam uel molochen & aríſtalthæam uocitant, cui iudicio Galenus ſubſcripſit: alij & ſpecie & medicinarũ uſu ſeiungunt, quibus Plinius aſtipulari uidetur, qui hibiſcum à paſtinaca gracilitate tantum diſtare ſentit, damnatum cibis, ſed medicinæ utile. Addit, paſtinacæ ſimile eſſe hibiſcum quod molochen agriam uocant, & aliqui pliſtolochiã. Vlceribus, cartilagini, oſſibus fractis auxiliatur. Folia eius ex aqua pota ſoluunt aluum, ſerpentes abigunt. Apum, ueſparum, crabonum ictibus illita medentur. Radicem eius ante ſolis ortum erutam inuoluũt lana coloris quem natiuum uocant, præterea ouis quæ fœminam peperit ſtrumis uel ſuppuratis adligant. Quidam ad hunc uſum auro effodiendam cenſent, cauendumq; ne terram attingat. Celſus podagris quæ ſine humore ſunt radicem eius in uino decoctam imponi iubet. Radix uiſci cum glutino & aceto acri lichenas ſanat. Holcus in ſaxis naſcitur ſiccis, ariſtas habet in cacumine tenues, culmo quale hordeũ reſtibile. Hæc circa caput adalliga/ta uel circa lacertũ educit ariſtas è corpore, quare nõnulli ariſtidã uocauerũt. Multi zeam eſſe contendũt inter ſaxa proueniẽtẽ. Alij ſylueſtrem eſſe uolũt auenã. Hyoſiris intubo ſimilis traditur, ſed humilior & tactu aſperior, uulneribus contuſa præclare medetur.

Iaſione, Illecebra, Impia, Iſchæmon, Iſos. Cap. CXL.

IAſione, Theophraſto olus eſt ſylueſtre, humi ſerpens, copioſo lacte ſucculentum, flore candido, & in hoc nobili quòd ſingulari folio cõſtet, ſed ita implicato, ut plura uideãtur, floris margine in angulos exeũte. Plinius olus eſſe ſylueſtre tradit in terra repens cum lacte multo florem ferre candidum, concilium uocant. Cæterum Plinius de folio herbæ loquitur cum inquit, Iaſione folium unum habet, ſed ita implicatum ut plura uideantur. De flore Theophraſtus, & ut eius uerbis utar, Iaſione flos folio ſingulari erumpit, ſed qui replicatu crebro rudimenta plurium demonſtret, conceptaculo auerſa parte non indiget, ſed poſtrema eius exeunt in angulos, qualis ferè oleagineus aſpicitur. Commendatur herba ad ſtimulandos coitus. Cruda & ex aceto pota lactis ubertatem præſtat. Salutaris eſt tabem ſentientibus. Infantium capiti illita nutrit capillum, tenacioremq; eius cutem efficit. Porrò non multum ab ea diſſidere putatur quam noſtrum uulgus *liſeronem*, rura *liſerotam* appellant: nanque ſerpit humi ramulis lacte prægnantibus, flore conuoluuli candido, frequentibus replicamentis intricato, labris ſummatim in angulos exeuntibus. Videntur quoq; nonnulla priſci nominis rudimẽta in Gallico uocabulo relucere. Nam & in Plinio laſione pro iaſione hacte/nus deprauatè legebatur. Illecebra, quę Græcis andrachne agria, nonnullis minus ſemperuiuum, recentioribus nõnullis ſoldanella dicitur, ſylueſtris eſt portulacæ genus, maiori ſemperuiuo ſimile, niſi quod folia habet puſilla, ſed latiora, maculoſaq; item breuius cacumen, fuluis caulículis, guſtu ſalſum, lacteo ſucco, radice tenui, cãdida. Naſcitur in petris & in ſterquilinijs. Colligit cibi cauſa, eſturq; cum ficubus. Succo bilem regio morbo laborantibus per aluum exigit. Ructus compeſcit acidos, uentris tumores & iocineris uitia leuat, urinam ciet. Eodem ægilopas Aeſculapius curauit. Impia Plinio uocatur incana, roriſmarini aſpectu, thyrſi modo ueſtita, inde alij ramuli adſurgunt ſua capitella gerẽtes. ob id impiã appellauere, quoniã liberi ſupra parentẽ excellãt. Alij potius ita appellatam, quòd nullũ animal eam attingat, exiſtimauere. Hæc inter duos lapides trita feruet, præcipuo aduerſus anginas ſucco, lacte & uino admixto. Mirumq; traditur, nunquam ab eo morbo tentari qui guſtauerit: itaque & ſuibus dari, quæq; medicamentum id nolueríint haurire, eo morbo interíre. Sunt qui & in auium nidis inſeri aliquid ex ea putent, atque ita non ſtrangulari pullos auidius deuorantes. Floret uere, tuncq; decoquitur ad ſerpentium morſus. Succo eius uel etiam cinere fiſtulas impleri tradunt. Ea ab officinis *Chriſtoculus*, à nonnullis ab radicis odore caryophyllon dicitur. Siquidem rori marino ſimilis eſt, albicans, & thyrſi modo ueſtita, cnici capitulis. Surculi ſua quoq; capitula gerentes, ex quo prodierè ramulo altius inſurgunt, unde herba nomen auſpicatur, quia ſcilicet liberi ſupra parentem attollantur. Iſchæmon ſerpit in terra milio ſimilis, foliis aſperis

aſperis & lanuginoſis. Thracia eam inuenit, qua ferunt ſanguinem ſiſti non aperta modo uena, ſed etiam præciſa. Farcitur in nares ad cohibendum inde ſanguinis profluuiũ. Quæ in Italia naſcitur, & ſanguinem ſiſtit eadem adalligata unde cruor manat. Nomen inde uidetur contraxiſſe, quòd ſanguinem undecunq; ruentem ſupprimat, conciſa nedum dehiſcente uena. Milium agreſte putant aliqui nominari. Iſos duplici, ut Theophraſtus eſt author, faſtigio, nigrum & candidum, flos fructusq; pro ratione diſcriminis niger, aut candidus: quanquam & medio inquit colore fructus quandoq; cernuntur, & flores in purpuram inclinantes, uirgis & folio tenuioribus atq; leuioribus. Itaq; tria eius ſtatuuntur genera, candidum, nigrum, & inter utrunq; medium. Illa fructum floremq; concolorem habẽt pro ratione diſcriminis: mediꝰ flos ex purpura candicat, item fructus, quando neq; fuluus neq; exalbidus. folia quoq; tenuiora læuioraq; habet, ramulis gracilibus & læuibus, nec de eo plura lego. In Aetio iſion dici quandam herbã uideo, cuius cibo pituita detrahitur, nec ſatis animaduerto an eadem ſit cum iſo. Alexander quoq; in problematis, ſi locus memoria non excidit, iſion herbam inter olera dinumerat.

Lamium, Lappa canaria, Lappago, Leontice, Leuce, Lupus ſalictarius. Cap. CXLI.

LAmium urtica Latinis dicitur mitiſſima & folijs non mordentibus, ab herbarijs *iners* & *mortua* nominata. ſunt qui & *archangelicam* cognominẽt, folijs urticæ pungentis, minoribus, fimbriatis, candidioribus, lanugine nequaquam mordaci, radice ex interuallo cincinnis capillata, caule quadrãgulo, flore albo, quare rura noſtra *albam* appellant *urticam*. Tota graui fragrat odore. Medetur cum mica ſalis contuſis incuſſiſq; & ſtrumis, tumoribus, podagris, uulneribus. Album habet in medio folio, quod ignibus ſacris efficaciter opitulatur. Quidam è Latinis tempore diſcreuere genera. Autumnalis radicem adalligatam tertianis, ita ut ægri nuncupentur cum eruitur ea radix, liberari morbo magi tradiderunt. Hoc idem contra quartanas pollere. Idem radice addito ſale infixa corpori extrahi, folijs cũ axũgia ſtrumas diſcuti, uel ſi ſuppurauerint erodi, cõpleriq;. Rura noſtra hac inerti urtica utuntur ſiſtẽdo ruẽtis è naribus ſanguinis impetu, imæ ceruici uel ſcapulis alligando, inde ſperant in aduerſum trahi cruoris manantis curſum. Lappa canaria à reliquis eiuſdem nominis ſola humilitate differt, ſic dicta quòd canibus adhæreat. Hæc cum plantagine & millefolio trita ex uino carcinomata ſanat, ſed poſt triduum reſoluatur. Medetur eadem ſuum morbis euulſa, & in colluuiem addita poturis uel ex uino uel ex lacte. Lappago (ut inquit Plinius) ſimilis anagallidi, niſi eſſet ramoſior, ac pluribus folijs, aſpera, rugoſa, aſperioris ſucci, grauis odoris. quæ talis eſt, mollugo uocatur: ſimilis, & aſperioribus folijs, aſperugo. Superioris ſuccus expreſſus pondere undecim denariorum in uini cyathis duobus datur podagricis efficaciſſimo remedio. Sunt qui colligant eandem eſſe molluginem & hippophæſton, quod lappaginem quæ dicatur mollugo. Articularijs pedum doloribus utilem Plinius credidit. Hippophæſton uero Dioſcorides neruorum cauſarijs ſalutarem adfirmat. Porrò hippophæſton ſerpit humi folijs minutis, aculeatiſq;, item ſpinoſis capitibus, ſine flore, ſine caulículo, craſſa & molli radice. Hanc neruorum cauſis utilem prodidit Dioſcorides. Hippophæſton è Narbonenſi Gallia ad nos delatum uidimus ſpinoſis capitulis, ſine flore, ſine caulículo, minutis inter aculeos folijs candicantibus. Leontice ſiue cacalia Plinio uocatur ſemen margaritis minutis ſimile, dependens inter folia grandia in montibus ferè. Huius grana quindecim in oleo macerantur, atq; ita aduerſo capillo caput inungitur, ad tollendã porriginem. Officinis *carui agreſte* dicitur, fruticoſa, ſemine minutis margaritis ſimili, inter folia magna pendulo, in montibus ferè genita. Cit urinas pota, menſtruos curſus pellit. Herbæ ſuccus trium obolorũ pondere ex paſſo bibitur in renũ dolore. Radix tuſa thoracis pituitas diſpeſcit, quod efficacius præſtat ambuſtæ cinis. Dioſcorides leontícen folijs grãdibus candidis deſignat, caule in eorũ medio erecto, albicante, flore querno, oleaginoue, in montibus naſcentẽ, cui alias à ſuperioribus tribuit uires, nec ſemen exiguis margaritis ſimile omiſiſſet, ut ſpero, ſi decuſſo flore erupiſſet. Caliã caucanon Galenus uocauit, de qua ſuo loco diſſeremus. Leuce mercurialis eſſet, niſi per medium folium huic alba línea tranſcurreret, unde & meſoleucon quibuſdam dicta. Leu-

cta. Leucas eadem fortaſſis fuerit leuce, ut Plinij uerba uſurpem, uerum leucadis, inquit, ſpeciem authores non tradunt. De leuce uero, mercuriali herbę ſimilem dicunt, nomenq; ex cauſa accepiſſe, per medium folium candida tranſcurrēte linea, quare meſoleucon quidam uocant. Succus eius fiſtulas ſanat, ipſa contrita carcinomata. De leucade nihil aliud Dioſcorides tradit quàm montanam eſſe, latioribus quàm urbana folijs: efficaciorē hanc, ſemine acriore, utranq; aduerſus omnia uenena præſertim marinorum pollere. Leucographis qualis fuerit ſcriptum Plinius non reperit, quod magis eſt mirandum, quoniam utilis proditur ſanguinem excreantibus tribus obolis cum croco: item cœliacis trita ex aqua & appoſita, profluuio fœminarum, oculorū quoq; medicamentis, & explendis ulceribus quæ fiunt in teneris partibus corporis. Nomen tamen à candida litura uel uerſu ſibi uendicaſſe græca fatetur inſcriptio. Lupus ſalictarius officinis *lupulus*, Gallis quæ uocabuli caput eſt in ſpiritū uerſa *hupelon*, caulibus aculeatis lōgiſſimisq; in uepribus & ſalictis reptat, foliis uitis albę, hiſpidis, & nigrioribus, flore cinereo ac multis exilibus folliculis ſquamatim compactili. Hoc frugibus admiſto Germani ſuā cōdiunt ceruiſiā. Errāt qui corrudam pro eo capiunt, quem medicorum officinæ *lupulum* cognominant, foliis apertiſſimè reclamantibus, quæ in corruda capillamēti modo tenuata, in lupulo bryoniæ ſimilia, pallo aſperiuſcula cernuntur. Caulis ei ſpinis horret, cacuminibus tani & corrudæ modo in torulos turbinatis. Flores habet foliaceos, candicantes, qui ferè allium uinumq; ſuboleāt. hanc uulgo Græci bryon uocāt, à bryoniæ ut puto ſimilitudine. *bruſcandulam*, quaſi bryon ſcanſile Italiæ rura dicunt. nec alia eſt herba qua Occidentis populi ceruiſiam ſuam maceratis humore floribus commendant, ſapore quodam uini. *Hubelon* Gallice uocatū, *humulum* & *tolophim* Germanicè, ego lupum ſalictarium à Plinio dictam cenſeo. Subit etiā ſcandítq; ſalices, & arbuſta omnia circumuoluendo ſe complectitur, nōnuſquam quoq; reptitius lupus uocatur hodie. Lupum ſalictarium, batim marinam, batim hortenſianam ea uerius oblectamenta quàm cibos tradit Plinius: teneris tamen lupi ſalictarij turionibus in acetarijs utimur. In medico uſu refrigerat, & collectionū impetus lenit. Sedat ſtomachi inflammationes ex ſero potus. Bilem regio morbo laborantibus detrahit. Pituitam in aqua inter cutem exigit per aluum. In capitis dolore, qui medium capitis occupet, eius ſuccus illinitur: item quoties immodicos æſtus mitigare neceſſum ſit.

Macir, Malacociſſos, Melandryon, Molon, Molybdæna. Cap. CXLII.

MAcir, ut alij macer, officinæ *macis*, Plinio, Dioſcoridi, Galeno cortex eſt rubens minimè lentus, radicis magnæ, nomine arboris ſuæ. Conuehitur ex India, guſtu acerbo, & cum quadam acrimonia iucundè odorato. qualis ea ſit inconpertū habet Plinius. Recentiores non radicis ſed odoratę nucis, quam moſchatam nominant, corticem ac folliculum eſſe contendunt, idq; uero propius eſt, & planè ita modo cernitur. Hanc nucem Græci caryon myriſticon appellant, hoc eſt nucem unguentariam. Et profecto conditam hanc nucem uidimus nucis iuglandis craſſamento, calyce primum puluinato, mox reticulari ambiēte membrana, quam macir dicunt, dein nucem ſolidam quam appellant moſchatam, puluino illo extimo & odore & guſtu ſuauiſſimo. ſed raro nobis uidere licuit, cum in Europa non proueniat, item qui in officinis cortex ſpectatur tranſlatitius eſt. Arborem uulgari perſicæ ſimilem eſſe uolunt, flore roſeo, eiuſdem propemodum effectus cuius & caryophyllon. Macir guſtu eſt acerbo cum leni acumine, odore ſuaui: partiumq; tenuitate deprehenditur pollere, quare reſiccat. Datur efficaciter ex melle coctus dyſentericis, & ſupernè ſanguinē reijcientibus.

Malacociſſon Democritus appellat herbam uirentem hederæ ſimillimam, in riguis naſcentem, lentam ac mollem, unde mollem hederam cognominat. Vbicunq; loci fuerit hęc inuenta, ſubeſſe aquam aquilex Democritus exiſtimat. Malacociſſos, ut idem inquit, hederæ ſimilis eſt, mollioribus tantum ac teneris foliis, caule flexili, ſeſe quibuſcunq; uel frutetis uel arbuſtis inuoluente, qui niſi aliquo ſtatumine fulciatur, ſeſe non poteſt erigere, tam caduca eſt eius natura. In arundinetis & terreſtribus locis prouenit. Hāc eſſe puraueriam quā officinæ noſtrates *ſigillum diuæ Mariæ* uocāt, nāq; ſimilitudinē refert hederæ, mollioreſ tamen habitu, ſeſe, ne ſerpat humi, uicinis fruticibus uolumine crebro contorquente, folio hederaceo, flore albo, baccis rubentibus, craſſa bryoniæ radice, eademq; altiſſima, utq;

ut quę uel aquam haurire uel lambere ſodientibus dignoſcatur: quare radix glutinoſo tur gens humore cum friatur in quandam unguinis ſpeciem reſoluta fatiſcit. Tam aquæ uel cupida uel amans creditur, ut etiam ſi in aſperis offendatur proſilijſſe, nimirum aquã ſubij ci quis certior factus fuerit. Sed de hac ſuprà in cyclamini mentione dictũ nobis eſt. Me landryon Plinio herba eſt in ſegete aç pratis naſcens, flore albo, odorato. Commẽdat eius flagella ex uino ueteri trita ad iocinorum uitia. Cæterum aliqui nominis ſequentes etymum, pro quodam roboris genere ſumunt, queis uel Theophraſtus aſtipulatur. Alij cenſent apud Plinium melampyrum legendum, quando id Theophraſto inter Siculi frumenti uitia numeratur, lolio quidem ſimile, ſed innocens neq; tentans caput. Molon caule eſt ſtriato, folijs mollibus, paruis, radice quadrantali, in qua per extremum allij caput extuberat. Plinius hanc & ſyron dici tradit, ſcapo ſtriato, mollibus folijs, paruis, radice quatuor digitorum, in qua extrema allij caput eſt. Anhelantibus & ſtomacho ex uino medetur. Nec multum ab ea diſtaret quę *filipendula* noſtratibus officinis dicitur, ſi extrema radix in allij caput excreſceret, cũ cauliculus ſtrijs quibuſdam exaſperetur, radicibus in filamenta extenuatis, ſed per extrema glandoſis, non in alliorum ſpicas coaleſcentibus. Mola Galeno græcè myle dicta, radix eſt exiguo bulbo nõ diſſimilis, quę ſoluta cogat. itaq; ex loliacea farina apertam ac dehiſcentem uuluam ſanare tradit Dioſcorides. eam tamen in ſimplicium cenſu non licuit mihi reperire, etſi Galenus eum citet in teſtem. Naſcitur uulgo, ut inquit Plinius, molybdæna, id eſt plũbago, folio lapathi, craſſa radice, hiſpida. Hæc commanducata, ſi oculis ſubinde relígetur, plumbum, quod eſt genus uitij, ex oculis tollit. Ea multis eſſe creditur quæ officinis *maior perſicaria* nominatur, aut omnino nobis ignota, quando perſicaria folium perſicæ arboris habet, fuſca in medio plumbagine, caule geniculato, cubitali, ſemine exili, lentè rufo, numeroſa radice, in humidis frequentius prouenies, eiuſdem ut uolunt, cuius molybdæna effectus.

Nyctegreton. Cap. CXLIII.

NYctegreton inter pauca miratus eſt Democritus, coloris ígnei, folijs ſpinæ, nec à terra ſe attollentem, præcipuãq; in Gedroſia narrat. Eruitur poſt æquinoctium uernum radicitus, ſiccaturq; ad lunam triginta diebus, ita lucẽs noctibus. Magos Parthorumq; reges uti hac herba ad ſuſcipienda uota. Eandem uocari chenamychon, quoniam anſeres à primo conſpectu eius expauescant. ab alijs nyctylopa, quoniam è longinquo noctibus fulgeat. Sunt qui hanc eſſe cenſeant quam chymiſtæ *lunariam* nominant, noctibus cum luna lucentem, inde nomen.

Odontides, Oenothera, Ophris, Oſteocollon, Oxys. Cap. CXLIIII.

ODontides fruticoſa eſt, triãgulis flagellis, geniculatis, nigro articulorum nodo, folijs polygono longioribus, hordei ſemine. Prouenit ubi & fœnum. Plinio inter fœni genera numeratur, cauliculis denſis ab eadem radice geniculatis, triangulis, nigris geniculis. Folia habet longiora tamen quàm polygonon, ſemen in alis hordeo ſimile, florem purpureũ, puſillum. Naſcitur in pratis. Decoctum cauliculorum eius in uino auſtero quantum manus capiat, dentium dolori medetur, ita ut contineatur in ore, inde ductum nomen. Nihil hac frequentius in pratis occurrit, flore purpureo, multifido, tumentibus in caule articulorum nodis, ſemine hordeaceo, ab alarum ſinu erumpente. rura non aliter quàm *fœnariæ* uocabulo norunt. Oenothera Theophraſto, quibuſdam onuris, ſurculoſa, folio amygdalæ maiori, flore roſaceo, radice uinoſa, unde princeps nomen. Montoſa amat. Plinio amygdalino eſt folio, flore roſaceo, fruticoſa, longa radice, & cum ſiccata eſt uinum olẽte. Hilaritatem adfert data in uino. Eadẽ in potu feras quoque mitigat. Crateias onotheridem appellat herbã cuius aſperſu è uino feritas omnium animaliũ, nedum hominũ, mitigaretur, quod Theophraſtus de radice intellexit, quæ uinacea facultate ferocitatem recreare poteſt, & cicuriores mores q; manſuetiores reddere ex uino pota. Eſt & quæ dicitur œnutta, qua cerui & canes inebriantur ut Helianus tradit, inde nomen. Sed ea ſit nec ne nõ auſim affirmare. Dioſcoridi onagra, & onothera quoq; dicitur. Ophris duobus tantum folijs repræſentatur, denticulato oleri ſimilis. Vſus eius ad nigrandos capillos. Ceratia uno tantũ eſt folio, radice nodoſa & magna, in cibo cœliacis & dyſentericis medetur. Herba quædam ſaxis & mœ-

nibus familiaris exit,quã Macedones osteocollon,medici polygonion,aliqui,talãtion,uul gus *symphyton* appellant.Hac tradunt dissectas carnes coalescere si coquatur una, ideoq; quòd partiũ diuortia committat,& separata cogat,symphyti nuncupationẽ traxit.itidem quòd ossa fracta ferruminet,osteocolli nomẽ accepit. Hæc perpetuo uiret,uiuitq; foliis ui dua,ramulos instar iunci pẽsiles,cirrosos,tenuioris procerioriscq; spatij similes spargit. Vi ridem eruunt,lectãq; uino cõcoquunt dum tertia liquoris pars superstit, quo ueterina sali uant Hispani,eoq; medicamine arcẽdis morbis utuntur,& ab ijs quę manẽt ea uitijs incõ modisq; asserunt.si quid intus esse ruptũ suspicentur, ab hac auxiliũ petunt.Hæc Apsyr tus & Hierocles memoriæ prodiderunt. Oxys,ut est Plinius author,folia terna habet. Datur ad stomachũ dissolutũ.Edũt qui enterocelen habẽt. Ea putatur oxytriphyllon.tri folio simile est,lõgis tantũ pediculis,tria summatim folia proferẽtibus. acido sapore, flore luteo,nonnunq; cãdido,in simplici stylo inter folia prosiliẽte,rufo in lunatis siliquis fœtu, radice in transuersum longa & fruticosa.uulgus *panem cuculi* appellat, officinæ *trifolium acetosum* & *alleluya*.Eo utuntur ad neruorum dolores & dispescendos crassos humores.Pitui tæ lentitiam digerit. Emendat oculorum plumbaginem farina eius ex uino, item rupta.

Pastoris bursa.Pericarpum,Petilius,Phellandrium,Phleos,Pothos,
Psora,Pulmonaria. Cap. CXLV.

PAstoriam bursam uulgus appellat, à folliculis in exiguæ uulgæ similitudi nem compressis,turbinata cordis effigie. Herba non temere pede altior, ra mosa,paruis erucæ foliis,semine in uulgis minuto,radice numerosa. Nasci tur propter uias & in parietinis. Vis illi tribuitur astrictoria et refrigeratrix. Certe ex aceto trita collectionũ inflãmationes refrigerat,ac eo defluẽtes hu mores cohibet.Imponitur sacris ignibus,& quibus stomachus æstuat. Succus eius puru lentis auribus infunditur,cruenta sanat ulcera.Medetur dysentericis,sanguinem excrean tibus,neq; nõ muliebri profluuio. Pericarpum bulbi genus est.eius duę species Plinio: cortice rubro alterum,alterũ nigro, papaueri simile, sed uis maior quàm priori:utriq; aũt excalfaciendi,ideo contra cicutam dantur. Petilius flos est autumnalis circa uepres na scens,quinque foliorum,calyculo uersicolori,instar rosæ syluestris. Petilia nomen petilio flori dedit in Lucanis autumnali,ut tradit Plinius, circa uepres nascenti. Tantum colore commendatur,qui est rosæ syluestris,folia parua,quina:mirumq;,in eo flore inflecti cacu men,& nõ nisi retorto folia nasci,paruo calyce ac uersicolore, luteum semen includẽte. Is flos ab oppido Lucaniæ uidetur appellatus, nisi quis credat ab Petilio Romæ luco: alio qui petilius pro exili usurpatur Lucillio, à quo & nomen duxisse potest. Autumni exitu iam appetente hyeme, flos perquam illustris mihi fuit demonstratus, syluestri simillimus rosæ,cuius calyx uersicolori splendebat luteo,alabastro eiusdem striato, foliis senis octo nis'ue,apicibus in medio crocatis,tã eleganti uenustate flos, ut alios ferè omnes rosea pul chritudine prouocaret,nullusq; per autumnũ uisitur speciosior. Verum octona ostende bat folia,quod cultus diligẽtiæ ferẽdũ erat acceptũ, quippe lętis erutus erat hortis,nõ ieiu nis uepribus.Herbę folia per ramulos utrinq; digesta,parua,oblõga,in extremo mucrona ta, & leuiter fimbriata. Seri cœpit nuper apud nos.Is proculdubio petilius est, nusquã no bis antea uisus.Flos minime fugax,ac diutissime uigor uitaq; durat. nanq; mẽstrua decer pto cum minimum mora:& si adesset odor, de primatu cũ rosa certaret. Sed quoniã nul lum in medicina locum habet,ideo ignobilis est. Phellandrion nascitur in palustribus fo lio apij.Bibitur semen eius propter calculos & uesicæ incõmoda,nec de eo ueteribus quic quam aliud proditũ inuenio.Recentiores apio similem faciunt,non in palustribus modo, sed & opacis quoq; mõtibus nascentẽ,radice glandosa, eãq; iudicãt esse quã officinæ *filipendulam* appellãt,cuius farinam cibis comitialium inspergunt. In lotij stillicidio & urinæ remoratu,neq; non renũ doloribus propinãt.Eadem stomachi inflationes discutiunt,me dentur & suspiriosis & anhelantibus, & quibuscũq; morbis quos frigida causa cõcitauit. Herbam abscessu tertio calfacere & resiccare promittũt. Ad hoc sunt qui phellãdrion ean dem esse cũ helioselino,id est apio palustri cẽseãt. Alij pro lauere accipiendã putãt,glareo sis ac perennibus riuis enatã,apij folio,quã ad uesicæ incommoda coquendam authores præcipiant:sed eorum sententia satis superq; in laueris mẽtione refellitur, à multis quoq;

antea

antea explosa. Phellandrium à lauere distinguit Plinius satis, cum seorsum uarijs uolumi-
nibus eas repræsentauit. Cæterum herba frequens in riguis & palustribus inuenitur apij
folio, sed aliquanto maiore, caule cubitali, comoso superne muscario, floribus luteolis aut
candicantibus onusto, radice crassa, sublutea, capillamentis maioribus fibrata. Hanc her-
barij nostri *filer aquaticum* nominant, ut à seseli montano distinguant. Porrò ea priori phel-
landrio magis uidetur astipulari, cum & natales picturæ Plinianæ subscribant, & folium
suffragetur, neque plura saltem scriptis mandata reperi. Phleon, ut est Theophrastus
author, nonnulli stœbam appellant. is non solum caulem habet aculeatum, sed & folium
quoq; hispidum, iuxta cuius spinas aculeos etiam cõdit, tam folio quàm caule aculeatis,
radice non in profundum acta. Germinat cum Vergilijs, primoq; aratro una, nec folia di-
mittit. etenim annicula illi uita, sæpeq; bimatum excedit. Plinius phleon, quod aliqui stœ-
ben appellauere, spinam in folio & caule ferre tradit. Sed phlum à phleo longè dissidet, cu
ius lanugine, ut inquit Theophrastus, ad lixiuium mulieres utantur, molle & placentace-
um est, colore subrubido: fœminam in eo accipi quæ sit sterilis ad nexus idonea, mas pror
sus habetur inutilis. Idem adfirmat in insulis fluitantibus prouenire, partemq; huius her-
bæ ab radice pueris cibo gratam esse, radicem ipsam pecudum pabulo uelli. In Aethiopia
Arabiæ aduersa nasci phleon testis Strabo, flumine præsertim quod cinnamoferam di-
sterminat. In Orchomenio lacu copiosum id haberi, à quo nomen phleos: etenim Græci
φλοὸν pro eo quod est fœcundum esse capiunt. hinc & Bacchum Phleona cognomina-
bant. author est Helianus. Phlum Iulius Pollux nominauit, unde phloinas uestes in Hero-
doto quis legat & Pausania. Lupi pes Græci lycopoda nominant, herba est marrubio
syluestri similis, folio lupini pedis effigie, dissecto, grauis odoris, caule anguloso genicula
toq;, fungosa intus medulla, radice frequenti capillamento fibrata. Folia trita præsentaneo
remedio imponũtur dissoluto stomacho. Galli nunc *patam lupinam*, nunc *herbam pectoralem*,
nunc *manum sanctæ Mariæ* nominant. Pothos Theophrasto duorum est generum, alterum
hyacinthi flore, alterum sine colore candidũ, quo sepulchra coronabant, à quo & nomen,
quasi desideratis esset dicatum. Floret æstate, sed diuturnius est candidum. Plinio duo po-
thi genera, unum cui flos hyacinthi est, alterum candidius, qui ferè nascitur in tumulis, diu
turnius altero durat, nec de eo plura legi. Psora Aetio dicitur aut ab scabro herbæ habi
tu, aut quòd scabiei medeatur, cuius ustæ fumo arborum erucæ moriantur. Sed cum no-
minetenus eam prosequatur, non satis habeo compertum, an ea sit quæ uulgo *scabiosa* di
citur, quanuis uocabulum idem prætendere uideatur. quod si ita est, in mõtibus prouenit
atq; uinetis, folio carnoso, multifido, sine spinis, flore specioso, diuturno, coloris ex cæsio
candicantis, foliis longis, à pediculo laciniatis. Sunt qui eandem esse putent quæ phleos
Theophrasto dicitur, euidenter reclamante pictura: cum ei frutex sit aculeatus, tum caule
tum folio, semine molli, rubido, radice pecoris pabulo gratissima, non alibi quàm in aqua
ticis nascens. Partem huius herbæ teneram ab radice pueris gratam esse tradit Theophra
stus, radicem ipsam pecudum pabulo uelli, copiosam in Orchomenio lacu. Nec satis con-
stat, si, quæ uulgo *scabiosa* appellatur, stœbe fuerit Dioscoridi: cuius, ut uulgaris notitiæ,
delineationem prætermisit. Pulmonaria quam aliqui pepanum uocant, bugloßi folio
conspicitur, sed promisso magis, atq; læuiori, colore insuper dilutiore, albicantibus macu
lis notato, instar pulmonis, inde nomen nascit in humidis. Volũt aduersus morbos uisce-
ris sui nominis peculiari esse remedio, in cibo sumptã uel potam. Alia tamen ab ea omni-
no est quã suprà cõsiliginem diximus appellari, bubulcis & ueterinarijs preclare cognitã.

Rodora. Cap. CXLVI.

RODora Gallis appellata herba iuxta uiduas populos prouenit, caule instar fi
culneæ uirgæ articulato, foliis urticæ in medio exalbidis, quæ processu tem
poris tota rubent, flore argenteo. Iuxta rompotinum arborem uiduam uite
nasci Plinius tradit herbam quam Galli rodoram uocant, caulem uirgæ fi-
culneæ modo geniculatam, folia urticæ in medio exalbida, eadem proceden
te tempore tota rubentia, florem argenteum. Præcipua contra tumores feruoresq; & col-
lectiones per se uel cum axungia ueteri tusa.

Sanicula, Scopa regia, Scorpius, Scutlomalochon, Sida, Siler, Sphacelos & Sphacos, Symphona. Cap. CXLVII.

SAnicula herba in Gallia frequens *sanielæ* uocabulo nobilis, folio uitis, aut apij, rubẽtibus in fine sectionum maculis quibusdam, furculis quoq; rubris ad radicem, quæ nullis ei capillamentis fibrata subest, capitulis in summo fructi/ce pusillis subnigrisq;. Huius succum uulneratis in potu commendant: quare nostris in adagium uenit uulgo iactatum, eos non egere chirurgo qui sanículam habuerint. Quid autem sit diplion Aetio, qui ad authorem id refert Aretęum, haud scio. Terendum cum aqua, inquit, in anginæ morbo diplium, & subiecto linamẽto imponendum pectori, quoties præfocatio timetur, nisi forsitan diapyron, quod ferè suspicor, legendũ sit: ad quem usum imprimis pollere tradidimus in consiliginis mentione, nempe strangulans anginarum uirus ad se confestim euocat. nec rura nostra in pecuario genere aliud præsentius norunt auxilium, cum ad fauces uel pulmones uitiũ decubuit. Vidi medicum pulmonis causarium, qui post tentata innumera ferè remedia deploratus occumbebat, annos aliquot trita herba & pectori agglutinata uitam prorogasse. Quid ueteribus fuerit sanicula comperies in ranunculo. Nomen à sanandis uulneribus traxisse uulgo constat. Scopam regiam Latinis dicit Dioscorides appellari herbã quę Græcis nominatur bunion, caule quadrangulo, apij folio, flore anethi, semine odorato. Ea excalfacit & urinam ciet. Alij demonstrant ramis oblongis, foliis ex interuallo lactucinis, sed rigentibus & lanuginosis, flore luteo, radice promissa, tenui. Plinius fideritim, quæ sit latissimo folio, scopam regiam uocauit, uulneribus præcipuam, quæ etiam pręcisos neruos glutinare possit: Galli *carpentariam*, eius rei causa carpentorũ officinis non ignotam, quòd uulneribus securi uel dolabra acceptis statim ea medeantur. Idem quoq; uiolam esse regiam scopam tradit, uiolentum spirantem odorem, sed hoc foliis non floribus. Ex argumẽto nomen accepit scorpius herba, semen enim habet ad similitudinem caudæ scorpionis, folia pauca. Valet aduersus animal sui nominis. Est alia eiusdẽ nominis effectusq;, sine foliis, asparagi caule, in cacumine aculeum habens, & inde nomen. Spina est in totum scorpio si ue nepa quibusdam dictus: nullum enim folium habet, sed uice eius aculeum, radice singulari eademq; breui cohæret. Post æquinoctium autumni floret nepa siue scorpius, qui in carne extuberante sub extremo aculei florem profert, per initia candidum, postea leniter accedentem ad purpuram. Est longè ab ijs differens cognomento scorpius, graminis modo nascitur, cauliculis quoq; geniculatis, cyclamini folio, radice leniter hirsuta, scorpionis effigie, quæ arida paulũ incuruatur scorpionũ modo, quare scorpiũ aliqui uocauere. Loca amat umbrosa. Huius radicis tactu moriuntur scorpiones, reuiuiscunt aũt si candido linantur elleboro. Eadem omnẽ quadrupedẽ exanimat imposita genitalibus, alioqui ualet contra sui nominis animal pota. Sed hæc herba aconiti generibus adnumerãda, ut suo loco docendũ erit. Scutlomalachon recẽs Græcia fecit olus, quasi dicas maluaceã betam, quòd ut reor parentum adulterio natũ existimẽt, ueteribus inauditũ, fortè quòd figura & dẽticulato semínis habitu betã, & mollitia maluã mentiret. quod si ita est, neotericis omnibus tritissimũ, ab insigni spiculorũ seminariũ nota spinaceũ uulgo dictum putãt. Olus caule cubitali, folio primum triangulo, mox intubaceo, sapore inerti, semine aculeato, sine flore, radice multiplici, culto qualicunq; solo proueniens: fœmina quidem floret sed sterilis est. Errant qui blitum esse credunt, cum blitum folio ocymum repræsentet, omni in parte seminosum, cacumine spinoso, ex quocunq; alarum sinu erumpente seminio, læui, nequaquam spinis horrente. Stomacho inutile. Molliendæ aluo præstantissimũ. Aduersus scorpiones bibitur ex uino. Illinitur pedum clauis: item lienibus & temporũ dolori ex aceto. Ius herbæ neq; non decoctum abijciuntur, eoq; quod supereſt, muliebre cohibetur profluuium. Seritur Septembri mense non horrens hyemis frigora, ut uerna ieiunia saturet. Mirum, olus tam frequẽs, mensisq; quotidiano usu dicatum, ueteribus intactum fuisse. Mauritanæ factionis principes *Hispanicum olus* appellauere, forsitan quod inde primum duxerit originem, ad cæteras tandem nationes translatũ. de quo plurima in blito differuimus. Recentiores Græci spanaciã, ut putãt nonnulli, ab oleris raritate dixerunt, uel ab alijs (ut est simile ueri) nationibus emendicato spinaceo nomine. Nec me fugit Mauritanos mo-

lochiam

lochiam & marinum atriplicem halimum uocitaſſe, quem olitores uicatim circunferẽtes uænalem molochiam in manuales faſciculos digeſtam nõ taciti clamitant. Vnde alimum nonnulli ſine afflatu aut aſpiratione ſcriptitant, quòd famem arceat, tam mirabili ſi creda/mus effectu, quòd admorſa ea fames interdiu nulla ſentiat. An fuerit aliquod eius genus alibi uidendum erit. nanq; permultæ illius reperiuntur ueteribus ſpecies. Sidã planta eſt lacuſtris in Orchomenio lacu frequens, papaueris ſimilis, roſeo flore, uaſculo mali am plitudine, candidis membranis obducto, ſemine intus rubro, guſtu triticum æmulante. Ca put & folia ſuper undas emicant, mox cum defloruit, inclinatur in uadum, ſemẽq; ſpargit. Sidam papaueri ſimilem tradit Theophraſtus, taleq; caput ferre, ſed ampliuſ aliquanto mali magnitudine, nec id quidẽ nudũ uel apertũ, ſed candidis intectũ membranis, hisq; fo/lia quaterna foris uirẽtia, roſis proxima: quę adhuc in calyce cõtinentur. Id caput, cũ dehi ſcens pãditur, grana rubra oſtẽdit, exigua, orbiculata, papaueris figura, nec multo milio maiora, quæ manſa dilutũ tritici ſaporẽ reddũt. Grandeſcit æſtate, pediculoq; paruo niti/tur. Flos alabaſtro roſæ ſimilis, ſed qui dupla ferè magnitudine grãdeſcat. Florẽ & folia ſu per undas emicare confirmãt, moxq; cũ defloruerit, cõpilato iam fructu in aquã mergi, i/mumq; uadũ petere ut ſemẽ fundat. Fructificare in Orchomenico lacu ſidã memorię pro/ditũ eſt, quæ cibo idonea eſt, folia ouiũ pabulo grata, germina ſuillo pecori, fructus homi/nibus eſtur. Sidã Bœoti, ut Athenęus refert, punicũ malũ uocabãt, à loco qui hoc mali ge nere ſcatebat. Addit, fruticẽ punicæ mali ſimilẽ circa lacũ Orchomeniũ prouenire, cuius frondẽ oues paſcũtur, germina ſues. cognominẽ quoq; huic in Nilo naſci ſine radice. Si ler nõ niſi aquoſis prouenit, molle ſiler a Poeta dictũ. Frutex qui nonnunq; arboreſcat, ut baculos ruſtici ex eo faciãt, in aquaticis naſcẽs, quaſi pumila ſalix, cuius etiã generibus an numerari creditur. Sileris folia illita frõti, capitis dolores ſedãt. Eiuſdẽ ſemen tritum in oleo phthiriaſes coercet. Serpẽtes hunc fruticẽ refugiũt, baculũq; ob id ex eo ruſtici gerũt. Ob/orta officinis cõfuſio, ſiler pro ſeſeli uocãtibus. Seſeli frutex nõ eſt aquaticus, quod quidẽ aliqui diſtinguere putãtes, nõ ſiler ſed montanũ ſiler appellauerũt, id quod eſt Maſſiliẽſe ſeſeli. Sphacelos, ut Theophraſtus ingt, differt à ſaluia, quòd hęc mitior eſt, illa ſylueſtri or. Sphacelo foliũ breuius & leuius, ſaluię ſqualidius & ſcabrius. Sphacelus itaq; folio eſt læuiore cõtractioriq;, ac minus ſqualido, foliis rugoſis, incanis, odoratis, purpureo in ſpi/ca flore. Suffitu mẽſiũ ſiſtit profluuia. Tradit Agrippa Leęnas eã eſſe ad cõceptus facilita tem. Habetur pleriſq; hoc in cõfeſſo, mulierẽ quæ paulo ante concubitũ, huius ſuccũ ace/tabuli menſura cũ momento ſalis hauſerit, cõcepturam. In Copto Aegypti peſtẽ ferũt in/numeros mortales rapuiſſe, reparatãq; multitudinẽ, coactis mulieribus hac uel ſaluia uti. Orpheus ſanguinis excreationes cohibuit, propinando huius ſucci ligulã cum mellis un/cia. Fiũt & ex hac & nardi ſpica catapotia tabeſcẽtibus utiliſſima. Herba ex uino cocta cõ/tuſis illinitur. Decocta reſolutioni neruorũ medetur. Itẽ comitialib. auxilio eſt. Per ſe ſum/pta emortuos trahit partus, auriũq; & ulcerũ uermiculos. In ſumma, eadẽ quæ & urbana ſaluia poteſt. Sphacos, ſiue ſpagnos, ſiue bryon, in Gallia, ut Plinius eſt author, naſcit, uul/uis inſidentiũ utilis: itẽ genibus & feminũ tumoribus, miſtus naſturtio & aqua ſalſa tritus. Cum uino & reſina ſuccus potus urinã pellit celerrimè. Hydropicos inanit cũ uino & iu/nipero tritus & potus. Symphonã, quam alij crõphenam, Plinius repræſentat alternis uiridibus roſeisq; per caulẽ foliis, eãq; in poſca ſanguinẽ reijcientibus mederi. Eadem co/lorum uarietate placet apud nos hortenſis herba, quã Galli *geneſiam* alij *beleſiam* uocant, be/tæ ſimilitudine, niſi quod ſingula folia bicoloria ſunt, partim rubra, partim herbacea. Vim habet præſentaneã contra comitialẽ morbũ & deliriũ menſtruum, radicis cortice quantũ manu teneri poſſit cũ æquali centaurij minoris & origani portione, neq; nõ piperis trigin ta granis unà cõtritis propinatisq; triduo. Symphoniacæ herbæ meminit Palladius. nam ſi ceraſus æſtu Caniculares fatigetur, herbam ſymphoniacam circa arboris truncum tor queri in coronam iubet, uel ex ea iuxta imum caudicem cubile fieri. Sed hanc Apuleius a/pollinarem interpretatur, quam hyoſcyamum appellant Græci, cui ſatis præcedens Palla dij remedium aſtipulatur, præcipientis per æſtus ſæuientis Caniculæ trium fontium ſin/gulos ſextarios ſumptos poſt ſolis occaſum radicibus ceraſi arboris influere, ſic ne reme/dium luna deprehendat. Sed de hac ſymphoniaca nonnihil alibi dictum eſt.

Therionarca. Cap. CXLVIII.

THerionarca inde nomen inuenit, quòd serpentibus torporem inferat, frutex est foliis subherbaceis, roseo flore. Plinio alia traditur, quàm magica, in nostro orbe nascens, fruticosa, subuiridibus foliis, flore roseo. Serpentes necat cuicunque admota fuerit, & hæc torporem adfert.

Veneris pecten, Vettonica coronaria. Cap. CXLIX.

VEneris pectinem appellant à similitudine pectinum, cuius radix cum malua tusa omnia corpori infixa extrahit. herba repræsentatur radice candida, coliculis semipedem altis, aut paulo maioribus, foliis pastinacæ sed tenuioribus, flore albo, exili, dependentibus summatim compluribus rostellis, in mucronem turbinatis, et pectinatim inter se disiunctis. Rura nostra simul & officinæ, quòd mucrones rastellorum modo & serie quadam dentati promineãt, *rastellum*, uel quod idem est, *falcetum* appellare maluerũt. Inter segetes copiosa nascitur. Vettonica coronaria, quam Galli à specie floris, ut arbitror, *ocellum*, ab odore *garyophylleam* nominant, foliis est porraceis, oblongis, per extremum mucronatis, concoloratu cæsijs, teretibus caulículis sesquicubitalibus, geniculatis, coeuntibus pyxidatim internodijs, floribus omnium speciosissimis, caryophyllorum odoratu, sed longè suauissimo, quandoquidem alius cocco rutilat, alius saturata nitet purpura, alius emaculato blãditur colore, alius uersicolore uariatur cõmistu. Omnibus teres lõgiusculusq; calyx spectatur, orbículo superiore denticulatus, à quo quina sena'ue folia prodeunt, lentè quidem fimbriata. Nonnulli tamen flores frequentiore coma stipantur, geminis utrinq; emicantibus stamineis apicibus radice promissa, simplici, geniculata. Cõgeneres ijs sunt flores, sed syluestriores, quos uulgus modo *barbarios*, modo *armerios* uocat, quemadmodũ priorem illum *ocellum Damascenum* appellari existimat, quòd fortasse è locis quibus gentilitium nomen referunt, ad nos uenerint. Vernæ tamen mihi potius herbæ quàm translatitiæ uidentur. Sed quæ in parietinis passim conspicitur, fera magis sit, & uolũtaria: altera uero, licet à priore oriunda, uelut altilis & in totum lætior, quòd cultus mangonio subinde componatur. Quæ in macerijs est familiaris, spõte naturæ crescit: cuius species duæ, coloris discerniculo insignes, cãdidi & purpurei. Floret utraq; primum herbaceo calyce, quo mox intumescente, & in uirides alabastros fastigato paulatim dehiscens sese pandit, in calycis medio sui cõplexa cæruleos apices. hæc hortensem sæpius æquat, nec ab ea nisi feritate quadã dissidet. Nõ desunt, qui credant olitores radicibus caryophyllon adegisse, uel factis stilo foraminibus inseruisse, quo iucundum illum odorẽ flores alliciãt, & caryophyllorũ suauitatẽ expirantes naribus repræsentent. Sic ex flore minus odoro quàm odoratissimum, & ex fera syluestriq; herba mansuetã fieri, quę iucundo odore caryophylli suauitatem mentiatur. Sic gentilem, ut arbitrantur, humanum effecit munus nouitatis semper studiosum, uti non minus odoris iucũditate q̃ formę lenocinio placeret. Vsus eorũ in coronis prope nimius. Maximè durat is flos, sed ita si diuulsus crebro prohibeatur in seminibus. Nascitur locis tepidis. Odor idẽ qui garyophyllis, atq; inde cognomẽ. Sũt qui œnanthen esse putãt, quòd odor uiti florenti proximus, aliquãdo suauior, neq; adeo nares feriens, aut caput tentans. Floret uberrim cũ uite, unde œnanthen, quasi uitifloram putant dictam Theophrasto. Narcissum œnanthe sequit, & uere post eũ floret. Plurimũq; durat, si diuulsa prohibeatur semẽtescere, solũq; nãcisca tur apricũ. nanq; ut idẽ est author, annua sicut uiolæ nigræ duratio, si diligẽtia cultus adhibeatur. Et ea quoq; floribus addicta est, naturaq; ei herbacea. Cæterũ flos œnanthæ candidus, racematim cohærẽs ut labruscæ: huic magna ex parte purpureus, interdum albus, sed in purpurã leniter inclinatus, qui potius in pulcherrimas rosas dehiscat, quæ secretæ sint, nec usq; unà uideantur in racemosam speciẽ colligi, sed uertices surculorũ priuatim coronare, quanq; duratio in annũ ferè prorogetur. Altilẽ puto betonicã Theophrasti ętas nõ nouerat, in qua per summa ramusculorum flores in rosas iustas sese pandunt, in calycis medio apices incuruos cõplexi. Sola huic œnanthę duratio fauẽs respondet. Quãdo cęteris floribus coronarijs plerũq; mẽstrua, sesquimẽsis, sępius ad summũ trimestris adsit uita: is uernas, ęstiuas, autũnales hyemalesq; struit coronas, neq; temere nisi sesquimẽse silet herba. Sed mirũ creditu, ut tã celebris flos tãq; iucũdus fuerit à ueteribus silentio prætermissus, qui amplitudine, pulchritudine, uarietate, rosa non inferior uideri

possit, imò cũ ea de principatu certet, quãdo nec colore superatur purpureo, candido, uermiculato: nec odore, nisi q à longinquo plus olet recens rosa. Iam nihil rosa fugacius, longissima nanq; decerptæ mora dies: illi in quatriduũ & amplius uita uigorq; durat aliquibus, potissimum damascenis. Tanta magnitudo olitorum cura, ut orbem utraq; manu cõplecti fere nequeat, folia quaterna quina ue, nonnullis rosę modo numerosa, mirabili quorumdã alabastro culturæ ratione, qui dehiscẽs ipso staminũ loco alabastrũ ostẽdit aliã pãdentẽ se paulopost in florẽ, calyculo priore cõsenescẽte. Nõ defuere, qui baccarẽ id genus esse floris existimẽt, sed syluestris, toto herbę habitu apertissimè reclamãte. Alij calthã ueteribus fuisse putãt. Sed cũ Virgilius nobis luteolo colore tinctã cecinerit, nec Virgilius à Plinio dissentiat, non uideo qui possit ita statui. Semine rarius seritur apud nos, sed olitores nostri ineunte autũno sobolẽ à radice copiosam eruũt, & patulis fictilibus aut turbinibus cadorũ pangunt in terra fimo putri saturata, & cũ hyemis gelicidia premũt, recõdunt sub tecta locis à frigoribus tutis. Sed cũ serenat cælũ, feruidusq; sol illuxerit, reuocãt in apertũ, illicq; sub dio sinũt apricari, & cũ incesserit pluuia aliquãtis per madescere, imbrẽq; haurire cælestẽ. Sæpe in cellis uinarijs totã fruticare uidimus, hyeme fauẽte loci tepore & flores interdũ parere. Nõnulli in areis ramulos radice uulsos figunt, et per hyemis frigora lætamine muniunt quo possint ab iniuria cæli gelantis asseri. nam apricis plurimum gaudent, & solis illustratu lætantur. Vnum quod nobis non uidetur omittendum, sæpe enim uidimus herbã uno anno florẽ parere candidum, altero purpureum, tertio colorum uarietate promiscuum. Et quod mirabilius uideri possit, ramum eundem niueum & uermiculatum promere florem, tã prona huius herbæ natura, ut flos albus in purpureum, & purpureus in candidum studio cultus aut ubertate cõmutantis soli degeneret. Sunt qui parẽtis aut auitæ nõ obliuiscãtur naturæ, progenitricis sobolis nõ immemores. Acetũ flos iucundo sapore cõmendat. Nanq; florum folia detractis unguibus macerãtur in sole uasis uitreis. capita foliorum partesq; candidæ uocantur ungues. Vires in secunda bettonica dictę sunt.

Xylon. Cap. CL.

XYlon, quem aliqui gossipion nominant, frutex est exiguus laniger, palmæ folio, similem barbatæ nuci gignens fructum, cuius in exteriori bombyce lanugo netur in linum candidissimum mollissimumq;, quod *cotonium* uulgo uocamus, ut lanuginem ipsam *cotonum*. Plinio superior pars Aegypti in Arabiam uergens gignit fruticem quem aliqui gossipion uocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Fruticulus similem barbatæ nuci defert fructum lanugine plenum quæ netur, nec ullum lini genus est quod huic candore & mollitia præferatur, quanquàm firmitatis in eo parum. Ea nux cum hiascens fatiscit, lanuginis globos repræsentat, qui nendo sunt. Hoc iam in Gallia nasci audio ex Italia delatum. A mali cotonei credo similitudine id quod in eo gignitur, aut à pocilli forma, uulgo cotonem uocamus. aliqui githonem à gith, cui similem fere gerit in capite folliculum, appellant. Pomum uidimus sæpe, quod cũ patens dehiscebat, inculcatũ flocci glomum detegebat. Gignitur & in quadã arbore, cuius folia ni minora essent, uitium plane poterant uideri, cucurbitis cotonei mali amplitudine, quæ maturitate ostendunt lanuginis pilas, ex quibus uestes pretioso linteo texunt. Theophrastus lanigeras Indiæ arbores demonstrat mori folio, corpore autem cynorrhodi. Foliorum succus medetur infantiũ torminibus, semen tussi & pectoris uitijs. Oleo eius emaculãtur lentigines. Nõ est silentio dissimulandũ, quod Pausanias posteritatis memoriæ mandauit, feras uermiculos uel bestiolas esse, è quibus sericum uellus metitur, è quo pretiosas uestes texunt. Ratio faciundi talis, Bestiolæ, quas feras appellant Græci, amplitudine sunt scarabei maximi, cætera araneorum sub arbore telas ordiẽtiũ similes, illorũq; more octonos habent pedes. Has Seres populi structilibus domũculis nutriũt per hyemẽ & æstatẽ, panico ad quadriennĩ alũt, quinto anno arũdine recẽti, quã prędulci pastu auidius carpẽtes dissiliunt, alioqui nõ ultra eũ finẽ uicturi. Erutã utero bõbycem pectunt, multo fertiliorẽ q; uiuẽtium detractã pedibus. Seres ipsi in Aethiopia sinum rubri maris intimum colunt, uel, ut alijs (inquit) placet, in Scythia Indis cõtermina, quà insula iacet Seria. An uerũ falsum'ue dicat nihil cõtendo, scio & ab alijs de hoc iactata: illud tamẽ testari possumus, uermiculos in Gallijs tam multos ali in Turonẽsi maximẽ

agro,ut non alia re prouentus quibuſdam maiores conſtent: ſed hos non panico,nõ arũdine,ſed mori folio ueſci. ob id multis locis plantaria ſunt eius arboris frequentia. Ii præſertim albæ mori fronde paſti ſericeũ uellus,quo turget uterus,pedibus explicantes nent, & cõgeſto glomeri ſe condentes emoriuntur. Semeſtris tantum illis apud nos uita, prorſusq; ante cõpletum annũ,cum ſuum nendi obierũt opus, efflant animã, relictis ouis quibus ſua rediuiua proles ſequente anno renaſcatur. Sunt tamen qui aſcitis ſibi alis in uolucres papiliones degenerẽt. Noſtri *ſericeos uermes* uocant. Bombyces Iulius Pollux eſſe uermes adfirmat,à quibus araneorum modo fila nentur,quæ in ueſtes texãtur. Aliqui Seras tradunt populos eorũ uellera demetere, quibus telas pretioſas ordiantur. Lanificio eorũ recentior græcia in quibuſdam medicamentorum cõpoſitionibus utitur: ſed antea & coloris uel colorem ea bombix experiatur. cataxã Aetius & Actuarius uocant,noſtræ nũc officinæ *ſetam crudam*,rectius,ſi crudum ſericum nominarent.

Ratio ſolaris & lunaris. Cap. CLI.

ADiſcienda lunaris ſolarisq; ratio in iſs duntaxat quæ ad ſtirpiũ naturas pertinent. Siquidẽ,ut Democrito placet,omnia quæ cęduntur,carpuntur,tondũtur, innocentius decreſcente luna & creſcente fiunt. Ea in coitu nõ cernitur, quoniã hauſtum lucis auerſa,quã à ſole fœneratur,in ipſum regerit à quo acceperat. Sed,quod poſſint intelligere ruſtici, quoties ab occidente ſole cernitur,prioribuſq; noctis horis lucebit,creſcens erit,& oculis dimidiata iudicabitur: cũ uero occidente ſole orietur ex aduerſo,ita ut pariter aſpiciatur,tunc erit plenilunium. Quoties ab ortu ſolis orietur, prioribuſq; noctis horis detrahet, & in diurnas oſtendet,decreſcens erit iterũq; dimidia: in coitu uerò,quod interluniũ uocant, cũ apparere deſierit. Porrò mirũ eſt formicã ſentire uires ſyderis interlunio ſemp ceſſantẽ. Præterea tã facile intelligitur, q; formica minimũ animal interlunio quieſcat,plenilunio etiã noctibus operetur. Quin et ſcarabeus omnibus cognitũ animal, totidẽ digitis uel potius pedibus innititur quot menſis diebus conſtat,in quibus exoriens ſol ſuos proſequitur curſus. Is ſolis & lunæ coitum nobis aperte demõſtrat: quando quidẽ ex bubulo ſtercore pilulam ab ortu ad occaſum rotando uerſans,in orbis imaginem effingit, quam uigintiocto diebus facto humi ſcrobiculo adobruens, tantiſper celat dum ſigniferũ ambiens luna ad intermenſtruũ reuertens ſileat,apertoq; tum orbiculo,coitus ſyderũ denuncians,nouã prolem ædit. nec aliã naſcendi nouit originẽ. Nihil hac uolucri beſtiola frequentius occurrit: Græci cantharũ,Latini ſcarabeum,aliqui pilularium,rura noſtra *fodimerdam* appellant. Cynocephalus mas,quem aliqui canicipem interpretantur, uſqueadeo ſilentis lunæ uices dolet, ut intermenſtruo, dum orba lumine deliteſcit,nec intuetur, nec comeſt, ſed tãquam raptum ſyderis lugens, demiſſo in terram uultu,inſolentem fatetur triſtitiam. fœmina uero abſentis refricans deſiderium, interlunio mœret, illuni ſorte non contenta, inde conſcita oculorum cæcitate non prius eliberatur,q; menſtruus ſanguinis curſus erũpat. hæc Horus Apollo Niliacus. Præterea ſoricum fibras reſpondere numero lunæ diligẽtiores exquiſiuere. Iumentorum quorundã in oculis morbi cum ea increſcunt & minuũtur. Iam quidẽ lunari poteſtate oſtrearum, conchyliorumq;, & concharum omnium corpora augeri & rurſus minui certũ eſt, quare Lucillius dicere ſolebat, Luna alit oſtrea & implet echinos, muribus fibras & pecu addit. Eadem autẽ ipſa quæ creſcente luna gliſcunt, deficiente defiunt. Aelurorum quoq; oculi ad eaſdem uices lunæ aut ampliores fiunt aut minores. Id multo mirandum eſt magis,ælurum marem, ut Horo placet Apollini, ſolis uices ſentire,mutareq; pupillas oculorum ſyderis curſu. ſiquidem diluculo in exortu protenduntur, eædem meridie contrahuntur in orbem,occaſu ſolis obſcuriores hebeteſcunt. Cæterum faba frugum ſola exeſa repletur creſcente luna. Nec admiratione caret quod apud Plutarchum legitur, Cepetũ reuireſcit decedente luna,cõtra autem inareſcit adoleſcente. ſolum enim olerũ omnium contra lunæ augmenta damnaq; uices habet augendi minuendiq; cõtrarias. Id eſſe in cauſa dicunt ſacerdotes Aegyptij, cur Peluſiotæ cepe non edant. Non ſunt diſſimulanda ſilẽtio lunæ præſagia. Tertia aut quarta ut obſeruauit Aratus, ſi ſplendẽs exorta puro nitore fulſerit,ſerenitatẽ: ſi rubicũda,uentos: ſi nigra,pluuias portendere creditur. Si plenilunio pura lucebit, dies ſerenos ſignificabit: ſi rutila, uentos: nigreſcens imbres. In quinta

cornua

cornua eius obtusa caliginosaq́; imbrem denunciant: erecta & infesta, uentos semper portendunt. Cornua eius, septentrionale acuminatum atq; rigidum, illum præsagit uentũ: inferius, austrum: utraq; recta, noctem uentosam. Si quartã orbis rutilus cinget, tempestatẽ præmonebit. Si plenilunio corona nigricans ambiat, imbrem promittit: si gemini cinxerint orbes, maiorem tempestatẽ: & magis si tres erunt aut nigri aut interrupti. Nascens luna si cornu superiore obatro surget, pluuias decrescens dabit: si inferiore, ante pleniluniũ: si in media nigritia illa fuerit, imbrem in plenilunio præmonstrat. Si plena circa se habebit orbem, ex qua parte is maxime splendebit, ex ea uentum ostendet. Si in ortu cornua crassiora fuerint, horridam declarat tempestatem. Capiuntur & à sole præsagia. Purus oriens, ut idem tradit Aratus, serenum diem nunciat. Si ante eius exortum nubecula spectetur, serenitas ostenditur. Si circa occidentem obuersantur nubes, serenitatem spondent. Si & occidit pridie serenus & oritur, tanto certior fides serenitatis. Purus citra nubes occidens, futurę diei serenitatem prædicit. Si sine nubibus sol occidat purus, postea nubes rubræ interueniant, neq; nocte neque postero die pluet. Si circa occidentem eum nubes cõtractę rubescunt, imbrium securitatẽ pollicentur. Si oriens sol uel rubescit uel nigricat, imbrem portendit. Cum oriente sole radios atra nubes opacat, imber nunciatur. Si occidẽte sole sinistra parte nigra nubes obumbret, statim imbrẽ oportet expectare. Concauus oriens pluuias prædicit: item uentos, cum ante exorientẽ eum nubes rubescunt. quòd si nigræ rubentibus interuenerint, & pluuias. Cum orientis atq; occidentis radij rubent, coire pluuias significant. Si circa orientẽ rubescunt nubes, serenitatẽ futurę diei spondent. Si in exortu spargẽtur partim ad austrũ, partim ad aquilonẽ, licet pura circa eũ serenitas sit, pluuiã tamen uẽtosq; significabunt. Si in ortu aut in occasu cõtracti cernentur radij, imbrẽ. Si in occasu eius pluet, aut radij in se nubẽ trahent, asperã in proximum diẽ denunciabunt tẽpestatẽ. Cum oriente radij nõ illustres eminebunt, quãuis circundati nube nõ sint, pluuiã portendent. Si ante exortũ nubes globabuntur, hyemẽ asperã præsagiunt. Si ab exortu repellentur, & ad occasum abibunt, serenitatẽ. Si nubes solẽ circũcludent, quanto minus luminis relinquẽt, tanto turbidior tẽpestas erit. Si uero etiã duplex orbis fuerit, eo atrocior. Quod si in exortu fiet, maxima ostendetur tẽpestas. Si non abibunt, sed incumbent, à quo cunq; uento fuerint eũ portendent. Si à meridie, & imbrẽ. Si oriens cingetur orbe, ex qua parte is se aperit, expectetur uentus. Si totus defluxerit, serenitatẽ dabit. Si in ortu lõge radios per nubes porriget, & medius erit inanis, pluuiã significabit. Si ante exortum radij se ostendent, aquã & uentum. Si circa occidentẽ cãdidus circulus erit, noctis leuẽ minantur tempestatẽ: si nebula, uehementiorem: si candente sole, uentum. Si ater circulus cinget, ex qua regione is eruperit, uentum magnum portendet. Cũ repente stellarum fulgor obumbratur, uti neq; nubilo neq; caligine fluitans, graues denunciantur tẽpestates. Si uolitare plures stellæ uidebũtur, quò feruntur albescẽtes, uẽtos ex ijs partibus nunciãt. At si circa puræ stabũt, certos: si in partibus pluribus fiet, mõstrantes uẽtos effundent: si stellarũ errantiũ aliquã orbes incluserint, imbres. Arcus cũ sunt duplices, pluuias nunciãt: à pluuijs serenitatẽ nõ perinde certam. Circuli nõ circa sydera, pluuiã. Cum æstate uehemẽtius tonuerit q̃ fulserit, uentos ea parte denũciat: cõtra, si minus tonuerit, imbrẽ. Cũ sereno cælo fulget, pluuiæ sequẽtur & tonitrua, & hyemabit. atrocissimè autem, cum ex omnibus quatuor partibus cæli fulgurabit. Cum ab aquilone tantũ, in posterum diem aquã portendit: cum à septẽtrione, uentũ: cum ab austro nocte serena fulgurauerit, uentum & imbrẽ ijsdẽ regionibus demonstrabit. Tonitrua matutina uentũ significant, imbrẽ meridiana. Nubes cũ sereno cælo ferũtur, à quacunq; parte id fiet, expectentur uenti. Si eodẽ loco globabũtur, appropinquãte sole discutiẽtur, & hoc si ab aquilone fiat, uentos: si ab austro, imbres portendet. Sole occidente si ex utraq; parte eius cælũ patet, tempestatẽ significabũt. Vehementius atræ in noctẽ, ab oriente aquã minantur, ab occidente in posterũ diem. Nubes uti uellera lanæ sparsa ab oriente, in triduum aquã præsagient. Cum in cacuminibus mõtium nubes considerent, hyemabit: si cacumina pura fient, dissereabit. Cælo quanuis sereno nubecula, licet parua, uentum procellosum dabit. Nebulæ è montibus descendẽtes aut cælo cadentes, uel in uallibus sedentes, serenitatem promittunt. Ab his terreni ignes proxime significant, pallidi nanq; murmurantesq; tempestatum nuncij sentiuntur.

Pluuiæ

Pluuiæ etiam ſi in lucernis fungi. Si flexuoſe uolitet flamma, uentum: & lumina cum præ ſe flammas elidunt, aut uix accenduntur. Item cum in eo pendentes coaceruantur ſcintil/ læ, aut cum contentus ignis è ſe fauillam diſcutit, uel cum cinis in foco concreſcit, & cum carbo uehementer perlucet. Præſagiunt & animalia. Nanque, ut Græci teſtantur autho/ res, noctua in nocte garrula ſerenitatem denunciat. Sic cornices coruiq́, ſi manſueto ſin/ gultu glutientes & gregatim conuenientes, quaſi mutuo cõgreſſu lætę clangorem dabũt, ſerenitatẽ prę́ſagiunt. Aues lacuſtres & marinæ cõtinenter ſeſe perfundentes, tempeſtatẽ augurantur. In olla uel aheno emicantes ſcintillę imbres declarant. Cornix in litore caput abluens, uel innatãs tota, noctuq́ uehementius garriẽs imbres portẽdit. Cortales gallinę, & cæteræ aues quæ in domibus oberrant, ſi frequẽter ſaburrentur, ſeq́ in puluere concu/ tiant, gemitu pluuiã fatentur. Corui graculiq́ concurſantes, ſi clangore quodã ſingultien/ tes obſtrepant. Item hirundo iuxta aquã in ſtagnis uel amnibus cum clamore uolitans, ut aquã penna ſæpe percutiat, imbrem ſignificat: item muſcæ acrius pungẽtes, & anſeres cũ clangore pabulo auidius incũbentes, & aranei nullo impellẽte uento delapſi, nigricantes lucernarum flãmæ. Sentiunt & præſagia aeris, pecora, ut ijdem perhibent Græci. exultã/ tia enim & indecora laſciuia ludentia, tẽpeſtatis ſignificationẽ habent. Et boues cælũ olfa/ ctantes, & in meridiẽ ſpectantes, aut ungulas lãbentes, & cũ mugitu in cubília redeuntes. Imbrẽ quoq́ denunciat lupus prope domos appulſus: & canes terrã effodientes, & matu tino ululatu latrãtes. Volucres in maritima refugientes tempeſtatem præmonent. Grues celerius aduenientes hyemẽ futurã prę́ſagiunt. Mures inſolito ſtridore cõſtrepentes tem peſtatem ominantur. Verum quo plura cõcurrent ex ijs ſigna, eo certiorẽ euentum expe ctare cõueniet. Delphini in tranquillo mari laſciuientes, flatũ, ex qua parte ueniunt mina tur: turbantes aquã, ſerenitatẽ promittunt. Lolígo uolitans, conchæ ad hæreſcentes, echi/ ni affigentes ſe, aut arena ſaburrantes, tempeſtatis ſigna ſunt. Ranæ quoque ultra ſolitum uocales & querulæ, & fulicæ matutino clangore. Item mergi, anatesq́ pennas roſtro pur/ gantes uentum deſignant, cæteræq́ aquaticæ aues concurſantes: grues in mediterranea feſtinantes: mergi maria aut ſtagna fugientes. Grues ſilentio per ſublime uolantes, ſereni/ tatem portendunt. Noctua in imbre garrula: at ſereno tempeſtatem. Corui ſingultu quo/ dam latrantes ſeq́ ſuccutientes, ſi continuabunt, uentos: ſi uerò carptim uocem reſorbe/ bunt, uentoſum imbrem. Graculi à pabulis recedentes. Et cũ albæ aues congregabuntur, & cum terreſtres uolucres contra aquam clangores dabunt perfundentes ſeſe, ſed maxi/ mè cornix: quæq́ in arboribus habitant fugitantes in nidos ſuos: & anſeres continuo clã gore intempeſtiui. Ardea in mediis arenis triſtis: ſegniter contra induſtriã ſuam abſcõditę formicę cõcurſantes, aut progerentes oua: item uermes terreni erũpentes. Pulmones ma/ rini in pelago plurium dierum hyemẽ portendunt. Montium ſonitus & nemorum mugi tus aſperam tempeſtatem præſagit. Maris ſpumæ, aut aquæ bullantes: item cum ſilentio intumeſcit, flatuq́ altius ſolito, iam intra ſe eſſe uentos fatetur. Et ſine aura quæ ſentiatur folia ludentia, lanugo populi aut ſpinę uolitans, aquiſq́ pluma innatans. Trifolium quo/ que inhorreſcere, & folia contra tempeſtatẽ ſubrigere certum eſt. Vaſa in conuiuijs men/ ſiſq́, quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitorijs linquentia, diras tempeſtates præ/ nunciant. Sed ut ad rem redeamus, æſtate interlunia, præterquam biduo, ſecura eſſe uo/ lunt, nec niſi æſtiuis breuiſſimisq́ noctibus metui, non diebus item ualere. Pleríque di/ xere rorem inuſtum ſole acri, frugibus rubiginis eſſe cauſam, & carbunculi uitibus. quod ex parte falſum eſſe Plinius arbitratur, omnémque uredinem frigore tantum, innoxio cõ ſtare ſole. Id manifeſtũ fiet attendẽtibus. nã primum omniũ hoc nõ euenire niſi noctibus, & ante ſolis ardorem deprehẽditur: totumq́ lunari ratione conſtat, quoniam talis iniuria non fit niſi interlunio, plena uè luna, hoc eſt prævalente. utroq́ enim, ut tradit, habitu ple/ na eſt: ſed interlunio lumen omne quod à ſole accipit, cælo regerit. Differentia utriuſq́ ha bitus magna, ſed manifeſta. nanq́ interlunio æſtate calidiſſima eſt, hyeme gelida. Ecõtra/ rio, plenilunio æſtate gelidas facit noctes, hyeme tepidas. Alia Græcis authoribus ratio redditur. Aeſtate enim interlunio neceſſe eſt, ut cum ſole nobis proximo circulo currat, igne eius cominus candẽs: eadẽ interlunio abſit hyeme, quãdo abſcedit & ſol. Itẽ plenilu/ nio æſtiuo procul abeat auerſa ſoli, hyeme autem ad nos per æſtiuum circulum accedat.

Ergo

Ergo per ſe roſcida quoties alget, illo tempore cadẽtes pruinas cõgelat. Cæterum duo genera cæleſtis iniuriæ meminiſſe proderit. Vnum quod ſilente cælo ſereniſq; noctibus fit, nullo ſentiente niſi cum factum eſt, alijs rubiginem, alijs uredinem, alijs carbunculum appellantibus. Alterum quod tempeſtates uocamus, in quibus grãdines, procellæ, cæteraq; ſimilia intelliguntur: quæ cum acciderint, uis maior appellatur. hæc ab horridis ſyderibus exeunt, ueluti Arcturo, Orione, Hædis. Cæterum non eſt noxius lunæ ſtatus ne noctibus quidẽ, niſi ſerenis, & omni aura quieſcente. quoniam neq; in nube, neq; in flatu cadunt rores, ſic quoq; nõ ſine remedio, Sarmenta aut palearum aceruos & euulſas herbas frutícéſque, per uineas camposq; cum timebis incendito, fumus medebitur. Hic & à paleis cõtra nebulas auxiliatur, ubi nebulæ nocent. Aquã ſol deuorat, luna parit, alterum alterius iniuria deficit ſydus. Sed ne adhuc à ſublimibus recedamus, in coitu luna ſupra terras erit quã diu & ſol, prima tota die, ſecunda horæ noctis dextante ſiciliquo, ac deinde tertia uſq; ad quintamdecimã, multiplicatis horarum eiſdem portiõibus. quintadecima tota ſupra terras noctu erit, eadem ſub terris tota die. Sextadecima ad primæ horæ nocturnæ dextantẽ ſiciliquum ſub terra aget, eaſdemq; proportiões horarum per ſingulos dies adijcit uſq; ad interlunium: & quãtum primis partibus noctis detraxerit, quod ſub terris agat, tãtum nouiſſimis diebus adijciet ſupra terram. alternis autẽ menſibus triginta implebit numeros, alternis uerò detrahet ſingulos. Diophanes nihil eſſe ſerendum niſi creſcẽte luna putat. Græcis alij à quarta ad decimam uſq; octauam ſationem innocentius fieri contendunt: alij triduo tantum poſt intermenſtruum ſementem tentari iubent: alij tantum à decima ad uigeſimam conſulunt, ne lumen cum plãtis adobruatur. Verũ inter uiros doctrina percelebres cõuenit, ſerendi munus obeundum eſſe, cum luna ſub terrã agit: ut cẽdendã materiẽ, cum ſuper terrã diſcurrens fertur. Quapropter cum alia atq; alia ruſtici ſequi debẽt negotia cum ſubter terram q̃ cum ſuper eandem agit, ita progredi neceſſarium idem exiſtimat Diophanes, quo ſciamus quantum à nouilunio ad trigeſimam ſupra terrã cernatur, quantumq; ſub eadem deliteſcat. Itaq; nouilunio dimidia hora nocturna ad dimidiã uſq; diurnam agit. ſecunda die, à ſemiſſe noctis horæ ad diei horam unam. tertia, à duabus horis & quadrante nocturnæ horæ, ad binas & quadrantem horas diurnas. quarta die, à tertia & triente noctis horæ uſq; ad tertiam & trientem horæ diei. quinta, ab hora tertia & quadrãte uſque ad diurnos conſimiles numeros. ſexta die, ab hora quarta & ſextante nocturnæ ad totidem horas & ſextantem diurnas. ſeptima die, ab hora quinta & fere ſextante noctis horæ ad totidem diurnas. octaua, ab hora ſexta nocturna & ſiciliquo ad ſimilem diurnam rationem. nona, ab octaua & dextante noctis horæ ad conſimilem diei modum. decima, ab hora ſeptima & ſextante ſcrupulo noctis ad eundem diei numerum. undecima, ab hora octaua noctis & octo portiunculis ad totidem diei. duodecima, ab hora nona & ſemiſſe nocturnæ uſq; ad eundẽ diurnum modũ. decimatertia, ab hora decima ſedecimq; portionibus nocturnis ad cõſimilem diurnam rationẽ. decimaquarta agit ab hora undecima & triente nocturnæ ad reſpõdentem diei menſuram. decimaquinta, ab ortu ſolis ad occaſum agit ſub terram, quo tempore diarium opus melius obitur. decimaſeptima, à ſemiſſe horæ & portiunculis ſeptemdecim diurnis ad eandem noctis rationem. decimaoctaua, ab hora diei ſecunda & quadrante ad cõſimilem noctis numerum. decimanona, à tribus horis diurnis & quadrante ad totidem nocturnas. uigeſima, à diei tribus & quadrante ad conſimilem noctis calculum. uigeſimaprima, à quatuor horis diurnis & dodrante ad noctis eundem numerum. uigeſimaſecunda, ab horis quinque diurnis & ſextãte ad totidem noctis menſus. uigeſimatertia, à ſex horis & quadrante diurnis ad totidem nocturnas. uigeſimaquarta, à ſeptem diei horis & ſextante ad eaſdẽ noctis. uigeſimaquinta, à ſeptem & ſemiſſe horæ diurnæ ad ſimilem noctis ſupputationem. uigeſimaſexta, ab horis octo & beſſe diei ad eundem noctis numerum. uigeſimaſeptima, ab horis octo & dodrante diei ad eandem noctis rationem. uigeſimaoctaua à decem diurnis horis & quadrante ad eaſdem nocturnas. uigeſimanona, à nouem horis & triente diurnis uſq; ad nocturnas eaſdem. trigeſima, ab ortu ſolis ad occaſum ſub terram agit.

Ratio

Ratio ſyderalis. Cap. CLII.

CArdo temporum quadripartita anni diſtinctione cõſtat, per incrementa lucis. Augetur dies à bruma, & æquatur noctibus uerno æquinoctio. deinde ſuperat nocles ad ſolſtitium, uſque ad æquinoctium autumni, & cum æquata die procedit ex eo ad brumam. Hodie bruma pridie Idus Decembres noſcitur, quo die longiſſima nox, diesq; breuiſſimus ſentitur: æquinoctium quinto Idus Martij peragitur: ſolſtitium Idibus Iunij, diesq; longiſſimus eſt, nox breuiſſima. Quin & ipſi dies raro non aliquos tempeſtatum ſignificatus habent. Rurſus hi cardines ſingulis etiamnum articulis temporum diuiduntur, per media omnes dierum ſpatia: quoniã inter ſolſtitiũ & æquinoctium autumni, Fidiculæ occaſus, qui autumnũ inchoat. Ab æquinoctio ad brumã, Vergiliarũ matutinus occaſus, hyemẽ: flatus Fauonij, uernum tempus: initium æſtatis, Vergiliarum exortus matutinus. Solſtitium hac ætate peragi Idibus Iunijs diximus. Magnus hic anni cardo, magna res mundi, ex hoc ad brumam uſque decreſcunt dies, qui creuerunt ſex menſibus. At ſol ipſe ad aquilonem ſcandens aſper ardua emenſus, ab ea meta incipit flecti & digredi ad auſtrum, aucturus noctes alijs ſex mẽſibus, ablaturusq; diei menſuram. Diſcrimen hoc indubitatis notis ſignauit natura, quam obrem eas manibus ipſis agricolarum ingeſſit, uertitq; iuſſit ipſa die folia, & eſſe confecti ſyderis ſignum: nec ſylueſtrium tantum arborum remotarumq;, ne in ſaltus deuios montésque eundum eſſet quærentibus ſigna; non rurſus proximarum urbanarumq; & quæ topiario uſu coluntur, quanquàm in ijs illa uiſantur. Vertit oleæ ante pedes ſatæ, uertit tiliæ ad mille uſus petẽdæ, uertit & populi albæ etiã uitibus nuptæ. Adhuc parũ eſt, inquit, ulmũ uite dotatã habes, & huius ueterinorũ pabulo uerſa folia ſtringis, ſtringens autẽ deputas. Aſpice & tenebis ſydus, alia parte cælum reſpiciunt, q; qua ſpectauere pridie Sallice omnia illigas humillima arborum, ipſe toto capite altior, & huius folia circumaguntur. Quòd te ruſticũ quereris, nõ ſtat per me quo minus cælũ intelligas, & ſcias cæleſtia. Dabo & auribus ſignum. Palumbiũ utiq; exaudi gemitus, tranſijſſe ſolſtitiũ cantu ne putes, niſi incubantẽ uideris palumbẽ. Sed & alia dicentur ſolſtitiorum teſtimonia. nam & herbæ quędam, aues, & animalia peculiariter id indicant. Floret ipſo brumali die ſuſpenſa in tectis arentis herba pulegij. Ariſtotelẽ audito qui lirium, cepe, pulegium ſuſpenſa quoq; ſolſtitio florere pronũciet. Miretur hoc qui nõ inuenerit ipſo brumali die pulegium in carnarijs florere, adeo nihil occultum eſſe uoluit natura. Virio auis prodit ipſo ſolſtitij die. Quin & natura dedit agricolis herbas horarum indices, ut ne ſic quidẽ oculos ſuos à terra reuocent. Lupinum ab ortu ad occaſum ſolem ſequitur, etiam nubilo die ſolẽ prodens. Miretur hoc qui nõ obſeruet quotidiano experimento, herbã unam quæ uocetur cichorium, qua rura ſcatẽt, abeuntẽ ſolem intueri, ſemperq; omnibus horis cum eo uerti uel nubilo obumbrante, florẽ exortu aperiri, & occaſu claudi. tãto ſyderis amore flagrat, ut ſuo comitatu luſtrans ſępe proprium caulẽ intorqueat, noctuq; ſolis deſiderio ſe cõtrahit. Aequinoctia, ſi Horo credimus Apollini, cynocephalus animal ſimijs efferacius, aperte hac ratione demonſtrat, q; interdiu duodecies, noctuq; toties urinam faciat, unamquanq; diei horã lotij profuſione declarans. Viola alba, uer nunciat: iris, æſtatẽ. Codianum bis anno, uere & autumno floret. Seriores aliquanto narciſſus, & lilium, anemone. Sequitur helio chryſos, gladiolus comitatus hyacinthis. Heliotropium autumnali floret æquinoctio. Sed oſtendendus naturæ annuus ordo. Fauonio flare incipiente maritantur uireſcentia è terra. hic eſt genitalis, à fouendo dictus, ut aliqui exiſtimauere. Flat ab occaſu æquinoctiali uer inchoans, geſtiente natura ſemina accipere, eóque animam inferente ſatis omnibus. tum enim ingeſta genitalibus terræ locis animantur ſemina. Vergilias porrò notabiles in cælo ſtellas natura fecerat: non tamen ijs contenta, terreſtres fecit alias, & ruſticos miraculo ſolicitans, inter ſuas herbas peculiares ſparſit ſtellas, habent ut ante pedes Vergilias. In certis eæ diebus proueniunt, durántque fœdere ſyderis, partumq; eas illius eſſe certum eſt. Proinde quiſquis æſtiuos fructus ante illas ſeuerit, ipſe fruſtrabitur ſeſe. Hoc interuallo & apicula procedens florere fabam indicat, fabáque floreſcens eam euocat. Conduntur apes à Vergiliarum occaſu, ſed latent ultra exortum, adeo ut non ante florentes fabas exeant ad opera & labores. Datur & aliud finiti frigoris indicium,

Cum

Cum germinare uideris morum, iniuriam postea frigoris timere nolito. Olearum uitiũq; conceptus exortu Vergiliarum, cuius quatriduo nihil rore fordere uolebant, exhorrebat enim frigidum sydus Arcturi postridie occidens, & multo minus plenilunium incidere. Iterum cum Aquila exoritur uesperi, decretorio die florentibus oleis uitibusq;, si plenilunium in eum incidat. Ostendunt & animalia syderum ortus. Auem parram oriente Sirio ipso die non apparere, donec occidat, tradunt. Orygem appellat Aegyptus feram, quam in exortu eius contrà stare & contueri tradit, & uelut adorare cum sternuerit. Nec mirum cum Canis ortum sentiant maria, & terræ, multæ uero & feræ: accẽdit enim solem, & magnam æstus præbet causam. In hoc temporis interuallo res summa uitium agitur, decretorio sydere: unde carbunculari dicuntur, ut quodam uredinis exustæ carbone. Non comparantur huic malo grandinis procellæ, nec quæq; unquam annonæ intulerũt caritatem. Caniculæ exortu solis uapores accenduntur, feruent maria, fluctuãt in cellis uina, mouentur stagna. Sentiunt syderis effectum canes quidem, quos eo toto spatio maximè in rabiem agi non est dubium. In Canis ortu interlunio accidente, quoniam uapore cõstat, acini præcoquuntur in callum. Ante Aquilam exorientem nõ patitur ratio naturæ quicquam in satis esse spei certæ. Si uerò interlunium incidat, omnes hybernos fructus & præcoces lædi necesse est. Rudis ideo priscorum uita sine literis, nõ tamen minus ingeniosa, tria tẽpora metuebat, propter quod instituerat ferias diesq; festos, Rubigalia, Floralia, Vinalia. Rubigalia octauo Calendas Maij agebantur, quoniam tunc ferè rubigo segetes occupabat. Quarto Calendas Maij ueteres Romani, ut omnia bene defloresceret, instituerũt floralia, in hoc quadriduum, si plenilunium incidisset, fruges & omnia quæ floruissent lædi obseruauerunt. Vinalia degustatis uinis instituta, priora nono Calendas Martij, posterio ra decimotertio Calendas Septembris agebantur. Cæterum quantum ad ortus & occasus syderum pertinet, hoc ueluti fundamentum iecisse satis fuerit. Exortus & occasus binis modis intelliguntur. aut enim aduentu solis occultantur stellæ, & conspici desinunt: aut abscessu eiusdem proferunt se in emersum. hoc melius quàm exortum consuetudo dixisset, & illud occultationem potius quàm occasum. Alio modo quo die incipiunt apparere uel desinunt, oriente sole uel occidẽte, matutini uespertini ue cognominati, prout alterutris eorum mane uel crepusculo contingit. Dodrãtes horarum cum minimum interualla ea desiderant ante solis ortum uel post occasum, ut aspici possint. Præterea bis quædam oriuntur & occidunt, omnisq; sermo de his est stellis quæ adhærere cælo dicuntur. Ortus de quo hic agitur, solaris intelligitur. hunc heliacum Græci nominant, cum signum, sydus, aut stella radijs solis emergens incipit apparere, quam sol sua uicinitate conspici nõ patiebatur. Hic habetur duplex, matutinus & uespertinus. matutinus, cum sydus aut stella radijs solis erumpens incipit mane conspici ante solis exortum. Stellæ signifero propinquæ coeunt cum sole, quando sol & stella in eadem parte finitoris, quẽ Græci uocant horizonta, parte orientali congrediuntur, postea oriri matutino incipiũt. Porrò uespertinus intelligitur ortus, cum stella radijs solis emergens uesperi post solis occasum incipit in occidẽte uideri. Sic omnis ratio syderalis tribus modis exponitur, ipsorum temporum cardinibus, ortu syderum, & occasu. Cæterum non est ignorandum, id de quo inter peritissimos quosq; astrologos constitit, ne præmonitus quis decipiatur, orbem in quo stellæ, sydera collocantur, ab memoria Ptolemæi hactenus magnam sensisse mutationem. is imperante Antonino agebat. Quam uacillationis motus supremi, in centum annis una ferè trigesima signi parte se luxantis nobis attulit. Siquidem ut obseruarũt, uiginti ferè signi partibus suo progressu ab ultimo orbe à calculis Ptolemæi in hæc tempora, stellę, sydera, principia animalium signiferi discesserunt: uti ab Hipparchi ætate ad Antonini imperium, hanc digressionem in centum annis una parte comprehenderat Ptolemæus euenisse. Sed ut res exemplo facilius cognoscatur, Vergiliæ, quæ Græcis Pleiades appellantur, ætate Ptolemæi in prima uel secunda parte Tauri supremi orbis sitæ iacebant: hoc tẽpore nostro in uigesimasecunda uel tertia eiusdem Tauri parte collocantur. Spica eidem inuẽta est in Virgine uigesimaseptima eius parte: nunc in Libræ decimasexta parte residet. Protrygetes, Vindemiatorem præcedens, tunc in Virginis duodecima parte suum tenebat hospitium: hodie in Libræ secunda parte diuersatur. Stella Aquarij, Institoria uestis dicta Ptolemęo,

fuit in Capricorno decimaoctaua quasi parte: nunc septimam Aquarij tenet. Item uiginti stellæ tunc in Aquario repertæ, nunc in Piscibus suam sedem habere cognoscuntur, dempta ultima quæ in Aquario adhuc hospitatur. Vrsa maior, quæ uiginti micat stellis, in Geminis, Cancro, & Leone tum sitis: nunc eæ in Cancro, Leone, & Virgine dispergũtur. Vrsa minor Ptolemæo septẽ complectitur stellas, quæ suo tẽpore in Virgine & Libra suum tenebat domicilium, nostro in Cancro & Leone. Ex ijs prima, per quam mũdus existimatur uersari, & polus & uertex appellatur. Arcturus duas & uiginti continet stellas, quę in Virgine & libra tunc residebãt: nunc quatuor priores Virginẽ obtinent, reliquæ Libram. Corona stellis octo fulgens è Virgine migrauit in Scorpionẽ. Anguifer, ophiuchos Grę cis dictus, uigintiquatuor stellis micans, præter sextam, septimam, & octauam, è Sagittario in Scorpionem transitum fecerunt. Libra decem stellis celebrata, præter quintam & sextam, omnes è Sagittario in Capricornum se receperunt. Cygnum Ptolemæus septemdecim in Capricorno & Aquario perornat, quæ nunc in Capricorno, Aquario, & Piscibus suum possident situm. Sagittam idem quinq; stellis munit, quę in fine ferè Capricorni spectantur. Aquilam idem nouem donat stellis, quæ in Capricornum se contulerunt. Equus uiginti stellis refulget, quæ olim in Aquario & Piscibus suum tenebant hospitium: nunc in Aquario, Piscibus, & Tauro diuersantur. Cephæo Ptolemęus undecim stellas assignat in Piscibus et Ariete sitas, nunc in Piscibus Ariete & Tauro collocatæ cernuntur. Cassiopeia tredecim stellis prædita, per id tempus in Ariete moram trahebat: nunc in Ariete & Tauro residet. Andromeda uigintribus splendet stellis, quæ ex Piscibus & Ariete transierunt in Arietem & Taurum. Auriga, heniochos Græcis dictus, quatuordecim donatur stellis, quæ Ptolemæo in Tauro & Geminis conspiciebantur: nunc in Geminis tantum. Capella similiter à uigesimaquinta parte Tauri in quindecimam Geminorum transitum fecit. Circa sinistram Aurigæ manum geminæ stellulæ, nominãtur Hœdi, quæ à uigesima secunda Tauri parte in duodecimam Geminorum abierunt. Sydus Canis octodecim refulget stellis, quæ Ptolemæi memoria Geminorum hospitio recipiebantur: nunc in Cancro residunt, dempta decimaseptima, quę finem Geminorum possidet. Orionis septẽ stellæ in Tauro tunc & Geminis hospitabantur, nunc omnes in geminis. Hydræ, quæ uiginti quinq; micat stellis, principiũ in quarta Leonis parte iacebat, finis in undecima Libræ: nunc principium in quarta parte Leonis, & finis in tertia Scorpij. Crater septẽ stellis illustratur, quæ pari interuallo à Leone & Virgine recesserunt. Sic septem Corui stellæ superiore æuo in Virgine continebantur, nunc in Libram se contulerunt. Procyon duas habens stellas, aliquibus tres, nunc in Cancro splẽdescit, ut antedicto tempore in Geminis. Lupo nouemdecim assignãtur stellæ, ætate Ptolemæi in Libra & Scorpione residebant, nunc in Scorpione tantũ uisuntur. Centauro stellæ tribuũtur triginta septẽ, quæ supradicto tempore omnes Libræ tenebant hospitium, nunc in Libra & Scorpione considunt. Vides ergo, sicuti superior colligebat sermo, sydera, stellas, signa, à suis supremi orbis sedibus uacillante quodam motu uigesimis ferè signi partibus luxari. Porrò quod ad ortus & occasus syderum pertinet, hoc ueluti fundamentum quoddam iecisse satis fuerit, ut disquirentibus iter pateat, quo possint ex Ptolemæi sententia & peritorum placitis exemplum depromere. Vergilijs in uigesimasecunda uel tertia ferè supremi orbis, ut dictum est, sitis, sol quotannis tertio aut quarto die Maij coniungitur: deinde post solis discessum, ante solem oriuntur matutino, quod insueuit apud nos hoc tempore septimo, octauo, uel decimo die Maij, in quo exortu incipit æstas. nanq; sol undecima die Maij in Gemínos transitum facit. Earundem Vergiliarum occasus principium dat hyemi, cum sol suo cursu ad uigesimamsecundam uel tertiam Scorpij partem deuenerit, quod usu uenit quinto & sexto Nouembris die, quo sol directè Vergilijs opponitur. hoc semestri spatio peragitur. Tunc oriente sole Vergiliæ occidũt, quod fieri dignoscitur quinto, sexto, octauo, nono die Nouembris. Arcturus secũda Septembris mane exoritur, & uigesimaseptima Februarij occidit. Canicula tertia Iulij oritur, & ultima Decembris occidit. Sed de his hactenus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

IOANNIS RVELLII
CANONICI PARISIENSIS ET MEDICI, DE NATVRA STIRPIVM LIBER TERTIVS.

Agaricum. Cap. I

AGARICVM ut fungus nascitur in arboribus Galliarum. glandiferæ præsertim arbores hoc ferunt. Circa Bosphorum quoq; prouenit colore candido. Est autem fungus albus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte relucens. Signum hoc eius, quod in tenebris decerpitur. Dioscorides author est in arborum caudicibus nasci, quadam putrilagine. Sunt qui radicem esse stirpis cuiusdam existiment. Quibusdam radix intelligitur similis laserpitio, textu raro ac soluto, superficie minus compacta. Duo genera constituunt. fœminam, quam & præferunt mari, recto uenarum cursu, pectinatim digesto: mas rotundus, conuolutior quaqueuorsum, & concretu suo spissior. Vtrique gustus initio dulcis, mox ex distributione transit in amaritudinem. Quod in Galatia Ciliciaq; prouenit, friabile cognoscitur, & infirmum. Agaricum omnibus cognitum officinis, suam appellationem hactenus tutatum. Agaricum in Gallia nascitur infirmius, habetur mas spissior amariorq;, hic & capitis dolores facit: fœmina solutior. Datur obolis quatuor contritum cum binis cyathis aceti mulsi contra serpentium ictus. Ischiadicos dolores, & spinæ, leuat potum. In aceto mulso duobus obolis lienem consumere creditur. Idem tribus obolis potum in uini ueteris cyatho uno lieni medetur. Phthisicis quoque bibitur duobus obolis in passo: sic etiam tussi. Crapulam discutit post cibos in aqua calida potum. Febres frigidas leuiores facit in eadem calida potum. Aiunt drachmam in aquæ mulsæ cyathis tribus ante accessionem febribus liberare, quæ cũ horrore ueniũt. Hydropicos sanat. Scorpionibus aduersatur obolis quatuor in uini misti cyathis totidẽ. Poto ueneno, postquã uomuerint, denarij pondere in aquæ mulsæ cyathis tribus subuenit. Cum farina fœnigræci uesicæ malis illinitur, contraq; calculos grauissimis cruciatibus auxilio est. Stomachi uitia sanat manducatum siccum, ut ex interuallo merum sorbeatur. Regius morbus impugnatur agarici tribus obolis in uini ueteris cyatho. Contusis & euersis potatur duobus obolis in mulsi cyathis tribus: aut si febris sit, in aqua mulsa: item laterum contortionibus potum cum aristolochia. Vuluæ strangulatum, mensiumq; difficultatem tribus obolis tritum in uini ueteris cyatho potum emendat. Ex aqua mulsa menses pellit. Agarico neruus qui platys appellatur atque humerorum dolor sanatur, obolis tribus in uini ueteris cyatho uno poto. Natura ei astrictoria, concalfactrix. Contra tormina, crudites, rupta, conuulsaq; pollet. Ex sublimi deuolutis & ex alto deturbatis efficax. Datur obolis duobus cum uino mulso, si febres absint: febricitantibus uero, in aqua mulsa. Arquatis quoque, suspiriosis, iocinoris renumq; uitio tentatis, dysentericis, urinæ difficultatibus, uuluæ strangulatui, decoloribus, drachmæ mensura. Tabem sentientibus ex passo, lienosis cum aceto mulso. Stomachicis sine humore aliquo commanducatur. Rejectionibus sanguinis cum trioboli pondere sumitur. Coxendicum & articulorum dolores, morbos comitiales ex aceto mulso pari mensura sumptum emendat. Menses pellit, Inflationes uteri æquali pondere datum discutit. Horrores soluit datum ante febrium accessiones. Aluum purgat singulis denarijs aut binis cum aqua mulsa. Aduersus uenena cum diluto drachmam dedisse satis est. Ad serpentium plagas & morsus obolis tribus potum in uino efficaciter occurrit. In totum, omnibus internis uitijs salutariter præbetur, habita ratione ætatum & uirium corporis, huic in aqua mulsa, huic in uino, illi in aceto mulso, alij in mulsa.

Rhapontícum. Cap. II.

RHa, quod alij rheon, Romani rhapontícon appellant, radix eſt nigra, maiori centaurio ſimilis, minor & rufior paulo, ſine odore, fungoſa, minime ponderoſa. Probatiſſimum quod teredines non nouit, ſi guſtu glutinoſum cum quadam aſtrictione, & commanducatum impalleſcat, coloremq; reddat ad crocum inclinantem. Cornelius Celſus in antidoto Mithridatis, radicem Ponticam nominauit. Plinius, niſi deprauata ſit lectio, rhacomam appellat. Adfertur, ut inquit, ex ijs quæ ſupra Pontum ſunt regionibus. Radix coſto nigro ſimilis, minor & rufior paulo, ſine odore, calfaciens guſtu & aſtringens. Eadem trita uini colorem reddit ad crocum inclinantem. Hoc intereſt inter Dioſcoridem et Plinium, Plinius coſto nigro ſimilem rhacomam demonſtrauit. Dioſcorides centaurio magno, niſi in mendum prolapſi librarij coſto nigro pro centaurio ſcriptitarint, quod ferè ſuſpicor. De reliquis omnibus inter eos conuenit. Galenus & Paulus rheon ſolent appellare. Rha fluminis nomen ſibi adoptauit, quod Ammianus Marcellinus, duodecimo hiſtoriarũ uolumine, ijs uerbis explicuit: Tanais qui inter Caucaſias oriens rupes per ſinuoſos labitur circunflexus, Aſiãq; ab Europa diſtermínans, in ſtagnis Mæoticis deliteſcit. Huic Rha uicinus eſt amnis, in cuius ſupercilijs uegetabilis quædam eiuſdem nominis gignitur radix, ad multiplices medelarum uſus proficiens. Sed rha à natali ſolo Pontici cognomentum uſurpauit. Iam ætate Pauli, quod ex Barbarorũ regionibus aſportaretur, rheon Barbaricũ appellari cœptum eſt: meminitq; huius in quadam compoſitione aduerſus podagras rhei Barbarici. Poſteritas quoq; græca laudat rheon quod ex Scenitarum agro defertur, uocatq; rheon Scenitícum: id enim apud Scenitas Arabas legitur. quare ſi mauis Arabicum appellare, non diſplicebit. Nec regio ſpeciẽ mutauit, quamuis & uires adaugeat uel imminuat, quo minus ei rheo eſſet nomẽ. Nec quiſquam ante Paulum, quod equidem inuenerim, Barbari fecit mentionẽ, propriamq; nobis reliquit appellationẽ, ſed gentilitio cognomine duntaxat à natalibus condonauit. Nec alterius generis Barbaricũ uel Sceniticũ à Pontico eſſe iã hærebit nemo, ſiquidẽ radicis illius Barbaræ uel Scenitícæ, qua totus ferè medicorum chorus nunc utitur, à Ponticæ natura nuſquam deſciſcere comperiet, ſed ubiq; uires reſpondere: uel ſi quis os conſulat, de his periculũ faciens, liquidò deprehendet experimenta nõ deeſſe, quãdo radix hæc cõmanducatu palleſcit, crociq; colorẽ refert. Cõſimiles utriq; dotes ineſſe nemo poteſt inficiari, qui medicos audierit, omnibus ijs morbis illas, qbus hæc datur à Dioſcoride, adhiberi. Quòd ſi in aliquo inueniantur diſſidere, odor eſt, qui nullus à Dioſcoride radici Ponticæ tribuitur, nullus rhacomæ Plinio. Barbara radix et Scenitica præſertim cũ teruntur, grauem ſpirat odorẽ, ſed hoc diſcrimen leuius eſt quàm ut debeat ingenia diſtorquere. Siquidẽ quæ ex Scenitarum regione uel Barbaria deportãtur, retorrido ſolis æſtu prorſus exuctæ, ita ut raro ſpongioſoq; concretu ſpectentur, graueolentiam conceperunt, quòd longè calidioribus oriãtur agris. Ab hoc fiſtuloſo coalitu fluxoq; rheon putauerim Græcis appellari. Itaq; Ponticum uacat odore, Scenitarum Arabũ Barbarorũq; pro locorum conditione fragrantiam odoris adſciuere: eodem tamẽ genere cõprehenduntur, euariantibus tantum patrijs aut gentilibus cognomentis. Quinimò quam rheon Græci, & Latini rhapontícum dixere, omnes ferè Arabicæ familiæ ſcriptores *reu barbarum* appellitant. Explodendi à medicorum cœtu, uelut bonarum rerum ignari, qui lõge diuerſam ab ea quam modo diximus rheuponticum, ſic enim uocare didicerunt, omnibus impudenter oſtendant. Hi mihi uidentur in bonas literas dedita opera cõſpiraſſe, nec niſi quandam medicinæ colluuiẽ ſequi, ſpretis bonis authoribus & claſſicis. Animaduertendum etiam eſſet in ſeplaſiarios inſtitores, qui cum ſuis profeſſoribus in eo conſenuerunt errore, quos ignorantiam fateri ueritatis nouercam pudet. Quæ tam pertinaciter ingenijs eorum hæſit, ut nec toto Anticyræ ueratro poſſet expiari. Cuius inſcitiæ, mortales ſupplicia ſubinde luunt. Nã radicẽ quæ ſit colore ſimilis, duplo pondere pro rheo Barbaro ſubſtituunt, natura, uiribus, natali ſolo plurimum diſcrepantem. Siquidem rhapontícũ quod officinis hodie circunfertur, radicem eſſe maioris centaurij liquidò cõſtabit, cui uerum tamen rhapontícum ſimile fecit Dioſcorides, neq; ex Ponto defertur, aut ex eis quæ ſupra Boſphorum ſunt regionibus, ſed in Italia & compluribus Galliæ locis inuenitur, ſo

lijs iu-

lĩs iuglandis, oblongis, uirenti colore brassicarum, in circuitu serratis, caulibus rumicis, binũm ternum'ue cubitorum ab radice fruticantibus, multiplici sobole, super hos capita ceu papaueris, in longitudinem quandam rotunda. Flos in cæruleum inclinatus. Semen cnico simile, farctum, laneis floccis inuolutum. Radix uasta, solida, bicubitalis, succo madens, ponderosa, cum quadam astrictione amara. quæ omnia centaurij maioris propria sunt: nec quicquam tale ueraci rhapontico ueteribus adscribitur. His itaq; rudibus facile similitudo radicum imposuit. Nec pluribus in eos agendum putaui, qui nullis antiquorũ præceptis imbuti omnes bonas respuunt doctrinas. Nam ueri rhapontici radix fungosa, pondere leuis, laxo contextu: hæc grandis, solido concretu, ponderosa. Illa si oris saliua diluatur, croceum remittit colorem: hæc ne pallidum quidem, uerum cum recens fuerit rubro madet succo, siccata nequaquam inficit croco saliuam. His satis eorum error diluitur. Rhapontícum illitu collectiones inflammationesq; sedat, uulnera sanat, epiphoras oculorum discutit. Ex passo illitum insignita cũ melle rapit, & alia liuentia ex aceto. Farina eius inspargitur contra cacoethe, & sanguinem reijcientes denarij pondere in aqua. Dysentericis etiam & cœliacis datur si febri careant, in uino: sin aliter, ex aqua. Facilius teritur nocte antecedente madefactum. Datur et decoctum eius bibendũ duplici mensura ad rupta, conuulsa, cõtusis, & ex sublimi deuolutis. Si pectoris sint dolores, additur piperis aliquid & myrrhæ: si dissolutio stomachi, ex frigida aqua sumitur, siue intus, siue extra, purulentis excreationibus: item lienosis, hepaticis, ischiadicis: ad renum uitia, suspiria, orthopnœas. Arteriæ scabritias lenit ex passo tribus obolis potis tritum, itidem eius decoctũ. Lichenas quoq; ex aceto impositum purgat. Bibitur contra inflationes, perfrictiones, febres frigidas, singultus, tormina, asperitates, capitis grauitatem, melancholicas uertigines, lassitudinẽ, dolores, & conuulsiones. Rhapontícum, ut Dioscorides scriptum reliquit, inflationes, stomachi dissolutionem, & omne genus dolores emendat. Vsum suum præstat ad conuulsa, rupta, splenìticos, iocineroſos, tormina, renum, uesicæ & pectoris uitia: aduersus intenta præcordia, & si uteri fœminas infestent: item coxendicum dolores, sanguinis excreationes, suspiria, singultus, dysenterias, cœliacos, ambitus febrium, uenena serpentium. Datur in singulis ualetudinibus, eadem qua agaricum mensura, & in eisdem liquoribus, si febri careãt, in mulso: sin aliter, ex aqua mulsa. Si dissolutio stomachi est, manditur, & sine liquida sorbitione deuoratur. Insignita & liuentia, lichenasq; tollit cum aceto illitum. Inflammationes omnes etiã ueteres ex aqua litũ, diffundit. Porrò uis eius præcipua intelligitur spissandi, & guttantia substringendi cum quadam excalfactione.

Gentiana. Cap. III.

GEntianæ folia iuxta radicem erumpunt, plantaginis aut nucis iuglandis similitudine, aliquatenus rubentia, sed quæ articulatim à medio caule cacuminibusq; prodeunt, breuioribus crenis serrata uisuntur, scapo inani, fistuloso, binũm cubitorũ altitudine, leni, geniculato, non iugi serie, sed interuallis maioribus foliato. Semen fundit in calycibus latum, spondylio simile, glutinosum, sine põdere, quod paulis cõtinetur lenibus & quadam tenus compressis. Radicem mittit prælongam, aristolochiæ longæ non dissimilẽ, uliginosam, sed amaro gustu, crassam inodorãq;. Vbiq; nascitur, sed præstãtissima in Illyrico, unde sibi regium inuentoris nomen arrogauit. Gentius Illyriorum rex, eius reperit usum, folio fraxini sed magnitudine lactucæ, caule tenero pollicis crassitudine, cauo & inani, ex interuallis foliato, triũ aliquãdo cubitorũ, radice lenta, subnigra, sine odore, aquosa, mõtibus sub Alpinis plurima. Nomẽ apud omnes officinas retinet. Vsus eius in radice & succo radicis. Natura est excalfactoria, sed prægnãtibus nõ bibenda. Stomachũ corroborat ex aqua pota. Datur madefacta pridie contrita denarij pondere in uini cyathis tribus ad tussim, suspiria, tormina. Farina eius ex aqua tepida fabæ magnitudine pota, interaneorum uitijs occurrit. Potatur ruptis, conuulsis, & ex alto deiectis radix trita. Illinit ulceribus quę serpunt, radice tusa uel decocta in aqua ad mellis crassitudinem, uel succo uulneribus. Ex ea factũ lyciũ aduersus angues, præcipuè duabus drachmis cum pipere tritis in uini cyathis sex, siue uiridis, siue sicca bibitur. In facie aliaq; cutis uitia & maculas omneis emendat. Tanta huic uis tribuitur, ut iumentis etiã non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus auxilietur pota.

Vis Dioscoridi excalfactoria, & astringens. Contra serpentium ictus auxilio est duabus drachmis cum pipere, ruta, & uino pota. Succi drachma laterum doloribus, præcipitatis & è sublimi deturbatis, uulsis, ruptis opitulatur. Hepaticis, stomachicis sumpta ex aqua succurrit. Radix collyrij modo subdita partus expellit. Vulneraria est, conferens æque ut lyciũ. Vlceribus profundis & sinuatim depascentibus medetur. Epiphoris oculorũ utiliter illinitur. Pro meconio collyrijs immiscẽ acribus. Radix uitiligines emaculat. Succus hac ratione colligitur, Contusa radix quinq; diebus aqua madescit, postea tãtisper coquitur, dum aquæ radices superstent: deinde refrigeratur aqua, & linteolo percolata, iterum discoquitur dum mellis crassamentum contrahat, demum in fictili conditur.

Aristolochia. Cap. IIII.

ARistolochiæ tria genera Græci seruant: unum tuberibus radicum orbiculatis, quæ fœmina dicitur, multis à radice germinibus, longioribusq; uiticulis fruticosa, foliis hederæ modicè rotundantibus, cum acrimonia odoratis & mollibus, flore pileoli similitudine candido, rubrum ambiente capitellũ, fructu herbaceo luteisq; tenijs uirgato, grauẽ spirãte odorẽ. Hęc omnibus officinis *rotunda aristolochia* cognominatur. Alterũ masculæ, radice longa, procerioribus foliis, exilibus ramulis dodrantalibusq;, flore purpureo, graue uirus olente, qui cum dehiscens emicuerit, in bacculam pyro conformẽ turbinatur. hæc seplasiarijs omnibus *longæ* nomen *aristolochiæ* meruit. Hæc radicem agit promissiorem, crassitudine digitali, longitudine quadrantali, carnoso cortice. Alteri radix in orbem rapi modo conglobata cõspicitur. Vtraq; fert bacculas uelut cappares, colore intus buxeo, amaro gustu, odore uiroso. Tertiũ assignatur aristolochiæ longæ genus, quæ clematitis quasi sarmentaria cognominatur, tenuissimos fundẽs ramulos, frondososq;, foliis rotundis, sedo minori similibus, flore rutaceo, radicibus longissimæ tenuitatis, crassi & odorati corticis, priuatim unguentis pro spissamento quæsitis. Omnes radice tantum commendantur, quibus medicatus spiratur odor. Inter nobilissimas aristolochiæ nomen grauidæ dederunt, quòd puerperis optimæ crederentur. Latini malum terræ uocant, & quatuor genera eius seruant. Vnum tuberibus radicum rotundis, foliis inter maluam & hederam nigrioribus pinguioribusq;: alterum masculæ, radice longa quatuor digitorũ longitudine, baculi crassitudine: tertium longissimæ tenuitatis uitis nouellæ, cui sit præcipua uis, quæ clematitis uocatur, ab alijs cretica. omnes colore buxeo, caulibus paruis, flore purpureo. Ferunt bacculas paruas ueluti cappharis. Valẽt radice tantum. Est & quæ pistolochia uocatur, quarti generis, tenuior q̃ proximè dicta, densis radicis capillamentis, iunci plenioris crassitudine. hanc quidam polyrrhizon cognominant. Odor omnium medicatus. Theophrastus folium ei reddidit alsinę, rotundius tamen, colorẽ atrum, gustũ amarum, odorem suauem. Adiecit optimã montibus effodi, ualere si quis caput fregerit, & cõtra serpentũ morsus, & ulcera, ad accersendũ somnum. Vlceribus capitis adhibendam præcipiũt aqua subactam, reliquis derasam in melle & uino. Contra serpentiũ ictus ex uino acido bibi debet, & morsus respergi: ut somnũ appellet, in nigello uino austeroq; cõtrita datur. Si uulua prociderit, decocto colluisse conuenit. Ad secundos partus euocãdos pessi modo subdit. Hęc nono de plantarum historijs à Theophrasto tradũtur, quæ ferè uerbotenus in eiusdẽ uoluminis calce repetũtur, hoc tantum discrimine, quòd folio rotundo cõstare hic tradit, illic folio alsinæ. Plinius quartũ genus adiecit uocãs pistolochiã, exiliorẽ proximè dicta, frequenti radicũ capillamẽto, iunci plenioris crassitudine, unde & polyrrhizos à multis cognominatur. Rotũdæ radicẽ summopere pisces expetũt. Itaq; si contusam, ammixta calce, mari sparseris, aduolabũt pisces cupiditate mira, cõtinuoq; exanimati fluitabunt, idq; Plinius corã se factũ testatur. ob id piscatores in Campania uenenum terræ uocabant. Nunc & cyclamini radice itidem contingit. Nostrates tamen officinæ bacculas ostendunt laurinis non dissimiles, quas *Orientis coccos* à negociatoribus didicerunt appellare, quæ tritæ cum caseo & amnibus respersæ, magnam ad se piscium uim alliciunt, ita ut eò loci uniuersus fluminum ferè populus confluat: dein escæ huius illicio capti pisces, facile uerriculo sepiuntur, aut manu piscatorum prenduntur. An aristolochiæ cuiusdã fructus fuerit clam me est, cum herbam harum baccarum parentẽ nec uulsam nec hærentem uiderim. Radices effodere messibus est tempe-

tempestiuum. Nascuntur ferè pinguibus locis, planisq;. Maximè cõmendatur Pontica, & in unoquoq; genere põderosissima quæq; medicinis cõuenientissimè dicata. Quæ oblonga radice, tenuioriq; est, gratior habetur: carnosi enim est corticis, unguentis quoq; nardinis cõueniens. Nascuntur pinguibus locis & cãpestribus. Effodere eas messibus tempestiuum, ita desquamato terreno seruantur. quinq; aut sex annos durant. Rotunda contra serpẽtes: oblõga in summa tamen gloria est, etiã si modo à cõceptu admota uuluæ in carne bubula, mares figurat, ut traditur. Quæ polyrrhizos cognominatur, conuulsis, ex alto præcipitatis, radice pota ex aqua, utilissima esse traditur. Semine pleuriticis auxiliari, neruos cõfirmare & excalfacere putatur. Putrida ulcera exest, sordida expurgat, uermesq; extrahit: itemq; clauos in ulceribus natos, & infixa corporis omnia præcipuè sagittas: & ossa fracta cum resina: caua ulcera explet per se, & cũ iride: recentia uulnera ex aceto. Aristolochię radix in uini hemina sæpius datur bibẽda contra serpentiũ ictus. Itẽ prodest illita. Similiter pistolochiæ. Quin & omnino suspensa supra focũ fugat domibus serpentes. Pluribus modis aristolochia grauidis prodest. nam & mẽses & secundas cit, & emortuos partus extrahit, myrrha & pipere additis, pota, uel subdita. Vuluas quoq; procidẽtes inhibet potu uel suffitu, uel subiectu, sed maxime tenuis. Singultus sedat. Vitia stomachi pota sanat. Dyspnœæ medetur obolis ternis ex aqua calida aut lacte asini pota. Cõtra serpẽtes bibitur. Vigilijs remedio mõstratur, & odore peruncto capite perfrictionibus resistit. Multi super omnia laudãt ad deploratos dysentericos. Aristolochiã uictoriati põdere in cyathis uini tribus epotant. Iocineris uel laterum cõtortionibus, cum agarico pota medetur. Radix in fistulã additur collyrij tenuitate. Rotunda, ut placet Dioscoridi, cęteris uenenis resistit. Oblonga aduersus angues & uenena drachmę põdere in uino bibitur, uel ictibus opponitur. Menses & secundas à partu morantes pellit. Pecus emortuum utero extrahit, myrrha & pipere additis, pota uel subdita in pesso. Rotũda pollet ad eadẽ. Insuper ad suspiria, singultus, frigidas febres, lienem, rupta, cõuulsa, laterum dolores ex aqua singulari remedio est. Spicula & surculos corporibus infixos eijcit. Squamas ossium illitu euocat. Putrescentia excarificat ulcera, & eorundẽ sordes expurgat. Caua cum iri & melle replet. Gingiuis ac dentibus pro smegmate placet. Clematitis cognominata eosdẽ usus creditur repræsentare, quanquã ignauius. Non desunt græci qui tradant eã grauẽ febrim finire, sed nidore subditis carbonibus febricitantẽ suffiri præcipiunt, & ita febri promittũt liberari. Addunt, uulneribus illitu mederi: cum cypero autẽ & dracunculi semine, adiecto melle, narium carcinomatis resistere. In oleo decoctum & suillo adipe algẽtium horrores discutere.

Radix dulcis. Cap. v.

GLycyrrhiza, quæ Celso plurimisq; Latinorũ radix dulcis nũcupatur, frutex est ramos spargẽs binum cubitorũ altitudine, foliis lẽtisci, densis, pinguibus, tactuq; gũmosis, flore hyacinthi, fructu pilularũ platani magnitudinis, aspériore tantũ, atq; rubescentes lenticulæ ualuulas referẽte, radicibus prælõgis, buxeo colore, gentianę modo flauescentibus, sapore dulci, quadã tenus sub acerbo, quę lycij modo curatę cogũtur in succũ. Eandẽ esse cum Theophrasti scythica nemo diffitebitur, qui eius uerba lectitarit: quãdo dulcẽ esse cõmemorat, nasciq; circa Mæotim paludẽ, ad suspiria perq; utilẽ & tussim quæ nihil emolitur humoris, siccã dicunt, & in totũ affecti pectoris medicamento natã. Quin et ex melle ulceribus mederi: sitim etiam restinguere, si teneatur in ore. Qua de causa Scythæ hac cõtenti, decem, duodecimq; dies degunt, & uitam non aliter q̃ hippacę esu prorogant. Quod Plinius undecimi uoluminis calce confirmat. Quæ dã enim exiguo uictu famẽ ac sitim sedant, cõseruantq; uires ut butyrum, hippace, glycyrrhizon. Hippacẽ apud Theophrastum Theodorus equestrẽ uertit, quasi radix esset dulci radici par ingenio ad abigendã sitim famemq;. Sed Dioscoridis Plinijq; testimonijs constat hippacen equinum esse caseum, non radicem aut herbam. nec id progigiosum uidebitur, qui Plinium audiuerit referentem Zoroastrem in desertis caseo uixisse annis uiginti, ita temperato ut uetustatem non sentiret. Plutarchus Symposiacorum quarto memoriæ prodidit nonnihil consimile, Sosastrum nullo alio potu cibo ue quàm lacte totius uitæ curriculo uictitasse. Quapropter in alterutro mendi uix faceret suspicio, nisi utrolibet eadem uox lectitetur; sed aliorum sit hoc iudicium, sat nobis fuerit

huius diuersitatis obiter hoc in loco cõmonuisse. Dulcis radix ea nobis intelligitur quæ officinis dicitur *liquiritia*, extrita (quæ uocabuli caput erat) litera, Galli *rigolitiam*, quidã *erucliſſam* uocitant, pueris omnibus nobilẽ, qui frustatim sectã aquæ demergunt uitreis ampullis ad hauriendam dulcedinẽ ebibendumq; succum. Nam hæc fruticosa est lentiscinis frõdibus, densis, tactu pinguibus, sequaciq; lentore glutinosis, flore hyacinthi, fœtu pilularũ platani crassamẽto, sed asperiore, radicibus ceu uitiũ prælõgis, dulcibus. Hæc nusquã nõ ferè seritur. quæ si semel cõprehenderit, tã pertinaci fertilitate cohæret, ut uix unquam possit radicitus extirpari, tam restibili fœcũditate regerminat. Sed mirari subit, quur Plinius inter aculeatas sine dubio retulerit, & ideo post acanũ statim glycyrrhizã subiunxit, & alibi quædã spinosa foliata prodit ut carduũ, eryngiũ, glycyrrizon, & urticã. His enim omnibus aculeatã inesse mordacitatẽ fatetur, foliumq; glycyrrizæ reddidit echinatũ, cum id glabrum sit & læue, nec ullo spinarum sepitur uallo, nullis omnino sæuit aculeis. Verum enimuero id paulatim à pediculo in latitudinem se fundit: deinde coeuntibus sensim oris in arctũ premens agitur ita ut fastigiet se molliter, & in turbinẽ quadãtenus mucrone tur, qui tamẽ nec in eã occallescat duritiẽ, ut aculeosa mordacitate rigeat. Quid enim echinatũ dici meruit, nisi quod instar echini septo spinarũ inhorrescat? Sic dipsaci caput innumeros erigẽs aculeos, iure Dioscoridi Plinioq; censetur echinatũ. Sic quoq; castaneæ calyx nullo cõtrouersu dicetur echinatus, carduorumq; cacumina multis spiculis muricata subrigũtur, ita ut quandã erinaceorũ effigiẽ repręsentẽt. Multorũ etiã aculeatorũ uertices summi spinarũ armãtur populo, sic ut globosa spiculorum cõgerie maris echinũ uel erinaceũ mentiãtur. Ergo cũ glycyrrhizę foliũ, nec aculeorũ agmine stipetur, nec quouismodo sit spinis infestum, sed exacta lęuitate glabrescat, nemo cẽsuerit echinatũ: nec quispiã in foliis nisi merum læuorẽ, si nõ sensus tangentẽ defecerit, facile deprehendet. Est itaq; dulcis radix lentisci folio. Quòd si uidere per raritatem non licuerit, buxi propemodum simile cõspexeris. Lentiscinum si forsitan regio denegauerit, inuenies subinde gũmi mastichæ, quã fundit hæc arbos, adhæsisse. Pliniũ itaq; suspicor glycyrrhizã, rem omnibus ferè nũc cõpertam, nõ satis nouisse, secutumq; sui codicis fidẽ magis quàm rei naturã uel historiã, affinitate græcæ uocis deceptũ, qui ἔχινον pro ξύινον, id est echinũ pro lentisco, facili lubricoq; non aduertentium lapsu uidetur lectitauisse, præsertim cum principes horum uocabulorum literæ cum χ elementum habuerint annexum, à sciolis librarijs, pensili quadam scripturarum compage, confundantur, ut alterum identidem alterius uice uersibus exaretur. Plinianus error facile deprehenditur, cum hoc tantum folij discrimine in reliquis omnibus cum Dioscoride uerbotenus sentit. Nec excusare quis potest exẽplariorum deprauationem, quæ multo minus quàm nunc habeantur erant mendosa. Non sunt audiendi qui dedita opera, ne descisçant usquam à Pliniana sententia, uel ut pertinacius eius partes tueantur, quàm consulant ueritati, credant olim glycyrrhizam spinis fuisse prędĩtam, uerum mangonio longi cultus edomito rigore, tandẽ mitigatam. Nã diligentia, uti spero, mitiores, innocentioresq; reddere spinas potest: in totum, quod equidẽ scĩã, non potest abolere. Præstantissima in Cilicia, deinde Ponto. Sed forsitan uerbosius quàm efflagitaret rẽ sum prosecutus, iam ad nostrum pergamus institutum. Carpitur Vergiliarum occasu, lõga ceu uitis, coloris buxei, Præstantissima in Cilicia, secunda in Ponto. Radix tantũ in usu melior quæ nigra, quæq; lenta, quàm quæ fragilis, exiguo gustu. Sitim ac famẽ sedat: seruátq; uires. Decoquitur ad tertias, cætero ad mellis crassitudinẽ: aliquãdo & tusa, ex quo genere uulneribus imponitur, et faucium uitijs omnibus. Item uoci utilissimo succo, sic ut spissatus est, linguæ subdito: item thoraci, iocineri. In ore habentes sitim non sentiunt, ob id quidam adipson appellauere eam, & hydropicis dedere, ne sitirent. Non parum auxilij confert ijs qui perpetua siti excruciantur: ideo cõmanducata stomatice est, & ulceribus oris inspergitur. sæpe & pterygijs. Sanat uesicæ scabiem, renum dolores, condylomata, ulcera genitalium. Dedere eam quidam potui in quartanis drachmarum duarum pondere, & pipere, hemina aquæ. Commanducata sanguinem sistit ex uulnere. Sunt qui & calculos ea pelli tradiderunt. Vsus succi apud Dioscoridem ad arterias exasperatas: cõmendatur ita linguæ subditus ut eliqueſcat. Lycij exemplo spissatur in succum, qui ardoribus stomachi, iocineri, & thoraci remedio est. Emẽdat uesicę scabiem, & renum dolores cum

passo

passo potus. Sitim fugentiũ restinguit. uulneribus prodest circũlitus. Stomacho cõmanducatus auxiliatur. Radicũ recentiũ decocto cõmoditas eadẽ præstatur. Eiusdẽ pterygijs illinendis probatur.

Centaurium maius. Cap. VI.

Centaurij laudes longum esset exequi, cum & Galenus medicus priuatim uolumen ei dicauerit, per singula membra hominis digestum. Folia habet nucis iuglandis oblonga, uiridi brassicarum colore, serrata in ambitu, caulẽ rumicis, binum ternumq; cubitorum, agnatis multiplici sobole fruticantibus ab radice, in quibus capita ceu papauerum, è rotundis oblõga. Flos in cæruleũ inclinatus, semenq; cnico simile, floccis inuolutum ut in lanigeris solet floribus, radice uasta, solida, ponderosa, bicubitaliq;, succo madida acri cum astrictione quadã, nec citra dulcedinẽ rubescente. Rubet & succus. Gaudet pingui solo nasci apricis fruticosisq; collibus. Hæc est quæ nunc ab officinis, quanquã falso, ut ostendimus, *reuponticum* nominatur: nã id ab radice fruticosum, caulibus ternum cubitorum, geniculatis, folio iuglãdis per ambitũ crenato, uirenti & oblongo, flore subcæruleo, capitibus papaueraceis, semine cnici, radice uasta, fragili, tenera, rubescente, succulenta, & succo madente rubro. Si natales libeat contemplari, eam collibus explorabis, qui pubentibus uirent lucis, & nemoroso cingũtur orbe. siquidẽ gaudet apricis, & frutectosos amat tractus, & arboribus cõfertos. Magno in errore uersantur nostræ ætatis herbarij, qui nulla ueterum authoritate nixi, cẽtaurium longè ab hoc & facie & ingenio dispar maioris cognomine demonstrant, cubitali coliculo, frondibus salignis, aliquanto maioribus per interualla binis, auersa parte candicantibus, interna uiridibus & ferè connexis, flore luteo: uerum relíqua deliniatio, nedũ flos & folium, apertissimè reclamant. hæc magis lysimachiæ propria sunt, quæ caules profundit cubitales, fruticosos, emicantibus articulatim folijs, effigie salicis sed uiridioribus, flore rufo uel auri colorem æmulante, de qua suo differemus ordine. Nec id abolendum silentio quod Nicander in theriacis prodidit, cẽtaurium repræsentans amaraci folio, fusa ambiente coma, floribus auri fulgore micãtibus, radice per summa cespitum uagante, nec in altum acta. hac, ut idem tradit, Pelethronium nemus scatet. Inuenit eam in Pelio monte Chiron Centaurus. Theophrastus chironiq; folium amaraco simile reddidit, maius tamẽ, hirsutius, florem auri specie, radicẽ longam. humiles amat situs. Theodorus legisse uidetur lapatho, cum foliũ rumici simile fecerit: sed ex Nicandro, et eius enarratore Theophrasti uerba citante, Plinio, & Dioscoride, amaraco legendum esse nemo dubitabit qui hos euoluerit authores. Folij quoq; discrimen quo designatur maius & hirsutius, interpretationi defuisse, & forsitã Græco exẽplari cõstat, quę in suã sedẽ relegari debent. Itẽ τὰ πίονα legit Theodorus, pinguia. Verba subdidimus authoris, τὸ δὲ χειρώνιον ὅμοιον ἀμαράκῳ, μεῖζον δὲ καὶ τραχύτερον, ἄνθος δὲ χρυσοειδὲς, ῥίζαν μακρὰν. φιλεῖ δὲ μάλιστα χωρία πετρώδη. Sed dicta Theophrasti & Nicandri de panace chironio, nõ de centaurio debent intelligi, cũ Dioscorides & Plinius in mentione panacis, nostro subscribant iudicio. Quæ ad ueterẽ pertinent religionẽ, in calce capituli posita, ubi legendã appetente solis ortu præcipit, sunt indigna quę ad tantũ authorẽ referantur, præsertim cũ imbutus hac superstitione nusquã inueniatur, imò uerius ijs uulgi uanis opinionibus deprẽditur obstrepere, & magicas illusiões explodere. Quapropter si cui fuerit in animo partẽ hanc expungere, nihil rei literariæ detrimenti fuerit allaturus: quãdo, si uetustissima quęq; cõsulantur exẽplaria, tale nihil offendetur. Id tamẽ non est silẽtio prætereundũ, quod Galenus Crateuæ testimonio fretus, eo de uiribus cẽtaurij libello quẽ Papiæ nuncupauit, modo fuerit huius authoris opus, folia satiui rumicis nõ iuglãdis maiori cẽtaurio reddidit, minora tantũ, ambitu serrato dẽticulata: caulẽ tripalmeũ, rubro madentẽ liquore, in cuius uertice farctũ lanosis flocculis caput extuberat, marini cãcri nõ dissimile, radice solida, ex acerba dulci. Prouenit illustratis à sole locis. Radix durat annis non ultra duodecim. Cẽtaurio curatus dicitur Chiron, cũ Herculis excepti hospitio pertractanti arma sagitta excidisset in pedẽ, quare aliqui chironion cognominãt. Laudatissimũ in Arcadia, Elide, Messenia, Pholoe, & Lyceo, atq; in Alpibus, pluribusq; locis in Lycia. Vis uulneribus tanta, ut cohæresceré etiã carnes tradant, si coquãtur simul. In usu radix tantum duabus drachmis bibenda, quibus dicetur, si febris sit, in aqua trita, cæteris in uino. Medetur & omnium morbis decoctæ succus. Priuatim ad-

uersus

uersus angues radicis drachma in uini albi cyathis tribus bibitur. Eadem in uuluæ doloribus potu uel suffitu prodest. Facit per se faciles excreationes, & sanguinẽ reiicientibus auxilio est. Stomachũ corroborat. Difficultati spirãdi medetur eclegmate. Pleuriticis & peripneumonicis bibitur cũ dauco. Phthisicis in uino prodest. Maiore tormina discutiũtur. Regius morbus, qui sit citra febres, impugnatur cẽtaurio maiore poto. Potatur à ruptis, cõuulsis, et ex alto deiectis. Vlcera, quæ cacoethe uocãt, sanat, insparsum uel illitũ. Datur Dioscoridi radix ad rupta, conuulsa, laterũ dolores, anhelitus, uetustas tusses. Ad excreationes cruẽtas in uino, si febris nõ sit: aliàs in aqua trita duabus drachmis bibitur. Eodẽ modo torminibus medetur, uuluarũq; doloribus. Mẽses & partus in tenuitatẽ collyrij dera/ 10
sa & subdita euocat. Potentia succo eadẽ. Recẽs & mustea uulnera glutinat, & iungit. Carnes coalescunt si tusa simul coquatur. In Lycia succum exprimunt, quo pro lycio medentes utuntur, Sunt qui panaceam cognominẽt, quoniã succurrat omnibus uitijs ubi aliqua timeatur inflammatio, plurimisq; polleat remedijs. Illisa uulnerum labra tradunt cõmitte re, subtillum lotium calculosos q; sanare subter in aluum inditam. Legendam præcipiunt cum sol emergit, hora pura, dum luce syderis erumpentis uniuersa complentur. 20

Centaurium minus. Cap. VII.

CEntaurium cognomine minus, quod aliqui libadion uocãt, quoniã secundũ fontes nascitur: alij limnesion, q; propter lacus in riguis ubertim prosiliat: officinis hodie *centauria minor*, Latinis fel terrę propter amaritudinẽ summã, nõnullis febrifugia uocitatur, origani hyperici ue simile, caule sesquipalmũ alto, fruticãti anguloso, lychnidis floribus è puniceo purpuratis, folio rutę prę longo & minuto, partu triticeo, radice tenui, superuacua, & prorsus inofficiosa, succo herbæ efficax. Theophrastus author centaurium in Elio agro fœcundũ esse: quod mõtuosis prouenit, sterile: quod planis nascitur, floretenus exhilarari: quod cõcauis ædítur, ne flore re quidẽ, nisi improbe. Tertiã adiecit Plinius centaurim cognomine triorchẽ, quoniã qui eruunt, ut Theophrasto placet, iubẽtur buteonẽ accipitrũ generis auẽ cauere, quãdo non raro uulnerãtur ab alite, qui legunt. Addunt defendi eã impugnariq; carpẽtes à triorche, id est triplici teste prædito buteone, à quo & nomen accepit. hæc succũ sanguineũ mittit. Subdidit Plinius imperitos hæc omnia confundere, & uni generi assignare. Porrò hæc Theophrasti scripta de tertia quadã cẽtaurij specie, quã triorchon Plinius cognominauit, uelut ab ijs duabus discrepãte, nõ possunt audiri: quandoquidẽ Galenus, Paulus, cęteriq; omnes gręci hoc maioris tantũ & minoris discrimine sunt cõtenti, Nec hoc unũ, quod ad superstitionẽ solã pertinet, Plinio mouere debuit, ut cognomẽto triorchis nouũ genus effingeret. Nec Theophrasti uerba de alio q; de maiore, tenuiue faciunt mentionẽ. Qui eã (inquit) secat, rarũ est ut sine uulnere discedat: impetitur enim à buteone, qui Gręcis triorchis, à testiculorũ ternione, nũcupatur. Quod maxime Plinio suasit, ut secretũ ei genus assignaret, id existimo fuisse, q; sanguineũ succũ, p funderet: sed hoc authore Galeno, Dioscoride uelut peculiare cẽtaurio maiori tribuitur, cuius radix rubro turget liquore ut suprà latius fuit ostẽsum. Nec itaq; hæc colligendi superstitio, nec manatio rubẽtis succi, nos satis cõpellunt ut tertiã adscribamus ei speciẽ. Nec apud Theophrastũ usquã sibi triorchis cognomentũ offenderis usurpasse. Discreuit has notas Plinius, & uarijs assignauit generibus. Minus centauriũ succo efficax. Ipsa herba autũno legitur, succus è frõde. Quidã cau les cõcisos madefaciunt diebus duodeuiginti, atq; ita exprimũt. Hoc centauriũ Latini fel terræ uocant propter amaritudinẽ summã: Galli exacũ, quoniã omnia mala medicamina potũ è corpore exigat per aluũ. Articulis tumẽtibus è minori cẽtaurio mire prodest. Purgat idẽ aluum drachma in hemina aquæ cũ exiguo salis & aceti, bilemq; detrahit. Purgat uuluas minoris succus potus, fotuq; mẽses cit. Fistulis quæ omni parte serpũt auxilio est, collyrijs cum melle decocto additis. Coma eius decocta uel trita uetera purgat ulcera & persanat. Recens herba, ut uult Dioscorides, suo litu uulnera glutinat. Vetera ulcera purgat, eaq; ad cicatrices perducit. Bilem, crassosq; humores per aluũ exigit. Infuso eiusdem decocto coxendicũ dolores leuantur, trahit enim sanguinem. Succus oculorum medicamentis perquam utilis. Cum melle caliginẽ oculorum, & ea quæ obstant claritati discutit. In uellere subditus menses & partus extrahit. Priuatim articularijs morbis auxilium

in potu

in potu præbet,& neruorum uitijs.Legitur cum semine prægnans est,& diebus quinque macerata decoquitur, donec aquæ superemineat: mox ubi refrixit linteolo exprimitur, herbaq; detracta rursus coquitur usq; dum mellis crassitudinem habeat. Aliqui uirēte cōtusa & adhuc turgēte liquorē excipiūt,quē cōiectum in fictile nō picatum in sole uersant, lignea miscentes rudicula:& quod lateribus in ambitu cohęrescit,terētes decutiunt in humorē,noctu probè cooperiētes:cauētur enim rores nocturni,ut qui succos spissescere cološtraricq; prohibeant. Quæ autē siccis radicibus aut herbis exprimuntur liquamenta decocta,ut in gentianæ mentione retulimus,curantur.Sed quæ corticibus humidis aut herbis recentibus eliciuntur in sole,uti dictum est, dum crassescant, coguntur. Sic è thapsia, sic è mandragora succus,sic ex uuis acerbis mellīgo extrahitur.Lycium quoq;,absinthiū, & hypocisthis,& id genus similia coquuntur,uersantur,coagulantur.

Chamæleo albus. Cap. VIII.

Chamæleo albus folia sylibi habet,aut cardui, asperiora & acutiora quàm nigri robustioraq; :caule uacat, uerū è medio sinu spinas echini marini aut cynaræ modo subrigit, purpureis floribus & crinitis, qui in papporum lanugines euanescant. fructus assimilis cnico. Radix lætis & pinguibus crassa, ieiunis & mōtosis gracilior,cādida,gustu dulcis, odorata,sed uirus aliquantū olens.Hunc album chamæleonē nec herbarij nec medici,pace semper eruditorum dixerim,norunt, cum spinā non excaulē, sed longo præditā thyrso demonstrent ab hoc plurimum abhorrentē. Siquidē in terra serpit in erinacei modum aculeos erigens, caule prorsus deficitur,sed è medio foliorū cōplexu statim ab radice caput exerit breui pediculo fultum,& spinis densioribus echinatum,in quo flores emicant capillati,purpurascentes,qui se in lanugines uocatas pappos dissoluant,& tandē in auras abeuntes uolitent: fœtu cnico nō dissimili,radice candida,dulci.In neglectis agrorum limitibus,& mōtium glabretis passim inuenitur. Quo nihil temere nobis occurrit frequentius,& iter agentibus obuiam offert: nullum tamen apud nos,quod demiror,nomen retulit uernaculum,uulgoq; in solo censu spinarum reputatur.Sed si faciem eius aliquando libuerit explorare,solam offenderis ex omnibus spinis humi sessilem, capite propter terrā stylo breui nitente, medioq; foliorum coitu prosiliente. Vt Theophrastus memoriæ prodidit,nascitur ubiq;,carduiq; folio uerum ampliore. Repit in terra,grande caput & acanaceū exerens,unde quidā acanum appellarūt:radice crassa,grauiter olente,quā iubet orbiculatim cōcisam & serie trāsfixam,seruari funiculis pendentem,decoquitq; in cibo contra profusiones alui.Pellit lata interaneorum animalia cum uua passa acetabuli mēsura in uino austero pota. Canes necat in farina hordeacea subacta,cum aqua & oleo:sues cum brassica. Volentibus experiri uicturus sit æger nec ne,præcipiunt radicis diluto perfundi triduo qui langueat,ternas uices qui pertulerit moriturū negāt.Author est Theophrastus.Mutat cum terra colorē,hic niger, illic uiridis, aliubi cyaneus,aliubi croceus, atque alijs coloribus: quare à uarietate foliorum euenit ut chamæleo uocetur. Candidus hydropicos sanat succo radicis decoctæ,bibitur drachma in passo. Pellit & interaneorum animalia acetabuli mensura succi eiusdem in uino austero cum origani scopis. facit ad difficultatem urinæ. Hic succus occidit canes,suesq; in polenta. Addita aqua & oleo contrahit in se mures ac necat, nisi protinus aquam sorbeant. Radicem eius antiqui concisam seruari iubent funiculis pendentē,decoquuntq; in cibo cōtra fluxiones, quas Græci rheumatismos uocant.Radix acetabuli mensura pota latas interaneorum tineas pellit,in uino austero pota cū origani decocto. In aqua subter cutem fusa denarij pondere datur in uino, extenuat enim tumores quos ea cōcitauit.Decoctum difficultatē urinæ tollit potu.Hausta in uino serpentium uenenis resistit. Canes,sues, muresq; perimit si in polenta exhibeatur, aqua & oleo additis.

Chamæleo niger. Cap. IX.

Hamæleo niger folijs cardui similibus exit, minoribus tantū,tenuioribus ac rubentibus.Caulem fundit digitali crassitudine dodrantalem,subrubrum in cuius fastigio umbellam obtendit & flores spinosos tenues, hyacinthi æmulos,uersicolores:radice crassa,nigrante,prædensa,quæ nōnunquam corrosa spectetur,& dissecta in subfuluū colorē elāguescat, linguamq; cōmanduca

uellicet

uellicet. Hanc herbam hodie uulgus *cardonettum* uocat, ſemine cuius utitur ad cogendum lac, coaguli uicem peńſante: inſtitores ſeplaſiarij *chamæleontam nigram*. nam hæc caulem eue hit dodrantalem, pedis altum, digitum æquãtem craſſitudine, ſubrubrum, folijs proximæ minoribus, nõ uſque eo muricatis, leuiter puniceis, hiſpido flore, hyacinthina purpura uariato. Totam ſtirpẽ Theophraſtus ait umbraculi ſpeciem repræſentare, radicecꝫ foris nigra, intus ſubflaua niti, gelidos amare ſitus humenteſcꝫ: lepras & uitiligines abolere: illita ſcobe eius ex aceto canes enecare. Galenus huius radicẽ, ut quę delibutoriũ eſſet uenenũ, damnauit, & prorſus uſum interius abdicauit, monẽs foris tantũ apponi, ad abigendã ſcabiẽ, amoliendas impetigines, delendaſcꝫ uitiligines, & omnia quæ deſiderant abſterſionẽ. Paulus ſententiæ Galeni accedit. Sed is locus poſcere uidetur, ut de ixia diſſeramus, de quo nõ ſatis inter Græcos & Latinos authores cõſtare uideo. Plinius pleriſcꝫ locis grẽcorũ ixiã uiſcum nominaſſe dignoſcitur, an recte tamen neſcio: nã tragoriganũ contra uiſcũ potũ, uiperæcꝫ ictum efficaciſſimum tradit. Item oxymel, ut inquit, antiqui profuiſſe fatẽtur cõtra ſerpentes quos ſepas uocant, & contra meconiũ & uiſcum. Abſinthij quoꝫ genera aduerſari meminit fungis ex aceto, itẽ uiſco: porrò teſtes caſtorum priuatim auxiliari contra uiſcũ ex aceto. Rurſus prodidit, rutã aut per ſe, aut pro antidoto tritis folijs & cũ uino ſumptis ualere cõtra aconitum & maxime uiſcum. Reſinas idem priuatim aduerſari uiſco profitetur. Cõſimilia ferè Dioſcorides ſuis locis reddidit. Siquidẽ in abſinthij mẽtione ipſum aduerſari uenenis ixiæ cũ uino cenſet. Itidẽ tragorigano dicato capite, omnia uoluit genera in uino bibi contra potũ ixiæ uenenum. Fibrinos teſtes itidem propinat cõtra tormina, ſingultus, uenena, ixiamcꝫ cum aceto. In libello quod uenenis nũcupauit, ruta cum reſina & caſtorio, ut ſingula denarij pondus æquent, utitur. Reſinã terebinthinam cum inibi cõmendauit aduerſus ixiã, tum alibi, pręſertim abietinam. Commemorat idem Dioſcorides mulſum acetum, uel ſi mauis oxymel, contra morſum huius uiperæ, quã ſepa uocãt, hauſtum meconium, ixiam ue auxilio eſſe. Denicꝫ ut rem in uerba conferã pauciſſima, laudauit in ixiæ uenenj mentione, abſinthium quod in aqua maduerit ex aceto mulſo potum, laſeris radicẽ, tragorigani decoctum, reſinam terebinthinam, caſtoriũ, nardum, iuglandes nuces, rutam, chamelææ & abſinthij ſuccum, quæ ſparſim uarijs locis aduerſus uiſcum Plinius cõmendauit. Quibus uerbis inuicẽ ultrò citroꝫ collatis, Pliniũ id ueneni genus, quod Græci dixerunt ixiã, appellaſſe uiſcum euidentius eſt, quàm ut pluribus egeat probari. Scribonius Largus in eo medicinæ libro, quem Caliſto nuncupauit, meminit ixiæ inter uenena, tanquam longè diſcrepantis à uiſco: græcam nimirum uocem ſatis ignotam pro uiſco re uulgatiſſima non uſurpaſſet, latino ſermone prædítus homo. Verba huius ſubdidimus, Ixia, quam quidã chamæleonta uocant, odorem habet cum ſumitur ocymi: pota linguæ tumorem facit, mentem abalienat, uentremcꝫ & omnes naturales exitus ſupprimit. Adiuuantur autẽ læſi ab ea abſinthio poto cum uino: itẽ caſtorij denarij põdo duo data ex uini cyathis quatuor & rutæ fruticibus quinꝫ uel ſex. Facit bene chamelæa denarij pondo tria ex uini cyathis tribus aqua mixtis. Datur nec minus laſeris radix ex uino, & tragoriganũ eodẽ datũ modo. Dioſcorides de ixia ſcriptũ reliquit, Ixia, quæ ulophonũ appellatur, inter potãdum ocymi præſefert odorẽ, uehementẽ linguæ ſuſcitat inflãmationem, mentẽ mouet, omnes excrementorũ exitus firmat, ſtrepitũ cum animi deliquio ciet. Iis inteſtina latrãt, nec excernitur quicquam. Quæ de uiſco, quo in aucupijs utuntur rura, capi non poſſunt, odore prorſus reclamãte: manſum ſiquidẽ nequaꝫ ocymum ſubolet. Quinimo cõplures manducando citra quancunꝫ noxã uiſcum efficiũt, acinorum expuentes corticem enatorum in robore, malo, pyro, cæteriſcꝫ id genus arboribus, buxeo fruticis folio. Vires item ei ab eodẽ Plinio, & Dioſcoride tributæ refragantur: nam uiſcum quo captant aues emollit, diſcutit, panos mitigat, cæteraſcꝫ collectiones ad maturitatem perducit, ulcera quoque commanducatum efficaciſſime ſanat: ixia uerò parit inflãmationem præſertim linguæ, omnem ſupprimens excretionem. Pugnant itaꝫ uiribus uiſcum & ixia: uiſcumcꝫ in cenſu remediorũ eſſe, ixiam in uenenorum duntaxat penu recondendum dubitabit nemo. Quinimò tantum abeſt ut uiſcum arboribus, pręſertim robore, lectum uenenis annumeretur, ut ſecundum Druidarum ſententiam, aduerſus omnia lethifera remedio polleat. Iis conſtat euidenter Plinium rem uenenatam cum

ſalubri

ſalubri confudiſſe, ixiam uiſci nomine comprehendentẽ. Quod ſi à uiſco deflexum uidea/
tur, quaſi uiſcilaginem dixeris ixiam, hoc cauſæ fuerit, conſimilis utriuſq; lentor. Nam ſi/
cuti uiſcum cuiuſcunq; rei cui hæſerit, tenax eſt: ita ſi deuoretur ixias, omnia glutinat inte
ranea, omnesq; cõtrahit recrementorũ exitus & colligat. Sic forſitan cum pro ueneno Pli
nium latina defeciſſet appellatio, maluit uti largiuſcula nominis ambage, q̃ uel greçam ſe
qui, uel nouam effingere nomẽclaturam. Hoc utique pacto Plinius ab erroris ſuſpicione
poſſet uindicari, quanq̃ Scribonius Largus antiquior eo, greco cõtentus uocabulo, libel/
lis ſuis ixiæ uocem ſatis protriuerat. Nemo tamen ab hallucinatione tueri poſſet Arabes,
etſi huic familiæ fuerit addictus, qui uiſcum aucupatoriũ in cenſu uenenorum annumera
runt: ſed hęc ante nos Leonicenus, uir acri ingenio & emunctiſſima nare, cum in hac mon
ſtrorum expiatione, tum aliis æditis ab eo interpretationibus optimè de poſteritate meri/
tus, imò uerius in debellandis domandisq; medicinæ prodigijs Italicus Hercules, hæc er/
rata diligentiſſime diluerat, quæ adiectis quibuſdam, ut eius firmaremus ſententiam, repe
tiuimus. Monendi ſunt lectionis Plinianæ cupidi, ut uiſcum locis citatis & aliis pleriſq; de
ueneno ixia capiant, non de eo quod aucupes in captandis auibus uſurpãt. Sed amplius
forte q̃ res eflagitaret, negotium protraximus. Non ſunt audiendi factionis Arabicę ſcri
ptores, qui græcorũ uocabulorũ uicinitate decepti, chamelæam quam interpretantur me/
zereon cum chamæleone cõfundant, pudendo errore. Ii perperam Pauli freti teſtimonio,
ſuum mezereũ albi nigriq; diſcrimine notãt, eiq; uires chamæleonis aſſignant: ſed euiden
tior eſt hallucinatio, q̃ ut nũc debeat refelli, ſat fuerit nobis defunctorie huius mendi com
monuiſſe. Sed iam quid ixias ueteribus fuerit nunc eſt inquirendum. Inter omnes cõueni
re uideo, chamæleonẽ non ubiq; lachrymam plorare, nec quocũq; anni tempore: quibuſ/
dam enim in locis uiſcum profundit album, ſub alis foliorũ, pręſertim appetente Canis or
tu, quo thura naſci dicuntur: unde & ixia, ut Plinius tradit, appellatur. Theophraſtus ſcri
ptum reliquit, eum qui in Creta inſula proſilierit, lachrymã reddere. Dioſcorides ad radi/
ces eius profundi uiſcum quibuſdã in locis adfirmat, quo mulieres utantur pro maſtiche.
Conſuluimus ſuper ea re Cretenſes, qui adhuc chamæleonis uiſco pennas ſagittarũ con/
glutinari reſponderunt: adijcientes, fœminas inibi mandere lucubrationũ gratia, ne ſom/
num ineant in opere. Quibus conſtat non ubiq;, ſed certis locis, & ſtatis anni temporibus
uiſcum collachrymare. Is itaq; chamæleo, qui uiſcum remittit, ixię, quaſi uiſcarij cognomi
ne donatus eſt. Hoc ſatis teſtatur Scribonius, qui ixiam uenenum quibuſdã appellari con
tendat, quod & item Heſychius adfirmat. Iis liquido conſtat, non omne chamæleonis ge/
nus, ixiæ, quaſi uiſcilaginis cognomen cõtraxiſſe, ſed is dũtaxat qui uiſco manaret. Quod
diſcrimen præuidens Nicander, cum in alexipharmacis ulophoni ueneni, quod omnium
cõfeſſu chamæleo cenſetur, meminit, adiecta nota ulophonon ixioen, quaſi uiſcoſum pro
tulit. Quod ſi quis, ut inquit, deuorarit, o cymũ olebit, lingua exaſperabitur, mox intume/
ſcens uredine flagrabit: eum deficiet animus, mens lababit, & ſtupore domabitur. Cibi &
potus itinera uelut inuiſcata offercientur, ſpiritus offocabitur, eliſusq; ueluti quodam ma
ris ſtrepitu, uel tonitrus fragore crepitabit. Cui remedia eadem repręſentat quæ Dioſcori
des & cæteri. Igitur ixias chamæleo quodam interaneorum conglutinatu pernicíem moli
tur. Album quoq; chamęleonem regionibus, quibus uiſcum non expuit, uenefícium non
fortitur: ſed dandum interius acetabuli menſura ſucci eiuſdem iu uino auſtero cum origa/
ni ſcopis, ad pellenda interaneorum animalia præcipiunt Dioſcorides, Plinius, Galenus:
item hydropicis, etenim eos extenuat. Contra difficultatem urinę iubent deinde propina
ri. Occidit tamen canes ſuesq;. Mures item necat in polenta, niſi protinus aquam ſorbeãt.
Chamæleonem etiam nigrum ferre uiſcum ulceribus utiliſſimum Plinius commemorat.
Nigri radicem ut lethiferam improbauit Galenus, habereq; nõnihil uenefícij profitetur.
Suadet tantum ea foris utendum aduerſus ſcabiem, impetigines, uitiligínem: eſſeq; exic/
cantium tertij, & calfaciẽtium alterius ordinis. Hoc diſcrimen Paulus Aegineta ſentiens,
priuatam in uenenis mentionem nigro chamæleoni dicauit: idq; merito, cum notas longè
ab ixia differentes, & diſſidentia incommoda potus oſtendat, nimirum ſi alia quoq; reme
dia repræſentauerit. Verba Pauli ſubiunximus, Aſſumptum chamæleonẽ nigrum uehe/
mens uellicatus ſequitur, laborq; cum ſtomachi ſubuerſione, corpus totum tremore con/

cutitur,mox cõuulsio succedit,pituitosi spumantesq; uomitus erumpunt.Sunt etiam qui cum singultu distortaq; facie obmutescant. Prodest ijs triticeus cremor pinguis,calidusq; potus,passum quoq; dilutum aqua.uomitio ciunda: lac hauriundum:mollis indatur clyster:fotus illinantur. Sed aduersus eum qui strangulatus & suggillationes mouerit,absinthium ex nitro & aceto mulso & radice bibendum opponit. Iuuabit & fouere præcordia. Videre licet utiq; nigri chamæleonis & ixiæ tam maleficia quàm notas omnino diuersas. Hinc ducor in suspicionem nonnihil à nimis sciolis librarijs Dioscoridi demptum fuisse, præsertim cum in recensione uenenorũ, statim in opusculi fronte,radicũ meminerit,quas fundit chamæleo,thapsia,ueratrũ & ixia.In reddendis tamen notis & remedijs ixiam tantum prosequitur,quum tamen aliter atq; aliter,ut ex antedictis patet,perniciem adferant. Hanc siquidem neruorum distentione, illam recrementorũ suppressu necem moliri declaratum est. Nec est simile ueri, scriptorem qui nihil in ijs intentatum reliquit,chamæleonis uenena silentio prętermisisse.Nec me fugit enarratorem Nicandri in alexipharmacis prodidisse genus esse blattarum colore nigrum,quod potum quiddam ocymi semínio proximum resipiat:sed error aperte repudiatur,nanq; Dioscorides in operis uestibulo,cum res quæ uim exitiosam habent, exposuisset,in ordinem ab animalibus, succis,liquamentisq; secreuit,& inter uenenatas radices ixiam retulit. Visciferum chamæleonem qui uiderũt, testantur herbæ illi cõsimillimam,quam uulgo *carlinam*, quòd uel forsitan Caroli regis sit inuentum,uel potius euariata litera *cardina*, quoniam generi carduorũ assignetur. Theodorus chamæleonem uernilaginem interpretatur, secutus fidem Græci exemplaris Dioscoridis,nescio an rectius à re uiscilaginem legi oporteat. Vtrunque uiscigerum Plinius tradit,sicuti suspicor uaricium scribẽdum,à uaricibus quas etiam Græci ixias dicũt.Chamæleo niger quadraginta annis durat. E nigris aliqui marem dixere, cui flos purpureus esset:& fœminam,cui uiolaceus. Radicibus eorum lichenes curantur cum sulfure & bitumine unà coctis.Commanducatis,aut in aceto decoctis,mobiles dentes stabiliuntur.Succo scabiem quadrupedum sanant. Ricinos canum necant, iuuencas anginæ modo strangulant: quare à quibusdam ulophonon uocatur, & cynozolon propter grauitatem odoris.Ferunt hoc uiscum ulceribus utilissimũ. Omnium generum radices scorpionibus aduersantur.Radix trita,adiecto atramenti sutorij momento,et oleo cedrino,& axungia,scabiem discutit.Lichenas cũ sulphure & bitumine simul incoctis & ex aceto illitis tollit.Decoctæ succo colluere dentium dolores salutare.Eosdem cum pipere atq; cera,pari portione circumlitus, sedat. Radice concisa & in aceto cocta dentes fouentur. Si radice feruenti indito stylo dens cauus inuratur,frangitur. Vitia cutis in facie,uitiliginemq; cum sulphure emendat.Exedentibus medicamentis admiscetur.Phagedænas & tetra ulcera illitu sanat.Quare autem chamæleo uocetur,à uarietate foliorum euenit.hic uiridia,illic albicantia,aliubi cærulea,nonnunquam rubra inueniuntur.

Crocodilion. Cap. x

CRocodilion chamæleontis nigri figuram habet,radice longa, aliquatenus lata,gustu nasturtij,aspero,semine rotũdo,clypeoli forma,duplici.Natales Plinio & Dioscoridi euariant,ille in sabuletis,is syluosis & cõsitis arboribus locis nasci tradit.Suspicor itaq; lubricum in altero uicinitate uocis mendum,librarijs ἀμμώδεσι pro ὀρυμώδεσι, uel cõtrà scribentibus. Proxime ad hanc accedit, quam paulo ante *carlinam* diximus appellari, uel q̃ recentior inuentio regi Carolo uendicetur,uel q̃ demutata uulgo litera *cardina* cœperit uocari. Nanq; chamæleontis effigiem repræsentat.Eam tamen esse nõ ausim affirmare,iudicent quibus frequentior q̃ nobis adest cõspectus. De facie non uenit in dubiũ,sed odor rem apertissimè prodet,qui unice spinosarum omniũ æmulatur nasturtium. Semen quoq; circinatæ rotunditatis, itidem declarabit,hoc insigni à cæteris discrimine, q̃ clypeoli duplicis imaginem præbet.Id Galenus quoq; prodidit odoratum haberi, inde ciundis urinis efficax esse. Hãc ni fallor Aetius intellexit, cum crocodiliadis radicem, quæ maxima sit,in capitis dolore commendauit.Feruefacta & pota in aqua radix sanguinem copiosum per nares pellit. Lienem consumere dicitur,ideo datur spleneticis, eos efficaciter iuuans. Semine urinam cit.rotundum id,duplexq; modo clypeoli.

Dipsacus

Dipsacus. Cap. XI

DIpsacus aculeatarum generis est, caulem habet altum, spinis horrētem, folia lactucæ prelonga, aculeis armata, in dorsi medio tubercula ceu bullas intus et extrà spinosas, genicula eius binis folijs amplectentibus, concauo alarum sinu, in quo ros aut pluuius humor subsistit, unde nomē herba duxisse uidetur. In cacumine singulis surculis capitula sunt echinata spinis longiuscula. hæc postquā exaruere redduntur incana, dissectaq; medullitus uermiculos ostendunt. Inuenitur in aquosis. Eam esse patebit spinā, qua rudes pannos uelut echino quodam expoliunt, detractisq; floccis fimbrijsq;, quas uocant crocydas, concinnant. Qua etiam detritæ uestes mangonio fullonū interpollātur, & in uillum muricatis orbibus restituuntur: hinc fullonius carduus cœpit appellari, uulgo *pectorius cardo* dicitur, q; lanificia uncinatis uertícibus aculeorum pectantur. Nostri nunc herbarij *uirgam pastoris* nuncupāt, quoniam asper huius caulis rubeam uirgā æmuletur, quo ad abigendos leuiores incursus opiliones possunt uti. Nam si cōtempleris eam, offendes omneis huic notas respondere. siquidem hæc pastoria uirga profert caulem binū cubitorum, imò qui sæpiuscule supra hominis altitudinem increscat, spinis horridum, geniculatū, lactucæ folia, hispida, prælonga, quorum toruli bullantibus turgent spinis, dorsaq; nocentioribus aculeis rigent, frondibus binis singulos artus utrinq; complectentibus, carinato alarum sinu, qui fideliæ uel labelli modo roris & imbris pluuij capax sit: à qua, ut spero, cōditione, labri uenerei nomen auspicatur. Gnaræ laticis huius auiculæ, cum solis ardentissimus opprimit æstus, huc adpelluntur ad sanandā sitis desideria, illis facta bibendi potestate, anfractu liberalem potum ministrante. Scaporum fastigia echinato minantur uertice, resupina hamulorū flexura, mucronibusq; leuiter uncinatis, quibus rude lanificiū aspero ductu læuigatur, ut diximus: singuli tamen echini è rotundo in oblongum quadam tenus turbinātur, inter quorum spicula puniceus emicat flos. Iis dissectis, in medulla uermiculos identidem nobis licuit inuenire: qui nō offenderunt, paruam admodum uidentur impendisse diligentiam. Caulis totus minacibus armatur aculeis. Tam thyrsi quàm apices echinati senectam sentientes incanescūt. Huius egregia capti specie notas frequenter obseruauimus. Aquarum scatebras & irriguos amnium margines, humētes specus, & madidos limites maximè sequitur: quæ siccaneis, aut ieiuno prodit solo, strigosior. Seritur hodie multis in locis apud nos magno colentiū prouentu, utpote cum echini fullonum māgonio & complendis pannis oppidoquàm utiles. Sanat rimas sedis: item fistulas, decocta in uino radice usq; dum sit crassitudo cerę, ut possit in fistulam mitti: item uerrucas omnium generum. Quidam et alarum, quas modo dixi mus, succum ijs illinunt. Recondi iubet Dioscorides medicamentū in ærea pyxide. Aiunt, formicas pensiles q; uerrucas tolli ea. Vermiculi quoq;, quos diximus in capitulis nasci, folliculo inclusi & collo adalligati uel brachio in remedium quartanæ ferendi traduntur.

Spina alba. Cap. XII

SPina alba, Græcis acantha leuce, folia fert chamæleontis albi similia, angustiora, cādidioraq;, subhirsuta, spinis infesta, caulem binos cubitos exceden tem, crassitudine pollicari uel ampliore, subalbidū & inanem. Vertici summo echinus insidet marini non absimilis, oblongior tantum & minor, floribus purpureis: in quibus semen cnici forma rotundiusculū. Prouenit montibus locisq; qui pubentibus lucis uirent. Huius etiā spinę flore uilli ci, rura, pastores utuntur in cogendo lacte, & in caseos spissando. Nobilior officinis Pœno quàm patrio nomine, quæ mihi uidentur sponte uel gratis in hanc gentem defeciſſe: *bedegarim* hodie uocant spinam albam. Quandoquidem hæc bedegaris spinis infesta riget, foliis chamæleonis albi, castigatioribus candidioribusq;, caule tripedaneo, pollicari crassitudine & inani, ouali supra uerticem echino, flore purpureo, cnici fœtu, sed rotundiore. Habetur sed inter arbores uel promiscua, quæ uulgo *spinus albus* Italis, Gallis *albus spinus* dicit. frutex assurgit aculeatus pruni magnitudine, cortice ligni cādido, molli folio, flore albo, odorato, acinis cum pubescunt uiridibus, ubi per maturitatem inoleuerūt rubris, myrti specie, ligneo intus nucleolo. Dos eius omnis in odore, tametsi non defuerint, qui tradāt hanc stirpem instar lauri fulmine non ici, nec unquam de cælo tangi. Aiunt quoque pisces marinos floris odore

perculsos,confestim corruptionis sentire contagia:quod,ut arbitror,graui fragrantiæ ac/ ceptum ferendum est. Huius rei piscatores gnari florem deuitant. Mirum est,si fulminis ictum tuta respuat, sed relatu hoc habeo, non certo scriptore. Vulgus deturbandis calcu/ lis utitur acino, singulari, ut uidimus, remedio ex uino, quem peculiari uocabulo *sentellam* nominat. Rustici uiuas sepes hoc frutice extruunt, quòd pecus minacibus aculeis ualen/ ter arceat. Albæ tamẽ spinæ nomine cognitam fuisse ueteribus testis est Lucius Columel/ la,qui de suum cibo loquens,omnem situm rurís pecus hoc usurpare tradit. Nam & mon tibus & campis commodè pascitur,melius tamen palustribus quàm sitiẽtibus. Addit,ne/ mora esse conuenientissima,quæ uestiuntur quercu,subere,fago,cerris,ilicibus,oleastris, tamaricibus,corylis,pomiferisq; syluestribus,ut sunt albæ spinæ, Græcæ siliquæ,iunipe/ rus,prunus, paliurus, achrades pyri. Hæc baccifera est ut constat, qua post messes adhuc porculatores suillos greges saturant:nec alia inuenitur, quod sciam, pomifera quæ uoce/ tur alba spina,de qua potius inter arbores esset dicendum.Radix huius pota cœliacos,sto machicos, & excreationes cruentas adiuuat,urinam cit. Tumoribus illinitur.Decoctio e/ ius dentes in dolore colluuntur. Semen conuulsis infantibus prodest. A serpente percus/ sis auxiliatur.Sunt qui credant ea prẽunctum angues refugere. Spinæ albæ semen contra scorpiones iam remedio est.Corona ex ea imposita capitis dolorem minuit.

Arabica spina. Cap. XIII

ARabica spina,quæ & Aegyptia dicitur,authoribus Galeno Paulo q; duũ est fastigiorum,candida & nigra. Magis celebratur in ea gente nigra,quoniam incorrupta etiam in aquis durat. Vtilissima nauium costis,uentrisq; compa gibus in fabrica. Candida imbecillior, facilius q; putrescens. Vtrique acu/ leus spinarum in foliis, semen in siliquis, quo coria perficiuntur gallæ uice, flos coronis iucundus & medicamẽtis utilis. Cæsa tertio resurgit anno. Hæc gummi pro/ fundit,ut Theophrastus refert,non è cortice, sed in uasculo,quod optimum traditur uer/ miculatum, colore glauco,purum,sine cortice dentibus adhærens.Dioscoridi spinæ albæ similis esse creditur. Arbor tota, præterquam caudice, spinis horret, foliis ac germinibus aculeatis,magnitudine spectãda,ut cuius materies duodenũ cubitorum proceritatem im/ pleat. Fructum fert in siliqua lupino similem, florem ob elegantiam nectunt in coronas. Ex ambabus sua sponte gummi profluit. Semen lenticulæ refert imaginem. Sed hæc non dissident ab ea quæ fundit acaciam, de qua inibi differendum. Plinius de Arabica & spi/ na acacia seorsum, ut differentium, tractauit. Galenus & Paulus eandem & Arabicam & Aegyptiam appellãt.Ipsa spissat,astringitq; sanguinis excretiones, mensiũ abundantiam, cæteras q; destillationes. Radix quoq; sistit. Nascitur in asperis,etiamnũ radice ualentior.

Cardui. Cap. XIIII

SColymus folia fert chamæleonis & spinæ albæ similia, nisi q nigriora sunt, & crassiora,caule oblõgo, folioso, in cuius uertice spinosum caput subrigit, radice nigra & crassa.Herba cum recens tenerescit,in cibos,asparagi modo, recipitur. Sanè scolymos carduus intelligitur syluester, & agrestium nomi/ ne uenit: quorum duo genera Plinio traduntur,unum fruticosius à terra sta tim,alterum unicaule & crassius. Vtriq; folia pauca,spinosa,muricatis cacuminibus,lanu ginoso caule: sed alter purpureũ florem mittit inter medios aculeos celeriter canescẽtem, & abeutem cum aura,qui proprie Græcis dicatur scolymos.Radix utriusq; ex aqua deco cta sitim potatoribus facere narratur.Hinc ille senariolus Columellæ,

Quæ dulcis Iaccho
Potanti ueniat,nec Phœbo grata canenti.

Scolymus carduorum generis est. Distat à cæteris spinosis, quod radix eius uescendo sit decocta,quæ nigra est & dulcis, Eratostheni quoq; laudata in pauperis cœna.Hunc quo/ que in cibos recipit Oriens, & alio nomine limonion appellat. Frutex nunquam cubitali altior,cristis foliorum nigricãtibus. Venerem eo cibo stimulari Hesiodus & Alcæus poe tæ testantur, qui florente ea cicadas acerrimi cantus esse,& mulieres libidinis auidissimas, uiros q; in coitum pigerrimos scripserunt, uelut prouidentia naturæ hoc adiumento tunc ualentissimo. Theophrasti de scolymo, id est carduo sentẽtia id sibi peculiare uendicauit, quòd

quòd radícem tum crudam tum coctam ueſcendam ſumminiſtret, ſed cibo gratiſſimam cum floreſcit. Cum ſolſtitium agitur (fit enim cum ſol Cancri tenet hoſpitium) flos erumpit, ſeneſcens in pappos amittitur. Mirum eſt, quòd ſine interuallo tota æſtate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit. Aculei flacceſcente folio deſinunt pungere. Ei ſemen uliginoſum & armatum ſpina. Partum ei Theophraſtus contrà quàm Dioſcorides ſpinoſum negauit, ſed oblongum haberi cõtendit, quod ſibi duntaxat uelut propriũ uſurpauit, inter ea quæ in foliis ſpinoſam lanuginem ſortiantur, contrariã chamæleoni nactus conditionem: ille enim, tametſi ſpinifero non conſtet folio, tamen quãdam acanti ſpeciem gerit. Radix durata lacteum ſuccum remittit. Congener ſcolymo carduus, circa Tegeam naſcitur, radice dulci, quam cum Pandius ſtatuarum magiſter eſitauiſſet, alienatus mente fertur. ex plantarum penu hæc Theophraſti uerba deprompſimus. Iam de altili carduo diſſeramus, qui in hortis, ut arbitror, cultus mangonio domita feritate mãſueuit. O gulam audacem, quæ portenta terrarum in luxum & ganeam uertit, quæ nimirum conſciæ quadrupedes reſpuant: tantũq; uoluptatibus noſtra indulget ętas, ut iam ne quis dies ſine cardo ſit. Ea ſemper eſt illarum rerum cura, quæ ueneris deſideriis obſonantur, & à culinis inierunt gratiam, ut magno uæneant, & maximi quæſtus exiſtimentur, carduetis multos nummos ærario reddentibus. Hęc altilis nemini nõ cognita, qui ganearũ cupediis ſubſcripſit. Cinaram Lucius Columella uòcauit, ſic eam iis numeris pingens,

Hiſpida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho
Potanti ueniat nec Phœbo grata canenti.
Hæc modo purpureo ſurgit glomerata corymbo,
Myrtiolo modo crine uiret, deflexaq; collo
Nunc adoperta manet, nunc pinea uertice pungit,
Nunc ſimilis calatho ſpinisq; minantibus horret.
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Vtranq; tamen & ſylueſtrem & ſatiuam uidetur ſuis ſenariolis deliniaſſe. Hortenſis foliis conſpicitur albæ ſpinę, uel ſylueſtris cardui, caulibus altis, qui in Mauritania nonnunquã tantæ proceritatis tradũtur, ut duodenos cubitos longitudine & quaternos palmos craſſitudine ſuperent: quorum ſummi uertices in ſquaroſum extuberant globum, corticoſis unguibus turgentẽ, ſpicisq; ſquamatim cõpactilibus coagmẽtatum, quorum orbis exterior uiret, interior niueo candore niteſcit. Hac ſtructili nucleorũ ſerie pineã nucem uidetur exprimere, quare & ſtrobilũ Romanis dici Dioſcorides aſſeuerat. Flos purpureo rutilat colore, qui tandem euaneſcat in pappos. Caput uetuſtate diſſilit in corticeas lamínas, ſemen oſtendens cnici figura. Huic talis aſſignatur origo, ſi credimus Athenæo, Pythia primum ligneum canem appellante. nam Apollinem conſulenti Locro, redditum eſt oraculum urbem inibi conderet, ubi ligneo cane morderetur: tandem in crure cinara uellicatus oppidum cõſtruxit. Sed Didymus cynosbaton potius, ſeu canis ſentem intellexit. Hoc memoria noſtra ferculum Gallis irrepſit. Nunc fere plurimæ hortorũ areæ hac ſtirpe pubeſcunt, ut nec iam ſine cibo hoc, niſi tẽpus anni neget, opipara uel aditialis ulla ſit cœna. Ligures *arcocum* uocant, ut prima uocis ſyllaba articuli uice præponatur, uti Mauritanis ſolet. Cocali ſiquidem nomine, nux pinea uenit, cui ſimilem modo diximus. Hinc in omne uulgus uernacula manauit appellatio, ab articulo ſtatim interiectis duabus literis, & expũcta pro more uocali præcedẽte, *articoclos*, uel curtato, ut ferè fit, uocabulo *articols* tam Italis quàm Gallis nunc dicitur. Romani *carchiophos* hodie nuncupãt, quod ut herba, ita nomen, ab Italis petitum eſt. Adhibentur conuiuiis cinaræ aſparagi modo iuribus incoctæ, & ex oleo, ſale & aceto. Folia quoq; ineunte hyeme obruunt humo nonnulli, ſic candorem aſciſcere & amaritudinem exuere promittunt, ut in hybernos cibos gratius admittantur. Radices per hyemem ex ſale & piperis polline ſecundis menſis edunt. Nunc ferè nuſq; nõ cardueta ſpectantur. Cinaræ ſoboles per autumi æquinoctium diſponitur. Semen cõmodius circa Calendas Martij ſeritur. Eius planta circa Calendas Nouembres deprimitur, multoq; cinere ſtercorabitur: unde quidam dici cinaram autument, quòd reſpergi cinere gaudeat, de quo nonnihil in etymo diximus. Octobri itaque menſe cinaræ ſtirpes fimo tinctæ panguntur, radicibus earum ſummis ferro reſectis, ternúmq; pedum ſpatio ſeiungantur incre-

menti gratia,pedali ſcrobiculo binæ ternæue depoſitæ.Semina Martio,luna creſcente,in paratis iam areis ſpatio ſemipedis diſcreta nō altè deprimuntur,ſed tribus digitis comprehenſa,donec ad primos articulos terra perueniat, merguntur, opertaq; leuiter,ſi æſtus interuenit,rigentur: cum adoleſcunt herbis aſſiduè liberentur.Cauendū tamen ne pangantur inuerſa,nam incuruas,debiles,& pumilas creabunt cinaras.Si ſeminū cacumina frangantur,nullis horrebunt ſpinis:ſi triduo macerata in odorato quouis liquore,deinde ſiccata deponantur, eiuſdem ſaporē referent,cuius humorē ſemina cōbiberint.Cinara,ut græci ſcribunt agricolæ,Nouembri menſe deponi debet,ut uere ſuos fœtus largiatur.Vere ſata,aut uix eodem anno fructum dabit,aut elangueſcēs gracilem ac ſtrigoſum promet.Soboles quæ uegetioribus adnaſcūtur caudicibus, falcis mucrone diducta terra cum aliqua parte radicibus ſunt eruendæ,ut per alia ſpatia digerantur:ſed ſolum bene ſubactum & uetere ſimo ſaturatū deſiderant.Iugiterq; cum æſtus interuenit rigentur,donec plantaria ſolideſcant.ita curata tenerū & uberiorem echinum exhibebunt.Si ſemina madefeceris per triduum roſarū ſucco, uel liliorum,uel laurino oleo,uel alterius cuiuſcūq; ſuauiter olentis liquore,eiuſdem odoris orietur cuius ſemina laticem hauſerint. Si ſeminum acumina lapidis attritu retundantur,ſpinis carebunt,annoq; toto per hunc modum cinaras creari confirmant.Lauri referent odorem,ſi in baccam eius excauato foramine cinaræ ſemen imprimatur.Sine aculeis etiam naſcentur, ſi delibrata lactucę radix in tenues particulas diſſecetur,& ſingula ſemina ſingulis indita ſegminibus obruātur.Radicem mures mirè expetūt, captiq; huius uoluptate ad eam cōcurrunt, uorantq;. Arcet eorum inſultū lana radicibus obuoluta:item ſuillum ſtercus uel ficulneus cinis radicibus oppoſitus, cæca rerum diſcordia,ut uolunt,incurſum abigente.Dulces proueniēt cinarę,ſi ſemina lacte & melle maduerint,dein ſiccata deponantur. Talpæ radicibus inimicæ,etenim teneras mordicus apprehendentes erodunt. quare ut ab hac peſte uindicētur,pangunt aliqui in ſolido, ne terra ab iis infeſtis animalibus facilius perforetur. Contra talpas,catos frequēter in mediis cardue tis obiiciunt,muſtelas habent plerique manſuetas.Alij foramina earū rubrica & ſucco agreſtis cucumeris implerunt.Nonnulli iuxta cubilia talparū plures cauernas aperiunt,ut illæ territæ ſolis acceſſu fugiant.Plerique laqueos in aditu earum ſetis pendentibus ponunt.Singulis annis à codice ſtolones auellendi,ut nec matres fatigentur, & ſoboles per alia diſtribuatur ſpatia.Tanta huius fœcūditas, ut propagines colibus auulſas humi depactas comprehendere narrent,ſæpeq; anno eodem et colem & echinum producere.Quas reſeruare libuerit ad ſementē,liberatas omnibus pullis,ſuperteges teſta uel cortice.Solent enim huiuſcemodi ſeminia,ſole uel imbribus uitiari,ſuoq; iam effœta ingenio perire.Quæ ſi uel exucta ſolibus uel imbris aſpergine rancida,ſolo credantur, cardueta ſuo decoquent olitori.Gentilis huic,ſi credimus Athenæo,cactos eſt. Phænias Sicelicā uocat, & alibi haud temere & in Sicilia nobilis:in qua,ut placet Theophraſto,tantum naſcitur,ſuæ proprietatis & ipſa,cuius in terra proſerpunt caules, & humi ſtatim procūbunt è radice emiſſi lato folio & ſpinoſo.Siculi,quoniam in ea nihil non edule fuiſſet,ſingulis partibus ſingula dedere nomina:caulesq; uocant cactos,quos deſquamatos non faſtidiunt in cibis,& ut amaritudinem exuant,inueteratos muria ſeruant.Caulem,qui in rectū euehitur,appellant pternica,eiuſdem ſuauitatis ſed uetuſtatis impatiētem.Inuolucri cortex, in quo ſemen reſidet lanuginoſum,echinata facie ſæuit, quo detracto teneritas eadē ineſt,quæ palmæ cerebro, hunc uocant aſcaleron,ita retulit Athenæus Theophraſti uerba citās.Hinc ſuſpicor apud Plinium,in mentione cacti,deprauatam aſcaliæ lectionē,ut apud Theophraſtū ſcaliæ, uel Athenæo ſubeſſe mendā: ſatis fuerit nobis obiter alterius errati cōmonuiſſe.Porrò quiſpiam,ut uerbis utar Athenæi,non his ſuaſus, ſed fretus ingenio dixerit intrepidè,cactum hanc eſſe herbā quæ carduus dicitur Romanis,non longo interuallo à Sicilia diſtantibus, dilucideq; cinara Græcis:mutatione ſiquidem duarum literarū, inquit, cactus & carduus idem fuerit. Manducatus carduus odorem commendat oris,in quem uſum nucleos ſpicatim cohærentes deſquamant,ſectilesq; laminas mandunt.Nec me fugit Aeginetam Paulum Aetiumq; ſcolymon à cinara diremiſſe, hanc officere ſtomacho, illum prodeſſe monſtrantes. Nec inuenio Græcis aliud haberi diſcriminis, quàm quòd ſcolymos ferus eſt & ſylueſter,cinara uero domita cultu ruditate mitior & altilis:cuius cibus,licet ſit ſtomacho grauis

grauis, non protinus à scolymis natura uiribusq; degenerauit. Verba Pauli è salubribus placitis subtexímus. Omnia spinosi generis olera, ceu scolymus, atractylis, & id genus reli qua, stomacho commoda, præter cinaram, quæ prædura succum creat improbum: quare cum oleo, garo, & coriandro decoctam præstabit cibis exhibere, quasi cum ijs rebus coctu ra leniter hanc noxam amoliatur. In reddendis tamen medicinarum uiribus cinaram sub/ ticuit, eam sperans scolymi fastigio satis iri comprehensum. Cinaram Græci magnis laudi bus extulere. Callimachus editos tradit montes circiter Areanicum mare, spinosa cinara pubescere. Addit, & Chorasmiorũ agros hac spina passim uestiri, camposq; circa Indum amnem eadẽ uirescere. Polemon est author, pleroscq; tractus inhorrescere cinara, sed apud se montem ambitiosum ijs ubiq; fruticibus rigere. Ptolemæus Aegypti rex memorię pro didit, iuxta Berenicen Libyæ, magnam cinaræ uim pleriscq; locis enasci, qua decerpta míli tes ipsum secuti uictitassent, ei spinis ademptis uescendam obtulerunt, alioqui mandi non potest. Scolymon in cibis recipit Oriens, radice nigra quidem, sed dulci, Eratosthení lau/ data in pauperis cœna. Vrinam ciere præcipuè traditur, sanare lichenas & lepras ex ace/ to. Venerem stimulari in uino, Hesiodo teste, qui florente ea cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidissimas, uirosq; in coitum pigerrimos scripsit, uelut prouidentia naturę hoc adiumento tunc ualentissimo. Graueolentiam alarum emendat, si emedullatæ radicis uncia in uini falerni heminis tribus decocta ad tertias & à balneo ieiuno, item post cibum cyathis singulis pota. Xenocrates promittit experimẽto uitium ex alis per urinam effluere. Dioscorides in graueolẽtia alarum, totiusq; corporis iubet illini. In uino decocta si bibatur, tædia eadem emendat, urinamq; detrahit copiosam fœtentemq;. Herba recens in cibos asparagorum more transit. Syluestrium carduorum duo sunt genera, unum fruti/ cosius à terra statim, alterum unicaule, crassius. Vtriq; folia pauca, spinosa, muricatis cacu minibus, sed alter florem purpureum mittit, celeriter euanescentem & abeuntem cum au/ ra, scolymon Græci uocant. Hic antequam floreat contusus atq; expressus illito succo alo pecias replet. Radix cuiusque ex aqua decocta potatoribus sitim facere narratur. Stoma/ chum corroborat: & uuluis, si credamus, etiam aliquid conferre traditur ut mares gignan tur: ita enim Cherias Athenienses & Glaucias scripserunt. Manducata cinara odorẽ com mendat oris. Galenus eius cibum, cum durítiam contraxit, ut mali succi, damnat, qui in bi liosum humorẽ abeat: cum uero iam in lignũ occalluit, atram creat bilẽ adeò, ut ex eius du ra parte bilis atra, ex succo eius, tenuis & bilíosus humor enascatur. Proinde coctã comes/ se præstiterit cum coriãdro, dein ex oleo, garo, uinoq; sumatur. Si tamẽ in sartagine uel pa tinis ad esum pareẽ, coriandrũ non erit addendũ. Pleriq; cacuminũ echinos mãdunt eosq; uocant spondylos. Aliqui protrita uulgo uocabula cõtemnentes per y, cynaram scribere malunt.

Poterion. Cap. XV

POterion, siue ut Iones neuras, largè frutícat ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, tragacanthę proximis, tolijs gracilibus, paruis, rotundis, cortice te nui, spissa lanugine uestito, & spinis hispido, floribus herbacei coloris lõgis, semine odorati gustus, acri sed inofficioso. Nascitur in aquosis collibus. Ra/ dices agit in altitudinem binũm ternum'ue cubitorum, firmas, neruosas: qui bus proxime terram incisis, lachrymã profundit è uulnere gummi simílem. Plinius ita de/ pinxit poterion, largè fruticat, spinis retorrida, lanugine spissa, foliis paruis, rotũdis, ramu lis longis, mollibus, lentis, tenuibus, flore longo, herbacei coloris. Seminis nullus usus, sed gustu acuto & odorato. Inuenitur in aquosis collibus. Radices habet duas aut tres, binũ cubitorũ altitudine, neruosas, candidas, firmas. Alibi tamen Plinius, contrà q; hic flores ei paruos reddidit, radices multas, neruosas, bene olentes: nec satis sibi uidetur his locis con stare. Fecit hoc dissidium exemplariorũ uarietas, μαλεὰ pro μυρεὰ, uel cõtrà, longe diuer so sensu, sed errore perq; lubrico, scriptitantiũ. Audiui de quibusdã rei herbariæ prudenti bus, tale qd in aquosis tractibus reperiri, sed nomine uacabat rusticario, q; nullus fruticis huius apud eos inoleuisset usus. Felices rerũ copia Galli, sed pmultis defuncti nominibus suas dotes nõ possunt exprimere. Ii hac facie repræsentabãt, fruticosi generis, lõgis spino sisq; flagellis horrẽs, dẽsa alioq; obductis lanugine, folio paruo, circinato, flore gracili qdẽ, sed promisso & herboso, seminio suauiter olente, radicibus bicubitalibus, torosis, cãdican

tibus, odoratis, concretas gummium modo lachrymas prope radicem inueniri promitte-
bant: sed an hæc fuerit nécne nõ ausim affirmare, quoniã nec hærentem nec uulsam adhuc
mihi uidere licuit. Galenus hanc appellatione neuradis uoluit intelligi. Circũfoditur au-
tumno, & præciso frutice dat succũ gummi similem. Radix mira sanandis uulneribus tra-
ditur, præcipuecq; neruis uel præcisis illita. Decoctum quoq; eius cum melle potum disso-
lutiones neruorum & infirmitates & incisuras iuuat. Tusa Dioscoridi præcisis neruis, &
uulneribus glutinandis illinitur. Decoctum eius contra omnes neruorum affectus ualet.

Acanthion. Acanthus. Cap. XVI

ACanthion herba similis albæ spinę, foliis minoribus, per ambitum aculeatis,
& lanugine quadam araneosa obductis, qua depexa uestes Oriens bomby-
cinis similes texit. Inuenitur in agris propter limites & uias spina candicanti
bus foliis, albæ spinæ non dissimilibus, quæ per ambientem oram tãtum acu
leos erigunt, & spissa pubescũt lanugine, quæ facile quidem in flocculos de-
pecti posset, sed usque eo fragiles, ut inde nec telas ordiri, ne fila ducere quis ualeat. An sit
acanthion nécne asserere non ausim. Acanthij uel folia uel radices ad remedia opisthoto-
ni bibuntur. Acanthus in magna fuit olim ambage: nam topiaria & urbana herba, ela-
to longoq; folio, crepidines marginum adsurgentiumq; puluinorum toros in hortis histo-
riali uenere conuestiebat, suoq; ductili flexu identidem in topiarium opus intorquebatur,
quod Virgilius georgicis silere noluit,

Nec flexi tacuissem uimen acanthi.

Ea quoq; Maroni poculi pastoralis, quod Alcimedon ei sinxerat, ansas amplectebat. Co-
rinthiarum etiam columnarum capitula nõ ineleganti foliorum complexu decorabat. Cu
ius inuentio, si Vitruuio credimus, sic esse facta memoratur, Virgo ciuis Corinthia iam
matura nuptijs, implicita morbo decessit. Post sepulturam eius, quibus ea uiua delectaba
tur poculis, nutrix collecta compositaq; in calatho pertulit ad monumẽtum, & in summo
collocauit, & uti permanerent diutius sub diuo cocti li latere texit. Is calathus fortuito su-
pra radicem acanthi fuerat collocatus. Interim pondere pressa radix, media folia, & cauli-
culos circa uernum tempus profudit: cuius cauliculi secundum calathi latera crescentes,
& ab angulis tegulæ, necessitate põderis, expressi, flexuras in extremas partes uolutarum
facere sunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegãtiam & subtilitatem artis marmo
rariæ Catatechnos ab Atheniẽsibus fuerat cognominatus, præteriens hoc monumentũ,
animaduertit calathum & circà foliorum nascentem teneritatem, delectatusq; genere, &
formæ nouitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit. Sed non satis licet demi
rari, rem ueteribus tam celebrem & in laude plurimorum habitam, nunc prorsus negle-
ctam obsoleuisse, solisq; nunc colũnis effigiei priscæ uestigia quædam extare uidemus. A
Dioscoride sic deliniatur. Acanthus foliis lactucæ, multo latioribus ac longioribus, erucæ
modo laciniatis, pinguibus, molli læuore nigricantibus, caule duũ cubitorũ, digitali crassi
tudine, glabrescente, subnigro prope fastigiũ, per interualla circũdato, foliis quibusdã pa-
niculas oblongas nucamẽtáue referẽtibus, spinosis, è quibus flos promitur cãdidus, semẽ
oblongũ, luteũ, caput thyrsi specie, radices glutinosæ, longæ, rubentes, muscosæ. Nascitur
in uiridarijs humente solo petrosoq;. Quæ designatio, nec fallor, eam noscit explicare quã
officinæ uocant *brancham ursinam*. siquidẽ quinis senisue foliis extenditur, lactuca longiori
bus, multo latioribus, ut quæ nõnunq; cubiti lõgitudinẽ æquent, pinguibus, carnosis, eru
cæ ritu lacinioſis, nigro colore nitentibus, caule tripedaneo, digitali crassitudine, læui, cu-
ius uertex foliorũ in aculeos molles exeuntiũ cingitur uallo, et uelut in dehiscentẽ panicu
lam nucamentũ ue fastigiatur. Summatim caput erũpit thyrsi figura, flores candidi, semen
oblongum, luteum, radicibus oblongis, pinguibus, lentis. Hæc foliis liras arearum, pului-
nos & porcas obuelat: nec alia nobis adhuc uisa fuit, cui descriptio adamussim magis re-
spondeat. Hęc non esset in aculeatarũ censu, nisi foliolorũ extrema per caulem in spinulas
occallescerẽt. id quod, ut arbitror, cognitionẽ aboleuerat, cum exactiorũ aculeatarũ classe
disquireretur nusq; inuẽta. Id notatu dignũ succurrit, in Græcis exẽplaribus scriptũ inue-
niri ὑακινθώδεσι φυλλαρίοις, cũ legendũ potius fuerit ἀκανθώδεσιν, id est spinosis foliolis, nõ
hyacinthinis. nã si quis oculos cõsulat, inueniet minuta caulis folia, nec figura nec colore

hyacinthinis

hyacinthinis respondere, quin potius exilia & spinulis armata. Verum ea quæ humi procumbunt amplissima, ut quę arearum puluinos possint inuestire, comperiet, nullis tamen aculeis rigentia. Quare Plinius duo genera merito statuit, alterum læue, quod pæderota uocant, alij melamphyllon, cuius nec folia nec caules ullis muniuntur spinis: alterum aculeatum & crispũ, quod Dioscoridi syluester acanthus dicitur, spinosi generis, carduo proxima, breuior q̃ quæ in hortis prouenìat altilis & satiua. Hunc acanthum utiq; constat læuem glabrumq; nullis horrere spinis, sed urbanũ satu cultuq; lætari, uelut agrestem esse ferum ac exertis aculeis aperte minitari, & diligentiã ac olitoris officiũ respuere. Nescio tamen si quando syluestris cicurata feritate mansuescat, uel cultoris opera iugi mitigẽ. Virgilius Maro nũc mollem, nunc ridentem acanthũ, nunc flexilem cecinit: sed georgicon secundo refert baccas semper frondentis acanthi. Seruius inibi dictam acanthũ interpretatur, quasi spinis plenam: nam spinosa, inquit, est arbor, in Aegypto semper frondens ut oliua, uel laurus. abundat hæc etiã in Cyrenaica insula. Sed homo literator, parũ rem herbariam callens, acanthũ cum Aegyptia spina confudit, quæ plurimũ ab illa dissidet. Sed ne quempiã baccæ male habeant acantho destinatæ, non ignorandũ est, semen fabuli magnitudinem exhibere, quod inuolucro uestitum in quandam baccæ speciem exit. Acanthum Græci quoq; pæderota nominarũt, quod & Dioscorides & Plinius testantur. Pausanias tamen author est, genus herbæ sicyonis in uno tantũ Veneris septo nasci, pæderota nomine, foliũ fundens fagino minus, & iligno maius, omnino quernis simile, altera parte candido, altero subatro uelut albæ populi. Hanc ibi tantũ spectari, præterea nusq; gentium. Genus etiam unguenti pæderota nominarunt, quo sibi Demetrius Phaleræus os illinebat. Hoc mulieres nimiũ cutis candorem occulebãt, & uernaculũ faciei colorem eo fuco mentiebãtur. Alexis poeta fœminas albore nimio decolores uti pæderote solitas in comœdia significauit, quod & Aegyptiũ unguentũ dicitur. Hallucinãtur qui uulgarẽ spinã, de qua pauloante disseruimus, acanthũ esse putent, cum illa in arborũ censu fuerit, acanthus inter herbas sibi locũ usurpauit. foliũ quoq; apertissime reclamat, quod lactucea specie simbriatum conspicitur: alteri perq; exile, uitigineũ. Caulis huic binũ cubitorum procerìtate consurgit, lentum, flexile: caudex illi arboreus, prædurus, flecti contumax. Is nullis cingitur spinis, ille durissimorũ aculeorum septo sæuit. An frutex ille spinosus, quo uiuæ sæpes hortorũ conseruntur, appendix spina Plinio dicatur, non ausim asseuerare, quamuis in ea baccæ rutilo colore pendeãt, & ob id appendices ueteribus nominentur, & aluum citam ac tormina cõpescunt, nec plura tradi ueteribus inuenio. Hanc inter arbusculas pyxacanthæ & paliuro Plinius cõiunxit, utpote cui cũ illis nõnulla germanitas intercederet. Eam esse ne illud quidẽ à uero nimiũ abscesserit, cũ in fruticũ censu reputetur, bacculæq; pensiles puniceo colore rutilẽt: &, si quis uires explorare uoluerit, illis quæ appẽdici spinæ assignantur, inueniet prorsus assentiri. nam baccæ citã aluũ firmant, & tormina leniũt, de qua nonnihil suprà diximus. Huius radices ustis, luxatis mirè prosunt: item ruptis, conuulsis, phthisim metuentibus incoctæ cibo, maximè ptisana. Podagris quoq; illinuntur tritæ & calfactæ calidis. Vrinam potu deuocant, aluum sistunt. Sylueſtris spinæ radix ad eadem, quæ mox dicta, pollet: quare ambustis igni, luxatis artubus illita subuenit. Pota urinã cit, aluum cohibet. Ruptis, conuulsis, tabem sentientibus mire prodest.

Anonis. Spina alba. Cap. XVII

ANonis folio ueluti pręcedentiũ compluribus nõ inest aculeata mordacitas, sed secundũ spinam habet foliũ ut tribulus. In ramis quoq; spinas habet appositò folio rutæ simili, toto caule foliata, in modum coronæ. Theophrasto spinosa post uer, & aculeata ramis anno durat, folio rutæ, toto cole per interualla collocato, ut coronã uideat repręsentare. flos illi mutilus emicat in filiquáue cõseptus. Nascit culto solo, pingui & glutinoso, p̃cipuè in segetibus aratri inimica, uiuaxq; supramodũ. Cũ enim letã nacta tellurẽ hęserit, in altũ agit, & sese propagat quotãnis surculos è lateribus fundẽs. Secuto anno sese radix penitus insinuãs spargit, pluribus ramis luxuriãtibus: ideoq; runcãda, & radicitus eruẽda. Cõuenienter extirpabitur, cũ terra maduerit imbribus, sic enim facilius emoritur: aliàs si quæ mãserunt humi reliquiæ, restibili fœcunditate reuiuiscet. Aestate germinationẽ suam auspicat, à frugibus perficitur, autumno sui

tumno sui incrementi finem faciens. Anonis Dioscoridi dodrantalibus ramulis fruticat, aut paulo maiusculis, intercedẽtibus geniculis, & cauis alarum multis, orbiculato capite, foliis exilibus, modo lenticulæ pusillis, propius ad rutæ uel fœnarij loti effigiem exeuntibus, subhirsutis, odore iucũdo. Antequam spinosa fiat, ramuli gerunt acuminatas spinas, spiculis firmioribus non dissimiles. Radice candida nititur. Plinius anonim fecit ramosam, post uer spinosam, similẽq; fœno græco, nisi fruticosior hirsutiorq; esset. Hæc nostratibus officinis prorsus ignota, quod demiror, cũ messoribus & fœnisecis præclare cognoscatur, qui sæpissime spiculorum in segetibus latitantium noxam experiuntur. Nam & si prædura sit & callosa cutis eorum, maxime tamen aculeorum aciem reformidat, quam solet cruribus nudis ac pedibus adigere. Vernaculi mei Suessiones *bugraues* appellant, q̃ forsitan arantibus iumentis ac bubus infensæ sint & graues: alij *bugrandes*, q̃ promisso mucrone spina rigeat. Herbarijs nũc *resta bouis*, q̃ in opere boues subinde sistat, nominatur. Nanque *bugrandis* hæc ramos spargit fruticosos, dodrante pedis longiores, frequentibus cinctos articulis, à quibus alæ funduntur. Capitula exerit circinata, folia lentis exilia, ad rutæ uel pratensis loti figuram spectantia, quadamtenus hirsuta, iucundum odorem expirãtia, inter quæ nocentiores & mucronatæ cuspidis aculei quasi spicula subriguntur. Flos ferè pisi dilutiore micat purpura, quo decusso falcata prodit siliquula. Radix ultro citroq; ualgatur. Nihil in aruis hac peste frequentius occurrit, sed cultis maxime gaudet. Hac uiret post messes restibilis ager, quæ non modo ingredientium pedes offendit, sed aratrum remoratur, illi se tam pertinaciter inuoluit, ut uix possit explicari. Lætior tamen in proscisso iteratoq; solo consurgit, plurimum alieno frugum labore proficiens. Hanc ab ineunte pueritia meo periculo noueram, cum per agros discurrenti mihi sępiusculè uulnus impressisset. A salgamarijs olim sale cõdiebatur cibis gratissima. Hanc muria quoq; seruauimus ad refricandum ueterem usum, qui prorsus obsoleuerat. His os mirum in modum commendat quibus anima fœtet. Anonis Dioscoridi dicitur, Theophrastus & Galenus ononim appellare maluerunt. Ononim Dioscorides loto fœnariæ seu pratensi similem, Plinius fœno græco fecerunt, nullo tamen insigni uel notatu digno discrimine. Nam fœnaria lotus pratensis ue folio fœnumgræcum uidetur æmulari, ut suo loco docebitur. Estur in muria cõdita. Recens uerò margines ulcerum erodit. Radix decoquitur in posca dolori dentiũ. Eadẽ cũ melle pota calculos pellit. Comitialibus datur in oxymelite decocta ad dimidias. Radix excalfactorij est generis, & extenuãtis. Cortex in uino potus urinam ciet, calculos rumpit, emarginat ulcerum pituinos. Radix in posca decocta dentium dolores collutione mitigat. Decoctæ succus hæmorrhoidas sanare creditur. Radix spinæ albæ cõmanducata dentium dolorem sedat: item laterum & lumborum, semine poto drachmis octo aut succo. Eademq; ruptis conuulsisq; medetur. Ischiadicis prodest decocto cyathis tribus ex uino poto. Succus radicis ad omnia eadem bibitur.

Tragacantha. Eryngion. Cap. XVIII

TRagacantha frutex est spinæ candidæ non dissimilis, furculis humilibus, robustis, latè se diffundentibus, inter quos frequẽs coma, sed breuis, cæcis spinis intercurrentibus horrida, quæ sua fronde cõtegantur, & candidæ ualentesq; rigescant, radice lata, furculosa, supra terrã emergente, qua discissa stillat è uulnere succus, qui coalescit in lachrymã, gentilitium nomen referentẽ. Optima est pellucida, læuis, syncera, gracilis, subdulcis. Hæc Theophrasto authore, tantũ antea nasci in Creta credebat, nunc uero in Achaia, etiam Peloponnesi alijs locis, & Asiæ circa Mediam comperiri certum est: lachrymam tamen nõ incisura sed sponte manando spissescere, contrà q̃ Dioscorides, Theophrastus existimauit. In Arcadia quoque passim prouenit. Cretica deterior, aspectu tamen prælata. Herbam utpote peregrinam Galliæ & prorsus exoticam nostrates herbarij non norunt, lachrymã tamen nullæ non cognoscunt officinæ, interpollato nomine *dragagantum gummi* nunc appellantes, cuius innumerus propemodum inoleuit medicis usus, ijs notior quibus stirps fuerit uernacula. Vsus eius ad oculorum medicamenta, scabritias arteriæ, tusses, raucedines, destillationes in eclegmate data cum melle. Sugitur item linguæ subiecta. In passo madefacta drachmæ pondere bibitur contra renũ dolores et uesicæ rosiones, ad quę sumitur cũ cinere cornus ceruini elutò,

aut cum

aut cum aluminis fissilis exiguo. Vlcera purgare cum melle traditur. Eryngium aculeatarum generis est. Huic folia lata & extremo ambitu aspera, gustu odorata: sed ubi adoleuere, multis caulium fastigijs in spinas aculeantur. In cacuminibus capitella in formam pilæ coacta cernuntur, sepientibus stellatim aculeis, per orbem acutissimis præduriscq;. Colos ijs modo candidus, modo uiridis, modo cæruleus inuenitur. Radix oblonga, lata, summo cortice nigra, cãdida interius, pollicari crassitudine, odoris boni. Nascitur in cãpestribus & asperis. Folia tenera sale cõdita in græcorum cibos recipiuntur. Hanc officinæ uocant *iringium* corrupto, ut cõstat, uocabulo. Multi *centum capita* uocãt, nam aculeata conspicitur, fruticosa, folijs per extrema spinosis, odoratis, caule cubitali, in cuius uertice coacta in globũ capitella, muricato spiculorũ uallo, stellæ modo radiantur, quorũ colos in pubertate uiridis, adultæ cæruleus, flaccescenti candidus cõspicitur: radice pollicari, intus alba, foris nigra, sed odorata, quam hodie Gallia saccharo uel melle cõdit, eryngiatum uocans. Dioscorides una specie cõtentus est. Plinius albi & atri discrimina fecit, eryngen statuens duram, fruticosam, spinosis folijs, caule geniculato, cubitali & maiore aliquando, aliam albicantem, aliam nigricantẽ, radice odorata. Satiua, ut inquit, quidem est, sed & sponte nascitur in asperis & saxosis: in litoribus maris durior nigriorcq;, folio apij. Ex ijs candidã Latinis dicit centũ capita uocari, utrãcq; & caule & radice in cibis græcorũ recipi, utroq; modo siue coquere libeat, siue cruda uesci. Portentosum esse quod de ea tradatur, radicẽ eius alterutrius sexus similitudinem referre, raram inuentu, & si uiris cõtigerit mas, amabiles fieri: ob hoc & Phaonem Lesbium dilectũ à Sappho. Multas circa hanc nõ magorum solum uanitates, sed etiam Pythagoricorum. Atræ caulis ex cyaneo nigricat, folio prolixo, lanuginoso, flore aliàs cæsio, aliàs purpureo, globosis capitibus & stellatis. Colligi hanc quidam iussere, cum sol Cancri tenet hospitium. Aetius eryngium mõtani cognomine solijs depinxit paruis, angustioribus, aureo flore, figuram oculi repræsentãte. Aristoteles de eryngij natura differẽs, scriptum reliquit, Si ex grege caprillo dux caulem eryngij morsu raptum sustulerit, & ipse & grex statim subsistat. quod Plutarchus Symposiacorum septimo firmauit, uolens, cum capella in os eryngion indiderit, totum gregem sistere gressum, ac pedem remorari. Qua de causa, uti spero, aceruis frumenti, ne ab ijs animantibus imperterentur, olim solebat superponi: uel potius, quòd pecus forsan minacibus aculeis abigeret, & undique confluens arceret. Clara aculeatarum generis eryngе est, contra serpentes & uenenata omnia nascens. Aduersus ictus, morsusq; radix eius bibitur denarij pondere in uino: aut si plerũque tales iniurias comitatur & febris, ex aqua. Illinitur plagis. Efficax contra ranas: item contra toxica & aconita, in iure anseris decocta traditur. Sunt qui aduersus toxica cum rana decoquant, cæteri in aqua. Caule & radice in cibos græcorum receptis utroq; modo, siue coqui libeat, siue cruda uesci. Auxiliatur inflationibus, torminibus, cordis uitijs, præcordijs in aqua mulsa, lieni in posca: item ex mulsa renibus, strangu-
riæ, opisthotonicis, cõuulsionibus, lumbis, hydropicis, comitialibus, mulierum mensibus siue subsidant, siue abundent, uuluarum omnibus uitijs. Extrahit infixa corpori cum melle. Strumas, parotidas, panos discutit. Recedentes ab ossibus carnes sanat cũ axungia salsa & cerato: item fracturas. Præsumpta crapulã arcet, aluum sistit. Aliqui sub solstitio colligi eam iussere. Ex aqua cælesti imponi omnibus ceruicis uitijs, oculorũ quoq; albugines sanare adalligatã tradiderunt. Naturam ei excalfactoriam Dioscorides reddidit. Vrinam, ut ait, menses q; trahit, inflationes discutit, torminibus & iocinerum uitijs occurrit. Cõtra serpẽtium ictus & hausta uenena in uino remedium est. Bibitur ad multa cum semine pastinacæ, pondere denarij. Tradunt adalligatam uel illitam uomicas discutere. Pota cũ hydromelite radix opisthotonicis & comitialibus medetur.

Aloe. Cap. XIX

ALoe scyllæ similitudinem habet, folijs pinguibus, crassis, in latitudinẽ se modicũ fundentibus, rotundis, & retrouersum repandis. Ea utrinq; ex obliquo longioribus interuallis striantur, & in spinulas desinunt retusas truncasq;. Caulem erigit antherici nõ dissimilẽ, in quo flos albus emergit semen aspho deli. Tota grauem expirat odorem, amarissima gustu, radice singulari, ceu palo in terram adacto. Copiosissima nascitur apud Indos, unde succus quoque defertur.

In Arabia

In Arabia prouenit Asiaq;, & aliquot maritimis locis, insulis, ut in Andro. Familiarẽ iam tonstrinis aloen nemo nõ nosçit, uirentem semper, quapropter *semperuiuum marinum* uulgo uocant. Hæc bima trimaq; pensilis in diætarũ laquearibus germinat, uiuaxq; uel eruta solo, diu frondescit: nam hæc gladioli, uel potius scyllæ folia gereret, nisi latiora essent, & tenaci lentore sequacia, necnõ ex obliquo truncis spinulis exasperata, & maiori interuacante spatio striata, retrouersumq; conuexa. Caulis exit antherici similis, circa medium rutile scens, flore candido, semine hastulę regiæ, radice in defixi pali speciem exeunte. Serit eam Asia in turbinibus cadorũ ut sedum maius. A marinis partibus ad nos frequentissimè defertur, sed solo credita nunquam comprehendit, imò breui carie confecta demoritur, licet in tabulatis propendens plerunq; biennio uitam proroget. Fuere qui traderent in Iudæa supra Hierosolymam fossilem & metallicam inueniri sed improbam, id quod in operis sui uestibulo Dioscorides statim præfationem auspicatus it inficias. Quidam caulem ante seminis maturitatem incidunt succi gratia. Aliqui & folia quoq;. Inuenitur & per se lachryma adhærens. ergo pauimentandũ ubi fata sit censent, ut lachryma non absorbeat, uel terra stillantem succum ebibat. Duo concreti liquoris ad nos genera deuehũtur. Vnum arenosi, quod sedimentum esse purissimi cognoscitur. hoc officinæ *caballinum* uocãt, ueterinariis medicaminibus dicatum, ob id nomen ut arbitror indiderunt. Alterum iocineris modo coactũ, *succotrinum* uocant. ea q; optime seplasiariis cognita. Optima censetur pinguis ac nitida, rufi coloris, friabilis, & iocineris modo coacta. Efficaciorem esse, si pota ea sumatur cibus, Plinius adfirmat. Paulus contrà mane tradendam præcipit aloen, noxæ taxans eos qui uesperi propinent aut secundũ cibum. Hoc enim modo lædit corrumpens alimentum, excremento sam alui proluuiem exigit, & bilem detrahit flauam. Porrò quum omnia quæ uentrem deijciunt medicamenta stomacho negotium exhibeant, sola aloe ipsum iuuans cõfirmat. Paulus authoritate Rufi fretus memoriæ prodidit, singulari remedio pollere aduersus pestiferæ luis cõtagia populatim grassantia, potionem quæ caperet aloes & ammoniaci thymiamatis, id est suffimẽti, binas utriusq; portiones, myrrhę unam. ea in uino odorato trita dimidij cyathi modo sumi debẽt. Quotidie omnes hoc potu usi sese à pestilenti contagione, ut Rufus inquit, asseruerunt, ac integra incolumitate superstites euaserunt. Hæc cõmentarijs nostris inseruimus, q; Arabes Rufi uerba in sensum longè diuersum detorserunt, crocum pro ammoniaca gutta, nescio qua ducti ratione, substituẽtes, catapotia ex aloe, croco & myrrha cõcinnent, eamq; cõmentitiam compositionem ac interpollatam Rufo referãt acceptam, cui & formam & uinum odoratum, perperam Afro freti ingenio, dempserũt. Aloidarium recẽtioribus, Oribasio, Philagrio, Aetio, medicina fuit ad uentrem soluendum. Erit ergo optima pinguis ac nitida, rufi coloris, friabilis, & iocineris modo coacta, facile liquescens: improbanda nigra & dura, arenosa quoq;, quę & gustu intelligitur. Gummi adulteratur, & acacia. Natura eius spissare, densare, & leniter excalfacere. Vsus eius, aluum soluere. Confirmat etiam stomachum, adeò ut non infestet ulla ui contraria. Bibitur drachma: ad dissolutionem uerò stomachi in duobus cyathis aquæ tepidæ uel frigidę cochlearis mensura, bis térue in die ex interuallis, ut res exigit. Purgationis etiam causa plurimum tribus drachmis. Fluentem capillum cõtinet cum uino austero capite in sole contra capillum peruncto. Dolorem capitis sedat temporibus & fronti imposita ex aceto & rosaceo. Si dilutior infundatur, oculorum uitia omnia sanari cõuenit, priuatim prurigines, scabiem genarum: item insignita & liuida cum melle illita præsertim Pontico: tonsillas, gingiuas, & omnia oris ulcera, sanguinis excreationes, si modicæ sunt denarij pondere ex aqua: sin minus, ex aceto pota. Vulnerum quoq; sanguinem & undecunq; fluentem sistit per se uel ex aceto. Vlcera ad cicatricem perducit. Eadem inspergitur genitalibus uirorum exulceratis, cõdylomatis, rimisq; sedis, aliàs ex uino, aliàs ex passo, aliàs sicca per se, ut res exigit. Hęmorrhoidũ sistit abundantiam. Dysentericis infunditur, si difficilius concoquant cibi. Bibitur à cœna modico interuallo, & in regio morbo tribus obolis ex aqua. Purgat interiora cum mellis decocto aut resina terebinthina. Digitorũ pterygia tollit. Oculorum medicamentis lauatur, ut quod sit arenosissimum subsidat: aut torretur in testa, pennaq; subinde uersatur ut æqualiter torrefiat. Dioscoridi densat & resiccat corpora, aluum resoluit, somnum concíliat, stomachum purgat binũ cochleariorum mensura ex

ſura ex aqua frigida uel egelida, excreationes ſanguinis inhibet. Regium morbum diſcutit ex aqua tribus obolis, aut certe denario. Cum reſina uerò aut aqua, aut melle, & mellis decocto cit uentrem. Magnifice purgat interiora ſi drachmis tribus pilulæ deuorẽtur. Miſta medicaminibus, quæ uacuando ſunt, innocentiora ea ſtomacho facit. Vulneribus glutinandis ſicca reſpergitur. Vlcera cohibet et perducit ad cicatricem. Eadem exulceratis uirorum genitalibus, & ruptis infantium puerorum præputijs medetur. Condylomata, rimasq; ſedis ex paſſo ſanat. Hæmorrhoidum abundantiam & ſanguinis eruptiones ſiſtit. Digitorum reduuias tollit. Sic liuores & ſuggillata cum melle delet. Priuatim ſcabras lippitudines, angulorumq; prurigines lenit. Dolorẽ capitis ſedat temporibus & fronti perlita ex aceto & roſaceo. Capillum fluentem continet cum uino. Tonſillis, gingiuis, & omnibus oris ulceribus ex melle & uino prodeſt. Oculorũ medicamentis torretur in teſta candenti pura, pennaq; ſubinde uerſatur ut poſſit æqualiter torreri. Lauatur ut quod eſt are noſiſſimum ſubſidat, tanquam inutile & leue ac pinguiſſimum aſſumatur. Gummi eam impoſtores adulterant, quod facile guſtu intelligitur, amaritudine, atq; odoris uehementia, eoq; argumento quòd digitis friata nõ reſoluatur in fruſtula uel ramenta. Non deſunt qui permiſceant acaciam.

Abſinthium. Cap. xx

ABſinthij genera ſunt plura, uulgare Galli *aluynam* uocant. frutex eſt inſigni amarore præditus, caule ramoſo, foliis incanis, multipliciter ſectis, aureo flore, partu rotundo, racematim cohærente. Ponticũ hoc etiam cognominant, q; à Ponto ueniens cæteris multo ſit præſtantius, ubi pecora pingueſcunt illo, et ob id ſine felle inueniũtur, longeq; Italico amarius, ſed medulla dulcis. Carent felle, ut Plinius tradit, qui eo ueſcuntur in Ponto. Herba hæc inter paucas utiliſſima, ſacriſq; populi Romani peculiariter celebrata. Siquidẽ Latinarũ ferijs quadrigę certabant in Capitolio, uictorq; bibebat abſinthiũ, ſanitatem eo prẽmio dari honorificè arbitratis maioribus. Huius folia pueris dabant ueteres in fico, ut amaritudinem fallerent, uel illitis melle uaſculi labris. Quem ritum Lucretius ad philoſophię præcepta trãsferens, his carminibus eſt complexus,

Ac ueluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aſpirant mellis dulci flauoq; liquore.

Aliud genus eſt marinũ, quod ſeriphium uocant, cuius ramum Iſiaci ſacerdotes pro oleagino termite ſolẽne habent præferre. herba eſt fruticoſa, prætenuibus cirris, paruo ſimilis abrotono, exiguo ſemine, prẽgnansq; ſubamara, ſtomacho inimica, graui odore, linguam aſtringens & leniter excalfaciens. Huius ſemine medici tineis, uermibus necẽ moliuntur, ob id *ſemen contra lumbricos* uocant. Noſtrum uulgus *barbotinam* appellat, nonnunq; quoque *mortem uermium*. Officinæ ijs norunt appellationibus. Porrò tertium abſinthij genus quod in Alpinis Galliæ ſecus Santones naſcitur, dictum à loco, ubi plurimũ gignitur, Santonicum, gentili regionis huius uocabulo, quod eſt abſinthij ſimile, ſed longè minus, copioſo ſcatens ſemine, aliquantæ amaritudinis. Hoc apud nos hac ſpecie cernitur, fruticoſis caulibus, lentis, tenuibus, folio Pontici uel uulgaris abſinthij, longè pluribus ſegmentis digeſto, candicante, aureo flore, comis largiore ſeminio ſummatim onuſtis, mitiore multo amaritudine. Nomẽ apud nos retinuit. Galenus ſexto ſimpliciũ erroris Pamphilũ arceſſit, qui ab abrotono mentionẽ herbarũ auſpicatus, cenſet herbã eſſe, quę Romanis Santonicũ appelletur, qui error à Galeno Dioſcoridis authoritate refellitur. Magni ſiquidem intereſt inter abrotonũ & Santonicum. Abrotonum ſolius ſexus diſcrimine, maris dico & fœminæ, contentum eſt: abſinthium longè ab eo diuerſum, in treis ſpecies degenerat. Vnam generis uocabulo uocant abſinthiũ, cui maxime Ponticum ſimile eſt: alteram Santonicũ: tertiam ſeriphon. Vulgare minus calfacit, q; aſtrictionis multæ ſit particeps: minus cæteris ſpeciebus extenuat, non minus tamen reſiccat. Santonicum gentilitiũ regionis nomen in qua naſcitur retulit, plurimũ apud Santones prouenit. Proximi ſeripho ingenij, ſed ineffi cacioris aliquanto, minus calfaciendi, ſiccãdi, extenuandiq; munere pollet. Porrò ſeriphũ minus abrotono, plus abſinthio calfacit, ſtomachoq; faceſſit negotiũ, & cum quodã ſalis

gustu amarum sentitur, pauciſſima quoq; donatũ acerbitate: Santonicũ stomacho aduersatur. Solum igitur absinthiũ, sed præcipuè Ponticum, acerbitate plurima stomachum demeretur, ipsum corroborans. Illud tamen notatu dignum occurrit, Santonicum à Dioscoride & Plinio absinthio similius describi q̃ marinum, quod seriphion uocant: contrà, marinum abrotoni potius, q̃ absinthij figura ab eisdem demõstrari. Recentiores tamen herbarij contrariũ audent decernere, marinum siue seriphion docentes absinthio q̃ abrotono similius: Santonicũ abrotoni potius q̃ absinthij faciem referre. Nec ab re profecto id uidentur cõtendere, quoniam id quod passim secus mare in litoribus inuenitur, sapore salso, folio candicante, nihil temere cum abrotono nactum est cõmune. Verum placitis antiquorum potius hærendum censuerunt, qui hæc notarũt discrimina: præsertim cum Galenus testetur seriphium & conspectu, & gustu absinthij consimile, sed minus linguam astringere, & maiorem ciere calorem absinthio, & cum gustu non insulso amaritudinem resipere. Cyprium absinthiũ in primis Hippocrates cõmendauit. Præstantissimum quod in Ponto, Cappadocia, monte Tauro traditur nasci. Astringit, excalfacit, bilem quæ stomacho aut uentri cohæserit expurgat, urinas mouet. Crapulam præsumptum arcet. Inflationes doloresq; uentris, & stomachi finit, cum seseli, & nardo Gallico potum. Fastidia discutit, appetentiam excitat uel intermortuã. In regio morbo madefacti eius dilutũ, aut decoctum salubriter bibitur, per singulos dies cyathis tribus. Menses cum melle sumptũ deuocat, aut appositũ. Strangulatis fungorũ esu subuenit ex aceto. Aduersatur & ixiæ uenenis, & contra cicutã in uino, muris aranei morsibus, & draconi marino. Anginis succurrit cum melle ac nitro. Epinyctidas ex aqua sanat, sugillata & oculorum caligines cum melle discutit. Auribus si manat sanies cum aceto tritum infunditur. Dentium auriumq; dolores decoctum uaporis suffitu tollit. Doloribus oculorum decocti succus oblinitur: item ilibus, præcordijs, & iocineri tritum cum cerato Cyprino, & ad stomachi uetustos dolores subactũ cum rosaceo: cum ficis autem & nitro in polline loliaceo sorbetur. Aquæ inter cutem lienosisq; subuenit. Transit sapor eius in uinum quod uocant absinthiten, quo ad ante dicta in Propontide & Thracia utuntur, modo febrim nõ sentiant: alioquin in æstate propinãt, acceptamq; uino huic incolumitatẽ referunt. Insparsum uestiarijs absinthiũ ea ab erodentium iniurijs uindicat. Culices eo & oleo perunctis abigit & arcet à corpore. Atramẽtum librarium ex diluto eius temperatũ literas à muribus tuetur. Quæritur & succus expressi totidem effectibus pollens: attamen potionibus improbatur, stomacho & capiti dolorem adferens. Amurca succũ hunc adulterant. Vetustissimo in usu est, herba inter paucas utilissima. Stomachũ corroborat, & ob hoc sapor eius in uina transfertur. Bibitur decoctum in aqua, & postea nocte & die refrigeratũ sub dio, decoctis sex drachmis foliorum cum ramis suis in cælestis aquæ sextarijs tribus. oportet & salem addi. Tritum, ut aiunt, raro in usu est, sicut & succus expressus. Bibitur & madefacti dilutũ. Exprimitur autem cum primum semen turgescit, madefactũ aqua triduo recẽs, aut siccum septem diebus: deinde coctum in æreo uase ad tertias, decem heminis, in aquæ sextarijs quadraginta quinq;, iterũq; percolatum (herba eiecta) lentè coquitur ad crassitudinem mellis, qualiter ex minore centaurio quæritur succus. Sed hic absinthij inutilis stomacho capitiq; est, cum (ut tradũt) sit ille decoctus saluberrimus: nam stomachũ astringit, bilemq; detrahit, urinam ciet, aluum emollit & in dolore sanat. Malaciã stomachi & inflationes, cum exiguo sili & nardo Gallico, addito aceto discutit. Fastidia abstergit, coctiones adiuuat. Cruditates tollit cum ruta, pipere, & sale. Antiqui purgationis gratia dabant cum marinæ aquæ ueteris sextario, seminis sex drachmis, cũ tribus salis & mellis cyatho. Efficacius purgat duplicato sale. Quidam in polenta dedere supradictum pondus addito pulegio. Alij cõtra neruorum resolutionem. Thoracem purgat cum iride sumptũ. In regio morbo bibitur cum apio aut adianto. Aduersus inflationes calidum paulatim sorbetur ex aqua: iocineris causa cum Gallico nardo. Aduersatur fungis ex aceto: itẽ ixiæ, cicutæ ex uino, & muris aranei morsibus, draconi marino, scorpionibus. Oculorum claritati multum confert. Epiphoris cum passo imponitur, sugillatis cum melle. Auribus decoctum uaporis suffitu medetur: aut si manat sanies, cum melle tritũ. Vrinam & menses trahunt tres quatuórue ramuli, cum Gallici nardi radice una, cyathis aquæ sex. Menses priuatim cũ melle sumptũ & uellere appositum.

Anginis

Anginis ſubuenit cum melle & nitro. Epinyctidas ex aqua ſanat. Vulnera recentia, priuſquam aqua tangantur, impoſitum. Præterea capitis ulcera. Peculiariter ilibus imponitur cum Cypria cera, aut cum fico. Sanat & prurítus. Non eſt dãdum in febri. Nauſeas maris arcet in nauigationibus potum. Somnos allicit olfactum aut inſcio ſub capite poſitum. Inguinum tumorem in uentrali habitum diſcutit. Capillum denigrat cinis unguẽto roſaceo permiſtus. Abſinthium ueſtibus inſertũ tineas arcet. Culices ex oleo perunctis abigit, & fumo ſi uratur. Atramentum librarium diluto eius temperatum literas à muſculis tuetur. Marinum, quod quidam uocãt ſeriphium, ſtomacho inimicum eſt, aluum mollit, pellit interaneorum animalia. Bibitur cum oleo & ſale aut in farina trimeſtris ſorbitione dilutum. Coquitur quantum manus capiat in aquæ ſextario ad dimidias. Decoctũ cum oryza lumbricos, tineasq; rotũdas necat. Cum melle aluum mollit. Eadem poteſt additum obſonijs, aut in lenticula decoctũ. Largiſſimè in Cappadocia prouenit & Tauro monte. Probatiſſimum Tapoſyri Aegypti. Santonicũ pares cum ſeriphio effectus habet. Vinum quod ex abſinthio, præſertim Pontico, Græcis factitatur, præcordiorum, & iocineris dolores finit, cruditates ſtomachi & moleſtias eiuſdem perſanat, quæ in interaneis aluntur animalia depellit. Tuſæ Pontici abſinthij drachmæ octo, & linteo raro ligatæ, in amphoram uini conijciuntur. Muſtum deinde mittitur relicto uno uaſis ſpiraculo ne efferueſcens foras exiliat.

Mel. Cap. XXI

MEl, Græcis meli, uenit hoc ex aere Vergiliarũ exortu, uel ſydere Sirio ſplendente, ſublucanis temporibus, ſiue ille ſit cæli ſudor, ſiue ſyderum ſaliua, ſiue purgantis ſe aeris ſuccus, ſiue aquæ ſit liquor, ſiue naturæ, cum prima aurora locis quibus prouenire ſolet, folia arborum herbarumq; melle roſcida inueniũtur: & ſi qui matutino ſub diuo fuere, unctas hoc liquore ueſtes capillumq; concretum ſentiunt. Hoc tanquam ros è cælo cadens dum uenit, obuio terrę halitu concreſcens in mellitos callos coit, qui arboribus & herbis & interdum lapidibus inuenitur hærere. Galenus in folijs inquit ſtirpium adnaſcitur quippiã, quod nec eorum ſuccus, nec fructus, nec pars exiſtimari poſſit, ſed rorulentũ quiddam, nec tamen continenter nec copioſe naſci ſoleat. Nec me fugit per æſtatem in arborum, fructuũ, herbarumq; folijs plurimum coijſſe, ita ut à collætantibus hoc ſucceſſu ruſticis Iupiter diceretur melle pluiſſe. Præceſſerat tum nox frigidior, pridie callida ſiccaq; cæli cõditio diluxerat. Quapropter interrerum naturæ peritos conueniebat, halitus, quos terra uel aqua proſpiraſſet, extenuatos & excoctos, nocturni frigoris beneficio coaluiſſe. Id in regione noſtra, ait Galenus, rarius euenit, in Libano monte quotannis, adeò ut extenſis pellibus arbores ſuccutiant, receptoq; quod prolabitur, ollas & fictilia compleant, priuatoq; nomine uocant droſomeli, id eſt roſcidum mel. & etiam aeromeli, hoc eſt aerium mel. hæc Galenus. Sic duo mellis faſtigia ſtatuũtur, aerij, ſiue roſcidi, quod ſuprà *manna* à barbaris uocari in caſiæ fiſtularis mentione docuimus, & alterius ab apibus elaborati. Siquidem is mellitus ſuccus fronde ac pabulis potus, & in uentriculos congeſtus apum, ore reuomitur: ſucco florum corruptus, & alueis maceratus, totieſq; mutatus, magnam tamẽ cæleſtis naturæ uoluptatem adfert. Eſt aũt initio mel ut aqua dilutũ, & primis diebus feruet ut muſta, ſeq; purgat. Vigeſimo die craſſeſcit, mox obducitur tenui membrana, qua feruoris ipſius ſpuma concreſcit. Sorbetur optimum et minime fronde infectum è quercus, tiliæ, arundinum folijs. In quocunque tamen tractu terna ſunt mellis genera. Vernum, ex floribus cõſtructo fauo, quod ideo uocatur anthinum. hoc quidem attingi uetant, ut largo alimento ualida exeat ſoboles. Alterum genus eſt mellis æſtiui, quod uocatur horæon, à tempeſtiuitate præcipua, ipſo Sirio explendeſcente poſt Solſtitiũ. Nam exortu ſyderis, ſi ros tepeſcat ſolis radijs, medicamenta non mella gignuntur, oculis, ulceribus, internisq; uiſceribus dona cæleſtia, Nec alia ſua uitas uſusq; mortalium malis à morte uocandis, quàm diuini nectaris ſit. Tertium genus mellis minime probatum, ſylueſtre, quod ericæum uocant, cõuehitur poſt primos autumni imbres, cum erice ſola floret in ſyluis. ob id arenoſo ſimile. Gignitur maximè Arcturi exortu. Aeſtiuum omne rutilum, ut diebus confectum ſiccioribus. Aptiſſimum æſtimatione è thymo, coloris aurei, ſaporis gratiſſimi, cum ſit palàm doliolis pingue, marino è rore ſpiſſum. Quod concreſcit autem, hoc minime laudatur. Thymoſum non coit, & tactu præ

tenuia fila mittit, quod primum grauitatis argumentũ est. Abrumpi statim & resilire gũtas, utilitatis indicium habetur. Sequens probatio, ut sit odoratum & dulce, glutinosum, perlucidum. Natum in Carnia Cretæ monte uel muscæ non attingunt, propterea medicamentis eligitur. Varro Siculum præfert omnibus, q̃ ibi thymum bonum frequens q̃ sit, quo ad mellificium nihil est præstantius. Strabo è Cycladibus & inter Cycladas Calymnium anteponit omnibus. Natura mellis ea est, ut uitia coerceat, ne serpere ultra patiatur. Quam ob causam uel exanimum corpus hominis per annos plurimos innoxium conseruat. Diophanes Attico palmam dedit, præsertim ex Hymeto monte. Secundam authoritatem tribuit huic quod ex insulis petitur Cycladibus & Siciliæ, quod simblium uocant. Maxime laudatur pellucens, subrutilũ, tactu læue, prætenuia fila mittens, atque ualidum: & cum trahitur neq̃ abrumpentibus se neq̃ resilientibus guttis, sed digitum uersus quasi reciprocantibus, odore suaui. Porrò cum mel omne temporis spatio resiccetur, Atticum manet humectum. Mel improbius coctione melius reddetur. Optimũ præcipit edendum crudum. Nanque non uescentibus modo suaue sentitur, sed facilem & nitidam utentibus protrahit uitam, caducamq̃ firmat senectam. Nam qui senes etiam nihil ad panem adhibent præter mel, diutissime & uiuunt & sensuum integritatem uigoremq̃ animi & corporis custodiunt, ita ut merito longæuam ætatem mellis nutritui referre debeant acceptam. Democritus semel interrogatus quonam pacto & inoffensa ualetudine homines, & longiore æuo uitam prorogarent, respondit, Si externa oleo, interna melle deliñatur. Sed mel quod intingitur syncerum, & omnis expers fraudis esse cõuenit. Mellis inuentionem Plinius & Diodorus Aristęo Athenienſi assignãt. Quintus Curtius arbores in Hircania conspici, quarũ folia multo melle tingãtur. Faciem quercus habere tradit, ac nisi solis ortũ incolæ præuerterint, fore uel ut medio tempore succus is extinguatur. Mel in Sardinia progenitum uirus habet, quod mirum est, cum nullum animal homini pestiferum in ea insula nasci perhibeatur. Nec uerò mel Sardoum, sed Colchicum infame traditur amaritudine. Sunt & alia mellis fastigia, quæ mox subiunget dissertatio. Mel Heracleoticum, siue Ponticum, ex herba fieri candida commemorant, quæ ægolethros uocetur, quia pernicies iumentorum sit, præcipuè caprarum. Non sentitur omnibus annis hoc malum, nec nisi cum flos ille marcescit aquoso uere. Signa uenenati sunt, nunc̃q̃ dẽsari, color magis rutilus, & q̃ ponderosius est quàm probum. Qui gustauere, abijciunt se humi refrigerationem quęrentes. Exitium per excrementa ad canes quoque peruenit, similiterq̃ torquet eos. Mulsum tamen ex hoc melle inueteratum desinit esse pernicioſum. Aliud etiam genus mellis in eodem Ponti situ, manicon siue mænomenon appellant, ab insania quam facit, existimatum rhododendri flore contrahi, quo scatent syluæ. Tradit Dioscorides Heracleæ in Ponto ex annona mellis quibusdam annis pernicioſissimum, flore quarundam herbarum contracta nocendi proprietate. Qui edere, tentantur excessu mentis, & diffluunt sudore. In remedio salsamenta, mulsum & ruta, si reñciãtur crebro sumpta. Venenati notæ sunt, odor acer & alienus, sternutamentaq̃ protinus mouens. Mellis ipsius probi talis natura est, ut putrescere corpora nõ sinat, iucundo sapore atq̃ non aspero, alia quàm salis natura. Faucibus, anginæ, tõsillis, omnibusq̃ oris desiderijs utilissimum, arescentiq̃ in febribus linguæ. Iam uerò peripneumonicis, pleuriticis decoctum: item uulneribus, à serpente percussis, & contra uenena fungorum, uel auribus instillatum cum rosaceo prodest. Lendes & fœda capitis animalia necat. Vsus despumati semper aptior, stomachum tamen inflat, bilem auget, fastidium creat. Oculis per se inutile aliqui arbitrantur, rursus quidam angulos exulceratos melle tangi suadẽt. Sunt & nõ paruæ mulsæ dotes, quæ pernoscere uolentibus, in mellis operibus tractari debent. Duo eius genera, subitæ & recentis, alterum inueteratæ. Repentina despumato melle præclaram habet utilitatẽ cibo ægrotantiũ læui uiribus recreandis, stomachoq̃ mulcendo, ardore refrigerando: frigidam enim utilius dari uentri mollien do. Inuenit & Plinius apud autores hunc potum bibendum alsiosis, item animi humilis & præparci, quos Græci dixere micropsychos. Lenit transitum spiritus, & molliores facit meatus: etenim asperitas animi dulciore succo mitigatur, quemadmodum & impetus animi cibo mollitur. Aqua mulsa tussientibus utilis traditur. Calfacta incitat uomitiones. Contra uenenum ceruſæ salutaris, item contra hyoscyamum cum lacte maxime asinino.

Infunditur

Infunditur & genitaliũ fiſtulis. Vuluis imponitur cum pane molli, ſubitis tumoribus, luxatis, leniendiſq; omnibus. Inueteratæ uſum damnauere poſteri, minus inno cẽtem aqua, minusq; uino firmum. Longa tamen uetuſtate tranſit in uinum, ut cõſtat inter omnes, ſtomacho inutiliſſimũ neruiſq; contrarium. Apomelitis conficiendi ratio ab Aetio traditur. A fauis niueo candore ſplendentibus mel pellucidum manibus exprimitur. Optima fontis aqua permiſcetur. Si quod diſtrictũ manauit melle craſſius apparebit, quaternas aquæ partes ad mellis ſingulas adieciſſe ſatis eſt: ſin liquidius profluxit, ternas. Si aridiores ſint faui, diſſecantur & manibus ſubacti diſtringuntur. hæc in olla fictili, in qua prius inferbuerit aqua, ut terreſtris eluatur ſordes, igni decoquuntur nullum fumum eiaculante, deterſa iugiter ſpuma, quæ uel ſummatim enatat, uel faucibus obhæret. At ubi ſeptima uel octaua pars modi totius euanuerit abſumpta, reliqua refrigerari perfectè ſinitur, uinariaq; cella recondit. Apomeli deterget, digerit, aluo bilioſum humorẽ excernit, urinas ciet. Aduerſatur calidioribus & ſiccioribus naturis. Damnat in calidis ualetudinibus, & præcordijs inflãmationem ſentiẽtibus. ſitim tamẽ nec excitat nec extinguit. Dari debet ante ſorbitiũcu las, nanq; cibis intermiſtũ noxam infert. Cera fit expreſſis fauis, ſed ante purificatis aqua, & triduo in tenebris ſiccatis, quarto die liquatis igni, nouo fictili aqua fauos tegente, tum ſporta colatis. Rurſus in eadem olla coquitur cera cum eadem aqua, excipiturq; alia frigida uaſis melle circumlitis. Optima quæ Punica uocatur. Plurimum habet propolis Cretica, ideoq; locum ſecundum in nationibus obtinuit. Tertium Corſica, quoniam ex buxo conſtet, & medicaminis uim referat. Candidam ceram nihil aliud eſſe uideo quàm Punicam fieri. hæc medicinis utiliſſima. Varios in colores pigmentis cera trahitur. Nigreſcit addito chartarum cinere, anchuſa miſta rubet. Omnis cera mollit, calfacit, explet corpora. Recens melior, datur in ſorbitione dyſentericis. Aduerſatur lactis naturæ, ac milij magnitudine decem grana ceræ hauſta non patiuntur coagulari lac in ſtomacho. Si inguen tumeat, albam ceram in pube fixiſſe remedio eſt. Optima Dioſcoridi colore fuluo, ſuppinguis, odorata, & modicè referens halitum mellis, & pura, natione autem Pontica uel Cretica. Proximus locus exalbidę, cui naturale ſit id, nec quæſitus arte candor, præpinguis. Propolis eligenda quæ flaueſcat, odorata, ſtyracemq; præferẽs: item quæ in præarido lenteſcat, & ſubigi facilis, mittatq; fila cum trahatur maſtiches modo. Prima propolis alueorum aculeos & omnia corpori infixa extrahit, tubera diſcutit, dolores neruorum mulcet, ulcera iam deſperantia cicatrice concludit. Nec me præterit Scribonium Largum propolim, ceram appellaſſe uirgineam. Hanc apes faciunt ad foramen introitus protectum æſtate, ut inquit Varro. Alia ab Rithace uocata, qua fauos extremos ſimul glutinãt. Interdum extra fores aluei obturant omnia quà uenit inter fauos ſpiritus.

Saccharum. Cap. XXII

Saccharum Græci ſachar uocant. Id, ut Plinius tradit, Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in arundinibus collectum gummium modo, candidum, dentibus fragile. Ampliſſimũ ſua ætate nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum uſum. Saccharum concreti mellis genus eſt Dioſcoridi, quod in India prouenit & Arabia, quæ Felix cognominatur, in arundinibus tantum, & ſalis modo concretum, dentibus fragile, uentri & ſtomacho commodum ſi ſoluatur aqua & bibatur. Vitiatæ prodeſt ueſicæ, renibusq;. Oculorum caligines illitu diſcutit. Arianus mel calaminũ appellat, id eſt arundinaceum. Rarum fuit nec planè cognitum Galeni ſeculo, nunc inſtrumentum habetur uitæ nitidioris, nullumq; magnificũ epulum, iam ne quotidianus quidẽ uictus, ſine ſaccharo placet. Nunc popularis ortus in Aegypto, Cypro, Rhodo, Creta. In Italia quoque ut audio naſcitur. Digeritur in grandes paſtillos, effingitur in turbinatas placentas, ſæpius cogitur in metas. In omnem profecto figuram ſaccharum componitur, nec aliter quàm farina: trahiturq; etiam in picturas opere hiſtoriali, uenatus, claſſes, oppida, & quaſcunq; rerum offerri libeat imagines repræſentans. Nulla non forma introferri ſolitum conuiuijs, & ad principia eorum & ad ſecundas quoque menſas, unde natum ſit adagium. Nullum ferculũ corrumpi ſaccharo. Plinij temporibus ampliſſimum, nucis auellanæ magnitudine duntaxat uenerat in uſum, nunc tam promiſcuum fere ut deſinat prodeſſe, multis obſit, pueris certe uermes & tineas creat.

Nulla ſunt tam blanda fercula, quorum gratia non exoleſcat uſu continuo. Varronis hac de re uerſus,

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.

Strabo quoq; non ex ipſis tantum arundinibus, ſed & radicibus quoq; mel exprimi commemorat in India. Nunc ex Alexandria Aegypti & Cypro cõmendatiſſimũ. Melius quo uetuſtius, quanq; calidius & capiti ferè nocens. Dilutum aqua refrigerandi uim concipit, præſertim ter coctum. Primo excoquunt arundinem, deinde flaua pars ſecernitur, hãc ſaccharum exiſtere. Hoc iterum coqui poteſt, atq; ita fit candidius & concretius. Quod ſi tertio coquatur, maximum & candorem & denſitatẽ contrahet. Quartum aut quintum ſolet excoqui, & donec ſpecie aluminis ſciſſilis transluceat. Hoc genus alij candidum, alij canarium cognominant. Vænale porrò ſaccharum in dupondiarios panes metæ effigie diuidi tur. Cyprium non coibat, nunc denſatur tanto inuentoris quæſtu, ut inde locupletiſſimus euaſerit. Nec magnopere pridem inuentũ puto ut amygdalas, pineos nucleos, piſtacia, citrium, cinamomũ, coriandrum, fœniculum, aniſum, ductili tunicarũ facilitate cõtegat, circundatum modo corticis craſſitudine, modo cutis tenuitate ueſtiens. Dulciaria ex amygdalis, & nucleis pineis condebat antiquitas, ſed cum melle ut eſt apud Paulum. Cæterum primus, ut reor, medicorũ Actuarius in cõpoſitionibus ſuis mellis uſum tranſtulit ad ſaccharum, ut uoluptati laborantiũ hac in parte ſubſcriberet, quando faſtidioſum atq; moroſum ægrotantis palatũ nihil non ferè reſpuit, cui ſaccharũ ſua dulcedine grata lętius eblanditur. Quapropter is author permulta condidit medicamenta quæ ſacchari miſturam ſtatim ipſa fronte fatentur, ut ioſacchar, nymphæoſacchar, oxoſacchar, quę ex uiolis, quę ex nymphæa, & quæ ex aceto & ſaccharo conſtruuntur. Saccharũ ut recentiores Græci memoriæ prodiderunt, calidum & humidum eſt abſceſſu primo. Deterget, diſcutit mellis modo. Neq; tamen ſitim inuitat, neq; ſtomachũ morſu laceſſit. Ventrem ad excretionem ſtimulat. Pectori, ueſicæ, renibus prodeſt. Errant medici qui refrigerare ſaccharũ exiſtiment, ſiquidem in calidiori uentre in bilem uerti, & prorſus tranſire compertũ eſt. Præfertur uetus recenti, quamuis plus excalfaciat, ac magis partium tenuitate polleat, ſed capitis dolorem mouet. Aqua dilutum refrigerat, ſibiq; algentem aquæ naturam adſciſcit. Olfactu uel ſuffitu defluxiones quæ à capite decumbunt, arcet.

Abrotonum. Cap. XXIII

ABrotonum immortali coma uiret: quanquã & alſioſum ſit, & morbis obnoxium elãgueſcat, cacumine ſuo ſe propagat. Theophraſtus radice uel euuloſo ramulo potiuſquam ſeminio germinare prodidit. Plinius contrà, ſeri ſemine melius quàm radice aut ſurculo memorat. Subdidit ille ſemine difficulter abrotonũ exire, prius in teſtis uiuiradicis gratia depoſito, quemadmodum Adonidis hortulos emoliuntur, & nõ ſine negotio in plantaria transferri ſic adoniũ. Quare facile quis uiderit inuerſam Plinij lectionem, quæ melius cum Theophraſto quadrabit, ſi ſcribatur, ſeritur autem radice melius aut ſurculo q; ſemine. Alſioſum admodum eſt, frigusq; multum reformidat, ac ſole nimio lædítur. Vbi conualuit, uti ruta frutícat, robuſtũ, ſed ſurculoſius, ſqualidiusq;. Sed hæc Theophraſti uerba, quæ Plinius aliquanto breuiuſcule Latino reddidit ſermoni, ſatis indicãt librariorũ errorem, qui pro uti ruta, lubrico ſatis lapſu, uitis ritu ſcripſitarunt. Nanq; cum uegetum creuerit, rutæ modo non uitis arboreſcere conſpicitur. Floret æſtate cum fraxino, iucundo odore, ſed graui. Radix eius una, quæ altè deſcendit lignoſa, cæteris in ſummo terræ leniter hęrentibus. Abrotonum ſpiſſitudine acoreq; ſuo ſeruari aliquando poteſt hederæ modo. Sed mirari licet, cum calida dote prædítum ſit, quur aprícationem horreat, & illuſtrata ſole loca perſequatur. Rationem huius in infirmitate Theophraſtus collocauit, uiribus enim tam cõtra frigus quàm aduerſus æſtum deficitur. Abrotonum duorum traditur generum, campeſtre ac mõtanum, quo pubeſcere montes Nicander cecinit in theriacis. Hoc fœminam, illud marem intelligunt. Amaritudo abſinthij in utroq;. Fœmina Dioſcoridi quadam arboris ſpecie frutícat, candicantibus circum ramulos foliis, minutatim marini abſinthij modo conciſis, copioſo flore, in faſtigio

in faſtigio comantibus auri fulgore corymbis. Floret æſtate, iucundi cũ grauitate quadam odoris, guſtu amaro. tale Siculum eſt. Alterũ, quo mas cõprehenditur, ſarmentoſum, gracili ſemine. Galli nunc uocant Latinos imitati, extritis duabus literis, *auronum*, aliqui *ueſtiarium cuſtodem*, quòd armarijs ſparſum ueſtes à tineis uindicet. Nanq; ab ſtirpe rutacea prodit, marathri folio, breuiori, caneſcẽte, luteolo flore, copioſo, uelut corymbis in cacumine congeſtim dependentibus, cum grauitate quadã ſuauiter olentibus, ſimplici radice, in altum deſcendẽte. Fœminæ ſexu facile crediderim intelligi, quod uulgus noſtrum *cypreſſum* appellat, quoniam in arbuſculam fruticat, albicans, folijs ſeriphij abſinthij modo ſciſſis, ramulos circũdantibus copioſo flore, comãtibus quibuſdam in ſummo auri fulgore corymbis, odore cum ſuauitate quadam uiolento, guſtu amaro. Quid adonium ſit Plinio, ſatis Theophraſti uerbis poteſt colligi, id eſſe abrotoni genus quod in turbinibus cadorũ aut teſta uiuiradice comprehendit, in quem modum Adonidis hortulos pangebãt. Nam cum uacuum quoddã ſponte proueniret, alterius meminit, cuius ſemine non ſine negotio plantaria transferantur, ſicut adonium. Vtrunq; æſtate, alſioſa enim admodum ſunt, & ſole nimio læduntur: mallemq; legere ſicut, quàm ſic. Et ne quis adonium aliud eſſe ab abrotono credat, quemadmodum qui florem cruore interempti ab apro Myrrhæ filij Adonidis enatum arbitrantur, adoniũ dici. Nempe Naſoni Metamorphoſeon decimi libri calce purpureus flos redditur, qui bullæ modo caduca leuitate confeſtim euaneſcat, ita canenti,

Nec plena longior hora,
Facta mora eſt, cum flos de ſanguine concolor ortus,
Qualem quæ lento celant ſub cortice granum
Punica ferre ſolent, breuis eſt tamen uſus in illo.
Nanq; male hærentem & nimia leuitate caducum
Excutiunt ijdem, qui perflant omnia, uenti.

Quippe cum florem, uti ſuprà docuimus, Adonidis cruore genitũ, anemonẽ dici Nicander ſit author, q̃d & Theocritus in bucolicis confirmat. Horũ iudicio ſubſcribit Ouidius, qui fugacem purpureumq; florem tradidit uento perflante ſuccuti, alludens ad anemonę nomen, quæ nõ niſi ſpirante uel concutiente uento panditur. Qui chamæcypariſſum exiſtimant eſſe, quem uulgus ab odore formaq; foliorum eiuſdem nomẽclaturæ arboris, *cypreſſum* appellat, falluntur: nam etſi coactæ ſit breuitatis, & uelut arboris cuiuſdam abortus, non tamen in genere pumilionũ ſedem inuenit, nec in arborũ, ſed fruticum cenſu conſtat haberi. Huc facit quòd nihil apud claſſicum authorẽ de chamęcypreſſo leges. Ad alterum igitur abrotoni ſexum melius fuerit referre, cum nulla uideatur deliniationis nota repugnare. Scio tamen Plinium herbã chamæcypariſſon tradidiſſe, quæ ex uino pota cõtra uenena ſerpentium omnium ſcorpionumq; polleat, ſed qualis ſit nõ explicat. Semen feruefactum & crudum tritum cum aqua bibitur orthopnoicis, coxendicibus, ruptis, cõuulſis, urinę anguſtijs, mulierum menſibus ſi ſubſidant. Contra uenena potum in uino antidotum eſt. Prodeſt algentibus illitum cum oleo. In cubili ſtratum & ſuffitũ ſerpentes fugat, aduerſumq; ictus eorum cum uino, peculiariter ſcorpionũ, phalangiorumq; ſumitur. Oculorum inflãmationibus utiliter illinitur cum pane, & cotoneo. Tritum cum farina hordeacea decoctumq; tubercula diſcutit. Admiſcetur irino unguẽto. Siculum laudatiſſimũ, dein Galaticum. Vſus eſt & foliis, ſed maior ſemine ad calfaciẽdum. ideo neruis utile, tuſſi, orthopnoicis, urinæ, torminibus, conuulſis, ruptis, lumbis. Datur bibendum manualibus faſciculis decoctis ad ternas partes. Ex his quaternis cyathis bibitur. Datur & ſemen tuſum in aqua, drachmæ pondere. Prodeſt & uuluæ. Concoquit panos cum farina hordeacea, & oculorum inflãmationibus illinitur cotoneo malo concocto. Serpentes fugat. Contra ictus eorum bibitur in uino illiniturq;. Efficaciſſimum contra ea quorum ueneno tremores & frigus accidunt, ut ſcorpionum & phalangiorum, & contra alia uenena. Prodeſt quoquomodo algentibus, & ad extrahenda ea quæ inhærent corporibus. Pellit interaneorum mala. Ramo eius ſi ſubijciatur puluino uenerem ſtimulari tradunt, efficaciſſimamq; eſſe herbam contra omnia ueneficia, quibus coitus inhibeatur.

Hyssopum. Stœchas. Cap. XXIIII.

HYssopum hortensis herba est hoc nomine Gallis nota in cõdimentario usu, pedali altitudine, frutícosa. folio cunile, floribus purpureis, thyrsos spicæ modo uestientibus. Duplex Dioscoridi, hortense & montanum. Colitur in hortis etiam culinarum causa, nam est quibusdam esculẽtis aptissimum. Locum neq; pinguem neq; stercoratũ sed apricum desiderat. Hoc & semine & plantis circa æquinoctium uernum seritur. quæ ubi comprehenderunt, uiuaciores sunt, quàm ut hyemem sequentẽ reformident. Hyssopum præfertur Hippocrati Cilicium, sed è Tauro monte: deín Pamphylium & Smyrnæum. Calidum esse tradit idem author, sed pituitosum, quod intelligi puto q̃ pituitam trahat & digerat. Est autem optimũ Cilicium è Tauro monte, deín Pamphyliũ, Smyrneum stomacho contrarium. Purgat cum fico sumptum per inferna, cum melle uomitionibus. Serpentium ictibus aduersatur tritũ cum melle, sale & cumino. Anginæ medetur cum uino decoctum & gargarissatũ. Hyssopi manipulus decoctus ad tertias cum sale pituitas trahit, uel contritus cum oxymelite & sale, pellitq; uentris animalia. Hyssopi quinq; rami cum duobus rutæ & ficis tribus thoracẽ purgant. Eiusdem fasciculus cum quadrante mellis decoquitur ad tussim. Hyssopum cum oleo contritum phthiriasi resistit, & prurigini in capite. Idẽ ad suspiria bibitur. Faciles præstat uomitiones tritum cum melle, utilius præsumpto nasturtio aut irione. Pleuriticis & peripneumonicis bibitur. Cum fico potum lieni prodest. Collectiones inflammationesq; sanat è uino impositum. Ad ulcera manantia efficax est, suffocationes laxat. Hyssopi baccæ ternæ contritæ in aqua potæ diebus sexdecim, comitiales sanant. Eædem baccæ cum aqua potæ regio morbo medẽtur. Quadrupedum scabiem sanat hyssopum ex oleo fotum. Cilicium Dioscorides prę fert. est calfactorij ordinis & extenuatorij. Decoctũ cum aqua, melle, fico, ruta prodest peripneumonicis, tussibus uetustis, suspirio, distillationibus, orthopnœæ. tineas in aluo necat. Idem effectus lincto cũ melle. Decoctũ eius cũ aceto mulso sumptum lentitiã pituitæ crassitudinesq; exigit per inferna. Estur cum ficis uiridibus tritis ad aluum emolliendã: uehementius cardamomo, aut iride, aut irione adiectis eam deijcit. Colorẽ bonum uescẽtibus præbet. Cum fico & nitro illinitur ad lienem, ad aquam intercutem, ad inflammationes cum uino. Hyssopo cum aqua feruẽti sugillata emendãtur. Vtilissimè in angina cum decocto ficorum gargarissatur. Decoctũ cum aceto dentium dolorem collutione mitigat. Inflationes aurium uaporis suffitu discutit. Stœchas nascitur in Gallia ex aduerso Massiliæ, in insulis à quibus gentilitiã appellationẽ declinauit, tenuibus cirrulis, coma hyssopi, sed lõgioribus foliis, subamaro gustu & aliquantũ acri. Plinius stœchadem in insulis tantum eiusdẽ nominis gigni cõmemorat, odoratam herbam, coma hyssopi, amaram gustu. Hanc hodie uocant imperiti *sticados citrinum*, nanque frutex ostenditur surculosus, odoratus, ramulis exilibus, folio hyssopi, gustu amaro, semine minuto, capitulis luteolis, ex concoloribus flosculis compactis, quare *citrinum* uocarunt. Obseruauerunt Arabæ factionis authores alterũ stœchados genus caule sesquipedali, pallido, coma tenui, oblonga, spica sterili, quod suo gentili cognomento Arabicum uocauerũt, eiusdẽ cuius & Gallicum effectus. Decoctum ciet urinas & menses. Pectoris leuat dolores. Iocineris infarcti lienisq; uitia laxat, & eorundem reserat obstructiones. Colicos sedat cruciatus. Galenus, Dioscorides, Plinius, Paulus, unius tantum meminerunt. Ex eisdem locis ad nos deferuntur. Suspicor Arabicam ferè stœchadem inter origani genera comprehendi sub onitide, eratq; cognata, uel certè eadem, candído folio, hyssopoq; cõsimili, partu minutulis corymbis confercto. Nec est simile ueri hanc herbam subticuisse Dioscoridem, quæ cum alia crescat, & ex eisdem insulis deportetur, proximisq; polleat uiribus. Eius decoctum ad pectoris uitia efficax est. Antidotis miscetur. Viscera omnia & uniuersum corporis habitũ extenuat. Menses cit potu, pectoris dolores leuat.

Origanum. Cap. XXV

ORigani Theophrastus duo genera cõstituit, nigri & candidi: priori nullum semen, candido perquam minutum reddidit. Ex semine ueteri celerius exit, à satu tamen non ante trigesimum diem emicat, germinatu contumax. Defixus humi surculus etiam comprehẽdit. Origanum immortali coma uiret, constatq;

constatq; acri succo. Folia ei cadunt à cacuminibus. In Arcadia negant erumpere quò flatus à mari non accedat. Ei sapor cunilæ æmulus. Dioscoridi plura produntur genera. Heracleoticum, quod alij cunilam uocant, folium habet hyssopo non dissimile. umbella nõ in orbem se colligit, nec in rotæ speciem radiatur, sed multipartito diuisa frondet. Semine in cacuminibus uirgarum non denso, nec duro. Nec aliquam scio ad hanc tam inarticulatam Dioscoridis delineationem magis accedere, quàm quę uulgo *degeneris maioranæ* cognomento ferìtur in hortis, frutice hyssopi, foliis eidẽ uel serpillo syluestri proximis, minoribus tantum, umbraculis non in orbem coactis, sed diuisis, florum plenis. Tradunt olitores neglectam sampsucum in eam degenerare, frutice serpylli plerunque humi reptante, caulículis punicãtibus, foliis sampsuci, flore purpureo, in umbella cineritia, in qua semen: unde multis Galliæ locis *cendrea* nominatur. Tota herba iucunde olet. Onitis eadem erat candidiore tantum folio, hyssopóque consimiliore, fructu confertis corymbis compacto. Multa patrocinantur huic quam uulgus *buglen* uocat, sed folium hyssopo multo latius, caliculis corymbulorum agmine stipatis: diuersam tamen ab hac esse in hali mentione docebimus. Sed multo plura astipulantur ei, quam paulo ante diximus *Arabicum sticadem* nominari: sed nihil in his perpetuum statui potest, tum obliteratis silentio fruticum imaginibus, item quòd illę species intelliguntur satiuæ, quùm statim post de syluestri doceatur, illæ sponte proueniant. Syluestre origanum foliis est origani, prætenuibus uirgulis, digitorum quatuor altitudine, umbellis anethi, flore candido, radice tenui, superuacua. Hanc Dioscoridis panaces Heracleum, & cunilam uocari quibusdã meminit, inter quos Colophonius Nicander inuenitur, cuius uerba è theriacis, quòd hic aliquid facerent, citauimus,

Πανάκηός τε κονίλω,
Ἣν τε καὶ Ἡράκλειον ὀρίγανον ἀμφιέπουσι,
Σώ τε καὶ ὄνος ποτάλειον ὀρίγανον, ἀνάτε θύμβρης. Quod, Panaciamq; cunilam,
Et quam iam Heraclion origanon inde uocarunt.

Diocles etiam cunilam, ut uetustissimus fatetur interpres, quibusdã Heraclion origanon, aliis syluestre dici contendit, ut idem sit panaces, panactios, & conila. Petrichus in ophiaco Conilon quendam hominem herbam inuenisse tradidit, inde nomen ei cunilæ. Nicander quoq; meminit alterius origani, cuius folium, quòd asinis pabulo gratum esset, onopetalium uocauit origanum, onitim inde sequuta ætas ab eo didicit appellare. Nemo tamen putauerit ornithin, quasi gallinaceam cunilam scribendum, cum Plinius quæ Latinis gallinacea est appellata, à Græcis origanum Heracleoticum dici profitetur. quod & Plautus testatur in Trinumo, ab Heraclea Ponti nominatum. In Ponto, inquit, absinthium, et cunila gallinacea. Tragoriganum Dioscoridi fruticulus similis est serpyllo syluestri, uel origano, tam ramo quàm foliis: sed quibusdam in locis soli conditione lætius & habitius inueniatur, latiore folio, glutinosum: alterum macilentius, foliis exilioribus, molliusculis, quod alii prasion uocare maluerunt. Plinius origanũ cunilam æmulari tradidit, cuius plura genera in medicina habentur. Onitim uel prasion appellant, nõ dissimile hyssopo. Heracleoticum origanum à Græcis dictum inter cunilas retulit, dicitq; gallinaceam à nostris appellari. Tragoriganum simile facit serpyllo syluestri, de quo inter ipsum & Dioscoridem conuenit. Addidit Heracliũ, quod tria habere genera refert, nigrius, latioribus foliis, glutinosum, quod pro tragorigano uidetur à Dioscoride sumptũ. Alterũ exilioribus mollibusq;, sampsuco nõ dissimile, quod aliqui prasiũ uocare malunt, itidem tragorigani speciẽ Dioscorides adfirmat. Tertiũ inter hęc mediũ, minus q̃ cætera efficax. Ergo tragoriganũ Dioscoridi, & Heracliũ origanũ Plinio, collatis utrinq; delineationibus, in neutro satis exacte designatis, ea erit herba quam uulgus nostrũ *mastichinæ herbæ* cognomẽto ferit in hortis, frutice serpylli uel origani, caliculis ramisq; nõ dissimilibus, foliis sampsuci, flore paruo, odorato in umbella, in qua propendent incani hircorũ uilli, unde ductum tragorigani nomen existimo. odore sampsuco nõ cedit. Studioseq; nuper in hortis nostris cœpit seri, & ut noua rei nouo officinis indito nomine, quoniã lentore quodã interdũ madescit, *mastichinã herbam* cœperũt uulgo nominare: aut q̃ iucundũ mastiches spiret odorẽ. Quod pinguibus locis ubertate soli lætius assurgit, latiore glutinosoq; folio uestitũ, tunc sampsuci folium repręsentat. Si ieiuno prodeat situ, tenuius, foliis & colibus serpyllũ potius uidetur æmulari.

Alterum

Alterũ ſylueſtrius, quod propter ſepes naſcit̃, folio ſampſuci, multo maiore, caule ſeſqpedali, comante ſupra cacumen muſcario, in quo flores emicãt purpurei. Vtrunq; iucundo odore placet, & coronis inſeritur. ſed hæc loci potius q̃ naturæ diſcrimina ſunt. Porrò res in tanta tam nomenclationũ q̃ hiſtoriæ uerſat̃ ambage, ut non facile fuerit quic q̃ in ſolidum de his ſtatuere. Parum enim conuenit inter Græcos, minusq; inter Latinos, minime inter utroſq;. Nicander Colophonius conilam panacium & Heraclion origanum dici morat. Dioſcorides Heracleoticum origanum cunilam dici teſtatur. Item ſylueſtre origanum cunilam & panaces Heracleum à Nicandro uocari tradit. Galenus Heracleoticum origanum onitide cẽſet efficacius, ſed utriq; præſtat ſylueſtre, quod & panaces Heraclium & cunilam appellari contendit. Hippocrates thymbrã origani ſimilem propoſuit. Plinius origanum manifeſtè diſcreuit à cunilis, ſolum Heracleoticũ cunilam gallinaceam dici Latinis profeſſus: ſeorſumq;, uelut diſtinctorũ generum, agit. Tragorigano duæ ſpecies à Dioſcoride tribuuntur, quæ à Plinio reddítæ ſunt Heraclio. Nemo tamen exiſtímet idem eſſe Heracleoticũ, ab Heraclea Ponti dictum, & Heraclium quaſi Herculeum, ut ſupradictum eſt. Columella cunilam noſtratem eſſe docuit, quam ruſtici ſatureiam nominant. Vides quàm diuerſæ ſint authorum ſententiæ, quo tamen Latino nomine ueteribus comprehendatur ſylueſtre origanum, nunc eſt uidendum. Dioſcorides ipſum repræſentat folijs origani, ramulis prætenuibus, digitorũ quatuor altitudine, umbellis anethi, flore candido. Syluestris origani non meminit Plinius, cunilæ tamen bubulæ uocabulo comprehenſum iri putamus. Cum cunilę præter ſatiuam plura tradi in medicina genera declaret, ſubdit, quæ bubula appellatur ſemen pulegij habet, ſic bubulam inter ſylueſtres retulit. Contra ſerpentes bibi ex uino iubet. Alibi, inquit, in ſerpentium ictu priuatim ex uino bibitur, quæ cunila bubula appellatur. Eadem à Dioſcoride ſylueſtri tribuuntur origano. Quare teſtudines cum ſerpentibus dimicaturæ, hac ſe muniunt. Facit huius rei fidem, quod quæ inter medicinas de bubula traduntur à Columella, eadem ab artis ueterinariæ prudentibus Græcis uerbo tenus ſcribuntur de ſylueſtri origano. Verba tam Columellæ quàm Eumeli Veterinarij medici ſubiunximus. Επαχθὴς χολὴ δὲ ἡ γαστρὸς φλεγμονὴς δὲ αγινώσιεπα. δεῖ πίνειν ἐμβάλλοντα τῶν χείρα τῶν κόπρων ἀφέλιδμ ἔξω, καὶ μετὰ ταῦτα ὀρίγανον ἀγρίαν, καὶ ἀγριοσταφίδα, καὶ ἄλας λεπτὸν μετὰ μέλιτ & ἐνκμβίου μίξαι, καὶ ποιήσαντα κολλύρια ἐμβαλεῖν. ὅταν καὶ τῶν κοιλίαν καθαίρῃ, καὶ τῶν χολῶν ἐπαγωγή. Verba Columellæ hæc græca ſic interpretantur, At ſi bilis moleſta iumẽto eſt, uenter intumeſcit, nec emittit uentos. Manus uncta inſeritur aluo, & obſeſſi naturales exitus adaperiuntur, exemptoq; ſtercore poſita cunila bubula, & herba pedicularis cum ſale trito & decocto, melli miſcentur, atq; ita facta collyria ſubijciuntur, quæ uentrem mouent, bilemq; omnem deducunt. Vides apud Græcos authores ſylueſtris origani uocabulo cunilam bubulam uenire. Non me fugit tamen Plinium aliquot locis pro origano Græcorum, cunilam bubulam reddidiſſe: quem docti quoque complures in interpretationibus ſuis ſunt ſectati, non tamen de Heracleotico poteſt audiri, cum gallinaceam cunilam dici Latinis adfirmet: nec de onite uel tragorigano, cum potius aſininam aut hircinam uertiſſet cunilam. Sylueſtre itaque origanum bubulæ cunilæ uocabulo potius intelligendũ putauerimus. Origanum tam pertinaci cum braſſica diſlidet odío, ut aduerſum olus exareſcat. Vinum dulcedinem concipere prodidit Ariſtoteles, ſi in muſtum origanum ſit iniectum, ſed binas in amphorã heminas indidiſſe ſatis eſt. Id aſſignat cauſæ, quòd quantum in muſto fuerit aquoſum, & fæculentum, ſua ariditate exhauriens ebibit, quibus auſterus ſapor contrahebatur: argumento, quòd uina ſi quid aquæ contineant illibatum, minus redduntur mollia, ſi diutius in fece reſederint, itidem confiet. Sed quum dulce molimur, uuas ſoli diutius exponimus, ut dilutum liquorem depaſcat, relíquum'que decoquat. Simile quiddam præbet origanum, quòd calida & ſicca dote præditum ſit. Natura eius excalfacere. Percuſſis à ſerpente datur in uino decoctum eius: in paſſo autem ijs qui cicutam aut opium bibẽre: in aceto mulſo, ijs qui gypſo tentantur, aut ephemero. Ruptis, conuulſis, hydropicis cum fico manditur. Siccum acetabuli menſura potum in aqua mulſa atram bilem per inferna detrahit, menſes ciet. Linctum ex melle tuſſes emendat. Ad pruriginem, pſoras, regium'que morbum decocti ius cum in balnea deſcenſum eſt, prodeſt. Succus uirentis tonſillis, columellæ, oris ulceribus

medetur

medetur. Per nares caput inanit cum oleo infusum. Injicitur & auribus doloribus cum lacte. Medicamentum ciendis uomitionibus cõmodissimum ex origano fit, addita cepa & semine fruticis quod ad obsonia expetitur (rhus uocatur) omnibus in ære Cyprio per tricenos dies insolatis, ab ortu Canis, cum syderis æstu tempus flagrat. Herba obdormituris in metu serpentium substernitur, fugat enim eas. Onitis easdem præstat utilitates quas origanum Heracleoticum, dũtaxat infirmiores. Syluestre origanum priuatim foliis, floribus ex uino potis à serpẽte percussis auxiliatur. Tragoriganũ optimum est Cilicium, Coum, Smyrnæum, Chium & Creticum. Excalfaciunt omnia, urinas pellunt, uentri facilia sunt, decocto poto bilem detrahunt. Lienosis ex aceto commode bibuntur. Contra ixiam in uino sumuntur. Purgationes fœminarum cient. Peripneumonicis, tussientibus ex melle in eclegmate dantur. Grata & efficax potio est, quare fastidia sentientibus, & stomacho acida ructanti infirmoq; præbetur. Item si à maris iactatione, nausea & æstus præcordiorum excitentur. Tumores illitos cum polenta discutit. Onitidis usus Plinio priuatim cõtra torsiones stomachi in tepida aqua & cruditates: cõtra araneos scorpionesq; in uino albo. Luxata & cõcussa in aceto & oleo & lana. Tragoriganon urinam ciet, tumores discutit. Contra ixiam potũ uiperæq; ictum efficacissimũ, stomacho acida ructanti & præcordijs. Tussientibus cum melle datur, & pleuriticis et peripneumonicis. Heraclium optimũ Creticũ, quod iucundè olet: proximũ Smyrnæum. Communis usus serpẽtes fugare, percussis esui dare decoctũ, potu urinam ciere: ruptis, conuulsis mederi cum panacis radice: hydropicis cum fico, aut cum hyssopo acetabuli mẽsuris decoctũ ad sextam: item scabiem, pruriginẽ, psoras in desessione balnearũ. Succus auribus infundit cum lacte mulieris. Tonsillis quoque & uuis medetur, capitis ulceribus. Venena opij & gypsi decoctũ extinguit, si cum cinere & uino bibatur. Aluum mollit acetabuli mensura. Sugillatis illinitur: item dentiũ dolori, quibus etiam candorem facit cum melle & nitro. Sanguinem narium sistit. Ad parotidas decoquitur cũ hordeacea farina. Ad arterias asperas cum galla & melle teritur: ad lienem folia cum melle & sale. Crassiores pituitas & nigras extenuat decoctũ cum aceto & sale sumptum paulatim. Regio morbo tritum cum oleo in nares infunditur. Lassi perunguntur ex eo, ita ut ne uenter attingatur. Epinyctidas cum pice sanat. Furũculos aperit cũ fico trita, strumas cum oleo & aceto & farina hordeacea, lateris dolores cum fico illitum. Fluxiones sanguinis in genitalibus tusum ex aceto litũ, reliquias purgationũ à partu. Cunila bubula semen pulegij habet, utile ad uulnera cõmanducatum impositumq;, ut quinto post die soluatur. Contra serpentes in uino bibitur, ac tritũ plagæ imponitur. Vulnera ab ijs facta perfricãtur. Testudines cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt. Gallinacea cunila à Latinis, à Græcis origanum Heracleoticũ appellata, prodest oculis trita addito sale. Tussim quoq; emendat, & iocinerũ uitia: laterum dolores cum farina, oleo & aceto in sorbitionem temperata, præcipuè serpentium morsus.

Pulegium. Cap. XXVI

PVlegium ipso brumali die germinat in carnarijs, refloretq; ramulis etiã à parente reuulsis, adeò nihil esse occultum natura uoluit. Serendi igitur hoc signum dedit. Hæc est uera interpretatio, argumentum naturæ secum adferens. Percontatur Aristoteles, cur pulegium etiam pensile, solstitiali tempore floreat. Crudum causatur alimentum, quod ut hyeme concoqui propter frigus non potest, sic solstitio caloris auxilio concoquens auget. Parumq; uidetur inter Plinium & Aristotelem conuenire, cum ille bruma florere tradat, imò brumali die suspensam in tectis, arentis herbam pulegij, florem ẽdere fatetur: contra is solstitio florem facere. nisi quis biferum arbitretur, & quem bruma præcoci partu florem non fudit ob calorem, solstitio protulerit. sed qui brumali tempore mittitur flos, prioris autumni redundante tunc alimonio, prosilit brumam ostensurus. Nam & utroque tempore in flores & folia luxuriare infrà demonstrabitur. Semel satum pulegium diutina durat ætate. Nostri nunc *poulieulum* uel *poulietum* uocant. Cuius figuram utpote notissimam omnibus Dioscorides silentio prætermisit. fruticosum assurgit, semipedali altitudine, foliis sampsuci, surculis per interualla purpureo flore coronatis: unde multis pulegiũ regale nominatur. Nascitur optimum in montosis. Alterum genus, etsi mas est, inefficacius tamen est, flore cãdido. magna

ei cum

ei cũ nepeta & mentha ſocietas. Recens incenſus pulices necat, inde nomen pulegio. Syl/ueſtris Plinius unum fecit genus origano ſimile, foliis minoribus q̃ ſatiuum, & à quibuſ/dam dictamus uocatur, cui uim tribuit efficaciorem. Guſtatum à pecore balatum cõcitat, unde quidam Græci literas mutantes blechon uocauerunt. Blechron Hippocrati pro le/gumine quodam accipi Galenus author eſt. Plinio pulegium brumalis herba dici poteſt, quòd uti dictum eſt, hyberno flore brumam oſtendat: quemadmodum eidem condurdon ſolſtitialis herba perhibetur, flore rubro, quæ ſuſpenſa collo cõprimit ſtrumas. cuius Plau tus, ut arbitror, in Pſeudulo meminit, inquiens,

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui,
Repente exortus ſum, repentino occidi.

Sed an idem fuerit blechros pulegio, cui eædem accidunt in flore mutationum uiciſſitudi nes, iam differendum eſt. Theophraſtus ſtirpes eſſe quaſdam adfirmat, quæ uitale princi/pium ſeruare queunt, ita ut ad germen excitandum ſe ualeant mouere, ut ſcylla, coles lilio rum, et blechri termites uel ſurculi: nam eam quoq; ſolſtitijs florere ſubiunxit, quod impri mis demiratur. eius uerba ſubiunximus, Βλῆχος & αὐθὶς πόα προπάς. Hoc idem ſentit Ariſto teles in problematis, quęrens cur pulegium, lilium, & cepe florent ſolſtitialibus horis. qui, quantum mea fert opinio, græcorum ritu, ϑοπῶν, id eſt ſolis ad nos conuerſionum nomi ne, brumam quoq; complecſuntur. Nam, ut Theophraſtus author, quanq̃ blechrus om/nino ſicca ſentiatur, principium tamẽ aliquod habeat neceſſe eſt, quod unà cum aeris mu/tatione moueatur. Mirum pręterea, q̃ non remiſſiore, ſed potius intenta temporis ſæuitia germinare incipiat: niſi forte dies alcyonios nonnihil ſuffecturos putaueris, ſic iam appe/tente inclementia brumæ parturit. Quæ itaq; de blechro produnt à Theophraſto, eadem de pulegio tradi partim ab Ariſtotele, partim à Plinio manifeſtum eſt. Sed quid tantorum uirorum citatione fuit opus, cum Dioſcorides idem eſſe blechrũ cum pulegio, nec niſi ſo/la diſcrepare nomenclatura teſtatur, blechona ſeu pulegium blechron dici Græcis confir mans. His cum hiſtorijs, tum authorum teſtimonijs ſatis cõſtat blechrum ueteribus Græ/cis noſtrum fuiſſe pulegium. Sed cur Theodorus Theophraſti interpres græcum nomen moneta non percuſſerit latina, id forſitan fuit cauſæ, q̃ uel aliud à pulegio ſuſpicabatur eſ/ſe, quod apud Hippocratem, teſte Galeno, blechron pro legumine capi cognoſceret. Pule gium, ut eſt Galenus author, acre & ſubamarum lingua deprehenditur. Vehementer ex/calfacit & extenuat euidenti, ut tradit, argumento, q̃ illitu membrum rubore ſugillet, & ſi diutius immanſerit, uehementem mouet exulcerationem. Pectoris pituitam digerit, ideo pulmonum uitia excreabilia facit. itidem Paulus adfirmat. Pulegiũ Leontinus tradit cru/dis concoctiones moliri, ſi ſiccum tritumq; poſt cibos inſumatur. Idem manſum, & genis agglutinatum increſcentes oculorum inflammationes epiphorasq; egregiè diſcutere, ita ut qui hoc remedium experitur, eo potius utendum cenſeat, q̃ probatiſſimis oculorũ col/lyrijs. Extenuat, & calfacit, cõcoctiones adiuuat, menſes trahit potum, & ſecundas, & par tus. Vitia pectoris cum aloe & melle ſumptum elicit. Cõuulſis auxilio eſt. Nauſeis & ero ſionibus ſtomachi datur in poſca. Atram bilem per aluum exigit. Cõtra ictus ſerpentium in uino remedium eſt. Defectos animo recreat cum aceto, naribus illatum. Gingiuas areſa cti cinere corroborat, inflammationes omnes cum polenta illitum mitigat. Podagris ſyn/cerum opponitur donec ſanguine aduocato locus rubeſcat & exulcerari ſentiatur. Deco cto eius abluti prurigines extinguuntur. Cum cerato uaros tollit. Lienoſis cum ſale utili/ter illinitur. Inflationes uuluę duritias, cõuerſionesq; corrigit. Blechona mutatis literis uo cauere, quoniã pecus, guſtato eo dum floret, balatu compleatur. Eos reuocat qui animo deficiũtur, ſurculis ſuis in ampullas uitreas aceti cum mentha delectis. Dignior è pulegio corona uertigini, quàm è roſis, nam & capitis dolores impoſita dicitur leuare. Quin & ol/facta capita tueri cõtra frigorum æſtusq; iniuriam, & ab ſiti traditur: neq; æſtuare eos qui duos è pulegio ſurculos impoſitos auribus in ſole habeant. Fœmina efficacior eſt, eſt au/tem flore purpureo. Mas candidũ habet. Nauſeas cum ſale & polenta in frigida aqua po/ta inhibet, ſic pectoris & uentris dolorem, ſtomachi autem ex aqua. Item roſiones ſiſtit & uomitiones cum aceto & polenta. Aluum ſoluit ſale adiecto cum polenta. Inteſtinorũ ui/tia cum melle & nitro cocta ſanat. Vrinam pellit ex uino & calculos, interiores dolores ſi/nit. Ex

nit. Ex melle & aceto ſedat menſtrua & ſecundas. Vuluas conuerſas corrigit. Defunctos partus eíjcit. Semen obmuteſcentibus olfactu admouetur. Comitialibus in aceto cyathi mẽſura datur. Si aquæ inſalubres bibendæ ſint, tritum inſpergitur. Salſitudines corporis, ſi cum uino tradatur minuit. Neruorum cauſarijs & in contractione cum ſale, aceto & melle cõfricatur opiſthotono. Bibitur ad ſerpentium ictus decoctum. Ad oris exulcerationes, & tuſſim efficax eſt. Flos recentis incenſus pulices necat odore. Xenocrates pulegij ramum lana inuolutum in tertianis ante acceſſionẽ olfactãdum dari, aut ſtragulis ſubijci, & ita collocari ægrum, inter remedia tradit. Guſtatum à pecore capriſcq; balatum concitat. Natura ei tã feruens, ut illitas partes exulceret, ante acceſſionũ horrorẽ. Item cõuulſis & torminibus fricari cõuenit. Podagris mirè prodeſt. Hepaticis cũ melle & ſale datur bibendũ. Pulmonũ uitia excreabilia facit. Ad lienẽ cum ſale utile eſt, & ueſicę & ſuſpirijs, & inflationibus. Contra ſcolopendram terreſtrẽ uel marinam, item ſcorpiones ualet. Arida radix cicatricibus decorem adfert. Contra increſcentia ulcera recens potentiſſima.

Dictamus. Cap. XXVII.

DIctamum, ut Theophraſtus eſt author, Cretæ uernaculũ eſt, nec temere alibi quàm in ea inſula prouenit, ramis prætenue, pulegio ſimile, feruens & acre guſtu, folijs tantum utuntur. Flos ei nullus eſt, aut ſemen, aut caulis. Radix tenuis & ſuperuacua. Rara admodum herba eſt, nec in Creta ſpatioſe naſcitur, mireq; à capris expetitur, incredibiliq; uoluptate ab eis deuoratur. Oſtenderunt id capræ uulneratæ eo paſtæ, ſtatim decidẽtibus telis. Pro eo eſt & pſeudodictamũ multis in terris naſcens, folio ſimili, ramulis minoribus: imbecillioris effectus ſtatim intelligitur, dictamũ enim minima portione accẽdit os. Qui legere eã manipulos in ferula uel arundine cõdunt, prælíganteq; ne efflato ſpiritu potentia euaneſcat. Inualidius ſiquidẽ cum aliquid uirium expirauit. Non deſunt qui naturã utriuſq; eandẽ eſſe referant, ſed deteriorem in agris pinguibus. Quare quod locis lætioribus exeat degenerare, & falſum illegitimumq; cognominari. Legitimũ aſpera loca uehemẽter amare prodũt. Ad partus muliebres efficaciſſimum idẽ author aſſeuerat, aut quòd enitẽtes fœtu ſtatim liberat, aut certe dolores penitus abolet. Eſt & tertiũ genus dictami uocatum, ſed neq; facie neq; effectu ſimile, ramis maioribus. Qui dictamum Cretẽſem eſſe tradit herbã lenem, acri guſtu, pulegio ſimilẽ, maioribus folijs, quæ tomẽtoſis caneſcant floccis, & ſpiſſa lanugine pubeſcant, flore & ſemine uiduam. Pro eo ſubſtituitur pſeudodictamum, quaſi dicas illegitimum, multis in terris naſcens, folio ſimili, ſed acrimonia minore, & uiribus ignauius. Tertiũ adiecit quod è Creta defertur, folio ſiſymbrij, ramis maioribus, flore ſylueſtris origani, nigro, mollíq;. Odor folijs ineſt inter ſiſymbriũ et ſaluiam iucũdiſſimus, ſed minus ſenſum tentat. Id hodie Galli tum *diptamum*, tum *hortenſem gigeberim* appellant, quòd æſtuoſa ui ſtatim os adurat, & linguam uellícet. nanq; cauliculis aſſurgit teretibus, longis, mollibus, articulatis, folio menthę uel ſiſymbrij, niſi quòd anguſtius, & ſpiſſiori pube canet, roſeo flore, ſemine atro, odore artemiſia ſuauiori. Virgilius Maro totius naturæ peritiſſimus, duodecimo ſuæ Aeneidis hoc habitu dictamum deſignauit, ita canens,

Tum Venus indigno nati concuſſa dolore,
Dictamum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo. non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo uolucres hæſere ſagittæ.

Sed quale dictami genus Poeta ſuis numeris explicuerit, diligenter conſiderandũ eſt. Putat Marcellus tria eius genera cõmiſcuiſſe, nõ ignorantiæ tamen damnandũ Maronẽ, qui cæterorũ exemplo in re fabuloſa uoluptati magis quàm utilitati legentium cõſuluit. Sed inuiſum uſquã monſtrum impudenter rerum omnino pugnantium coalitu finxiſſet, nec dignum poetico uerborũ inuolucro, cum ſub eorum figmentis, nõnihil ſemper ſubeſſe ueri credendũ eſt. Sed hæc quæ de dictamo lepidiſſimè cecinit, ad hiſtoriã naturæ nõ ad fabulã pertinent. Quis exiſtimaret Virgilium picturarũ naturæ, ut pleriſq; locis docuit, callentiſſimum, herbæ quæ & caule & flore uacaret, caulẽ flore comantẽ liberaliter impegiſſe, ſic quæ ſterilis eſſet fœcundam, quæ exflos & excaulis, floridam & caule luxuriantem,

commentitio habitu proponeret, quo nec ulla ueteribus adhuc potuit inueniri? Itaque mihi potius tertiam dictami faciem uidetur his senariolis expressisse, cui & caulis & flos à ueteribus redditur. Nam & hoc tertium, authore Dioscoride, defertur ex Creta: quare merito Venerem ab Cretæa Ida carpsisse finxit, cum omne dictami genus incana lanugine pubet, imò uerius quodam quasi lanuginoso tomento uestitur, perpulchrè puberibus foliis caulem comari prodidit. Eidem florem tribuit purpureum, sed non qui dilutiore rutilet purpura, sed abundè saturata nigricat, quem Dioscorides nigrum maluit appellare, cum talis in colorum censu pullus existimetur ab herbarũ peritis. Quod demum subiunxit, non ignaras huius capras, cum uolucres inhæserunt sagittæ: quanquam hanc sibi Creticum præsentiorem uendicauit facultatem, reliquas species, ut pote à Creta oriundas, dote cõsimili licet ignauiore prædítas, scriptores meminerunt. Non ergo fictitiam & portentosam dictami imaginem exibuit Maro, sed ueracem, quæ tertium id genus, ut docuimus, exprimeret. Pota sagittas pellit, & alia tela extrahit illita. Bibitur ex aquæ cyatho foliorum obolo. Proxime pseudodictamum. Vtrũque suppurationes discutit, sed præcipua dictamo uis est. Menses cit. partus emortuos uel transuersos eijcit. Bibitur ex aqua foliorum obolo, adeò ad hæc efficax, ut ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur, nec potu tantum sed illitu & suffitu ualet. Proxime pseudodictamũ, sed menses cit cũ mero decoctũ pondere denarij. Strangurias discutere dictamũ certũ est, cuius folia præclare dantur ex aqua ad partus accelerandos. Cõstat unius oboli põdere, uel si mortui sunt in utero infantes, protinus reddi sine uexatiõe puerperæ. Similiter prodest pseudodictamũ, sed tardius: procedente illa persuasione, quicquid in Creta nascitur, infinito præstare cæteris eiusdem generis alibi genitis, proxime quod in Parnaso. Tradunt Arcades quidẽ nõ medicaminibus uti, sed lacte circa uer, quoniã maxime succis herbæ turgeãt, medicẽturq; uberes pascuæ. Bibunt autẽ lac uaccinũ, quoniã boues omniuoræ sunt in herbis. Dioscoridi omnes effectus repręsentat quos satiuum pulegium, multo etiamnũ ualidius, constat enim & potu & suffitu defunctos partus eijcere. Tradũt capris in Creta uulneratis pastu huius herbæ tela decidere. Succus purgandi uim obtinet illitus, aut cum polẽta subactus. Plantas pedũ sagittis cõfixas illitu sanat, & impactos reliquo corpori aculeos refigit. Ad lienis morbos efficax est, minuit eũ. Carpunt semen æstate uel autũno. Radici uis feruens, gustatu accendit os. Eadem partus accelerat. Succus in uino serpentiũ morsibus aduersatur, in quã rem tanta uis herbæ huius, ut uenenata omnia olfactu saltẽ fugentur, contactu etiam cõmoriantur. Vulneribus ferro factis & uenenatis ictibus infusus succus præsentaneo est remedio: & si etiam ab instillatu statim sumatur in potu, momẽto salus restituitur. Pseudodictamum simili in ore acrimonia, ualet ad quæ dictamum, sed ignauius. Tertium quod à Creta defertur, conuenit ad quæcunq; superior, sed minus nares ferit. Additur in pastillos theriacos, & emplastra quæ contra serpentium iniurias repræsentantur.

Saluia. Cap. XXVIII.

SAluia, quæ Græcis eleliſphacos dicitur, frutex est oblongus, surculosus, quadrangulas habens & candidas uirgas, folia cotonei mali effigie, longiora, scabriora, paulo callosiora, extritarum quoque uestium similitudine hirsuta & candicantia, uehemẽter odorata, sed uirosa, semine sylueſtris hormini in summis caulibus. Nascitur in asperis. Plinius menthæ similem facit, canam, odoratam. Galli nostri *saulgiam* uocant, nanq; ea fruticosa est, rugosis foliis, exoletarum uestiũ scabritiam referentibus, incanis, odoratis, purpureo in spica flore, in aquilini rostri speciẽ falcato, semine sylueſtris hormini. Plinius eleliſphacon in censu frugum inter lentis species retulit, inquiens, Sylueſtris eleliſphacos dicta à Græcis, ab alijs phacos, ea est satiua lente læuior, & folio minore atque sicciore, & odoratiore: & alterum genus huius sylueſtris odore graui. Hæc mitior, folia habet cotonei mali effigie, sed minora & candida, quæ cum ramis decoquuntur. Hic apertissimè rem satiuam quæ diligentissime colitur in hortis, cum sylueſtri lente, tanquàm quid à saluia discrepans, commiscuit: cum tamen omnia quæ inibi uigesimo secundo uolumine de illa sylueſtri lente traduntur, & Dioscoridis delineationi, saluiæ & uiribus patrocinantur. Nam saluia folia habet cotonei mali effigie, sed minora & candida, quæ cum ramis decoquuntur. Menses cit & urinas. Pastinacæ ma-

rinæ

rinæ ictus sanat, torporem autem inducit percusso loco. Cõmorantes menses trahit: abundantes sistit decocto eius poto. Per se imposita herba uulnerum sanguinẽ cohibet. Sanat & serpentiũ morsus, & si in uino decoquatur prurítus testium sedat. Eadem prorsus Dioscorides tradidit, folia cotonei mali figura, minora, cãdida. Vires ei assignat trahere & partus hærentes, remoratosq; menses: pastinacæ marinæ ictus sanare: compositam per se herbam sanguinem uulnerum cohibere: testium prurítus folia cum ramis cocta comprimere. Subdit Plinius, Nostri qui nunc sunt herbarij elelisphacon græcè, Latinè saluiam uocant, menthæ símilem, canam, odoratam: quasi aliter ueteres, aliter suæ ætatis herbarij de elelisphaco sentirẽt. nihil tamen est commune lentis & saluiæ. Nec Dioscorides alterius quàm palustris, quæ & syluestris ei dicitur, mentionem fecit: sed illa resedibus aquis gaudet, hæc rigua nedum aquatilia refugit. asperis siccisq; nascitur. Sed uidetur Plinio phacos uocabulum, quo lens Græcis importatur, & eliphacos, quo palustris imposuisse: fecisseq; ut species quasdam nouas lentis fingeret, remq; satiuam in syluestrium familiam ascisceret: rem natalibus, foliorum habitu, uiribusq; lõge dissidentem, in unum aceruum congereret. sed multo diuersum uidetur Græcis sphacos & sphacelos. Theophrasto differt, ut inquit, saluia quæ dicitur elelisphacos à sphacelo, quòd altera mitior, altera syluestrior. Sphacelo folium breuius & læuius, saluiæ squalidius & scabrius. à quo, quãtum arbitror, habitu nomen deflexit Græcis, qui quod sphacon, ceu potius sphacelon, nos tabitudinem uel syderationẽ solemus uocare. Ergo quòd herba retorrida semper uel excucca uideatur, elelisphacos, quasi in tabem redacta uel in syderationem flaccescens, nomen arripuit, ἐλελίζειν & σφάκος in unam coalescẽtibus appellationem. Quæ duo saluiæ genera uidentur in hortis inueniri. Quod læuius & folio contractius, quasi syluestrem ob id referat figurã, minusq; squalore obsitum, nostrum nunc uulgus *francam saulgiam* nominat. Alterum squalidius & scabrius, lacunosa facie perasperum, multo latius, quasi cultum senserit, *uulgariam saulgiam* uocamus. Salutaris ad multa, præsertim ad fœcunditatem, unde forsitan Latinis saluia dicta. nam saluia, ut Aetius scriptum reliquit, excalfacit, & aliquatenus substringit. Suffitu menses sistit, qui copiosius feruntur, omnemq; fœminarum abundantiã cohibet. Agrippa sacrã appellat herbam, traditq; leænas eam esse ad cõceptus facilitatem. Illud habetur in confesso, fœminam quæ quadrantem horæ ante cõcubitum, huius succum instar heminæ cum momento salis ebiberit, conceptura. Proditum est grassantem in Copto Aegypti pestem, innumeros penè mortales rapuisse, reparatamq; multitudinẽ coactis mulieribus huius herbæ succo ad cõceptum uti. Orpheus succo in orbiculos coacto cum mellis uncia, sanguinis excreationes cohibuit. Seritur in ortis & semine & surculo. Apricũ amat locum. Lixiui cinere fruticẽ muniunt olitores, sic lætiorem prouenire testantur. Frigora non horret. Hybernis tẽporibus uiuit, in quibus premente olerum penuria iuribus innatat. Errant qui herbam passim in incultis inuentam, quam herbarij *saluiam* appellant *transmarinam*, falso officinæ *gallitricum*, putent saluiæ congenerem. Nam ea folio latiore, non minus odorato sed asperiore, caule sesquipedali, leniter hirsuto, in quadrangulum striato, flore subcæsio, saluiæ nõ absimili, in aquilini rostri effigiem falcato, calyculis pluribus galli naceæ cristæ forma ad radicẽ spectantibus, in queis ad summum quatuor grana reperias, parua, rotunda, fuluescentia: cum ea hormini syluestris propria sunt, ut in mentione eius docebimus, nec ulla picturæ nota uidetur reclamare. Saluia menses cit & urinas. Pastinacæ marinæ ictus sanat, torporem autem inducit percusso loco. Bibitur cum absinthio ad dysenteriam. Cum uino commorantes menses trahit: abundantes sistit decocto eius poto. Per se imposita uulnerum sanguinem cohibet. Sanat & serpentium morsus, & si uino decoquatur prurítus testium sedat. Partus emortuos apposita extrahit, item uermes aurium. Ad tussim lateríscq; dolores bibitur. Contra scorpiones eadem & dracones marinos efficax. Contra serpentes quoque ex oleo perungi ea prodest. Menses (ut ait Dioscorides) & urinas trahit decoctum foliorum ramulorumq; potu. Partus eijcit, pastinacæ marinæ ictibus auxiliatur, capillum denigrat, uulnerum sanguinem cohibet, tetra ulcera purgat. Testium prurítus extinguunt rami folia q; si decocto eorum foueantur.

Mentha. Cap. XXIX.

MEntha notior Dioſcoridi fuerat, quàm quæ debuiſſet repræſentari. nomen in Gallia retinet. Herba cubitalibus flagellis, lanugine pubeſcentibus, folio ſiſymbrij, lõgiore, molli, æſtate herbaceo, hyeme ſubflauo, ſemper odorato. ſubpurpureus flos circa cauliculorum faſtigia ſpicatur. Eſt & hortẽſis quędam quã noſtri *Romanam* cognominãt, odore præſtãtior, cauliculis lente pu nicantibus, folio maiore, aliquãtulum acutiore. Mentha dulcẽ deſiderat uliginẽ, quam ob cauſam iuxta fontẽ menſe Martio recte ponitur. cuius ſi forte ſemina defecerunt, licet de nouellibus ſylueſtre menthaſtrum colligere, atq; ita inuerſis cacuminibus diſponere, quæ res feritatẽ detrahit, atq; edomitã reddit. Seritur uel planta uel radicibus. Apricum locum amat, nõ pinguem, nõ ſtercoratum, humidis facilius adoleſcens. Ferro nõ expedit mentham tangi. Semel ſata pluribus annis reſtibili fertilitate durat, gratóq; menſas odore percurrit in ruſticis dapibus. Aeſtate uiret, hyeme flaueſcit. Quærit Ariſtoteles in problematis, cur in adagium uenerit, mentham belli tempore nec edendam nec ſerendam. Soluit, quoniam (inquit) corpora refrigeret, abſumens genituram, id quod fortitudini & ferocitati contrariũ eſt. Sed cum alij omnes menthæ uim excalfactoriam aſcribant, fieri poteſt, ut per ſe (quod in pleriſq; conſpicitur) calfaciat, ex conſequenti refrigeret. Galenus mentham duplicem ſtatuit, hedyoſmum, quem odoratã mintham cognominat: inodoram alterã, quam uocat calamintham. utraq; acri guſtu in tertio calfacit ordine. Infirmior eſt uiribus odorata mentha, quàm calamintha. Et, ut in uniuerſum pronuncietur, una fera eſt, & ſylueſtris: altera mitis & ſatiua, quæ ſibi mangonio cultus aſciſcit humorem. quare uenerem ſtimulat, quod eſt omnium cõmune quę ſemicocto humore & ſpiritoſo participãt. Paulus uenerem ciere cõfirmat, humorem cauſans flatuoſum & ſemicoctũ. Itẽ auiditates ueneris cõcire tradidit Dioſcorides. Ariſtoteles genitale ſemen mentha corrumpi ſentit. Plinius Ariſtoteli ſuffragatur, quia ex aqua & mulſo ſumpta cohibeat genitalia dẽſari. Id ergo fuit cauſæ cur antiquitas hoc eſu flagrante bello militibus interdixit, quòd hoc cibo proritati magis in libidinem ruunt, quæ corpus & uires carpit, animoſq; refrigerat. ſic uſu ueneris effœminati molleſq; cõtorpeſcunt. Quod Ariſtoteles affirmaſſe conſtat. Siſymbriũ quonam pacto degeneret in mentham ſuprà docuimus. Eſt & ſylueſtris mentha, quã Romani menthaſtrũ appellant, hirſutioribus folijs, per omnia ſiſymbrio amplius, odore magis uiroſo. Plinius genus eius ſylueſtre menthaſtrum eſſe ſcribit, & hoc propagatur utitis, uel ſi inuerſi rami ſerantur. Menthaſtrum eidẽ ſylueſtris eſt mentha, ſpecie foliorum quaſi figura ocimi, pulegij colore: propter quod quidã ſylueſtre uocant pulegium. Iis cõmãducatis & impoſitis ſanari elephantiã aſſeuerat, quod Magni Pompeij ætate, fortuito cuiuſdã experimento, propter pudorẽ facie illita compertum eſt. Dioſcorides hoc nõ mẽthaſtrum ſed calaminthæ genus unũ ut arbitror exiſtimauit. Officinis noſtratibus nomẽ retinuit. Rura noſtra *ſylueſtrem* uocant *mentham*, ſiſymbrio proceriorẽ, folijs lanugine canescentibus, maiuſculis floſculis, coliculorum faſtigia coronantibus: quam ſi quis odoretur, uirus tantum uibrat ut ſua quoque fragrantia caput tentet. Gaudet uliginoſis. paſſim irrigua hoc menthaſtro pubent. Mentham è Græcis aliqui utilem eſſe ideo negãt, quòd uulnus indita & ſaneſcere & cicatricem trahere prohibeat. Neq; coaleſcere neque ſpiſſari lac putant quod menthã habuerit, adiecto ſimul etiam coagulo. Eadem ui reſiſtere generationi credunt, cohibẽdo genitalia denſari: ideo uenereis prorſus aduerſari. Alij cõtra perquã ſalubrem haberi defendunt. Quod ſi mãmis familiariter acceſſit, nec coire nec denſari lac patitur. quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu ſtrãgulentur. Cæterum ipſius odor animum excitat & ſapor auiditatem in cibis. Sanguinem ſiſtit & purgatiões fœminarũ inhibet. Cũ amylo ex aqua pota cœliacorũ impetus infrenat. Quidã uomicas uuluæ curarunt, & iocinerum uitia ternis obolis ex mulſo datis: itẽ ſanguinẽ excreãtibus in ſorbitionẽ. Vlcera in capite infantiũ mirè ſanat. Arterias humidas ſiccat, ſiccas aſtringit. Pituitas corruptas purgat in mulſo & aqua. Singultus & uomitiones, ſiſtit, ut Democritus mõſtrat, cũ ſucco granati. Recentis ſuccus narium uitia ſpiritu ſubducto emendat. Ipſa trita choleras in aceto quidẽ pota, ſanguinis fluxionem intus ſupprimit. Illinitur temporibus in capitis dolore. Epiphoris imponitur, & omnibus in capite eruptionibus. Sumitur

mitur cõtra ſcolopendras, ſcorpiones marinos, & ad ſerpentes. Impetigines aiunt, uel ſi teneatur tantum, prohibere. Item lieni mederi eam in horto guſtatam, ita ne uellatur. Ariſdæ farinã tribus digitis apprehenſam ſtomachi dolorem ſedare in aqua: & ſimiliter aſperſa in potionem, uentris animalia pellere. Auribus cũ mulſo inſtillatur. Dioſcoridi aſtringendi, calfaciendi, exiccandiq; naturã habet. Siſtit ſanguinẽ ſucco in aceto poto. Teretes uẽtris tineas necat, auiditatẽ ueneris cõcit. Singultus, uomitiones, & choleras ſedat binis ternis ue furculis cũ granati acidi ſucco potu. Diſcutit abſceſſus impoſita cum polẽta. Illinitur in mulcẽdo capitis dolore frõti. Mãmis quæ tendãtur aut lacte turgeant imponitur. Morſibus canum cum ſale linitur. Auriũ doloribus cum aqua mulſa medetur. Fœminis ante conſuetudinem uirginali admota generationi reſiſtit. Linguæ ſcabritiã infricata cõplanat. Addita potionibus lactis, denſari & in caſeũ coire nõ patitur. Omnino ſtomachũ adiuuat, & in cõdimenta uenit pluribus modis. Menthaſtrum ſylueſtris eſt mentha. Potũ fœminas purgat à partu, ſed partus necat. Orthopnoicis, torminibus, cholericis efficaciſſimum: item lumbis, et podagris impoſitum. Subſtratum, uel accenſum fugat ſcorpiones. Succus auribus uermínoſis inſtillatur, in regio morbo bibitur, ſtrumis illinitur. Somnia ueneris inhibet, tineas pellit ex aceto potum. Cõtra porrigínem ex aceto infunditur capiti in ſole. Folia illinuntur, bibunturq; aduerſus ſcolopẽdras & ſerpentium ictus drachmis duabus in uini duobus cyathis. Aduerſus ſcorpionum ictus, aduerſus ſcolopẽdras ius decocti. Aduerſus omnia uenena ſeruantur folia arida in farinæ modum.

Calamintha. Cap. xxx.

Calaminthæ Dioſcoridi tria ſunt genera. Vnum mõtes plus amat, foliis ocymi candicãtibus, furculis angulosis, flore purpureo. Alterum pulegio ſecit ſimile, propter quod quidã ſylueſtre pulegium uocãt, quoniã & odorem eius æmuletur. Hoc Italiã nepetam tradit appellare. Tertium menthaſtri ſimilitudine, longioribus foliis, caule & ramis quàm ſuperiora maioribus. Primum genus officinæ nũc *calamentum*, à Græcis tamen interpollato nomine, uocant: cũ id montibus familiare, foliis ocimi caneſcentibus, ramis angulosis & geniculatis, flore purpureo. Secundũ, q̃ pulegium uideatur imitari, niſi quòd foliis eſt aliquanto maioribus, *pulegium ſylueſtre*. Tertium mẽthaſtro ſimillimum eſt, foliis et coliculis amplioribus, melino flore. hanc ſpeciatim tam herbarij, quàm officinæ uocant *nepetam*, uulgus noſtrum *herbam catorum*, quòd magna feles odoris huius capiantur uoluptate. nanq; ſi uulſæ, uel hærẽti cõtingat occurrere, ei ſeſe ſtatim adfricãt, deinde magna auiditate ramos paſcũtur. Quin & humo in qua reſederit iucundiſſime ſaburrãtur, quapropter ſolo eſu huius æluros cõcipere uulgus ſibi perſuaſit. Medici hac experientia freti mulieribus balineis aut inſeſſionibus inferunt, ut iis quæ deſierunt parere reſtibilẽ adferant fœcunditatẽ, & iis quę non poſſunt uterum ferre, hoc fotu cõcipiendi facultatem moliantur, ut tandem iniecta genitalibus locis ſemina queant animari. Verum authores ſolum habentur ex populo, nec tale quicq; apud claſſicum authorẽ inuenitur. quod ideo ſubiunximus, ut facilius hac protrita uulgi ſuaſione quęrentibus poſſit cognoſci. Sed notandum, calamintham Latinis auhoribus ſere nepetam appellari, quanq; Dioſcorides unam ſpeciẽ priuatim uoluit Italis nominari. Prorſus tanta eſt inter mentham & menthaſtrum & nepetam ſocietas, ut mirum non ſit miſceri quandoq; ab authoribus, earum & ſpecies & nomina. Nec eſt omittendum Nicãdrum calaminthæ riguos natales & amnicos aſſignaſſe, cum proponat crepitantis ambitioſiq; fluminis uortices ſequi, comoſum frondibus calaminthum frequens enim propter ſcatebras aquarum, & earum margines erumpit, fluminibus gaudens. Græcam ſubtexuimus carminis ſeriem è theriacis.

Τῆμος δὴ ποταμοῖο πολυῤῥαγέος ἡϐῶν᾽ δίνας,
Ὑδρηλὴν καλάμινθον ὀπάζει χαιτήεσσαν.
Πολλὴ γὰρ λιβάδεσσι πῆξ ἀέξεται, ἀμφί τε χείλη
Ἔρσεται, ἀγραύλοισιν ἀγαλλομένη ποταμοῖσιν.

Nepeta non fata naſcitur. Calaminthã cętetam olim dictã fuiſſe teſtis eſt Strabo, q̃ nõnullos ſcribit exiſtimare Lacedæmonẽ ab Homero nõ cetoeſſam à magnitudine, ſed cętaeſſam à calaminthæ copia uocari. Omniũ folia guſtatu os accendunt, impenſoq; ſunt acria.

Radix ſuperuacua. Contra ſerpentium ictus uires habet pota & impoſita. Decoctum potu menſes, & urinas trahit. Ruptis, conuulſis, orthopnœæ, tormínibus, choleris, frigoríbus remedio eſt. Præſumpta in uino uenenis reſiſtit. Regium morbum diſcutit. Tineas cæteráque animalia uentris extinguit cum melle & ſale pota: ſic & lumbricos enecat, in quem uſum conteritur in potus. Eſtur ad elephantiam, ut ſerum lactis ſubinde poſt bibatur. Partus enecant folia, mulierumq; menſtruos curſus extrahunt admota in uellulo. Fumo eius nidoréque ſerpentes fugantur. Atris cicatricibus candorem reddit in uino cocta & illita. emendat & ſugillata. Imponitur coxendicibus ad euocandum ex alto noxium humorem, & cutim exulcerãdam ui cauſtica. Vermes necat ſuccus auribus inſtillatus. Decocta in aqua ad tertias diſcutit frigora, mulierum menſtruis prodeſt, æſtate ſedat calores. Contra ſerpentes uſum habet, fumum ex ea nidorémque fugiunt, quam & ſubſternere in metu obdormituris utile eſt. Trita ægilopijs imponitur. Capitis doloribus recẽs cum tertia parte panis temperata aceto illinitur. Succus eius inſtillatus naribus ſupinis profluuium ſanguinis ſiſtit. Item radix cum myrti baccis in paſſo tepido gargariſſata angiuis medetur.

Thymum. Cap. XXXI.

THymum magis aluearia curantibus, quàm olitoribus ſtudioſe conſeritur. Sed nos quoque condimentorum cauſa (nam quibuſdam eſt aptiſſimum) non alienum putamus etiam in hortis habere. Locum neque pinguem neq; ſtercoratum, ſed apricum deſiderat. Semine & plantis, circa uernum æquinoctium ſeritur: melius tamen thymi nouellas plantas diſponere. quæ cum ſubacto ſolo depreſſæ fuerint, ne tarde comprehendant, aridi thymi fruticem contundi oportet, atque ita pinſito pridie quàm uoluerís uti aqua medicare. quæ cum ſuccum eius perceperit depoſitis fruticibus infunditur, donec eos rectè cõfirmet. Flore ſato, ut Theophraſtus perhibet, naſcitur. Semen thymi fallit, nec poteſt deprehendi. In mari quoque prouenire traditur extra Herculis columnas, quod in litus eiectum in pumicẽ dureſcat, ſicut & ínibi frutex lauro ſimilis occalleſcens in pumicem transfiguratur. In Heroo ad quem deſcendunt Aegyptij, ſi Theophraſto credimus, thymum uirenti ſimile, ſed pars quæ aquis emerſit duritia lapidis aſpicitur. Color etiam floris in eo tanquam non abſoluti. Floret ſero circa ſolſtitia, cum & apes decerpunt, & augurium mellis eſt. prouentum enim ſperant apiarij largè floreſcente eo: ſin defloruit, æſtiua mellatio minus proba ſequetur. Mel thymoſum non coit, quod concreſcit miníme laudatur. Lædítur imbribus, amittitq; florem. Coaleſcere quidem thymum negant niſi in afflatu maris ſeratur, ideóq; trãſlatum ex Attica nõ duraſſe in Arcadia: nunc prouincia, ut inquit Plinius, Narbonenſi lapidei campi thymo ſcatent. Flores amiciſſimos apibus creat, qui colorent odorentq; mella, quod Virgilius in georgicis cecinit,

Redoléntque thymo fragrantia mella.

Duo autem ſunt genera eius, candidum radice lignoſa, in collibus naſcens, quod & præfertur. Alterum nigrius, floriſq; nigri. Dioſcorides triuialem propoſuit, frutice ſurculoſo, multis foliis anguſtisq; comato, capitulis in cacumine refertis, flore purpuraſcente. Hũc ideo uel album uel capitatum nominat. Galli *thym* nunc uocant, rura permulta *maioranam Anglicam*, officinæ thymum. nam dodrantalis & ſurculoſus aſſurgit frutex, incauus foliis, minutis, immortalibus, floſculis ex purpura candicantibus, ſuauiſſimi odoris, capitellis ſpecie complicatarum formicarum, radice lignoſa. colitur in hortis. Gracili ſolo & petroſo lætius exilit. Montes quidam in Gallia thymo fruticant. hoc genus condimentario uſu notiſſimum. Alterum flore nedum folio nigricat, *elleborus* quibuſdam appellatum. hoc Aetius cibis damnauit, quòd intus receptum facile computreat, & bilioſos humores creat. Thymum è Thyna laudatur ab Hippocrate. Eſt autem, ut inquit Galenus, Thyna quidam in Thracia locus. Percontatur Ariſtoteles cur in terra Attica cæteri fructus dulciſſimi fiunt, thymum ínibi acerrimum. Díluit controuerſiam, quòd ager ille tenuis, ſiccuſq; uideatur, quapropter parum humoris poſſidẽt quæ naſcuntur in eo. Fructus, quos lex naturę dulces creauit, dulciores reddũtur: qui ingenio ſuopte ſicci ſed minime dulces proueniunt, ſuam ob inopiã tantum humoris retinent, quantum ſuo cõueniat generi

generi. Sol quod dulcissimum inuenit ac leuissimum eximit. quapropter acerrimi relinquuntur qui humore superuacuo carent, quem fructus obtinent cæteri. Cum sale & aceto pituitam exinanit per aluum. Decocto prodest orthopnoicis, suspiriosisq; cum melle. Tineas uentris exigit. Retardatos fœminarum menses, partus enectos, secundasq; pellit, urinas ciet. Sumitur cum melle ad uitia pectoris excreanda. Collectiones recentes cum aceto litum discutit, sanguinem coire non patitur, thymos, & uerrucas tollit. Ischiadicis cum uino & polenta impositum medetur. Sanis in uictu pro condimento datum proderit. Thymum colligi oportet in flore, & in umbra siccari. Oculorum claritati multum conferre creditur tam in cibo quàm in medicamentis: item diutinæ tussi illinctu, faciles facere excreationes cum aceto & sale, longas faucium destillationes extrà illitum cum sinapi extenuare: item stomachi, & uentris uitia. Sanguinem concrescere non sinit è melle. Modice eo utendum quoniam excalfacit. Sistit aluum, quæ si exulcerata sit, denarij pondus in sextarium aceti & mellis addi oportet: item si lateralis dolor sit, aut inter scapulas, aut in thorace. Præcordijs medetur ex aceto cum melle, quæ potio datur in alienatione mentis, ac melancholicis. Datur & comitialibus, quos correptos olfactus excitat thymi. Aiunt & dormire illos oportere in molli thymo. Prodest orthopnoicis, & anhelationi, mulierumq; mensibus retardatis, uel si mortui sunt in utero partus, decoctum in aqua ad tertias: uiris uero contra inflationes cum melle & aceto, & si uenter turgeat, testes ue, aut uesicę dolor exigat. E uino tumores & impetus tollit impositum: item cum aceto callum & uerrucas. Coxendicibus imponitur cum uino & articularibus morbis: quibus & potionem dant trium obolorum pondere in tribus cyathis aceti & mellis. Luxatis tritum ac lanæ insperſum ex oleo imponitur, & ambustis cum adipe suillo, & in fastidio tritum cum melle.

Satureia. Cap. XXXII

THymbra uulgaris est notitiæ. In asperis & gracilibus nascitur, similis thymo, sed minor atque tenerior, ferens spicam floris plenã, coloris herbacei. Habetur & satiua breuior syluestri, quæ propter minorẽ acrimoniã in cibos recepta est. Latinis satureia dicitur, Gallis nũc *sarrieta*, nunc *satrea*, pedali altitudine, frutico sa, surculosis utrinq; coliculis, folio hyssopi, flosculis per interualla ex purpura candicanti bus, odore saporeq; gratissimo. Seritur in hortis ad obsonia cõdienda, alioqui in asperis et saxosis nascitur: sed inibi thymo similior, quàm hyssopo, nisi quòd mollior est, ferẽs spicã floris plenã: hæc medicinæ utilior, illa cibis gratior. Columella cum cepinæ semina spargunt, præcipit ijs satureiæ semen immiscendũ: nam & uiridis esui est iucunda, nec arida inutilis ad pulmentaria condienda, quod hodie seruatur olitoribus. Thymbram tamen nonnihil à satureia discrepare sentit idem author, hoc senariolo,

Et satureia thymi referens, thymbræq; saporem.

Nam cum apibus quoq; destinasset pabulationes, adiecit regionem desiderari fœcundam fruticis exigui, maximè thymi aut origani, tum etiã thymbræ, uel nostratis cunilæ, quam satureiam rustici uocant. Ibidem subdidit, saporis præcipui mella reddit thymus, thymo deinde proxima thymbra, serpyllumq; & origanũ. Tertiæ notæ sed adhuc generosæ marinus ros, & nostras cunila, quam dixi satureiam. Constat itaque nostratem cunilam & satureiam eandem herbam intelligi Columellæ: sed transmarinam retulit cunilam magis aluearia curantibus, quàm olitoribus studiose consitam. Quam condimentorum causa (utpote quibusdam esculentis aptissimam) non alienum putat in hortis haberi, sed neque locum pinguem, neque stercoratum, sed apricum desiderare, ut quæ macerrimo solo per se maritimis regionibus nascatur: hinc transmarina (ut opinor) dicitur, quæ uiuacior est quàm ut impẽsius curanda sit. Columella itaq; thymbrã à satureia discreuit, & nostratem cunilam esse docuit quam rustici uocarent satureiam colore floris purpureo, thymbram uerius herbaceo. Quintus Serenus satureiam speciẽ thymbræ notauit, quasi thymbra nõ absoluta uoce sed cephalote thymbra diceretur, quàm Plinius cunilam capitatam semel tantũ, quod inuenerim, in opere toto nuncupat. Idem decimonono uolumine thymbram cunilam esse tradit, inquiens, Thymbra uero, quæ sit cunila, hæc apud nos habet uocabulũ & aliud, satureia dicta in condimẽtario genere. Seritur mẽse Februario origano æmula.

Hanc ferro tangi non expedit. Sed cunilæ Plinio præter ſatiuam, quæ ſatureiæ nomine, ut oſtenſum eſt, intellígitur, multa ſunt genera. Quæ bubula appellatur ſemen pulegij habet. hæc origanus Plinio, qui pleriſq; locis origanum non aliter quàm cunilam bubulam conuertit. Columellę magis ſylueſtre uidetur origanum, dicitur heracleoticum eodem autthore. Tertium genus eſt eius quæ Græcis maſcula, noſtris cunilago dicitur, odoris fœdi, radicis lignoſæ, folio aſpero. Tradunt manipulo eius abiecto omnes etiam à tota domo blattas conuenire ad eam. Mollis cunila ramis ac folijs, hiſpida lanugine obducitur, tactąq; mellis habet odorem, digitis tactu eius cohærentibus. hanc Franci uocant *encenſariam*, piloſioribus folijs ac ramis & aculeatis, ſenis floſculis luteis. Altera eſt quam líbanotidem Plinius tradit appellari. Hæc eſt quæ uulgo (ni fallor) *roſmarinus* dicitur, topiarius frutex, & coronarius, folio pinnato, herbaceo, ſubter incano, ſtriato, thuris odore, flore cæruleo, ſemine atro, exili. Hac Narbonenſis prouinciæ tractus adeo ſcatēt, ut non temere lignum aliud urant. Seritur in hortis magna diligentia apud nos, de quo nonnihil in propria mentione docebimus. Thymbra ueluti thymo delectantur apes. Paulus thymbræ duo genera, ſylueſtre, quod ad eadem quæ thymus pollet: ſatiuum, quod uiribus ignauius eſt, ſed uſui cibario gratius. Naſcitur ſupra thymbram quidpiam quod cirrorum modo comas, & ramos crebro uolumine complicat, ſæpenumero purpuraſcens, id quod Paulus, quòd ſupra thymbram prouenìat, epithymbron uocauit. Atrā bilem perinde atq; epithymum per aluum exigit. Nonnihil tale per origanum irrepere cōſpeximus, quod cirroſa capilla mentorum ſpecie cacumina conuoluit ut expediri non poſſint. Galenus per thymbram thymorum nomine uidetur fuiſſe complexus, cū pluraliter thyma uocauerit, nec alibi inter ſimplicia thymbræ meminerit. Farina eius ex uino pota medetur pulmonis, thoracis, & ueſicæ uitijs. Ciet urinas, menſes pellit. Herba ipſa cum floribus ueternoſos excitat olfactu, aut coronæ modo capiti impoſita. Succus cum roſaceo auribus infunditur. Cum triticea farina coxēdicíbus illinitur. Satureię uſus marceſcētes coitus ſtimulat, quare à Satyris nomen eā traxiſſe cōminiſcuntur. Stomachi concoctiones adiuuat, faſtidia diſcutit, hebetes oculos exacuit. Satiua eſtur utilius, quoniā minori placeat acremento: ſylueſtris etiam ad ſanorum uſus probatur. Eadem quæ thymus præſtat ſi modo cōſimili detur. Cunila mollis trita mellis odorem reddit, & altera thuris, ideo líbanotidem appellant. Medetur utraq; cōtra ſerpentes ex uino uel aceto. Pulices etiam contritæ cū aqua ſparſæ necāt. Satiua ſuos habet uſus. Succus eius cum roſaceo auriculas iuuat: ipſa ad ictus bibitur. Fit & ex ea mōtana ſerpyllo ſimilis, efficax cōtra ſerpētes. Vrinā mouet, purgat à partu mulieres, concoctionē mire adiuuat, & ad cibos auiditatē. Vtraq; in cruditate ieiunis in potione datur. Luxatis quoq; utilis. Contra ueſparum & ſimiles ictus ex farina hordeacea & poſca utiliſſima, quę à Græcis maſcula, à Latinis cunilago uocatur, odoris fœdi. Aduerſus ſcorpiones ex poſca pollet. Trib. folijs ex oleo perūcto homine fugari ſerpētes tradūr.

Serpyllum. Cap. XXXIII.

SErpyllo, ut Theophraſto placet, montes plericq; & plana ſcatēt, ſicut in Thracia, deferentesq; ex ijs auulſos ramos ſerunt, nanq; ſemínio comprendere negant. Sunt qui tritum exiccatumq; ſolo crediderunt, nullum tamen erupiſſe germen teſtantur. Creſcit in altitudinem quancunq; adminículo fultum, uel uicinis ſepibus innixum. Lætiſſimum proſilit in puteorum parietibus circa piſcinas & ſtagna, ſqualoribus obnoxium. Aqua ei modica ſatisfacit, ſimo præcipuè iumentorum gaudet, transferendum quoque ſæpius cenſent. Radix ei multifida, ſublimis, retorrida. Autumno commodius ſeritur. Apud quoſdam thymum penitus redolet. In montibus natum ſatureiæ refert odorē, uehementiſſimum illum quidem, ſed mollē atque gratum. Serpyllum immortali coma uiret, ſemperq; nōnihil quærit, cui caducū incubet. Duo eius genera. Satiuū Plinio non ſerpit, ſed ad palmi altitudinem increſcit. Pinguius uoluntarium, id eſt ſylueſtre, candidioribus folijs et ramis. Dioſcoridi contra ſylueſtre, quod priuatim zygis uocatur, non repit humi, ſed rectū exilibus ramulis & lignoſis attolitur, folijs rutæ, oblongioribus & anguſtioribus, flore guſtu acri, odore iucundo. Hortenſe ſampſucum imitatur, odore coronamentis quæſitum. quod ubicunq; terram attigerit, illico radicatur: ipſumq; ſe propagat, folia & ramulos fundēs origani, candidiores tantū.

Galli

Galli nunc *serpuletum* uocant,herbam condimentario uſu notiſſimam, foliis ſampſuci ſed minoribus,acri odore,floſculis ſubpurpureis,humi cũ oritur ſerpentẽ, incremẽto ſeſe attollentẽ palmi altitudine.Serpyllo mõtes apud nos plericq; ueſtiuntur. Sylueſtre ramulos tenues & ſurculaceos ſubrigit,rutæ foliis,odore ſuauioribus,anguſtioribus atq; longioribus.In hortis apud nos ſerpyllũ non colitur,cũ colles nobis abũde ſuppeditẽt.Nec aliud inter uoluntariũ,& hortenſe putauerim diſcrimẽ, niſi quod edomita cultus mangonio ferítate ſatiuis cõmiteſcit,& horridiore,ſylueſtricq; depoſita facie,ad ſpecioſiorẽ habitũ, altilemq; conditionẽ humana diligẽtia redigitur. Quare ut in hortorũ delitijs nimia humoris copia luxuriet,lõgeq; magis ſatiatum uireat:ſic fracto rigore priſtino,delicatius per ſe ramis inualidioribus ſtare nequit,ſed uietũ per terrã ſerpit.illa mollis & inſolẽs indulgentia robur herbarũ infirmat.Ergo cũ utrũq; ſerpyllũ caducã nanciſcatur conditionẽ,magis humi reptabit cultũ quod infirmius eſt,q; uoluntariũ quod uernaculũ rigorẽ tutat. Quoddã tamen inuenitur in cultis à ſylueſtri nõ oriundũ,quod humi nõ ſerpit ſed potius in altitudinem increſcit.Quod ſi placet Plinio Dioſcoridi reconciliare,ueriſimile eſt ei ſatiuũ nominari.Id ocymo naſci cõſtat,quod neglectũ degenerat in ſerpyllũ: nõ omnino tamẽ ingenij prioris oblitũ,in altũ erigitur,nec humi ſeſſile reptat. Nicandri quiſquis fuerit enarrator hoc diſcrimen ſentiẽs,duo refert ſerpylli genera, ſylueſtre & urbanũ,quod ocymũ intelligitur,incuria cultoris in ſerpyllũ deſciuiſſe.Nicander his notis repræſentauit: Serpyllum ſeſe diffundit,uiuaxq; uliginoſam paſcit humũ,foliis radiculas agẽtibus innixũ. nam magna ex parte lambere terrã cõſpicitur, & noua cõtinuo ſobole uel propagine ſeſe radicat, ut interpres cõcinne ſubiunxit,nõ aliter quàm hedera,reliquis floribus ſeſe quadã uertigine conuoluens adrepit,depaſcensq; complectitur.Sed uerba Nicandri ſubdidimus:

ἤ ἑρπύλλοιο νομαίης
ὅσσε φιλόζωος νοτερῷ ὑδιβόσκεται αἴῃ,
ῥιζοβόλος λασίοισιν ἀεὶ φύλλοισι καπήρης.

Efficacius calfacientiusq; uoluntarium ſatiuo,& ad uſum medicinæ accõmodatius.Menſes utrunq; trahit,urinã potu ciet.Torminibus,ruptis,uulſis, & inflammationibus iocineris auxiliatur.Serpentiũ morſus potu uel illitu iuuat. Capitis dolores mulcet coctũ adicto oleo roſaceo & aceto madefactũ.Maximè phreneticis & lethargicis cõuenit. Cruentos uomitus ſedat ſuccus drachmis quatuor ex aceto potus. Pinguius uoluntariũ aduerſus ſerpentes efficax,maximè cenchrin & ſcolopendras terreſtres ac marinas,& ſcorpiones decoctis in uino ramis & foliis.Fugat et eos odore,comínus ſi uratur.Contra marinorum uenena præcipuè ualet. Capitis doloribus in aceto decoctum illinitur tẽporibus ac fronti,cum roſaceo:itẽ phreneticis & lethargicis. Contra tormina & urinæ difficultatem, anginas,uomitiones drachmis quatuor datur.Ex aqua bibitur ad iocinerũ dolores. Folia obolis quatuor dãtur ad lienẽ ex aceto. Ad cruentas excreationes teritur in cyathis duobus aceti & mellis.

Sampſucum,amaracus. Cap. XXXIIII

Sampſucum perpetuo uiret,& coronas ſuis ramis intorquet.Radix ei retorrida, ſummo ceſpite leuiter hærens, multifida. Foret æſtate,non omne,ſed quod Phrygium cognominant.ſemen ei copioſum,odor molliter iucundus. Seritur utroq; genere & ſemine & ramo magnopere uiuax. Transferri quoque plantæ ſolent. Sampſucum in Cypro laudatiſſimum & odoratiſſimum unguentis expetitur,fitq; oleum quod ſampſucinum uocatur aut amaracinum.Amaracũ Diocles medicus & Sicula gens appellauere, quod Aegyptus & Syria ſampſucum. Vbi diligenter eſt animaduertendum, apud ueteres tum poetas,tum oratores idem fuiſſe ſampſucum & amaracum. quod Plinius pleriſq; locis ſentit, itidem Dioſcorides confirmat. Poetis Lucretio, Virgilio amaraci nomen uſurpatum eſt. Virgilius:

Vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aſpirans complectitur umbra.

Lucretio ſimiliter:

Aut amaracini blandum ſtactæq; liquorem.

Columella Romanorum hortos excolens,potius ſampſuci nomine fuit uſus, ſic canens:

Gratacq; iam ueniant hilari ſampſuca Canopo.

Amaracũ comitatur hæc fabula. Cynarę regis Cypri puer Amaracus dũ ferret unguenta,caſu

ta,casu quodam lapsus alabastrum confregit. qui cum nimio dolore cõfectus intabuisset, uersus est in sampsucum,quæ herba ex eius nomine cœpta est amaracus appellari. Vides ergo inter amaracum & sampsucum illis classicis authoribus, nihil nisi appellationis soli⁄ us discrimen adnotari. In contraria sunt sententia Galenus & Paulus, quibus multi recen tiorum medicorum accedunt. qui longè aliter de amaraco sentiunt,dissidentes & uiribus & natura plantas testati,cum tanquam diuersarum seorsum locis uarijs mentionem faci⁄ ant,sampsucumq; in tertio calfacientium,& siccantium censu collocent: amaracum in se⁄ cundo siccare uolunt ordine,& tertio calfacere. Quid ergo uetustioribus,Dioscoridi,Pli⁄ nioq; fuerit sampsucum,uidendum. Vterq; tradit Siculam gentem amaracum appellare quod Aegyptus & Syria sampsucum. Dioscoridi serpit in terra ramusculis multis, folijs hirsutis,rotundis,calaminthæ tenuioris similibus, quam tradit à Romanis nominari ma⁄ ioranam. hoc nomen hodie Gallia seruat. *Persam* uocat Italia herbam sesquipalmum altam iucundo odore,surculis lentè rubẽtibus,folio piloso, penè rotũdo,semine copioso, quod bullulis quibusdam continet, radice per summa cespitum, flore candido,pusillo. Iis itaq; Plinij Dioscoridisq; decretis idem esse constat sampsucum & amaracum. Sed quid Gale⁄ no Pauloq;,quorum sententiæ maior medicorum pars est addicta, iam est ostendendum. Dioscorides author est parthenium herbam à quibusdam amaracum dici, foljs coriãdri, tenuibus,flore per ambitũ albo,intus melino,odore graui,sapore amaro. Hos cõstat itaq; scriptores cum eorũ sequacibus amaracũ pro parthenio tandẽ usurpasse, præsertim cum nusquam inter simplicium facultates aliquid de parthenio posteritatis memoriæ prodide runt,nisi quòd Paulus inter deijcientes medicinas parthenium tradat siccum esse, & mo⁄ do quo epithymum,aut alypon atram bilem per aluum ciere. quod idem Dioscorides in utriusq; testatur mentione. Plinius parthenium & leucãthen & amaracum tradit appella⁄ ri,sed librariorum menda deprenditur tamnacũ pro amaraco scribentiũ. Amaracus ea est herba Galeno Pauloq;,quã maiores dixere partheniũ,nunc officinæ uocant *matricariam* ut in propria docebimus mentione. Marcellus hallucinans congenerem esse sampsyco, sed diuersis locis natã putat,& ob id diuersas sortiri uires. Traxit eum in errorẽ uaria sampsu cini,& amaracini mistura,quæ tam à Dioscoride quàm Plinio seorsum,& uarijs locis red⁄ dita est. Sed non herbarum inibi tam uarietas quàm aliter temperantiũ hoc unguentũ re⁄ gionum deprehẽditur. Nã illa ratione in Cyzico cõficiebatur & amaracinũ uocabãt,ubi nobile unguentũ fecit amaracus Cyzicena, omnino ab sampsucino discrepãs. Sed erra⁄ tũ euidentius est,q; ut refelli desideret. siquidẽ sampsucus iucũdo placet odore, sed amara cus siue partheniũ magnopere uiroso fastiditur: ob id mulieres uuluæ strangulatui oppor tunæ solẽt hanc odorari,nomenq; matricariæ recẽs indiderũt. Illa rotundo folio canescit, hæc fronde coriãdri uiret. Illa pusillo flore cãdicat,hæc luteũ fundit,albis melinũ coronan tibus foljs,ut in anthemide seu chamæmelo. Sed quid plura? hæc bilem & pituitã per al⁄ uum exigit, illa ne ciere quidem deprehenditur. Vis eius excalfaciens. Succus decocti ad incipientẽ aquã intercutẽ potu utilis: & ijs quos urinæ difficultas aut tormina discru⁄ ciant. Illita ex melle arida folia,fugillata emendãt. Retardatos menses subdita in pesso tra hunt. Scorpionibus aduersantur ex aceto & melle lita. Cum cera uero luxatis & tumori⁄ bus prosunt. Cohibent & oculorum inflammationes,tumoresq; cum polẽta. Acopis ma⁄ lagmatis excalfaciendi causa miscentur. Sampsucum in Cypro laudatissimũ & odoratissi mum. Scorpionibus aduersatur ex aceto & sale illitum, menstruis quoq; multum confert impositum. Minor eidem poto uis. Cohibet oculorum epiphoras cum polẽta. Succus de⁄ cocti tormina discutit,urinis & hydropicis utilis. Mouet & narium sternutamenta. Fit ex eo oleum quod sampsucinum uocatur,ad calfaciẽdos emolliendosq; neruos. Vuluas cal⁄ facit. Folia fugillatis cum melle,& luxatis cum cera prosunt.

Melilotus,sertula Campana. Cap. XXXV.

MElilotum Latini sertulam Campanã uocant, Cato sertã Campanicã, itidem Columella. Coronas ex hac antiquitus factitatas indicio est nomen sertulæ quod occupauit. Flos eius coronamẽtis dicatus est. Est em in Cãpania Ita⁄ lię laudatissima, et ut nostri uolũt,Grecis Attica in summo probatissima: ubi cũq; uero recẽs,nec cãdicans, & croco q̃ simillima, quanquã in Italia odora

tior

tior & candida: mox Chalcidica, ubicũq; uero aſperis & ſylueſtribus nata. Odor eius croco uicinus, & flos. Ipſa cana placet, maxime foliis breuiſſimis atq; pinguiſſimis. Melilotos arida diutius odorem continet. Columella inter aromata, quibus defrutum condiri ſolet, ſertam immiſcuit Campanicam. Dioſcorides hanc, utpote triuialem, non depinxit, circa Nolam tamen Italiæ gigni, coloris lutei, odore languido tradit. Verum tria eius inueniuntur herbariæ rei prudentibus faſtigia, uulgare ſtatim ab radice frutícoſum, cubitale, flagellis exilibus, coma trifolij, minuta ac lente fimbriata, floſculo melino, odoris eiuſdẽ cuius & herba, nempe ſuauis, tereti ac per ramos diffuſo ſemine. Alterũ aſpectu cano, croci odore, ac flore, pinguiſſimis ac breuiſſimis foliis. Tertiũ ſimile fœnogræco, folio raro, ſemine in lunata ſiliqua, glauco, rotũdo, infra ſinapis amplitudinẽ, flore luteo, odorato. Naſcitur ubiq; græco nomine Gallis, nedũ officinis, nobiliór, ac Latino. Sunt tamen qui *pratellum* appellent, & *coronam regiam*. Non eſt tamen committendum, ut cyti ſi cum his generibus cognatio pariat confuſionem. ſiquidem plerunq; diligentis oculi ſic aciẽ rerum ſimilitudo præſtringit, ut uicinitate captus alterum pro altero ſumat. Vt tamen fallacia, ſi qua ſubſit, detegatur, nares erunt conſulendæ, quæ ſi uacillent oculi facile corrigent errorem. Namq; cytiſi folia digitis friata ſubolent erucam, melilotus magis croc um iucundo ſequitur odore. Guſtus quoq; diſcrimen facile prodet, nanq; cytiſus manſu cicer reſipit. De primatu ſertulæ Campanæ non ſatis inter Dioſcoridem & Plinium conuenit. Plinius modo Atticam, ut Dioſcorides, prætulit, modo eam quæ in Campania Italiæ prouenit: Dioſcorides cõtrà Chalcedoniã aut Chalcidicã magis probauit. Quæ uero in Cãpania gignitur luteo lãguet colore, ſed infirmior odore ſentit. Secundas partes Chalcidicę Plinius aſſignauit, quare ſubeſſe in alterutro mẽdũ ſuſpicor, libraríjs nũc Carchedonẽ, quę uox Carthagine exprimit, nũc Chalcedonẽ, nũc Chalcidẽ, facili lubricoq; lapſu, ſcriptitãtibus. Sed ſimili us ueri fuerit utrobiq; Chalcedoniã legendũ. nam Cyzicenã cum primis cõmendauit Dioſcorides. Cyzicum enim Propontidis ciuitas eſt, in Byzantinorũ agro ex aduerſo. Chalcedon, ſi Stephano credimus, oppidum Bithyniæ, iuxta Ponti ſinum, è regione Byzantij. cuius Strabo in duodecimo meminit, ſiniſtra parte Os Ponti dici, dextra Chalcedonem. Quare cum Dioſcorides in Cyziceno natam laudaſſet, ſtatim in ſatis uicina Chalcedone prouenientem, uelut uernaculam fere uel indigenam, commendauit. Chalcis oppidum eſt in Eubœa ſitum iuxta Euripum, unde Chalcidicam nominari ſatis conſtat. Vim habet aſtrictoriam. Inflammationibus imponitur omnibus emolliendi gratia, præſertim oculorum, uuluarum, ſedis & teſtium decocta in uino. Aliquando & addito ouí luteo, aut fœnigræci farina, aut lini ſemine, aut polline molario, aut capite papaueris, aut intubo. Per ſe uero in aqua contra recentes melicerídas efficax eſt. Vlcera in capite manãtia, cum terra Chía, & uino, aut galla inunctis ſanat. Stomachi dolores in uino decocta uel cruda cum aliquo ex ſupradictis leuat. Doloribus aurium mitigãdis cruda ex paſſo inſtillatur. Madefacta in aceto aut roſaceo capitis dolorem lenit. Sertula Campana oculis medetur cum lacte, aut cum lini ſemine. Maxillarum quoq; dolores mitigat, & capitis cũ roſaceo: item aurium è paſſo, quæq; in manibus tumeſcunt, uel erumpunt: ſtomachi dolores in uino decocta, uel cruda. Idem effectus eſt ad uuluas, teſtes, & ſedem prociduam, quæq; ibi ſunt uitia. Recens ex aqua decocta uel ex paſſo, adiecto roſaceo, illinitur ad carcinomata. Deferueſcit in uino dulci peculiariter, & contra melicerídas efficax. Laudatiſſima in Attica. Vbicunque recens nec candicans & croco quàm ſimillima, quanquam in Italia odoratior eſt candida.

Marum, Acinos. Cap. XXXVI.

MArum ut Dioſcoridi placet, herba fuit cognita uulgo, ſurculoſa, flore origani, foliis multo candidioribus, flore odoratiore, & natura ſiſymbrij, ſubſtringens & modice calfaciẽs. Plinius rarã inuentu, peregrinãq; putauit eſſe, quare duntaxat inter odoramẽta duodecimo libro collocauit, ita ſcribẽs: In Aegypto naſcitur marũ peius quàm Lydiũ, maioribus foliis, ac uarijs: illa breuia, minuta, odorata. Quidam exiſtimant Lydium marum Plinio fuiſſe, quod Dioſcoridi Magneſiũ, ſit Lydiæ Magneſia ciuitas, penes Sipylũ, in cuius uicinia Caria eſt, in qua Tralles, ubi marum naſcitur. Nõ tamen, ut decernam, idem eſt Plinio marũ, quod Dioſcoridi

ridi.nam Dioſcoridi genus quoddam origani uidetur deſignari,ſatis triuiale, quapropter etiam origanis appellatur.Plinius tanta breuitate picturam eius perſtrinxit,ut quale id fu erit non facile poſſit intelligi,inter tamen exoticas non uernaculas ſtirpes ſeorſum retulit. Verum nihil prorſus de maro,nec Galenus nec item Paulus in ſimplicium cenſu docue runt:niſi quòd Galenus libro de antidotis marum depingit, ſimilemq; facit amaraco, ſed odoratiorem,ut credi poſſit ſub mari huius nomine amaracum contineri. Huc facit quòd uetuſtiſſimi quidam Dioſcoridis codices nullum ſuo loco,nec alibi inſertum marũ oſten dunt.quare forſitan non alienum fuerit putare,hoc marũ hiſtoriæ Dioſcoridis accreuiſſe: auxitq; ſuſpitionem, quòd prima Dioſcoridis uerba poſtremis parum uideantur reſpon dere,qui tradat omnibus cognitã, cũ tamẽ in noſtro orbe,ſed in Magneſia et Lydię Tral libus plurimum naſcatur:accediteq; opinioni inſolens authoris modus,qui ſemper conge neres herbas ſimul uno loco recenſeat,hanc tamen ab origani familia conſtanter exploſe rit. Vna tamen inuenitur paſſim,folio ferè noſtratis origani,longioreq; atq; hirſutiore, & ob id quadam tenus candicante,floribus ſiſymbrij,nõ ſic in corollas digeſtis, ſed ſparſim emicantibus,odoratis,quam herbarij *mentam* appellant *ſylueſtrem*. Quanquam putauerim calaminthæ generibus annumerandam, cum potius nepetas quàm origani ſpecies cõſtet exprimere.Habẽt & Arabes ſuum marũ,ſed penitus diuerſum, & magnis ambagibus im peditum:inter quas illam ſatis ſit indicauiſſe,quòd ſpecies eius ſunt meliſſophyllon,mar rubium,& bugloſſa, quo nihil dici poterat ineptius. Nec mihi tamen illud abierit indi ctum, Aeginetam Paulum radiculæ cuiuſdam herbæ mentionem in medicinalis materiæ cenſu feciſſe,quæ mamiras nominetur,iis uerbis: Mamiras radicula eſt herbulæ nodoſis tuberibus cincta, quæ cicatrices, albugines creditur extenuare cum detergendi naturam ſortiatur. Hæc radix ſatis uidetur repræſentare quæ nunc *doronicum* officinis & herbarijs nominatur,cũ adferaẽ radicula tenuis,prædenſis & extuberantibus nodis quaſi geniculis diſtincta.Si lingua cõſulatur, dulcis ſapor inuenitur,ſtatim in quendam lenem amarorem degenerare,qui confeſtim euaneſcit, quare albugines & cicatrices exterere guſtus docet. Arabes doronicum contra uenenatorum morſus imprimis commendarunt, eiq; tertiam calfaciendi ſiccandiq; ſedem aſſignarunt:nihil tamen ex tam breui deliniatione Pauli, po teſt in ſolidum ſtatui,ſolum quadam ueriſimili coniectura id poſſumus conſequi. Ei natu ra ſiſymbrij,ſubſtringens & calfaciens modicè: quamobrem nomas ſi linatur compeſcit, & calidis inunctionibus miſcetur. Copioſiſſimum Magneſiæ atque Trallibus. Acinos Dioſcoridi herba tenuibus ſiccisq; ſurculis,ocymo ſimilis,odorata, ſed hirſutior, qua co ronæ factitantur, à quibuſdam *ſylueſtre* dicitur *baſilicum*, Latinis ocimaſtrum, quòd pla nè ocimum imitetur. Plinius acinum & coronarum cauſa & ciborum ſerere Aegyptios tradit:eandemq; eſſe quæ ocymum,niſi hirſutior ramis & foliis eſſet, & admodum odora ta,æquinoctio naſcens.hanc epitreton uocant.Nunquam floret in hortis:gratia ciborum obſeritur. Theophraſtus,unde Plinius hæc mutuatus eſt,epimetron (ſic enim ipſe nomi nat) nunquam florere ſcribit.Sed mirum,grauiſſimos authores Plinium et Dioſcoridem in huius herbæ medicinis contraria præcipere. Alterum ea poſſe cieri menſes & urinas, alterũ contineri. Hippocrates epipetrum ad tumores & inflammationes commendauit illitu,foliis eius decoctis,& impoſitis. Acinon Paulus ocimo conſimilem prodit, medio cres aſtringendi uires poſſidere:quare uentrem,& menſes potu ſiſtit. Ad panos,et ignem ſacrum utiliter illinitur. Differt acinos ab acano, quòd acinos ocimaſtrum eſt, ſiue ſylue ſtris ocimi genus,multis cognitum:acanos ſpinoſa,breuis, & lata herba, eryngio quibuſ dam contributa,ſpinis latioribus.Acinos familiaris Aegypto coronarum & ciborum gra tia ſeritur.Multis locis ſponte prouenit.herba admodum odorata eſt. Sunt qui eam cum hortenſibus ſerant. Aluum ſiſtit & menſes potu.Ad panos & ignem ſacrum illinitur.Her bula in cadis aut fictilibus per hortos ſeritur,baſilici minoris cognomento, ſurculoſa, ra mulis teretibus, folio ocymi, multo minore, diluti uiroris, floſculo candido, ſemine per quam exili, atro, radice nigra. Herba tota ſuauiſſimum ſpirat odorem, & uſque eo fa cie tota, reliquoq; habitu ocimum æmulatur, ut ocimaſtrum uel pumilum ocimum me rito nominari poſſit.

Baccharis

Baccharis. Cap. XXXVII.

Baccharis herba fruticosa, generis coronarij, folio aspero, magnitudine inter uiolam & uerbascum, anguloso caule, cubitali altitudine, subscabro, circa quem coliculi agnascentis modo sobolis funduntur, floribus in purpura candicantibus, radice ueratri nigri, cui odor ineſt cinamomo proximus, gracili solo, nec humido proueniens. Noſtrates officinæ hanc non norunt. Rura apud nos *diuæ Marie chirothecas* appellant, hancq; nectunt in coronas. Baccharim esse facile potest intelligi, cum fruticosa sit herba, cuius folia quandam referunt asperitatem, media uiolæ uerbascíq; magnitudine, caule anguloso, cubiti altitudinem petente, agnatis appendicibus quadam tenus scabris, flore purpureo, subalbicante, radicibus nigro ueratro similibus, cinamomũ subolentibus. asperum squalidumq; solum amat. Paulus odoratam esse tradit herbam, odore cinamomum imitantem, quæ coronis dicari soleat. Bacchare fascinum depelli Virgilius author est, ita canens,

Bacchare frontem
Cingito, ne uati noceat mala lingua futuro.

Vnguẽtum fieri ex eius radice solitum Hippocrates, & Cephisiodorus, & Aristophanes poetæ testes sunt. Addit Cephisiodorus & pedes eo lini consueuisse, ut ægyptio manus, sisymbrino brachium, malas & papillas palmeo, amaracino comã & cilia, serpyllino ceruicẽ & genua, quod & in comœdia cecinit Antiphanes. Baccharis, inquit Galenus, Hippocrati Lydium quoddã unguentum significat. Simillimũ bacchari cõbretum Plinius facit, sed procerius & foliorũ exilitate usq; in fila extenuatum. Qui baccharem eandẽ esse cum asaro putẽt, ut recentiorũ permulti, fallũtur, quorum errorẽ nõ difficile fuerit explodere. Nã baccharis radix ueratri nigri æmula, cinamomi est odore: radix uero asari exilis est in anfractum nodosa, nardi odore. Folia illi scabra uiolæ & uerbasci magnitudine, huic plane læuia & prorsus hederacea. Illa ramosa, cubitalis: hoc folioſum, humile. Eorum quo que error corrigẽdus est, qui baccar rusticum nardum appellauere. est enim, teste Plinio, herba sic nominata, quam Græci uocant asaron, cuius speciem figuramq; supra diximus. Quinimò asarum inuenio uocitari, quoniam in coronas non addatur, baccharis uero coronamẽtis addicta est. Plutarchus sympoſiacorum tertio perpulchrè demonstrat liguſtri florẽ, crocum & baccharem odore somnos allicere, & ad placidam quietem potos perducere. causaturq; lenem auram ac blandum odoris effluuium, quo in temulentorum corporibus obortæ inæqualitates aspritudinesq; sensim dissipentur, & exterantur, concilia-táque tranquillitate crapula retundatur, excoquaturq;. Marcellus in citando eo Plutarchi loco, in mentione asari manifeste cæcutiuit, pro cypro id est liguſtro, cyperum, id est triangulum iuncum, aperto errore uertens: cum doceat Plutarchus quędam coronis inseri ut capitis grauitatem depellant, ut uiolas, roſas: quædam ut somnum accersant, ut liguſtrum, crocum, baccharem. Nanq; triãgulo iunco nullus flos ab authoribus tribuitur, aut si quis inueniatur, tam exilis fallit, ut in coronamenta necti nõ posset: sed multo magis liguſtri flos, qui & pulcher & odoratus est, illitusq; fronti, capitis dolores lenire à Dioscoride Plinioq; scribitur. quare merito coronis annectebatur, uel ad discutiendam capitis grauitatem, uel ad appellandum somnum. Radicem eius decoctam in aqua bibere cõuulsis, euersis, ruptis, anhelatoribus salutare est: item in tussi uetere, & mensium, & urinæ difficultate. Contra serpentes in uino data auxiliatur. Recens appoſita ex utero partus elicit. Succus decoctæ puerperis insidentibus prodest. Conditur cum diapasmate, odoris gratia, qui iucunditate commendatur. Folijs proprietas est spissandi, ideoq; capitis doloribus illinitur. Epiphoris oculorum, mãmis tumentibus à partu, ægilopijs incipientibus, & ignibus sacris auxiliantur. Odor somnum gignit. Vestibus odoris gratia inseritur. In medicinæ usu est. Auxiliatur contra serpentes, capitis dolores feruoresq;, item epiphoras. Mammis lacte turgentibus, ignibus sacris & ægilopi. Radicem bibere spasticis, præcipitatis, suspirioſis salubre. In tussi uetusta radices eius tres quatuor ue decoquuntur ad tertias partes. Hæc quoq; potio mulieres ex abortu purgat, laterum compunctiones tollit, & uesicæ calculos pellit. Odor somnum accersere dicitur.

Ruta. Cap. XXXVIII.

RVtam Dioſcorides utpote triuialem non depinxit, fruticem grauiſſimi odoris & ſaporis, ſemper uirentem, folio paruo, penè rotundo, cæſij coloris, denſo, ſurculoſis ramis, flore luteo, anguloſis calycibus ceu capitulatis ſiliquis, in quibus album ſemen continetur. Seritur paſſim in hortis, alioqui in apricis & ſiccis naſcitur. Rutam autumno ſemine ſatam Martio differre oportet in apricum, & cinerem aggerare, runcariq; donec conualeſcat, ne herbis enecetur: ſed uelata manu id tentandum eſt, quam niſi contexeris, pernicioſa naſcuntur ulcera. Si tamen per ignorantiam nuda manu runcaueris, & prurigo atque tumor inceſſerit, oleo ſubinde perungito. Eiuſdem frutex pluribus annis perdurat innoxius, niſi mulier quæ in mẽſtruis eſt contigerit eum, et ob hoc exaruerit. Interdumq; naturã arboris adipiſci conſpicitur. Hyemem horret. Odit humorem ac fimum, cum olera cætera maximè diligant. Apricis gaudet & ſiccaneis, terra quàm maxime laterítia, cinere uult nutriri. Hic & ſementi miſcetur ut careat erucis. Locis apricis ſolius cineris aſperſione contenta eſt. Loca deſiderat altiora, unde humor elabatur. Si tamen in hortis, ut Theophraſtus eſt author, ſalſis irroretur aquis, lætior proſiliet. Seritur ſemine & ſurculo, & à ſe ipſa. nanq; incuruato cacumine a/licuius rami, cum attigerit terrã ſtatim radicatur. Semina uel adhuc clauſa folliculis, ſigillatim manu defiguntur. Si iam minuta ſunt ſparſa iactantur, & obducta raſtro cooperiuntur. Caules qui ſeminibus incluſis nati ſunt fortiores erunt, ſed ſero naſcẽtur. Ramuli eius cum aliqua corticis parte cõuulſi pro plantis tenebunt. Surculus ſi in perforatam fabam adactus pangatur, melius proueniet, eumq; indito ſucco comprehendendo nutriet. Nonnulli ramulos eius pertuſo bulbo inſerunt, atq; ita obruunt, alieno uigore ſeruandos. Proſequuntur etiam maledictis, & maximè in terra ſoluti lateris ponunt, quòd affirmant prodeſſe. Rutam furtiuam prouenire fertilius putant. Non effodi frutex ſed optat auelli. Immundę mulieris attactum reformidare ſuprà docuimus. Ruta, ut Greci rei ruſticę prudẽtes ſcriptum reliquerunt, fimum horret, apricis lætatur. Ideo per hyemẽ cinere cupit ali, ſic enim natiuus calor frigoribus obſiſtit. Fictilibus melius ſeritur. Immundæ mulieris & acceſſum, & omnem prorſus attactum metuit: ſiquidem eo confeſtim, ut inquiunt, enecatur. Sub fici umbra libẽtius acquieſcit. Percõtatur Ariſtoteles ſuis in problematis, quam ob cauſam ruta fico inſita pulcherrima uberrimaq; prodeat. Inter corticem inſeritur obductoq; luto fouetur. Reſpondet rutæ radicẽ fomentum teporemq; deſiderare, itaq; circundata cinere iuuatur: ficus uero calida dote prędita eſt, quod eius ſuccus omnium acerrimus docet, tam aura quam copioſam eructat, quàm fumus quem etiam abunde expuit. Habet itaq; colorem atq; humorẽ talem qualem etiam cinis. Si ergo ille poſſit opitulari, multo magis ficus, quę copiam atq; uigorem eo plus ſuppeditabit, quo cineris humor nõ aſſiduo profunditur, aut perpetim ſtillat. Fici uero iugi irrequietoq; confluuio manat, utpote cum arboris ſuccus ex toto conſumi non poſſit. Theophraſtus quinto de plãtarum cauſis rutam quę ſeratur in fico credidit optimam ac probatiſſimam prouenire, quam cor tici infixam ſerere & obruere terra conſueuerunt. Euenitq; ut accedens rutæ nutrimento ficulneũ lac calore ſuo opem illi ferat, quemadmodum & conſperſus cinis, ſiue id fiat ne radices uermiculentur, ſiue ut eius ſalſugine facilius coaleſcãt. Sed ij laudatiſſimi ſemper authores quadam inſitionis adoptione in fico rutã meliorẽ fieri cõtendunt. Plinius contrà amicitiam eſſe rutæ cum fico tradit in tantum, ut nuſquam lætior proueniat quàm ſub hac arbore. Dioſcorides uerò cibis commendat rutam quæ propter arborem fici ſubnaſcitur, reliquam ferculis abdicauit. Plutarchus autem uelut inter hos componens medius inceſſit, ſympoſiacorum quinto ſic tradens, Ruta quæ ſub ficu proſilit aut annaſcitur illi, & ſuauior & ſapore mollior habetur. Cauſam ſubiungit, quòd uel eam ficus aliqua dulcedine recreet, uel grauitatem ſatietatemq; reſtinguat. Niſi potius contraria ratione ficus alimentum alliciens ad ſe, ſimul acrimoniam aboleat. Sic utranque ſententiam Plutarchus confirmauit. Authoritas etiam peculiaris apud antiquos rutæ fuit, ut muſtum rutatum populo Romano dari ſolitum inueniatur. Cicuta rutæ aduerſa cognoſcitur, probabili argumento, quoniam colligẽtes rutam manus cicutæ ſucco muniunt. Sculptores pictoréſque ruta utuntur in cibo propter uiſum. Muſtela cum ſerpente dimicatura in murium

uenatu

uenatu rutam prius edit. Pythagoras marem minoribus herbaceiq; coloris foliis discreuit à fœmina: eam lætioribus foliis & colore. Rutã fascinationis amuletum esse tradit Aristoteles in problematis, causamq; reddere conatur: tum effascinari se credunt, cum aut uoraciter edant, aut incommodorum quorundã tenentur suspicione, uel cibum quem assumunt, habent suspectum. itaq; cum de mensa eadem quid priuate sibi capiunt, participem intuentẽ faciunt, affanturq; cum impertiant, ne me fascines. Ergo cibum cum perturbatione uorabunt, nec quid ebibent, aut esitabunt: sine flatu, qui hauriatur unà & simul ingeratur. Quamobrẽ intruso spiritu tormina mouẽtur & cruciatus excitantur. Igitur præsumpta ruta, suapte ui, & calfactoria dote, uas quod recepit cibos elaxat: quo fit ut inclusus spiritus facile per patentiores anguſtias euadat. Sed quoniam de fascinatiõe sermonẽ fecimus, de ijs est differendum, qui effascinatorem habent oculum. quòd & apud Theocritum & Virgilium poetas, apud etiam historicos, philosophos, oratores nonnihil inuenitur memoriæ proditum. Virgilius Maro perpulchre cecinit.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

In Africa familias quasdã effascinantium Isigonus & Nymphodorus tradunt, quarũ laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse generis eiusdem in Triballis & Illyrijs, adijcit Isigonus, qui uisu quoq; effascinentur, interimantq; quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis. quod eorũ malum facilius sentire puberes. Notabilius esse, q; pupillas binas in oculis singulis habeant. Huius generis et fœminas in Scythia quæ uocẽtur Bithyæ, prodit Apollonides. Philarchus in Ponto Thibiorum genus, multosq; alios eiusdẽ naturæ, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiẽ: eosdem præterea nõ posse mergi, ne ueste quidẽ degrauatos. Haud dissimile his genus Pharnacũ in Aethiopia prodidit Damon, quorum sudor tabem cõtactis corporibus adferat. Fœminas quidẽ omnes ubiq; uisu nocere, quæ duplices pupillas habent, Cicero quoq; apud nos est author. Solinus meminit quasdã in terra Aphrica familias hominũ uoce atq; lingua effascinare, quæ si impensius forte laudauerint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atq; cultu opimas, emoriantur repẽte. Quapropter male audiunt apud doctos, qui fascinum rideant, & aniles existimant esse nugas. Cum & rerũ euenta prorsus famæ suffragentur, nõ protinus historijs fidem derogare consentaneum est, si uel aucupium causę, quo potiri nequeamus, nos fugiat. Siquidem innumera ferè sunt omnibus conspicua, quorum ratio non possit iniri. Quare qui scrupulosius in perueſtigandis singulorum rationibus uersantur, ex omnibus naturæ miracula summouent. Etenim ubi nos causæ ratio deficit, hinc dubitãdi manat exordium hoc est philosophandi. idcirco philosophiam modo quodam conantur abolere, qui prodigiosis naturæ miraculis fidem non habent. Sed quod ad effascinationem pertinet, quonam pacto fieri soleat, id ratione: quòd uerò plerunq; fiat, hoc historijs petẽdum est. Permulta id genus posteritatis memoriæ tradita sunt. Plutarchus est author hominem quosdam suo conspectu pustionibus negotium exhibere, quòd uidelicet eorum habitus, humoris imbecillitatisq; causa, in peiorem degeneret conditionem. Qui uero solido concretioriq; cõstant corpore, uitium hoc non sentiunt. Quanquam incolentes Pontum Palethebeorum familias referat Philarchus, non infantibus modo, sed & adultis quoque pernicioſas esse: quippe quum spiritum earum, uocem & conspectum admittentes, intabescere & corripi morbo cognoscãtur. argumento quòd hanc labem sentiant & hospites, & qui frequens cum eis ineunt cõmercium, illinc emptitia mancipia statim abducentes. Neque forsitan minus fuerit mirabile: nam contactus & miscella perquam euidens, iam uitij continent rudimentum. Et quemadmodum cum aquilarum pennis mistæ reliquarum alitum pennæ absumuntur, neque eam labem sentiunt cum alijs teneris ac mollibus etiã putrescentibus: sic nihil interesse hominis cuiusdam salubrem esse tactum, alterius uerò noxium & molestum haberi, qui nimirum uisos iniuria lacessat. Sic aucupium causæ, quod difficulter assequimur, fidem uix habebit. Atqui iam is uestigium & semitam inuenit causæ, qui ad corporum effluuia perrexerit, quando uox, odor, & emanans spiratio, quidam sunt animalium halitus, & partes sensum mouentes, cum ab ijs occursantibus afficiuntur: longe magis simile ueri fuerit, ab animantium corporibus, ut quæ calore

potiantur, quandam aurã expirari, præsertim cum motum perinde quasi pulsum aliquem & conturbationem spiritus excitet. A quo corpus perpetim agitatum effluuia quædam eructat, multo maxime oculis expui perspicuum est. Siquidem uisus crebro motui obnoxius, cum spiritu ipsum eiaculante quandam uim igneam & mirabilem diffundit, ita ut hoc authore permulta & agat, & patiatur homo. Voluptatibus enim capitur, ac rebus uisis illectus. Amoris, qui quàm maxima & uiolentissima animi noscitur affectio, uisus fundamenta iacit, sic ut amandi facultas hinc profluat & effundatur, uelut ad eos proueniẽs, quos perpulchros & elegantes prospexerit. Ideo quàm maxime demirari quisquam eos posset, ut mea fert opinio, qui & uisu hominem consentire & affici molestia credunt, non item agere & nocere. Etenim mutuus eorum respectus, qui forma & pulchritudine præcellunt, quodq; procidit oculis ac manat, siue lumen, siue profluxio quædam fuerit, amantes tabe conficit, permista dolori uoluptate, γλυκύπικρον quasi dixeris dulcamarũ appellant. Neq; tangentibus aut audientibus usu uenit adeo animos uulnerari, uel desideria refricari, ueluti inspicientibus & ijs qui inspiciuntur. etenim talis intestinus ardor distributioq;, à uisu proficiscitur. Sed prorsus amorem inexpertos existimare oportet qui miran/tur medicam naphtam: ad quam undecunq; uel è longinquo uisam protinus trãsilit ignis, quem statim illa concipit, tanta est horum cognatio. Venustæ siquidem formæ spectrum suum quamuis eminus iaculentur, attamen igniculum in animis animantium succendũt. Atqui remedium regij morbi memoria repetendũ est. Galgulus uocatur auis, quæ si spectetur, sanari id malum tradunt. Talem uidetur ales sortita naturam, ut allicíat ad se uitiũ atque rapiat, ipsumq; oculis effusum tanquam effluuium adsciscat. Galgulus uerò, quem puto græcè uocari charadrion, regio morbo laborantem nec cernit nec tolerat, sed oculos concludens genasq; committens auersatur, non inuidens ut nonnulli credunt hominum saluti, sed perinde quasi ictum accipiens uulneretur. Cæterũ ut relíquos taceam morbos, lippitudinem concipiunt qui cum tentatis ea uersentur. tam pernicem uim possidet oculus, ut in alterum eiaculetur uibretq; uitij rudimentum. Sed cum ex noxis, quibus corpora nostra patent, quædam ab animo prodeunt ut fascinus, quonam pacto uitium ad spectatos per uisum deleget, iam est differendum. Nemo potest inficiari quin animus affectus, suum corpus male habeat. Non uides ut rei uenereæ cogitatio genitales partes titillet, atque surrigat? Nonne canum furores ijs certaminibus, quæ cum feris ineunt, uisus aciem præstringunt, imò frequenter penitus excæcant? Nunquid auaritia, mœror, æmulatio colores immutant & habitum digerunt? Nec his minus inuidia, quam induerit animus, improbitate corpus explet. quam pictores dum pulchrè atq; insigniter exprimere conantur, faciem inuidiæ deliniant. Itaq; quoties inuidia flagrantes ita truces fixerint oculos, ut uicini & propter astantes animi maleficium alliciant, perinde quasi iacula ueneno delibuta proruent. Nec enim id uelut absurdum abhorret à ratione. nanq; uidemus canum morsus incãdescentium ira multo molestiores esse. Genituras humanas melius coalescere tradunt, quoties propius amantes applicuerint. Et, ut summatim loquar, affectiones animi uires corporis firmant, atq; uegetiores reddunt. Quapropter familias hominũ quæ fascinum amoliri traduntur, aduersus inuidiam pollere, & esse remedio putant, uisu scilicet præstigijs abstracto, quo suam aciem innocentius affectis adigat. Sed ratio uidetur illegitima moneta percuti, quando si pro ueris statuamus, quæ cõplures de fascinatoribus prodiderunt, id ignorandũ profecto non est, quòd uernas, amicos, familiaresq;, nonnunquam patres effascinantem habere oculum arbitrentur, sic ut ijs uxores quos sustulerunt liberos non ostendant, nec sinant diutissime talibus cerni, quibus omnis facessit inuidiæ suspicio, nec eius ulla subesse labes creditur. Quis herum erga famulos & parentem in filios liuoris insimulabit? Sed quid de ijs est dicendum, qui, ut tradunt, seipsi fascinarũt. Nam id posteritatis memoriæ poetis mandatum est, cum Eutelidas miser uir in ambitioso flumine se conspexisset, ipse sibi hanc fascini perniciem conscíuit, ac confestim ineuitabilem contraxit noxam. uerba subdidimus authoris,

Ευτελίδας αὐτὸν βασκαίνει ἰδὼν ὀλοφώϊος ἀνὴρ
Δινήεντι ποταμῷ, τὸν δ' αὐτίκα νῆσος ἀείκης.

Eutelidas enim pulcher alioqui sibi uisus cum sui amore deperiret, in ægritudinem lapsus pristinum

priſtinum corporis habitum cum uenuſtate perdidit. Sed audenter eſt adfirmandum omnes animi affectiones ſi permanentes diutius hæſerint, improbos habitus creare. qui quãdo naturæ robur adſciuerint, quauis occaſione conciti, identidem inuitos etiam in peculiares & aſſuetas trahunt affectiones. Si timidos obſeruaueris, inuenies quæ ſunt eis ſalutaria reformidare: iracundos amiciſſimis fore difficiles: laſciuos & amatores, etiam moribundos à pudiciſſimis ſibi temperare non poſſe corporibus. Siquidem conſuetudo uehementer ad hoc pollet, ut propriam exigat affectionem. Sic enim in errorẽ prolabi neceſſum, qui ſupramodum offenſis pateat, & occurrentiũ iniurijs ſit obnoxius. Nec miratu dignum, eos qui pertinacẽ inuidentiæ notã aut faſcinatorẽ in ſe crearunt habitũ, ad id quod ſuum eſt prò affectionis natura moueri: motos ſic, quod apti ſunt, nõ quod uolunt, præſtare. Vt enim orbis circulari uertigine rotatur, & cylindrus ſuo more ſecundum figuræ diſcrimen uolutari cogitur: ſic inuidioſum affectio inuidenter ad omnia mouet. Cæterũ eis magis officere par eſt, quæ propria ſunt, & quorũ deſiderio tenentur. Sic optimus ille Eutelidas, & quotquot effaſcinaſſe ſe nõ ab re tradũtur, illud mihi perpeti uidentur. Bonus habitus qui reſidet in ſummo, ut Hippocrates eſt author, tutus nõ eſt. Corpora ad ſummũ uigorem progreſſa nõ perſiſtunt, ſed uelut æqua lance librata in contrarium ruunt, haud difficile ſumma quæq; deturbantur. Itaq; quando ſibi uberius incrementũ uendicarũt, ac melius habentes q; ſperarent ſeſe conſpexerint, ſic ut cum ſe mirãtur, & corpus explorãt, iam mutationi locus eſt, & habitu in deteriorem noxam graſſante ſe poſſunt effaſcinare. Quod fieri potius ſolet defluxionibus aquarum, æquore, uel ſpeculo reſilientibus, ſic ut in ipſos uidẽtes reſpirẽt, et reciproco iaculatu in ſuos retorqueãtur authores, peculiariſq; ueneficij tandẽ luant pœnas, & eiſdẽ quibus cæteros, ſe faſcinis labefacient. Sic infantes plerunq; ſe proprio uitiant faſcinatu, cauſam tamen huius falſo contuentibus eos aſſcribunt. Vt enim ſpectrorum, quæ inuidentes eiaculantur, nulla poteſt iniri ratio, quanquã neq; ſenſu prorſus, neq; impetu uacent, ſed maleficij & effaſcinationis labe iactantium referciuntur, ea quòd diutius ijs quos faſcinare uolunt inſiderũt imbuta ueneno, corpus & mentẽ conturbant & ſua uitiant ſorde: ita putandũ eſt hominem opinione faſcinari quodam modo. quod in ſermone diuinitus factũ aut mirabili quodam effectu accidiſſe prędicat. Hæc ad authorẽ Plutarchum, ne ſua laude defraudemus, referuntur, quæ ex Sympoſiacorum quinto quòd ad rem facerent uertimus, quo poſſemus indoctos græcè pleniore beneficio demereri. Quapropter & remedia quæ contra eiuſmodi maleficia produntur, ſubdidimus. Faſcinationibus adoratione peculiari occurrebat antiquitas, quibus & frontis corium reſiſtere credidit. Eadẽ faſcinationes repercutiebat ſiniſtræ dextræq; clauditatis occurſu. Palmarum lignum in pomo oſſeum, dente limatum contra faſcinationes poliebatur. Satyrion, quæ orchis cognominatur, & fœmina creditur eſſe, diſtinguitur internodijs, & ramoſiore frutice, radice faſcinis utili. Rutam faſcinatiõis amuletum tradit Ariſtoteles. Alyſſum in domo ſuſpenſum, refert Dioſcorides, ſalutare amuletum contra faſcinationes, hominum quadrupedumq; generi. Sed ad rutã redeamus. Recẽti rutæ ſurculo obturatis auribus finiri capitis dolores Græci exiſtimant. Succo eius, ut aiunt, cũ mele Attico inuncti diſcuſſerunt caligines & ſuffuſiones, uel cum lacte mulieris puerum enixæ, uel puro ſucco angulis oculorum tactis. Quod & pecudibus & iumentis etiam cõferre putant. Succus, eorum claritatẽ exacuit. Addunt, generationes impediri hoc cibo, ideo præcauendum grauidis ut hoc abſtineant, necari enim partus inuenerunt. Semen quindecim diebus potum uſq; eo prægnantibus inimicum fertur, ut fœtum in utero perimat abortuq; uitiet. Cum uino ſumptum ſerpẽtium uenenis reſiſtit. Comitialibus itidem remedio eſt. Thoracis dolores ſoluit. Aures cum uino & roſaceo purgat. Lenit capitis dolores pota cũ uino aut cũ aceto & roſaceo illita. Eadẽ cruditates diſcutit, mox inflationes, & dolores ſtomachi ueteres. Vuluas aperit corrigitq; cõuerſas illita in melle toto uentre & pectore. Hydropicis cũ ficu decocta ad dimidias partes bibitur: itẽ ad pectoris, laterum, lũborumq; dolores. Cõtra tuſſes, ſuſpiria, pulmonũ, iocineris, renũq; uitia pollet, horrores frigidos, crapulę grauedines. Torminibus in hyſſopo decocta cũ uino prodeſt. Sanguinẽ ſiſtit interiorem & narium indita. Collutis dentibus auxiliatur. Auribus in dolore ſuccus infunditur. Succus exprimitur tuſa ea & aſperſa modicè aqua, & in pyxide Cypria ſer-

uatur. Hic copiosior datus ueneni noxiam obtinet, quod cicutæ succo extinguitur: adeo ut uenenorum uenena sint, quando cicutæ succus prodest manibus colligentium rutam. Cæterum antidotis inter prima miscetur, pro antidoto foliis tritis & cum uino sumptis. Contra aconitum, ixiam, fungosq; siue in potu siue in cibo detur: item contra serpentum ictus, utpote cum mustellæ cum ijs dimicaturę rutam prius edendo se muniant. Valent & contra scorpionum & araneorum, apum, crabronum, uesparum aculeos, & cantharidas, & salamandras. Ad canis rabiosi morsus acetabuli mensura succus è uino bibitur, & folia trita & commanducata imponuntur cum melle & sale, uel cum aceto & pice decocta. Succóque peruncto s, aut eam habentes, negant feriri ab ijs maleficijs: serpentesq;, si uratur ruta, nidorem fugere. Ruta Dioscoridi aut est montana sylueſtrisq;, aut satiua & hortensis. Longè acrior est montana, & ad usum & cibos minus idonea. Hortensi amicitia est cum fico in tantum, ut nusquam lætior aut esculentior proueniat quàm sub hac arbore. Vtrunque genus feruet, urit, exulcerat, urinas pellit, menstruos cursus ciet, aluum citam cohibet, cibo potuq;. Aduersus uenena pro antidoto ualet, semine in uino acetabuli mensura epoto. Folia cibos antecedentia per se aut cum arida fico, aut nucleis iuglandium, uenenorum uires hebetant, & corpus contra tales iniurias muniunt. Contra serpentes non secus adsumuntur. Generationem tam cibo quàm potu restinguit. Cum anetho sicco decocta tormina discutit. Bibitur ad laterum ac pectoris dolores, tussim, suspiria, pulmonis, articulorum, coxendicumq; uitia, & remeantium febrium horrores & frigora, uti dictum est. item ad inflationes coli, uuluæ, rectiq; intestini, ita in oleo deferuescat & perluatur aluus. Vuluæ strangulatus aperit, trita cum melle, tota pube usque ad sedem oblita. Cum oleo decocta uetris animalia pellit. Dolores articularios illita cum melle comprimit. Cum fico tumores hydropicorum inæquales compescit, in ijs decocta in uino ad dimidias bibitur salutariter. Cruda condita ue cibo usus aciem exacuit, oculorum dolores cum polenta mitigat. Lenit capitis dolores cum aceto & rosaceo illita. Trita sanguinem continet narium indito puluere. Testium inflammationibus cum laureis foliis imposita, eruptiõibus papularum cum myrteo cerato prodest. Vitiligines candidas cum pipere & nitro cõcorporat. Cum ijsdem thymos & formicas tollit. Cum melle & alumine lichenibus infricatur. Succus in malicorio feruefactus auribus in dolore efficaciter infunditur. Idem succus inunctis cum succo fœniculi & melle oculis usum clarificat, & caligi nem cum senſere discutit. Ignem sacrum, & quæ serpunt ulcera, quæq; manant è capite cũ aceto, cerussa, & rosaceo emendat. Acrimoniam cepæ & allij post manducatus extinguit. Montana ruta si copiosior estur ueneni modo necat. Sub florem legentium eam & muria condientium manus exulcerat, inflata etiam cute cum prurítu & ardore uehementi. Proinde rutam carpturi defensis oleo manibus & facie colligunt. Aiunt pullis gallinaceorum succo eo perfusis arceri feles ab auiarijs. In Macedonia nascentẽ rutam iuxta flumen Haliacmon qui ederint negantur euadere. Montanus is est locus & uiperis scatens. Semen interaneorum uitijs efficax, immiscetur antidotis. Frictum contra incontinentiam urinæ datur, ut diebus septem ebibant.

Sylueſtris ruta. Cap. XXXIX.

QVæ de sylueſtri ruta à fronte capituli statim traduntur in Dioscoride, ascitia mihi uidentur, quanq; alibi à Dioscoride prodita fuisse constat. Nanque postposita nomenclatione, quæ subduntur hyperici propria sunt: siquidem odor assignatur ei resinosus, ideo chamæpitys aliquibus nominata, frutice surculoso, rubescente, luteo flore, qui digitis tritus sanguineum humorem excernat, qua occasione quidam hanc androsæmon, id est uiri cruorem uocauere: follicu lo tereti, in rotundum prælõgo, similitudine hordei, claudente semen atrũ resinã subolẽs. Nascitur culto & gracili solo. Vrinas cit & menses addita. Quartanis eliberat si è uino bibatur. Folia cum semine partibus quas frigus adusserit illinuntur. Propter coxendicum morbos diebus quadraginta præbetur bibenda. Eadem uerbotenus de hyperico pauło post Dioscorides asserit, nec ijs plura: quare dicta hæc adiectitia esse euidentius est quàm ut probari mereatur. Adde, si uetustissima quæque tam latina quàm græca consulantur exemplaria, nihil tale se offeret lectitandum. Quare si quispiam hanc partem

totam

totam expunxerit, nihil huic scriptori fuerit allaturus detrimẽti, sed potius quod uerticulo suo desilierat, in propriã sedẽ restituturus. Sed nos nomine syluestris rutę audimus eã quæ in Cappadocia nascitur & Galatia, nuncupatã moly, fruticẽ ab radice una cõplureis uirgas fundentẽ, foliis multo lõgioribus, & tenerioribus quàm rutæ, graui odore, cãdido flore, capitellis amplioribus paulo quàm satiuæ, triplíciter diuisis, in quibus semen triquetrũ, subrufum, & amarissimũ sapore, cuius in medicina est usus. Semen autumno maturescit. Hoc genus herbæ quidã armala uocauerũt, Cappadoces moly. quandoquidẽ à uero moly non omnino discrepat huius facies, radice uidelicet pulla, & candido flore. Colles amat & læta. Nunc hãc Arabes *harmelam* appellant. Legitima est huius deliniatio uetustissimis Dioscoridis codicibus inserta, hac forma, Collibus & fœcundis aruis inuenitur, neq; specie neq; odoratu rutę similis, sesquicubitali proceritate, caulículis teretibus, folio minuto, rumicis effigie, sed crispo, floscúlis ex luteo cãdicantibus, odore uiroso, siliquis triparti to distinctis, paulo quàm satiuæ longioribus, in quibus triangulum semen, subrufum continetur. Nunc nostræ officinæ Barbaros imitatæ *harmelam* aut *agrestem rutam* appellãt. Quæ tamen nomenclationes cõtra Dioscoridis morẽ in calce capituli, quod syluestri rutę dicatum est, subditæ sunt, ad sequẽs moly magis uidentur pertinere. Quod apertissimè Galenus indicauit de moly inquiens: Aliqui & hoc syluestrem rutam nominant, aliqui harmolam, Syrij besasam, quemadmodum & Cappadoces moly, cuius radix nigra est et lacteus flos. Qui de syluestri ruta simul cum satiua egit, utriusque naturam eadem mentione complectens. Laudatissima herbarum fuit, Homero teste, quam uocari à dijs putant moly, cuius inuentionem Mercurio assignauit, contraq; summa Circes uenefícia demonstrauit, decima Odysseæ rhapsodia:

Ως ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον ἀργειφόντης,
Ἐκ γαίης ῥῦσας, καὶ μοι φύσιν αὐτὸ ἔδειξεν.
Ρίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
Μῶλυ δὲ μιν καλέουσι θεοὶ χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
Ανδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Quodq; in transformationibus Ouidius dixit,

Pacifer huic florem dederat Cyllenius album,
Moly uocant superi, nigra radice retentum.

Et quod in Priapeis carminibus auditur:

Hinc legitur radix de qua flos lacteus exit.
Quam cur moly uocant? mentula moly fuit.

Phæneo & Cyllenæ Arcadiæ uernaculum tradidit Theophrastus, specie illa Homerica, radice rotunda nigraq;, magnitudine cepæ, folio scyllæ. Effodí autem difficulter Homerus cecinit, negat Theophrastus. Aliqui authores Græci florem eius luteũ pinxere, cum Homerus candidum scripserit. Plinius in Campania aliquot diebus effossam ægrè inter difficultates saxeas, & allatam sibi meminit, radicis triginta pedes lõgæ, ac ne sic quidem solidæ sed abruptæ. Dioscorides moly uerum folio graminis pinxit, latiore, sessili, & interram iacente, flore uiolæ cãdidæ simili, lactei coloris, amplitudine potius purpureæ uiolę, candido caule cubitorum quaternũm. Cacumini nonnihil adiunctum est allio simile, radice oblonga, bulbosa. tale uerum est moly. Dicitur & moly ruta Galatiæ, quemadmodum & Dioscorides & Galenus appellari eam testantur. Aliud tamen Plinio uidetur esse molon, quod scapo striato tradit esse, foliis paruis, mollibus, radice quatuor digitorum, in qua extrema allij caput est. Vocatur à quibusdam scyron, anhelantibus & stomacho prodesse credita. An fuerit eadem cum mola herba, cui Galenus similem bulbo radicem assignauit, quam Dioscoridis fretus authoritate, uteri laxare spiracula memínit, nõ ausim affirmare. Syluestris ruta pota comitialibus morbis & coxẽdicibus prodest, mẽstrua quæ substiterint extimulat, in utero partus extinguit. Horridior quàm satiua, & ad effectum ualentior. Cibis respuitur, quoniam periculũ adferat. Succus è syluestri cõtra tarditatem, & sonitum cum rosaceo uel laureo oleo, cum melle infunditur. Idem phreneticis instillatur in tempora & cerebrũ. Addunt aliqui & serpyllum & laurũ illinentes capita & colla. Dederũt & lethargicis ex aceto olfaciendũ. Dederunt & comitialibus bibendum

decoctæ ſuccum in cyathis quatuor ante acceſſiones, quarũ frigus intolerabile eſt. Alſio/ ſis crudam dari in cibo iubent. Vrinam quoque cruentam pellit. Hippocrates purgatio/ nes, ſecundasq́, etiam emortuos partus: ex dulci uino nigro extrahebat. Itaq́ etiam uul/ uarum cauſa ſuffire iubet. Diocles cardiacis imponit, ex aceto & melle cum farina hordea cea. Multi contra purulentas excreationes ſiccæ drachmas duas, ſulfuris unam & dimidi/ am ſumi cenſent: & contra cruentas, ramos tres in uino decoctos. Dederunt cum bitumi/ ne infrictam potioni propter anhelitum. Sumitur & dyſentericis cum caſeo in uino trita. Pythagoras oculis noxiam putauit falsò, quod pictores & ſculptores hoc cibo utuntur oculorum cauſa, cum pane quoque propter uiſum. Ex alto delapſis tres uncias dederunt, & in olei libra, uinicq́ ſextario. Linunt cũ oleo coctis folijs partibus quas frigus aduſſerit. Pſoras, lepras cum melle & alumine illita emendat: item uitiligines, rugas, ſtrumas cum taurino ſeuo uel hircino, & adipe ſuillo, ignem ſacrum ex oleo & ceruſſa: carbunculum ex aceto. Imponunt mammis decoctam, & pituitæ eruptionibus cum cera, teſtium epi/ phoris cum ramis lauri teneris. Syluestri ruta cum axungia ueteri illitos ramices ſanari produnt, adeo peculiari in uiſceribus his effectu: fracta quoq́ membra ſemine trito & cũ cera impoſito. Radix ſanguinem oculis ſuffuſum diſcutit. In toto corpore cicatrices aut maculas emendat illita. Mirum eſt cum feruentem eius naturam eſſe conueniat, faſciculũ in roſaceo decoctum cum aloes uncia, perunctis ſudorem reprimere. Conceptionem hoc cibo impediri tradunt, ideo profluuio genituræ datur, & uenerem crebro per ſomnia ima ginantibus. Quadrupedum morbis in maximo uſu eſt, ſiue difficile ſpirantibus, ſiue con/ tra maleficorum animalium ictus, ex aceto infuſa per nares ex uino: aut ſi ſanguiſugam ex hauſerit, ex aceto. Hos effectus omnes ſatiua uel hortenſis mitius exhibet. Contra uenena quæ ſibimetipſi homines excogitant primum eſt illud Homericum moly: item contra ma gicas artes. Inter prima efficax ad uuluas aperiendas cum irino uelleribus collecta. Sylue ſtri rutæ Aetius quartam excalfacientium & reſiccantium claſſem aſſignat & ſatiuæ tertí am. Rufus ſylueſtri igneam uim tribuit, & ulceratricem, maximè ueſicæ.

Panaces, Liguſticum. Cap. XL.

PAnaces generibus continetur pluribus. Syriũ naſcitur unguẽtis, quod & in Pſophide Arcadiæ circa Erymãthi fontes gignitur. Ferula ſui generis quín/ que cubitorũ, folijs quaternis, mox ſenis, humi ſtratis, ampla magnitudine rotundis, in cacumẽ oleagineis, ſemine in muſcarijs dependente. Radix au/ tumno, caulis meſſibus incidítur. Pretium in libras bini aſſes erant candido. Laudatur in primis candor eius coacti: ſequens pallido ſtatera: niger colos & mollities im probatur, id enim argumentum eſt cera adulterati. Id quod è Macedonia defertur bucoli/ con uocant, quoniã armentarij ſuccum excipiãt erumpentem ſponte. Hoc celerrimè eua/ neſcit. Alterũ genus heracleũ uocant, & ab Hercule inuentũ tradũt, quoniã eſt origano ſi/ mile, radice inutili. Tertiũ panaces chironeũ cognominat ab inuẽtore. Foliũ eius lapatho ſimile, maius tamẽ & hirſutius, radix parua. Naſcitur pinguibus locis. Eius flos efficaciſſi/ mus, eoq́ amplius q̃ ſupradicta prodeſt. Hoc genus aliqui cũ inula cõfundunt, quia repre/ ſentetur lapathi folio, maiori tamen & hirſutiori, aureo flore, radice longa. Quartũ genus ab eodem Chirone repertum, centaurium cognominatur, & ab alijs pharnaceon, in con/ trouerſia inuentionis à Pharnace rege deductum, alijs Chironi Centauro, alijs Pharnaci regi originem aſſignãtibus. Seritur hoc lõgioribus q̃ cætera folijs & ſerratis. Radix odo/ rata. Siccatur in umbra, uinoq́ gratiam adijcit. Huius duo genera fecere, alterum lenioris folijs, alterum tenuioris. Theophraſtus primum genus heraclium uocauit, folio magno & lato undique ſeſquipedem, radice digitum craſſa, biſida triſidaq́, guſtu ſubdulci, odo/ re thuris. Dioſcoridi panaces heraclion, ex quo ſuccus opopanax dictus excipitur, plu/ rimum fert Bœotia & Pſophis Arcadiæ, induſtria maximè olitorum, qui quæſtum ex eo faciunt maximum, folijs in terram iacentibus, inſigniterq́ uirentibus, aſperis, ut ficul/ nea uideri poſſint, quinquepartito laciniatis per ambitum, caule ferulaceo & altiſſimo, lanugínem candidam oſtendente & folia circum minuſcula, umbellam anethi ſuſtinente, flore luteo, ſemine odorato feruẽtiq́ in ore, plurimis ab uno principio radicibus, multi ſal ſiq́ corticis. Gignitur Cyrenis in Aphrica, itemq́ Macedonia. Excipitur lachryma radice

incisa

incisa cum recens eruperit caulis, ea redditur candida ubi adaruerit. Croci exterius præfert colorem. Quod defluit è uulnere foliis substratis & area circumpauita & puluillis inclusa concrescere patiuntur, mox tollunt. Manat & messibus laxato plaga caule, modoq; eodem excipitur. Laudantur radices candidæ, quæ cariem asseruatæ non sentiant, gustu qui linguam accendat, odoratusq; sit. Semen optimum quod in media ferula in muscarijs eius continetur. Minus utile quod in agnascentium stolonũ cacuminibus macilentum dependet. Succus probatur amarissimus sapore, interne candidus & subrufus, extrà nocẽs, lenis, pinguis, friabilis, tener, facile tabescens, odore graui: damnatur niger, ac mollis. Adulteratur ammoniaco, aut cera. Coarguitur si digitis ex aqua teratur, nanq; syncerus diluetur ac elactescet. Inuenitur apud nos herba caule ternũm quaternũm ue cubitorum, geniculato, lanuginoso, foliis primo quaternis, mox senis, in terram iacentibus, ficulneorum similitudine, in fastigium longis, semine in umbella pendulo ut anethi, flore luteo, odorato, radice candida, longa, corticosa, quam uulgus Gallicum *panaiam* appellat. uerum nullus ea succus elicitur. Herculana princeps panacea, quæ suo nomine omnium morborum remedia promittit, dijs inuentoribus ascripta. Radice eius euulsa religio erat impleri scrobem uario frugum placentarumq; genere, in mercedem uidelicet & piamentum terræ. Tussi medetur panacis radix in uino dulci. Eadem lieni succurrit. In mulso si uesica scabiem sentiat, eius radice sanatur. Tormina discutit panaces, præterquàm à cruditate. Panos sanat cum melle: carbunculos rumpit. Phagedænarum remedio mõstratur, quod nomen esurientium est ulcerum. Ischiadici leuantur panace pota. Medẽtur radices podagræ morbis. Omnium generum radices peculiariter longinquis morbis remedio sunt. Comitiales sanantur panacis, quam heracleam diximus, radice pota cum coagulo uituli marini, ita ut sint panacis tres partes. Omnium generum radix illinitur manantibus. Siccat priuatim quam chironiam diximus. Cum melle trita tubera aperit. Vlceribus quæ serpunt, item deploratis auxilio est, cum æris flore uino temperata omnibus modis, uel flore, uel semine, uel radice. Hydropicos sanat. Iocinerum uel laterum contorsionibus medetur. Cum polenta uetustis uulneribus prodest. Semen cum absinthio menses cit & sudores: ipsumq; è uino potum uuluas purgat, appositumq; cum melle. Secundas morãtes uel partus emortuos radices appositæ extrahũt. Virtus ei, ut placet Dioscoridi, excalfacere, tenuare, mollire: ideoq; ad horrores et circuitus febrium conuenit, rupta, conuulsa, lateris dolores, tusses, tormina, strangurias. Contra uesicæ scabiem cum aqua mulsa aut uino desumitur. Menses trahit & partus extinguit. Inflationes uuluæ & duritias discutit, resolutus ex melle: inunguitur eo & coxendicum dolor. Acopis & capitis medicaminibus immiscetur. Carbunculos idem rumpit. Podagris cum uua passa linitur. Cauis dentium indítus dolore liberat. Contra canis rabiosi morsus in pice collectus singulariter proficit. Ad claritatem oculorum excitandam illinitur. Radicis ramenta uuluis admoliuntur ad extrahendos infantes. Vlceribus uetustis, & ubi carnes ab ossibus recesserũt, opponitur trita cum melle. Semen cum absinthio deuoratum purgationes menstruas reddit. Venenatorum ictibus cum malo terrę prodest. Contra uuluę strangulatus in uino bibitur. Panaces asclepion dictũ aiunt, quoniã filiam Aesculapius Panacĩã uocauerit. Huius radicẽ Theophrastus multi & falsi corticis haberi dixit, quod quidem priori generi à Dioscoride tribuitur. Nascitur caule tenui, cubitali, geniculato, circa quem folia fœniculi funduntur, sed maiora tamen hirsutioraq;, odorata in cacumine umbella, ubi flos emicat aureus, acris gustus & odorati. Radix parua est & tenuis. Huius flos atq; semẽ cũ melle ulceribus, tuberculis, phagedænisq; imponuntur. Prosunt & serpentiũ ictibus si bibantur ex uino, & illinantur ex oleo. Est & heraclion appellatum Herculi adscriptũ inuentori, quod ab alijs origanum syluestre intelligitur. Quidam heracleon accipiunt genus id quod mentione proxima descripsimus. Alij norũt folio magno & amplo, ut quoquo uersus tres palmos perficiat, radice digitali, lenta, gustu subamara, odoratu syncerum thus redolens, qua pota addito uituli marini coagulo uolunt comitiales sanari: tormina ex passo discuti, et uulneribus aridis opitulari. Panaces chironium hoc & ab inuentore nomen retinet, cui folium rumicis Theophrastus & Plinius reddunt, maius tamen, hirsutius, radice parua. Nascitur pinguibus, flore ad supradicta efficaci. Dioscorides chironio foliũ amaraci reddit, florem

aureum

aureum,radicem gracilem nec profundam,guſtantibus acrem. In Pelio monte laudatiſſimum aſſerit naſci. Valet radix contra ſerpentes potu,coma uero illitu. Liguſticum alii quí panaceam appellarunt,in Liguria copioſum. In Apennino monte Alpibus finitimo naſcitur,unde nomen indigenæ panaces uocant,non ſine ratione,quoniã radice, caulęq; præterea effectu,Heracleoticum panaces referat. Prouenit in altiſſimis et aſperrimis montium:item in opacis,præſertim ubi ſint rigua,tenui cauliculo,qualem & in anetho conſpicimus, genicula habente & folia ſertæ Campanicæ, odorata tenerioraq; , prope cacumen graciliora,& multo magis diuiſa. Muſcarium ſummitatem obſidet, in quo ſemen nigrum pendet, farctum, oblongum, figura fœniculi,ſapore acri,odoratoq;, radice Heracleotici panacis alba,beneolente,ſed id ſylueſtre eſt. Seritur etiã in Liguriæ ſuæ montibus. Vbiq; ſuauius ſatiuum ,ſed ſine uiribus. Crateuas apud Græcos eo nomine cunilam bubulã intellígit falsò,cæteri ferè cunilaginem. Galenus unius inuerſione literæ libyſticũ appellat, quod ferè nomen officinis remanſit. Nanq; folio eſt meliloti,ſed molliore,odoratoq;,caule geniculato,muſcario anethi,in quo ſemen atrum,fœniculi non diſſimile, radice cãdida, Heracleotici panacis effigie,atq; adeo natura. Hæc eadem eſſet cum ea quam officinæ *leuſticum* dicunt,ſi folium anguſtius haberet,radicem foris atram, intus candidam, cætero ſimillima eſt uel natura. Semini & radici uis ineſt calfactoria,apta cõcoctionibus. Internos dolores leuat. Inflationes quibus ſtomachus turgeat diſcutit. Contra ſerpentium ictus datur. Vrinas & menſes potu trahit. Idem præſtat radix uel appoſitu. Eadẽ cum ſemine oxyporis & ſuppurantibus miſcetur. Stomacho quidem inter præcipua utile eſt, quare abſinthiis additur ad obſonia piperis modo. Conuulſionibus & inflationibus prodeſt. Adulteratur grano perſimili,ſed quod ſapore deprehenditur,amarum enim id eſt. Alij mutare ſolent fœniculi ſemine aut ſeſeli.

Paſtinaca. Cap. XLI.

PAſtinaca cartilaginei eſt generis. Satiua in cibum utilis eſſe incipit annicula. Bima utilior, gratior autumno, patiniſq; maximè. Ex ijs unum genus agreſte, ſponte prouenit, ſtaphylinos græcè dicitur, Dioclí tantum aſtaphylinos. Alterum ſeritur radice uel ſemine,primo uere, uel autumno:ut Hygino placet,Februario,Auguſto,Septembri,Octobri, ſolo quàm altiſſimè refoſſo. Hibiſcum à paſtinaca gracilitate diſtat, damnatum cibis ſed medicinæ utile eſt. Et alterum genus in eadem ſimilitudine paſtinacæ, quam noſtri *gallicam* uocant, Græci uero daucon. Agreſtis paſtinaca & eiuſdem nominis edomita, quam Græci ſtaphylinon uocant, fauorum ceras uberant. Ea circa Calendas Septembris uel ante Martias Februario ſeritur. Conualeſcit altè paſtinato & ſtercorato ſolo:ſed quàm rariſſimè ponenda eſt, ut maiora capiat incrementa. Semine ponetur & plantis, loco pingui, ſoluto, altius paſtinato. Raram ſtatues ut robur accipiat. Paſtinaca folium habet gingidij, latius, ſubamarum. Caulis ei rectus & ſcaber,umbella anethi, in qua flores inſunt candidi. & in medio exiguum quiddam cernitur colore purpureo, ferè ad croceum accedente: Radix ei pollicem craſſa, palmum longa, iucundi odoris, eſculentaq; ſi coquatur. Duorum apud nos generum, ſatiuæ & ſuæ ſpontis. Illa uulgo nota *carotæ* nomine, prædulci radice,odorata,rufa,uel interdum purpurea,quam cum farina & oleo frigunt ad menſarum uſus: aut coctam in aceto & oleo mandunt. Spontanea quam erraticam cognominant, Galli peculiariter appellant paſtinacam, folio gingidij, latiuſculo, caule recto, ſcabro, quem anethi umbella ſummatim opacat, floribus referta candidis, aliquot in medio radiorum axe purpureis,radice digiti craſſitudine,odorata,quæ cocta manditur. Silens flos quàm tenerrimus paſtinacæ agreſtis uel ſatiuæ. Cum cauliculis cõditur ac cõmodè ſeruatur,ſi duas aceti partes & unã durę murię miſcueris:ſed radix ſale cõſperſa biduo ſub umbra dũ cõſudet,reponitur,aut ſuperfuſa dura muria lauat,et impoſito põdere exprimitur, dein fictili conditur,& ius quod eſt miſtum duabus partibus aceti, & una muriæ infunditur, ſpiſſamentumq; fœniculi, ut radices deprimat, imponitur, ita ut ius ad ſummum fidelię labrum perueniat. Radix ſatiuæ minus rapo nutrit. Agreſtem ſiue erraticam non niſi multum diuq; coctam ſumi Galenus monet. Duodecim cubitorum,ut fertur,in Mauritania proceritas caulis, craſſitudo palmorum quaternum. Paſtinacæ, ut placet Diphilo,

uis

uis ineſt acris, abundè nutrit, ſtomacho mediocri modo confert, aluum ciet, flatus creat, ægrè coquitur, pellit urinam, uenerem ſtimulat, & propterea philtron aliquibus appellatur. Paſtinacæ omni calens eſt natura. Eius ſemen potum appoſitumq; uuluis purgationes fœminis reſtituit, difficili urinæ prodeſt, hydropi pleuritidiq; bibitur, ſerpentium plagis inijcitur. Negantur lædi qui antè guſtauerint. Conceptus adiuuat. Pellit & radix urinas, uenerem ſtimulat, appoſita partus extrahit. Phagedænas ulcerum ſiſtit. Aptior cibo ſatiua ſylueſtris, efficacius omnia præſtat. Eius quàm paſtinacam uocãt erraticam, ſemen contritum & in uino potum tumentem aluum & ſuffocationes mulierum doloresq; lenit intantum ut uuluas corrigat. Illitum è paſſo uentri earum prodeſt: uiris uero cum portione panis aqua tritum ex uino potum contra uentris dolores. Ciet urinam, phagedænas ulcerum ꝓhibet cum melle impoſitum, uel aridæ radicis inſparſa farina. Aliqui contra iocineris ac lienis, ilium, lumborum, & renum uitia ex aqua mulſa dari iubent. Cleophantus dyſenterijs ueteribus dedit, Philiſtion coctæ radicis uncias quatuor ad ſtrangu-riam. ex aqua hydropicis ſimiliter & opiſthotonicis, pleuriticis & comitialibus. Habentes eam feriri à ſerpentibus negantur, aut qui antè guſtauerint non lædi. Percuſſis impo-nitur cum axungia. Orpheus amatorium ineſſe ſtaphylino dixit, fortaſſis quoniam uenerem ſtimulari hoc cibo certum eſt, ideoq; conceptus adiuuare aliqui prodiderunt. Semen ſatiuæ contra ſcorpionum ictus ex uino uel poſca ſalutare. Radice eius circumſcalpti dentes dolore liberantur. Efficacior ſylueſtris, magisq; in petroſis nata.

Seſeli Maſſilienſe, Aethiopicum, Creticum. Cap. XLII.

SEſeli Maſſilienſe folium gerit fœniculi, craſſius duntaxat. Semen quoq; calloſius obtinet et habitius, caput anethi, et in eo granũ oblongũ anguloſumq;, & cum eſtur acre. Radix longa, grati odoris. id apud nos frequens inuenitur, multo diſſidente nomenclatura, quam ei & noſtrates officinæ, & herbarij, ne eis ignotũ crederet, *maioris ſaxifragiæ* uocabulo donarũt. Nanq; folia fœniculi habet, craſſiora tantũ, caulem uegetiorẽ, umbellam anethi, in qua ſemen oblongũ, angulo ſum, deguſtanti acre. radix longa eſt, iucũdi odoris. Huic tota Dioſcoridis deliniatio, nulla prorſus reclamãte nota, ſuffragat. ideo ſaxifragiã maiorẽ quã oſtendunt, eſſe Maſſilienſe ſeſeli non ibit inficias, qui picturas earũ inter ſe cõtulerit. Seſeli Maſſilienſe optimum lato grano & fuluo, quo uultures ueſcãtur. Parturæ ceruæ ſeſeli monſtrauere, nã ante partum purgantur herba quadã quæ ſeſelis dicitur, faciliore ita utẽtes utero. A partu etiã duas habent herbas, quæ aros & ſeſelis appellãtur. Seſeli & ſili dicitur, & ſeli apud Hippocratem, unde orta cõfuſio ſiler pro ſeſeli uocãtium. Arboreſcit porrò ſiler ut baculos ex eo ruſtici quoq; faciãt, in aquaticis naſcẽs, molle ſiler à Poeta dictũ. Refugiunt hoc ſerpentes. Seſeli frutex aquaticus nõ eſt. quod quidã diſtinguere putantes, non ſiler, ſed montanũ ſiler appellauerunt, id quod Maſſilienſe eſt ſeſeli. Noſtri ut arbitror herbarij, quòd plerunq; medijs è ſaxis in montibus erumpit ſatis procero caule, *ſaxifragam* ideo *maiorem* nominauere: quãuis ſæpius apud nos inueniatur in pratis, ut quod deturbet à renibus uel frangat calculos, ita ut à natalibus potius quàm ab effectu nomen deflexiſſe uideatur, quanuis etiã confringendis cõminuendisq; lapillis utantur. Radix & ſemẽ excalfaciũt. Stranguriæ, orthopnœæ, ſuffocationibus mulierum, comitialibus medentur. menſes partusq; trahunt. Interaneis omnibus proſunt, & contra ueterem tuſſim. Ipſum ſemen in uino hauſtũ concoctionibus confert, diſcutit tormina, horrores febrium, quas uocant epialas, coercet. Perniuem ituris bibere contra perfrictiones id cum pipere præcipiunt. Datur ad iuuandos caprarum & cæterarum quadrupedum partus. Seſeli Aethiopicum folio eſt hederaceo ſed minore, in longitudinem porrecto periclymeni modo, frutex alioqui magnus, ſarmentis bicubitalibus, in eoq; dodrantales rami, capitula ut anethum, ſemen tritici modo denſum, nigrum, amarum, acrius & odoratius quàm Maſſilienſe, perquam ſuaue eſt. Seſeli Aethiopico ſecunda dignitas. Hoc nigrius eſt. In noſtro orbe naſci tradunt, ſed fruſtra, officinis ac medicis incognitum. Ad eadem ad quæ Maſſilienſe pollet. Peloponneſiacum ſeſeli in Peloponneſo gignitur, folijs cicutæ, ſed latioribus & craſſioribus, Maſſilienſe excedens amplitudine caulis, quẽ ferulaceũ cõtinet. Summum eius lata umbella occupat, ſemen cõplexa odoratũ, latius, carnoſius. Prouenit in locis aſperis, riguis

collibus

collibus,insulis. Valet ad eadem quæ supradicta genera tordilion, quod & Creticum sese li cognominant. Nascitur in Cilicia monte Amano,herbula fruticosa,seminis rotundi,geminatiq;, forma clypeolari, gustu subaspero,bene olentis. Elicit potu menses urinamq;. Succo caulículi seminisq; uirentis hausto ternis obolis,diebus decem in passo renes sanantur. Efficacior uis etiamnum radici. Hæc cum melle lincta excreationes pectoris cit. Torti len aliqui semen seselis esse dixerunt,alij herbam per se,quam & syreon uocauerũt,de qua nihil aliud proditum inuenisse fatetur Plinius,quàm quòd in montibus nascitur: combũstam ciere menses, excreationesq; pectoris efficaciore etiam radice: succo ternis obolis hausto,renes sanari: addi radicem eius in malagmata. Paulus nõ tordylion sed gordylion appellauit. Sison,Anisum,Caros,Anethum. Cap. XLIII.

Ison semen exiguum in Syria nascitur apio simile,obnigrum & molliter longum,feruentis naturæ. Bibitur ad lienem & urinæ difficultates & mensium continentiam. Vtuntur eo indigenæ condimentis addentes in cucurbitulas coctas,ex acetoq; deuorantes. Granula cacuminibus assident frequentia. Sison siue sinon & senon Hippocrati quaternis cõstare ramulis inuenio. Anisum Latinis,Græcis,& Gallis hoc nomine cognitum,caule,folio,flore,muscario fœniculo par,nisi quòd multo minus est, unde medicorum uulgus *Romanum fœniculum* appellat. Anisum culinis gignitur crudum,decoctum,uirens,aridum,panis etiam crustis inferioribus subditum. Saccis quoq; laudatur additum cum amaris nucibus, ut uina commendet. Anicetum & hoc uocatur,anethi modo quoniam appetentiam præstet ciborum. Aegyptium ligustici uicem præbet in condimentis. Efficacius semper recens & nigerrimũ, sto macho tamen inutile præterquã inflato. Omnibus tamẽ quæ cõdiuntur quæq; intingun tur desideratum,inter pauca probatur. Semen odoratum friabile,subamarum,acre. Calfacit & siccat absceſſu ut uolunt tertio. Ipsum oris halitum iucũdiorem facit. Fœtorem tollit manducatum matutinis cum smyrneo & melle exiguo, mox uino collutum. Vultum iuniorem præstat. Insomnia leuat suspensum in puluino ut dormientes olfaciant. Dolores capitis leuat suffitum naribus. Hydropicis & cœliacis semen dant tritum cum mentha. Bibendum quoq; parturientibus cum anetho. Phreneticis illinunt recens cum polenta,sic et infantibus comitiale uitium aut contractiones sentientibus. Pythagoras corripi comitiali morbo negat in manu tenentes,ideo quàm plurimum domi serendum. Addit parere facilius olfactantes,& statim à partu dandum potui cum polenta aspersa. Semine eius poto lassitudinis auxilium uiatoribus spoponderunt, eamq; reficere decoctum in oleo addito nitro. Ad inflationes stomachi semen tribus digitis cum castorei obolis duobus ex muſo dederunt: similiter ad uentris aut intestinorum distentiones. Lenit articulares morbos cum amaris nucibus illitum. Vrinam ciet, uenerem stimulat, sitim cohibet, cum uino sudorem leniter præstat,uestes quoque à tineis defendit. Orthopnoicis quod seminis ternis digitis quis prehenderit,tantundem hyoscyami datur cum asinino lacte. Strangulationes uuluæ si manducetur uel bibatur cum aceto & melle sedat. Vertigines à partu cum semine cucumeris & lini pari mẽsura triũ digitorũ,uini albi tribus cyathis discutit. Auribus infunditur cũ rosaceo,Narium carnes cõsumit illitũ ex aqua. Magnas fluxiones sistit per se tritũ cum polenta. Valet ad detrahẽda siqua oculis inciderũt. Thoracis pituitas purgat tostũ,& cum melle sumptũ melius,Præcipuũ est ad ructus, ideo inflationibus stomachi,intestinorum torminibus,& cœliacis medetur. Singultus olfactu, decoctũ & potum inhibet. Foliis decoctis digerit cruditates. Cũ apio succus decocto olfactus sternutamenta cohibet. Potũ somnũ cõcitat,calculos pellit, uomitiones sedat, precordiorũ tumores discutit,pectorũ uitijs,et neruis,quibus succinctũ est corpus utilissimũ. Prodest capitis doloribus instillari succum cum oleo. Nõ aliud utilius uentri, & intestinis putant: ideo dysentericis & tenesmis datur tostum. Sũt qui aspidũ uenenis aduersari naturã eius existimẽt. Epiphoris oculorum tusam radicẽ imposuere. Dioscorides probat recens adultum, non furfurosum,odore præstans. Præfert Creticum,proximè Aegyptiũ. Condire cucurbitas coctas ex aceto tradit ijs auxiliari quibus ægre lotium it: præcipuas eius uires in calfacien do sitas esse: oris halitum commẽdare & gratiorẽ efficere: dolores finire. sitim hydropicis extingue-

extinguere: discutiendi naturam possidere: contra aculeatos ictus animalium bibi: inflatio nibus resistere: uentrem albaq; fœminarum profluuia compescere: abundantiã lactis præ stare: uenerem irritare: capitis dolores mulcere suffitu naribus rapto: auribus fractis infun di cum rosaceo. Caros, arbitror hoc esse quod Plinius carium siue careũ gentis suæ co/ gnomento dixit appellatũ, ab aliquibus careosemen & caroum, omnibus officinis & her/ barijs tantum paterno casu cognitum, carui enim omnes ore uno uocitant. Culinis præci/ puum. In quacunq; terra serendum ratione qua olus atrum. Laudatissimum in Caria, pro ximum Phrygia. Innocentiorem cari radicem quàm pastinacæ Galenus adfirmat. Caron Athenæus pastinacam maiorem esse putat, & multo præstantiorem sapore quàm uulga/
10 rem pastinacam. Magna inquit caron (quamuis in eo mendose carton legatur) & procc/ rior est pastinaca, succosior communi staphylino, &, ut Diphilus narratum reliquit, ci na/ tura calentior. Stomachum roborat, uehementius urinas pellit, facile digeritur in corpus. Vis ei urinas mouendi calfaciendiq;, stomacho facile, gustu iucundo, concoctionibus uti/ le. Antidotis et oxyporis inseritur, effectu anisi. Radix eius cocta quẽadmodũ pastinacæ in cibos admittit. Est & radix cara de qua in rebus à Cęsare gestis mentionẽ facit Hirtius. Hac lacti admista multũ leuasse dicitur inopiã, similitudine repræsentata panis. Anethũ
20 sesquicubitali proceritate consurgit, multicaule, ramosum, exilitate folij in staminis pene modum extenuata, luteolo flosculo, semine lato & quasi foliato, radice lignosa, neq; adeo prolixa, neq; multis subnixa fibris, umbella fœniculi, cui cognatum genus uideri potest. Nomen in officinis retinet. Interdum & sponte, fœniculi modo, prouenit. In hortis quoq; seritur, in condimentorum usu magnopere quæsitum. Coronabantur hoc recenti in con/ uiuio atque roscido ad conciliandum, ut Galeno uidetur, somnum. Anethum ructus mo/ uet, tormina sedat, aluum sistit. Epiphoris radices illinũtur ex aqua uel uino. Singultus co/ hibet. Semen feruens olfactum, sumptum ex aqua mitigat cruditates. Cinis eius uuam in
30 faucibus leuat, oculos & genituram hebetat. Sapore est grato, excalfacit. Vrinam euo/ cat, stomachum concoctionesq; adiuuat. Additur in antidota & oxypora, simili aniso na/ tura. Cocta pastinacæ modo radix in cibos recipitur. Arefacti aut seminis decoctum si bi/ batur lac extrahit, tormina, inflationesq; discutit, aluum uomitionesque coercet, ructus ciet, singultus cohibet. Cibo frequenti oculos hebetat, genituram extinguit. Succus deco
40 cti locosis mulieribus ad insidendum perquàm utilis. Crematum semen illinentibus con/ dylomata tollit.

Cuminum. Cuminum syluestrẽ. Cap. XLIIII

CVminũ Latini iuxta & Galli, rura nostra *comin* appellant, unicaule, frequen tibus ramulis brachiatum, folio penè fœniculi, semine copioso & canalicula to, radice subrotũda quasi bulbosa. Cumino, ut Theophrastus est author, se/ men nudum, angustum, canaliculatum, facile frumenti modo inarescẽs. ubi planè accreuit, defluum atque lubricum procidit. Nascitur in summa tellure uix hærens, & in sublime tendens, in putribus & calidis maximè locis. Medio serendum uere. Inter olera maxime fruticat, omnium fœcundissimum. Cum maledictis et probris se
50 rendum præcipiunt, quo lætius ac copiosius proueniat. Satum pascitur terra adacta, & qui serunt precantur ne exeat. Imber succedens eius statim sationi plurimum officit. In Carpetania maxime laudatur, alioquin Aethiopico Africoq; palma. Quidam huic Ae/ gyptium prętulere. Hippocrates in segetibus, inquit, triticeis, pręsertim in Aegypto, nasci tur semen Aethiopico simile cumino, uehementis acrimoniæ. Ad cõceptus fœminarum utile, si uuluis imponatur. Ego cuminum Aegyptium arbitror esse Basilicum, & Aethio/ picum apud Hippocratem plerique interpretantur ammi. Cumino morbi scabies & salsila/ go, quibus affectum perit. Enecatur ab imo dorso nisi repurgetur. Est autem unicaule radi cẽ bulbo simili, non nisi solo gracili nascens. Subnascitur eidem quod Theophrastus hæ/ modoron uocat, singulari caule, nec longè dissimili, multo tame breuiore, & capitis instar
60 quidpiam in summo gerente, radice subrotunda. Condimentorũ omnium fastidijs cumi/ num amicissimum. In satiuo magnus usus, stomachi præcipuè remedijs. Pituitas & infla/ tiones digerit, tritumq; cum pane sumptum uel potum ex aqua uinoq; tormina & dolo/ res intestinorum discutit: ueruntamen omne pallorem bibentibus gignit. Narium sangui

nem paſtillis inditũ,uel ex aceto recens,ſiſtit.Oculorum epiphoris per ſe impoſitũ, tumentibus cum melle prodeſt. Infantibus imponi in uentre ſatis eſt. Morbo regio in uino albo à balneis datur.Ad iocineris uitia toſtũ in aceto tritum datur: item ad uertigines.Iis quos acriore ui urina mordeat, in dulci uino tritum: ad uuluarũ uitia impoſitis in uellere folijs. Teſtium tumoribus toſtum,tritumq; cum melle roſaceo et cera imponitur.Aethiopicum arquatis maxime in poſca illinunt. Africano priuatim incontinentiam urinæ cohiberi putant. Satiuum ſapore cibos cõmendat, præcipuè Aethiopicũ, quod Hippocrates regium appellauit: ſequens locus Aegyptio datur,tertius uulgari. Naſcitur in Galatia & Aſia & Cilicia & Terentia, pluribusq; alijs regionibus. Vſus excalfacere,aſtringere,ſiccare. Decoctum ſubter inditũ ex oleo inflationes & tormina diſcutit.Item cũ farina hordeacea illitum orthopnoicis datur in poſca.Serpentiũ ictibus reſiſtit in uino. Teſtiũ epiphoris cum uua paſſa & farina lolij aut cera impoſitũ medetur.Profluuia fœminarũ ſiſtit.Ruẽtem naribus ſanguinem paſtillis collectum & inditũ cohibet.Colorem bibentiũ & illinentiũ mutat in pallorem. Naſcitur & cuminum ſponte quod Romanis modo agreſte,modo ſyluaticum dicitur,frutice modico,caule palmũ alto,prætenui,quaternis quinis ue folijs,ueluti ſerratis,gingidij diuiſura.Capitula in cacuminib.quina ſenáue ſuſtinet,rotunda,mollia,paleaceũ ſemen complexa,quod guſtanti acrius ſatiuo eſt.Gigni ſolet in collibus.Efficacius prouenit in Galatia & Lycia & Hiſpania uerſus Carthaginẽ. Hoc ruſticũ,alij Thebaicum dicunt.nanq; caule adoleſcit in aruis ſemipedẽ alto, prętenui,atro flore,quaternis ac quinis folijs ueluti crenatis,paulo pluribus,capitellis rotũdis,in quibus ſemẽ flori color,mordacius ſatiuo,& ad omnia efficacius.Prodeſt torminibus ſemẽ & inflationibus potum ex aqua,ſingultibus cum aceto. Conſtat & naturã eius uenenis animaliũ aduerſari. Valet ad humores qui in ſtomacho coierunt cõmanducatũ.Illinitur ſugillatis cũ melle, & uua paſſa: eodemq; modo & teſtibus inflammatis opponitur. Si tritum ex aqua poteтur in dolore ſtomachi prodeſt. Ad ſcorpiones & ſcolopendras,ad ſerpentes ex oleo perquàm efficax. Siſtit uomitiones nauſeasq; cum uino quãtum apprehenderint tres digiti. Propter colum quoq; bibitur. Strangulationes uuluæ in uino potum aperit tribus drachmis in tribus cyathis uini. Auribus inſtillatur ad ſonitũ & tinnitus cum ſeuo uitulino uel melle.Sugillatis illinitur cum melle,uua paſſa & aceto: lentigini nigræ ex aceto.Eſt & genus alterum cumini ſylueſtris proximum ſatiuo,ex cuius ſingulis floribus cornicula emittuntur in ſublime exerta,quibus ſemen figura gith includitur.Ad eam ſatis accedere uidetur quã rura *cornuetam* appellãt,ideo q; è ſingulis floribus exeant cornicula ſurſum ſpectantia. Herba in ſegetibus inuenit, caule ſingulari,ramoſo, folio propè fœniculi, ſemine gith in corniculata ſiliquula concluſo. Præſtantiſſimo remedio in ſerpentium morſu datur bibendũ,aut ijs quos excruciant calculi,aut urina acriore ui uellicet:item ijs qui ſanguinem concretum per urinam reddunt, ita ut apij ſemen feruefactum continuo poſt bibatur.

Ammi.Coriãdrum.Hieracia maior & minor. Cap.XLV

AMmi,quod Romanis cuminum Alexandrinum dicitur.Quidam Aethiopicum cuminum id eſſe putãt,alij regium cuminum appellant, plericq; alterius naturæ in totum exiſtimant Aethiopicũ cuminum ab eo quod uocatur ammi. Notum officinis omnibus ſemen, *ameos* nomine,exilius multo quàm cuminum,guſtuſq; origani.Hippocrates regium appellauit,uidelicet quia efficacius in Aegypto iudicat, uulgari in totum ſimile, niſi quòd ſemine exiliore eſt & candidiore,guſtu ſubamaro acerboq;.Optimum quod puriſſimum,et ſine furfuribus.Huic calfaciendi & ſiccandi uis data.Similis quoq; huic uſus, nam & panibus Alexandrinis ſubigitur,& cum alimẽtis interponitur.Inflationes & tormina diſcutit,urinã & menſtrua ciet, ſugillata & oculorum epiphoras mitigat. Colorem quoq; bibentiũ ſimiliter mutat in pallorem.Suffitum cum uua paſſa,aut reſina,uuluas purgat.Tradunt facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum. Scorpionum ictus in uino potum drachmis duabus leuat, priuatim ceraſtarum,cum pari portione myrrhæ. Vrinæ difficultates lenit. Cruciatum emendat, qui ueſicam lotiumq; ſtringit. Sugillata reddit colori cum melle, ſed pallorem eo utentibus gignit.Serpentiũ uenenis reſiſtit in uino potum. Corianon ſeu corion uulgo *coriandrum* appellatur, caule exili, ſeſquicubitali,ramoſo,folio adianti,rotundo capite,cicutæ odore

tæ odore graui, semine rotundo, nudoq́, radice lignosa, breui, neque adeo fibrosa. Seritur Maio, rursus alio comitatu æquinoctio autumni. Prouentu contumax scribitur à Theophrasto, quippe si nouum sit nasci recuset, nisi cõuoluatur. Ex ueteri semine celerius exit. Inter sylvestria coriandrum non inuenitur, radice breuiuscula nec admodum fibrata, caulibus ramisq́ multis, nudo semine ac firmo & diutino. Sub Canis ortum pallescit. Xenocrates tradit menstrua contineri uno die si unum granum biberint fœminæ, biduo si duo, & totidem diebus quot grana sumpserint. Marcus Varro coriandro subtrito cum aceto carnem incorruptam æstate seruari putat. Vis magna ad refrigerandos ardores uiridi. Seminis tria grana in tertianis deuorari iubent, aliqui ante accessionem, uel plura illini fronti. Sunt qui ante solis ortum cerui calibus subiici efficaciter existimant. Vlcera quæ serpũt sanat cum melle, uel uua passa: item testes, ambusta, carbũculos, aures cum lacte mulieris, epiphoras oculorũ, uentris & intestinorum fluxiones semen cum aqua. Bibitur & in choleris. Pellit animalia interaneorum, cum mali punici succo & oleo potum. Omnes tumores, collectiones, cum melle & uua passa discutit, panos uero ex aceto tritum. Vulneribus medetur. Valet contra serpentium genus unum quod amphisbænam uocant potum impositumq́. Præcipuum esse constat Aegyptium. Ei refrigeratoriam uim assignauit Dioscorides, quare illitum cum pane & polenta ignibus sacris & quę serpunt ulceribus medetur. Cum melle uero & uua passa epinyctidas, epiphoras testium, & carbunculos sanat. Cum lomento seu faba fracta discutit strumas et panos. Semen in passo potum animalia uentris abigit: genituram auget, sed largius mentem cõmouet magno discrimine, quapropter custodiri modum oportet, & frequẽtem caueri usum eius. Succo uis magna cum cerussa uel argenti spuma, & aceto ac rosaceo illinẽtibus ad refrigerandas ardentes in cute collectiones. Hieracia maior caulem habet modice rubẽtem, scabrum, inanem, folia ex interuallis scissa per ambitum more sonchi, flores in capitulis longiusculis luteos. Hæc nusquam nõ in pratis emicat, rura nostra *luteam* appellant *cichoream* aut *croceam*, quòd facie tota, præterquàm flore, qui luteus conspicitur, eam æmulatur. nanq́ caulem emittit asperum, subrubrum, spinulis horrentem, intus cauum, folia ex interuallis rariuscule laciniata per ambitum, flores in oblongis capitulis luteos. Hieraciam Græci uocant, quoniam accipitres scalpendo eam, succoq́ oculos tingendo obscuritatem cum sensere discutiant. Succus ei candidus. Carpitur per messes inciso caule. Conditur fictili nouo ad multa præclarus. Sanat omnia oculorum uitia cum lacte mulierum. Arcet nubeculas, cicatrices, adustionesq́ omnes, præcipuè caligines. Imponitur etiam oculis cum lana contra epiphoras. Item succus aluum purgat in posca potus ad duos obolos. Serpentium ictibus medetur in uino sumptus, & folia tosta thyrsi'que triti ex aceto bibuntur. Vulneri illinuntur maxime contra scorpionum ictus: uerum contra phalangia commisto uino ex aceto. Alijs quoque uenenis resistunt exceptis quæ strãgulando necant, aut ijs quæ uesicæ nocent. Imponuntur & uẽtri ex melle & aceto ad detrahẽda alui uitia. Vrinæ difficultates succus emẽdat. Crateias enim & hydropicis obolis duobus in aceto & cyatho uini dari iubet. Dioscorides ei uim refrigerantem modiceq́ substringentẽ assignat. Ardoribus stomachi & inflationibus illita prodest. Rosiones etiam in eodem uiscere mitigat sorbitione succi. Herba ipsa cum radice ictibus scorpionum imponitur. Hieraciæ minori folia insunt eodem modo per oram fimbriata, ex interuallis prodeuntia, cauliculi teneri, & coloris herbacei, flores lutei, circũscribentes orbem. Hanc *intubum sylvestre* appellant rustici. nam folia ex interuallis habet diuisa, cauliculos teneros, uirentes, in quibus flores lutei circinantes orbẽ emicant, cui uires eædem omnino quæ alteri tribuuntur. Horus succo palpebras reglutinabat. Aetius incommodantes genarum pilos correxit.

Apium. Cap. XLVI

APium Græcis selinum, uulgo *persilum* dicitur, hortẽsis herba sæpe cubitalem æquat altitudinem, caule concauo, tenuiter striato, rotundo, multisq́ ramulis brachiato, foliis tripartito dissectis & leniter crispis, oras leniusculè laciniatis, flosculo candidulo, et quo minutiorem haud temere reperias, nudo semine, radice singulari, suauiter olente. Durat biennio, perpetuaq́ uiret fronde. A bimatu fructificat, germinat è latere. Octobri mense defigitur Theophrasto, uerum

ex ueteri ſemine celerius exit. Quinquageſimo à ſatu die, quadrageſimo cum ocyſſime emergit, omniumq; difficillimè naſcitur. quippe celerrimũ eius prouentum quadrageſimo tradiderunt die. Apium ſeri præcipiunt in lacunis colligatũ, ut amplius adoleſcat, paxillo quoq; cauerna facta, ac ſimo ingeſto. & cum transfertur palum tantę craſſitudinis adigi iubent, quãtæ ipſum fieri uoluerint. Sæpius parit apium, ſemelq; ſatum pluribus annis reſtibili fertilitate prouenit. Ab æquinoctio uerno ſeritur, ſemine paulũ in pila pulſato: criſpius ſic putant fieri, aut ſi ſatum calcetur cylindro pedibus ue. Proprium ei q̃ colorem mutat. Honos ipſi in Achaia coronare uictores ſacri certaminis Nemeæ. Nihil ingruente æſtate debet obrui, niſi ſemen apij, ſi tamen rigaturus es, ſic enim optimè per æſtatem prouenit. Plantis nec minus ſemine ſeri poteſt. Aqua præcipue lætatur, & ideo ſecundum fontem commodiſſimè ponitur. Quod ſi quis id uelit lati folij facere, quantũ ſeminis poſſint tres digiti comprehẽdere, raro linteo illiget, et ita in areolas diſpoſitũ releget. Si criſpæ frondis id fieri maluerit, ſemen eius inditũ pilæ & ſaligneo palo pinſitũ, expoliatumq; ſimiliter linteolis ligatum obruet. Poteſt citra hanc operam criſpum fieri, qualitercunq; ſatum, ſi cum eſt natũ, incremẽtum eius ſuperuoluto cylindro coerceat. Satio eius eſt optima poſt Idus Maias uſq; in ſolſtitium, nam teporem deſiderat. Tam locis calidis quàm frigidis ſeri poteſt, dummodo iugis adſit humor, cuius rigatu facilius animetur. quamuis etiam in ſiccita te naſci nõ deneget. Longè maius apium fieri tradunt Græci, ſi quantũ tribus digitis comprehendi poteſt, linteolo clauſeris rariore, oblitumq; ſimo breui foſſa obrueris. ſic germen capitis unius ſolidítate nectetur. Lõge maximũ naſcetur, ſi ablaqueata radice ſcrobiculum paleis impletum rigaueris. Si in fabis caprini fimi ſingulis apij ſemina incluſa ſerantur, mirè prouenient. Criſpum fieri ijdem tradunt, ſi ſemina ante tundantur, uel ſupra naſcentes areas aliqua pondera uolutentur, aut pedibus proculcentur enata. Apij ſemina uetuſtiora citius naſcuntur, quæ nouella ſunt ſerius. Apud eruditos non aliud erutum terra in maiore ſententiarum authoritate eſt. Diſtinguitur ſexu, fœmina ut ſit criſpioribus folijs atque duris, craſſo caule, ſapore acri et feruido: mas folijs nigrioribus, breuioris radicis, uermiculos gignens. Neutrum ad cibos admittebant, nephaſtum exiſtimãtes, quoniam defunctorum epulis feralibus dicatum, & ut Plutarchus eſt author, coronentur apio ſepulchra. Vnde uetus illud, Indigere apio, de ijs qui profligata ualetudine utuntur. Vermiculos fœminæ caulibus innaſci, propterea eos ſterileſcere, qui ederint in utroq; ſexu. In puerperis ab eo cibo comitiales fieri qui ubera infantes hauſerint: innocentiorẽ tamen eſſe marem, eaq; cauſa eſt, ne inter nephaſtos frutices damnetur. Rami tamen eius uulgo per iura innatãt, & in condimentis peculiarem præbent uoluptatem. Coliculos eius ad uſum ſeruauit antiquitas, condituraq; aceti partes duas & tertiam duræ muriæ recíperet. Piſces quoque ſi ægrotant in piſcinis apio uiridi recreãtur. Apium aliud folio ſpiſſo, hirſuto, criſpo: aliud raro, expãſo, caule item maiore, item aliud caule albo, aliud purpureo, aliud uerſicolore, ſed ſylueſtriore. Hæc Theophraſtus putat. Hoc cibo Græci infantium nutricibus interdixerunt, ſimul quòd ueſcentes pronius in libidinem ruant: ſimul quòd in mãmis prouentum lactis extinguat. Cæterum nihil æque ſuauitatem oris commendare prodiderunt. Si ab ijs eſtur quibus anima fœtet, grauis alitus tædium emendare. Addiderunt meritorias mulieres apium comeſſe, ut graue uirus odoris abigant, oraq; ſua iucũdiorem expirent auram. Cum pane litum ſacris mederi ignibus: decoctum inſidentibus fotu calculos exturbare: dyſenteriam & renes ſanare. Epiphoris per ſe tritum, & cum pane uel polenta impoſitum mire auxiliatur. Mammarum duritiam impoſitis folijs emollit. Suauiores aquas potui incoctum præſtat. Succus maximè radicis cum uino lumborum dolores mitigat. Eodem iure inſtillato grauitatem aurium diſcutit. Semen urinas ciet, menſtrua & ſecundos partus. Si foueantur ſemine decocto ſugillata reddit colori. Cum ouí albo illítum, aut ex aqua coctum potumq; renibus medetur. in frigida tritum, oris ulceribus. Semen uel radix cum uino ueſicæ calculos frangit. Idem datur tribus cyathis ex uino albo. Oculis illitũ cum melle, ita ut ſubinde foueantur, repente ſucco, alijſq; membrorum auxilio eſt, quamuis ipſius quoque uiſus claritati inimicum eſſe nonnulli tradiderunt. Feruores ſtomachi refrigerat, mammarum duritiam mollit, urinam mouet & crudo & cocto ueſcentibus. Bibitur ſucco decoctum cum radicibus ad reſiſtendum uenenis, & quæ reddi uomitionibus libeat. Ventrem aſtrin-

trem astringit. Semine urinas efficacius pellit. Bestiarum quoque ictibus et contra potum spumę argenti opitulat, flatus discutit, miscetur allicientibus somnū medicamētis propter dolores. Vtiliter in theriacas addit facultates, itēq; eas quæ aduersus tussim conficiuntur.

Eleoselinum. Oreoselinum. Petroselinon. Hipposelinum, olus atrum. Smyrnion. Cap. XLVII

ELeoselinum Dioscoridi nascitur in humidis locis, apio satiuo maius, utilitates habēs easdem. Plinio id quod sponte nascitur in humidis, helioselinū uocatur, uno folio, nec hirsutum: id quod in paludibus prouenit secundumq; aquæ ductus, folio raro nec hirsuto, simile apio sapore, figura, odore, nominatur græcis eleoselinon. Homerus eleothrepton uocauit, quasi palustre & humentium alumnum. Franci quantum suspicor *esgrun perselinum* nominant, Italia *macerone* aut *canneam*: nam palustribus gaudet, folio rariore, cætera prorsus apio cōsimile, odore, sapore, figura, uiribus. Eleoselinon est molli folio & caule tenero quod nascitur in lacunis. Vis ei priuata contra araneas. Oreoselinon caule uno prouenit palmum alto, radice prætenui. per ambitum ramulos spargit capitulis cicutæ, tametsi multo tenuioribus. in ijs semen longum, & acrimoniā gustu præferens, odoratum, tenue, cumino proximum. nasci in petrosis mōtanis amat. Oreoselinon Plinio cicutæ est foliis, radice tenui, semine anethi, minutiore tamen. in asperis nascitur. hæc genera possunt habere diligētes. Oreoselino fœminæ purgantur è uino. Sumptum in uino semen & radix urinis & menstruis ciendis efficax. proinde in medicinas quæ lotiū exigunt, & calfaciendo sunt, miscetur. Explodendus eorum error, qui oreoselinon, apium in montibus genitū esse contendant: aliud enim genus est, & petroselinon uocatur. Quod petroselinum dicitur exit in Macedonia crepidinibus præruptis, semine ameos, sed olēte magis, gustu acri odoratoq;. Id, ut mea fert opinio, Macedonicū cognominant, quoniam in Macedonia frequens optimūq; nascitur, hortensi longe maius, semine nigro, non longe dissimili, odorato gustu cum quodā amarore. Vrinas mensesq; cit, inflationes stomachi atq; coli discutit. Torminibus, laterū, renum, uesicę doloribus potum auxiliatur. Adijcitur antidotis quæ lotio mouendo sunt. Præcipuum ad uomicas cochlearibus binis succi additis in cyathū marrubij succi, atq; ita aquæ calidæ tribus cyathis. Petroselinū appellant in saxis natum, laudatissimum è Macedonia. Addidere quidam buselinū, differens breuitate caulis à satiuo, & radicis colore rufo, peculiare cōtra serpentes potum et litum. Hipposelinon, Romani olus atrū appellant, multo maius est hortensi apio, caule alto, tenero, & quasi depicto lineamētis, foliis longe latioribus, suppuniceis, coma in summo floris per corymbos congesti plena, quæ anteq; defloreſcat densatur, semine oblongo, farcto, pullo, acuti saporis, odorato, radice & ipsa iucundi odoris & candida, gustu grato, nec crassa. Ea est ni fallor quā uulgus *ache* nominat, cum cubitalem æquet altitudinē, caule concauo, rotūdo, striato, multisq; ramulis brachiato, foliis hortensis apij, crassioribus, atris, crispulis, amaris, flosculo candidulo quo uix minutior inueniat, coma in corymbos anteq; defloreat cōgesta, radice pro caulis magnitudine parua, alioqui mensis non iniucunda. Nascitur in opacis & iuxta paludes. Radix cruda et cocta uescendo est. Estur more apij conditū pro olere. Aliud esse genus & quod propriè smyrnion uocetur, constanter Dioscorides defendit, ut paulo post monstrabitur. Theophrastus hipposelino naturā myrrhæ similem reddidit. Nasci ubiq;, è lachryma sua, quam nihil differre à myrrha dicunt. Item myrrha sata natū, idem author est Theophrastus. Seritur & radice. Viret ei folium cacumine perpetuum, palustri simile, caule grandi, radice crassa modo raphani, sed nigra, fructu erui maiore, atro. Videt Theophrastus hipposelini nomine smyrneon intellexisse. Olus atrum, tradit Plinius, hipposelinon Græci uocāt, alij smyrnion. Succum eius qui colligunt myrrhæ saporem habere dicunt. Id myrrha sata nasci tradit Theophrastus. Hipposelinon ueteres præceperāt in locis incultis, lapidosis, iuxta macerias seri: nunc & repastinato seritur, & à Fauonio post æquinoctiū autumni atrū olus, ut Columella scripsit reliquit. Græcorū aliqui uocant hipposelinon, nonnulli smyrnion. Pastinato loco semine debet conseri, maxime iuxta maceriā, quoniam & umbra gaudet, & qualicunq; conualescit loco. idq; cum semel seueris, si non totum radicitus tollas, sed alternos frutices in semen summittas, æuo manet, paruāq; sarritionis exigit culturā. Seritur à Vulcanalibus

uſque in Calendas Septembris. Galenus teſtatur, quod Græci ſmyrnion uocant, Romæ paſſim ab omnibus olus atrum appellari: ſic Galenus oluſatrum & ſmyrnion idem eſſe olus prodidit, uulgarem Romanorum ſecutus nomẽclaturam. Plinius & Dioſcorides de iis priuatim ut genere diuerſis egerũt. Et profecto longo inter ſe diſſident interuallo. radix hippoſelino candida tribuitur, & parua: ſmyrnio foris nigra, intus uirens, craſſa. Hæc myrrham reſipit, acris & linguam uellicans, ac mordens in tranſitu cum manditur: illa iucundo odore placet, guſtu grato. Diſtant plurimum colore. nam ſmyrnij oleris folia in luteum elangueſcũt, hippoſelini atro colore nitent, inde putauerim ſibi oleris atri uel pulli nomen arrogaſſe. Huic item braſſicæ ſemen rotundum, obnigrum, myrrham æmulans, aſpero guſtu: illi oblõgum, acuti ſaporis, odoratum, pullum. Dependet huic in orbiculatis caulium capitibus: illi in coma cumulatim congeſtum. Differunt etiam natalibus. ſmyrnion in ſaxoſis collibus & angulis terrenis emicat: hippoſelinon in opacis & iuxta paludes exilit. Folia & caules hippoſelini duntaxat cocti mãduntur, idq; modo per ſe, modo cum piſcibus. Crudi quoque ſeruantur in muria. Semen potum ex mulſo fœminas purgat, algentes que calfacit et potum & litum. Eodem ad ſtrangurias utuntur. Radicis ad omnia eadem uſus. In uino pota calculos pellit & lumborũ dolores. Poto ſemine torminibus interaneis medetur, item urinæ difficultatibus decoctum eius ex mulſo potum. Rabioſi canis morſibus potum & illitum ſuccurrit. Radicem prius quàm olus atrum caulículum ageret, Februario menſe diligenter deterſam, ne quid haberet terreni, in aceto & ſale componebant: deinde poſt diem trigeſimum eximebant, & delibratum eius corticem abijciebant. Cęterum medullam eius cõcíſam in fideliam uitream uel nouam fictilem conijciebant, iuſq; adijciebant quod mentham, uuam paſſam, & exiguam cepam cum torrido farre exiguo, & melle bene trita reciperet: ſapæ uel defruti partes duæ & una aceti adijciebatur, atq; ita ſimul omnia contundebantur indito fideliæ operculo. Conciſæ cum ſuo iure radices, adiecto oleo, promebantur. Smyrnion Amano monte celebratiſſimum, caulem habet apij ſtolonesq; multos, folia latiora, ad terrã infracta, quadamtenus pinguia robuſtáque, iucundi odoris cum quadam acrimonia, medicatiq;, colore in luteum langueſcente, capitibus caulium orbiculatis ut anethi, ſemine rotundo, ſimili braſſicæ, obnigro, guſtu aſpero, æmulante myrrham tam proximè, ut alterum in alterius uicem cedat. Radix inter acrimoniã odorata, mollis, ſuccoſa, mordet gulæ tranſitu. Cortex eius foris niger, intus uiridis, & ſubalbidus. Naſcitur in ſaxoſis collibus, humidis locis, & angulis terrenis. Proximè ad ſententiam Dioſcoridis Plinius ſmyrnion depinxit, folia apij tradens habere, latiora, & maxime circa ſtolones multos, quorum à ſinu exiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato, cum quadam acrimonia iucunda, colore in luteum langueſcente, capitibus caulium orbiculatis ut apij, ſemine rotundo, nigro, qui areſcũt incipiente æſtate. Radix quoque odorata guſtu acri mordet, ſuccoſa, mollis. Cortex eius foris niger, intus pallidus. Odor myrrhæ habet qualitatem, unde & nomẽ. Naſcitur in ſaxoſis collibus & terrenis. Si cuiquam ſingulas horum authorum tam celebres notas libeat explorare, facile perpendet eam eſſe herbam quam olitores noſtri *leucchiam*, & rura *liucche* nominant. ſiquidem ea caulem profert apij, ſtolones multos, folia latiora, pinguia, ad terram infracta, robuſta, cum quadam acrimonia iucunda, colore in luteum languido, orbiculatis caulium capitibus ut anethi, ſemine nigro, rotundo, acri myrrhæ ſapore, ita ut alterum pro altero ſubſtitui poſſit. nanque tota, ſi nares conſulantur, myrrhæ repræſentat odorem. Radix ei odorata, acris guſtu fauces mordens, ſuccoſa, mollis. Cortex foris nigricat, intus ex uiridi palleſcit. Smyrnæum olus putridis, & macris, & roſcidis ſeritur, myrrhamq; radice reſipit. Elachryma caudicis ſui naſcitur. Prouenit & radice. Succum eius qui colligunt myrrhæ ſaporem habere dicunt. Hoc putauerim de eo dici, quod Theophraſtus retulit myrrha ſata natum, quanquam de hippoſelino intelligat, non enim meminit, quantum inuenerim, ſmyrnij. Caulis ineunte æſtate areſcit. Cortice aridi ad obſonia utuntur cum mulſo, oleo, & garo. Odor herbæ toti myrrhæ, unde nomen. Hoc petroſelinon ſylueſtre uocari ſcribit Galenus. Vſus eius excalfacere, extenuare. Vrinam & menſes ciunt folia & radix. Aluum ſemen ſiſtit. Radix ſuppurationes non ueteres, & collectiones diſcutit: item duritias illita. Prodeſt

tã. Prodeſt contra phalangia, ac ſerpentes, admixto cachry aut polline, aut apiaſtro in uino pota, ſed particulatim, quoniã uniuerſa uomitiones mouet, qua de cauſa nõnunquam cum ruta datur. Partus adiuuat & ſecundas pellit. Medetur tuſſi & orthopnœæ radix uel ſemen: item thoracis, lienis, renum & ueſicæ uitijs. Radix autem ruptis, conuulſis auxiliatur. Sudores ciet & ructus, ideo inflationem ſtomachi diſcutit. Vulnera ad cicatricem perducit. Datur iſchiadicis in uino, cum crethmo. Exprimitur ſuccus radicis, utilis fœminis, thoracis, & præcordiorum deſiderijs. calfacit enim, concoquit, & purgat. Semen peculiariter hydropicis datur potu, quibus & ſuccus illinitur. Concoctiones facit. Sapore ſimillima piperi, ideo ad obſonia utuntur cum mulſo, oleo & garo, maxime in elixis carnibus. Folia Dioſcoridi prorogantur ſale condita, & aluum ſupprimunt. Valet radix contra ſerpentes. Eadem tuſſi, orthopnœæ, & anguſtijs urinæ remedio eſt. Duritias diſcutit illitu, & collectiones ſuppurationes'que non uetuſtas. Vulnera reducit ad cicatricem. Feruens appoſita fœtus eijcit. Semen lienis, renum, & ueſicæ uitijs conuenit. Menſes pellit & ſecundos partus. Cum uino lumborum dolores mitigat, inflationem ſtomachi diſcutit, ſudores mouet & ructus. hydropicis & contra febres circuitum repetentes bibitur.

Elaphoboſcon. Fœniculum. Hippomarathron, fœniculum erraticum. Cap. XLVIII

Elaphoboſcum caulem emittit fœniculo uel roſmarino ſimilẽ, anguloſum, folijs latitudine digitorum duũm, ut terebinthi prælongis, infractis, & aliquatenus aſperis, propagines multæ umbellas anethi ſubluteas ſuſtinent. ipſum quoque ſemen anetho ſimile eſt, radice tres digitos longa, unius craſſitudine, candida, prædulci, eſculenta. Laudatur in cibis recens æditus caulis. Plinio elaphoboſcon ferulaceum eſt, geniculatum, digiti craſſitudine, ſemine corymbis dependentibus, ſimili effigie ſed non amaris, folijs oluſatri. & hoc laudatum in cibis. Paucis hodie cognoſcitur elaphoboſcon, etſi frequens ubique reperiatur. Romani cerui ocellum appellarunt, officinæ noſtræ ſimul & herbarij, ut rei ipſis nouæ, nouum indiderunt nomen, *gratiam dei* uocantes. Sueſſionenſis ager *herbam copariam* nominat, quòd ea utantur ad uulſa, rupta. Nempe *gratia dei*, caule proſilit fœniculaceo, geniculato, folijs duũm ferme digitorum latitudine, prælongis, ſubaſperis, infractis. Adnata multa caulis ſpargit umbellas anethi ſimiles oſtendentia, & ſemina eiuſdem, florem ſubluteum. radice ternũm digitorum longitudinis, & craſſitudinis unius, candida, dulci, apta cibo. Dioſcoridis pictura ad unguem profecto repræſentat, nulla reclamante nota, herbam quam modo diximus tam inſigni nomine gratiam dei uocari, appellationémque fecit unguento cuidam. Simplicius ceruæ monſtrauerunt elaphoboſcon, quippe fama eſt hoc pabulo ceruos reſiſtere ſerpentibus. nam ut nomen ſonat græcum, cerui pabulum potes interpretari. Laudatum etiam cibis. Quippe etiam conditum prorogatur ad urinam ciendam, lateris dolores ſedandos, rupta, conuulſa ſananda, inflationes diſcutiendas, coli'que tormenta, contra ſerpentium omnium'que aculeatorum ictus. Fiſtulis quoque radix nitro addito illita medetur. Siccanda prius in eos uſus eſt, ne ſucco madeat, qui contra ſerpentium ictus eam non facit deteriorem. Produnt hoc pabulo ceruos reſiſtere ſerpentibus. ideo ſemen percuſſis in uino traditur bibendum. Fœniculum Græci marathron, Galli *fœnuillon* appellant, ferulacei generis, hominis'que plerunque procerita tem ſuperans, caule geniculato, fungoſa intus medulla, læui exterius cortice & herbaceo, folio abrotoni, ſed longiore molliori'que, iucũdo odore, muſcario rotundo, amplo, luteo, in orbem radiatim circinato, in quo ſemen nudum dependet, radice candida, craſſa, longa, neque non odorata. nec in tanta notitia operoſius pingendum. Primo uere ſeritur, & Februario menſe, loco aprico & modice ſaxoſo, ad multa conditurarum ſpiſſamenta laudatum. Ferulacei generis eſt anguibus gratiſſimũ, ad condienda plurima cum inaruerit. Fœniculũ nobilitauere ſerpẽtes, guſtatu ſenectam exuendo, oculorumq; aciem ſucco eius reficiendo. unde intellectum eſt, hominum quoque caliginem præcipuè eo releuari. Colligitur hoc caule turgeſcẽte. In ſole ſiccatur, inungiturq; ex melle. Vbiq; hoc eſt,

laudatíſſimum tamen in Iberia è lachrymis fit, & ex ſemine recenti. Fit etiam è radicibus prima germinatione inciſis. Veteres fœniculum cum legiſſent ſub tectũ exponebãt dum flacceſceret, deinde folia & corticem omnem detrahebant, caules ſi fuiſſent pollice craſſio res arundine ſecabant, & in duas partes diuidebant, ipſoq; flores, ne ſint immodici, partiri & diduci oportebat, atque ita in uaſa cõdi. tum ius quod eſt miſtum duabus partibus ace/ti & una muriæ infundebatur, paucas radices laſeris adijciebant, & ſpiſſamento contege/bant ut ius ſuperueniret. Medicinæ ſatiuo ad ſerpẽtium ictus & ſcorpionum ſemine in ui/no ſumpto. Succus & auribus inſtillatur uermiculósque in his necat. Id ipſum prope con dimentis omnibus inſeritur. Quin & cruſtis ſubditur panis. Semen diſſolutũ ſtomachum adſtringit. Nauſeam ex aqua tritum ſedat. Pulmonibus & iocineribus laudatiſſimũ. Ven/trem ſiſtit cum modice ſumitur, urinam excitat, & tormina mitigat toſtum, lactis que defe ctu potum mammas replet. Radix cum ptiſana pota renes purgat, ſiue decocto ſucco, ſiue ſemine ſumpto. Prodeſt hydropicis radix in uino cocta. item conuulſis. Illinuntur folia tu/moribus ardentibus ex aceto, calculos ueſicæ pellunt. Geniturae abundantiam quocunq; modo hauſtum facit. Verendis amiciſſimum ſiue ad fouendum radice cum uino cocta, ſi/ue contrita in oleo illitum. Multi tumoribus & ſugillatis cum cera illinunt. Radice contra canis morſum utuntur. Fœniculum Dioſcoridi ſiue herbę eſu, ſiue ſemine cum ptiſana po to mammas lacte replet. Comæ decoctũ renum doloribus prodeſt, quippe quod urinam concitet. Contra ſerpentium ictus in uino cõmodè bibitur. Menſes elicit. In febribus nau ſeam æſtusq; ſtomachi ex frigida potum ſedat. Tritæ radices, & cum melle litæ, morſibus canum medentur. Succus expreſſis foliis & caule denſatur in ſole medicamentis quæ ad excitandam oculorũ aciem parantur. Fit & è ſemine muſteo foliis totis ac ramis ſimul ex/preſſis ad eadem utilis. Fit & è radicibus prima germinatiõe inciſis. In Iberia lachrymam reddit gummi ſimilem. Caulem ipſum dum floret indigenæ demetunt, & igni admouent, ut caloris ui exudans eijciat quod quæritur gummi. hoc efficacius oculis quàm ſuccus.

Syluestre fœniculum ſatiuo grandius, ſemen ferens ut canchry, radix ſubeſt odorata. Hippomarathron à magnitudine conſtat appellatum, quod aliqui myſineum uocant, fo/liis maioribus, guſtu acriore, procerius, brachiali craſſitudine, radice candida. Naſcitur in ſaxoſis. Tantæ amplitudinis in Mauritania, ut caulis duodecim cubitis adſurgat, craſſitu/dine palmorum quatuor. Officinæ nominant *agreſte fœniculum*, ſatiuo procerius, brachiali craſſamento, foliis etiamnum maioribus, ſemine miliaceo, radice alba, odorata. In apricis & petroſis inuenitur. Hippomarathrum ad omnia fœniculo uehementius. Calculos præ cipuè pellit. Prodeſt ueſicæ cum uino leui, & fœminarũ menſtruis. Efficacius in eo ſemen quàm radix. Modus in utroq;, quod duobus digitis tritum additur in potionem. Aduer/ſus ſerpentes nihil Græci hippomarathro efficacius putauere, neq; Nicander ipſum in no uiſſimis poſuit. Stranguriam leuat, fœminarum menſes pellit. Aluum ſiſtunt ſemen & ra/dix. Aduerſus animalium percuſſus bibuntur. Calculos eijcit, regium morbũ purgat. Tra ditur & aliud hippomarathri genus, folio anguſto, exiguo & oblongo, ſeminis rotundi ut coriandrum. Diocles longo & anguſto folio, ſemine coriandri repræſentauit. Medicinæ cum eo genere priore communes, uerum infirmioris operæ.

Daucus. Delphinium. Pyrethrum. Cap. XLIX

DAuco genera tria, Creticum fœniculi ſimilitudine, minoribus, & candidiori/bus foliis, caule ſemipedali, capitibus rotundis ut coriandri. flos candidus, ſe/men album, acre, hirſutum & odoratum, radix craſſitudine digitali & longi/tudine dodrantali. Latinis gallica paſtinaca dicit̃, uulgo *ſyluestris carota*. In offi cinis principem retinet appellationẽ. ea nanq; caule adſurgit pedali, foliis fœ niculi ſed cãdidiuſculis minoribusq;, coriani muſcario, in quo ſemen hiſpidũ, milij fere ca/pacitate, albũ, feruens, acre, odoratũ, radice digitali craſſitudine, bipalmũ longa. in apricis petroſisq; naſcitur. Alterũ ubiq; prouenit, præcipue in terrenis collibus, limitibusq; et pin gui ſolo, apio ſimile, feruẽs, acre & guſtanti odoratũ. Tertiũ genus paſtinacæ nõ diſſimile, opacante faſtigiũ anethi umbella, ſemine oblongo & odoratu graui, ſapore ut cuminum acri. utrunq; genus *aſininũ daucũ* herbariis audio uocari. Theophraſtus quartũ addit genus lauri ſpecie, colore croci. Plinius tria genera perſequit̃, licet duo eſſe cenſeat. Probatiſſima in Creta

in Creta, mox Achaia. Priori generi folia hirsuta, caulis pedalis, rectus, radice suauissimi gustus & odoris. Reliqua genera passim nascunt̃ terrenis collibus limitibusq́, nec nisi pinguí solo, foliis coriandri, caule cubitali, capitulis orbiculatis, sæpe pluribus q̃ ternis, radice lignosa, & cum inaruerit superuacua. semen cumino simile, prioris milio, album, acre, odoratum omnibus et feruens. Secundũ priore uehementius est, ideoq́ parcè sumi debet. Tertium genus simile staphylino, semine oblongo, radice dulci. Omnia hæc & æstate & hyeme quadrupedi sunt intacta, nisi post abortus. Galenus & Paulus daucum nihil aliud esse uoluerunt q̃ staphylinum sylueſtrem. Hippocrates daucum Aethiopicũ laudat. Daucum refert Galenus agrestem pastinacam nonnullis nominari. Longa eget coctione ut in esum recipiatur, medicinæ potius q̃ cibo nascens. Vehementer urinam impellit. Creticum magis contra serpentes pollet. Bibitur è uino drachma una, datur & quadrupedibus percussis, aduersaſ phalangio, capitis dolori medetur, tussi subuenit, inflationes & ructus gignit, strangurię medetur drachma seminis. Eius radix in uino pota dysenteriam sistit. Contusis & euersis potum duobus obolis in mulsi cyathis tribus subuenit, aut si febris adsit in aqua mulsa. Menses & secundas potum facillime pellit, strangurìam tollit, calculos eijcit. Quæ contusa sunt, duritias q̃ & sinus, & omnia infixa corpori extrahit daucum. Omnium generum semen, ut Dioscorides testatur, excalfacit, urinas et menses potum exturbat, sedat tormina, inueteratas tusses lenit. Contra phalangiorum ictus in uino datur bibendum, tumores illitum discutit. Cretici radix ad serpentes usus cum uino est. Delphiniũ aliqui delphiniada, alij sosandron appellant. rami ab una radice dodrantium binũ, nonnunq̃ & maiores exiliunt, circa eos folia pusilla, tenuia, diuisa, oblonga, delphinis effigie, unde & nomen. flos uiolæ albæ in purpuram uergens, semen in ualuulis milio simile. Buccinum Romani, teste Dioscoride, uocauerunt, q (ut puto) siliquula cum flore, quem in extrema eius parte promit, buccini effigiem uideatur exprimere. Rura nullum, quod potuerimus extorquere, nomen adhuc indiderũt. Herbarij quidã putant esse quam *filium ante patrem* suprà diximus appellari, q siliquam & intus semen ante floris exitũ ostendat, rectius si partus ante conceptum ab eis appellaretur. Iam audio aptius ab teretis siliquulæ per extremum in expansum florem exeunte, *buccinariam* quadam similitudine dici. siquidem ea surculis à radice una pedalibus funditur, foliis paruis, tenuibus, intersectis, incuruis, longiusculà delphinis effigie, flore uiolæ matronalis, suppurpureo, semine in ualuulis teretibus exiguo, milio non dissimili. Inuenitur frequens in asperis & locis totius diei solem accipientibus. Hallucinantur grauiter qui delphiniũ esse *senam* Maùritanis dictam existiment, reclamante perq́ euidenter totius herbæ pictura. Nanq́ delphiniũ folio uestitur oblongo, tenui, repando: sena uero orbiculari, & uelut fœni Græci rotundo. Flos illi purpureus emicat, huic luteus plane. Illi uiolę albæ, uel si mauis, matronalis, huic geniſtę potius. Vtrũq́ tamen siliquatur, sed sena tumidum ostendit folliculum membraneũ, in quo semen atrum, durum, lentis magnitudine continetur: delphinium uero teretem siliquulam profert, quæ semen exile, rotundum, milio proximũ concipiat. Vides itaq́ totam herbæ huius faciem, siliquæ & floris habitum, q̃ maxime cum sena pugnare. Quid ueteribus fuerit sena inter arbores demonstrauimus. Semen delphinij in uino sumptum, ut nihil aliud, scorpionum ictibus medetur. aiunt enim obiecta etiam herba captos membris fatiscere, ignauosq́ torpescere, semota uero ea sese recollìgere. Nec aliud utilius delphinio sumi potest contra scorpionũ ictus, argumento probabili, quoniã scorpiones appositio eo torpescant amissa prorsus agilitate, stupentesq́ imprimendis ictibus inefficaces redduntur, eodẽ subducto uires ad maleficium pristinas resumunt. Habetur & alterum delphinij genus prioris similitudine, sed foliis & ramulis longè gracilius, quod idem potest, non tanto tamen effectu. Pyrethron Romani saliuarem uocant, folia habet gallicæ pastinacæ aut fœniculi, capite anethi orbiculato, radicem pollicis crassitudine, gustus ardẽtissimi & saliuam cientis. Radix officinis satis cognita pyrethri uocabulo, uulgus Gallicum *pedem alexandrinum* uocat. nam digitalis est crassitudinis, oblonga, gustu feruens, qua uulgus utitur ad extrahendam gingiuarum pituitam. nam quòd mansa uel ore tantum detenta saliuæ magnã uim elìciat, saliuarẽ Romanus sermo nominauit. Reliqua facies, quæ est caule & coma fœniculi, & muscario anethi, in orbe nostro nõ uisitur. nam quòd in Gallia prouenit haud ferè cubito altius, caulicu-

lis teretibus

lis teretibus,lentè rufescētibus,geniculatis,foliis longiusculis,anguſtis,utrinq; leniter ser/ratis,opacāte cacumen anthemidis muscario,ptarmicē esse suprà docuimus. Ad dentium dolores pyrethrum in aceto decoquitur ut os inde colluatur. Ad pituitam oris siccandam tenetur in ore commanducaturq;. Sudores inunctis ex oleo commouet. Vetustis horrori bus prodest. Perfrictiones membrorū resolutionesq; mire sanat. Excalfacit & siccat in ter/tio,& ut alij uolunt,quarto abscessu.

Libanotis. Libanotis coronaria,rosmarinum. Sphondylion. Cap. L

Libanotis duo genera habet summa,fœcūdum & sterile. Fœcundum in duas quoq; differentias distribuitur. alterum est cuius semen canchrys dicitur,fœ niculi folio,crassiore,orbiculato,in terram iacente,caule cubitali,aliquando etiam maiore,stolonibus multis,quorum à capitibus umbellæ gestantur,se/minis plenè candidi,& spondylio similis,rotundi,anguloſi,gustu acuto,resi nacei,accēdentis os cū manditur. Radix alba magnitudinis iustæ,thus redolens. Alterum simile superiori per omnia,sed lato semine atq; nigro,sphondylion imitante,odorato,nec feruenti,radice foris atra,intus si frangatur albida. Quod uero sterile appellatur,cætera quidem prioribus simile,uerum neque caulem,neque florem,neque semen fundit,in sa/xosis & asperis nascens. Libanotis odorem thuris reddit,ob id accepto nomine. Locis pu tridis et macris ac roscidis seritur semine,radicem habet olusatri nihil à thure differentem: *incensariam* rura,quæ norunt,audio appellare:quòd radix thus,quod *incensum* uocant,redo leat. Quidam eam nomine alio rosmarinū,ut Plinius ait,appellant. Libanotidis duo Theo phrastus facit fastigia,fertilis et sterilis. Fertile caule cubitali interdum proceriore,folio pa lustris apij,multo maiore,semine candido,scabro,oblongo,quod canchrys uocatur: radi/ce grandi,crassa,candida,thus redolente:nascitur squalidis & saxosis. Carpitur per mes/ses caulis & semen. Odor utrique resinaceus,radici & foliis thuris,unde nomen. Vesti/bus interposita libanotis tineas abigit. Cum erice lætissimam nasci Theophrastus tradit, medicamento ulcerum utilem,& mensibus potam in uino austero & nigro. Semen ad uri næ stillicidia efficax,& ad aures,argema,& oculorum lippitudines. Lactis ubertatem mu lieribus præstat. Sterili folium lactucæ syluestris,& amaræ,candidius & asperius,radice breui,quæ utrinque purgat. Germen superne uomitionem,quod terræ cohæret inferne deiectionem mouet. Vestibus interposita noxios uermes arcet. Radix libanotidis sanat uiridis impositа sedis procidentia,condylomata & hæmorrhoidas. Succus tam frutícis quàm radicis regium discutit morbum,& ea quæ repurganda sunt. Oculorum aciem exa cuit. Semen ad uetera pectoris uitia datur potui: ad uuluas,cum uino & pipere. Menses adiuuat. Podagris illinitur cum loliacea farina. Purgat lentigines,item cū sudor est quæ/rendus. Auget lac in uino potum. Ipsa herba strumis cum aceto linitur. Ad tussim cū mel/le prodest. Canchrys ex supradicta libanotide nascitur,si fricetur resinosa est. Aduersatur uenenis & uenenatis,sudorem mouet,tormina discutit,lactis ubertatem facit. Omnium folia Dioscoridi impositа hæmorrhoidas comprimunt: inflammationes sedis,& condy/lomata strumasq; placant: collectiones difficile suppurantes excoquunt. Radix ex melle purgat ulcera,torminibus medetur,serpētium ictibus datur bibenda cum uino,menses & urinas ciet. Tumores lita uetustos discutit. Succus oculorum aciem inunctus exacuit. Se/men ad eadem traditur. ad comitiales,uetera pectoris uitia,regium morbum in uino cum pipere pollet. Cum sudor eliciēdus est ex oleo linitur: itē ruptis,uulsis,podagris tritū cum lolij farina & aceto. Vitiligines ex aceto mistū emendat. Semine eius quod canchryn non ferat in potionibus utendum. quippe acrimonia in eo anceps guttur nimis exasperans. Porro canchrys quæ de suprà dicto rore gignitur,excalfaciendi uim habet,& resiccandi quoque uehementer. ideo smegmatis additur contra fluxiones oculorum compositis,in qua curatione triduo geritur,ab eo tempore decutitur. Libanotin comitatur hæc fa/bula. Libanon fuisse Græci tradunt adolescentem,dijs conuersari solitum,quem inuidia moti homines impie necarunt. Dolens eius uicem Terra,in fruticem emortuo gentilis co gnomēti trāstulit,seruato priore eius ingenio:nec desiderio,quod erga deos habuit,à plan ta sustulit. Innuunt hoc uerborū inuolucro Græci,thuriferis fruticū odoribus numinibus supplicādum,deumq; thure nobis reconciliandū. Libanotis ea quam Romani appellant

rosmarinum

roſmarinum,& qua nectentes coronas utũtur,in exilibus uirgis foliũ fert tenue,crebrum, oblongum & gracile,intus cãdicans, extrà uiride,odore graui. uulgus noſtrum,officinæ, rura *roſmarinum* nominant.quo Narbonenſis prouinciæ tractus adeò ſcatet,ut haud temere lignum aliud urant.nanq; frutex eſt topiarius, & idem coronarius,folio pinnato,herbaceo,ſubter incano,ſtriato,thuris odore,flore cęruleo,ſemine atro,exili. Democritus ſerendum uiuiradice & auulſis ramis præcipit, ſic ut in terra depactum humetur:& iucundum & grauem,ut idem ait, ſpirat odorem,ideo quos animus defecerit recreat. Menſe Martio ſeri debet. Apud nos areas hortorũ eleganter topiario conueſtit opere, ita ut nullum non animal olitoris mangonio ſuffragante confingat. Calfacit. Regium ſanat morbum decoctum in aqua, & ante geſtationes inambulationesq; ſumptum,ita ut poſt eas obiter lauẽt, merumq; bibãt qui ſumpſere. Adhibetur hoc acopis & oleo muſteo,uentrẽ cohibet. Suffitu tuſſim & diſtillationes ſedat.& quod imprimis nobile, tutam præſtat in peſtilentia domum cremati nidore,improbam aeris diluens pernicíem. Sphondylion Romanis olim herba rutinalis dicebatur.foliis eſt quadã tenus platani,cætero ſimilitudine panacis,caulibus magnitudine cubiti, uel etiam amplioribus,fœniculaceis,ſemen in cacuminibus ſilis effigie,ſed duplex & latius,candidum,paleoſum, graueolens,flore cãdido uel pallente,radice alba raphano ſimili. Naſcitur in paluſtribus & uligine commadentibus locis. Folia ſphõdylo inſunt platani diuiſura,ut eſt Plinius author. Semen ſilis ſpeciem habet,medicinæ tantũ utile. Ad eam ſatis accedere cognoſcitur quam rura noſtra *panaiam ſyluęſtrem* uocant,q; folia panacis habeat, platani diuiſura, caules fœniculaceos, cubitali altitudine aut amplius aſſurgentes,in quorum cacumine ſemen duplex,ſeſeli ſimile,ſed latius,cãdidius, & magis paleaceũ,grauis odoris,flores eius albi aut pallentes.gaudet paluſtribus & uligi noſis. In opacis gignitur,ſępe iuxta paluſtria uiſum. Qui exprimitur ſuccus mirè à muſcis expetitur, & ſimilibus. Pituitas aluo deiicit. Bibitur in iocinerũ cauſis,arquato morbo,comitialibus,orthopnoicis,uuluarum ſtrangulatione. Tentatos importuna ui ſomni,ſubindeq; caſſabundos marcore,ſuffitu uellicat. Infunditur cum oleo capitibus phreneticorum & lethargicorũ,item capitis doloribus longis. Illinitur cum ruta ſerpentibus ulcerum. Datur radix contra regium morbum,et in iocineris uitio. Deraſa & in fiſtulas coniecta callos earum derodit. Succus recentis è flore exulceratis auribus & purulentis immittitur. Extractus ſuccus & curatus reconditur: ſed cum exprimitur,integendus, quoniam mirè à muſcis & ſimilibus appetitur. Capillos criſpos facit peruncto capite. Auribus inſtillatur. Fœminas ſtrangulatu uuluæ preſſas ſuffitu reuocat.

Ferula.Peucedanum.Melanthion.Gith. Cap. LI

Alidis ferula naſcitur locis atq; trans maria,geniculatis per uices notata ſcapis. Duo ei genera Theophraſtus reddit, nartheca uocat adſurgẽtem rectè, narthecíam ſemper humilem,quæ ab aliquibus ferulago dicitur. A genibus folia exeunt,grãdia,mollia,multifida,maxima ut quæq; terrę proxima ſunt, caulem amplectentia ut arundines, ſed magis ſcinditur in coliculos, quibus flores lutei, & ſemen anethi paulo maius inſidet. Sed quæ ab imo caule diuiditur in cacumine fœmina putatur. Germinat uere primũ folio tum caule,qui ei annuus eſt, radice ſingulari,profunda.Ferulæ lignum omne corticis loco habent,hoc eſt forinſecus,ligni aũt uice fungoſam medullam ut ſambuci,nonnullæ inanitatem ut arundines. Aſcribitur arborũ generi,quoniam tenerítudo eius proceſſu tranſit in lignũ:propterea Clearchus inter quæſtiones luſorias,quas noſtri ſcirpos,Græci griphos & ænigmata uocãt, ferulam,dicit eſſe lignum nõ lignũ:ſicut pumicẽ, lapidẽ non lapidem:& ueſpertilionẽ,uolucrẽ non uolucrẽ. Inter fortunatas inſulas,Norion uocatur, in qua ferulæ tanta creſcũt amplitudine ut arbores fiant. Earum nigræ ſucco amariſſimo damnãtur,candidæ probantur,ut is poculentus quoq; ſit. Nulli fruticũ leuitas maior,ob id ſenecluti baculus. Semen ferulæ in Italia cibus eſt,conditur quippe, duratq; anni ſpatio in urceis. Caules quoq; decocti eduntur,cõmendãturq; muria & melle,corymbiã noiant:ſicut racemos eius,quos itẽ condiũt, corymbos, qbus & in coronas utebant. Ignẽ in ferulis optime ſeruari certũ eſt,easq; in Aegypto præcellere. Natura ferularũ murẽnis infeſtiſſima,moriũt ea tactæ. Aſinis gratiſſimæ ſunt in pabulo,cæteris iumentis pſentaneo ueneno, qua de cauſa id animal Libero patri aſſignabat,

cui & fe-

cui & ferula. Ferulam non minus à feruendo q̃ feriendo dictam uideri facit Hippocrates, qui eam pleſtinga uocauit. Caules ferulæ ſtomacho utiles, ſin plures ſumpti, capitis dolores faciunt. Radix denarij pondere in uini cyathis duobus bibitur aduerſus ſerpentes, & ipſa radix imponitur. ſic & torminibus medetur. Ex oleo autem & aceto cõtra ſudores immodicos, uel in febribus proficit. Succus ferulæ ſiſtit aluũ, fabæ magnitudine deuoratus. E uiridi ferula utilis eſt medulla ad omnia ea uitia. Ad ſanguinem ſiſtendum decem grana ſeminis bibuntur in uino trita, uel etiã medulla. Sunt qui comitialibus morbis ligulæ menſura dandum putant, luna quarta, ſexta, ſeptima. Alij ſuccum oculorum claritati conferre multum exiſtimant. Medulla è uiridi cœliacis & ſanguinẽ excreantibus auxiliatur. Contra uiperas pota in uino pollet, ſanguinem ſiſtit naribus indita. Semen medetur torminibus. Ex oleo perunctis ſudores mouet, Dioſcoridi. Caules capitis dolorem edentibus excitant. Inueteratur & ſale pro cibis. Peucedano caulis eſt tenuis, macilentus, ſimilis fœniculo denſitate, iuxta terram comoſa. flos luteus, radice nigra, ſuccoſa, graui odore, craſſa. gignitur in montibus opacis. Inciduntur teneræ radices pro ſucco cultellis, ita ut quod effluit continuo in umbra ponatur, nam ſole uires amitteret. In colligendo capitis dolor et uertigo ſentitur, niſi nares prius & caput roſaceo perungantur. Radix ſucco exempto inutilis redditur. Alius ſuccus è caulibus modo expreſſis, modo plaga laxatis, excipitur: uerum quod manat inciſo eo, minus pollet effectu, q̃ quod expreſſo colligitur, ſed uelocius diffiatur, exanimaturq̃. Inuenit & lachryma thuris modo concreta, caulibus & radicibus adhæreſcens. Laudatiſſimus ſuccus è Sardonia: mox Samothracia, odore graui, colore rufo, guſtu feruenti. Plinio probatiſſimũ peucedanum in Arcadia, mox Samothrace. caulis ei tenuis, longus, fœniculo ſimilis, iuxta terram folioſus, radice nigra, craſſa, graui odore, ſuccoſa. gignitur in montibus opacis. Foditur exitu autumni, placent tenerrimæ & altiſſimæ radices. Hæ concíduntur in quaternos digitos oſſeis cultellis, funduntq̃ ſuccũ in umbra, capite prius & naribus roſaceo perũctis, ne uertigo ſentiatur. Alius ſuccus inuenitur caulibus adhærens, inciſiſq̃ manat. Probatur craſſitudine mellea, colore rufo, odore ſuauiter graui, feruens guſtu. Radix in uſu eſt, ſuccus tamen efficaciſſimus eſt, qui reſoluitur amaris nucibus, aut ruta. Peucedanum nomen à pinu inuenit, ut myrtidanum à myrto. celebrata inter primas herba. Bibitur contra ſerpentes, & ex oleo perunctos tuetur. Anginę cum coagulo uituli marini æquis partibus medetur. Pituitam & bilem detrahit eius radix. Eadem decocta lieni et renibus prodeſt. Caput in dolore peucedano perungi conuenit, ex oleo uel roſaceo & aceto. Tepidum hoc confert doloribus qui plerunq̃ ex dimidia parte capitis ſentiuntur. Perungunt & radicem ſudoris cauſa eliciendi, quoniam cauſtica uis ei eſt. Peucedano ad recentia uulnera tãta uis eſt ut ſaniem oſſibus extrahat. Cum ſemine cupreſſi bibitur, ſi ſanguis per os reddítus eſt, fluitq̃ ab infernis. Strangulatus uuluæ nidore uſtum recreat: laxanturq̃ ſuffocationes eo, ſed quidam ammiſcent in uino ſemen cupreſſi contritum. Potum cum coagulo uituli marini æquis portionibus comitiales ſanat. Phreniticos ſomnus leuat, qui contingit eo ex aceto capiti infuſo. Succus inflationes & ructus gignit. Idem in iocineris doloribus, pectoris, lateriſq̃ bibitur, ſi febres non ſint. Infantium ramici & umbilicis eminentibus inungitur. Stomachi uitia ſanat. Pleuriticis ſuccus bibitur. Strangurię cum melle medetur. Item ſemine lethargici excitãtur ut perhibent ex euphorbio naribus tactis peucedani ſucco. Perunguntur eo ſpaſtici, tetanici. Ex roſaceo illitum, ut Dioſcoridi placet, prodeſt lethargicis, phreniticis, uertiginoſis, comitialibus, & longis capitis doloribus, reſolutis, iſchiadicis, conuulſis. In uniuerſum omnibus neruorum uitijs ex oleo acetoq̃ litum auxiliatur. Olfactu reſpirant uteri ſtrangulatus, ueternoſi reuocantur, & procidui in ſomnum expergiſcuntur, obiecto naribus. Fugantur ſuffiti nidore ſerpentes. Aurium doloribus utiliter ex aceto inſtillatur. Cauis dẽtium inditur, ſi dolent. Ad tuſſim cum ouo commode deuoratur. Suſpiria, inflationes, torminaq̃ diſcutit. Ventrem molliter cit, lienem abſumit, ægre parientibus ſingulariter proficit. Solet ad ueſicæ cruciatus & renum diſtentiones bibi. Vuluas aperit. Eiuſdem effectus eſt radix, ſed infirmior. In uſu eſt et decoctum eius. Arida infriatur ſordidis ulceribus, ueteribus cicatricem obducit. Ceratis & malagmatis excalfacientibus miſcetur. Probatur recens, carie libera: item ſolida odorisq̃ plena. Succus in potiones reſoluitur amaris amygdalis, aut ruta, aut pane cali

do, aut

do,aut anetho. Peucedanum quinq; aut ſex annos durat. Melanthion Græcis,Latinis gith dicitur, frutex eſt puſillus, tenuibus feſtucis,altitudine digitorũ octo uel eo amplius, foliis paruis,ſenecionis herbæ ſimilibus,multo tamen exilioribus,capitulo ſummitatibus gracili,exiguo,forma papaueris, oblongo,interius loculoſa diſtinctione ſeptorum,in quibus ſemen pullum,acre,odoratum,quod & cruſtæ panis inſpargitur. Officinæ *nigellam Romanam* appellant,rura noſtra *poeuretam*, quaſi piperaceam dicunt, q̃ odoratam piperis modo referat acrimoniam,aut quia piperis uice in multis utantur. Siquidem exigue frutícat, ramulis tenuibus,nec temere binos palmos excedens,foliis ſenecionis ſed multo tenuioribus,capitulo in cacumine tenui ceu papaueris oblõgo,intercurſantibus interne membranis,quibus ſemen includitur odoratũ, acre,nigrum,inde *nigellam* cœperunt appellare. Cæterum aliud omnino genus creditur eſſe quod in ſegetibus paſſim naſcitur, *nigellæ* cognomento,foliis fere porri,oblongis, prælongo culmo,flore purpureo. ſemine ac toto frutice maius c̃p melanthion,nec odoratum, quare pſeudomelanthion uocari poteſt aut githago. Verum gith, de quo præſens agitur mentio, folium habet fœniculi, ſenecionis ue,florem cæruleum. Odor ſemini iucundus,nec ubiq; prouenit,quare multis in hortis apud nos ſeritur. Optimum gith c̃p excitatiſſimi eſt odoris,& c̃p nigerrimum. Culices ſuffitu necat & muſcas. Succum eius largius ſumenti uenenum eſſe mirari licet, cum ſemen ipſum inferiorem cruſtam panis cereali ſapore condiat gratiſſimé. Melanthion Cyprium commendat Hippocrates. Melandryon alia eſt herba in ſegete pratiſq; naſcens, albo flore,odorata,cuius coliculum iocineri tritum ex uino uetere probabãt. De nigella nobis in anthemo nonnihil dictum eſt. Gith aut melanthion medetur ſerpentium plagis & ſcorpionum. Illini ex aceto & melle reperio,incenſoq; ſerpentes fugari. Bibitur drachma cõtra araneos. Diſtillationem narium diſcutit tuſum in linteolo olfactum. Capitis dolores illitum ex aceto, & infuſum naribus mitigat. Cum irino oculorum epiphoras & tumores lenit,dentium dolores cum aceto, ulcera oris tritum & cõmanducatum. Lepras & lentigines ex aceto tritum emendat: difficultates ſpirandi addito uino potum: duritias tumoresq; ueteres & ſuppurationes illitum. Lac mulierũ auget continuis diebus ſumptũ. Colligitur ſuccus ut hyoſcyami, oculos purgat,urinam & menſtrua ciet. Illigatis tantum granis triginta ſecundas trahi promittũt. Aiunt clauis pedum mederi tritum in urina. Dioſcoridi capitis dolores illitum fronti diſcutit: recentes oculorum ſuffuſiones tritum & infuſum naribus leuat. Tollit lepras,lentigines,tumores ueteres,& duritias illitum ex aceto. Clauos circũſcarificatos extrahit cum uino uetere poſitum. Dolores uero dentium cum aceto ex haſtulis tedæ decocto colluuntur. Latas uentris tineas ex aqua illitum umbilico depellit. Tuſum & linteolo ligatum olfactu deſtillationes cohibet, menſes & urinas pellit,lac extrahit. Sedat difficultates ſpirandi addito uino potum. Bibitur drachma una contra araneos in aqua. Fugãtur & incenſo ſerpentes. Largius,ut tradunt,deuoratum interficit.

Laſerpitium. Cap. LII

Silphio,quod Latini laſerpitium uocant,radix craſſa multaq;,caulis annuus, altitudine & craſſitudine quaſi ferulæ,folium ſimile apio,quod ineunte uere proſilit,deciduumq; eſt, eximium purgando & ſaginando pecori,carne mirum in modum iucunda. Folio amiſſo caulis emicat,qui omnibus modis paratus igni manditur,hominemq; diebus quadraginta purgat omni uitio. Semen ei latum,foliaceum. Succus duplex,è ſcapo caulias uocatus, è radice uilior ac putreſcens. Radicis cortex niger,qui & detrahitur ad mercis adulteria. Præparatur uero ſuccus admiſta farina,ſubinde concutiendo uas,quatenus ad maturitatem perducant,id eſt quatenus ſudare deſinat & colorem ſuum capiat. ita inueteratum à ſitu uendicant & carie, laſer uocãtes. Perlucidior hic et purior à radice,dilutior à caule,ob id farina inditur ut coeat. Natum ferunt ſilphium imbre craſſo & piceo,repẽte madefacta tellure,circa Heſperidum hortos,Syrtimq; maiorem,ſeptem annis ante oppidum Cyrenarum conditum. Vim autem illam quatuor ſtadiorum ſpatio in Aphrica ualuiſſe, rem feram & contumacem, atq; ſi coleretur in deſerta fugientem. Quidam laſerpitio radicem fuiſſe cubitali maiorem perhibent,è cuius medio caput ſublime conſpiciendumq; tuberet, unde primum ſuccus ceu lacteus erumpat: ſupernaſci caulem magudarin uocatum,& ſemen eius quod folium appellant. Fo-

pellant. Folio aurei coloris, quo seminis uice austrinis flatibus decusso à Canis ortu laser/pitium nascatur, eodemq; anno & scapum & radicem aboleri, solum circunfodi, subactum glutumq; fieri. Radices eius recens præsectas ex aceto mandi, pecora non purgari eo, sed si ægrotant aut sanari protinus, quod fere cõsequitur, aut emori. Prior opinio uidetur Persico silphio congruere, multum infra Cyrenaicum nascenti. E Syria quoq; importari maxime solebat, Persico deterius, Medico præstantius. Ea è Theophrasti placitis deprompsimus. Clarissimum laserpitiũ in Cyrenaica prouincia repertũ tradit Plinius: quippe quod ad pondus argenti denarij pendebatur, magnificũ in usu medicamentisq;. Multis iam annis in terra ea non inuenitur, quoniã publicani qui pascua conducebant, maius ita lucrum sentientes depopulabant pecorũ pabulo. Siquando inciderit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo: oue, cum comederit, protinus dormiente, capra sternutãte. Iam ætate Plinij nõ aliud Romam inuehebatur quàm quod in Perside, aut Media & Armenia nascitur laser, multo infra Cyrenaicum. Tauros, ut tradunt, inflammat illitum naribus. Serpentes auidissimas uini admistum rumpit. Præcipitauit se quidam ex alto cum in dentium dolore cauis addidisset incluſum cera. Cyrenaico coagulari lac Varro tradit. Laserpitium Dioscoridi in Syria, Armenia & Media, & Aphrica nascitur, caule ferulaceo quem maspeton uocant, foliis apio similibus, lato semine. Caulem Galenus scribit magydarim appellari, quamuis & semen eodem nomine aliquibus dicatur. Aetius laser à Cyrenaico lacte separauit, siue quia laser succus ipse silphij non lac esset, siue quia laseris appellatione Persicum aut Medicum ut cognobiliora, non Cyrenaicum ueniret. Laser etiam Græci opon uocant, quanquam opos manantem herbæ cuiuscunque succum ex uulnere significet: Cyrenaicum tamen absolute pronunciatus, ut Varroni placet, indicat. Post Cyrenaicum authoritas deinde Medico & Syriaco ut Galenus refert. Hippocrates phyllon Libycum & Aethiopicum uocando ipsum silphij semen significat Galeno, & quòd præ sua latitudine foliaceũ sit, interim phyllon uocat, nec adijcit Libycum. Radicem huius proprie silphion appellat, caulon uero & eccaulema scapum, id est caulem: ut Herodotus. Solinus satis deprehenditur de silphio loqui quidẽ uoluisse, sed parum quid diceret nouisse, ita salebrosus & desuetus in eo genere sermo eius est. Eius uerba de silphio subiecimus. Apud Cyrenenses (inquit) syrpe gignitur odoratis radicibus, uirgulto herbido magis quàm arbusto, cuius è culmo exudat ęstatis tempore pingue roscidũ, idq; depascentium hircorum inhęret barbulis. Vbi cum arefactum inoleuit, guttis styriacis legitur ad usum mensarum, uel medicinæ potius. Dictum syrpicum primum, quia manat in modum lactis: deinde usu deriuante, laser nominatum. Post, Asbitę, inquit, uiuunt lasere. hoc aluntur, hoc illis dulce est. Officinis hodie dicitur *asa*, sed graue uirus redolet & putrilaginem resipit, unde fœtida cognominatur, quòd recrementum & putris fex syncери putari potest, aut certe quòd è Media aut Syria cõuehitur, quod Dioscoridi grauiter olet & putorem planè sapit. Radix laserpitij excalfactoria est. In cibis ægre coquitur, uesicæ noxia: strumis uerò, tuberculis, cum cera aut etiam sugillatis cum oleo amicissima. Ischiadicis medetur cum irino aut Cyprino cerato. Excrescentibus circa sedem tollendis illinitur cum putamine mali punici, & aceto cocta. Venenis potu resistit. Commendatur sapore ad intinctus & iusculenta ut garum. Capitur succus è radice atque caule, qui scarificatus ijs profluit. Probatur colore modicè rufo, translucens, myrrhæ æmulum, odore ualens. Damnatur colos porraceus, non fero gustu. Laus est ei qui protinus liquescens in candorem se diluit. Cyrenaici gustatu solo corpus totum sudore diffluit. Inter omnes olfactu blandissimus, ut gustanti ne os oleat quidem nisi momento. Imbecilliores habent uires qui ad nos è Media uel Syria deuehuntur. Odor ijs uirus & putrilaginẽ resipit. Adulterantur omnes addito sagapeno antequam inarescant. Dolus gustu, odore, aspectu coarguitur: item, quòd se non soluit gutta aquæ uel saliua ut syncerus. Quidam caulem fruticis silphion, radicem magydarin, folia maspetum uocauerunt. Efficacissimus succus, mox folia, deinde caulis. Acrem uim habet, inflationes facit, alopecias cum uino, pipere, & aceto illitus sanat, claritatem oculis præbet, incipientes suffusiones cum melle oblitus discutit, cauernis dentium inditur in dolore, aut linteolo circumdatur cum thuris polline. Os cum hyssopo & fico in posca decoctis colluitur. Ad canis rabiosi morsum impositus uulneri prodest. Venena telorum & animalium

omnium

omnium potus & circumlitus loco reſtinguit. Scorpionum plagis ex oleo linitur. Vlceribus gangræna periclitantibus poſt ſcalpellum infunditur: carbunculis cum ruta, & nitro & melle, uel per ſe. Clauos & callos pedum circumſcarificatis ferro marginibus tollit, ſubactus cum cerato aut aridæ fici carnibus. Recentes lichenas ex aceto ſanat. Excreſcentia in carne & polypi cum atramento ſutorio uel ærugine aliquot diebus peruncti detrahuntur. Longis faucium aſperitatibus auxiliatur: item repentinis raucitatibus: cõfeſtim enim dilutus aqua ſorbitione fauces purgat, & uocem expedit. Vuam cum melle ſuperlitus cohibet. In angina gargariſſatur cum aqua mulſa. In uictu ſumentibus meliorem præbet colorem. In tuſſi cum ouo ſorbili laudatur. Pleuriticis in ſorbitiones inſpargitur. Morbo regio & hydropicis datur cum fico ſicca. Potus in uino cum pipere horrores diſcutit. Contractionibus neruorum & opiſthotonicis oboli menſura bibitur. Hirudines gulæ cohærentes ex aceto gargariſſatus decutit. Datur & ijs qui coagulum lactis ſorbuerint. Comitiales cum aceto mulſo iuuat. Menſes cum pipere atque myrrha ciet. Cœliacis in acino uuæ deuoratus prodeſt: cum lixiua ſubitis conuulſionibus atque ruptis. Reſoluitur potionibus cum amaris nucibus, aut ruta, aut pane calido. Foliorum ſucco eadem ſed multo debilius præſtantur. Eduntur ex aceto mulſo ad arteriæ uitia, præſertim quum uox retunditur. Veſcuntur ijs cum lactuca erucæ modo. Alterum genus quod magydaris uocatur natum in Libya, radice ſilphio ſimili, minus craſſum, minusque uehemens, fungoſum, ſine ſucco. Natura ei quæ ſilphio. Sed non eſt ſilentio diſſimulandum, præcipuè cum in nonnullis compoſitionibus, ueterinariæ medicinæ authores, Gallicum requirant laſerpitium, aliquando in Gallia prodijſſe. Et iam quibuſdam in locis apud nos inuenitur in hortis hac ſpecie: radix craſſa eſt & multa, foris nigricans, intus candida, tuber in ea quæ ſuper terram eminet. Caulis ei fœniculaceus, folium apij in auri colorem langueſcens, ſemen foliaceum, latum, nempe quod figura exile foliolum exprimit, miraq; flagrat iucunditate. Cum uulneratur caulis profluit lentor modice rufus. Tam radix quàm lachryma ſemenq; ſuauiſſimum ſpirant odorem. Cui, ut rei magnæ authoritatis, illuſtria indiderunt nomina. nãque modo *angelicam*, modo *ſancti ſpiritus radicem*, modo *Imperatoriam* appellant herbarij, eiq; calfacientem ſiccatoriamq; uim in tertio ſignant abſceſſu. Aperit, extenuat, diſcutit, ut ijdem perhibent. Vnicè uenenis aduerſatur. Peſtilentiæ populatim ſæuientis arcet contagia. Corpora ab lue peſtifera uindicat, ſi tantum ut adfirmant in ore teneatur. Per hyemem ciceris magnitudinem cum uino, per æſtatem ex ſtillatitio roſarum liquore ſumpſiſſe ſatis eſt. Nec ſenſurum ea die cõtagionem pollicentur, qua quis deuorarit, nam urina & ſudore uenenum abigit. Lentitiam pituitæ digerit, quapropter tuſſi, quam frigus attulerit, medetur. Craſſa quæ in pectore coierint diſcutit. Herba ipſa in uino & aqua cocta uulnera interna glutinat. Concretum ſanguinem reſoluit, ſtomachum eſu corroborat, cor recreat. Pituitam ſtomachi deijcit, faſtidia ciborum diſcutit, & elangueſcentem inuitat appetentiam. Rabioſi canis morſu, aut ſerpentis ictu liberat, ſi contrita cum ruta & melle folia uulnere indantur, dein cocta in uino bibantur. Libidinem extinguit ore ieiuno ſumpta. Laſſitudines reficit, pectus expurgat. Supra febricitantis caput impoſita fertur ad ſe feruorem elicere. Valere cõtra faſcinationes adfirmant, ſi quis eam ſecum geſtarit. Amaritudinem lenem guſtata reſipit. Vides huic plurima à medicis & herbarijs, qui de ea peri culum fecerunt, ſatis laſerpitio congruere. Sit ergo Gallicum laſerpitium cuius ueterinarij medici meminerunt. Et ſi quis nares conſulat, inueniet noſtrum laſer, idem quod concretus ille ſuccus, quem uocant *ben Iuinum*, redolere. nam & docti in ea ſunt opinione, ut quod ab officinis *ben Iuinum* ſiue *ben Iudæum* appellatur, laſeris ſit Syriaci genus, dictũ quòd Iudæa parens huius mittat ad nos prolem ſuam. nam probatio ſatis ei fauere uidetur. Modice rufeſcit, cũ frangitur intus cãdicat, mox translucet, gutta aquæ ſaliuaq; liqueſcit. Sed per omnia adulteratur rei ſaluberrimæ utiliſſimæq; authoritas, ita ut ſyncerí uix appareãt indices notæ. Cæterum cum nõ ad alia temere quàm ad ſuffitus apud nos uſurpetur, odoratæ aſæ uocabulo uenire putant ſeplaſiæ.

Sagapenon.Euphorbium.Galbanum.Hammoniacum. Cap.LIII

Succus eſt ſagapenon ferulacei frutícis naſcentis in terra Media. Laudatur translucidum foris, colore rufo, & cum frangitur intus candido, odore medio inter laſerpitij ſuccum & galbanum, guſtu acre. Noſtrates officinæ inter pollato ut conſtat nomine, *ſerapinum* appellãt. Sagapenon in hortis quidem naſcitur, ſed medicinæ tantum. Sagapenon, ut Plinius tradit, quod in Italia gignitur, in totum tranſmarino alienatur. Illud enim hammoniaci lachrymæ ſimile, ſagapenion uocatur. Prodeſt laterum & pectoris doloribus, conuulſis, tuſſibus ueteribus, præcordiorum tumoribus. Sanat & uertigines, tremulos, opiſthotonicos, lienes, lumbos, perfrictiones. Datur & olfactandum in ſtrangulatu uuluæ. Cęteris & potu datur & cum oleo infricatur. Prodeſt & contra mala medicamenta. Medetur, ut Dioſcorides ſcriptum reliquit, laterum & pectoris doloribus, ruptis, conuulſis, tuſſibus uetuſtis. Craſſam pulmonũ pituitam exigit. Datur comitialibus, opiſthotonicis, lienoſis: item contra neruorum reſolutionem, perfrictiones membrorum, febrium circuitus potione uel inunctu. Menſes pellit. Partus cum aqua mulſa potum exanimat. Serpentium morſus in uino reſtinguit. Olfactum ex aceto uuluarum ſtrangulatus excitat. Diſcutit oculorum cicatrices, obtuſiones, caligines, ſuffuſiones. Reſoluitur ut laſer, ruta, & aqua, & amaris amygdalis, aut melle, aut pane calido. Euphorbium. Iuba Ptolemæi pater in Atlante gigni herbam ſcribit dicato priuatim uolumine, quam appellauit euphorbiam, medici ſui nomine, & fratris Muſæ. ſpectatur acanthinis foliis. Vis ei tanta eſt, ut è longinquo ſuccus excipiatur. inciſę conto ſubditur excipulus utriculo hędino. humor lactis uidetur effluere, qui colligunt clarius uident. Getuli legunt inibi. Siccatus cum coit effigiem thuris habet. Adulteratur hædino lacte, ſed diſcernitur igni: quod enim ſyncerum nõ eſt, faſtidiendum odorem habet. Multum infra hunc ſuccum eſt, qui in Gallia ex herba chamelæa granũ cocci ferente, ut ait Plinius. Fractus hammoniaco ſimilis eſt. Accendit os ſemel guſtatum & magis exterualo, donec fauces afficcet. Dioſcorides euphorbium arborum generi adſcribit, ferulaceũq; eſſe teſtatur, naſcens in Aphrica, monte Tmolo Mauritanię, ſucco madens acerrimo, qui ab incolis propter eximium eius ardorem non ſine metu legitur. Quapropter uentriculos ouium elutos, in quos ſuccus profluat, arbori adalligant, & eminus contis incidunt. Statim uero tanquam è uaſe quodam magna uis eius in ſubiectos uentres effunditur. Sed & in terram quoque ſpargi cõtingit. Liquoris eius duo ſunt genera, trãslucidum ueluti permiſta ſarcocolla: alterum uitreo nitore in uentriculis concreuit. Eligendus qui ſit perſpicuus, uehemens. ſed difficile guſtus experimentum, ut qui leni linguæ tactu accenſum os diu detineat, & qui admota ori omnia, euphorbium reſipere faciat. Inuentionem eius Iubæ regi Libyæ Dioſcorides refert acceptam. Facit claritatem euphorbium inunctis. Contra ſerpentes medetur quacunque parte percuſſa, inciſo uertice, & medicamento addito. Soluit aluum obolis tribus ex aqua, aut in mulſo potum. Lethargicos excitari labor eſt. hoc præſtat euphorbium. Vt perhibent naribus tactis peccedani ſucco ſuffuſiones diſcutit. Succus is cum bibitur, diem integrum continet feruorem, quapropter melle temperari debet. Et in collyria pro portione additur acrimoniæ. In coxendicum potionibus odoratis effunditur. Squamas ipſo die quo apponit, eximit, ſed linamẽtis & cera, caro qua oſſa ueſtiuntur, cõmunienda. Quidam prodidere in ſerpentium ictibus omne periculum abigi, ſi quis inciſo uſque ad oſſa uertice, ſuccum eum dilutum infundat, deinde uulnus conſuat. Galenus & Paulus phorbion ſiue phormion herbam quandam nominant longe ab euphorbio diuerſam, cuius folio & ſemine ad albugines utantur cum melle. Spicula quoque corporibus extrahi perſuaſum eſt. Dat galbanum Syria in Amano monte è ferula, quam eiuſdem nominis reſinæ modo ſtagonitim appellant. Quod maxime laudant cartilaginoſum, purum, ad ſimilitudinem hammoniaci, minimeq; lignoſum. Adulterat faba aut ſagapenio. Syncerum ſi uratur fugat nidore ſerpentes. Galbanum ſuccus è ferula eſt. Naſcitur in Syria Dioſcoridi, metopion uocant aliqui. Maxime probatur cartilagino ſum, pingue, ſimilitudinem thuris præferens: item purum, minimeq; lignoſum, ſed in quo nonnihil ſeminis ferulæ ſit ammiſtum, præterea graui odore, neque humidum, neq; retoridum. Adulteratur faba fracta & hammoniaco. Galbanum à colore dictum candido putant, à

tant, à quo ueſtis nomen Iuuenali, uulgoq; nautica operimenta ſic uocamus. Galbanum naturam habet excalfactoriam, comburentem, extractoriam diſcuſſoriam que. Menſes & partus pellit appoſitu uel ſuffitu. Lentigines cum aceto & nitro illitum eximit. Per ſe bibitur ad tuſſim ueterem, anhelitum, ſuſpiria, conuulſa. Aduerſatur toxicis cum myrrha et uino. Similiter ſumptum abortus non exeuntes trahit. Imponitur & lateris doloribus & furunculis. Incenſum odore comitialibus ſubuenit, uuluæ ſtrãgulatus excitat, uertigines diſcutit. Serpentes urentium nidore fugantur, nec lædunt peruncto galbano, eoſq; ſuccus idem ſpondylio & oleo miſto necat uel tactu. Dentium doloribus circumlitum aut in cauernas additum medetur. Vrinæ difficili prodeſſe exiſtimatur. In potionem pluribus modis reſoluitur, amygdalis amaris, aqua, ruta, melle miſto, pane calido: itemq; aliter, opio, felle liquido, ære combuſto. Qui uolunt purgatiſſimum habere, in feruentem aquam demittunt, ut liqueſcente eo puritas ſubſidat & ſordes innatent, quas eximunt. Mundo linteo ligatum in fictili aut ærea pyxide ita pendeat, ut imum ualis ne tangat, opertoq; uaſe in feruidam aquam mergitur. Sic enim ſyncerũ, ueluti per colum eliqueſcet, & lignoſum in linteo remanebit. Imponitur iſchiadicis, laterum doloribus, panis, furunculis, corpori ab oſſibus recedenti. Illinitur cum melle capitis ulceribus. Purulentis infunditur auribus cum roſaceo. Odore comitiales & ſtrangulatus uteri ſuſcitantur. Strumis, articulorum nodis, dentium quoque doloribus auxiliatur. Medetur & à ſcorpione percuſſis. Bibitur in difficili partu, fabæ magnitudine in uini cyatho: uuluasq; cõuerſas corrigit. In myrrha autem & in uino mortuos partus extrahit. Aduerſatur uenenis, maxime toxicis cum uino & myrrha. Serpentes fugiunt peruncto galbano. Eidem oleo & ſphondylio miſto necantur. Culices accenſo galbano fugantur, nocere tamen urinæ Plinius exiſtimat. Aethiopiæ ſubiecta Africa lachrymã ſtillat in arenis ſuis, inde etiam nomine Hammonis oraculo, iuxta quod gignitur arbor quam metopion uocant, reſinæ modo aut gummi. Genera eius duo, thrauſton maſculi thuris ſimilitudine, quod maxime probatur: alterum pingue & reſinoſum, quod phyrama nominant. Adulteraur arenis uelut naſcendo apprehenſis. Igitur quàm minimis glebis probatur & quàm plurimis. Hammoniacum Dioſcoridi frutex eſt, è quo ſuccus eiuſdem nominis capitur. Sunt qui hammoniacum thymiama uocare malint. Romani guttam appellant. Frutex cum radice ſua totus agaſyllis nominatur. Succus et hic ferulæ in Cyrenaica naſcentis. Probatur maxime coloratum, non lignoſum, ſine arenis, ad thuris maſculi ſimilitudinem cartilaginoſum, purum, prædenſum, liberum ſordibus, odore caſtorei, guſtu amaro, quod genus dicitur thrauſma. Alterum lapidoſius & terroſum, quod nominant phyrama. In Africa naſcitur proxime Hammonis oraculum ferulaceæ, uti dictum eſt, arboris lachryma. Panos & duritias extrahit. Mollit, excalfacit, diſcutit, aluum potu reſoluit, partus expellit. Lienem cum aceto drachma una cõminuit. Articulorum & coxendicũ dolores emendat. Suſpirioſis, orthopnoicis, comitialibus prodeſt. Humores qui in pectore coierint digerit, ſi cum melle delingatur, aut cum cremore ptiſanæ ſorbeatur. Vrinas pellit cruentas. Tollit & albugines oculorum. Genarum ſcabritias abſumit. Dilutum cum aceto duritias lienis & iocineris impoſitu ſedat. Tofos qui in articulis occalluerunt cum melle & pice illitum diffundit. Laſſitudines, & coxendicum dolores eo perũgi utile eſt, cum aceto & nitro & oleo Cyprino acopi uice. Claritati uiſus in collyriis conuenit. Prurítum, cicatrices, albugines oculorum tollit. Dentium dolores ſedat. Efficacius accenſum prodeſt difficultati ſpirandi, pleuriticis, pulmonibus, ueſicis, lieni, cruentæ urinæ, iſchiadicis potum. Sic & aluum ſoluit. Articulis & podagræ cum pari põdere picis & ceræ cum roſaceo coctum auxiliatur. Maturat panos, extrahit clauos cum melle. ſic & duritias mollit. Lieni cum aceto & cera Cypria, uel roſaceo efficaciter imponitur. Laſſitudines cum aceto & exiguo oleo perunguntur.

Sarcocolla. Glaucium. Glutinum. Ichthyocolla. Cap. LIIII

Sarcocolla lachryma eſt arboris in Perſide prodeuntis, thuris pollini ſimilis, colore ſubruſo, amara guſtanti. Sarcocolla uocatur arbor fundens gummi pictoribus ac medicis utiliſſimum, ſimile pollini thuris, & ideo cãdidum quàm rufum melius. Natura eius glutinare uulnera, fluxiones oculorum ſiſtere. Miſcetur emplaſtris. Adulterãt gummi permiſto. Sarcocolla uetuſtate nigreſcit,

melior quo candidior. E` ſpina reddi putãt cum quadam acrimonia dulcem. Illinitur infantibus. Cum uino tuſa ſupprimit fluxiones. Glaucion in Syria, Parthia naſcitur humilis herba, denſis foliis fere papaueris, minoribus tamen ſordidioribuſq́, odoris tetri, guſtus amari cum aſtrictione. Granum habet crocei coloris. hoc in olla fictili luto circumlitum in clibanis calfaciunt, deinde exempto ſuccum exprimunt eiuſdem nominis. Hinc temperatur collyrium, quod medici diaglaucion uocant. Dioſcoridi glaucion ſuccus fit ex herba, quæ circa Hierapolim Syriæ naſcitur, foliis fere cornuti papaueris, faſtidiẽdi odoris, guſtus amarioris, ſucco multo crocei coloris. Huius folia indigenæ fictili olla in clibanis calfaciunt egelidis, donec flacceſcant, deinde exemptis ac tuſis ſuccum exprimunt glaucion uocatum. Hodie dicitur officinis omnibus fere *memitha* barbaro Mauritanorum nomine, namq́ defertur ex Hierapoli Syriæ ſuccus. legiturq́, ut uolunt, ex herba croceo ſucco madente, foliis per terram ſparſis, corniculati fere papaueris, pinguibus, odore graui, guſtu amaro. Folia ſemifrigidis clibanis calfaciunt dum marceſcant, dein cõtuſis exprimũt ſuccum. Sed recentiores quidam è cornuto papauere hunc eliciunt ſuccum, ut nihil profecerit Dioſcoridis atteſtatio in mentione papaueris illius. qui hoc genere fieri glaucion putantes, falli quadam foliorum cognatione cenſet, cum alioquin magno periculo hac in parte hallucinentur: quòd papaueris huius natura potius erodendo ſit, glaucij uero multo mitior refrigerando fere. propterea ex illo collyrium iumentorum oculis adhiberi ſolet, ex glaucio humanis. Glaucij uſus ad oculos, cum inter initia refrigeret. Succus foliorum ſi terantur aduerſus epiphoras, quæ uniuerſæ uno cadunt impetu, auxiliatur. Lactis quoque ubertas intermiſſa reſtituitur. ſumitur huius rei cauſa, cum aqua. Glutinum ſiue gluten, Gallico non aliter quàm Græco uocabulo, *colla*. Præſtantiſſimum fit ex auribus taurorum & genitalibus, ſed adulteratur nihil æque, quibus uis pellibus inueteratis & decoctis. Rhodiacum uero fideliſſimum, eoq́ medici & pictores utuntur. Ligno ſum impro batur. Contexi par eſt & reliqua glutinum genera. Auro glutinum eſt ſanterna, ferro argilla, æris maſſis cadmia, laminis alumen, ſtagnum æramentis, ſtagno argentum, marmori & plumbo reſina, plumbum nigrum albo, album ipſum ſibi. Eſt et glutinũ auri cum inducitur ligno leucoporum, ſiue leucophæon uocatum, ex pluribus compoſitum, ſinopidis Ponticæ ſelibra, ſilis lucidi pondo decem & melini græcienſis duobus miſtis, tritiſq́ una per duodecim dies. Habetur & gluten librariũ ex ſimila & polline. Habetur Dioſcoridi Rhodiacum, quod fit ex tergoribus boum, translucens & candidum, niger colos damnatur. Aceto reſoluitur ad lichenas & lepras, quæ ſumma in cute cernuntur. Dilutum aqua efficaciter prodeſt ambuſtis, nec puſtulas fieri patitur. Cum melle atque oleo ſubactum ferruminis uice glutinat. Medetur dẽtibus fabrile glutinum in aqua decoctum illitumq́, & mox paulo dẽtractũ, ita ut cõfeſtim colluãtur uino, in quo decocti ſint cortices mali punici dulcis. Ichthyocolla piſcis appellatur, cui glutinoſum eſt corium, indeq́ nomen glutino eius, quod ex corio, alij ex uentre putant fieri. Ichthyocolla inuentum eſt Dædali. Laudatur candicans & carens uenis ſquamiſq́, & quæ celerrimè liqueſcit. Madeſcere debet conciſa in aqua & aceto nocte ac die, mox tundi marinis lapidibus, ut facilius liqueſcat. Dioſcoridi uenter eſt cetarij piſcis. Laudatur è Ponto candicans, modice aſpera, minime ſcabra, & quæ celerrimè colliqueſcat. Hanc Galli *collam buccæ* uocant, quòd oris ieiuna ſaliua diluere glutinandis rebus ſoleant. Alij *collam moriũæ*, ita enim cetaceum uocant piſcem, quo frequentiſſime ueſcantur, cuius glutinoſo uentre & corio glutinum fieri inter omnes conuenit. Quare ueriſimili coniectura colligi poteſt, piſcem quem Gallicũ uulgus appellant *moriũam*, ichthyocollam græcis fuiſſe nominatum, cum fere totus inter coquendum in glutinum lenteſcat, ſiccatuſq́ in idem coaleſcens redit. Vtilem eam in capitis doloribus adfirmant, emplaſtris miſtam, & tetanothris, quæ cutem in facie extendunt & erugant. Lepras emendat.

Aparina, Alyſſon. Atractylis. Cap. LV

APARINAM, alij omphalocarpon, alij philanthropon uocant. ſpectatur pluribus ramis, exilibus, quadrangulis, aſperis circa eos foliis in orbẽ collatis per interualla rubiæ modo. flos albus, ſemẽ durum, candidũ, rotundum, à medio leniter concauũ, umbilici effigie. Ipſa herba prætereuntium ueſtibus adhæreſcit. Vtuntur, ut ait Dioſcorides, hac paſtores in lacte coli uice excipiẽdis, ſi qui ſubſtiterint

ſubſtiterint,pilis.Plinius ramoſam repreſentat,hirſutam,quinis ſenís'ue in orbem circa ramos folijs per interualla. Semen rotundum,durum,concauum, ſubdulce. Naſcitur in frumentario agro, aut hortis, pratis'ue, aſperitate ueſtium tenaci. Officinæ & herbarij hodie nominant *aſpergulam*, rectius forſitan aſperulam, quòd aſperitate attingentium ueſtimentis pertinaciter hæreat.aliqui *ruellam*. Rura non inconcinniter *grateronem*, quòd tractantium eam manus ſua mordaci ſcabritia ſcabat. nam ramoſa eſt herba, quadrangula,ex interuallis orbiculato foliorum ambitu, & ueluti ſtellatim decuſſato ut in rubia. Flos albus, ſemen durum,rotundum, concauum, album, umbilici figura. Omphalocarpon inde dici putatur Dioſcoridi, ab umbilici ſimilitudine quã ſemen præfert. Et philanthropos à nonnullis dicta, quia (uelut amici ſolent) commeãtium lacinijs obhæreat. Hippocrates, ut Galenus putat, philiſtion & philetærion appellat. Aliqui lappam, non tamen eam in qua non euidens, ſed occultus flos matureſcit:& intra ſe ſemen germinat, uelut animalia quæ in ſe pariunt, ut uiperæ. Sed ea de grandiore lappa debent audiri, quæ etiam adhæreſcit, & in ipſa flos naſcit non euidens, ſed intus occultus & intra ſe,id quod in ea lappa notabile inuenitur,concipiat. In aparine uero flos albus emicat,exiens non conditus, ſemen umbilici forma protuberat, canaliculatum & omnibus conſpicuum. Illius lapparum tantum non foliorum tenacitas, huius herbæ totius aſperitas ueſtibus adhæreſcit. Aliud floris genus eſt, quod in Parthis naſci tradit Apollodorus, philadelphum appellatum, ex argumento, quòd rami eius ex interuallo ſponte coeant ceu animantes,poſt digrediantur,concipiant & pariant. Huius tenuiſſimis uirgis reticulatim compoſitis, atque ita conſitis,hortorum ſepta impenetrabili compage fieri. Aparine efficax contra ſerpentes ſemine poto ex uino drachma, & contra phalangia. Sanguinis abundantiam ex uulneribus reprimunt impoſita folia. Succus auribus infunditur. Trita folia in fece uini collecta ſtrumas diſcutiunt. Succus è ſemine, caulibus, folijs in dolore ſuffunditur auribus. Idem contra phalangia, & ſerpentes in uino bibitur.

Alyſſon Plinio diſtat à rubia, folijs tantum ramis'que minoribus. quippe nomen accepit, quòd emorſos à cane rabiem ſentire non patitur potum ex aceto alligatum'que. Mirum'que eſt quod additur,inſaniam conſpecto eo frutice ſanari. Plinio id exiſtimatur alyſſon eſſe quod officinæ rubiam minorem appellant, quòd folijs tantum minoribus & ramis diſſideat. Dioſcoridi cremium eſt unicaule, ſubaſperum, folijs rotundis, iuxtáque fructus figura duplicis peltæ, ſemen complexus modice latũ. Naſcitur in montanis gracilibus. Ea propius accedere uidetur ad eam quam *ruſticam cannabim* uocant herbarij. Siquidem frutícoſa herbula eſt, unicaulis, folijs per initia ſatis rotundis, ubi adoleuit oblongis, & per ambitum leuiter ſerratis, fructu duplicium ſcutorum effigie, in quo eſt ſemen quadam tenus latum. In montibus & aſperis emicat. inuenitur quoque frequenter in pratis. Plutarchus tradit tam manuum contactu, quàm oculorum cõſpectu rabiei periculo prorſus eliberare. ideóque iuxta ouilia & equilia commodiſſime ſeri, ut armenta & greges tueantur, inde ductum nomen. Author eſt Aetius, quoſdam exiſtimare hanc herbam nihil differre à ſideriti heraclea, quæ propter uias ubique naſcitur, purpureo flore, folijs craſſioribus. Nomen duxit, quòd mirum in modum opituletur ijs quos in rabiem actus canis momorderit. Ea eſt tertia inter ſiderites à Dioſcoride monſtratas. Sed & Phocion grammaticus folio eam ſuppurpureo deſcribit, quod & ſideritis habet tertia, ut Dioſcorides author eſt. Alyſſon ab hac ſyderiti plurimum differre euidentius eſt, quàm ut debeat probari. quippe quum ea ſideritis folio ſit coriandri, à radice numeroſis cauliculis, palmaribus, teneris, læuibus, in rubore candicantibus, flore purpureo, paruo, guſtanti amaro. in uineis & macerijs inuenitur, uulgo *paſtoris acus*, ut exiſtimo, dicta. Sunt qui *crucialem herbam* uulgo dictam pro alyſſo demonſtrent. ſed intereſt, flos alyſſo candidus,cruciali uero luteus. Exilius eſt huic ſemen quàm alyſſo, minus etiam, anguloſo caule,folijs per interualla quaternis, unde nomen: alyſſo Plinij pluribus. Cæterum impudentius falluntur, qui alyſſon pro ea capiant quæ *lilialis* uel *liliago* ruſtice uocatur,folio quadam tenus & flore lilij purpureo. Alyſſon cenſetur dictum, quòd rabiem canum defendat. Nomen ei quoque datum Galenus ſcribit,eo quòd à cane demorſos minime lymphari patiatur. Decocti ſuccus ſingultus qui ſine febri ſint potu diſcutit, uel ſi in ore tantum contineatur, olfactetur'ue. Lentigines & tædia cutis

in facie tritum emendat cum melle. Commorsos à cane rabiem sentire non sinit contusum adalligatumq; In domo quoque suspensum salutare habetur, amuletumq; cõtra fascinantium maleficia creditur & hominum & quadrupedum generi. In linteo rubro circumdatum iumentorum morbos abigit. Aculeatarum generis atractylis est, similis cnico, longioribus multo foliis, in cacumine uirgularum, cętero fere nuditas aspera. Vtuntur ea mulieres pro fuso. Summitatibus capitula imminent spinosa, flos luteus, certis locis purpureus inuenitur, radice tenui, superuacua. Atractylis acanacea est, id est conceptu floris, sede, fructuq; spinoso. Eadem erat quę acarna, nisi candidior esset, & nisi decerpta cute sanguineum succum funderet, qua de causa phonos uocatur à Theophrasto, odore etiã gratiis, sero maturescente semine, nec ante autumnum. quanquam id de omnibus spinosis dici possit. Acarnæ spina pro folio est, ut inquit Theophrastus, cneco simílis urbano, colore tantum rufo, pingui succo. Atractylis duæ species, una mitior & cneco satiuo similior, caule rectiore ac rigido, exili. itaque pro colu antiquæ mulieres utebantur. Hanc proprie atractylida nominabant, semine candido, grandi, amaro. Altera hirsutior, torosiore caule, quasi sonchi, & qui penè serpat humi, semine minuto, amaro, frequenti, piloso, ut Theophrasto placet. Sed quæ sint hæ duæ iam nobis ostendendum est. Prior ab officinis *sylvestris* dicitur *cartamus*, à rusticis *sanguen hominis*, quòd uulso ramulo cruorem modicum profundat, & ideo quoque *sanguinea uirga* quibusdam nominatur, nonnullis *fusus* aut *colus agrestis*. nanque cnico non dissimilis frutex, spinosus, sed candidior, foliis in summitate uirgarum longioribus, magna caulis parte nuda asperaq;, qua fœminæ pro fusis antiquitus utebantur. Capitula in cacumine aculeata, herbacea illi capillatur coma. Flos luteus, aut in pallorem languescens: quanquam & quibusdam locis purpureus spectetur. radix tenuis, superuacua. Adde, q; si quum adoleuit ramulum uel folium libeat auellere, è plaga cruentus humor manabit, qua conditione, androsæmon ab Aetio uocatur, odore grauis & pestem denuncians. Posterior *cardus benedictus* & officinis omnibus & uulgo nominatur. nam ut Theophrasti utar uerbis, hirsutus est, caulibus soncheis, torosis, humi reptãtibus. nanque propter sui mollitiam ueluti sessilis caducusq; solo procumbit, semine minuto, frequenti, amaro, & pilis barbato. Flos ei luteus emicat alterius more. Cum uel folium uel ramulus eruitur, profluit è uulnere cruor. id quod in cneco & ijs duobus atractylidũ generibus notabile cernitur. Atractylidis folia, semen, comæ trita cum pipere atque uino contra scorpionum uenena præbent auxilium. Fertur ab ijs percussos, quandiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum, simul cum deposita reciprocare sensum doloris. Valet aduersus fungos. Et ne uerbosius de humili altera disputetur, negant pestis experiri contagia, qui aut cum cibo uel potu præsumpserit. Iam correptis magno fore remedio sibi uulgus persuasit.

Asclepias. Polycnemon. Clinopodium. Leontopetalon. Teucrion. Chamædrys, trissago, Leucas. Cap. LVI

Asclepias, alij cission, alij cissophyllon, ramos habet longos, folia hederę, radices numerosas, tenues, odoratas. Floris uirus graue, semen securidacæ. nascitur in montibus. Plinio folia hederæ habet, ramos longos, radices numerosas, tenues, odoratas. floris uirus graue, semen securidacæ. Inuenitur in montibus fruticosa herba, ramis oblõgis, folio hederaceo sed amplexicaule, graui floris odore, semine securidacæ, radice numerosa, tenui, odorata, sed uulgo nullum habet nomen quod potuerim extorquere: quibusdam tamen placebat *hederalem* nominari. In uino radices torminibus medẽtur, & cõtra serpentium ictus. Folia mammarum uulnerumq; uitijs, etiam si cacoethe sint, illinuntur. Polycnemon furculosa est herba origano similis, semine pulegij, multis geniculis, sine umbella, sed dependentibus paruis ueluti acinorum corymbis, odore acri, iucundo. Polycnemon appingitur Plinio cunilæ bubulæ similis, semine pulegij, furculosa, multis geniculis, corymbo odorato, acri & dulci odore, quæ ferro factis uulneribus commanducata imponitur, quinto die soluitur. Bibitur ad stranguriam, & rupta cum uino. Vulneribus glutinandis recens aut arida efficaciter ex aqua linitur. Vsu compertum est, ramulis huius contritis & in uino albo datis, magnum præsidium adferri lymphationibus. Clinopodiũ furculosa est & hæc, pedis altitudine.

Nascitur

Nascitur in petrosis, foliis serpylli, floribus per interualla marrubij similitudine, speciem pedum lecti præbentibus, unde nomen auspicatur. Clinopodion Plinio quod alij cleonicon, alij zopyron, alij ocymoides appellant, serpyllo simílem, surculosam, palmi altitudine. nascitur in petrosis orbiculato florum ambitu, speciem lecti pedum præbens. Non desunt, quibus herba orbiculata uulgo dicta, serpyllo similis, etiam si non serpat, aut eadem aut propinqua esse uideatur: quoniam orbiculato florum ambitu à Plinio tradatur. Dubitationem facit Dioscoridis adiectio dicentis, ex interuallo marrubij similitudine flores in ea cerni, quod quidem in ea quæ dicitur orbiculata non inuenitur, sed continua florum series subalbentium, acinis in summo ternis quaternisue, radice fibris multiplici. Potius ad eam clinopodion accedere uidetur quam officinæ uocant *montanum pulegium*, quòd sit foliis serpylli, floribus per interualla surculos coronantibus, ut in marrubio, altitudine fere pedali, in petrosis nascens. Bibitur clinopodium ad conuulsa, rupta, strangurias, serpentium ictus. Item decocti succus menses trahit & partus. Verrucæ continuis diebus bibentium decidunt. Multis experimentis confessum est ramulos eius ad tertias decoctos ex uino albo mederi correptis furore. Leontopetalon Italia papauerculum, & leoninum semen appellat, caule semipedali, aut etiam maiore, alis numeroso, quarum cacumine in siliquis semina ciceris modo bina ternáque continentur, flore puniceo, simili anemones, folio brassicæ, diuiso, papaueris forma. radix nigra similis rapæ, strumosa, tuberculis quibusdam ceu nodis articulorum eminentibus. nascitur in aruis frumentario agro. Plinio leontopetalon, alij rhapeion uocant, folio brassicæ, caule semipedali, alæ multæ, semen in cacumine in siliquis ciceris modo. radix rapæ similis grandis, nigra. nascitur in aruis. *Pata leonis* officinis & herbarijs hodie dicitur, caule palmari, surculoso, brassicæ folio, papaueris modo resecto, flore rubente, semine ciceris magnitudine in siliquis contento, radice nigra, rapæ simili, tuberosa. Radix aduersatur omnium serpentium generibus ex uino pota, nec alia res celerius proficit. Datur & ischiadicis, & subter in aluum inditur. Teucrion uirgas habet multas, herbæ trissaginí similis, folio tenui, ciceris amplitudine. Prouentus eius in Cilicia. Plurimum iuxta Gentiada Cissademque. Teucrion hoc, ut puto, ramis hyssopi describitur à Plinio, surculosa, folio fabæ. Colligi florentem adhuc iubent, adeo florere non dubitant: maximéque ex Cilicijs & Pisidijs montibus commendant. Dicitur eadem teucria. De hemionitide, quã Teucer inuenit, & ideo teucrion cognominata, scribendum alibi nobis erit. Mihi planè uidentur hallucinari, qui teucrion eam esse herbam contendant, quam uulgus appellat *inuersam fabam*, cum surculosa repręsentetur, ramis hyssopi, folio fabæ. Cæterum, uti suprà docuimus, folio est portulacæ, & ramis eiusdem, ita ut telephium esse & pictura & uires satis ostendant. Recens teucria in posca uel sicca deferuefacta potu lienem efficaciter consumit: item ex aqua linitur. Pota arida & decocta, quantum manus capiat, in aceti heminis tribus lieni medetur. Ad uulnus illinitur eadem cum aceto, aut si tolerari non possit, ex fico uel aqua. Iocineri bibitur recens drachmis quatuor in poscæ hemina. Serpentium plagis imponitur cum aceto tantum. Chamædryn Romani trissaginem appellauere, quidam & hanc, similitudine quadam, teucrion. statura tota digitorum quatuor altitudinem non excedit, in petrosis & asperis nascens, foliis paruis, effigie & diuisura quercus, amaris, flore penè purpureo, exili. carpitur prægnans semine. Chamædrys herba est Plinio quæ Latine trissago dicitur. aliqui eam chamædropen, alij teucriam appellauere. Folia habet magnitudine mentæ, colore & diuisura quercus. Alij serratam, & ab ea serram inuentam dixere, flore penè purpureo. Carpitur prægnans succo, petrosis gaudet. Officinis Græcum nomen insedit. *Querculam* uel *serratulam* uulgus nominat, palmum altam, folio exili, quercus similitudine, per ambitum serrato, odorato, amaro, flore purpureo, semine in singulis calyculis atro. Ita ex inspectu herbam graphice depinxi, quæ chamædrys officinis nominatur. Theophrasto statura uix palmum excedit, odorata atque suauis est. Folia fert quercus. Trissaginis folia ad rupta & uulnera in oleo trita prosunt: depascentia ulcera compescunt. Semen bilem extrahit, oculis auxiliatur. Albugines, ut idem tradit Theophrastus, tritum in oleo folium emendat. Aduersus serpentium uenena potu illitúq; efficacissima: item stomacho, tussi uetustæ, pituitæ in gula cohęrescenti, ruptis, conuulsis, lateris doloribus. Lienẽ cõsumit. Vri

nam &

nam & menſes cit, ob id incipiẽtibus hydropicis efficax, manualibus ſcopis eius in tribus heminis aquæ decoctis uſq; ad tertias. Faciunt & paſtillos terentes eam ex aqua ad ſupra dicta. Sanat & uomicas & uetera ulcera, uel ſordida cum melle. Fit uinũ ex ea pectoris uitijs. Foliorum ſuccus cum oleo caliginem oculorum diſcutit. Ad ſplenem ex aceto ſumitur. Excalfacit perunctione. Dioſcoridi recens decoquitur ad cõuulſos, tuſſientes, ad duritias lienis & urinæ difficultates. Cit menſes, & partus extrahit. Ex aceto pota lienem abſumit. Serpentium uenenis ex uino tam potu quàm illitu remedio eſt. Trita digeritur in paſtillos ad ſuprà dicta. Purgat uetera ulcera cum melle. Caliginem oculorum emendat. Natura eius calfacere. Leucas montana latioribus folijs quàm ſatiua eſt, acrior & amarior, ſemine quod minus gratum ſapore habet. efficacior quoque quàm ſatiua. Leuce mercuriali herbæ ſimilis, nomenq; ex cauſa accepit, per medium folium tranſcurrente linea, quare meſoleucon quidam uocant, forſitã (ut uerba Plinij uſurpem) eadem ſit quæ leucas appellatur. Speciem eius authores non tradunt, nec aliud quàm ſylueſtrem latioribus folijs eſſe, efficaciorem hanc, ſemine acriore. Sed profecto inuenitur in cultis & frequenter in uitibus, nonnunquam in montanis, herba qua uulgus per inopiam meliorum olerum ueſcitur, folio mercurialis herbæ, per cuius medium alba linea nõ tranſcurrit, ſed totum argenteo candore nitet. In quo genere grandior apparet quæ in ſylueſtribus emicat, *atriplicem ruſticam* uulgus nominat: ut forte leucas ea eſſet, & ea per cuius medium candida tranſcurrit litura, & ob hoc meſoleucon dicta, potius leucographis, ut nomen uidetur ſonare, quaſi cãdido uerſu uel ſtylo notabilis obſignetur. Verum leucographis qualis eſſet ſcriptum non inuenitur. quod magis eſt mirandum, quoniam utilis proditur ſanguinem excreantibus tribus obolis cum croco: item cœliacis trita ex aqua & appoſita, profluuio fœminarum, oculorum quoque medicamentis, & explendis ulceribus quæ fiunt in teneris partibus corporis. Leucas cõtra omnia marina uenena efficax eſt. Leucæ ſuccus fiſtulas ſanat.

Lychnis coronaria. Lilium. Cap. LVII

LYchnis coronaria, Romani genicularem ſiue ballariam uocãt, florem habet uiolæ albę magnitudine, ſed purpureum. nectitur ad corollas. Lychnis æſtate floret. Plinius quodam loco flammeam cognominat, alibi roſam græcam. Non niſi in humidis locis prouenit, nunquam excedens quinque folia, uiolæ magnitudine. Amerias rhizotomus lychnim è Veneris labro natam putauit, cum à Vulcano compreſſa lauit ſe. Præſtantiſſimã haberi in inſulis Cypro, Lemno, Strongyle, Erice, Cytheris. Galli *candelariam* uocant. nam hæc fruticoſa eſt, lanugino ſis flagellis, folijs anguſtis & canis, flore purpureo, inodoro, uiolæ matronalis effigie, flammeo colore. hinc coronis inſerta, igneo micans aſpectu, oculorũ aciem obtundit. Quod & Moderatus Columella hoc innuit ſenariolo,

Nunc ueniat quamuis oculis inimica corymbe.

Haud temere alibi quàm in humidis naſcitur. Nam & corymbion uocari Dioſcorides teſtatur: taurion etiam dici ſcribit. Alia tamen eſt, quæ *taura* uulgo nominatur ſiue *tora*, flore cæruleo, folio rotũdo, radice polypodij hirſuta, & uermis nigri effigie. uenenoſa herba. Cui per antipathiam naturæ exaduerſo occurrit *antitora* cognomine, folio rotundo. Lychnis ſylueſtris ſatiuæ omni ex parte ſimilis eſt, cuius radicẽ Aſiani boliten uocant, à noſtris accipitrinum pedem appellari ſcribit Dioſcorides. quanquam *accipitrinus pes* apud uulgus eſt quæ *corneola* quoque dicitur, folio ſalicis ferè puſillæ, flore ſubluteo, cum ſiliquis ciceri ſimilibus, & in ijs ſemẽ. Inficere capillos dicitur colore rubro. Qualis aũt ſit pes miluinus dicta Columellæ, inter herbas quas in uſum colligi & reponi oportet, ipſe non explicuit. Satiua lychnis aduerſus ſcorpiones è uino bibitur ſemine. Sylueſtris ſumitur ſemen ad extrahendam bilem per aluum denarijs duobus. Scorpionum naturæ tam contraria eſt, ut admota ea torpeſcere immobiles factos exiſtiment. Lilium Franci *liſſum* appellant, caule ſimplici, tricubitali, comoſo, folijs longis, ſatyrij effigie, ex herbaceo nitentibus, radice bulboſa, flore emaculati candoris, calathi forma, extrinſecus ſtriato, reſupinis per ambitum labris, luteis emicantibus ex fundo calycis apicibus, alterius quàm flos odoris. Lilium Græci perhibent è Iunonis lacte natum reſperſa terra. nanque quum Herculem, quem ex Alcmene ſuſtulerat Iupiter, immortalitate uellet donare, Iunonis dormientis

mientis uberibus admouit,& cum lacte se replesset,post suctum digressus,mamma copio se profluxit. quod in cælo à puero profusum est, galaxiam,id est lacteã effecit uiam: quod humi sparsum est, lilium florem lacteo colore nitentem creauit. Ob id à nostris *Iunonia rosa* dictum uideri potest. Nicander Veneris charma quasi uolupe cognominari à quibusdam cecinit. In Co insula ex Alexandri statua enatam in capite ambrosiam Caryst ius, quæ nihil aliud sit q̃ lilium,memoriæ proditum reliquit. Nascitur è lachryma sua liliũ inarescente,cum defluxit,ut olusatrum. Februario mense liliorum bulbos ponimus,uel lilia iam ante habita sarrimus summa diligentia,ne oculos circa radicem nascentes,& minores bulbulos sauciemus. qui à matre subtracti,atq; in alios digesti ordines,noua lilieta formabũt. Albo nihil est fœcundius,una radice quinquagenos sæpe nutriente bulbos. Lilium rosę nobilitate proximum,ideoq; Iunonis rosa dicitur. Nulli florum proceritas maior,interim cubitorum trium,languido semper collo, nõ sufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, foliis foris striatis,& ab angustijs in latitudinem se paulatim laxantibus, effigie calathi,resupinis per ambitum labris, tenuiq; filo & semine stantibus in medio crocis. Ita odor colorq; duplex,ut alius calycis,alius stamínis. Differentia angusta. Raro duplex caulis in lilio, singulis caulibus lilia modo singula,modo plura sustinẽtibus, quod rarius est. Pandit se uel detractum parenti,etiam si tristius & exilius. Lilij quadruplex genus in Theophrasto. primi flos uere cum uiola sæpe alba paulopost'ue postea erũpit, hoc proprie ab eo crinon,hoc est lilium appellatur. Alterum genus lirion uocat,uere quidem omnino florens, uerum serius cum narcisso, forteq; hoc sit quod à Plinio lilium trans maria nuncupatum est. Tertium æstate floret,cerinthum'que priuatim uocari putant. Quartum genus, quod item lirion Græci nominant, autumno floret, emicatq; primis imbribus. Est & rubens lilium satis apud nos frequens,differens à purpureo. Probatissimum in Antiochia & Laodicea Syriæ, mox Phaselide quartum locum obtinente. Florem lilij nascentis in Italia cynorrhodon uocari Plinius est author. quod & Hippocrates accepit, cum rubentia cynorrhoda fœminarum purgationibus commendat in uino. Caule gemino purpurea uisuntur aliquando,carnosiore tantum radice,maioriscq; bulbi,calyx herbaceus. Post æquinoctium autumni florent. Purpureis calyces herbacei,cætera eadem quæ candidis. Lilia purpurea monstrificis hominum ingenijs fiunt. Colliguntur mense Iulio scapi arescentes, liliaq; suspenduntur in fumo, deinde nudantibus se nodulis in fece uini nigri macerantur, ut colorem accipiant,atque ita in scrobiculis seruntur. Sic,ut Anatolius est author,purpurea fiũt lilia. Deni uel duodeni eorum scapi in fasces, uel scopas una colligati, dum floruerint,fumo suspenduntur, qui radiculas uel bulbulos inibi iacit: quumq; pangendi tempus appetuerit,in fece uini nigri macerantur dum infecti colorem contraxerint purpureum,eóque intinctu affatim saturentur, mox scrobiculis deponuntur, effusa largius fece, & ita flores nascentur purpurei. Lilia, ut idem Anatolius testatum reliquit, totum annum uiridia durabunt, si cum occlusa silent, necdum patentia dehiscunt, decerpta, nouis fictilibus non picatis indito diligenter operculo recondantur. sic clausa perpetuum annum uegeta manebunt. Sed ut intermedio tempore ad usum promuntur, statim ad solem producta, quum senserint eius calorem, aperta panduntur. Cæterum ut uicissim & uarijs temporibus flores pariant lilia, bulbi ita seruntur, ut aliqui duodecim digitorum altitudine obruantur, alij octo tantum, alij quatuor duntaxat profunditate mergantur, sic diuersis diebus dabunt lilia. quod & in alijs floribus fieri pollicetur. Rubra lilia fieri idem adfirmat author, si inter cortices cinnabaris infundatur, hac tamen obseruatione, ne bulbi quouismodo uulnerentur. Et si quemuis alium colorem ebiberint, par erit eum referre, quo delibuta fuerant lilia. Mirumq; ita tingi aliquid ut nascatur infectum. Lilium rosæ nobilitati proximum quadam cognatione unguenti oleiq;, quod lirinon appellatur, & impositum etiam maxime rosas decet, medio prouẽtu earum incipiens. Lilij radices multis modis florem suum nobilitauere. Contra serpentium ictus ex uino potæ ualent, & contra fungorum uenena. Propter clauos pedum in uino decoquuntur, triduóque non soluuntur. Cum adipe & oleo decoctæ pilos adustis reddunt. Cum mulso potæ inutilem sanguinem cum aluo trahunt. Lieni & ruptis prosunt,& menstruis fœminarum in uino decoctæ. Impositæq; cum melle neruis præcisis medentur. Lichenas,lepras & furfures

in facie

in facie emendãt. erugant corpora. Folia in aceto cocta uulneribus imponuntur: epipho/ris teſtium in melle cum apollinari herba & tritici farina. Semen illinitur igni ſacro, flos & folia ulcerum uetuſtati imponuntur. Succus qui flore expreſſus eſt ab alijs mel, ab alijs ſy/rium uocatur, ad molliendas uuluas utilis. Sudores mouet, ſuppurationes concoquit. Li/lium roſam Iunonis à Latinis appellari Dioſcorides adfirmat. Flos uenit in coronas. Ex eo fit oleum quo ab alijs lirinum, ab alijs ſuſinum appellatur, ad emollíẽdos neruos, priua tímq; uuluarum duritias. Folia ſerpentiũ percuſſibus impoſita medentur: feruefacta adu/ſtis proſunt. Eadem ex aceto inueterata uulneribus opitulantur. Succus cum melle & ace to æreo uaſe coquitur, conuenienti remedio uetuſtati ulcerum, & ad recentia uulnera. Ra díces toſtæ cum roſaceo ſanant ambuſta, uuluas emolliunt, menſtrua fœminarum ímpel/lunt, ulcera cicatrícibus claudunt. Impoſitæ cum melle neruis præciſis & luxatis partibus auxíliantur. Vitilígines emaculant. Contra lepras & furfures & manantia capitis ulcera confricantur. In facie cutem emendant, & erugant corpora. Teſtium inflammationes trí/tæ cum hyoſcyami folijs & farina tritici admotæ mulcent. Illínuntur ígnibus ſacris folia. Sunt & lília purpurea, ut quídam perhíbent, laudatiſſima oleo faciundo in Syria & Piſſí/día Pamphylíæ.

Ballote. Meliſſophyllon. Marrubium. Stachys. Cap. LVIII

BAllote caulibus adſurgit quadrãgulis, nígricantibus, hirſutis ferè, ab una ra díce numeroſis, folio marrubij ſed maiore, penè rotundo, piloſo, cingẽte per íntercapedínes caulem, apiaſtri ſimilitudine, graueolente, ideoq; & meliſſo/phyllon hãc aliqui uocauere, orbículato florum ambítu, qui in rotæ ſpeciem candídi ſcapos uerticíllatim obducant. Balloten alio nomine melampraſon Græcís appellari Plinius tradit, herbam frutícoſam, anguloſis caulibus, nígris, hirſutis, fo/líjs ueſtientibus, maioríbus q̃ porri, & nígrioribus, graueolentibus. Nec uídeo qui poſſim tueri partes Plinij, qui balloten folijs porri, maioríbus nígrioríbusq; depínxit, cum Græci omnes, melampraſion id eſt marrubium nígrum, ſine ulla controuerſía cognomínant. nec folia ei ſunt porracea, ſed marrubij, aut apiaſtri. Deceptum affinitate nomínum cõſtat, pra ſon pro praſion legentem, qui error ei ferè fatalis fuit. idemq; cõmittitur in herba ſtachye. Ballote omnibus officínis *marrubiaſtrum* aut *nigrum marrubium* appellatur. nam propter uías naſcitur aſpectu barbaro, odore graui, frutícoſa, dodrantalibus ramulís, alterno florum ſe/mínisq; cõtextu per interualla coronatis, folio marrubij, ſqualidíore, flore purpureo. Vís eius efficax aduerſus canís morſus ex ſale folijs tritis impoſita: item ad condylomata, co/ctis cínere, in folio oleris. Purgat & ſordida ulcera cum melle. Folia cínere feruído conti/nentur dum flacceſcant, reprímendis condylomatis. Meliſſophyllon, alij melitæ/nam, Romani apiaſtrum aut citragínem nomínãt, dictum ab apíbus, quòd ea herba plurí/mum lætentẽ. Cauliculi eius & folia ballotæ ſimília ſunt, maiora hæc duntaxat tenuioraq;, nec perinde hirſuta, citrumq; olentia. Galli *meliſſam* uocant, ballotæ ſimilem, folio tantum maiori, læuiori, citri odore. Meliſſophyllon apiaſtrum ab Hygino uocari cœpit eruditiſſi mo alioqui uíro, ſed quem omnes hac in parte damnent, & quod magis mirere, ſequantur tamen. Nam & Marcus Varro ita eam appellat, et Dioſcorides ita Latínis nomínari teſta tur. In coronamenta hæc folio uenit. Adeo autem nullo flore magis apes gaudent, ut ſi per ungantur aluearia eo non fugiant, & copia eius examina facile cõtineantur. Horum itaq; cauſa ſerere meliſſophyllon oportet, item q; ad ipſum apes conueníant. Citraginẽ & hanc à Latínis uocari Dioſcorides adfirmat, ab odoris ſimilitudine. nanq; ſi nares conſulantur, citrium malum olebit. Palladius apium uaſa, quíbus recipiũtur, perfricanda citragine præ cipit, & uncta manu ſucco meliſſophylli reges requiri, ubi globos apium frequentíores ui deris. Sic uidetur meliſſophyllon à citragine diſtinxiſſe, ſed q̃ recte neſcio. Preſentiſſimum eſt contra ictus apum, ueſparumq; & araneorum remedium: item ſcorpionum. Pollet con tra uuluarũ ſtrangulationes addito nítro: contra tormina è uino. Folia eius ſtrumis illínun tur, & ſedís uitijs cum ſale decocta. Succus fœminas purgat, inflationes diſcutit, & ulcera ſanat. Articularios morbos ſedat, canisq; morſus. Prodeſt dyſentericis ueteribus, & cœlía cis, orthopnoicis, lienibus, ulceribus thoracis. Caligines oculorum ſucco cum melle inun gi eximium habetur. Folia Dioſcoridi in uino ſumpta medentur ictibus ſcorpionum, ara/neorum

neorum & canum. Eorundem decocto fouentes eadem sequitur utilitas. Fœminas infi/
dentes decoctum purgat. Idem in dentium dolore colluitur. Dysentericis quoque pro/
dest iniectum. Contra fungorum strangulatus folia cum nitro bibuntur. Torminibus
auxiliantur & orthopnoicis delinctu. Strumas cum sale discutiunt. Vlcera purgant, ar/
ticularijs doloribus illinuntur. Eo Galenus, non nisi marrubij inopia, utendum censet.
Marrubium Græcis prasion dicitur. frutex est ab una radice ramosus, modice hirsutus,
albicans, uirgulis quadratis, folio pollicis magnitudine, quasi rotundo, hirto, rugoso, gu/
stu amaro. semen & flores asperi quadam uerticillorum specie cohærentes per interualla
caules coronant. nascitur in ruderibus, & collapsis ædificijs. Officinis & uulgo nomẽ ser/
uauit. Notius quàm ut indicandum sit. siquidem singulari radice, angulosis ramulis fruti/
cat lanuginosum, foljs ferè orbiculatis, incanis, hirtis, odoratis, amaris, lacteo flore, uerti/
cillato cinctu scapum ex interuallis amplectente, cui succrescit teres & asperũ semen. Du/
plex Theophrasto genus. unum folio herbaceo & incisuris altioribus serrato, unguenta
rijs, ut idem ait, ad quædam quæsito. Hoc officinæ *prassion uiride* nominant. Alterum fo/
lio rotundiore, uehementer squalido ut saluia, & obscurius serrato. Hoc candidum inter/
pretor: quanuis non desint qui hoc balloten, illud candidum appellent, quòd medicinæ
congruant in Plinio. Cæterum quod officinæ *uiride prassion* ostendunt, coma est herbacea,
serratiori, crenisq; profundioribus, reliqua candido simile, eiusdemq; naturæ. Castor mar
rubij duo genera tradit. nigrum quod magis probat, candidum in ouum inane succũ adij/
cit, his ipsumq; ouum infundit melle æquis portionibus, tepefactum uomicas rumpere,
purgare, persanare promittens: illitis etiam uulneribus à cane factis tusa cum axungia ue/
teri. Marrubium plericq; inter primas herbas commendauere. Huius folia semenq; contri/
ta prosunt contra serpentes, pectoris & laterum dolores, tussim ueterẽ. Iis qui sanguinem
reijciunt eximiè utile scopis eius cum panico decoctis, ut asperitas succi mitigetur. Impo
nitur strumis cum adipe. Sunt qui uiridis semen, quantum duobus digitis capiant, cum
farris pugillo decoctum, cum exiguo olei & salis, sorbere ieiunos ad tussim iubent. Viri/
lium uitijs tusum cum melle mire prodest. Lichenas purgat ex aceto. Ruptis, cõuulsis, ner
uorum contractionibus salutare. Potum aluum soluit cum sale & aceto, menstrua & se/
cundas mulierum extrahit. Arida eius farina cum melle ad siccam tussim utilissima: item
ad gangrænas & pterygia. Succus uero articulis, è naribus morbo regio, minuendæq; bi/
li cum melle prodest: item contra uenena inter pauca potens. Ipsa herba stomachum &
excreationes pectoris purgat, cum iride & melle urinam ciet: cauenda tamen exulceratæ
uesicæ & renum uitijs. Succus claritatem oculorum adiuuare creditur. Huius foljs in a/
qua decoctis, aut expresso recentibus succo, tabidi, suspirioli, tussientes cum melle sanã/
tur. Crassa pectoris pituita cum iri sicca reijcitur. Menses mulierum cunctantes, & se/
cundæ pelluntur. Difficiles partus excernuntur. Datur ad serpentium morsus, & pocu/
la uenenata. Vesicam renesq; lædit. Folia cum melle illita sordida ulcera purgant, ptery/
gia nomasq; cohibent, laterum dolores mitigant. Succus foljs contusis exceptus & sole
coactus ad eadem pollet: cum melle litus oculorum claritatem exacuit, regium morbum
per nares comminuit. Aurium dolores infusus aut per se cum rosaceo discutit. Stachys
frutex marrubij similitudinem refert, paulo tamen longioribus foljs, pluribusq;, præte/
rea modice hirsutis durisq;, iucundi odoris. Virgulæ in eo ab una radice plures exiliunt,
candidiores quàm marrubium. Montes & aspera diligit. Rura nostra *rusticam*, uel *monta/
nam*, uel *mollem saluiam*: herbarij *nauiculam*, alij *coronatam herbam* appellant, quoniam uerticil/
lato florum ambitu, & orbibus spicarum caules cingentibus coronetur, unde & stachys
græce dicta putatur. Officinis nullum inuenit nomen. nanque frutex marrubio similis
conspicitur sed altior, folia ferens numerosa, hirsuta, incana, prædura, odoris non iniu/
cundi, emicantibus ab una radice pluribus uirgis marrubio candidioribus. Nihil hac
frequentius in asperis & montibus inuenitur. Plinius ei porri similitudinẽ reddit, praſon
pro prasion legens, deceptus nominum uicinitate, odoris iucundi, coloriscq; in luteum in/
clinati. Excalfacit. Pellit menses & secundas foliorum decocto in potum dato.

Phyllitis, Phalangion, Trifolium. Cap. LIX.

PHyllitis foliis prouenit lapathi, longioribus duntaxat adultioribusq́, modo senis modo septenis, interius læuor, auersis exiles annexos ceu uermiculos præferens. In opacis hortisq́ nascitur austeri gustus. Caule, flore, semine deficitur. Dioscorides ab aliquibus lapathon agreste, id est sylueströ rumicem tradit appellari. quapropter folioſus cespes in radicibus ædificiorum ac parietum nascens, phyllitis dici poterit, foliis rumicis, lõgioribus, senis aut septenis, quæ parte anteriore læuia cernuntur, à tergo pensiles quasi uermiculos præmonstrant, caule, semine, flore uidua. Sũt tamen qui phyllitim putent esse, eã quam officinæ uocant *linguam cerui*. nam folia satis ad rumicem accedunt, longiora, anterius læuia, posterius quibusdam uersibus, ceu liris utrinq́ exasperata cum adoleuerũt: cæterum nõ paruum inter eas discrimen adnotatur, nanq́ phyllitidi folia rigent in altum surgẽtia, linguæ ceruinæ inclinua, & lunę crescentis modo falcata, quin potius dracũculi modo lunata, quæ radicibus multis & exilibus fulciuntur. Phyllitis murorum, quibus hæret, aspergines sentiens, foris pẽsiles ceu uermiculos ostendit, interius summum læuorem repræsentat. Lingua cerui auersa dorsi parte sessiles quosdam utrinq́ uersus nequaquam propendentes sed liratim digestos refert, aduersa summo læuore nitet. Dissidẽt quoq́ natalibus. cerui lingua in petris emicat, rigua saxa puteosq́ sequitur: phyllitis opacis gaudet, hortorum parietibus contenta. Neutra florem, caulem, semen profert. Diu uiret phyllitis, contra gelicidia hyemis contumax. Bibuntur folia in uino contra serpentium morsus. Quadrupedibus quoq́ percussis infusa per os medentur. Si dysenteria, aut resoluta aluus exercet, potui dãtur. Phalangium aliqui phalangitem dicunt. ramuli sunt ei duo, uel tres, plures ue in diuersa tendentes, flos candidus, lilio similis, multis incisuris præcinctus, semine crasso, nigro, lato, ad lenticulę dimidiatæ figuram, multo tenuiore, radicula gracili, herbacei coloris cum eruitur. Videtur in collibus gigni. Phalangites, ut Plinius tradit, à quibusdã phalãgion uocatur, ab aliis leucuthemon, & ut in quibusdam exemplaribus inuenit leucanthemon. ramuli sunt ei nunquam pauciores duobus, in diuersa tendentes, flos candidus, lilio rubro similis, semine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiæ figuram, multo tenuiore, radice herbacei coloris. Huius folio, uel flore, uel semine auxiliantur contra scorpionum, phalangiorumq́ & serpentium ictus: item contra tormina. Triphyllon Græcis, Latinis trifolium, uirgis tenuibus fruticat nigris, & iunceis, agnascente circa eas propagine, altioribus cubito. Folia sunt arbori loto similia, in singulis germinibus terna. Odor tenellis rutæ, cum uero adoleuere bitumini, flos purpureus, semen latũ, & quadam tenus pilosum, ab altero limite antennæ modo cornutum, radix longa & gracilis firmaq́ conspicitur. Officinæ *trifolium*, Galli *treuflum* appellant. supra cubiti altitudinem fruticat, uirgas spargens tenues, iunceas, nigricaules, è quibus ramulares enascuntur appendiculæ, quæ in terna folia singulis germinationibus exeunt, folia loto similia. ijs recenter enatis rutæ ineſt odor, ubi adoleuerũt bitumen olẽt. flore purpureo, semine quadam tenus lato, ex altero extremo corniculum exerente, radice longa, tenui, ualida. Folio coronat trifolium. Tria eius genera. menyanthes uocãt Græci, alij asphaltion, Archigenes asphaltitin, maiore folio, quo utuntur coronarij. Alterũ acuto oxytriphyllon cognomine. Tertium minutissimum ex omnibus. Trifolij herba in prato optima est. Præsagia tempestatum habet, inhorrescit enim & subrigitur contra eas. Sophocles poeta uenenatum id existimat, uerum serpentes in trifolio nunquam spectantur. Symoniacum trifolium, ut Columellæ placet, inuenitur in fragrosis locis, quod efficacissimum traditur, odoris grauis, neq́ absimilis bitumini, idcirco Græci id asphaltion appellant, Latini propter figuram, acutum trifolium. nam longis & hirsutis foliis uiret, caulẽq́ robustiorẽ facit quàm pratense. Huius herbæ succus uino mistus infunditur pecudũ faucibus, ut uenena uiperę depellat: atq́ ipsa folia cũ sale trita malagmatis more scarificationi intenduntur. Vel si hanc herbam uiridẽ tempus anni negat, semina eius lecta & læuigata dantur potanda: radicesq́ cũ suo caule tritæ & farinæ & sali cõmistæ ex aqua mulsa scarificationi superponuntur. Trifolium acutum, quod oxytriphyllon appellant (ut Scribonius Largus scriptum reliquit) nascitur in Sicilia plurimum. nam Italiæ regionibus nusquam eam uidit herbam, nisi in Lunæ portu cum Britaniã peteret cum Claudio Cęsare.

Circun-

Circundat montes. Est autem foliis & specie similis communi trifolio, nisi quod pleniora sunt & quasi lanuginem quandã super se habent, & in extrema parte uelut eminentẽ aculeum: sed frutex huius duum pedum, interdum altior conspicitur, & odorẽ grauem emittit, quorũ nihil circa pratense trifolium inuenitur. Sinistra manu uellendũ præcipit. Tria apud nos inueniuntur fastigia. unũ bicubitale, ramis exilibus, trigeminis, per interualla foliis nigricantibus dum pubescũt, rutaceo odore, ubi adoleuerũt aspalathi, flore purpureo, semine fœnigræci, radice oblõga. Alterũ omnibus notũ est, folio molli, rotũdo, & lentè maculoso. nascitur in humidis. scatẽt eo prata. Tertiũ acuto folio. Addũt & quartũ nostri herbarij quod *acidum* nominãt *trifolium*, uulgus *panem cuculi* & *alleluya* uocat, humile, longis tantum pediculis, trifoliũ proferẽs acetoso sapore, flore cãdido, rufo in lunatis siliquis fœtu, radice in trãsuersum longa & fruticosa. Hoc in acetarijs utũtur iucũdo sapore. Id facile crediderim esse, quod ab acido, ut arbitror, sapore oxys Plinio nominatur. folia habet terna. Datur ad stomahum dissolutũ. Edunt & qui enterocelen habent. Nec aliud de hac prodítum inuenio. Trifolium ex uino sumptũ calculos eijcit. Radix duabus drachmis pota strãguriæ medetur. Eadẽ hydropicos sanat ex uino duobus denarijs. Celebrati authores contra omnia uenena pro antidoto sufficere prodiderunt: serpentes nunquam in trifolio aspici: triginta grana eius, quod menyãthes appellatur, tradit: prævalere cõtra serpentiũ ictus & scorpionũ ex uino aut posca seminis granis uiginti potis, uel foliis, & tota herba decocta: multa alia in remedijs eius ascribi. Sed contra Sophocles poeta uenenatum id dicit. Simus quoq; medicus decocti aut contriti succũ infusum corpori uredines facere, quasi percussis a serpente. Alij tradunt semen eius, cuius minima sunt folia, utile esse ad custodiendam mulierum cutis gratiam in facie illitum. Contra sentẽtias eorum, grauissimi scriptoris me mouet authoritas. Dioscorides contra uenenatos serpentium ictus utendũ censuit. Addit decocti succum, quo sanatus fuerit quispiam, si qui habentes ulcus illo se foueant, idem quod à serpente percussi sentire malum. Huic iudicio in cæteris quadrupedibus subscribit Columella, uenena serpentium depellere tradens. Auxiliantur in aqua semen & folia pleuriticis, difficile urinam facientibus, morbo comitiali, mulieribus locosis, mensibus qui subsidant, hydropicis incipientibus. Modus dandi drachmæ tres seminis, quatuor foliorum. Contra serpentiũ ictus trita folia & ex aceto mulso pota præsidio sunt. Addunt aliqui totius fruticis, foliorũ, radicisq; decoctum dolores eorum finire, quos serpentes percusserint. Sunt qui ad soluendos tertianæ circuitus tria folia eius aut tria grana seminis dent bibenda, quemadmodum quatuor ad quartanas.

Polium, Scordion, Tussilago. Cap. LX.

Polij duo sunt genera. montanum, cuius in medicina est usus, priuatim teuthrion nominatum. frutex est candidus, tenuis, palmũ altus, seminis plenus, capitulum in summo corymborum speciem præferens, ut similitudine cani hominis capillitiũ affingat. odore graui nec tamen prorsus iniucundo. Cãpestre maius nec usq; eo pollẽs odore, & uiribus infirmius. Plinius quoq; duo facit genera. Cãpestre maius, syluestre quod minus est, quidam teuthrion uocant. folia cani hominis similia, à radice protinus, nunquam palmo altiora. Polium perpetuo uiret carnoso ut alia multa folio. Vestibus interpositũ animalium noxas arcet. culices ab eo cum copiose fruticat generari Theophrastus scribit. Herba inclyta Hesiodi & Musæi laudibus, ad omnem rem seriam utilem prædicantium, supraq; cætera ad famam quoq; dignitatis. quapropter noctu structo tabernaculo effodiendum præcipiunt. Hoc sic eruto famam & honorem se pollicentur aucupari. Hanc ei, ut Theophrastus ait, authoritatẽ dedere Hesiodus & Musæus medici. Folia eius similia thymo tradunt. nisi quod molliora sunt, lanatiori canitie. nomen in officinis retinet. Montanũ, quod odore effectuq; præfertur, in Narbonensi prouincia frequẽs, unde ad nos defertur, furculis palmeis, teretibus, canis, per interualla foliatis, thymi carnosiore mollioriq; coma, & ea quoq; incana, flosculo pallido, capitellis corymborũ effigie, fructu plenis. Quod de polio mirũ à Plinio traditur, folia eius mane cãdida, meridie purpurea, sole occidente cærulea spectari, id à Dioscoride rectius tri polij floribus adscribitur: quanquã Theophrastus certè, modo polium, modo tripolium eandem uocauerit. Herbam à tripolio differre nõ negabit qui bonos authores euoluerit.

Polio Musæus & Hesiodus perungi iubent dignationis gratia, gloriæq; auidos poliũ tractare, colere. Contra serpentes substernitur, uel portatur. Medici in uino decoquunt recens uel aridum, illinuntq;, uel spleneticis propinant ex aceto. Hydropicis incipientibus in uino decoctũ datur, & regio morbo. Vulneribus quoq; sic illinunt. Secundas mulierum, partusq; emortuos repellit, dolores corporis finit, uesicas inanit, epiphoris illinitur. Stomacho inutile esse censent, caputq; eo impleri, & abortum fieri poto. Adalligatur contra oculorum suffusiones protinus ubi inuentum sit, nec alia herba magis conuenit medicamento quod alexipharmacon uocant. Cum ruta syluestri si teratur ex aqua cælesti aspidas mitigare dicitur. Astringit & cohibet uulnera, prohibetq; serpere. Potũ feruefacti ius auxiliatur serpẽtium ictibus, hydropicis, regio morbo, & lienosis ex aceto. Stomachũ male habet, caput tentat, aluum & mẽses ciet, substratũ uel suffitũ serpẽtes abigit, illitũ uulnera glutinat. Scordion, aliqui calamintham syluestrẽ, alij chamædryn, Latini trixaginem palustrẽ uocãt. Nascitur in mõtosis & secundũ paludes, foliis trixaginí simile, sed maioribus, & per ambitũ parcius serratis, odore aliqua tenus allium reddente, astringẽtis & amari gustus, quadrãgulis caulibus, flore subrubro. Scordotis siue scordion Mithridati ascripta est, cuius depictam manu Crateias medicus uidit magnitudine cubitali, quadrangulo caule, ramosam, quernæ similitudine, foliis lanuginosis. Reperitur in Ponto campis pinguibus humidisq;, gustus amari. Est & alterius generis mẽtastro similis. Peritiores herbarij hanc uocant chamædryn palustrẽ, aliqui chamædreã, rura *chamaram*, quæ nomina à chamædryos similitudine deflexa sunt. Prouenit in mõtibus & paludosis, folio trissaginis, ramusculę per ambitum serrato, allium subolente, gustu amaro & astringente, quadrangulis caulibus, subrubro flore. Falluntur herbarij, qui scordion esse putãt herbã bicubitali proceritate, foliis urticæ, parcius fimbriatis, à pediculo latioribus, allij cum teruntur odoratu, flosculo lacteo, exili in pelliculis semine, radice oblõga, eiusdẽ cum foliis odoris, ideo uulgus nostrũ *alliariam* uocat. sed hæc terete est caulículo, illa quadrato: huic flos candicat, illi subrubet: huic folia urticæ fimbriata, illi chamædryos siue trixaginis querna, quæ olfacta sabolent allia, huius non nisi terãtur. Alia est similiter à Mithridate inuenta, quam mithridation uocant. huic folia, inquit Plinius, duo à radice acãtho similia, caulis inter utraq; sustinẽs roseum florẽ. Eadẽ putatur esse quã Plinius chamæropa uocauit, ijs uerbis: Eodem effectus habet lateris doloribus chamærops, myrteis circa caulem geminis foliis, capitibus græculæ rosæ, sed acanthinis. Similia mithridatio tribuuntur, chamæropi myrtea. Ad plurimos usus scordion per se & inter alia. In antidotis Galenus palmã tribuit ei, quod ex Creta defertur: quãquã nõ sit improbandũ, quod in alijs nationibus offenditur. Scriptum esse à grauissimis authoribus medicinę tradidit, corpora quę cruẽto generi belli cæsa mansissent humi diutius insepulta, quæcunq; supra scordiũ prostrata iacebãt, multo tardius quàm reliqua sensisse corruptionis labem, partesq; cadauerũ quæ herbã contigerant à putrilagine prorsus fuisse uindicatas. Quapropter maximo in errore uersantur seplasiarij institores, qui pro re tã salutari atq; omnibus putridis marcoribus aduersante, syluestre allium in theriacis antidotis usurpent, quæ frequẽter ipsis tam palustribus quàm montosis occurrat: sed indignius erratũ, quàm quod explodi desideret. Scordotis omnia mala medicamenta per aluũ exigit. Aduersus angues pota uel illita remedio est. Tussientibus misto nasturtio, & resina cõtusa arida medetur. Facit & per se faciles excreationes, Stomachũ corroborat eius succus. Sistit aluũ recẽtis drachma cũ uino trita uel decocta potu. Vlcera cũ melle purgat. Mẽses cit et sudores potu & illitu. Partus accelerat pota drachma succi in aqua mulsa cyathis quatuor. Scordio Dioscorides excalfactoriã uim tribuit. Vrinã pellit si recẽs in potũ teratur. Sicca in uino decoquitur ad serpentium morsus. Efficax in rosionibus stomachi, urinis cõtumacibus, dysenteria binis drachmis in aqua mulsa potis. Crassitudines pectoris purulentas extrahit. Cõtra ueterẽ tussim cũ resina & melle in eclegmate sumitur sicca. Iliũ siue præcordiorũ inflammationibus ex multo tempore cõtractis, excepta cerato prodest. Podagras ex aceto acri aut aqua circumlitas sedat. Mẽses admotũ excit, uulnera cõtrahit, uetera purgat ulcera, & ad cicatricẽ cũ melle perducit. Farina eius excrescentia in corpore cõpescit. Succus ad eadẽ uitia bibitur. Probatissimũ è Ponto mittitur atq; Creta. Bechion Græcis, Latinis tussilago, alijs farfaria, nonnullis pulago

pulago dicitur. folia sunt hederæ sed maiuscula, quæ sex aut septẽ à radice cõtinuo prodeunt, albida supernè, à terra coloris herbacei, angulosa, palmari scapo, qui florẽ uere pallidum sustinet, breui cũ suo caule decíduũ: atq; hinc data credẽtibus occasio, sine caule atque flore hãc herbã nasci. radix eius tenuis & superuacua. Plinius hanc aliter q̃ Dioscorides describit, folia ei tribuens maiuscula quàm hederæ quinq; aut septẽ, subalbida à terra, supernè pallida, sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. Quidã eandẽ esse bechion, & alio nomine chamæleucen putãt. Sed hic obseruandum diligenter, caulẽ & flores tussilaginis esse fugacissimos, ijsq; enatis breui uigor uitaq; durat, longissimaq; mora (quantũ mihi licuit deprehendere) biduũ. post quod illico tempus flacceſcẽtes euanescunt, & caducí marcent, Quare non nisi ijs, qui medio uere sese forte fortuna ferunt obuiam, & flos & caulis cernitur: nanq; die uno locum uniuersum caule & floribus pubescere uidebis, postridie prorsus eos contabuisse, frondeq; sola uirescere. quapropter sine caule & floribus nasci plerisq;, qui tam citam caulis iacturam non conspexerunt, creditum est. Plinius duo tussilaginis siue bechij genera facit, sylvestris, ubi nascitur subesse aquas credunt, & hoc habent signum aquileges. Altera à quibusdam saluia dicitur, similis uerbasco. Hanc à Dioscoride uerbascum sylvestre dici puto, quod (inquit) altum est, arboreis uirgis, folio saluiæ, orbibus uirgas cingentibus ut marrubiũ, floris lutei, fulgore aurí. Dioscorides uno tussilaginis tantum genere contentus est. Tussilago herbarijs & officinis hodie *ungula caballina* dicitur, uulgo *pata equina*. nanque ei caballinæ ungulæ folia emicant sena aut septena ab una radice, maiuscula quàm hederæ, supernè uirentia, à terra subalbida, in plures angulos exeuntia, caulis palmũ altus, flos luteus, quibus in uere confestim eximitur, radix tenuis, superuacua. Nascitur in amœnis secus fontes, & aquosis. Tussilago in uino made facta & commanducata, nõ tussi tantum, sed & faucibus prodest. Huius aridæ cum radice fumus per arundinem haustus aut deuoratus, ueterem dicitur sanare tussim: sed in singulos haustus passum gustandum est. Quæ contusa sint, duritias q̃, & sinus, & tela omnia in fixa corpori extrahunt folia tussilaginis. Regio morbo ex aqua medentur, tussim sedant. Dioscoridi gignitur secus fontes & in aquosis. Apposita folia sacrum ignem & inflammationes omnes persanant. Arida imponuntur carbonibus, atq; is nidor hianti ore raptus, aut per infundibulum haustus tussim siccam & orthopnoicos leuat, uomicas & abscessus rumpit in pectore. Vsus eosdem repræsentant radices suffitu. Decocta in aqua mulsa enectos in utero partus eijcit.

Artemisia, Ambrosia, Botrys. Cap. LXI.

ARtemisia cognomento polyclonos, id est ramosa, in maritimis nascitur, absinthij modo frutícosa, maioribus folijs pinguioribusq;. Duo genera eius, habitior, folijs uirgisq; latioribus: altera uero gracilioribus, flore albo, tenui, exiguo, graue olente, qui erumpat æstate. Sunt qui in mediterraneis herbulam nasci tradant tenuibus cirris, simplici paruoq; admodum caule, flore copioso, cerei uel flaui coloris, exili, quam artemisiam monoclonon, hoc est unicaulẽ cognominant, odoratiorẽ superiore. Plinio artemisia absinthij modo frutícosa, maioribus folijs, pinguibusq;. Ipsius duo genera, altera latioribus folijs, altera tenera tenuioribus, non nisi in maritimis nascens. Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellent, simplici caule, minimis folijs. Flores copiosi erũpentes cum uua matureſcit, odore nõ iniucundo, quam quidam botryn, alij ambrosiam uocant. Talis in Cappadocia nascitur. Artemisiã dictam putant ab Artemisia uxore Mausoli, quæ sibi hanc herbam adoptauit, cum antè parthenis uocaretur. Sunt qui ab Artemide cognominatam putent, quoniã priuatim medeatur fœminarum malis, quibus Artemis, hoc est Diana præsit. Nonnulli lachanon basilicon, hoc est olus regium uocant. Secundo generi tenerítudinem tribuunt nõ nisi in maritimis nascenti. Tertio minima folia florenti cum uua matureſcit. Tria profecto apud nos inueniuntur artemisiæ genera. unũ absinthij modo frutícosum, maioribus folijs, pinguibusq; subter, cęsijs super, ex nigro uiresceníibus, crebro resectis, plusquã cubitali altitudine, flore albo, tenui, odorato, semine rotundo & racemoso. hanc Galli *armoisiam* uocant. Altera latioribus folijs tenerioribusq;. non ferè alibi quàm maritimis nascens, hãc *marinam* cognominãt. Tertia simplici caule cõsurgit, folijs minutim scissis, colore subpallido, flore luteo,

odore non ingrato, gustu amaro. hæc uulgo *athanasia*, quòd immortali flore nec cito marcescente fastigetur, alijs *tanacetum* dicitur. Flores copiosi erumpunt cum uua matureſcit, medijs anthemidis floribus non dissimiles, comantibus auri fulgore bullis, ideo diligẽter ad hybernas reseruantur corollas. Habetur & artemisiæ genus aliud, quæ minutis foliis circa riuulos aggeresq; , item frumentaceis agris, floribus & foliis odorem sampsuci referentibus, uulgus *diui Ioannis herbam* nominat, in sepibus & cultis iuxta ductus aquarum nascentem, tenuioribus foliis, cuius flores & folia contrita sampsucinum spirant odorem. Artemisia uuluæ medetur trita ex oleo irino & fico, & cum myrrha apposita. Eiusdem radix pota in tantum purgat, ut partus enectos extrahat. Menses & secundas cit ramorum decoctum insidentibus. Item folia pota drachma ad eadem omnia prosunt uel impo sita uentri imo cum farina hordeacea. Strumis artemisia medetur. Datur contra calculos in uino dulci & ad stranguriam. Bibitur hæc aduersus opium. Alligata priuatim potens traditur, pota'ue aduersus ranas. Ad ceruicis dolores tumoresq; quacunq; parte efficax, sed magis cum belli herba in pratis nascente, flore albo, aliquatenus rubente. Artemisiam secum habentibus negant nocere mala medicamenta, bestiam'ue ullam, ne solem quidem. Alligatam qui habet uiator negatur lassitudinem sentire. Is quos artemisia sanauerit prædici reperio, ne rursus fata in quibusdam rebellet. Excalfacit ut refert Dioscorides, extenuat. Vtræq; feruefactæ conuenienter adijciuntur in muliebres desessus, ad detrahendos menses, partus, secundasq; . Vuluæ constrictiones laxant, inflammationes in eadem parte mitigant, calculos frangunt, urinas pellunt. Menses illita fasciculis artemisię pube ciuntur. Succus cum myrrha subactus admotu elicit uuluis quę cunq; & insessio. Coma ipsius trium drachmarum pondere propinatur ad eadem trahenda. Artemisia, cuius folia & flores triti sampsuci spirant odorem, siquis ex ea diligenter tusa cum oleo amygdalarum malagma stomacho imponat, uexationem partis eius sanabit. Neruorum dolores succus eius cum rosaceo perunctus finit. Ambrosia frutex est pusillus, trium palmorum altitudine, ramosus, foliis rutæ, paruis circa imum caulem. In ramulis semen est uuis dependentibus, nunquam floreſcens, odore uinoso, suaui, radice tenui, pedali. Coronantur illa Cappadoces. Ambrosia Plinio uagi nominis est, & circa alias herbas fluctuantis, fruticem unum habens densum, ramosum, tenuem, trium ferè palmorum, tertia parte radice breuiore, foliis rutæ circa imum caulem. In ramulis semen est uuis dependentibus, odore uinoso, qua de causa botrys à quibusdam uocatur, ab alijs artemisia. Coronari ea Cappadoces dicuntur. Athenienses in dedicatione Iouis Cteſij ambrosiam in cado ferendam iubebant, non herbam intelligentes eo nomine, sed ut Athenęus inquit, fruges omniugas, & oleum, & latices. Non est ambrosia quæ ab officinis & item herbarijs demonstratur, ramis exilibus, patulis, folio nepetæ, multo ruta aut sanguinaria longiore ac maiore, in quorum cacuminibus corymbi dependent, nigro semine, radice cubitali, subalbida, radiculę, hoc est struthio simili, inuenitur in montosis ac macris: nam ea polemonia putatur esse, ut in eius mentione uidebitur. Inuenitur apud nos uel copiosa inter exiles & madidas segetes, qua messores se coronãt, ut insolata diu capita iucundo & uinoso simul odore recreent, & ut frondosa coma sese uindicẽt ab æstu. Pueris rusticis optime cognita, qui uertices racemosos lanugine molli per initia uestitos, *minones* uocent. *Vinosa herba* rusticis dicitur. Audio à quibusdã *uinaceam rutam*, quòd folio rutã, & odore uinũ imitetur, nominari. siquidẽ ea dodrantali surgit frutice, ramoso, foliis rutaceis, circa imum caulem minoribus. cauliculi seminibus racematim collectis grauidi, nunquam florẽ pariũt, fœtu in uertice racemoso & odore uinoso, radice tenui nec sesquipalmo longiore. Superior lõga radice nitiẽ, hęc breuiti: illa floret, hęc minimè: illa ramis uiget, hæc inualida sese, ut fertur, adminiculis quibuscũq; inuoluit: hęc uinum, illa herbaceũ uirus olet. Vsus ambrosię ad ea quę repelli & reprimi sit opus. Humores astringit, qui in aliquã corporis partẽ decũbunt. Botrys tota luteo colore lãguet, fruticosa, & multis stoloníb. fusa, semine circa totos ramulos nascẽte, folio intubi. Tota herba iucundũ spirat odorẽ, ideoq; inseritur ueſtibus. Inuenitur maximè in cõuallibus & circa torrentiũ ripas. Botrys Plinio fruticosa herba est, luteis ramulis, semẽ circa totã nascitur, folia cichorio ísmilia. Inuenitur in torrentium ripis. Hoc Cappadoces ambrosiam uocant, alij artemisiam. Botrys Pari-

sienſibus

ſienſibus matronis, melius quàm officinis aut herbariſs noſcitur. Hanc odoris gratia ueſtimentis, pannis, & linteis curiosè nimirum interponunt, ut odoris ſuauitatem contrahant. Defertur Auguſto & Septembri menſe uænalis per urbem, *piimen* magno clamore denunciant portantes corbibus ruſtici, inde nomen hoc piſmen manauit in uulgus. nam hac facie conſpicitur, fruticoſa herba, luteis ramulis ex interuallo brachiatis, foliis cichorij, odoratis, erumpente paſſim ſemine in racemulos collecto, quod per maturitatem gummoſo lentore pellucet, coeuntibus fulgore auri ſimul acinulis, unde nomen Græcis ductum. *Piimen* uel potius *pigmen* uulgo putauerim nominari, quòd ex ſe pigmentarij inſtitoris uice faceret unguentũ. nam ſi prægnans ſuo liquore premeretur, in gũmi lenteſceret. Hoc Cappadoces ambroſiam uocant. In uino medetur orthopnoicis. Nec me præterit, herbam etiam odoratam in hortis ſtudioſe coli, folio cichorij, dependentibus ſummatim racemulis, ſed qui non circa ramulos totos obnaſcantur, ut in botry.

Geranion. Gnaphalion. Typha. Cap. LXII.

GEranion foliis eſt anemones, diuiſuris longioribus, radice penè rotunda, dulci cum mãditur. Alterum genus à Dioſcoride traditur, cauliculis tenuibus, lanuginoſis, binum palmorum, foliis maluæ, In cacumine alarum inſident faſtigia capitulis gruum cum roſtellis nutantia, aut canum dentibus ſimilia. Huius in medicina uſus non eſt. Geranion primum aliter à Græcis aliter à Latinis deſcribitur. Hoc aliqui myrrhim, alij myrthida appellant. ſimilis eſt cicutæ foliis minutioribus, & caule breuiori, rotundo, ſaporis & odoris iucundi. Latini, ut Plinius refert, ſic eam tradunt. Græci foliis candidioribus paulo quàm maluæ, caulibus tenuioribus & piloſis, ramoſam ex interuallis, binum palmorum, & in iis foliis inter quæ in cacuminibus capitula ſunt gruum. Alterum genus foliis anemones, diuiſuris longioribus, radice mali modo rotunda, dulci. Hoc hodie, ni fallor, tam officinis quàm herbariis *acus paſtoris* dicitur, folio anemonæ, ſed longiori diuiſura, radice ferè orbiculata, & dulci, cacumine gruini roſtri figura, quod in mucronem acuminetur, unde *paſtoris acus* cœpit uulgo uocari. Hæc in uino drachmæ pondere data inflationes uuluæ diſcutit. Alterum genus *pes columbinus* ubique per Galliam dicitur, foliis maluæ paulo candidioribus, exiliori etiam caule binum palmorum altitudine, lanuginoſo, floſculo purpureo, capitellis gruini capitis modo roſtratis, unde princeps illi nomenclatura. Pes columbinus folio cernitur maluæ, rotundo, ſed multipliciter diſſecto, pediculis lente rubentibus, flore ſuppurpureo, ex quo apex acus longitudine emicat, gruinum caput cum roſtello repræſentãs. Legitur æſtate ſiccaturq; in umbra ad teſtiũ tumores, quibus trita inſpergitur. Aetate Dioſcoridis eius uſus in medicinã nõ uenerat. Hallucinãtur qui hãc eandẽ aut omnino ſimilẽ exiſtimẽt cũ ea quã Gallię uulneribus & fiſtulis in potũ cõmendãt, & *herbam Robertianam* cognominãt, cauliculis rubẽtibus, flore paruo, ſuppurpureo, reclamãtibus aperte cæteris notis, quæ huic geranio à Dioſcoride reddũtur. nãq; tantũ abeſt ut folio ſit maluaceo, ut illi nihil magis repugnare uideatur: quin potius cicutæ folio cernitur, radice terete, molli, cibo non inſuaui, odorata, reliqua facie cicutam uidetur æmulari. Pes uero columbinus folio eſt maluæ, candidiore, ramoſo ex interuallis caule, nutantibus in uertice gruinis roſtris, uel caninis dentibus. Cæterũ *Robertiana herba* Dioſcoridi myrrhis eſt cicutæ foliis, caule breuiore, rotũdo, ſaporis & odoris iucũdi, unde nonnullis *cicutaria* dicitur. ſed de ea poſterius erit agendũ. Ea geranij ſpecies, quæ maluæ folio cernitur, Dioſcoridi aliena medicinę exiſtimatur. Altera, Plinio authore, reficientibus ab imbecillitate utiliſſima. Bibitur cõtra phthiſim drachma in uini cyathis tribus bis die: itẽ cõtra inflatiões, quę & cruda idẽ præſtat. Succus radicis auribus medetur. Opiſthotonicis, ſemẽ drachmis quatuor cũ pipere & myrrha potũ. Geranion in uino albo ſumptũ profluuiũ ſiſtit. Gnaphalion Græcis, Romanis centũculum aut centũcularis herba, cuius foliis albis mollibuſq; ꝑ tomẽto utũtur. Datur in uino albo ad dyſenteriã. Gnaphaliõ aliqui, ut Plinius ait, chamęzelon uocãt, cuius foliis albis mollibusq; pro tomẽto utuntur. Sanè & ſimilia ſunt. Datur in uino albo ad dyſenteriã. Vẽtris ſolutiões, mẽſesq; mulierũ ſiſtit. Infunditur autẽ teneſmo. Illinitur & putreſcentibus ulcerum. Dicitur gnaphalion quaſi tomẽtitia. Dioſcorides

hanc centunculum uocari Romæ prodidit, est enim centonibus cum tomento maxima cognatio. Folia dictamni, quòd mollia uidentur esse, tomentitia & lanea dicuntur à Dioscoride, hoc est gnaphalide. Et pars cucurbitæ interior, quæ semen complectitur, ab Aetio gnaphalides esse dicitur, ob candorem cum mollitia. Sunt qui in ea sint opinione gnaphalion herbam esse quæ uulgo *cruciata* dicitur, cum humilis sit, & inde chamæzelon cognominata, foliis albis mollibusq; & omnino laneis, quæ ad tomentum facile usurparẽtur, Sed quorum iudicio non ausim subscribere, quòd tam paucæ eius traduntur notæ, tamq; communes, ut in multis alijs possint inueniri. Nam neque foliorum, neque floris, neque totius herbæ effigies explicatur: sed tantum tomentitia mollities & candor, à quibus tutum de herba fieri non potest iudicium. Typha folio exit cyperidis, albido cauli, læui, enodi, cui summo in capite flos obducitur densus, euadens in lanuginem pappum uocatam, quam aliqui anthelen quasi paniculæ florem solent appellare? Nascitur in palustribus & circa stagnantes aquas. Rura nostra hanc palustrem typham optime norunt, uocántque *machas* uel potius *massas*, ab similitudine insignis illius clauæ argenteæ, uel aureæ, quæ ante primos magistratus gestatur. Nanque in paludibus & stagnantibus aquis erumpit, folio cyperidi proximo, caule alto, læui, plano, enodi, cuius cacumen densa florum congerie stipatur, & ueluti spissa capitatur lanugine, quæ in pappos tandem euanescat. Rura nostra *massas* appositè dixerunt, quòd sceptra regum, *massas* uulgo dicta, perpolitus caulis lanosa floccorum densitate summatim fastigatus æmuletur. Est & cerealis typha, de qua inter fruges diximus, longe ab hac differens, sine geniculis scirpi modo nascens, radicibus multis ut triticum hordeumq;, folliculo multiplici, leuissima frumentorum, solo etiam gracili facile proueniens, tritico persimilis. Pista seritur ut in triticũ transeat. Flos typhæ suillo adipe uetusto exceptus ambustis medetur.

Circæa. Oenanthe. Conyza. Cap. LXIII.

Circæa folia habet solano satiuo similia, sobole multiplici, flore nigro, pusillo, numeroso, paruo semine, ut milij nascente in quibusdam corniculis, radice semipedali, triplici fermè aut quadruplici, alba, odorata, gustus calidi. nascitur maxime in apricis saxis. Plinio circæa strichno satiuo similis est, flore nigro, pusillo, paruo semine ut milij nascente in quibusdam corniculis, radice semipedali, triplici ferè aut quadruplici, alba, gustus calidi. nascitur in apricis saxis. Diluitur in uino, bibiturq; ad dolorem uuluæ & uitia. Macerari oportet in sextarijs tribus sextantem radicis tusæ per noctem & diem. Trahit eadem potio secundas. Semine lac minuit in uino aut mulsa aqua pota. A Circe dictã nonnullis uerisimile putatur. Radicis tusę triens Dioscoridi in sextarijs tribus uini maceratur, potuq; triduo uuluas expurgat. Semine lac elicit sorbitionibus sumpto. Oenãthe folio est pastinacæ, flore albo, caule crasso palmari, semine atriplicis, radice magna, rotũdis capitibus, numerosa: nascitur in petris. Oenanthe herba nascitur, ut Plinius ait, in petris, folio pastinacæ, radice magna, numerosa. Caulis eius & folia cũ melle ac uino nigro pota facilitatẽ pariendi præstant secundasq; purgãt, tussim è melle tollunt, urinã cient. Radix uesicæ uitijs medetur Dioscoridi, caules eius, semẽ, & flores, & folia cũ mulso pota secundas pellunt. Radix in uino cõtra strangu riã conuenit. Conyzę duo genera, unũ minoris odoratioriscq;, alterũ maioris, frutice altiore, latioribus foliis odore grauiore. Vtrique folia oleę, sed hirsuta & pinguia. Altitudo maiusculæ cubitorũ binũ, pedalis minori. Flos quoq; squalidus, colore luteo ac subrufo, qui in pappũ & lanuginẽ abit, radicibus superuacuis. Plinio duo conyzæ genera in coronamẽtis. Differẽtia in folio: tenuius fœminæ, & constrictius angustiusq;: imbricatũ maris & ramosius, flos quoq; magis splẽdet eius, serotinus, utiq; post Arcturũ. Mas odore grauior: fœmina acrior, & ideo cõtra bestiarũ morsus aptior. Folia fœminę mellis odorẽ habẽt. Masculę radix à quibusdã libanotis appellatã. Theophrasto maior dicitur mascula torosiore caule magisq; ramoso, folio ãpliore ac pinguiore necnõ splẽdidiori flore: fœminate nuiori folio, & cõpressiore. Vtrunq; genus serotinũ, ut quod post Arcturũ germẽ florẽq; mittat. Masculę grauior odor: fœminę acrior, ideoq; cõtra bestiarũ morsus cõmodior. Manipulo eius abiecto omnes etiã à tota domo blattæ cõueniũt ad eã. In coronamẽta folio uenit. Vtraq; conyza coronat & flore, maior & minor appellata, qui odoratus sẽtitur, cuius

auidissi

auidiſſimæ ſunt apes. Conyza uulgo *pulicaris* dicitur, quòd pulices necet. Rura *cimicariam* appellant, quòd folia cimicibus quibuſdam aut beſtiolis uolucribus eis proximis frequenter inueniantur onuſta. ſiquidem maior, quæ mas dicitur, caule conſurgit bicubitali, ramoſo, torosóque, foliis oliuæ pinguibus, hirſutis, flore ſquaroſo, luteo ac ſubrufo, qui tandem in pappum euaneſcat, odore cum quadam grauitate iucundo: minor, quæ fœmina intelligitur, folio tenuiore & anguſtiore, quæ cum floruerit pappis capillatur, in quos fatiſcens amittitur. Tertium genus conyzæ, cui craſſior & mollior eſt caulis, folia mediæ inter maiorem & minorem amplitudinis, cæterum minime pinguia, odoris multo fœdioris, magiſq; faſtidiendi, inertior opera, locis humentibus proueniens. Conyza, Latinis cunilago dicitur. In ſumma, cunilaginis appellatione quatuor herbæ ueniunt: maſcula, & fœmina, & quæ tertio loco ponitur, fœdiſſimi inter omnes odoris. Quartam reddit Plinius quam appellat ſatiuam, ſerpyllo ſimilem, è cunilagine mõtana factam. Cunilæ quoque tria ſunt nomina, ſiue genera. capitatam & noſtratem, quæ ſatureia ſit, uocamus: gallinaceam, quæ origanum heracleoticum: bubulam, quæ quemadmodum Græcis dicatur aliud nõ comperi, q̃ quòd eam pro origano multis locis accipere uidetur Plinius. Conyza minor, eademq; fœmina, Hippocrati cunilago ſemper mollis uocatur. Folia huius trita mellis odorem habent, digitis tactu cohærentibus. Hanc Dioſcorides libanotidem appellat, cum Plinius maſculam ita nominet. Piloſiora minori folia, & rami qui & aculeati ſunt, flos ſqualidior, odore acriore, qui tamen grauior ſit maſculæ. Præter ſupradictas aliam deſcribit Hippocrates, apio criſpo ſimilem, in maritimis ſabuloſisq; naſcentem, odoris teterrimi & maxime faſtidiendi, quam cum melle & uino fœminarum locis admoueri, quę fœtum non recipiãt, libro de mulierib̃ cauſis ſecundo tradit. Totus conyzæ frutex tam ſubſtratu q̃ ſuffitu ſerpentes fugat, culices abigit, pulices necat. Folia adictus efficaciter illinuntur: item ad panos, & uulnera. Flores & folia menſibus hærentibus, & ad partus eijciendos bibuntur: item ad ſtranguriam, tormina, morbum arquatum. Cum aceto comitialibus dantur. Decocto eorum uteri uitia inſidentibus ſananꝫ tur. Inditus ſuccus abortus excitat. Herba ex oleo perũgit algores. Vtilis eſt interioribus fœminarum morbis utraq; conyza.

Hemerocalles. Leucoion, uiola alba. Cratæogonon. Cap. LXIIII.

HEmerocalles folio eſt & caule lilio ſimilibus, herbacei coloris ut porrũ. Flores habet ternos quaternoſq;, in ſingulis ſcapis erumpentes, liliꝰ modo ſtriatos, qui cũ dehiſcere cœperũt in colorẽ magnopere pallidũ demutantur: radicem bulboſam & grandẽ. noſtris *lilium agreſte*, uel *lilium marinum* nominatur. Narciſſi quoddã eſſe genus nõnulli cõtendunt, roſæ modo ſurculoſum, liliꝰ caule, folio molli, ex uirore pallido, tribus quatuórue floribus herbaceis, noctu lãgueſcentibus, ortu ſolis ſeſe in patulum explicãtibus, radice bulboſa. Inde hemerocallis nomẽ traxiſſe Græcis putatur, q̃ flos fugax pulchritudinẽ ſuã interdiu tueatur, appetẽte nocte languidus eflacceſcat. Coronamẽtis folio tantũ dicata eſt. pallidũ hoc è uiridi, molle. Radicẽ habet odoratã. Seritur ſemine. Radix hemerocallis cũ melle uelluſculo, ut ſit peſſus, indi tur ad aquã & ſanguinẽ inutilẽ pellendũ. Folia inflãmationibus mãmarũ à partu & oculorũ epiphoris illinũtur. Radix & folia ambuſtis imponũtur. Leucoïꝰ nomine & ſi uiola ſignificetur cãdida, tamen & pro lutea, & cærulea, & purpurea ſolet uſurpari. Vita lõgiſſima cãdidæ triennium, ab eo tẽpore degenerat & minuitur. Flores aſſiduè cãdidiores adfert. Odor è longinquo ſuauior, propinquus hebetatur. Minoribus eſt recentibus, ideo aridis utũtur poſt annũ. Honor uiolis apud antiquos poſt roſam & liliũ. Violã idcirco dicta ion Græci putant, q̃ cũ Io in uaccã à Ioue cõuerſa eſſet, terra florẽ illũ bouis eius pabulo fuderit: latiniq; detrita, t, litera uiolã, quaſi uitulã imitatiõe græca uideri poſſunt appellaſſe. Præterea cũ Io puella, quã Iupiter adamabat, eius eſſet cõpreſſu grauida, ne à Iunone cõtumelijs & probris inceſſeretur, ſtuprũ furtim celare cupiẽs, in iuuencã mutauit. Terra Ioui gratulans, florẽ eiuſdẽ nominis in bouis pabulũ ædidit, puellæ cõditionẽ exprimens. Nam uiola ut uirgo rubore perfunditur, purpuraſcit ut bos, candicat in ſydus relata, humi germinat ut fœcunda. Leucoion, ut Tarantinus ſcriptum reliquit, ſulcis ſeritur, tranſfertur à Ianuario uſque ad Idus Februarias. Viola candida cubitali altitudine proſilit,

ramoſa

ramosa, caule brassicæ exiliore, folio longo, molli, canescente, flore quadrifolio, non unius coloris. nam alij purpurei sunt, alij niuei, alij lutei. Semen foliaceum tenuibus quidem sed quincuncialibus siliquis continetur. Francis partim *violetæ* nomine, partim garyophylli odore cognita. Sed quæ primo uere inter flores emicat, tepidioribus locis ante exactam hyemem uer nuncians, peculiari ab officinis nomine donata est, *Keirin* uocant Mauritana uoce. Ea hortorum macerijs & muris ædificiorum familiaris hæret, quanquam & altilis ubique reperiatur in cultis, sed habitu & statura humiliore, uiridiore folio, flore luteo, minore, uehementiorem spirante odorem, qui interdum fragrantia caput tentet & nares feriat. Alba uiola plurimum durat. Maxima authoritas luteolis. Genera lutearum tusculana, & quæ appellatur marina, folio aliquanto latiore sed minus odorato. In totum uero sine odore ac minuto folio calathiana munus autumni: cæteræ, ueris. Dioscorides leucoium uiolam matronalem aut ligustriam Romanis tradit appellari. Differentia eius in flore, quoniam candidum, luteum, cæruleum, & purpureum florem fundit. In medicina luteam præferunt. Paulus uiolaceum oleum modo ex purpureis, modo ex candidis, modo ex croceis confici solere uiolis tradit. Alba & lutea extenuant menstrua, urinam ciunt. Minor uis est recentibus, ideo aridis post annum utendum. Lutea dimidio cyatho in aquæ tribus menses trahit. Radices eius cum aceto illitæ sedant lienem: item podagrã, oculorum inflãmationes cum myrrha & croco. Folia cũ melle purgãt capitis ulcera, cum cera rimas sedis: ex aceto collectiones sanant. Lutea Dioscoridi præcipui in medicina usus. Aridi flores huius efferuefacti in deseſſionibus locorũ inflãmationes discutiũt, cũ cerato rimas sedis, Semẽ duabus drachmis ex uino potum aut cum melle inditum menses, secundas, et partus extrahit. Radices ex aceto illitę lienem reprimunt. podagras sedant. Cratæogonon folium habet melampyro simile, multis calamis ex una radice micantibus, multorumq; geniculorum, semine milij. Nascitur in opacis frutetis parte plurima, uehementer aspero gustu. Cratæogonon Plinio spicæ tritici simile est, multis calamis ex una radice emicantibus, multorumq; geniculorum. Nascitur in opacis, semine milij, uehementer aspero gustu. Sunt qui secundum persicarię genus esse credant, quam *curagen* uulgus uocat, melampyri similitudine, articulatum, multis calamis ex una radice prodeuntibus, milij semine, uehementer aspero gustu. inuenitur in opacis. Dioscorides cratægonon melampyro similem folio demonstrat, Plinius spicæ tritici, Theophrastus lino pyrino, id est lino triticeo, intelligẽs fortasse quod Plinius culmum siue spicam tritici. Sed suspicor melampyron in Theophrasto, unde id Dioscorides uidetur sumpsisse, legendum, cum statim adiungat fructum tãquàm milium ferre, uimq; genitalem roborare: nisi quis linopyron id est linotriticum scribendum putet pro melampyro, quòd linum folio satis imitetur. & re uera Gallicum uulgus *chamælinum melampyron* solet uocare ut suprà docuimus, quo oleum Gallia ad lumina lucernarum exprimit. Si cratægoni semen ex uino bibant ante cœnam tribus obolis in cyathis aquæ totidem mulier ac uir ante conceptum diebus quadraginta, uirilis sexus partum futurum aiunt. Est & alia cratægonos quæ thelígonos uocatur. Differentia intelligitur lenitate gustus. Sunt qui florem cratægoni bibentes mulieres intra quadragesimum diem concipere tradunt. Eadem sanant ulcera uetera, nigra cum melle. Explent sinus ulcerum, & atropha carnosiora faciunt, purulenta expurgant, panos discutiunt, podagras collectionésque omnes leniunt, peculiariter mammarum. Theophrastus arboris genus intelligi uoluit cratægon, quam Italia aquifoliam uocat. Thelígonum nõnulli tertium persicariæ genus esse putant, gustu leni nec multum aspero, foliis quàm oliuæ magis herbaceis, tribus cauliculis, cubitalibus, flore cãdido, in pratis humidisq; prouenientem *gratiæ dei* nomine. Mas arrhenogonõ fructum habet similem flori in oliuam incipienti transire, in racemis dependentẽ ut Cratei as tradit, & nõnihil tale in persicaria maiore inuenitur. Et re uera omnes persicariæ notæ uidentur cratæogono suffragari, q̃ ex una radice multis calamis multorumq; geniculorũ prosiliat, breuibus internodijs, fœtu quasi milij in uuis pendẽte, aspero gustu, q̃ etiã opacis gaudeat. Ista persicarię maiori, quã *curaginem* uulgus uocat, mihi uidẽtur astipulari: sed quod caput totius est rei, persicariæ folium tam simile est melãpyro ut alterum pro altero fallat. Quod ad saporem pertinet, admodum asper in aliquo persicariæ genere sentitur, in altero

altero lenis sit. Hæc fœmina, illa mascula. *curagen* uulgus Gallicum ideo nominat. Quod si quis per imprudentiam sedi confricet, rabiosos mouere solet cruciatus. Cratæogonon Græcis creditur appellari, quòd genitalem uim roboret, ita ut diu præsumptum mares figurare prodatur. Theophrastus cratægon appellauit, Hippocrates polycriton.

Phyllon. Orchis. Orchis serapias. Satyrion. Cap. LXV.

PHyllon aliqui elæophyllon, alij bryoniã uocant. herba in saxosis montibus. Fœmina thelygonon dicta, bryo similis est foliis, colore magis herbaceo q̃ oliuæ, præterea caule tenui atq; breui, radice gracili, flore albo semine rotũdo, maiore quàm papaueris. Mas arrhenogonon uocatur, cætera obtinet priori similia. Semine differunt, quoniã masculum uuas habet deflorẽtibus oleis nõ dissimiles, arrhenogonon potu uirilis sexus facere partus, ut theligonon muliebris proditur. Horum Crateias est author. quod Dioscoridi quidẽ historia tenus referendum fuit. Orchis alij cynosorchin uocant, foliis circiter caulẽ imum in terra stratis, oleq; molli similibus, longioribus, angustis, læuibus, caule semipedali, floribus in uertice purpureis, radice bulbosa, oblonga, in modum oliuæ gemina, superiore quæ durior & callosior est, inferiore quæ mollior & rugosa. Plinius cynosorchin, quẽ aliqui orchin uocant, ita depinxit: foliis oleæ mollibus, ternis, semipedis longitudinis, in terra stratis, radice oblonga, bulbosa, duplici ordine, superiore quę durior est, inferiore quę mollior. *Testiculum canis* appellant officinæ, & *satyrion* minus proprie. Inueniri solet ferè in uineis foliis ternis, paruis, semipedalibus, radice ad formam testium hominis, alternis annis intumescente ac residente. Atque hic mas est & fœmina eiusdem nominis, quæ distinguitur internodijs, & ramosiore frutice, radice fascinis utili. Nascitur fere iuxta mare cynosorchis, & satyrion uocatur minus proprie. Eduntur, ut bulbi cocti, in uineis fere inuenti. Ex ijs radicibus si maiorem edant, mares generari dicuntur: si minorem, fœminæ, alterum sexum. In Thessalia molliorẽ in lacte caprino uiri bibunt ad stimulandos coitus: duriorẽ uero, ad inhibendos. Tumores & uitia partium erumpentia radix cum polenta illita sedat. Eadẽ ex lacte ouillo neruos intendit, & ex aqua remittit. Suppurationibus orchis imponitur. Radices gangrę nas, ulcera putria, phagedænas: hoc amplius cum melle siccæ & recentes ex aceto cacoethe sanãt. Dioscoridi nascitur in petrosis & sabuletis. Editur radix ut bulbus cocta. Ex ijs radicibus, si maiorẽ edant uiri, mares generari dicuntur: si minorem, fœminæ. Additur in Thessalia molliore in caprino lacte à mulieribus pota libidinem excitari, duriore discuti ac prorsus inhiberi. Et alterius uim alterius potu restingui, ita inuicem aduersantur. Alter quoq; habetur orchis serapias, sic enim Andreas medicus à multis utilitatibus radicis nominauit, foliis porri, oblongis, latioribus, pinguioribus, ex alarum sinu emicantibus & inflexis, caule palmeo, flore quasi purpureo, radice testiculis simili. Plinio inter pauca mirabilis est orchis serapias, foliis porri, quanquam scriberetur marrubij, caule palmeo, flore purpureo, gemina radice, testiculis simili. Theophrastus orchin repræsentat, folio scyllæ minusculo, læuiore, caule spinoso, radice gemina, leuiter utrinque turbinata ad similitudinem radicis, quæ apios Græcis dicitur, quæ pyri figuram æmulatur. unde græcum nomen traxit herba. Quidam, ut Plinius tradit, folio scyllæ esse dicunt minori ac læuiori, caule spinoso, reliqui porraceum dederunt, ut nesciam quàm feliciter Theodorus folium ei laseris assignarit (est enim laseri folium apij non scyllæ) silphiodes pro scyllodes legens: cum testes illi gemini sint, ut Theophrastus est author, exiguus, & magnus. Hic ex lacte caprino uenerem stimulare creditur, ille hebetare, atque adeo inhibere. Maior, siue ut aliqui dicunt, durior excitat libidinem, minor siue mollior è lacte caprino inhibet. Eius radices sanant oris ulcera, thoracis pituitas. Aluum sistunt è uino potæ. Tumores eadẽ dissipant illitę. Vlcerum sordes expurgant. Serpentia inhibent, fistulas abolent, inflãmationibus resistunt impositæ, nomas siccæ cõpescunt, ulceribus in ore putrescẽtibus medentur, aluũ ex uino potę sistunt. Tradunt huius cibo uenerẽ subsidere accendi ue, quẽadmodũ è superiore. Satyrion alij triphyllon, hoc est trifolium uocant, quoniã tribus foliis exit, cõuexis ad terrã, rumici aut lilio proximis, sed rubris, minoribus, caule nudo, cubitali, flore lilij candido, radice bulbosa, mali modo extuberante, cortice rufo. intus oui modo album

includitur, sapore dulci, gustu iucundo. Græci, ut ait Plinius, satyrion foliis lilij rubri, minoribus, tribus non amplius è terra exeuntibus tradunt, caule læui, cubitali, nudo, radice gemina, cuius inferior pars & maior mares gignit, superior ac minor fœminas. Rura *testiculum sacerdotis* nominant. nanq; tria humi folia spargit, rumici uel lilio similia, caulem læuem, cubitalem, nudum, florem albo lilio similem, radicem geminorum bulborum, exterius rufam, intus candidam, cortice radicis gracili. intus album includitur sapore dulci, gustanti iucundo. in montosis & apricis enascitur. Est & aliud genus quod erythroneon cognominant, lini semine maiusculo & firmiore quàm uiticis, præterea nitido ac læui. Est & Plinio genus aliud quod satyrion erythrococcon appellāt, semine uiticis maiore, læui, duræ radicis, cortice rubro intus album includitur, sapore subdulci. fertur in montosis inueniri. Venerem etiam si manu teneatur radix stimulat, magis adeo si bibatur in uino austero. Notum pastoribus, quoniam arietibus & hircis segnioribus in potu datur: & in Sarmatia equis ob assiduum laborem pigrioribus in coitu, quod uitium prosedamum uocāt. Vim eius restinguit aqua mulsa uel lactuca sumpta. In totum quidem Græci, cum concitationem hanc uolunt significare, satyrion & satyriasim & satyrismon appellant. Herbam quoq; illam satyrion Indam appellauerim, Theophrasto allatam ex India: cuius contactu libidinem durare septuagesimo coitu meminerit, nec speciem eius aut nomen aliud reddiderit. Habent hodie & Syri herbam simili effectu, *buchcidenq;* nominant, & *Indicum satyrion*, radice candida & dura, commendatiore quo crassior, rugosior, & albior fuerit, podagris utili. Græci herbas prope omnes libidinem stimulantes fere satyrij uoce cognominarunt. Non est omittendum genus hoc quod basilicon Græci, officinæ *Christi palmam* dicunt, foliis nigra plumbagine maculosis, reliqua superficie cynosorchi similis. Radix subest lutea ac instar manus effigie ramosa. Vsus eius ad erugandam cutem, ad neruorum dolores, & contra noxia medicamenta. Fertur & amuletum esse radix gestata. Semen ex uino sumptum nouem diebus comitiales sanat. In eundem effectum uinum diluitur herbæ decocto. Scobs radicis propinatur in uino ad arcendam quartanam, quam & uomitione curat paulo ante accessionem pota. Radix satyrij triphylli in uino austero ad opisthotonum bibitur. Eadem ante congressum præcipitur sumenda, neruos enim intendit, concitatricēq; uim habet ad uenerem. Libidinem stimulari erythroneo satyrio, perinde ut scinco, tradunt. Radix cortice subgracili ac rufo, intus albugo, gustanti iucunda & sapore subdulcis. In montibus apricis inuenitur. Venerem (ut produnt) omnino, si manu teneatur radix, stimulat, eoq; magis si bibatur in uino.

Horminon. Hedysarum, securidaca. Onosma. Cap. LXVI.

HOrminum satiuum Romani geminalem uocant, herba est similis marrubio foliis, caule quadrangulo, semicubitali altitudine, circa quem calyculi prominent siliquarum effigie, ad radicem uersus nutantes. In ijs duorum generum semen. Syluestri rotundius, colore fusco: alterum nigrius & oblongū. Plinio duorum generum est, alteri semen nigrius & oblongum: alteri candidius semen & rotundius. Ne tamen quempiam nomēclationis aucupium remoretur, est notandum aliquod esse cereale horminum, de quo Theophrastus, Galenus, & item Plinius inter fruges differunt, quod amarum nigrumq; est, nec cumino penitus absimile, dodrantali Plinio altitudine. Seritur cum sesama & irione, omninoq; cum æstiuis ante Vergiliarum exortū. De hoc supra fusius inter segetes diximus. Alterū medicamentis potius quàm frugibus annumerandum. Huic Plinius folium porri tradidit, cæteri marrubio simile fecerunt, qui error fatalis ferè Plinio fuit. Horminon dictum putamus quia uenerē extimulet. Sed mirari subit, duarum herbarū insignium cognitionē medicis, pace tamen eruditorum dixerim, obsoleuisse, quæ tamen uulgo tritissimę sint, & medicinis clarę. Horminum itaq; satiuum, ea est quā rura nostra *orualam* uocant, uulgus uniuersum *totam bonam*. Hæc nusquā non in hortis sata prouenit, foliis marrubio similis, caule semicubitali, quadrāgulo, ab imo rufescente, flosculo rubido, alabastriculis circa scapū dehiscentibus, quæ deorsum ad radicem spectant, in quibus diuersum semen recluditur. In syluestri rotundū & fuscum inuenitur, in satiuo nigrū & oblongum, cuius est usus. Syluestre horminum est quod *centrum gallinæ* uocant herbarij, & uulgus *saluiam transmarinam*, officinæ *gallitricum* me-

lius

lius *galli centrum* nominaturę. Enimuero ſaluia hęc tranſmarina folio eſt ſatiui hormini, ſatis ad ſaluiam accedente, unde nomen uulgo duxit, caule ſeſquipedali, aſpero, leniter hirſuto, & in quadrangulũ ſtriato, flore ſubcæſio, in aquilini roſtri effigiem falcato, calyculis pluribus in terrã depreſſis, in queis ad ſummum quatuor grana reperias, parua, rotunda, fulueſcentia. Flos ſatiuo in dilutum ruborem inclinatus. Vtrięꝫ figura in aduncí roſtrí morem falcata. Calyces quadam ſiliquularum ſpecie patent, ſemina complurimum quaterna oſtendentes, quí in terram conuerſi procumbant. Semine ad uenerem ſtimulandam, ad oculorum argema & albugines utuntur. Vtroꝫ tuſo extrahuntur aculei ex corpore illito ex aqua. Folia ex aceto impoſita panos per ſe uel cum melle diſcutiunt; item furunculos prius quàm capita faciant, omnesꝫ leniunt acrimonias. Horminum ſylueſtre cũ polenta cõtritum appetentiã ueneris facit. Dioſcoridí cũ uino poto ſemine uenerẽ ſtimulare proditur. Argeſſha albugineſꝫ cum melle purgat. Illitũ ex aqua tumores diſcutit. Ex corpore aculeos illitum extrahit. Herba quoꝫ impoſita ad eadem efficax eſt. Sylueſtrí uehementior natura, quare unguentis, preſertim gleucino, miſcetur. Hedyſarõ, quod ab unguẽtarijs pelecinos uocatur, frutex eſt folia ferens ciceris, puſilla, folliculos modo corniculorum aduncos, ſemen complexos rufum, ſecuriculæ ancipitis figura, quo argumento nomẽ inuenit, amarum. Inter hordeum triticumꝫ prouenit. Pelecinum in ſegetibus naſcí dícit Plinius fruticoſam cauliculis, foliis ciceris. Semen in ſiliquis fert corniculorum modo aduncis, ternis, quaternis ue, quale gith noſcitur, amarum, ſtomacho utile. Additur in antidotis. Hedyſarõ, quoniã pelecinon à Grecis dicatur, à noſtris ſecuridaca nomen habuit, quòd ſemen bipennis effigiem æmuletur. Hac aphacen complexu necarí Theophraſtus tradit, lentem uerò aparina connexu ſtrangulari. Lentem ſecuridaca, quam græcí à ſimilitudine pelecinon uocant, necarí Plinius exiſtimat, quem fefellit uocabuli ſimilitudo. nam græcí lentem phacon, non aphacen dícunt. Sciebat hoc diſcrimen, ſed librariorum culpã hallucinando ſuam fecit. quod mihí accidiſſe alicubí potuit, ut homini uaría prodenti. Sed quomodo nominetur iam eſt oſtendendum. Aliquí *fabam lupinam*, alij *herbum*, rura noſtra *grauam*, quòd (ut exiſtimo) tritico & hordeo, cum quibus alitur, ſuo complexu grauis ſit, & moleſta. Etenim ab una radice multis flagellis emicat, ciceris ſimilitudine, quam & foliis æmulatur. Siliquæ corniculorũ modo aduncæ curuãtur, in queis flauum, pallidumꝫ & amarum ſemen concipitur, quod ancipitis ſecuriculæ ſpeciẽ gerit. Securidaca ſtomacho utilis. Additur in antidotis. Cum melle appoſitum ante conſuetudinem prohibere partus exiſtimatur. Semen ad laxandos inteſtinorum infarctus bibitur. Fugienda porrò grauidis, quòd abortus faciat. Menſes cit. Ante concubitum appoſita concipiendí ſpem adimit. Onoſma folia gerit anchuſæ oblonga, mollia, ferè quatuor digitos procera, duos lata, in terramꝫ iacentia, anchuſæ proxima, ſine caule, ſine flore, ſine ſemine. Subditur radix puſilla, quadã tenus lõga, infirma, tenuis, modice rubeſcens, in aſperis locis. Plinio folia habet ferè ad tres digitos, in terra iacentia, tria, ad ſimilitudinem anchuſæ inciſa, ſine caule, ſine flore, ſine ſemine. Folia huius in uino ſumpta partus euocant. Prægnans ſi edat eam aut ſupergrediatur, abortum facere dicitur.

Nymphæa. Androſaces. Aſplenon. Cap. LXVII.

NYmphæa naſcitur in paludibus & aquis ſtagnantibus, foliis Aegyptiæ fabæ ſed minoribus, longioribus, paulum ſupereminẽtibus ſupra aquam, alijs demerſis, pluribus ex una radice, flore albo lilij ſimilitudine, cuí croci in medio ſunt. Cum defloruerit ut rotundum malum aut caput papaueris extuberat, ſemine pullo, denſo, lato, guſtanti glutinoſo. Caulem habet læuem nec craſſum ſed atrum, ægyptiæ fabæ ſimilem, radicem quoꝫ nigram & aſperam, clauæ ſimilem, quæ recidítur autumno. Naſcitur, ut Plinius refert, in aquoſis, foliis magnis in ſumma aqua, & alijs ex radice prodeuntibus, flore lilio ſimili, & cum defloruerit capiti papaueris. in caule ſecatur autumno. Nymphæa nata traditur à nympha zelotypia erga Herculem mortua, quare heracleum uocant aliqui, alij rhopalon à radice clauæ ſimili. Laudatiſſima in Orchomeno & Marathone, in Creta quoꝫ, ut Theophraſtus putat. Bœotij appellant madon, qui & ſemen edunt. Naſcí ſolet in lacuſtribus. Gerit folia ſuper aquã, ampla. radix dulcis, &, ut idem tradit, uulneri impoſita ſanguinẽ ſiſtere dicitur. Vtilis & ad dyſen-

tericos epota. Duo eius faſtigia. Vtraq; *nenuphar* ab officinis barbara uoce uocatur. enim uero præcedens folio conſpicitur orbiculato, læui, herbaceo, amplo, in ſtagnãtibus aquis ſupernatante, flore candido, lilio ſimili, & cum defloruerit capite papaueris, in quo ſemẽ latum, amarum, pingue. ſcapus gracilis eſt & læuis, radix nigra & ampla, dulcis, nodoſa, clauæ formã repreſentans. Alterũ genus nymphææ ſimillimũ ſupradictę, ſed radice alba, & aſpera, flore luteo, nitido, roſæ ſimilitudine. Naſcitur in Theſſalia, Peneo amne. Eſt & alia Plinio nymphæa in Theſſalia, amne Peneo, radice alba, capite luteo, roſæ magnitudine. Inuenitur ubiq; apud nos in reſedibus aquis aut pigro lapſu repentibus, *nenufaris* etiam nomine, folijs minoribus, radice cãdida, flore luteo, roſæ ſimilitudine, tubere cũ defloruit ut malum rotundo, aut in papauerini capitis effigiem conformato. Heraclea proprie uocatur, quæ flore ſit lilij candido: ut Theſſala, quæ capite cernitur luteo, roſæ ſimilitudine. Qui bibunt heracleam, duodecim diebus coitu genituraq; priuari traduntur. Venerem in totum adimit heraclea, eadem ſemel in quadraginta dies pota: ſomnia quoq; ueneris à ieiuno pota, & in cibo ſumpta. Illita quoq; radix genitalibus inhibet nõ ſolũ uenerem, ſed affluentiã genituræ: ob id corpus alere, uocemq; dicitur. Eadẽ ſiccata aduerſatur aluinis. Heracleæ ſemen cum uino potum dyſentericis auxilio eſt. Teneſmo radix eiuſdẽ è uino bibitur. In uino quoq; pota lienem conſumit. Dolores ueſicæ ſedat ex uino. Manãtia ſanat ulcera. Heraclea maculas omnes emendat. Aluũ leniter nymphæa ſoluit in uino auſtero. Trita plagis imponitur. Vlceribus priuatim ijs, quæ calciamento facta ſunt, prodeſt arida infricata. Alopecias replet radix ſi trita linatur. Strãgulatum uuluæ menſiumq; difficultatem emendat: item appoſita nymphææ Theſſalæ radix. Pota quoq; uteri doloribus medetur. Sicca radix nymphææ Dioſcoridi cœliacis dyſentericiſq; auxiliatur. Lienem abſumit. Stomachi ueſicęq; doloribus illinitur. Vitiligines tollit ex aqua. Alopecias emendat cum pice. Inſomnia ueneris diſcutit pota, eiusq; imaginationes per ſomnum adimit. Pota dies aliquot infirmat genitalia. Nomen ſibi duxiſſe Dioſcorides exiſtimat, quoniam aquoſa peramet. Plurima inuenitur in Elide Anygro amne, Haliarto Bœotiæ. alterius nymphææ radix & ſemen bibuntur contra fœminarum affluentiam. Naſcitur in Theſſalia, Peneo amne. Androſaces naſcitur in maritimis Syriæ, herba tenuibus cirris, amara, ſine folijs, folliculos in capitibus continens, & in ijs ſemen. Plinio androſaces herba eſt alba, amara, ſine folijs, folliculos in cirris habens, et in ijs ſemen. Naſcitur in maritimis Hiſtriæ. Datur hydropicis drachmis duabus tuſa, aut decocta in aqua, uel aceto, uel uino, uehementer enim urinas cit. Datur podagris illinituręq;. Idem effectus eſt & ſemini. Aquam ſubter fuſam trahit, copioſam enim urinam hydropicis elicit. Idem effectus eſt ſemini poto & herbæ decocto. Podagris utiliter illinitur. Viris remedia ſuo nomine pollicetur. Aſplenon alij ſcolopendrion, alij aſplenion, alij hemionion appellant, folijs eſt ſcolopẽdræ animali ſimilibus, multis ab una radice. Naſcitur in petris & parietibus ſilicis & opacis, neque florem, neque caulem neque ſemen habens. Folia polypodij modo inciſa. hęc à terra ſufflaua, hirſuta, ſuperne coloris herbacei. Aſplenium, ut Plinius ait, ſunt qui hemionion uocant, folijs trientalibus, multis, radice limoſa, cauernoſa ſicut filicis, candida, hirſuta. Nec caulem, nec florem, nec ſemen habet. Naſcitur in petris, parietibusq; opacis, humidis. Laudatiſſima in Creta, ubi repertam Victruuius adfirmat circa Poteream amnem, qui duas urbes Gnoſon & Cortynam interlabitur, parte quæ ad Cortinam ſpectat, pecoribus ſine liene inuentis, quia herbã hanc roderent: altera parte quæ ad Gnoſum eſt, lienem habentibus, quia ibi herba illa non appareret. Theophraſtus hemionion hanc appellat, folio ſcolopendrij, radice multiplici ac tenui, mõtuoſas petroſaſq; planities amantem. Delectari cibo eius mulas, ob id datum ei nomen. Fœminas ſterileſcere quæ hãc in cibum ſumpſerint, admiſta mulæ ungula & corio. Sunt qui ſemine potius, cum nõ derma ſed ſperma in Theophraſto legant. Quòd autem folio ſcolopendrij depinxit eam, non aliud genus quàm ſcolopendrion, ſiue quod idem eſt aſplenon haberi uoluit Theophraſtus: ſed ſcolopendram diminutionis formula quaſi dicas ſcolopendrulam, uel minorem ſcolopendram intellexit. Cuius iudicio Dioſcorides ſubſcripſit, ei folium ſcolopendræ animali ſimile reddens. Theodorus ſcolopendrion linguam ceruinam interpretatur, ſed quàm recte neſcio. Aſplenon ſiue ſcolopendrion, ea eſt herba quam totus officinarum

cinarum chorus herbariorumq́, *ceteracum* uocat uel *ceterac*, ſine caule, ſine flore, ſine ſemine, pediculo nigro, folio primum conuoluto, lanuginoſo: mox dextantali, anguſto, corrugato, ſuperne uiridi, fuluis neruulis imbricato, uariatóque, utrinque filiculæ modo diſſecto, radice eiuſdem. In petris inuenitur & opacis parietibus. Gaudet humidis. Huius foliorum iure in aceto decoctorũ per dies quadraginta poto lienẽ abſumi aiũt. Eadem huic uiſceri linuntur. Sedant etiam ſingultus, non danda fœminis, quoniam ſterilitatem facit. Folia in aceto feruefacta, ut Dioſcoridi placere uideo, per dies quadraginta pota lienẽ abſumunt, quibus etiam contritis idem uiſcus illini cõuenit. Stranguriæ & regio morbo prodeſt, ſingultum ſedat, calculos in ueſica cõminuit. Per ſe uero, aut cum liene muli adligata ſterilitatem adferre creditur. ad quem uſum illuni nocte effodiẽdam præcipiunt.

Hemionitis, Anthyllis, Anthemis. Cap. LXVIII.

HEmionitis, quam aliqui ſplenion uocant, folium fert dracunculi & lunatum, radice multiplici cohæret tenuiq́, nũquam florem, neq́ ſemen, neq́ caulem gignit. Naſcitur in petris, auſtero ſapore. Ex aceto pota lienem inanit. Hemionitis uidetur eſſe quam Plinius teucrion, quòd eam Teucer inuenerit, quidã hemionion uocant, ſpargentem iuncos tenues, folia curua, aſperis locis naſcentem, auſtero ſapore, nunquam florentem: neq́ ſemen gignit. Medetur lienibus. Cõſtatq́ ſic inuentã. Cum exta ſuper eam proiecta eſſent, fertur adhæſiſſe lieni, eumq́ exinaniſſe, ob id à quibuſdã ſplenion uocatur. Narrant ſues qui radicẽ eius edunt ſine illo uiſcere inueniri. Eadem hemionitidi ferè à Dioſcoride tributa ſunt. Nam quòd Plinius iuncos tenues ſpargentem deſcribit, Dioſcorides multiplici radice et exili demõſtrauit: quòd ille foliis curuis, is foliis dracuntij lunæ modo incuruis deliniat, id eſt μηνοειδῆ. Ea cognoſcitur eſſe quæ falſo nunc ab officinis & herbarijs *ſcolopendria* nominatur, pleriſque lingua ceruina. nanque folium fundit dracunculi, inſtar corniculantis lunæ falcatum. Radicibus cohæret multis, exilibus, nunquam floreſcens, nec caulem aut ſemen pariens, in petroſis nata, auſtero ſapore. Inſunt ei à tergo ueluti ſeſſiles neruulorum fibræ, quæ paulum in uerſus utrinque digeſtæ prominent. Sunt qui hemionion eam eſſe putent quam Hiſpania *herbam ocularem* uocat, qua plurimum mulæ delectentur, indeq́ nomen inuenit: ſed hallucinantur, quoniam lenticulæ florem & caulem facit, quibus hemionion herbam pleriq́ omnes uiduam teſtantur. Anthyllis duorum generum foliis & ramis lenti ſimillima, palmi altitudine, ramis rectis, foliis mollibus, radice tenui, oblonga, ſalſugineſis, apricis naſcente, ſubſalſa guſtanti. Altera eſt anthyllis aiugæ uocatæ ſimilis ramos & folia, ſed aſperior, hirſutior, breuior, flore purpureo, odoris admodum grauis, radice erratici intubi. Anthyllion Plinio, quod aliqui uocant anticellium, duorum generum, foliis & ramis lenticulæ ſimilis, palmi altitudine, ſabuloſis & apricis naſcens, ſubſalſa guſtanti. Altera chamæpityos ſimilis, breuior, & hirſutior, purpurei floris, odore grauis, in ſaxoſis naſcens. Prior uuluis aptiſſima eſt, ex roſaceo & lacte impoſita, etiam uulneribus. Bibitur in ſtranguria tribus drachmis. Altera bibitur in duritia uuluarum, & in torminibus, & in comitiali morbo, cum melle & aceto quatuor drachmis. Altera eſt anthyllis chamæpityos ſimilis, flore purpureo, odoris grauis, radice intybi. Anthyllida poſteritas ſalſolam uocauit, nam & ex ea ſalem fieri memoriæ proditum eſt. nam palmum alta cernitur, lenticulæ ſimilis, folio molliore, radice exili, guſtu ſalſiuſcula. Inuenitur ſalſis locis & apricis. Altera eodem cenſetur nomine, nempe ſalſolæ, chamæpityi ſimilis, niſi quòd humilior eſt atque lanuginoſior, flore purpureo, graui odore, radice cichorij. Anthyllis in uino pota ueſicas uitijs liberat, ſanguinem ſiſtit. Bibitur renum doloribus, urinæq́ difficultatibus quatuor drachmis. Vuluarum duritiam emollit ex roſaceo & melle impoſita. Medetur etiam uulneribus. Altera quæ chamæpityos, hoc eſt aiugæ ſimilitudinem refert, cum aceto & melle pota comitiales ſanat. Paulus hac in tumore pedum utitur ex aceto macerata. Eam ex iuarum genere putant eſſe quæ pinum non oleant, arthriticam inde dictam, quòd tumentibus articulis medeatur. Anthemis aliquibus eranthemon uocatur, quoniam uere floreat: alijs chamæmelon, quoniam odorem habeat mali. Haud alio nomine uulgo inſignior, quàm quòd ab odore mali appellatur chamæmelon. Tria eius genera flore tantum diſtant, ramis palmum non excedentibus, fruticoſis, & frequentes

alas ſpargentibus, paruis exilibuſq; præterea capitulis rotundis, flores intus aureos continentibus, foris candidos, aut melinos, aut purpureos, in orbem foliis minutis ut rutæ. In macro ſolo aut iuxta ſemitas colligitur uere. Magnis laudibus celebratur ab Aſclepiade. Aliqui, ut Plinius teſtatur, leucāthemida uocant, alij leucanthemō, alij eranthemida, quoniam uere floreat, alij chamæmelon quoniam odorem mali habeat, nonnulli melanthe uocant. Genera eius tria flore tantum diſtant palmum non excedentia, paruiſq; floribus ut rutæ, candidis, melinis, aut purpureis. In macro ſolo aut iuxta ſemitas legitur uere, & in coronamenta reponitur. Mira anthemidis natura, quòd à ſummo florere incipit, cum cæteræ omnes quæ particulatim florent, ab ima ſui parte incipiant. Theophraſtus anthemon & anthemion appellat, duo genera conſtituens, unum eius quæ ab radice duntaxat eſt foliata, alterum quæ caule tantum. Deflorere utrunque incipit cacuminibus, cum cæteræ ab imo incipiant, flore candido in orbem, mediis herbaceo, ſemini cōlos qui fori: decidere hoc ſicut ſpinoſis, conceptaculo inani relicto. Hippocrates, ut arbitror, euanthemon nominat. Theodorus anthemon pro melanthio uidetur intellexiſſe, ut qui nigellam interpretatus ſit. Omnibus officinis interpollato nomine Græco, & uulgo *camomilla* dicitur, notior quàm ut debeat repræſentari, palmi altitudine, ſurculoſa, caulículis exilibus, foliis adeò anguſtis, minutis, luteo ſemine, capitellis primum uirentibus, mox luteis, quæ per ambitum circundātur floſculis uel melinis, uel candidis, uel purpureis. Nā flore ſolum diſtinguuntur tria genera: tametſi eum qui coloſſinus eſt, foliorū fruticiſq; amplitudine maiuſculum eſſe uolunt, atq; propriè eranthemō dici. Herba topiaria eſt. à ſummo contra cæterarum morem florem auſpicatur. Dantur omniū folia drachmæ unius pondere contra ſerpentium ictus. Pellit mortuos partus, item menſtrua in potu & urinam calculoſq;, inflationes, iocinerum uitia, bilem ſuffuſam, ægilopia. Cōmanducata manātes ulcerū eruptiones ſanat. Ex omnibus iis generibus ad calculos efficaciſſima eſt, quæ florē habet purpureum, cuius & foliorum & fruticis amplitudo maiuſcula eſt, hanc proprie quidam eranthemon uocant. Tempore uerno medici folia tuſa in paſtillos digerunt, item florē & radicem. Nechepſon Aegyptius, ut refert Aetius, ſuadet florē chamæmeli purū legi, & pila tritum in mediocres paſtillos adiecto primæ notę oleo cogi, febricitantibuſq; à uertice capitis ad calcem illini, mox operimētis ut ſudor euocetur integi, qui ſi abunde profluxerit, eos protinus liberari promittit. Anthemis calculos eiicit. Ineſt, ut Dioſcoridi placet, floribus, foliis, radici calfaciendi extenuandiq; uis. Menſes potu & inſeſſione pellunt, item partus, urinā, calculoſq;. Aduerſus inflationes & ilei tormenta bibūtur. Bilem ſuffuſam expurgant. iocinerum uitia tollunt. Decocto earum ueſicæ fouentur. Ex omnibus iis generibus ad calculos efficaciſſima eſt, quæ florē fert purpureū, cuius amplitudo maiuſcula eſt. hanc proprie eranthemō uocāt. Ea quæ leucanthemos & quę chryſanthemos cognominatur uehementius urinā cient. Aegilopiis illitæ medentur. Cōmanducatæ eruptiones ulcerum in ore ſanant. Ad perunctiones utuntur in febribus quæ circuitu remeant. Reponuntur & flores & folia ſeparatim cōtuſa, & in paſtillos digeſta. Sicatur quoq; radix, & uſu poſcente interim partes duas herbę, floris aut radicis unam, interim contrà floris duas & herbæ unam dari conuenit, alternis geminatis potionibus, in ſingulos dies in uino mulſo diluto.

Parthenium. Buphthalmum. Cap. LXIX.

PArthenium aliqui amaracum uocant, foliis coriandri, tenuibus. flores candidi per margines erumpunt, medio lutei, odore ſubuiroſo, ſapore amaro. Parthenion officinæ ſimul & herbarij hodie *matricariam* uocant, rura *maroram*. ſiquidem ea matricaria foliis eſt coriandri tenuibus, flore per ambitum albo, intus melino, odore graui, ſapore amaro. Naſcitur in ſepibus & aliis permultis locis. Matricariam dictam inde putauerim, quòd mulieribus uteri cauſariis & ſtrangulationi uuluæ oportunis ſuo uiroſo odore medeatur. Nec aliter à Galeno Pauloque quàm amaracus uocatur, quòd & parthenion aliquibus amaracum dici teſtatur. Celſus apud nos muralem herbam parthenion & perdicion appellari perhibet. Ego de alia parthenio muralem herbam dixiſſe autumo, quæ non in ſepibus, ſed in muris parietibuſq; naſcitur, ob id & parietaria uulgo nominata. Quod & Plinius quoque ſequi uidetur

tur, qui parthenion & perdicium à noſtris herba urceolaris uocari teſtis eſt, folio ſimilis ocimo, nigrior tantum, naſcens in tegulis parietibuſq;. Monſtrata Periclí ſomno à Minerua, quare parthenium uocari cœpta: aſſignaturq; ei deę, cum uernula carus Periclí Athenienſium principi, cum is in arce templum ædificaret, repſiſſetq; ſuper altitudinem faſtigij, cecidiſſet, hac herba dicitur ſanatus, contra lapſus & præcipitia & uehiculorum euerſiones ſingulari. Hallucinantur qui *cotulam* uulgo dictam, parthenium eſſe putent, cum folium ei fœniculi, parthenio coriandri tribuatur. Sapore etiam diſſident, qui in parthenio amarus eſt, non in cotula. Parthenium ſiccatum & cum melle potum epithymi modo pituitam bilemq; detrahit per inferna. Suſpirioſis quoq; & melancholicis, datur herba ipſa floribus demptis. Contra calculos & anhelationes potu perquam utilis eſt. Prodeſt decoctum eius ad inſidendum in duritia uuluarum & inflammationibus. Illinitur ſacro igni & collectionibus cum flore. Buphthalmon, Romani Boariam appellauere. Cauliculos habet teneros ac ſubtenues, foliis fœniculi, floribus luteis, maioribus quàm anthemidis, qui ſimiles ſunt oculis, unde nomen. In campis & circa oppida naſciur. Eſt Plinio buphthalmos ſimilis boum oculis, folio fœniculi, circa oppida naſcens, fruticoſa, caulibus qui manduntur decocti, quidam cachlan uocant. Huc facit quod Alcman poeta calchan ſiue cachlan, hoc eſt buphthalmõ ita nominat, ut aureũ torquem ex eius floribus conſtare demonſtret,

Χρύσειον ὄρμον ἐκὼν ῥαδινὰν περὶ πάχλαν.

Inuenio chalcan uocari purpuram, & herbam qua purpura tingitur, apud Phocionem grammaticum. Nicolaus Damaſcenus lacum ſub alpes eſſe ſcribit multorum ſtadiorum circuitu, ubi toto ferè anno flores ſuauiſſimi odoris & coloris præſtantiſſimi per ambitũ uiſantur ſimiles buphthalmo. Ea facile Plinio putaretur buphthalmos eſſe, quam ruſtici bouis oculum, & officinæ *cotulam* ab odore *fœtidam* appellant. ſiquidẽ ſimilem boum oculis florem habet, folia fœniculi, fruticoſa: nec aliter florẽ explicat, quæ ſatis cotulæ cognomento fœtidæ cõgruunt. Buphthalmon eandem eſſe Dioſcoridi cum chryſanthemo uocata nõnulli putant, in qua ferè eadem repetit, chryſanthemon tradens ab aliquibus buphthalmon uocari herbam teneram, fruticoſam, leues proferentẽ cauliculos, & multifida folia, flores ſupra modũ ſplendentes, luteos, orbem oculi imitãtes, unde nomẽ traxit. Cæterum lutei flores & buphthalmo & chryſanthemo à Dioſcoride tribuuntur, cotulæ albi potius per margines, luteo medio, ita ut candida floris folia luteũ medium cingant, à floribus anthemidis non niſi ſola magnitudine differentes, quando grandiores flores cotulæ quàm anthemidis conſpiciuntur, reliqua facie quàm ſimillimi. Quare & ſi cætera conueniant, flos tamen picturæ Dioſcoridis diſſentire cognoſcitur. Porrò in macerijs apud nos inuenitur et ruderibus herba cauliculis teneris, exilibus, foliis multifidis, digitum latis, flore ſupra modum ſplendẽte, luteo, orbẽ oculis bouis exprimente ita ut imaginis rudimenta reluceãt. Rura noſtra, nam ab officinis nullum extorquere nomen potuimus, quòd aureo fulgore reſplendeant flores uniuerſi, uti luteo quodam ſplendore colluceſcere cernãtur, *croceam* nominant *camomillam*. Ea ſatis Dioſcoridis picturæ reſpondet. Propter oppida naſcitur, & caules oleris uice manduntur. Democritus philoſophus batrachiõ, quod nos ranunculũ appellamus, chryſanthemõ eſſe cenſet, foliis ut ait apij, maiuſculis, flore aureo, cuius altitudo fere ſeſquipalmum non excedat. Vbi emicat chryſanthemon aquam idem ſubeſſe teſtatur, & hoc habent ſignum aquilegi. Cotulam Sueſſionenſes mei *caneſonem* uocant, quaſi *canulam*, quod herba in dilutum uirorẽ caneſcat, apiarijs optime cognitam, qui hac ſuas fricant manus, uel ſecum habentes geſtant cum aluearia caſtranda ſunt, aut ſæuientium impetus ſunt cohibendi, illico furore ſenſu huius edomito miteſcunt. Nam & ſi flos ſit pulcherrimus, ita ut apes amœnitate huius illectæ eminus aduolent, huic tamẽ nõ inſidunt, ſed herbam totam peroſæ diffugiunt, uel certe guſtato flore protinus faſtidioſæ tranſuolant. Nam apiculæ muſcæq;, quæ cõuenientes ramis huius cohæſerunt, emoriuntur, argumento quòd hunc frutícem demortuis apibus aut muſcis inuenies ſemper onuſtum, ita apibus aduerſatur. Buphthalmos herba duritias cum cera diſcutit, tumores ſedat. Arquatis, qui ſubinde bibant, colorem bonum ad tempus reddi prædicant.

Pæonia. Lithospermon. Cap. LXX.

Aeonia siue glycyside caulem habet duum palmorum, comitantibus multis stolonibus, folia masculæ iuglandi similia, fœminę smyrnij. In cacumine siliquas Græcis nucibus similes fert. apertis ijs semina inueniuntur, granis rubentibus, numerosis, exiguis, similitudine acinorum mali punici, alijs nigris in medio, ac purpureis, quinq; uel sex. Radices maribus crassitudine digiti, altitudine palmea, candidæ astringentesq; linguam gustu: fœminis ceu glandes circiter octo uel septē asphodeli modo coaceruātur. Vetustissima inuentu pæonia est, nomenq; authoris retinet: quam quidā, ut Plinio placet, pentorobon appellant, alij glycysiden. Hæc quoq; difficultas est, quòd eadem aliter alibi nuncupatur. Nascitur in opacis montibus, caule inter folia digitorū quatuor ferente in cacumine ueluti græcas nuces, quatuor aut quinq;. Ineſt ijs semen copiosum, rubrum, nigrumq;. Nomen in officinis seruat. Vulgus *piuoniam* uocat, enimuero fruticosa est, caulibus sesquipede altioribus, foliis in mari iuglādis sed minoribus, in fœmina smyrnij modo laciniatis, floris calyce roseo, quo decidente plurimū quini subriguntur hirti crassiq; folliculi, mox resupinandi. Iis fatiscentibus uariū intus semen alterno coloris cōtextu, mirabili naturæ decreto, siliquis sensim dehiscētibus hic baccas ex atro, illinc acinos cocco rutilare uidere sit, quod & admirationē simul et uoluptatē intuentibus adfert. uirili & fœmineo sexu distinguitur. Muliebri folia myrrham redolent, et dēsiora sunt. Radix sex aut octo glandibus constans uidetur. Mas glandosam quoq; habet radicem, per interualla torosam, palmi altitudine, digitum crassam & candidam: fœmina numerosiorē. Plinius & glycysiden, quam aliqui pæoniam uocant, alibi ita descriptam reliquit, Caulem habet duum palmorum, comitantibus duobus aut tribus agnatis, cute lauri subrutila, folia qualia isatis pinguiora, rotundioraq;, & minora. Semen in siliquis, aliud grano rubente, aliud nigro. Duo eius genera sunt. Fœmina existimatur, cuius radicibus ceu balani longiores, circiter octo aut sex, inhærent: mas plures habet, quoniā non una radice nixus est, palmi altitudine, candidaq;. ea gustu astringit. Fœminæ folia myrrham redolēt & dēsiora sunt. Nascuntur in syluis. Radices fructumq; legi noctibus præcipiūt, quia picus martius interdiu facere in oculos impetum dicatur: alioqui effodientibus radicē pæoniæ sedes procidit, si Theophrasto credimus. Magna id uanitate ad ostentationē rei fictum Plinius arbitratur. Glycysida porro dicta est pœonia, q; acinos mali punici similes habere uideatur. nam sidam, malum punicum à Bœotis uocari suprà docuimus. Hanc & ephialtion uocabant antiqui, ut pote cū aduersus suppressiones incuborum nocturnas ualeret. Medetur pæonia faunorū in quiete ludibrijs. Præcipiūt eruere noctu, quoniam si picus martius uideat, tuendo in oculos impetum faciat. Vsus in ijs diuersus, rubra enim grana rubentes menses sistunt, quindecim ferè pota in uino nigro: nigra grana uuluis medentur ex passo, aut uino totidē pota. Radix omnes uentris dolores sedat in uino, aluumq; purgat. Sanat opisthotonon, morbum regium, renes, uesicam: matricem autem, & stomachum decocta in uino: aluumq; sistit. Estur etiam contra malum mentis, sed in medendo quatuor drachmæ satis sunt. Grana nigra auxiliantur suppressionibus nocturnis in uino pota quo dictum est numero. Stomacho uero & rosionibus & esse ea, & illinire prodest. Suppurationes quoque discutiuntur, recentes nigro semine, ueteres rubro. Vtrunq; auxiliatur à serpente percussis, & pueris contra calculos incipiente stranguria. Fœminis, ut Dioscorides est author, à partu non purgatis sicca radix datur. Ciet menses græcę nucis magnitudine pota. In uino data doloribus subuenit uentris. Sanat regium morbum, renes, uesicam. Decocta in uino aluum coercet fluentem. Rubra seminis grana rubentes menses sistunt decem aut duodecim pota in uino austero nigro. Stomacho & eius erosionibus esse prodest. à pueris pota calculorum rudimenta detrahunt. Grana nigra medentur suppressionibus nocturnis, & faunorum in quiete ludibrijs, strangulationibus fœminarū & uuluæ doloribus grana quindecim in aqua mulsa aut uino pota. Nascitur in editissimis præruptisq; montium uerticibus. Galenus pueros quosdam comitiali morbo correptos haustu eius in perpetuum mentis malum nō sensisse tradit, dum etiam radicem à collo pendentem gestarent, ita ut pectus contingeret. quod & Possidonius adfirmat. Seleucus glycysidem pomi genus specie fici tradit, quod mulieres

maxime

maxime deuitēt infatuationis metu. Lithospermon aliqui ægonychon, alij diospyron, alij semen leoninū, à lapidea seminis duritia nomen accepit. Folia ei oleæ prorsus ineſſent niſi lōgiora, molliora, latioraq; uiderentur, iuxta radicē humi iacētia, ramulis rectis, tenuibus, craſſitudine acuti iunci, ualidis, ſurculoſis, quibus in ſummis biforcipes exeunt caliculi, foliis inueſtiētibus magnis, penes quæ lapideū ſemen, rotundū, exiguū in eruí magnitudine extuberat. Naſcitur macro ſolo locis eminētibus. Plinius ita graphicè depinxit, tra dens inter omnes herbas lithoſpermo nihil eſſe mirabilius. Aliqui ægonychon uocāt, alij diospyron, alij heracleon. herba quincūcialis ferè, foliis duplo maioribus q̄ rutæ, ramulis ſurculoſis, craſſitudine iunci. Gerit iuxta folia ſingulas ueluti barbulas, & in earū cacuminibus lapillos cādore et rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia uero lapidea. Ipſi quą pediculis adhærēt cauernulas habēt, & intus ſemen. Naſcitur in Italia, ſed laudatiſſima in Creta: nec quicq̄ maiore miraculo Plinius aſpexit, tantus eſt decor, uelut aurificū arte alternis inter folia cādicantibus margaritis, tam exquiſita difficultas lapidis ex herba naſcentis. Iacere atq; ſerpere humi tradūt authores. Plinius uulſam non hærentē uidiſſe meminit. Iis lapillis drachmæ pōdere potis uino albo calculos frangi pelliq; conſtat, & ſtranguriā diſcuti. Neq; in alia herbarū fides eſt uiſus ſtatim, ad quā medicinā nata ſit. Eſt autem eius ſpecies, ita ut etiā ſine authore, uiſu ſtatim cognoſci poſſit. Dioſcorides iacere atq; humi ſerpere folia tradit, quæ ab radice proſiliāt, quod nuſquā non apud nos uiſitur. Lithoſpermon in altitudinē fruticat, erectis nō ſeſſilibus humi ramulis, quod etiam Dioſcoridi placere uideo. Ab omnibus tā officinis quàm medicis hodie *milium ſolis* appellatur, quod, ut reor, ſemen candore ſolaris ac lucis ſplendore fulgeat. enimuero foliis oleæ mollioribus, latioribus, & lōgioribus conſpicitur, quæ iuxta radicē humi ſpargūtur, ramulis tenuibus, rigidis, firmis, iuncea craſſitudine, in quorum faſtigio bifidi exortus caliculorum ſpeciem exhibent, foliis magnis eos ueſtiētibus: in quo ſinu ſemen emicat paruum, rotundum, eruí magnitudine, duritia lapidea. In aſperis inuenitur, & editis locis. Vis huic ineſt, ut ſemine cum uino albo poto calculos frangat, pellatq; urinam.

Phalaris, Erythrodanon, rubia, Lonchitis. Cap. LXXI.

PHalaris thyrſulos fundit à radicibus tenuibus, & ſuperuacuis, frequētes, geniculatos, bipalmesq;, calamis ſimiles zeæ, graciliores tamē atq; dulces. Folia quoq; ſimilitudinē eius habēt. Semen amplitudine milij oblōgius. Phalaris Plinio thyrſum habet longū, tenuē ceu calamū, in ſummo flore inclinatū, ſemen ſimile ſeſamæ. Hoc calculos frangit potum ex uino uel aceto, uel cum melle & lacte: item etiam ueſicæ uitia ſanat. Tunditur & in aqua aut uino. Succus ad ueſicæ cruciatus utiliſſimè bibitur. Semen ligulæ menſura potū eundem præſtat effectū. Inuenitur frequēter in aruis ſine nomine herba fruticoſa, culmo lōgo, gracili, geniculis cincto perinde quaſi auena, flore ſpicaceo, in ſummo inclinata. ſemine milio aliquāto lōgiori, radice tenui, & ſuperuacua. Erythrodanon Latinis rubea dicitur, Dioſcoridi altera ſpōte prouenit, altera ſeritur ut Thebanæ in Galilæa, & Rauennæ in Italia. In Caria certè inter oleas, tanquam in ſegetibus, ſeritur, propter emolumentū quod ex ea re quęſtuoſiſſimum ſentitur. Quadranguli ei caules, aſperi, longi, ſimiles aparinæ, maiuſculi prorſus firmiuſculiq;, foliis circa articulos per interualla ſtellatim decuſſatis, & uelut in orbem circumquaque radiatis, ſemine rotundo, per initia uirente, proceſſu rubro, ubi planè maturuit nigro, radice tenui, longa, rubente. Magno quæſtu rubia pollet, in primis tingendis lanis & corijs neceſſaria. Serpit humi ut gramen, locis umbroſis conſpicienda. Sponte prouenit, ſeriturq; ſimilitudine eruiliæ, uerum ſpinoſus ei caulis & geniculatus, quinis circa articulos in orbem foliis. Semen eius rubrum eſt. Laudatiſſima Italica, & maximè ſuburbana, & omnes penè prouinciæ ſcatent ea, radice amara & anchuſæ modo rubicunda, uelleribus inficiendis & pellibus tingendis utili. Italicam maxime Democrito placuiſſe dicunt. Officinis *rubia tinctorum* appellatur, Francis *garenſa*, caule anguloſo, geniculato, aſpero, foliis per interualla ex ſingulis articulis emicantibus, & rotatim in ſtellæ modum radiatis, ſemine primum herboſo, mox rubro, deniq; nigro, ſemper rotundo, radice rubra, altitudinis tantæ, ut rarò tota queat effodi. Hac tingūtur lanæ, pelleſq; perficiunt, qua de causa à noſtris infectoribus ſtudioſè colitur rubia. In medicina urinam ciet, morbum regium

sanat ex aqua mulsa,& lichenas ex aceto illita: & ischiadicos & paralyticos, ita ut bibẽtes lauentur quotidie. Radix semenq; trahunt menses, aluũ sistunt, & collectiones discutiunt. Contra serpentes rami cũ foliis imponuntur. Folia capillum tingunt. Quidam morbũ regium sanari hoc frutice tradũt, etiã si alligatus spectetur tantum. Dioscoridi urinã mouet, qua de causa regio morbo auxiliatur pota cum aqua mulsa: item coxendicum doloribus,& neruorum resolutioni: crassam enim copiosamq; pellit urinam, interdũ & cruorem. Bibentes tamen quotidie lauentur,& inanitionum discrimina cõsiderentur. Contra serpentium ictus succum ex uino bibi prodest. Semẽ potum ex aceto lienem absumit. Imposita radix trahit partus,menses,secundasq;. Illita cum aceto albam uitiligínem emaculat. Lonchitis Romanis uenería aut lanceola dicebatur olim, folia ad porri similitudinem habet,latiuscula,& modicè rubentia,ad radicem plurima,& in terram conuexa,pauca in caule. Flores in eo ceu galericulos comicis personis símiles, paruam exerentibus linguam,nigros. siquidem minutulis ijs hiãtibus albugo quædam inferiore labro prominẽs speciẽ lingulæ repræsentat. Semen in inuolucro clausum cum primum exit triangulum, si mile cuspidi,unde ducta est appellatio,radices Gallicæ pastinacæ. Nascitur in asperis & sitiẽtibus. Lonchitis,authore Plínio, nõ ut plerique existimauerũt eadẽ est quę xiphion aut phasganon,quanq; cuspidi símilis semine: habet enim folia porri rubẽtia ad radicẽ,& plura quàm in caule,capitula personis comicis símilia,paruã exerẽtibus linguã,radicibus prę longis. Nascitur in sitiẽtibus. Sæpe in aridis & petrosis inuenitur,folio porraceo, floribus comicæ personæ símilibus, paruã exerenti linguã, semine triangulo ut pilũ esse ac lancea uideatur,à qua ut arbitror effigie nomen herba auspicatur,radice sylueſtris pastinacæ: sed nullum succurrit nomen dignum quod scribatur. Pueri,qui montibus oberrant, *nigros capettos* quasi galeros,nominant. Altera lonchitis quam asperã cognominant,Romani lonchitidem aut colubrinã, foliis scolopendrij scabrioribus, amplioribus,diuisuris quoq; maioribus,uulneraria herba,plagisq; inflammationes abigit, nec eas cingere uel enasci patitur. Pota cum aceto lienem absumit. Sunt qui ab hoc foliorum habitu *bursam pastoris* esse putẽt: sed ea foliis potius erucæ conspicitur,semine in uulgus minuto. sed de hac alibi priuatim diximus. Alij quandam scolopendrij speciem esse suspicantur. Vtcunq; lonchitidos superioris radix decocta,priusquam semen emittat, lieni & renibus medetur. Eadem in aqua ijs uisceribus illinitur. Semen lonchitidis duabus linguis in uino potum hydropicos sanat. Radix potu urinam ciet.

Althæa,Alcea,Cannabis. Cap. LXXII.

ALthæam aliqui ebiscon appellant, genus est sylueſtris maluæ,foliis rotundis cyclamini modo,lanuginosis,flore roseo,caule cubitorum binũm, radice lenta,uiscosaq;,intus candida. Tributũ ei nomen ab excellẽtia & multitudine remediorum. E sylueſtribus maluis, cui grande folium & radices albæ, althæa uocatur ab excellentia effectus, à quibusdam aristalthæa. Althææ folium à Theophrasto maluæ redditur, sed grandius & pilosius, caulículi molles, flos luteus, radix alba neruosaq;, semen maluæ. gustus quoque caulium ut maluæ. Aquam radice trita addita tradunt addensari sub dio,atque congelascere. Vsus ad rupta, tusses è uino dulci,& ad ulcera in oleo. Medici althæam uocando,ut idem inquit Theophrastus, maluam sylueſtrem intelligunt ab effectus nobilitate, à quibusdam aristalthæa dicitur. Item ebiscus, siue quod idem est, ibiscus: quanquam Plinius althæam ab ibisco separauit medicinæ usu. Ibiscus, inquit, à pastinaca gracilitate tantum distat, damnatus in cibis,& medicinæ duntaxat utilis, quam Græci molochen agriam uocent,& aliqui pliſtolochiã. Andendromalache à Galeno etiã uocatur. Officinis *bismalua*, uulgo *maluauiscus*, rusticis *guimalua* nominatur, quòd glutinosa sit, caule tenero, bicubitali, molli, foliis lanugine canescẽtibus, fœtu maluæ maiori, pilosiore q;, flore rosaceo, radice alba. Humẽtib. locis gaudet. Althææ in omnibus efficacior radix, prę cipuè cõuulsis, ruptisq;. Cocta in aqua aluũ emollit. Ex uino albo strumas,& parotidas,& mammarum inflammationes discutit. Panos in uino folia decocta & illita tollunt. Eadem arida in lacte decocta quamlibet pernicioſæ tussi citissime medentur. Hippocrates uulneratis,sitiẽtibus defectu sanguinis,radicis decoctæ succum bibendum dedit: & eam uulneribus cum melle & resina, item conuulsis,luxatis, tumentibus

tumentibus & musculis, neruis, articulis impositum. Suspiriosis, ac dysentericis in uino bibendum præbuit. Mirum, aquam ea radice addita addensari sub diuo, atq; coalescere. Efficacior autem quo recentior. Radicis succus, ut Dioscoridi placet, decocte in aqua mulsa, item tusæ per se potu efficax est contra uulnera, parotidas, strumas, absessus. Mammarum inflãmationes sedat, sedis dolores, offarctus, inflationes, neruorum rigores. discutit enim & excoquit, aut rumpit, & ad cicatricem mox perducit. Decocta quo dictum est modo, & cum axungia, uel anserino pingui, terebinthina ue subacta ut malagmatis lentor cõtrahatur, inflammationibus uuluæ, præclusisq; fœminarum locis utiliter in pessis admouetur. Decoctum eosdem usus præbet. Purgationes à puerperio & reliquias à partu potenter extrahit. Decoctum radicis potum prodest urinæ difficultati, calculorum cruditati bus, coxendicum uitijs, dysentericis, tremulis, ruptis. Dentium mulcet dolorẽ colluto ore decocti in aceto iure. Semen recens aridum ue tritum uitiligines in sole confrictas oblitorat. Eodem ex oleo peruncti à uenenatis animalibus feriri negantur. Valet ad dysenteriã, sanguinis reiectionem, alui profusiones. In posca aut uino decoctum bibitur contra omnes uesparũ, apiũ, ac similiũ aculeatos ictus. Folia cũ oleo exiguo imponntur plagis, item ambustis. Cõstat aquã trita radice addita sub diuo addensari atq; cõcrescere. Alcea sylueſtri & ipsa maluæ cõtribuitur, folia uerbenacę modo secta, caules terni aut quaterni cortice canabino uestiũtur, flores parui, similes rosę, radices obliquæ, quinq; uel sex, cubitales. Alcea Plinio folia habet similia uerbenacæ, quæ & peristereon cognominatur, caules tres aut quatuor foliorũ plenos, florẽ rosæ, radices albas, cumplurimũ sex, cubitales, obliquas. Nascitur in pingui solo, nec sicco. Cęterũ inuenitur in syluis *rusticæ altheæ* uel *bismaluæ syluestris* uulgari cognomẽto, herba caulibus folijs, canabino cortice, minutis, frõde malue quasi circinata, & segmẽtis uerbenacæ profundioribus laciniata, flore rosę, paruo, radicibus obliquis, quinis senis ue, cubitalibus, albis. Caudã quoq; leonis, qua multũ animal id pollet, Homero, Catullo, & Plinio testibus alceã appellãt Gręci. Vsus radicis alceæ ex uino uel ex aqua dysentericis, aluo citę, & ruptis cõuulsis. Syluestris cannabis nascitur in syluis, uirgulas altheæ fundens nigriores, asperioresq;, ac minores, cubitali altitudine, folijs edomitę, scabrioribus, magisq; nigrãtib. flores modice rubẽtes & similes lychnidi, semẽ & radix althææ. Cãnabis primũ in syluis nata nigriore folio & asperiore, dein cultu domita feritate mansueuit in agris. Satiua à Dioscoride pingit foliofraxini, grauis odoris, caulibus paruis, inanibus, semine rotũdo. Ea Gallis *chanura* dicitur, ferulacei generis, grauí odore, simplici adolescit caule in tantã plerũq; proceritatẽ, ut arborũ ęquet fastigia. Crebris geniculatur nodis, è quibus surculi prodeunt, folijs anguſtis, mucronatis, fimbriatis. Mas exflos, uersicolorium parit semen & oleosum: fœmina albo flore sterilitatem compensat. Vtilissima funibus cannabis. Seritur à Fauonio. Quo densior est, eo tenerior. Semen eius cum est maturum, ab Aequinoctio autumni defringitur, & sole & uento aut fumo siccatur. Ipsa cannabis uellitur post uindemiã, ac lucubrationibus decorticata purgatur. Optima est Alabandica, plagarũ præcipuè usibus. Tria eius ibi discrimina. Improbatur cortici proximũ, aut medullæ. Laudatissimũ è medio quæ mesa uocatur: secũda Mylasea. Quod ad proceritatẽ attinet, rosea agri Sabini arborum altitudinẽ æquat. Cannabis solum pingue stercoratumq;, & riguum, uel planum, atq; humidum & altè subactum deposcit. In quadratũ pedẽ seruntur grana sex eius semínis Arcturo exoriente, quod est ultimo mense Februario, circa sextum aut quintum Calendas Martias, nec tamen usq; in Aequinoctium uernum. Si sit pluuius cæli status, improbe seritur. Cannabis leguminibus assignatur. Huius semen, ut Galenus est author, magno negotio concoquitur, stomacho & capiti aduersatur, prauos creat humores. Sunt tamen qui hoc quoque tostum tusumq; cum bellarijs, quæ secundis mensis præbentur, usurpent. Admodum excalfacit, & caput æstuoso halitu sursum misso tentat. Semen eius extinguere genituram uirorum dicitur. Succus ex eo uermiculos aurium necat & quodcunq; intrauerit eijcit, sed cum dolore capitis. Tantaq; uis est ei, ut aquæ infusa, coagulare eam dicatur. & ideo iumentorum aluo succurrit pota in aqua. Radix contractos articulos emollit in aqua cocta, item podagras, & similes impetus. Ambustis cruda illinitur, sed sæpius mutatur priusquam inarescat. Semen largius sumptũ genituræ extinguit. Succus ex eo auriũ doloribus instillatur.

Sylue-

Sylueſtris, quæ nigriore & aſperiore caule, diſtat à ſatiua. Vellitur & hæc faciundis funibus apto cortice. cuius radix decocta illitu collectiones, & tumores diſcutit: tophos, qui in articulis occalluerunt, diſſipat.

Anagyris, Cepæa, Aliſma, Onobrychis. Cap. LXXIII.

ANagyris, à quibuſdam acopon dicitur, folia uirgasq; uiticis habet, frutico ſaq; arboris inſtar, perquam tenui odore, flos oleris. Semen in corniculis gignit oblongis, ſimile renibus, uarium, ſubrotundum, & ſolidum, quod dure ſcit ferè matureſcente uua. Anagyris Plinio, quam aliqui acopon uocãt, fruticoſa eſt, grauis odore, flore oleris. Semen in corniculis nõ breuibus gignit, ſimile renibus, quod dureſcit per meſſes. Anagyris odore tetro prouerbiũ peperit, in eos iactari ſolitum, qui offutura ſibi commouent. Hanc ſunt qui à Plauto nauteam uocari putent in Aſinaria, ſed authorem non habent. Nauteam porrò herbam grauẽ eſſe ſcribit Feſtus, qua coriarij utantur, à naui quaſi nauſeam dictam. Anagyris recentioribus *malua terreſtris*, quod humi maluæ modo iaceat dicitur, ruſticis *putidum lignum*. Arboris inſtar fruticat foliis & ramis amerinæ, fœdo odore, flore braſſicæ, ſiliqua terete, qua ſemen cõtinetur renibus ſimile, cum meſſibus matureſcens. Folia collectionibus imponuntur: difficulter parientibus adalligantur, ita ut à partu ſtatim auferantur. Quòd ſi emortuus hæreat, & ſecundæ menſesq; morentur, drachmæ pondere bibuntur in paſſo folia. Sic & ſuſpirioſis dantur, & in uino uetere ad phalangiorum morſus. Radix diſcutiendis coquendisq; adhibetur. Semen commanducatum uomitiones facit. Tenera folia, ut uult Dioſcorides, illitu collectiones tumoresq; reprimunt. Si partus hæreat, & ſecundæ menſesq; ſubſiſtant, drachmæ pondere bibuntur in paſſo. Sic & ſuſpirioſis præbentur, & contra capitis dolores in uino. Difficulter parientibus adalligãtur, ita ut extemplo à partu ſoluãtur. Radicis cortex concoquendis diſcutiendisq; adhibetur. Semen conmanducatum uomitiones celeriter ciet. Cepæa portulacæ ſimilis eſt, folio nigriore, radice tenui. Plinio cepæa ſimilis eſt portulacæ, nigriore radice ſed inutili, naſcens in litoribus arenoſis, guſtu amara. In uino cum aſparagi radice ueſicę plurimum prodeſt. Folia in uino contra urinæ ſtillicidia, & ſcabiem ueſicæ magno remedio bibuntur: ſed cum decocto corrudæ, id eſt ſylueſtris aſparagi, quam myacanthon uocant, plurimum conferunt. Aliſma, quod & damaſonion uocatur. folia ei plantaginis niſi anguſtiora eſſent, & in terram conuexa, caule tenui, ſimplici, cubitum excedente proceritate, capite thyrſi, flore albo, exili, & aliquatenus pallido, radicibus ut ueratri nigri tenuibus, odoratis, acribus, modicè pinguibus. In aquoſis amat naſci. Aliſma, ut Plinius inquit, aliqui damaſonion alij lyron appellant. folia ei plãtaginis niſi anguſtiora eſſent & magis laciniоſa, conuexa'que in terram, alias etiam uenoſa ſimiliter, caule, ſimplici, tenui, cubitali, capite thyrſi, radicibus denſis, tenuibus ut ueratri nigri, acribus, odoratis, pinguibus. naſcitur in aquoſis. Alterum genus eiuſdem in ſyluis tradit nigrius, maioribus foliis. Recentiores *paſtoralem fiſtulam* uocant, quòd ſingulari ſcapo rudis fiſtulæ & longitudinem & effigiem quandam uideatur imitari. Officinæ, herbarij, rura à ſimilitudine & natalibus *plantaginem* uocant *aquaticam*, folio arnogloſſi, ſed anguſtiore, & ſemper in terram demiſſo, caule unico, ſeſquipedali, in cuius faſtigio uiride alabaſtricu lum in calycem cõcoloris floris dehiſcit, radicibus crebris, ut ellebori nigri tenuibus, acribus, pinguibusq;, flore tenui in candidum palleſcente. Aquoſos amat ſitus. Vſus in radice aduerſus ranas & lepores marinos. Lepori marino aduerſatur in uino potum. Eius drachma una aut altera ſubuenit iis qui leporem marinum biberunt, aut quos rubeta momorderit, aut qui opium hauſerunt. Torminoſis aut dyſentericis per ſe aut cum dauco pari menſura datur. Conuulſis, & mulieribus locorum cauſarijs, aut uuluæ ſtrangulatui opportunis prodeſt. Herba ſiſtit aluum, menſes pellit, tumores illita placat. Panos ſanat damaſonion. Onobrychis lentis habet folia, longiora paulo, caulem ſemipedalis altitudinis, florem rubentem, radices exiguas. naſcitur dilutis incultisq; locis. Folio, ut Plinius inquit, onobrychis conſtat lentis, paulo maiore, flore puniceo, radice exigua & gracili. Naſcitur circa fontes. Illita panos & tubercula diſcutit. In uino ſtrangurias ſinit. Sudores mouet cum oleo peruncta.

Hypericon

Hypericon. Cap. LXXIIII

HYpericon alij corion, alij androſæmon appellant. Sunt qui chamæpityn ab odore ſeminis reſinaceo dixerunt, folio rutæ figura, ſurculaceo frutice, dodrantali, ſubrubro. Flos luteus, qui digitis tritus ſanguineum ſuccũ remittit, qua ratione androſæmon cognominatur. Siliquas gerit ſubhirſutas, in longitudinẽ rotũdas, hordei magnitudine, & ſemen in ijs nigrũ, reſinam obolens. Naſcitur macro ſolo ſed culto. Hoc modo à Dioſcoride pingitur in ruta ſylueſtri, & multo articulatius. Folia ſunt rutę, puſillo frutice, ac lignoſo, leuiter rubẽte. Flos luteus, qui digitis tritus ſanguineũ excernit ſuccũ, qua occaſione quidã androſæmon uocauere, follicu lo ſubhirſuto, in rotũditate prælongo, ſimilitudine hordei, claudente ſemen atrũ, & reſinã ſubolẽs. Naſcitur culto & gracili ſolo, ſed hoc breuius aliquot omiſſis repetitur. Hyperi/con, Plinio authore, quod alij chamæpityn, alij corion appellãt, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutæ, odore acri, ſemine ſiliquæ nigro matureſcẽte cum hordeo. Nomen in officinis ſeruat. Rura *herbam perforatam* aut *mille pertuſam* appellant, quòd folia ſoli ob iecta innumeris foraminibus ſcatere, & omni ex parte punctis quibuſdam pertundi uiſantur. Vulgus item *herbam diui Ioannis* ſæpe nuncupat. ſiquidem ſurculoſa eſt herba, dodrantalis, ſubrubẽs, folio rutæ, flore uiolæ matronalis forma, quẽ ſi digitis libeat terere, manus inuenies ſanguine profecto cruentatas. nã & oleũ in quo flos fuerit maceratus ſanguineũ concipit colorẽ. ſiliqua terete, hordei magnitudine, ſemine intus nigro, reſinã olente. Nãq; ſi nares conſulas, ſiliqua ſemenq; tibi reſinaceũ odorẽ repræſentabit. Duo in hyperico inueniuntur, quæ tibi certitudinis faciãt fidem, cruentus comæ floriſcq; triti liquor, odor ſilíquæ ſeminiſcq; reſinaceus, quæ uix in alijs quibuſcũq; reperiũtur. Quo magis hallucinantur, qui hypericum othonnen herbam eſſe cenſeant. Nam & ſi perforata crebro folia hyperici acies oculi deprehendat, non tanquam à tineis eſſent pertuſa uel eroſa, ſed uelut acu minutim puncta conſpiciet. Item non ei flos ineſt croci latifolius, ſed albæ uiolæ luteus. Folium huic rutæ, alteri potius erucæ tribuitur. Neq; ſemen in othonnæ ſiliquis includitur. Peregrina herba barbaro aſpectu. Hypericum uernaculum nobis eſt, nuſquã non prouenies. Aſcyron alijs & androſæmon, ſpecies & hæc hyperici, amplitudine differẽs, maioribus ramis ſurculoſioribusq;, & omnino rubentibus, folio tenui, floribus luteis, ſemine hyperici reſinoſo & cum atteritur digitos cruentante, quã ob cauſam androſæmon hanc quoq; uocauere. Androſæmon aliqui dionyſiadem, alij appellauere aſcyron, ſed ab hoc & ab hyperico differentẽ. frutex eſt prætenuibus feſtucis, ſurculos rubẽtesq; ramos fundẽs, folijs effigie quidẽ rutæ ſed duplo triplo'ue maioribus, & cũ teruntur ſucco ſanguineo manantibus, cauis alarũ multis, à quibus in cacumine ſtolones utrinq; prodeunt pinnati, in queis flores puſilli, lutei, & in calyculis ſemen uelut nigri papaueris, lineis depictũ. Comæ tritæ reſinoſus odor. Hoc inuenitur in agris. Folia non ſic, ut hyperici, foraminibus peruia notantur, longiora multo. Plinius ea ſupradicta genera hyperici appellatione cõplectitur, duobus tantum faſtigijs contentus, cum tradat aliud hypericon eſſe quod alij corin uel corion appellant, folijs tamaricis, & ſub ea naſcitur, ſed pinguioribus & minus rubentibus, odoratum, palmo altius, ſuaue, leuiter aculeatum. Dioſcoridi coris, quam hypericon quidam uocant, frutex eſt folio ericæ ſed minore, pinguiore, ac rubente, palmum altus, ſapore grato, acri, odorato. Hippocrates coren hanc uocauit, ut Galenus inquit, argumento ſeminis quod pupulæ oculi ſimilitudinem repræſentat. Aſcyron maiores quàm hypericon habet ramos omninoq; rubentes, flores luteos, ſemen in calyculis puſillũ. Comæ aſcyri tritæ uelut cruentatæ cernunt. Androſæmon nõ abſimile hyperico eſt, caulicu/lis maioribus dẽſioribusq;, ac magis rubẽtibus, folia alba ferè. Gignitur in uineis. Ferè medio autũno effoditur, ſuſpenditurq;. Galenus androſęmon duplex facit, aſcyron ſiue aſcyroides, de quo ſuprà ſumus locuti. Alterũ dionyſias appellat ab aliquibus. Vtriq; par effectus. Ea inter hypericũ, aſcyron, et androſęmon inueniũtur diſcrimina, ſed minora q; quę genus mutare debeãt, ideo una cõmuni ueniũt apud nos appellatione. Eſt tamen diligenter attendendum in rutę ſylueſtris mentione, ubi eadẽ uerbotenus referuntur, florem ſimplici ratione luteum à Dioſcoride tribui, ubi nec uiolæ albæ ſimilẽ feciſſe palam cognoſcitur: quare in alterutra deſignatione nõnihil deſiderari uidetur. Nec in hyperici mentione

floris

floris digitorum attritu cruẽtati meminit. Natura semini hyperici spissandi. Aluum sistit, urinam cit, ad calculos uesicæ cum uino bibitur. Vis semini coris excalfactoria, & ideo in flationẽ facit enterocelicis: sed stomacho non utile, præcipuum ad stranguriam, si exulcerata non sit uesica. Medetur & pleuriticis in uino potum. Semẽ utriusq; hyperici ischiadicis bibitur ex uino. Bibitur & in quartanis, quæ priuatim corion appellatur. Ambusta sanat. Spasticis & opisthotonicis perungi semine hyperici, quod coris uocatur, idemq; bibere prodest. Capillum denigrat hypericon quod corion cognominant. Hypericon Dioscoridi urinam cit, menstrua pellit appositum. Tertianis, quartanis cum uino potum liberat. Semen triginta diebus potum ischiadicis medetur. Folia cum semine illita sanant ambusta. Seminis ascyri usus ad ischiadicos. Potum in aquæ mulsæ sextario uitiosa recrementa copiose detrahit: quapropter continuandus est usus, dum uitium omne subsidat. Illinitur & ambustis efficaciter. Androsæmi semen duabus drachmis potum bilem deijcit, aluũq; suis excrementis exonerat. Ischiadicis medetur, sed à purgatione aquam bibere cõuenit. Herba sanat ambusta, uulneribus sanguinem cohibet. Coris semen potũ menses pellit & urinas. Phalangiorum morsibus auxiliatur. Febriũ horroribus ex pipere, opisthotonicis ex oleo conuenienter illinitur. Radix in uino cocta, potaq; defectis opẽ ferre traditur: sed qui morbo tentatur diligenter operiri debet, quãdo corpus totum sudore diffluet, ex qua occasione membra resoluta mobilitati restituentur.

Chamæpitys, aiuga. Cap. LXXV.

HErba est chamæpitys per humum serpens, incuruæ similis, foliis sedi, minoribus, tenuioribus multo, hirsutis, circa ramos frequentibus, odore pinus, flore tenui albo uel luteo, radice cichorij. Altera huic cognominis, cubitalibus ramis, anchoræ modò incuruis, minutis crinibus, coma supradictæ, flos candidus, nigricans. semen olet pinum ut superior. Tertia masculus dicitur, parua, læuior, foliis exilibus, candidis, pilosis, colliculo crasso & albo, flosculis melinis, semine pusillo, secus alas eodem odore quo cæteræ item species. Chamæpitys latine aiuga, authore Plinio, appellat: dicturq; propter abortus ab alijs thus terræ, cubitalibus ramis, flore pinus & odore. Altera læuior & incuruæ similis. Tertia eodem odore, & ideo nomine quoq;, paruula, crassitudine digitali, foliis scabris, exilibus, albis, in petris nascens. Sic tria eius habentur discrimina, reddẽdo unum sesquipedalibus furculis, flore pinus & odore: alterum breuius & incuruum: tertium foliis scabris, digitali caulis crassitudine. Latinis aiuga siue abiga chamæpitys dicitur. Inuenitur & ibiga uocari, quod nomen fere seruant hodie Illyrici. Hinc duabus abiectis literis b. & g. *iba*, & tandem *iua* manauit in uulgi nomenclationem. Ea est aiuga uel chamæpitys, quam officinæ simul & herbarij *iuam* appellant cognomento *muschatam*. siquidem ea per humum reptat incurua, foliis semperuiui minoris, longe tenuioribus, hirsutis & pinguibus, circum ramos frequẽtibus, odore pinus, flore tenui, luteo uel candido, radicibus cichorij. Tantũ abest ut chamæpitys, quæ ab officinis hodie demonstratur, sit ea Dioscoridis & Plinij, ut nihil magis eius deliniationi repugnare cognoscatur, & indigna prorsus quæ ijs generibus annumeretur, cum nullo sit pinus odore. Recentiores aliam chamæpityn nouerũt, eiusdem ut ipsi arbitrantur effectus, folio saluiæ rimoso, angustiore tantum, & ad radicẽ maiore, flore subcandido ac luteo, folliculis cristæ gallinaciæ similibus, sapore pinus, in maritimis mõtibusq; nascentem, nigro semine, quæ non serpit. Athenis chamæpityn alij dionysiam, alij ioniam uocari scribunt Apollodorus & Athenæus. Nicander ionida quãdam herbam nominat, fortasse chamæpityn significare uoluit, pumilam & humilem eam dicendo. Omnes hæ herbæ propter cognationem nominis non differendæ. Prosunt aduersus scorpionum ictus: item iocineri illitæ cum palmis, aut cotoneis: renibus & uesicæ decoctum earum cum farina hordeacea. Morbo quoq; regio & urinæ difficultatibus ex aqua decoctæ bibuntur. Nouissima cõtra serpentes ualet cum melle, sic & apposita uuluas purgat, sanguinem densatum trahit potа, sudores facit perunctis ea. Peculiariter renibus utilis est. Fiunt ex ea hydropicis pilulæ cum fico aluum trahentes. Lumborum dolorem uictoriati põdere in uino finit, & tussim recentem. Mortuos partus ex aceto cocta potaq; eijcere dicitur. Folia, ut Dioscoridi placet, chamæpityos septenis diebus in uino pota morbum regiũ discutiunt: & quadragenis

in aqua

in aqua mulsa ischiadicis medentur. Dantur peculiariter urinæ difficultatibus, tocineris & renum uitio. Torminosis prosunt. Heracleæ in Ponto aduersus aconitum pro antidoto utuntur decoctum ebibentes. Ad supradicta quoq; cum polenta linitur quæ decocto herbæ maduerit. Trita in farinam & cum fico in pilulis sumpta aluum emollit. Excepta melle cum eris squama & resina eam trahit. Apposita cum melle uteros purgat, siquid intus infestat eijciens. Mammarum duritias digerit, uulnera glutinat, ulcera quæ serpunt cum melle lita cohibet. Vsus reliquis duabus ad eadem quæcunq;, citeriore tantum ui.

Betonica, cestron. Cap. LXXVI.

CEstron cognominant psychotrophon, quoniã alsiosis locis gaudeat, Latini betonicã appellant. Exit caule tenui, cubitum uel eo amplius procero, quadrangulo, foliis longis & mollibus, frondis quernæ modo per ambitum serratis, ad radicem maiusculis, odore iucundo. summis in caulibus semen spicatum ineſt quasi thymbræ. Radices subsistunt exiles ut ueratri. Folia huius collecta plurimos ad usus siccantur. Vetones, ut Plinius tradit, in Hispania eam inuenere quæ in Gallia betonica dicitur, in Italia autẽ serratula, græcis cestron aut psychotrophon, ante cunctas laudatissima: exit angulosо caule, cubitorum duũm, à radice spargens folia ferè lapathi, serrata, semine purpureo. Nomen betonicæ in officinis retinet, uulgus *betunam* uocat, caule cubitali, aut altiori paulo, quadrato, foliis quernis, per ambitum serratis, proxime radicem maioribus, odoratis, semine in summis caulibus modo satureiæ spicato, floribus purpureis, radice ueratri numerosa, tenui. Hallucinantur qui generi eidem betonicæ assignant, quam uulgus *orualam* appellat, haudquaquã absimilem, caule abimo rufescente, quadrangulo, flore rubido, alabastriculis dehiscentibus. Vescũ & atrũ semen intus conspicitur. Cæterum folio & caule orualæ marrubium imitatur ingrato satis odore, flore in aquilini rostri modum falcato, siliquis circa caulem dehiscentibus, quæ semen atrum ostendant. Betonica folio quercus conspicitur, per ambitum crenato, odorato, semine in uerticibus caulium spicoso. Differt specie nõ effectu altera betonica ut Paulo Aeginetæ placet, unicaulis, ramulos habens pulegij tenuiores, & gustu fatuos, in petrosis fere prouenies. Folia siccantur in farinã plurimos ad usus. Fit uinũ ex ea & acetũ stomacho & claritati oculorũ. Tantũq; gloriæ habet, ut domus in qua sata sit, tuta existimetur à piaculis omnibus. Anguiũ morsibus imponitur betonica, præcipue cui uis tanta perhibetur, ut incluſæ circulo eius serpentes ipſæ seſe interimãt flagellando. Datur ad ictus semẽ eius denarij pondere cũ tribus cyathis uini: uel farina drachmis tribus sextario aquæ imponitur. Betonicæ semen omnia mala medicamenta exigit per aluũ in mulso, aut passo, uel farina in uini ueteris cyathis quatuor: sed uomere cogendi atq; iterũ bibere. Iis qui quotidie gustẽt, nulla nocitura medicamẽta tradunt. Obolis tribus, in aqua cõtra purulẽtas cõtraq; cruentas excreationes subuenit. Ad lateris & pectoris dolores farina eius bibitur. Betonica alias stomacho grauis, uitia tamen sanat pota, uel foliis cõmanducata. Difficultati spirãdi medetur tusæ pondo libra, mellis Attici semuncia ex aqua calida quotidie bibentibus. Drachma una in aqua calida cyathis tribus bibitur ad cordis uitia. Renibus prodest betonicæ potus. Faciles præstat uomitiones radix ellebori modo quatuor drachmis in passo uel mulso. Sed sistit uomitionem farina ex mulsa. Sumitur & ex aqua, abstergitq; fastidia, digeritq; cruditates ex mulsa. Sistit aluũ succus infusus aut potus. Eadẽ cœliacis in uino austero datur. Soluit aluũ drachmis quatuor in hydromelitis cyathis nouem. Tormina discutit. Ad uulnus drachma in hydromelitis cyathis tribus bibitur. Farina ex melle & aceto scyllite pota præcordijs & ilibus utilissima: itẽ ramici pota, atq; illita. Vesicæ malis contraq; calculos grauissimis cruciatibus auxilio est. Eadẽ ad strãgurias efficacissima. Ad calculos quidã betonicã & uerbenacã & millefoliũ æquis portionibus ex aqua pro singulari remedio bibere suadent. Neruis discurrentibus per scapulas, humeris, spinæ, lumbis utilissima ut in iocinere pota. Ad omnes corporis dolores remedio esse succum inuenio betonicæ, quæ pota colorem plumbeum corporis priuatim emendat, gratioremq; reducit. Phthisicis eclegmate cum melle fabæ magnitudine datur. Concoctionem facit in oxymelitis cyathis tribus denarij pondere, & crapulam discutit. Paralysin sanare dicitur. Eadem torpentibus membris prodest. Comitialibus medetur eius drachma in oxymelite. Farina

pondo denariorum tredecim ſumpta triginta diebus cum foliis quinque folij tritis, ex aceti ſcyllitici cyatho & mellis Attici ſemuncia comitiales ſanat. Eiuſdem drachma in aquæ mulſæ cyathis tribus febribus liberat, quæ cum horrore ueniunt. Bibitur in quartanis farina quæ omnes horrores coercet. Morbus regius impugnatur eadem tribus obolis ex uini ueteris cyatho. Farina è lacte caprino pota ſanguinem ſiſtit ex ubere fluentem. Potatur à ruptis, conuulſis, & ex alto deiectis ſuccus. Betonica drachma in uini cyathis tribus bibitur contra omnia uuluarum uitia, aut quæ in partu fiunt. Euocat menſes, & partus accelerat farina ex aqua mulſa. Herba delet carcinomata et nigritias ueteres addito ſale. Radix Dioſcoridi pituitoſam uomitionem elicit ex hydromelite pota. Folia dãtur ruptis, cõuulſis, uuluę cauſarijs, & ad laxãdos uteri ſtrãgulatus drachmę unius põdere cũ aqua mulſa. Ternæ in uini ſextario drachmæ contra ſerpentiũ morſus ebibũtur. Herba magno præſidio illatis à ſerpente uulneribus illinitur. Aduerſus uenena drachma ex uino ſalubriter potatur, quam ſiquis præſumpſerit, à poculo uenenato tutus euadet. Vrinas ciet, aluũ ſubducit. Medetur comitialibus, inſanis pota ex aqua, & iocineris lieniſcę moleſtijs denarijs ſingulis in aceto mulſo. Concoctiones adiuuat, ſi quis tuberculo fabæ ſecundum cœnam deuoret. Sic & acida ructanti ſtomacho ſalutaris eſt. Stomachicis eam manducare, & ſuccum exputo corpore deuorare proderit, ita ut in ſingulos hauſtus dilutum uinum ſuperguſtetur. Datur ſanguinem excreantibus tribus obolis cum uini miſti cyatho: iſchiadicis renum & ueſicæ doloribus ex aqua: aquæ quę cutem ſubijt binis denarijs in mulſa. Regio morbo laborantes recreat. Menſes pellit denarij pondere cum uino pota. Herentes fœminarum purgationes drachma in uino depellit. Aluum quaternæ in aqua mulſa cyathis decem inaniunt. Tabidis & purulenta egerentibus ex melle auxiliatur. Folia cũ inaruerint trita ad hos effectus fictilibus conduntur.

Britanica, Betonica altera. Cap. LXXVII.

BRitanica, ſiue betonica, folio cernitur rumicis ſylueſtris ſed nigriore piloſio reçę, guſtus aſtringentis, caule non magno, radice breui, tenui. Britannica in inſulis in confini Britaniæ Oceano, uel eius inſulis reperta eſt, folia habens oblonga, nigra, radicem nigram. Florem, authore Plinio, uibones uocãt, qui collectus antè quàm tonitrua audiantur, & deuoratus, ſecuros in totũ reddebat milites. Friſij, qua caſtra erant Romanis, demonſtrauere illam. Miratur Plinius, quæ nominis ſit cauſa, niſi fortè confini Oceano Britaniæ ueluti propinquæ dicauere. Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi plurima naſceretur certum eſt: ſed hic quondam ambitus fuit, nominibus ſuis eas adoptãdi, ut docebimus feciſſe reges, ut res tãta debeat, herbam inuenire, uitam iuuare. Siquidem in Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu, fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota dentes intra biennium deciderent, compagesçę in genibus ſoluerentur. Medici ſtomacacen & ſcelerben uocabãt. Ei malo reperta auxilio eſt britanica, nõ neruis modo & oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoçę & ſerpentes. Sed quare uibones dicãtur huius herbæ flores, non auſim diuinare. Cæterum Strabo author eſt apud Vibonem in Brutijs, repertum coronis flores nectere: in eum quoque locum propter flores migraſſe Proſerpinam. Eiſdem incommodis quoçę Romanas legiones in Arabia tentatas fuiſſe Auguſti Cæſaris principatu, Helio Gallo duce, idẽ refert Strabo. Sed magis miror, florem tantum à Plinio celebrari, cuius, uelut ignobilis aut indigni qui deſignaretur, Dioſcorides nõ meminerit. Quare de illo inſigni betonicæ, tamçę pulchro & eleganti intellexiſſe Plinium exiſtimo, de quo infra agetur. Britannicam hodie Italia *piatamanam* appellat, quidam *lapathum acutum*, quòd folia rumicis habeat. Cæterum & longiora ſunt & nigriora, carnoſiora & lanuginoſiora, radice nigra & ueſca. Sunt qui putẽt eam eſſe herbã quæ *biſtorta* uulgo uocatur: etenim folio eſt rumicis, à terra cæſio, ſupernè uiridi, flore rubro, radice concolori, cõtorta, nigricante, cui eædem quæ britanicæ uires à medicis tribuãtur. Medetur ſerpentiũ ictibus britanica. Succus exprimitur folijs, in ſole aut igni uerſatur dum coeat, uim habet aſtringentẽ, priuatim depaſcentibus oris & tonſillarum ulceribus utilem, demũ ad omnia quę denſari ſit opus. Folia in farinam redacta labiles dentes firmant. Naſcitur betonica altera in fœnarijs campis, & montibus, excelſa & nitida loca diligẽs. Germina, & animos, & corpora hominum

minum tuetur à maleficijs, piaculis omnibus. Contra peregrinationès nocturnas, itinera insidiosa, difficiles somnos commendata. In totum ad omnem medendi rationem celebratissima. Radix ei tota rubet odoratacq; habetur, folium porraceum, stamine quo medium diuiditur puniceo, ac rubente, in recto calamo triquetrũ, floribus in cacumine purpureis. Mirari licet quam ob rem mentiones duas betonica meruerit, nisi quis duo quoq; genera betonicæ nobis à Dioscoride demõstrata contenderit: & quãuis in purioribus Dioscoridis codicibus caput hoc non inueniatur (nõ enim planè stilum eius redolet) uires tamen huic dicatas in uetustis authoribus, Dioscoridem in testem citantibus, inuenies: betonicæ mentioni fusius insertas deprehendes. Plinius duo genera uidetur intellexisse, quæ tamen promiscua cõferantur, uni rumicis folio tradit, quod britanicæ Dioscorides assignat: nam eius, quæ eodem authore betonica dicitur in Gallia, folia querna potius uisuntur, serrato ambitu, & inde *serratula* in Italia nominatur, ut uibones in Hispania. Altera quæ stamine, non semine ut in Plinio mendose legi puto, purpureo (nam neutri earũ semen offenditur in purpuram inclinatũ) medium folium diuidente. Facilior esset Pliniana lectio, si ita scriberetur, Exit betonica anguloso caule, cubitorũ duũm, à radice spargẽs folia ferè lapathi, serrata: altera stamine purpureo. Nam hic uidetur folij forma desiderari, quod Dioscorides in secunda mentione betonicæ exprimit, foliũ tribuẽs porraceũ, stamine in medio purpureo. Tantũq; gloriæ ei tribuit Plinius, ut domus in qua sata sit tuta existimetur ab omnibus piaculis: quod Dioscorides secundæ manifestius adscribit. Duas & Paulus Aegineta betonicæ facies intellígit multum differentes, effectu tamen parili, ut supra dictum est. Quæ tamen hæc herbarijs fuerit & officinis minimè silentio prætermittendũ, cum nõ parcior quàm alterius supradictæ apud omnes increbuerit usus. Hanc posteriorem tam officinæ quàm herbarij medicíq; *tunicum*, detractis à betonica duabus literis prioribus, nominant. Enimuero tunicum radicem habet rubram, odoratã, porracea folia, stamine, quo medio diuidatur, puniceo uel rubente, cũ recto calamo triangula, floribus in uertice purpureis. Est aũt gentilis huic herba, quã Galli modo *barbaricam*, modo *armeriam* appellãt, mœnibus & circũ septa domorũ, neq; nõ macerijs, uetere ritu ad arcenda, ut uolũt, piacula, insidias & maleficia satã, fruticosam, folijs porri, oblõgis, angustis, per extremũ mucronatis, cæsijs, cõcoloribus calamulis, teretibus, geniculatis, cubitalibus, floribus speciosis, simplicibus: qui quinis, senisue folijs cõstent, lentè fimbriatis, magna ex parte purpureis, quanuis & interdũ niuei cõspiciantur, suaui odoratu quasi caryophylli. De altili betonica alibi abunde dictũ est. Farina recẽtis uulneribus capitis indita dolorẽ finit, uulnera glutinat, fracta ossa extrahit: sed quotidie debet imponi, dũ persanescãt. Dolori capitis medetur, si iure decocti foueatur, aut tẽporibus cũ bitumine perunctis. Suffitur eiusdẽ gratia radix. Farina tã aduersus toxica quàm serpentũ & scorpionũ ictus ex albo uino bibitur. Quartanæ, reliquarũq; febriũ horrores discutit. Comitialibus opitulatur sub ipsam accessionem propinata. Eadẽ per se carcinomatis inspergitur, quæ tamen præstiterit herbę succo prius abluisse. Estur cõtra uentris tineas. Succus pestis arcet cõtagia: atq; etiã hausto, si iã morbus inuaserit, liberat. Fit ex flore oleũ ad canis rabiosi morsus, ad fistulas & parotidas, queis illitu medetur. Visus aciẽ exacuit. Ieiuno sumpta dolorem dentiũ sedat. Iure decocti colluto ore discutit grauedines. Partum, qui sine febre sit, accelerat. Neruorum uulneribus imponitur. Præsumpta ebrietatem arcet. Intertriginem in itinere faciundo non sentient qui ex uino biberint. Fastidia cũ aceto mulso discutit. Iis qui ex morbis sese recolligunt aluum ex aqua calida deijcit. Vomitiones cohibet. Dolores podagræ ac inflationes uentris sedat. Venena rabiosi canis morsu impressa elicit plagæ diutius illigata.

Lysimachion. Cap. LXXVIII.

Lysimachion caulículos spargit cubitalibus maiores, fruticosos, tenues, quorum ab geniculis folia exeunt gracilia, gustum astringentia, flore ruso uel aureo. Gignitur in palustribus & aquosis. Inuenit Lysimachus herbam lysimachiam, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Erasistrato. folia habet salicis, ut Plinius tradit, uiridia, florem purpureũ, fruticosa, ramulis rectis, odore grauí. gignitur in aquosis. Vis eius tanta, ut iumentis discordantibus iugo impositra asperitatem cohibeat. Regis Lysimachi inuentoris nomine insignis. Rustici *corneolam* uocant.

cauliculis pluribus geniculatis assurgentem, emicantibus ex singulis articulis foliis sali/cis effigie, sed uiridioribus, flore rufo, graui odore, gustu austero. Inuenitur in humidis sub nomine *corneolæ* uulgo notissima. Hanc infectorum officinæ quàm optime norũt. ea enim ad inficiendos uiridi colore pannos utuntur. Huic corneolæ uulgo notæ singulæ de prehenduntur hærere, quas Dioscorides lysimachio tribuit. Et si particulatim libeat per/currere, inuenies in palustribus & aquosis nasci, caulículos emittere cubitales, aut paulo maiores, fruticosos, prodeuntibus geniculatim foliis, tenuibus, salicis figura, gustu astrin/gentibus, flore rufo aut aureo, quæ si comburantur acrem eructant fumum, naribus mor/dacem. Lytron tam Dioscorides, quàm Plinius appellari alio nomine tradunt, quod puta tur pro luteo deprauatum. nam ut Victruuius est author, qui nõ possunt chrysocolla pro pter raritatem uti, herba quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt, & utuntur uiridissi/mo colore. Quam luteam herbam tradit cæruleo subtritam pro chrysocolla induci talis est ferè lysimachiæ, siue lytron, siue luteũ alio nomine uocetur, apud infectores usus: nam cæruleo colore, quo glastum tingit, eam superinducentes uiridem efficiũt colorem. Nam per se si adhibeatur, luteum uel flauum præbet, argumento, quòd flauum facit capillum. Si tamen cæruleo subteratur, infectiuum contrahit uirorem. nam pictores ex luteo, & cæ/ruleo contritis uiridem efficiunt colorẽ. Nisi quis putet, non à colore, quẽ tingit, sed à flo/re potius luteam nominari, qui luteo conspectu micat, quare rura nonnusquam apud nos hunc florem *aquatilem solsiam* appellant, quòd colore aureo uèl fuluo calendulæ florẽ imite/tur. Herba à bubulo pecore, nec nõ etiã ueterino pabulis respuitur, nempe quũ in aquosis pratis detonsam cespite tenus offendes, eam tantum relinqui intactam uidebis: quod for/te odoris uel saporis acrimoniæ referendum est acceptum. Audiui de quibusdam rusticis, cum apud Cenomanos pestilentia passim grassaretur, multosq; subita morte raperet, tan dem ex herba quadã, quã mihi demõstrarũt, remedia quæsiuisse, qua liberatos peste pluri mos adfirmabãt. Nãq; altius paulo supra panũ, qui iã intumuisset adalligata, deorsum pe/stilẽs uirus impellebat, collectũq; tandẽ inibi, sursum regredi & principes partes repetere non patiebatur, Sic modico subiecti membri damno, reliquũ seruabatur corpus. inde ru/sticis *pelliboſſa*, siue quod idẽ est pestifuga, cœpta est appellari, Sed quæ ab ijs demonstrata mihi fuit, nullis dissentientibus notis, lysimachia erat. Cuius miraculi nullam potui ratio/nem inire, nisi quòd forsitan suo inspissatu & astrictionis munere, quo pollet, uenenũ ad subditas partes exprimens, excluderet. Lysimachiæ odorẽ serpẽtes fugiũt. Sanguinis pro fluuium sistit siue ore reijciatur, siue naribus, siue aluo fluat, siue fœminarum utero, pota, uel illita, uel indita. Recentibus plagis medetur. Vlceribus priuatim quæ calciamento fa/cta sunt prodest contrita. Capillum flauum facit. Foliorum succo uis astringendi, propte/rea sanguinẽ reiectantibus potu infusioneq; laudatur. Sistit & fœminarũ profluuia appo/situ. Herba ipsa erumpente sanguine naribus farcitur. Manantẽ uulneribus cruorem cohi bet. Crematæ nidor acerrimus expiratur, qui serpentes abigit, & muscas enecat.

Polygonon, sanguinaria, Polygonon fœmina, Polygonaton. Cap. LXXIX.

POlygonon herba ramis exilibus, copiosis, atq; geniculatis, qui à terra nõ at/tolluntur, graminis modo serpentibus, foliis rutæ, sed longioribus & mollio ribus, semine turgens sub omnibus foliis, à quo nonnulli masculum intelli/gunt, flore albo aut rubente. Polygonon Græci uocant quam Latini sangui/nariam. Non attollitur à terra ut Plinius ait, foliis rutæ, similis gramini. Qui plura genera polygoni faciunt, hanc marem intelligi uolunt, maiorem minusq; nigram, & geniculis densiorẽ, semine sub omnibus foliis turgescentẽ: appellariq; à multitudine semi nis, aut densitate fruticis, aut frequentia geniculorum. Inueniuntur qui fœminã hanc esse contendant. marem autem maiorem, minusq; nigrum, & geniculis densiorẽ. Herbam san guinalem Celsus polygonum Græcis appellari tradit. Latinis & seminalis à seminis mul/titudine, et sanguinaria à cohibẽdo sanguine nominatẽ. Aetius heliobotanen, hoc est solis herbam dici meminit. Proserpinacæ nomen polygono tributum uidere licet in eo libello qui Lucij Apulęij fuisse à multis creditur, ita ut in Dioscoride serpinaca pro proserpinaca corrupte legatur. Proserpinacam sunt qui in Plinio polygonon intelligant, dicente uul/garem

garem herbam esse, eximij aduersus scorpiones remedij, & lassitudinem, si linguæ subijcia
tur: si deuoretur, uomitionem sequi, salutarem. Illud tamen mirari scribit, quod Plinius eo
dem capite proserpinacam & polygonum quasi diuersas herbas demonstrat, utranq; ta
men ad anginas commendat uigesimoseptimo uolumine. Officinis nostris & herbarijs
corigiola & *centinodia* mas appellatur. quando quidē humi reptat gramínis modo, genicula
tis crebro flagellis, mollibus, folijs rutæ sed tenuioribus, paulocq; longioribus, sub quibus
semen turgescit, flore partim rufo, partim candido. Vis eius est spissare ac refrigerare. Suc
cus eius supprimit sanguinē, & potus cū uino cuiuslibet partis profluuiū excreationesq;
cruētas inhibet. Semine aluū soluit largius sumpto, urinā cit. Rheumatismos cohibet, qui
si non fuere, nō prodest. Stomachi feruori folia imponūtur, uesicæ dolori illinūtur & igni
bus sacris. Succus auribus purulētis instillatur, & oculorū dolori per se. Dabatur & in fe
bribus ante accessiones duobus cyathis, in tertianis, quartanisue præcipuè. Potu menses
cit. Vis epoti succi est, ut Dioscoridi placet, spissare, refrigerare. Medetur cruentæ excrea
tioni, choleræ, stranguriæ cruciatibus. Proluuiē alui supprimit, urinā efficaciter trahit. Cū
uino potus cōtra serpentiū morsus auxiliū præstat. Datur in febribus per horā ante acces
siones. Inhibet & sua quoq; mulieribus profluuia, uel appositus. Idē succus auribus instil
latur quibus effluat pus. Est eius insignis effectus in uino decocti addito melle ad genitali
um ulcera. Stomachi feruori, sanguinis reiectionibus, ulceribꝰ. quę serpūt, ignibus sacris,
collectionibus, tumoribus, & recentibus uulneribus folia illinuntur. Polygonon fœmi
nam Romani eodem nomine seminalem appellant, paruus frutex, uno caule, arundini te
neræ simili, dēsis geniculis in se tubarū modo farctis, tuberibus articulorū eminulis, quos
folia frōdibus piceæ similia in orbē cōuestiunt, radice superuacua. nascitur in aquosis. Pli
nius in montibus, tertiū polygoni genus tradit, oreon uocatū, arundini teneræ simile, uno
caule, densis geniculis & in se farctis, foliis aūt piceæ, radicis superuacuæ. Describit eadem
forma qua Dioscorides hic fœminam: sed miror montanum, siue oreon ab eo nominari,
cum aquosis tantum sit familiare, nec in montibus, nisi forsitan opacis, multiplicíq; aqua
rum scaturigine madentibus, inueniri constet, quo loco prouenire nō recusaret. Rura no
stra *aquaticam pinum* nouerunt nominare. nanq; ea in humidis frutícat uno caule arundini
teneræ simili, densis geniculis in se tubarum modo farctis, quorū torulos folia pinus in or
bem cingunt, radice nullius usus. inuenitur in riguis. Huic quoq; spissandi refrigerandíq;
natura ad eadem quæ superior, sed inefficacius pollens. Certe ex aceto trita collectionum
inflammationes refrigerat, ac eo defluētes humores cohibet. Imponitur sacris ignibus, &
quibus stomachus æstuat. Succus eius purulentis auribus infunditur, cruenta sanat ulce
ra, medetur dysenterícis, sanguinē excreantibus, neq; nō muliebri profluuio. Priuatim me
detur coxendicibus. Illud & peculiare et cū natura sua pugnās, aluū soluere, ciere urinas.

Polygonaton in mōtibus nascens maiorē cubiti altitudine frutícē habet, folijs laurus,
duntaxat latioribus læuioribusq;, sapore mali cotonei aut punici. Etenim gustatum quan
dam resipit astrictionem. Per singulas foliorū eruptiones spectātur flores cādidi, copiosi,
numero maiore q̄ folia, quæ ab radice ad cacumen exeūt. Radicē habet candidā & oblō
gam, mollem, geniculis frequentē, graueolentē, digitali crassitudine. Hoc Dioscoridis po
lygonatū nūc officinæ omnes, herbarij, itē uulgus *sigillum Salomonis* appellāt. Et si singulas
Salomonij sigilli notas libeat prosequi, omnes adesse, ne ulla quidē reclamante, reperies.
nanq; prosilit in montibus, frutice cubito proceriore, folijs lauri latioribus & læuioribus,
quæ gustata quendā mali cotoneæ aut punicæ saporem referant cū astrictione nonnulla.
Flores per singulos foliorum exortus exiliunt candidi, qui folia numero longe superent
à radice ad cacumen supputata. siquidē terni aut plures ab unoquoq; sinu foliorū emicāt:
radice candida, molli, longa, crebris nodis articulata, densa, grauiter olente, pollicis crassi
tudine. floribus excussis baccæ pisi ferè tuberculo dependent, ex uiridi nigricantes, & in
quendam ordinem digestæ. Nomen traxit, quòd radix frequentibus geniculorum nodis
interuallata tumet. nam caulis nullis cingitur articulis, sed enodis attollitur nullis brachia
tus ramis. Vulneribus efficaciter illinitur radix: quinetiā maculas concorporat. Galenus
prior, & eo posterior Paulus, odorē ei quendā assignant sine gustu fastidiendo, qui ne ex
plicari quidem recte possit. Plinius alterum genus adiecit, polygonum syluestre nominat,

cuius descriptio in plerisq; cum superiore Dioscoridis pictura dissonet: qua propter aliud esse genus non dubitauerim, pene arboris, ut inquit, frutice, radice lignosa, stirpe cedri rubicundo, ramis sparti, binûm palmorum, nigris, geniculorum ternis quaternisq; articulis, sapor mali cotonei. Hac mihi certe facie demonstratũ quod polygonũ syluestre appellatur, fruticibus magis quàm herbis annumerandũ, ut quod arbuscularum minetur altitudinem, stipite & ramis sparti, atro uirore saturatis, binûm palmorũ, ternis rutæ foliis, nigricantibus, ex interuallo fusis, sapore mali cotonei, radice lignosa. Sed multi iam apud nos, quòd ramis herbaceis, fronde minuta genistæ, quam uocant sparton, foliatis uestiatur, *genistellam* audent appellare. Huic spissandi natura. Decoquitur in aqua ad tertias, aut ari di farina inspergitur, & oris ulceribus, aut attritis partibus. Propter gingiuarum uitia ipsa commanducatur. Nomas sistit, omniaq; quæ serpunt aut difficilem cicatricem habent. Priuatim uero sanat à niue facta ulcera. Herbarij & ad angínas utuntur illa, & in capitis dolore coronam ex ea imponunt, & contra epíphoras collo circundant. In tertianis quidem sinistra manu euulsam adalligant, adeò contra profluuia sanguinis, nec ullam magis aridam quàm polygonon seruant.

Clematis daphnoides. Clematis alia. Cap. LXXX.

CLematis, quam daphnoidem cognominant, nascitur pinguibus locis, sarmentis prælongis, iunceæ crassitudinis, folio lauri figura & colore, multo minore. Est & Plinio clematis Aegyptia cognomine, quæ ab alijs daphnoides ab alijs polygonoides uocatur, folio lauri, longa tenuisq;, aduersus serpentes exacto pota ac priuatim aspidas efficax. Aegyptus hanc maximè gignit. Prælonga tenuisq; in prouerbiũ usque cessit, ita nominando eos, qui procero & nigro sunt corpore, ut est apud Demetrium Phalereũ. tales enim Aegyptiæ clematides ab eo nominantur. Clematis daphnoidis si quis imaginem, naturam, effigiem exquisitius exploret, ea censebitur esse quæ Latinis uincaperuinca, officinis *peruinca*, uulgo *peruenca* nominatur. nanque uincaperuinca prælongos spargit iuncos, folia lauri figura & colore, multo minora: pinguí lætoq; prouenit solo, geniculatis reptans flagellis, gracili & in terrã sparso iunco, foliis laurinis, sed longe minoribus, flore hyacinthino, interdum sed rarius purpureo, obuia quæq; uinciens, unde uincæ peruincæ nomen ductum putatur. Ea semper uiret, in modum lineæ foliis geniculatim circundata, topiaria herba, inopiam tamen florum aliquando supplet. Coronarij generis, hybernas sua perpetua fronde texit corollas. Folia clematidis huius in uino pota citam alui proluuiem ac dysenterias sedant. Vuluarum tormenta cum rosaceo, aut Cyprino collecta in pesso, & cum lacte indita finiunt. Ipsa commanducata doloribus dentium medetur. Aduersus serpentium ictus, & priuatim aspidum, remedio esse fertur. Gignitur in terrenis. Est & alia clematis quæ ramis exit rubentibus, uiticosis: ambit hæc uiticulis suis arbores conuoluendo sese proximas ut smilax, folium ei uehementer acre ac exulcerans. Hæc smilaci similis effingitur, geniculata & ipsa, repens per arbores. Plinius unam tradit clematidem, quam aliqui echiten, alij laginem, alij tenuem scammoniam, & pedales & folioſos non dissimiles scammoniæ ramos habet, nisi quòd nigriora minoraq; sunt folia. Inuenitur in uineis aruisq;. Estur ut olus cũ oleo & sale. Ea rusticis nostris *liseron* appellat, ab herbarijs & officinis *uolubilis maior*. quandoquidem uiticulas emittit rubẽtes, lentas, folia supra modũ acria ac linguã uellicantia, repit per arbores ut smilax læuis, qui grãdis ille phasellus intelligit, ut supra dictũ est, circũuoluens sese uicinis arboribus, unde uolubilis nomen traxit. Si quis linguam cõsulat, magnã folij acrimoniã & exulcerantẽ deprehẽdet. Putatur idẽ frutex qui & cõuoluulus Latinis dicit, cuius flos rudioris lilij figurã prębet, ob id liliastri quoq; nomen habẽs, & uulgo nostro *campanellæ*, quòd flos cymbalorũ effigiẽ imitetur. nã foliũ ei ut scammonię pinnatũ, nec huic smilaci dissimile, qui uicinis circũuoluitur fruticibus, semen nigrũ, triangulum, in folliculis acinorum specie, qui numero tres habentur. in uinetis aruisq;. De hoc uerba Plinij subijcimus. Est inquit, flos nõ dissimilis lilio in herba quã conuoluulũ uocãt, nascẽs per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, & ueluti rudimenta naturæ lilia facere cõdiscentis. Habetur & clematis tertia Plinio centũculus Italis appellata, rostratis foliis, ad similitudinem capitis penularũ iacẽs, in aruis. Dioscorides gnaphalion herbam

herbam centuncusum à Latinis dici meminit, quod & Scribonius Largus cõfirmat, gnaphalida centũculum dici latine testatus. Quanꝯ nõ habeo compertũ, eadem sit an diuersa gnaphalium à tertia clematide, quandoquidẽ & medicinę congruunt, & utraꝯ cẽtuncu li nomen habet. Dioscorides, teste Galeno, primã tantum clematidẽ hoc loco repræsentauit, quæ daphnoides, aut myrsinoides, aut polygonoides cognominetur: secundam uero quã clematitin uocari tradit, in calce quarti nõ hic scriptam esse contẽdit. Addidere tamẽ librarij utroꝯ loco eã, quod in alijs quibusdã fecere. Pamphilus ambas clematides in unũ cõfudit, à Galenoꝯ ob id incessitur iure. Idẽ & Plinius uidetur fecisse, medicinas aliquot prioris secundæ tribuens. Clematis hæc aluum cit. Eadẽ à dysentericis cum lini semine in uino austero sorbetur. Folia epiphoris imponuntur cum polenta suppositio udo linteolo. Strumas imposita ad suppurationẽ perducunt, deinde axungia adiecta percurant: itẽ hæmorrhoidas, cum oleo uiridi. Phthisicos iuuant cum melle. Lactis quoꝯ ubertatẽ faciunt in cibis sumpta. Infantibus illita capillũ alunt. Ex aceto dentiũ dolores sedant. Venerẽ stimulant. Sed easdẽ omnino uires lasinę tribuit, & pares propemodũ effectus. Quare suspicione nõ uacat eandẽ herbã pro diuersis frustra bis à Plinio repetitã. Est, eodẽ Plinio authore, centũculi egregius effectus ad sistẽdũ aluũ in uino austero. Idẽ sanguinẽ sistit, tritus cũ oxymelite aut aquæ calidæ cyathis quinꝯ, denarij unius põdere. sic ad secũdas mulierum efficax. Sed eundẽ ferè in gnaphalio refert effectũ Plinius, quẽ centũculo assignat. Semen clematidis secundæ Dioscoridi tritũ cum aqua uel hydromelite bibitur ad bilem & pituitam exigẽdas per aluum. Illita folia lepras emendant. Durata sale cum lepidio estur.

Polemonion. Symphytum petræum, alus. Symphytum alterum. Cap. LXXXI

POlemonion, alij philetęrion appellant, Cappadoces autẽ à multitudine utilitatũ chiliodynamin, ramis exilibus, pinnatisꝯ folijs, paulo ruta maioribus, lõgioribusq́, ad similitudinẽ nepetæ aut sanguinariæ. cacuminibus corymbi dependent nigro semine, radice cubitali, subalbida, simili radiculæ, id est struthio. nascitur in mõtosis & macris. Polemoniã à certamine regum inuẽtionis appellant, alij philetæriam. Cappadoces autẽ chiliodynamin, radice, ut Plinius ait, crassa, exilibus ramis, quibus in summis corymbi dependent nigro semine, cętero rutæ similis. nascitur in montosis. Ea esse creditur quã omnes gallicè cum suis herbarijs pro *amsia* demonstrãt licet perperã. rura *boscisaluiam*, id est nemorensem saluiam. enimuero si libeat priuatim singulas persequi notas, inuenies folia paulo ꝯ rutæ & maiora & longiora, calamintæ aut sanguinariæ proxima, ramos exiles, utrinꝯ pẽnatos, quibus in summis thymi uel hyssopi fere corymbi propendent, semine in eis nigro, radice cubitali, albicante, simili radiculæ quã struthion appellant. Et si natales eius libeat explorare, nõ nisi in montosis & asperis deprehendes emicare. Nec aliud in deliniatione huius à Dioscoride traditur. Cæterum ne reliquas omittam notas, caulículo est quadrato, utroꝯ latere prodeuntibus folijs effigie nepetæ, saluiæ modo & scabris & candicantibus, ramulis etiã utrinꝯ digestis exilibus, quorum fastigia corymbis hyssopi uisuntur spicata, uel uerius dicam coronata, in quibus nigrum insidet semen. Radix struthij uel lanariæ herbæ similitudinem refert, prælonga, cubitalis. Non sunt audiendi, qui persicariam uulgo dictam esse polemoniam arbitrentur, quæ folium habet melampyri, aut quod consimile habetur, persici, multis calamis ex una radice micantibus, crebris articulorum nodis, fructu quasi grano milij in racemis summatim dependente: sed ista cratæogoni propria sunt, ut suprà demõstrauimus. Polemonia quoque dysentericis ex uino datur. Contra calculos grauissimis cruciatibus auxilio est ex uino pota. Ad uulnus quoque bibitur ex uino. Ischiadici infricata polemonia sanantur. Vlcera, quæ cacoethe uocant, sanat. Pota ex uino secundas pellit. Medetur serpentium ictibus polemonia uel philetæris radicis drachmis quatuor ex mero. Priuatim aduersatur scorpionibus radix uel tantum alligata. Bibitur Dioscoridi radix contra serpentes & dysenteriam, & ex aqua aduersus urinæ difficultatem & coxẽdicũ cruciatus. Datur ex uino drachmæ põdere lienosis. Eadẽ habentes eam à scorpionibus omnino tãgi negantur: aut si feriãtur, sentire dolorẽ nõ patitur. Symphyton petręõ nascitur in saxis, ramis tenuibus, paruis, origani similibus, capitulis thymi, surculosum totum, odoratũ, gustu dulce, saliuã ciens, lõga radice, subrufa, digitum crassa. Alum nos uo-

camus,Græci ſymphyton petræum,ſimile,ut Plinius tradit, cunilæ bubulæ, folijs paruis, ramis tribus aut quatuor à radice,cacuminibus thymi, ſurculoſum,odoratum,guſtu dulce,ſaliuam ciens, longa radice,rutila. Symphyton petræon ſiue alum rura noſtra optime nouerunt, quod miror,cum ſit & medicis & herbarijs, pace ſemper eruditorum dixerim, prorſus incognitum. Vulgus Gallicum *buglum* nominat,de quo conſtanter auſit pronunciare,non uulnerario egere medico,nec plagarij manum poſtulare,qui *buglum* & *ſaniculum* habuerit. ſiquidem ramos habet origani,tenues, in cacuminibus thymi capitula, ſurculis multis conditum,guſtu dulce,odoratum,ſaliuam ciens,longa radice,minoris digiti craſſamento.prouenit in petroſis, flore cæruleo, exili. Hallucinantur qui ſymphyton petræon ſtatuant herbam eſſe,quam officinæ *conſolidam* uocant *mediam*,caulículis longis,tenuibus, parũ ſurculoſis,inodoris,guſtu dulcibus,folio paruo,bellis ſimili,flore anthemidis,multo maiore,radice digitali,rufa:ſed illa ſuauiter olet,hæc minime:illa flore cæruleo eſt,gracili, in capitulis thymi reſidente,hæc grandi chamęmelum imitante,medium luteum albis coronãtibus folijs. Symphyton petręũ utiliſſimum lateribus,lienibus,renibus,torminibus, pulmonibus,ſanguinẽ reijcientibus, faucibus aſperis. Bibitur radix trita & in uino decocta,& aliquãdo ſuperlinitur. Quin et cõmanducata ſitim ſedat,prȩcipuęq; pulmonẽ refrigerat. Luxatis quoq; imponitur & cõuulſis,lieni interaneis. Aluũ ſiſtit cocta in cinere: detractis quoq; folliculis trita cũ piperis nouẽ granis ex aqua pota. Vulneribus ſanandis tãta præſtantia eſt,ut carnes quoq; cũ coquuntur cõglutinet addita, unde & Græci nomen impoſuere. Oſſibus quoq; fractis medetur. Decoctum,ut Dioſcoridi placet,in aqua mulſa potũ pulmones purgat. Reijciẽtibus ſanguinẽ & renũ doloribus datur ex aqua. Ad dyſenteriã & rubra fœminarum profluuia in uino decoquitur. Ad cõuulſa & rupta ex aceto mulſo bibitur. Cõmanducatũ ſitim ſedat. Carnes cum unà coquitur additum cõglutinat.

Symphytum alterũ caule naſcitur cubitorũ binum aut maiore, angulo ſo, inani ut ſonchus, & craſſo, qui per breuia interualla circundatur folijs lanuginoſis, oblõgis, anguſtis exẽplo linguę bubulæ. Ab angulis prominẽt pinnæ, & in ſingulis alis folia quædã tenuia ceu annexa cohæreſcunt, in quibus flores lutei, rutaceis ſimiles exeruntur, & ſemina uerbaſci. Caulis uniuerſus & folia quandã lanuginem modice aſperã alunt, quæ ipſo attactu prurigines mouent, radicibus extrà nigris, intus cãdidis, glutinoſis, in quibus medica uis cõſiſtit. Symphytum, ut Scribonio placet, quidã inulam ruſticã uocant, quidã alum gallicum. Hoc Galenus ſymphyton magnũ cognominat, nec guſtu dulce, nec odoratũ ut ſuperius. Officinæ nomen ſymphyti retinuerunt. Herbarijs & uulgo *conſolida maior* uocatur. ſiquidẽ ea bicubitalẽ aut maiorẽ emittit caulẽ, craſſum, læuẽ, angulo ſum, inanẽ ſonchi modo, circa quem breui interuacãte ſpatio folia prodeũt oblõga, anguſta, linguę bubulę proxima, hirſuta, caule ſecundum angulos eminenter pinnato, prodeuntibus à ſingulis alarũ cauis exilibus & uelut annexis foliorum productionibus, in quibus flores lutei, rutaceis ſimiles & uerbaſci ſemina propendent. Et ſi tactum conſulere libeat, deprehendes folia aſperiuſcula lanugine quadam horrere, quæ pruritum tractanti concitet. Radices ſubiacent glutinoſæ, foris nigræ, intus candidæ, quarum eſt apud nos etiam uſus melle condi tarum. In Gallia frequentius flore ſubrubro, uel leniter purpuraſcente, aut candido quàm luteo ſymphytum conſpicitur: quanuis & melino nonnunquàm inueniatur. Hoc ut reor facit ſoli diuerſitas. Recentiores herbarij tria ſymphyti ſeu potius conſolidæ genera conſtituunt, præter petræum, quod ne cognoſcunt quidem. Magnum de quo hic agitur; minus, radice intus & foris alba, ferè bulbi effigie rotunda: minimum flore in ſpica purpureo, ac folio quidem origani ut petræum, ſed in humidis genitum, radice lignoſa, ſuperuacua, nec odorata, nec dulci, nec ſaliuam ciente, quæ ſunt in petræo omnia. Ruptis & euerſis ſymphyti radices medentur. Illitæ etiam enterocelas cohibent. Symphytum uulnera celerrime ad cicatricem perducit. Tritum in uino nigro euocat menſes. Tritæ radices ſanguinem excreantibus commode dantur. Ruptis, recens illatis uulneribus imponuntur. Ea glutinant. Coaleſcunt carnes ſi incoquantur unà. Collectionibus ſedis cum ſenecionis folijs utiliter illinuntur.

Holoſteon

Holosteon. Stœbe. Cap. LXXXII.

HOlosteon herba est pusilla, digitis tribus aut quatuor supereminẽs extra terram, foliis ramisq; coronopodis aut graminis, astringẽs gustu, radice admodum tenui usq; in capillamenti speciem, candida, longitudine semipedis. nascitur in collibus. Sine duritia herba est holosteon ex aduerso appellata, sicut fel dulce, tenuis usq; in capillamẽti speciem, longitudine quatuor digitorum ceu gramen, foliis angustis, astringẽs gustu. nascitur in collibus terrenis. Holosteon nomẽ habuit per antistrophen, quasi totossea dicatur, nam nihil habet in se nõ mollissimum. Putatur nec immerito, ea esse herba quæ molle gramen nõnullis dicitur herbarijs. Rura *canis denticulum*, cum herbula sit humi serpens, foliis uiticulisq; coronopo aut gramini similibus, gustu astringentibus, radice alba, prętenui usq; in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum. inuenitur in collibus terrenis. Hallucinantur qui *pilosellam* uulgo dictam esse credunt, propterea quòd reptandi habitu magis quàm ipsa facie coronopum æmulatur, foliis geminatim ex interuallo copulatis, obtusius gramine mucronatis. *Pilosellam* appellant officinæ herbam in collibus enascentem, foliis quadrãtalibus, lanuginosis, albicãtibus, in terram graminis modo sparsis, flore luteo, radice in exilitatẽ capillaceam ferè extenuata. Vtranq; *duuam* rustici uocant, pastoribus & pecorum magistris non ignotã, qua si uescantur oues alui suppressione confestim, quasi perstrictis, ut uolunt, intestinis emoriuntur: usq; eo uentrem firmat, ut omni ex parte naturales excrementorum exitus claudãtur. Gnari huius opiliones, colles prius explorant aliò diuertẽtes, ne gregẽ herba præsentanea morte prosternat. De herba sanguinaria cõsimile tradit Columella, inquiẽs, Est etiã grauis pernicies herbæ sanguinariæ, quam si pasta est ouis toto uentre distenditur, cõtrahiturq;, & spumam quandã tenuem tetri odoris respuit. Celeriter sanguinem mitti oportet sub cauda parte clunibus proxima: nec minus in labro superiore uena soluẽda. Tanta spissandi pollet facultate pilosella, ut si succo huius gladiorum acies intingatur, aliud omne ferrum, ut aiunt, edomet. Vsus holostei ad cõuulsa, rupta in uino potæ. Vulnera quoque glutinat, nam & carnes cogũtur cohærescuntq; decoctionibus addita. Stœben ut scitam uulgo Dioscorides nõ depinxit. Stœbe & phleum Theophrasto dicitur, hic frutex est aculeatus tum caule, tum folio, semine molli, rubido, radice pecoris pabulo gratissima, non alibi quàm in aquaticis nascens. molle (inquit) & placentaceum, colore subrubido: fœminam in eo accipi quæ sterilis sit, & ad nexus utilis. Phleon folio nasci carnoso, multipliciter laciniato, stirpe numerosa: germinare Vergiliarũ exortu, primoq; aratro unà, nec folia id dimittere: uitã annua longiorẽ esse, ad bimatũ aut trimatũ prorogari: caulẽ non solum, sed folium aculeis armari: itẽ secundũ spinã foliũ habere phleon, quã nonnulli stœbẽ appellant: lanugine mulieres ad lixiuiũ uti: pabulo esse folia ouibus, germina suibus. Partem huius herbæ teneram ab radice pueris in cibo gratam esse, radicem ipsam pecudum pabulo uelli copiosam, nec in profundum actam, folio & caule aculeatis: in Orchomeno lacu copiosum id haberi, à quo & nomẽ phleon duci putant. nã φλεὼς Græci pro eo quod est fœcundũ esse, accipiunt. Hinc Bacchum ueteres Phleona cognominasse testis est Helianus. In Aethiopia Arabiæ aduersa nasci phleon author est Strabo, flumine præsertim quod cinamoferam disterminat. Dioscorides stœben à Latinis stypam dici meminit. Illud tamẽ monuerim, si stœba idẽ sit quod phleos, plurimũ à ueritate deficere eos, qui stœbam eam esse herbã contendãt quæ uulgo scabiosa dicitur, folio erucę laciniato, subhirsuto, nõ tamẽ spinis horrẽte, flore speciosо, diuturno, cærulei coloris & ex cæsio albicantis: ex qua scopæ fieri solẽt. Potius ea esse uideretur scabiosa, quæ ab Aetio psora uocatur, ab scabie ut nomẽ prætendit, cuius ustæ fumo arborum erucæ moriãtur, quãuis nõ satis habeatur compertũ. Substernendã ephippijs ueterinorũ stœben Absyrtus præcipit, cũ ulcera dorsis sentiunt: sed stupã forsitan legendũ est, quod est lini uel cannabis repurgamentũ. nam & Phocion lini genus tradit stypion uocatũ. Stœbe, quã aliqui phleon uocant, decocta in uino præcipue auribus purulentis medetur, item oculis ictu cruentatis. Sanguinis profusioni & dysenteriæ suffunditur. Folia huius & semen astringunt, eoq; dysentericis decoctum injicitur. Auribus quibus pus effluat, instillatur. Oculis cruore ab ictu suffusis folia illinuntur. Ruentis sanguinis impetum cohibent.

Clymenon

Clymenon, uolucrum. Periclymenos. Cap. LXXXIII.

CLymenon Romani uolucrum maius uocant, caulem habet quadratum similem fabæ, folium plantagini, folliculos inter se implexos, uelut in iride uel polyporum cirris. Clymenos à rege herba appellata est. Describi aliter à Latinis quàm à Græcis Plinius adfirmat, hoc est hederæ foliis, ramosam, caule inani, articulis pręcinctam, odore graui, & semine hederæ, syluestribus montosisq; nascentem. Cæterum descriptio, quam prætexui, periclymeno ferè conuenit. Græci plantagini similem esse dixerunt, caule quadrato, folliculis cum semine inter se implexis, uelut in polyporum cirris. Sterilescere pota ea etiam uiros, sextario eius in trigínta dies diuiso Theophrastus est author, quod Dioscorides periclymeno uocatæ tribuit. Legẽdum díluculo censet priusquam sol irradiet. Clymenon eam esse fatebitur, quã officinæ & herbarij partim *cypriam*, partim *saponalem*, argumento, quòd elota ꝓinquitudinẽ quandam in aqua saponis modo remittat. Vulgus *segetiam* appellat, nõ ignotam ijs è uulgo qui uetustis ulceribus medentur: quãdo caulẽ fert fabæ, quadratum, folia plantaginis, sed per extremam oram leuissime fimbriata, folliculis supra caulem in sese inflexis ut in iride, & crebro irretientibus inuicem polyporum cirris. Optimum è montanis eruitur. E frutice toto succus extrahitur, cuius usus ad sanguinis reiectiones, & aluinos efficax in potu. Rubra fœminarum profluuia infrenat, astringit enim & refrigerat. Sanguinem quoque fluentem è naribus supprimit. Trita folia uel folliculi recentibus uulneribus teruntur pertinaci effectu, donec ad cicatricem perducant. Præcordijs & ilibus clymeni semen utilissimum, diebus triginta pondere denarij in uino albo potum. Sed indicandum est dum meretur potum, sterilitatem etiam in uiris fieri, quod de periclymeno Dioscorides intelligendum putauit. Periclymenũ Romani uolucrum maius appellant, simpliciter fruticat, ex interuallis parua folia spargens ipsum amplectentia, subcandida, ad similitudinem hederæ: inter folia surculi prosiliunt, in quorum cacuminibus hederaceę baccę dependent. Albus ei flos similis fabæ, subrotundus, quasi in folium procumbens. semen prædurum & uelli difficile. radix crassa, rotunda. Nascitur in aruis ac sepibus, conuoluens sese adminiculis fruticum quibuscunque. Periclymenos Plinio fruticat & ipsa, ex interuallo duo folia habens subcandida, mollia, in cacumine autem semen inter folia durum, & quod difficile euellatur. Nascitur in aruis ac sepibus cõuoluens se adminiculis quibuscũq;. Periclymenõ Scribonius Largus syluæ matrẽ appellat. Nunc uulgo *caprifolium*, & *matrisylua*, & nõ nusq; *uinciboscum* dicitur. enimuero ea amplexicaulis est frutex, ramulis lignosis, rufis, geminis per interualla, umbilicatis foliis, à terra cæsijs, supernè herbosis, mollibus, baccis syluestris myrti, uel quod idẽ est rusci, in cacumine duobus foliis tunicato, ita ut difficulter eruatur, radice crassa. Inuenitur in sepibus & aruis cõuoluens se fruticibus aut arbusculis propter assidẽtibus. Semẽ eius in umbra siccatũ tunditur, & in pastillos digeritur. Ii resoluti dãtur in uini albi cyathis tribus, tricenis diebus ad lienẽ, eumq; urina cruenta aut per aluum absumit, quod intellígitur à decimo statim die. Vrinam cient folia decocta, quæ & orthopnoicis prosunt. Partum quoq; adiuuant, secundasq; pellunt pota simili modo. Semen eius, quod ematuruit, in umbra siccatũ, datur in uino quadragenis diebus, ut lienem absumat. Dolores eiusdem exti discutit, sed urinam à sexto die cruentam mouet. Orthopnoicis prodest, singultus inhibet, partum accelerat. Eosdem usus habent folia, quæ si quis diebus duo de quadraginta biberit, sterilitatem etiam uiris adferre prædicuntur. Eadem perunctis ex oleo reduces febrium algores abigunt.

Tribulon. Cap. LXXXIIII.

TRibulo terrestri folia sunt portulacæ, tenuiora, & rami iacentes in terra exigui, iuxta quos spinæ difficiles, præduræ. secundum fluuios & in ruderibus prouenit. Alterum genus aquaticum, nõ nisi in amnibus nascens, coma dũtaxat aquis extãte, folio ad effigiẽ ulmi, pediculo longo, caule cacuminibus crassiore cę partibus in humore cõtentis. Adsunt ei & capillamẽta quædam spicacea, semẽ durũ quale habet & alterũ. Tribulũ etiã Theophrasto in palustribus nasci tur, nõ excedẽte quina cubita gurgitũ altitudine, ut in Strymone amne. Capillamẽta in eo quędã inter se cõtraria, eo breuiora quo propius ad radicem accedunt, adeò ut in ea quasi

desinant

desinant,ac procumbãt,à lateribus terna quaternaq; germina,ut amplissimũ sit quod mínus ab radice distat,& reliqua pro suo cuiusq; numero.Exit à parente soboles omnino símilis folio fructuq;,sed graciliór.Semẽ nigrũ prædurũ,quo cadẽte ipsum se propagat.Radicẽ eius alij annuã,alij diuturniorẽ esse putãt.Duo terrestris genera Theophrasto, uni ci cerculæ foliũ,alteri aculeatũ tribuit. Vere germinant, serius tamẽ cui in foliis sunt aculei: magisq; hoc circa septa uillarũ erumpit, semenhabens rotundius & nigrũ in siliqua, quod alteri,hoc est pręcoci, acanaceum & sesamę figura cernitur. Nihil cicere infestius tribulo. Segetibus madefactis si submouentur, tribulum emergere produnt. Tribulo peculiare tradit Theophrastus , ut in semine geratur aculeus. Tribulus Plinio non nisi in palustribus nascitur.Dira res alibi.Iuxta Nilum & Strymonem amnes excipitur in cibis, inclinatus in uadum, folio ad effigiẽ ulmi,pediculo longo. At in reliquo orbe genera duo,uni cicerculæ folia,alteri aculeata. Hic & serius floret, magisq; septa obsidet uillarum Semen ei rotundius,nigrum in siliqua.Folium idẽ habet secundum spinã:alteri acanaceum.Tribuli genus unum in hortis nascitur,alterũ in fluminibus tantum. Thraces,qui ad Strymonẽ habitant,foliis huius tribuli equos saginãt.Ipsi nucleo uiuunt,panẽ facientes prædulcem, & qui contrahit uentrẽ.Terrestre quibusdã esse putatur,quod uulgus *chaucetrepam* uel *calcatrepam* uocat,q; cacumẽ uelut muricibus,quas uulgus appellat *calcatrepas*,muniat,& spinarum aculeis insigniter armetur,ramis humi procũbentibus, siliqua spinarum uallo muricata,in qua semẽ rotundum,nigrũ,rudera & septa uillarũ obsidens:sed folium mihi nullam referre portulacæ similitudinẽ uidetur, nisi forsitan id genus esset,cui cicerculæ foliũ à Theophrasto redditur. Hippocrates genus tribuli maritimũ uocauit, idẽ cum terrestri, quod minus est aquatico.Quod in fluminibus & stagnis nascitur uulgus nostrũ satis nouit,quòd sit apud nos palustribus & resídibus aquis familiare,cuius nuces rura nostra *saligos* uel *castaneas aquatiles* appellãt.Aliqui in stagnãtibus aquis nascẽtes tantũ cortice nigro fructus,à triangulari figura *treuflas* malunt nominare. siquidẽ cubitorum quinum & amplius in uado cõsurgit,ulmeo super aquas extante fòlio lõgo pediculo,capitulis sub aqua mersis,caule per summa crassiori,inferne graciliori,qui capillamẽtis quibusdam spicaceis fruticat,semine atro,duro,nucis ferè magnitudine,retusis aculeis aliquot cincto,cuius nucleo accolę non secus atq; castaneis uescantur. ex quo etiã in farinam molito per inopiam annonæ fiant panes,ob id *Ferrariensem castaneam* Galliam Padanã audio uocare. Succus ex ijs colligitur ad oculorũ medicinas.est enim refrigerãtis naturæ,& ideo utilis contra inflammatiões collectioneſq;. Vlcera per se erũpentia & præcipue in ore sanat,itẽ tonsillas. Potus calculos frãgit.Radix cocta pureq; collecta discutit strumas. Semen alligatũ uaricum dolores sedat. Tritum uerò & in aquã sparsum pulices necat. Vterq; tribulus,ut Dioscoridi placet,refrigerantis & inspissantis est naturæ: quapropter cõtra inflammationes omnes utiliter illinitur.Erũpentia in ore ulcera cum melle cõpescit. Tonsillas,putrilagineſq; in ea parte,gingiuas persanat.Succus ex ijs colligitur ad oculorũ medicinas. Semen dum recẽs est potũ,calculosis auxilio est.Pota terrestris tribuli drachma percussos à uipera refícit,aduersus uenena præsidiũ est. Decoctũ eius in terra sparsum pulices enecat. Thraces qui ad Strymona amnẽ habitant uirẽtibus tribuli foliis pro pabulo utuntur, illiſq; suos equos saginant:nucleum eius prædulcem,in esculentum panem quo uescantur cogunt.

Saxifragum.Limonion.Lagopus. Cap. LXXXV.

Saxifragon, alij empetron, Romani saxifragam uocant. frutex est surculosus, in saxo & asperis nascens, epithymo similis. Coctus in uino, mox potus febricitantibus opitulatur, stranguriæ prodest, singultum sedat, calculos uesicæ frangit, & urinam ciet. Paulus sarxiphages nominat. Sed id caput nõ esse legitimum Dioscoridis, facile eo persuaderi potest, quòd latina appellatio contra scriptoris morem græcę præfertur. Ea facile putaretur esse, quę medijs saxis erumpit, officinis Parisiensibus *saluia uita* dicta, partim q; è medijs saxis emicet, & frangere saxa uideatur,partim q; calculos mire frangat.Nanq; saxifragon hoc surculis tenuibus fruticat,saxis aut lapidibus hærens,iuncis tenuibus,epithymi non dissimilibus,nigris,breuibus,foliis filiculæ seu polytrichi, maioribus , per cacumen cirris nõ conditis,sine flore,sine semine,radicula superuacua.Inuenitur apud uetusta ædificia,in lapidum cõmissuris

missuris. Petras opacas, specus & manantia saxa sequitur. Hanc saccharo ad calculos cõminuẽdos tritã cõseruãt adianti uice. Officinæ aliã ostendunt saxifragã, folio bipennulæ, siue quod idẽ est pampinulę sed læuiore, quę etiam petrosis & asperis locis spargitur, qua lumborum, uesicę, & renum cruciatibus medentur, item torminibus. Limonion herba est similis betę, uerũ tenuioribus & minoribus foliis decẽ, interim pluribus, caule tenui, recto, altitudine liliorum, pleno seminis rubri, quod gustu linguã astringit. Est & beta syluestris Plinio quã limoniõ uocant, alij nomoidem, multo tenuioribus ac densioribus q̃ satiuæ foliis undecim sæpe. Aqua è radice decoctæ maculas uestium & mẽbranarũ eluit. Limoniõ Aetius etiam cynoglosson, hoc est linguam canis uocari scribit. *Beta pratensis* nunc uulgo dicitur, foliis satiuæ minoribus, languidisq̃, lilij caule, frequẽti coma frõdoso, semine puniceo et austero gustu. Folia ambustis utilia, guttãtia astringunt. Semẽ acetabuli mẽsura dysentericis prodest. In pratis & palustribus prouenit. Semẽ acetabuli mensura tritũ in uino dysentericis ac cœliacis auxiliatur. Rubra fœminarũ profluuia cohibet. Limoniõ, ut inquit Plinius, succũ lacteum mittit cõcrescentem gũmi modo, in humidis locis. Datur denarij põdus in uino aduersus serpentiũ uenena. Lagopus, alijs leporis cuminũ, nascitur in segetibus, & quasi pes leporis dicitur. Sanè & similis est ei aspectu. proinde nõ probauerim eorũ sententiã, qui *caryophyllatã* uulgo dictã rẽtur, in opacis mõtanis nasci solitã, non in segetibus ut lagopus. Genus potius est humilis trifolij, in segetibus & aruis enati, quod uulgus *trinitatem* uocat. Caryophyllata, quã uulgus nostrum *sanam mundam* appellat, aliqui *herbam benedictã*, caule adolescit sesquicubitali, geniculato, angusto, ternis è pediculo lõgo foliis articulatim exeuntibus, per ambitum fimbriatis, binis singula genicula cingẽtibus. E medio alarũ sinu ramuli fundũtur tenues, quibus in summis flos fragariæ luteus emicat. quo succusso caput extuberat, circinatis acinulis cumulatè stipatũ, quasi rudimentum eluceat naturæ fragi morum inchoantis, radice multis luteis capillamẽtis fibrata, caryophyllon olente. Ea luto & sordibus eluta siccatur, & imbre acetí resperſa arcas & uestes iucundo commendat odore. Foliis recentibus in acetarijs utuntur. Succo trunculos suillos macerãt, & ad usum aliquod tempus seruant. Decoctum huius sumitur ad perficiendas concoctiones sedandosq̃ coli dolores. Cæterum lagopus sistit aluum in uino pota, aut in febri ex aqua. Eadem inguini adalligatur in tumore. Nascitur in segetibus. Dioscoridi adalligata inguinum inflammationes discutit. Ventrem contrahit in uino aut in febri ex aqua. Hippocrates lagopyron nominat, quasi leporis triticum intelligas, furfuribus cum inaruit simillimam, folio paruo quasi oleagineo, longiore tantum, cruentis uulneribus imponens. Hanc Galenus leporinam inquit herbam esse.

Medion. Epimedion. Cap. LXXXVI.

MEdion Romanis trifolium odoratum dicitur, nascitur in opacis saxis folia habens seridis, caulem tricubitũ, & in eo florem grandem, purpureum, rotũdum, semine minuto ad imaginẽ cnici, radice semipedali, crassitudine baculi, austera gustanti. Medion Plinio folia habet iridis satiuæ, caulem tripedalem, & in eo florẽ grandem, purpureum, rotundum, semine minuto, radicẽ semipedalẽ. Exemplaria sunt in quibus ei folia iridis reddãtur. Verum, cũ Plinius iridis frõde scripsit, cum satiuæ adiecerit, nõ de iride quã nemo satiuã legit esse, sed de seride putatur intellexisse, cuius cõstat duo esse genera, satiuum & syluestre. Nam, authore Theophrasto, iris nullum cultum desiderat. Radix drachmis duabus cum melle menses fœminarum sistit, eclegmate per aliquot dies sumpto. Semen quoq; in uino tritum cõtra abundantiam fœminarum datur. Radix cum inaruerit in farinam detrita rubentes mulierum purgationes illinctu sistit. contrà semen fœminis menses elicit. Epimedion Romani uindictam dicunt. Caulis est non magnus, hederæ foliis denis duodenisue, neque florem neque fructum ferens, radicibus nigris, tenuibus, graui odore, gustu fatuo. Nascitur in humidis. Plinio epimedion caulis est non magnus, hederæ foliis denis atq; duodenis, nunquam florens, radice tenui, nigra, graui odore. Nascitur in humidis. Et huic spissandi refrigerandiq; natura fœminis. Folia in uino trita uirginum mammas cohibent. Eadem quinis drachmis post menstruos cursus in quintum diem pota concipiendi spem adimunt: impositа mammas increscere non patiuntur.

Xiphion

Xiphion, gladiolus. Sparganion. Xyris, syluestris iris. Cap. LXXXVII

Iphion Romanis gladiolus, aut segetalis dicitur. Videtur id nominis nacta, quoniã gladij speciem foliis præbeat: iridi similia erant nisi minora & angustiora uiderentur, & gladij modo mucronata neruosaq;. In caulem exit cubitalem, in quo purpurei flores in ordinem digesti inter se distãt, semine rotundo, radice duplicis ordinis, quarum una insidet alteri ceu pusillis bulbis, inferiore gracili, superna uero habitiore adultioriq;. in aruis maxime nascitur. Plinio in humidis cum primum exit, gladij prębet speciem, caule duũm cubitorum, radice ad nucis auellanæ figuram simbriata. Folium xiphio, ut Theophrastus scribit, latum ad ensis effigiem exit, unde nomen herbæ inditum. Scolopendræ in eam herbam frequentes cõueniunt, mirumq; in modum gaudent huius consuetudine frui. Floret cum uiola nigra. Videtur & phasganon & machæronion, hoc est ensis, uocari. Radice, ut Theophrastus inquit, dulci decocta & commendata panificijs, si trita farinæ misceatur: panem enim suauem atque innoxiũ reddit. Rotunda hæc est, sine cortice, capillamentis fibrata ut gethyon. Vnde machæronij pastilli fortasse ortum habuere, quos tertio Calẽdas Octobres uulgus nonnuſq; esitare consueuit. Falsò arbitrantur pleriq; xiphion eandem esse quæ & lonchitis, quanq; cuspidi similis sit semine: sed illa in siccaneis, hęc in humidis nascit. Xiphion rura *spatham*, interdum *segetalem gladium* appellant, q; cum primum exit foliis emicat gladij speciem præbentibus, caule scabro, cubitali, in quo flores purpurei ordine distantes, radice bulbosa, gemina, sine cortice, una super alteram insidente, fibris gethyi modo capillata. Inuenitur inter segetes & locis fertilibus. Radicẽ effodi ante messes oportet, & in umbra siccari. Superior pars cũ thure trita æquo põdere admisto uino ossa fracta è capite extrahit, aut si quid in corpore suppurat, uel si calcata sunt ossa. Serpentis eadẽ cõtra uenena efficax est. Pars superior radicis, ut scribit Dioscorides, cum thuris polline illita, addito uino, corpore spicula & aculeos extrahit. Panos cum lolij farina & hydromelite discutit, propterea emplastris quæ huius gratia cõfinguntur, inseri solet. Menses appositu trahit. Parte radicis superiore pota in uino uenerem stimulari, & inferiore sumpta sterilitatem, & ad concubitum ignauiam adferre prodiderũt. Pueris hernia interaneis laborantibus superiorem cũ aqua potui dari præcipiunt. Appetentiam ueneris facit radix è xiphio superior data potu in uino. Eadem menses cit drachma ex aceto pota. Vrinam quoq; superior radix pellit. Entero celicis datur in aqua, & illinit ueſicæ uitijs. Podagras refrigerat radix tota. Sparganion aliqui xiphidium, id est gladiolum uocarunt. Et sanè gladij folia uiderẽtur, nisi arctiora inclinatioraq; obtineret. A capitibus caulium semina in pilulis uisitantur. Gentilis est foliorum similitudine, quam officinæ *spatulam fœtidam* appellant, q; grauẽ exhalet odorem. nam folia gladioli sed arctiora, & in terram magis procumbentia, in summoq; caule pilulæ prominent in quibus semen. Contra serpentis uenena radix in uino datur. Cæterum uagum & commune multis nomen gladioli, folium simile nomini. Floret uere gladiolus cum uiola nigra, sed utiq; post anemonem, quæ limonia dicitur, comitatus hyacinthis. Huic radix bulbosa & dulcis, quæ decocta panem etiam gratiorẽ faciat, ut inquit Theophrastus. Pon derosior utiq; simul subacta. Gladiolus Plinio cypirus est. Multi non distinguunt à cypero uicinitate nominis fallente: nos, ut inquit, distinguemus utrũq;. Cypirus est gladiolus, radice bulbosa, laudatissimus in insulis Creta, dein Naxo, & postea Phœnice. Cretico cãdor odorq; uicinus nardo, Naxio acrior, Phœnicio exiguum spirans, nullus Aegyptio. Apollodorum sequitur Plinius, qui negat bibendum, quanq; professus aduersus calculosos efficacissimum esse. Eo fœtas fœminas quidem abortus facere non dubitat. Mirumq; tradit, barbaros suffitum huius herbæ excipientes ore, lienes consumere, & non domibus egredi nisi ab hoc suffitu, uegetiores enim firmioresq; fieri. Intertrigini & alarũ uitijs perfrictionibusq; cum oleo litum non dubie mederi. Palustrẽ mense Iulio secari iubet Mago ad radicem, tertioq; die in sole siccari donec candidus fiat: quotidie autem ante solem occidentem in tectum referri, quoniam palustribus dissectis nocturni rores noceant. Hæc Plinij uerba de gladiolo subiunximus, ut pleraq; uideas cum cypero confusa, ut suprà docuimus. Xyris, quam etiam Romani gladiolum dicũt, quidam irin agrestem, foliis est iridi similis, uerum latioribus & in cacumine cuspidatis, caule inter folia cubitali, triangulas

siliquas ferente, in quibus purpurei flores emicant, medio rubentes. Semen in folliculis fabarum effigie conditur, rotundũ, rubrum, acre. Radix prædensa geniculis, rubicunda, longa. Officinæ simul & herbarij irin sylueſtrem nominant, rura *glaiutum agreſtem.* nempe folia habet iridis in mucronem turbinata, è quorum medio caulis emicat cubitalis, in quo siliquæ triangulares dependent, quibus exit purpureus flos, in medio puniceus, qui colore uel sacrum muricem prouocet, luteis intus apicibus, trium foliorũ concameratione tectis, reliquis foliis resupinatis. Semen in folliculis simile fabis, rotundũ, acre: radix longa, geniculata, rufa. Strumas hæc xyris, uel panos, uel inguina discutit. Præcipitur ut siniſtra manu ad hos usus seruetur, colligentesq; dicant cuius hominis utique gratia eximant. Scelus herbariorum in sylueſtri iride Plinius aperuit, partem eius seruãtium, & quarundam aliarum sicuti plantaginis substituentium, si parum mercedis se tulisse arbitrentur: rursusq; ut plus operis acquirant, partem eam quam seruauere, eodem loco infodiunt: credit, ut uitia quę sanauerunt faciant rebellare. Vulneribus in capite atq; ossibus fractis per commoda. Sagittas & infixa corporibus tela sine cruciatu elicit, admista floris æris parte totius modi tertia, & centaurij quinta cum melle. Illita ex aceto tumores atq; inflammationes emendat. Trita radix ex passo bibitur ad conuulsa, rupta, coxendicum dolores, strangurias, & resolutam aluum. Semen trahendis urinis efficaciſſimum trioboli mẽsura potum in uino: lienem ex aceto consumit.

Anchusa. Cap. LXXXVIII

ANchusæ folia lactucę similia, fastigiata in exilitatem, hirsuta, scabra, nigrantia, numerosa, circum radicem per terram strata aculeataq;. Radix crassitudine digitali, colore sanguineo æstate, manus inficiens. nascitur pinguibus locis. Caulis ei, non ut aculeatarũ modo, humi serpens, sed stans. Finditur papyri modo, manusq; inficit sanguineo colore. Præparat lanas pretiosis coloribus. Radix tingendo ligno cerisq; apta. Laodicena maxime, ut Democrito placet, liquari non potest in aqua, ad medicinas oleo resoluitur, idq; synceræ experimentũ est. Anchusam hodie Gallia *orchanetam* uocat, mulieribus non ignotam, quæ colorem facici natiuum fuco mentiuntur, quæq; uernaculum genarum pallorem genitiuasq; uultus maculas hoc infectu occulunt. certe malas eleganti commendat purpuriſſo. Nam hæc *orchaneta* caulem habet erectũ, folia lactucæ, in acumen exeuntia, hirsuta, aspera, nigrantia, copiosa, quoquouersum humi sparsa, spinis horrida: radicem puniceam digitali crassitudine per æstatem manus inficientẽ sanguineo colore. læto solo prouenit. Est anchusæ radix in usu. Sanat ulcera præcipue senũ in cerato: item adusta. Liquari non potest in aqua, oleo dissoluitur. Ad renũ dolores drachma eius in uino sumitur, aut si febris sit in decocto balani. Item iocinerum uitijs & lieni & bile suffusis prodest. Lepris & lentiginibus illinitur ex aceto. Folia trita cum melle & farina luxatis imponuntur: & pota duabus drachmis in mulso aluum sistunt. Pulices necare radix in aqua decocta traditur. Radix Dioscoridi astringendo est. Ambusta & uetera ulcera cum cera decocta in oleo emẽdat. Igni sacro cum polenta medetur. Lepris & uitiliginibus illinitur ex aceto. Partus extrahit uuluis indita. Eius decoctum renum uitijs, lieni, & bile suffusis datur: si febris sit, ex aqua mulsa. Sistunt aluum folia in uino pota. Radice unguentarij ad spissamenta utuntur. Est & alia similis, pseudanchusa ob id nominata, à quibusdã enchusa, aut doris, & multis alijs nominibus, lanuginosior, & minus pinguis, tenuioribus foliis & languidioribus, radice oleũ non fundente, sed rubentem succum, & ob hoc ab anchusa discernitur. Contra serpentes efficaciſſima potu foliorũ uel seminis. Folia ictibus imponuntur. Virus serpentiũ fugat. Bibitur & propter spinam. Folium eius siniſtra decerpi iubent magi, & cuius causa sumatur dici, tertianisq; febribus alligari. Est & herba alia Dioscoridi eiusdẽ nominis, quam aliqui alcibiadion uocant, alij onocheles. Differt à priore folio, quod ei minus amplũ est, cætero similis & scabritia foliorum & tenuitate caulium, quibus in summis flores purpurei subrubentes spectantur. Radices habet rubras, prælongas, messibus tritici sanguineas, in sabulosis nascens. Hęc in aruis areno sis inuenit apud nos, minoribus anchusa superiore foliis, similiter asperis, flore purpureo, radice rubra, oblonga, quæ messibus sanguineũ humorem exudet. Ea proxime ad Plinij pseudanchusam accedit, cum & pictura & uires ei respondeant: quare aut eadem, aut certe ger-

certe germana uideri potest. Nam si uires explorare libeat, inuenies attributã ei uim, quæ contra uirus cum reliquarum serpentiũ tum maxime uiperarum efficaciter pugnet cibo, potu, adalligatu quoq;. Nanq; si quisquam eam in os serpẽtis cõmanducatã inspiret, eam proculdubio necabit. Est & alia huic similis, semine puniceo minor, cuius semen dentibus mansum si in serpentem inspuatur eam interficiet. Pellit tineas & reliqua uentris animalia radix cum hyssopo & nasturtio acetabuli mensura pota.

Lycopsis. Echion. Cap. LXXXIX

Lycopsis, quidam huic & nomen anchusæ dederũt, longioribus quàm lactuca foliis, crassioribus, asperis à capite eius ad radicem prolapsis, caule longo, erecto, hirsuto, adnatis multis, cubitalibus, similiter scabris, flore in ijs paruo, purpureo, radice rubra, astringente. Nascitur in campestribus. Lycopsis longioribus & lactuca, ut Plinio placet, est foliis crassioribusq;, caule longo, hirsuto, adnatis multis cubitalibus, flore paruo, purpureo, radice rubra, astringẽte. nascitur in campestribus. Illinitur cum farina hordeacea igni sacro. Sudorem in febribus mouet, succo aquæ calidę admisto. Illita radix uulneribus medetur. Multi lycopsin hanc esse putant, nec ab re, quam uulgus herbariorum appellat *linguam canis*: nam longioribus quàm lactuca foliis, crassis, subhirsutis, ad radicis caput recidentibus, caule longo, scabro, recto, cubitalibus adnatis brachiato, multis: flore paruo, purpureo, semine in lappaceis umbilicis rufo & exili, radice rubra. Siquidem id esse cynoglossum, id est canis linguam intelligi nullo modo potest, cum Dioscoridi sine caule sternitur humi, foliis latifoliæ plantaginis angustioribus, lanuginosis, in sabulonibus nascens, imitãs caninas linguas. Plinius sentiẽs hoc discrimen, aliam tradit cynoglosso similem, quæ minutas lappas ferat. Et re uera lappacei umbilici semine scatentes ramulos obsident. Sed ut ad rem propositã redeamus, Galenus anchusæ quatuor annotauit genera, primum onocleam cognomen habet: secũdum onochelos, siue alcibiadion: tertium pusillam fereq; innominatam, alcibiadio proximam, amariorem & ob hoc lumbricis dicatam: quartum lycopsin. Plinius tribus fastigijs est contentus. Anchusa & alia quæ proprio nomine onochelos, alij archibellion, alij onochelim, alij qui rhexiam, multi anchusam uocãt, paruo frutice, flore purpureo, asperis foliis & ramis, radice messibus sanguinea, cætero nigra, in sabulosis nascens. Efficax cõtra serpentes, maxime uiperas, & radice & foliis, æquè cibo & potu. Vires habet messibus. Folia trita odorem cucumis reddunt. Datur in cyathis tribus uulua procidente. Pellit & tineas cũ hyssopo, & in dolore renũ aut iocineris ex aqua mulsa si febris sit: sin aliter, ex uino bibitur. Lentigini ac lepris radix illinitur. Habentes eam à serpentibus feriri negantur. Est & alia huic similis, flore rubro, minor & ipsa, ad eosdem usus. Tradunt commanducata ea si inspuatur mori serpentem. Quid pseudanchusa fuerit Dioscoridi paulo ante diximus. Sunt qui existiment onochelon uel alcibidion eam esse quam pampinulam uocant, rura *pimpinelam* aut *sanguisorbam*, quòd uulneribus iniecta ferrũ & spicula citra sensum doloris exigat, frutice paruo, surculis plurimis rubẽtibus, folio pilis aspero, extremitatibus tamen serrato, flore exili, purpureo, prælonga radice, messibus sanguinea, cætero nigra: qua quibusdam in locis uermiculum eruunt, qui curatus sericis præcipue tingendis purpuram facit incomparabilem, muricem sacrum splendore & hilaritate prouocantem. Addunt eam non tritam modo, sed & pedibus calcatam cucumis odorem reddere. Vires easdem ei etiam à uulgo contra serpẽtes attribui. Eam tamen pampinulam, etsi multa conueniant, onochelon esse non ausim adfirmare, quapropter diligentiores attendant: hæc nos monuisse tantum obiter satis est, cum nusquam integre apud ueteres uideatur depicta, quod demiror. Nam ex oleo & sale mãdi solet, & ex radice fit purpurissum, omnem uermiculum superans, qui inuentus ut alia multa, casu excremẽtis Gallorum depascentium ita coloratis. Sed de ea priuatim alibi diximus. Anchusam Hippocrates intellexit, ut Galeno placet, cũ schelida nominauit. Echion folia habet prælonga, subalbida, scabra, colore in rubrum ad anchusæ similitudinem inclinato, minora uero & pinguia, sentibus densis & eisdem candidis obsidentibus, cauliculo tenui, copioso, minutis utrinq; foliis dependentibus, nigricãtibus, continuo ad cacumen usque breuioribus, pro suo cuiusque numero. Inter folia purpurat flos, & in eo semẽ occulit, uiperę capitulo simile. Radix exilior digito, subnigra. Plinius echios,

inquit,utriuſq; generis pulegio ſimilis eſt,coronata foliis. Altera lanugine diſtinguitur ſpi noſa,cui capitula ſunt uiperæ. Quidam echion,ut ait, perſonatiam uocauere. Sed Nican drum uidetur ſequi Plinius in theriacis ponentem echios duas, contra beſtiarum ictus uti les,alteram humilem,folio anchuſæ,ſpinis horrido,ſed exili: alteram altiorem,maiore fo lio,flore pauco,per ambitum purpureo, capitulis uiperæ,cacumine aſpero,aſtricto. Idem poeta paulo ſuprà, tertiã eiuſdem nominis reddidit cognomine alcibion. Herba eſt,ut in quit,ſpinoſa coma,ſuſtinẽte flores, radice alta & exili, quã ad ſerpẽtes & iniici uulneribus & cõmanducari quoq; præcipit. Sed Plinius alcibios,inquit, herba qualis eſſet non com peri:ſed radicem eius & folia trita ad ſerpentis morſus bibi & imponi iubent,folia quantũ manus trita cum uini meri cyathis tribus, radicem drachmarum trium pondere cum ea dem menſura uini. Ideo qualis eſſet alcibios apud authores inueniſſe negat,quoniam præ ter Nicandri uerba illa pauca, & aliis quoq; communia,non legitur qui deſcripſerit. Alte ram uero fuiſſe Nicandro alcibion quam duas illas priores echios, ſatis oſtenditur, quòd echis non echios ab ipſo dicitur. Item quòd eandem herbam uno loco bis depingi nõ erat opus. Dioſcorides hoc loco unum duntaxat facit genus echij,non geminum. Sed quomo do nunc appelletur nobis eſt declarandum. Officinę,uulgus,rura, *herbam hircinam* uocant, quòd eius,ut conſtat, pabulo delectentur hirci capellæq;. nanque *hircina herba* folia fundit prælonga,hirſuta,ſubalbida,anchuſæ proxima,minora tamen,ſubrubra pinguiaq;,tenui bus ſpinis horridula,cauliculos exiles,numeroſos, minutaq; folia utroq; latere dependen tia,nigra,in ſummo caule minuſcula,inter quæ purpurei flores emicant,in quibus ſemina uiperarum capitulis ſimilia inſident,à ceruice paulatim in roſtellum extenuata,tumidiore ſuperna parte, in qua quædam prominulæ quaſi ſedes oculorum appareant, ut ſint quaſi quædam uiperinorum capitulorum rudimenta. id quod, niſi ab eo qui diligenter ſingula perſpexerit, intelligi uix poteſt. Radix nigricat digito tenuior. Echij radix non percuſſis modo à ſerpentibus ſuccurrit,ſed præſumentes eam feriri non patitur. In eodem uſu folia & ſemen habentur. Lac in uino uel forbitione ſumpta nutricibus ciet.

Ocimoides. Erinos. Cap. xc

Ocimoides Romani uocãt ocimaſtrum. Folio naſcitur ocimi,ramis palmum altis,hirſutis, ſiliquas hyoſcyami figura ſuſtinentibus, ſeminis nigri plenas, melanthio ſimilis. Ocimoides ea mihi uidetur Dioſcoridi (nam Plinius eius nõ meminit) quæ herbariis ſimul & officinis *alba iacia* nominatur,uulgo *pa tularia*, q; ſiliquę pocillorum imaginem quandam referant quibus bibamus. Siquidem folia fert ocimi et palmares ramulos,hirſutos,ſiliquas hyoſcyamo ſimiles,ſemi ne ut gith nigro prægnantes. Flos ei pulcher albus emicat,qui ruſticis intexit coronis. Flo rem non explicuit Dioſcorides. Siliquæ hyoſcyami dehiſcũt capaci uentris ſinu,arctis ua ſculi faucibus, & leuiter per ambitum dẽticulatis, in quibus gith ſemen occulitur. Semen ex uino hauſtũ uiperarum reliquarumq; ſerpentũ ictibus medetur. Iſchiadicis datur cum myrrha,uino & pipere. Radice nititur tenui,ſuperuacua. Erinos aliquibus ocimoides, Romanis ocimum aquaticũ dicitur,ſecus amnes fontesq; naſcitur ocimi ſimilitudine, ſed foliis minoribus et ſuperne diuiſis. Palmo alta eſt, cauliculis quinis ſenis'ue. Flos cãdidus, ſemen nigrum,acerbum. Et caulis & folium madet lacte multo. Erinos herba cognominis arbori caprifico eſt,ob id à Plinio inter ficos caprificos q; reddita,non naturę ſed gentilita tis reſpectu. Palmo alta eſt,cauliculis quinis,fere ocimi ſimilitudine. Flos candidus,ſemen nigrum,manat lacte multo & dulci. Galenus hãc echinon uocare maluit, ut in uetuſtis ali quot Dioſcoridis codicibus echinos nõ erinos ſcriptum legebatur. Eſt & apud Hippocra tem echini herbæ mentio. A recẽtioribus herbariis *herba lactis* appellatur, à quibuſdam *la ctoris*, & *militaris*, aliis *ocimum aquatile*. *Lactariam* rura uocant,trientalibus ramulis,quinis ſe nis'ue foliis ocimo longioribus, parte ſuperna diuiſis,albo flore, ſemine atro,puſillo,acri, duro. Herba ſucco manat lactis,tum colore,tum dulcedine,unde *lactariæ* nomẽ apud uul gus inualuit. Secus fontes & fluuios inuenitur. Herba perquam utilis aurium dolori,nitri exiguo addito. Folia reſiſtunt uenenis. Tritum cum melle Attico ſemen oculorũ epipho ris medetur. Idem duabus drachmis in quatuor mellis cyathis oblitum oculorum fluxio nes cohibet. Succus cum ſulphure nitroq; inſtillatus aurium dolores finit, diſcutit oculo rum cali

rum calígines, uomitiones ciet. Folía ín cíbo ſumpta pariendí præſtant facílitatem. Vulnus ferro factum íntra paucos díes ímpoſita ex oleo ſanant.

Gramen. Cap. XCI

AGroſtis græcè, Latínis gramen, paſſim cognoſcitur genículatís ramulís ſerpens, radicesq; ab íjs genículatas dulcesq; ſpargẽs. Folía eíus ín tenuitatem cacumínata & dura, ut arundínis paruæ lata, bubus íumentísq; pabularíũ. Gramen & ípſum ínter herbas uulgatíſſímũ genículatís ſerpit ínternodíjs, crebroq; ab íjs ex cacumíne nouas radíces ſpargit. Folía eíus ín relíquo orbe ín exílitatem faſtígíantur, ín Parnaſo tantum hederacea ſpecíe, denſius q; uſquam frutícante, flore odorato candídoq;. Iumentís herba nõ alía gratíor, ſíue uírídis, ſíue ín fœno ſíccata. Gramíní ab ínternodíjs ramorum & cacumínibus nouæ pullulant radíces. Sunt quí aculeatum gramen uocent trium generum, cum ín cacumíne aculeí ſunt plurímum quíní, dactylon uocant. Hos conuolutos naríbus ínſerunt extrahuntq;, ciendí ſanguínís gratía. Alterũ aízoo ſímíle, quo ad paronychía unguíũ, & cum ín eís caro excreuít utuntur, cum axungía, ídeo dactylon appellantes quía dígítís medeatur. Tertíum genus dactylí ſed tenuíus, naſcitur ín parietínís & tegulís. Huíc cauſtica uís eſt. Síſtít ulcera quæ ſerpunt. Radíx graminís tenera mandendo eſt. Gramen Martí conſecrauít antíquítas, q; ex humano cruore procreatũ crediderít. Quídam Saturno dícãt, quòd ab eo ſatum prímo perhíbent. Glaucum uero ímmortalítatem huíus herbæ cíbo conſecutum, Athenæus ex Aeſchíonís poetæ uerſíbus exiſtímat. Gramen ín officínís nomen ſeruauít, rura *dentem canis* & olítores appellãt. Vulgarís eſt herba, nunquam ſe ab humo attollens, flagellís teretíbus, artículatís, exílíbus folíjs, & ín acumen faſtígíatís, radíce etíã genículata, guſtu non íngratæ dulcedínís. Gramen aculeatum rura noſtra etíam *canarium dentem* appellant; alíquí è uulgo *capriolam*, quòd caprís grato ſít pabulo: multí ab effectu *ſanguinariam*, quòd aculeí foliorum quíní ſeníue ín echínatum faſtígíum unà conuolutí nares farcíunt, elíciendí ſanguínís gratía cum extrahuntur. Crus galli etíam Latíní appellauere, quòd ſtylus è medíjs folíjs exurgens ín pedem galli cõformatus artículetur, relíquam exhíbens crurís effígíem. Eadem ratíone Græcís & Dioſcoridí coronopus, íd eſt cornícís pes ab eadẽ fígura nomínatur. Nanque gramen aculeatum, crus galli, ſanguínaría hæc, una & eadẽ eſt herba quæ coronopus dícítur Dioſcoridí, uarijs appellationibus ob uarios caſus donata. Radíx graminís decocta ín uíno torminíbus medetur, & urínæ difficultatíbus, ulcerí bus ueſícæ, calculos frangít. Semen uehementíus urínam ímpellít, aluum uomítionesq; ſíſtít, príuatím draconum morſíbus auxílíatur. Sunt quí genícula nouem ex una uel pluríbus herbís ínuolui íubeãt ad remedía ſtrumæ panorum ue, ſed eſſe ieiunum quí colligat. Quod è graminum genere ſeptem ínternodía habet, efficacíſſíme capití contrà dolores adalligatur. Quídam propter ueſícæ cruciatus decoctũ ex uíno gramen ad dímídías è balneís bibí præcípíunt. Gramen capití circumdatũ ſanguínís è naríbus fluxiones ſíſtít. Camelos autem necare tradítur ín Babylonís regione, íd quod íuxta uías naſcitur. Trita radíx íllítu uulnera glutínat. Decoctum eíus ín potu torminíbus medetur & urinę difficultatíbus. Calculoſa quoq; ueſícæ recrementa comminuít. Eſt & arundínaceum gramen, calamagroſtís dictum græcís, príore multo maíus, quod íumenta necare tradítur, pręſertím ín Babylone íd quod propter uías naſcitur. Quod ín Parnaſo monte gígnítur denſius fruticat, folío hederaceo, flore albo & odorato, ſemíne paruo nec ínutílí, radícíbus quínque uel ſex craſſítudíne dígítí, candídís, mollíbus, admodum dulcíbus. In Parnaſo tantum denſius q; uſquam fruticat, flore odorato, candído. Succum eíus Parnaſíj excípíunt propter ubertatem, dulcís ením híc eſt. In uícem eíus ſuccedít ín relíqua parte terrarum decoctum ad uulnera glutínanda, quod et ípſa herba pręſtat tueturq;, & ab ínflammatíonibus placat. Decocto adjícítur uínum ac mel ab alíquíbus, & thurís, & píperís, myrrhæq; tertíæ portiones: rurſusq; coquítur ín æreo uaſe ad dẽtíum dolores & epíphoras. Succo, ut Dioſcoridí placet, decocto adjícítur uínum, & mel quantum ſatís eſt, dímídíum myrrhæ, píperís thurísq; tertíæ portíones, medícamentumq; fít oculís nobíle. recondendũ íd ęnea pyxíde. decoctũ radícís ídem quod herba præſtat. Semen uehemẽtius urínam pellít, aluum uomítionesq; ſíſtít. Genus alíud graminís ín Cílícía naſcítur, quod índígenæ cínnam appellant, quod uíríde obiectum boues amburít.

Sunt tamen qui Cilicij huius recentis paſtu boues pingueſcere cõtendant, nato alterutris errore, quòd πίμπρησιν, alij πίμπλησι legant ſenſu longe diuerſo.

Sideritis prima. Achillion. Cap. CXII

Sideritis, alij heracleã, alij uarijs nominibus nuncupãt, herba eſt folio cẽ marrubium longiore, ad ſimilitudinẽ ſaluiæ aut quercus, minore tamen & aſpero, caulibus quadratis, altitudine palmi, quandoque maioribus, modicè linguam aſtringentibus, ſapore non iniucundo, uerticillis per interualla marrubij, & in ijs ſemen nigrum. naſcitur in petroſis. Sideritim hanc aliqui ueram achilleum cognominant, alij ſideritem, quadrato caule, capitibus marrubij, folio quercus, in macerijs naſcentem, cum teritur fœdi odoris. Hodie noſtris herbarijs & officinis barbaro nomine *tetrahil* dicitur, alijs *herba Iudaica*. ſiquidem *herba Iudaica* uulgo nominata folia habet marrubij ſed longiora, ſatis ad frondem quercus aut ſaluię accedentia, minora tantum & ſcabra: caules fundit quadratos, palmũ ſæpius excedẽtes, nõ iniucundi guſtus, aliquantum ſubſtringentis, quos per interualla uerticillati orbes coronant, ut in marrubio uidere licet, & ſemen in ijs nigrum. inuenitur in petroſis. Et, ut ſummatim dicã, huic Iudaicæ herbæ omnes deliniationum notæ reſpondent, nulla prorſus reclamãte pictura. quare nemo inficias ibit ſideritim eſſe Iudaicam herbam, qui ſingulas partes uoluerit explorare. Sideritis præciſos neruos glutinat. Cum adipe ueteri contuſa medetur inguiũ panis. Adalliga ta uarices minuit, & id ſine dolore præſtat. Tertianas leniores facit ex oleo. Vlcera celerrime ad cicatricem reducit. Eius folia uulneribus illinuntur: glutinant enim ea, & ab impetu inflammationũ tuẽtur. Eſt & alia ſideritis cubitorũ binũ, ramis exilibus, cui folia pediculo annexa longo ſimilia filici ſparguntur, leuiter ſerrata, & lateribus frequẽtia. Ex alis autẽ ſuperioribus exeunt ramuſculi tenues, longi, capitibus orbiculatis & ſcabris. quæ ſemẽ continent ad imaginem betæ, ſed durius & rotundius. Plinius aliam ſideritim tradit binũm cubitorum, ramulis exilibus, triangulis, folio filicis, pediculo longo, betę ſemine, uulneribus præcipuam. Cuius uulgare nomen, etſi frequenter inueniatur, nullum à ruſticis extorquere potuimus. Chymici tamen & herbarij quidam *lunariam maiorem* appellant, aliqui *filicaſtrum*, quòd foliis & alis filicem omnino uideatur imitari, binũm cubitorum, ramulis exilibus, folio filicis, utrinq; diuiſo, pediculo longo, prodeuntibus ex alarum ſinu ſurculis longis, tenuibus, capitulo in cacumine orbiculato, in quo ſemen continetur quàm betę rotundius aliquanto ac durius. Vis foliorum huius ſideritis uulneribus efficax. Habetur & tertia ſideritis, & hanc quoq; Crateuas heracleam uocabat, in parietinis uinetisq; naſcẽtem, foliis ab una radice ſimilibus, coliculos ueſtientibus palmares, teneros, læues, ſubcãdidos atq; ſubrubicundos, flore paruo, puniceo, gummoſo, amaro. Aliam quoq; ſideritim reddit Plinius, candidioribus, pinguibus, tenuibus cauliculis, in uineis naſcentem. Addit ſideritim, quæ latiſſimo ſit folio, à Latinis ſcopã regiam appellari: uerum quo nomine uocetur hodie, nunc erit explicandum. Ruſtici & uinitores noſtri *herbam terrenam* nominant, tum q̃ ſuo ceſpite herboſo humũ ueſtiat, tum q̃ terram plane redoleat: nonnulli *crapodinam*, q̃ bufonis modo ſemper ſeſſilis humi reſideat. In uineis & macerijs inuenit foliis coriandri, à radice numeroſis, palmaribus cauliculis, læuibus, teneris, in rubore candicantibus, flore purpureo, paruo, guſtanti amaro & glutinoſo. Vulneribus cruentis ac recentibus impoſita ſanguinem ſupprimit. Omnes ſideritides uulneribus præcipuæ, præſertim ferro factis, inde nomen tractum puto, q̃ ea ferrumінent. Addidit Plinius eam quæ latiſſimo ſit folio, ſcopam regiam uocari, & mederi anginis ſuũ. Hanc ego eſſe crediderim quam uulgus *carpentariorum herbam* appellat: q̃ materiarij fabri ſæpiuſcule hac utãtur ad glutināda uulnera. Sit ergo hæc ſideritis latifolia, cuius hæc uerba tradit Plinius, Sideritis latifolia ſiniſtra manu circũfoſſa adalligatur, cuſtodienda ſanatis, ne rurſus fata diro herbariorum ſcelere rebellet. Aliqui, ut refert Plinius, ueram achilleon ſideritim eſſe tradunt, ſcapo cęruleo, pedali, ſine ramis, ex omni parte eleganter ueſtitam. Et re uera *carpentaria herba* caule eſt pedali, ex uiridi fere cæruleo, nec ramis brachiato, foliis rotundis, pinguibus, lentis, undique non inuenuſte ueſtito: coma floribus multis luteis onuſta, unde ſcopæ regiæ nomẽ traxiſſe puto: ſiliquulis teretibus, paruis, in quibus exile ſemen cõditur. Huius etiam uſus uulgo glutinandis uulneribus propemodum nimius. Achillion ſideritim, alij heracleon, Romani ſupercilium

fupercilium Veneris, aliqui militarem & millefoliam appellant. ſcapos altitudine dodrantali, uel eo maiores gerit ad fuſorũ effigiem, & circa eos folia puſilla, tenuia, inciſuris præcincta denſis ex obliquo, ſegmẽtis coriandro nõ diſſimilibus, ſubſalſo guſtu, lenta, odore copioſo nec moleſto, cæterũ medicato. umbellæ orbiculatæ. flos uarius, modo albus, modo purpureus, modo aureus geritur. Exit ſolo reſtibili & fœcũdo. Sideritis achilleos ideo dicitur, quoniã inuenerit eam Achilles diſcipulus Chironis, qua uulneribus mederetur. hac ſanaſſe Telephum dicitur. Alij primum æruginem inueniſſe tradũt, utiliſſimam emplaſtris: ideo pingitur ex cuſpide decutiens eã gladio in uulnus Telephi. Alij utroq; uſum medicamento uolunt. Hanc nonnulli panaces heracleon uocauere, noſtri propriè millefoliam, cubitali ſcapo ramoſam, minutioribus quàm fœniculi folijs ueſtitam ab imo. Alij ueram achilleon eſſe dicunt, ſcapo cæruleo, pedali, ſine ramis, ex omni parte ſingulis folijs rotundis elegãter circumdatam. Achillea etſi in magna ſit nominum ambage, Galli chiliophylli græcam nomenclaturam ſimul & ipſam foliorum multitudinẽ ſecuti, *millefolium* appellant. eſt enim frutícoſa, ſcapo in capillamẽti modum utrinq; folioſo, longè breuioribus exilioribuſq; quàm fœniculi uillis, ab imo hirſuta, cubitali altitudine, uertice ex cãdido in puniceum uergente, floſculorum miſtura. Frequens in pratis herba, & ſecus uias, tenuis, à lateribus capillamenti modo folioſa. Boum neruos abſciſſos uomere ſolidari ea rurſusq; iungi addita axungia adfirmant. Hæc achilleos ſit quarta ſideritis, à latinis quibuſdam ſupercilium Veneris dici Dioſcorides teſtatur, alij potius Veneris lumbum dici uolunt, alterutro errore orto, quòd Græci ὀσφῦν lumbum, ὀφρῦν ſupercilium appellãt. Achilleam uulneribus utilem fatẽtur. Aluum ſiſtit. Sanguinis profluuium cohibet ſiue ore reijciatur, ſiue naribus aut aluo fluat. Menſes nimios eadem ſupprimit impoſita, & decoctum eius inſidentibus. Huius comæ cruenta glutinãt uulnera, & ab inflammationis periculo tuentur. Sanguinem ipſum undecunq; ruentem coercent, etiam è uuluis manantem impoſitæ uelleri. Decocto quoq; inſident fœminæ fluxione uuluæ laborantes. Ad dyſenteriam decoctæ bibitur ſuccus. Ad ſtrãguriam & ſuſpiria ſumitur ex aceto, daturq; præcipitatis. In dentium dolore apponitur cum butyro.

Rubus. Cap. CXIII

BAtos, Romanis rubus aut ſentes, aliquibus morus uaticana dicitur. Rubus Gallis *ronce*, lentis flagellis in terram ſpargitur, ni prope ſit quod uncis aculeis ſubeat, folijs etiã cute ſpinoſis, perpetui uiroris, flore candido, moris haud abſimili. Hunc chamębaton, quaſi dicas humilem rubum uocant. Rubi multa genera, ſed quæ magno ſeparantur diſcrimine. Humilis protinus quàm paulo accreuit retro uergit in terram, atq; ita radicatur. Rubi curuati gracilitate ſimul & procerítate nimia defigunt rurſus in terram capita, iterumq; naſcuntur ex ſe, repleturi omnia ni reſiſtat cultura. Sic peſſima atq; execranda res hominibus, propaginem docuit, atq; radicem acquiri uiridem. Rubi ferunt mora quæ & mãduntur. Huius radicis ſpongiolæ duritia lapidis uiſuntur. Flos mori cãdidus per meſſes colligitur. Nec rubos ad malefícia tantum genuit natura, ideóque ex ijs mora uel hominibus cibos dedit. Multa apud nos rubi genera. unum per dumos repit grandius, fungoſum, minacibus ſpinis, nocentibus, aduncis, flore candido, moris maioribus, nigris, quod uulgo *ronce* nomen uendicauit. Alterum genus humi ſerpit in aruis, trãſeuntium cruribus inimicum, moro nigro, quod eſtur, ſed longe minori, non iniucundi guſtus, minoribus ſpinis & minus hamatis, mora *catherinas* ruſtici uocant. ijs in utroque genere ſuccus ineſt ſanguineus, & ueluti cruore atro manus inficiens. Tertium minus ijs duobus, caducum prorepit, nulli frutici uicino acquieſcens, procerum & erectum, innocentioribus ſpinis, moro rubro fragi ſimilitudine, ſuauiſſimi guſtus, quod uulgus *framboſciam* nominat, cuius & ſenticeta in hortis quoque conſita ob fructus gratam ori dulcedinem ubiq; ſpectantur, quæ Græci batias & apobata dicunt. Rubi uim habent ſiccandi, aſtringendi, gingiuis, tonſillis, genitalibus accõmodatiſſimi. Aduerſantur ſerpentium ſceleratiſſimis, hæmorrhoidi & preſteri, flos & mora. Scorpionum uulnera ſine collectionum periculo iungunt. Vrinam cient. Caules eorum tunduntur teneri, exprimiturq; ſuccus, mox ſole cogitur in craſſitudinem mellis, ſingulari remedio cõtra mala oris oculorumq;, ſanguinẽ excreantes, anginas, uuluas, ſedes, cœliacos.

Potus aut illitus inſtillatur auribus. Sanat condylomata cum roſaceo cerato. Calculorum ex uino decoctum præſentaneum eſt remediū: item per ſe in cibo ſumpti cymæ modo aut decocti in uino auſtero labantes dentes firmāt. Aluum ſiſtunt, & profluuia ſanguinis. Dyſentericis proſunt. Siccantur in umbra ut crematorū cinis uuam reprimat. Folia commanducata ulceribus auxiliantur manantibus, aut quibuſcunq; in capite. Illinuntur cardiacis, uel per ſe imponūtur à mamma ſiniſtra: item ſtomachi doloribus, oculiſq; procidentibus. Inter aſtringentia medicamenta nihil efficacius rubi mora ferentis, radice decocta in uino ad tertias partes, ut colluantur eo oris ulcera, & ſedis foueantur. tantaq; uis eſt, ut ſpongię ipſæ lapideſcant. Mora quæ in iſs naſcuntur efficaciorem ſtomaticen præbent quàm ſatiua morus. Eadem compoſitione rubi bibuntur cum melle in cholera, & à cardiacis & contra araneos. Genus rubi in quo roſa naſcitur & pilula caſtaneæ ſimilis, præcipuo remedio calculoſis, in cynosbato dictum eſt. Rubo, ut teſtatur Dioſcorides, ſiccandi ſpiſſandiq; uis adeſt. Eo capillus inficitur. Decocto ramorum aluus cita contrahitur, gingiuæ ſtabiliuntur, profluuia fœminarum ſiſtuntur. Oris uitijs folia commanducata medentur, cohibent ulcera quæ ſerpunt, ulceribus in capite manantibus oculiſq; procidentibus remedio ſunt, condylomatis & hæmorrhoidibus illinuntur. Cardiacis & ſtomachi doloribus trita & impoſita ſubueniunt. Caules cum folijs tunduntur, exprimiturque ſuccus, mox ſole cogitur ſingulari remedio contra quæ modo dicta ſunt. Mori in rubo naſcentis quàm optime maturi ſuccus ad oris medicamenta commendatur. Siſtitur aluus præmaturi cibo, neque non flore in uino poto. Batos Idæa, hoc eſt Idæus rubus appellatur, quoniam in Ida plurimus naſcitur. Eſt autem tenerior multo quàm rubus, minoribus ſpinis, interdum nullis. Idæum rubum Plinius putat in Ida tantum, nō aliàs naſci. Eſt autem tenerior ac minor, rarioribus calamis, innocentioribusq;, ſub arborum umbra naſcens. Huius flos cum melle epiphoris illinitur, & ignibus ſacris, ſtomachicis bibendus datur. Flos eius contra lippitudines illinitur ex melle, contra ſtomachi uitia bibitur ex aqua. Cæterū flos ex melle oculorum collectionibus commodiſſime linitur. Ignem ſacrum reſtinguit. Cętera eadem præſtat quæ ſupradicti. Id genus quod Idæum Gręci uocant à loco, id eſſe uidetur quod ſupra *framboſciam* à uulgo diximus appellari, quòd libere in dumetis & ſyluis ſub umbra creſcat, ut nomen ſonat Gallicum. nanque tenuior eſt quàm cæteri, minoribusq; ſpinis, & minus aduncis, qui tamen ſine ſpinis in lucis & nemoribus inuenitur ſerpens humi, quòd fructu moron Idæi, & folio citra ſpinas rubum imitatur: fragum diximus à Latinis dici, & à Dioſcoride mitem & nullis horrentem ſpinis rubum.

Helxine. Elatine. Cap. XCIIII

HElxine naſcitur in parietinis, ſepibus, uineis, caulículos habens leniter rubentes, folia mercurialis herbæ hirſuta, ſemine obducto caulibus, aſperitate etiā ueſtium tenaci. Plinius ei non mercurialis, ut Dioſcorides, folia, ſed miſtæ ſimilitudinis plantagini & marrubio tribuit, caulículos denſos, leniter rubentes, ſemina in capitibus lappaceis adhærētia ueſtibus, unde helxinen dictam uolunt. Aliqui perdicium uocant, quoniam perdices ea pręcipue ueſcantur: alij ſideritim, nonnulli parthenium. Perdicium (nam ſideritis alia eſt) à noſtris, ut inquit Plinius, herba urceolaris uocatur, folio ſimilis ocimo, nigriori tātum, naſcens in tegulis parietinisq;. Parthenion dicta, quoniam à Minerua ſomno contra præcipitia lapſusq; monſtrata eſt Pericli Athenienſium principi, cum in arce templum ædificaret: uernula charus ſupra altitudinem faſtigij repſiſſet, unde cecidiſſet, hac herba dicitur ſanatus. quare parthenion uocari cœpta eſt, aſſignaturq; ei deæ. Herbam muralem parthenion uel perdiciū appellari Græcis Celſus locuples teſtis eſt. Turtures, columbæ, gallinacei, annuum faſtidium deducere dicuntur helxine paſti. *Muralium* & *muralis* & *parietaria* uulgo, & interdum *uineago* dicitur: urceolaris Latinis, q̄ detergendis urceolis uitreis polleat. Eadem ratione uulgò *uitriolum*. Herba frutícoſa, cubitalis, colículis lente rubeſcētibus, folio mercurialis herbæ turbinato, hirſuto, flore candido, exili ſemine, per ambitū eius aſpero, ueſtibus adhærente, radice ſub rubra, fibris leniter capillata. Inueniť paſſim in parietinis, unde Traianus Cæſar herba parietaria dictus eſt, q̄ plurima ædificia eius titulo & inſcriptione conderentur. Plinius huic helxinæ folium tribuit ocimi, Dioſcorides mercurialis; nec ea folia multū diſtant, præter

quàm q̄

quàm quòd mercuriali leniter ſerrata ſunt, item & ocimo, murali herbæ non ſunt. Hoc tamen leuius eſt quàm ut ſimilitudinem mutet. nam & hirſutula eſt, & adhæreſcit ueſtibus lappacea quadam ſeminis aſperitate uillorum tenaci. Helxine ſanat ignes ſacros, colle&tiones&q; omnes, et aduſta. Panos ſuccus eius cum ceruſſa diſcutit, abſceſſus&q; & guttura incipientia turgeſcere. Veterem tuſſim emendat cyatho hauſto, item tonſillas & uarices cum roſaceo. Imponitur & podagris cum caprino ſeuo, cera&q; Cypria. Medetur ijſdem omnibus quibus lamium: item uomicæ calfacto ſucco pota. Et contra ulcera, rupta, lapſus&q; & præcipitia aut uehiculorũ euerſiones efficax. Vim habent folia, ut Dioſcorides perhibet, ſpiſſandi, refrigerãdi: quare ſanant illitu ſacros ignes, aduſta, condylomata, incipientes panos, tumores colle&tiones&q;. Succus cum pſimmythio ignem ſacrum & mala quę ſerpunt inungit. Imponitur podagris cerato Cyprino uel hircino ſeuo collectus. Veterem tuſſim emendat cyathi hauſtu. Inflammationibus tonſillarũ gargariſſatus & illitus prodeſt. Aurium dolores infuſus finit. Elatine folia habet helxinæ minora rotundiora&q;, piloſa, tenuibus & ſemipedalibus ramulis, quinis ſenis'ue, ab radice ſtatim folioſis, guſtu aſtringentibus. naſcit in ſegetibus & cultis. Elatine Plinio folia habet helxinæ, puſilla, piloſa, rotunda, ſemipedalibus ramulis, quinis ſenis'ue, ab radice folioſis. naſcitur in ſegetibus, acerba guſtu. Inuenitur in cultis herba folio helxinæ rotundiuſculo, piloſo, ſemipedales fundens ramulos, quinos ſenos'ue, ab radice folioſos. Inuenitur in ſegetibus, uineis & cultis aſtringẽs guſtu, qua ut rapo ſylueſtri rura in uernis acetarijs utũtur. Radix numeroſis comatur folijs, quæ uelluntur cum ſtirpe ſua cum tenereſcunt, antequã caulem agant. Vulgus *camepeſtre rapiſtrum* uocat. Falluntur qui *piloſellam* eſſe putent, reclamantibus aperte natalibus. nec&q; enim in cultis, nec&q; in ſegetibus prouenit, nec&q; ſemipedalibus quinis ſenisue ramulis à radice folioſis exit: nec folia ei rotundiora helxinę uiſuntur, ſed potius mucronata, ramulis graminis modo per terrã reptãtibus, radice alba, prætenui uſq; in capillamẽti ſpeciem, in collibus terrenis reperta. Non ſunt item audiendi, qui *pimpinellam* uulgo dictam eſſe exiſtiment elatinen, cum etiam natales ſitus aduerſentur. nam in pratis incultis, nec uſq; ſubacto ſolo naſcitur, imò potius horret ſatiua, nec ramulis exit à radice folioſis. Eſt autem folio piloſo, latè crenato, exili, in rotundum oblongo. Thyrſuli folijs emicant ex cæſio candicantibus, in quorũ ſummo naſcuntur capitella rubẽtibus punctis maculata. Cauſanturq; priſcorum in rebus cognitis negligentiã, quando defuit ipſis cura ſingulas herbarum differentias anxie conſectari. Elatine acerba eſt guſtu, et ideo oculorum fluxionibus efficax ſolijs cum polenta tritis & impoſitis ſubdito linteolo. Eadem cum lini ſemine cocta ſorbitionis uſu à dyſenteria liberat. Oculorum inflammationibus, fluxionibus&q; folijs cum polenta tritis auxiliatur. Eadem cocta ſorbitionis uſu dyſenteriã ſiſtit.

Eupatorium. Pentaphyllon, quinquefolium. Cap. XCV

EVpatorium, alijs hepatoriũ, aut hepatitis, ſurculoſa eſt herba, ſimplicis ſcapi, tenuis, lignoſi, ſubrecti, nigrãtis, hirſuti, cubitalis, aliquãdo & amplioris, folio per interualla inciſo, & magna ex parte quinquepartito, interim plurifariam, quinquefolij aut cannabis ſimilitudine, nigro & ipſo, extremitatibus ſerratis. ſemen leniter plumoſum è medio caule circà profilit, inclinatũ in terram, ut cum inaruerit inambulantium quoq; ueſtibus adhæreſcat. Eupatorium regiam habet authoritatẽ, ut Plinio placet, caulis lignoſi, nigricantis, hirſuti, cubitalis, aliquando & amplioris, folijs per interualla quinis ut cãnabis, per ambitũ inciſis quinquepartito, nigris et ipſis plumoſis'que, radice ſuperuacua. Hę deliniationes ad amuſſim conueniunt herbæ quam officinæ uocant *agrimoniam*, nulla proſus repugnante nota: quare earũ agrimoniam uerum eſſe eupatorium facile perpendet, qui ſingulas partes picturæ diligenter explorabit, ſiquidem fruticoſa herba inuenietur caule ſingulari, lignoſo, nigricante, tenui, hirſuto, cubitali uel maiuſculo, cannabinis ex interuallo folijs, uel quinq; folio ſimilibus, quinquepartito aut plurifariam inciſis, per ambitũ ſerratis, nigricantibus. medio caule ſemen erumpit piloſum, deorſum ſpectans, quod reſiccatũ ueſtibus adhæreſcit. Cæterum quod hodie demonſtrant herbarij fruticoſum, caule bicubitali proceritate, lignoſo, tereti, multis alis cõcauo, folijs mentæ maioribus, cãdidiuſculis, acri guſtu, inodoris, muſcario lanugino ſo, fructu in ſurculis paruis prope folia racematim dependente, id dubio procul hydropiper eſſe ſupe-

esse superius in sua mentione docuimus. Mauritani aliud eupatorium demonstrant, longe diuersum figura, sed effectu par ut uolunt, scapo exiguo, ferè cubitali, folio minoris centaurij, frutice odorato, flore qui luteus sit, radice superuacua. Passim nascit nomine apud imperitos centaurij maioris, sed id credentium error est euidentior quàm ut debeat explodi nedũ exibilari. Semẽ eupatorij dysentericis in uino potum auxiliatur unice. Folia cum suillo pingui imposita ulceribus cicatrici repugnantibus medentur. Semen & herba in uino pota dysenteria & iocinerũ uitijs liberat, percussos à serpente restituit. Hanc aliqui falso artemisiam esse putarunt: sui enim generis artemisiam indicauimus. Pentaphyllon ramulos habet festucarum modo graciles, palmum non excedentes, & in ijs semen, folia mentæ similia, in singulis pediculis quina, nec plura, nisi perquam raro, & per ambitũ crenata serræ modo, florem in candido pallidum, uel auri æmulum. Humidis locis & iuxta aquæ ductus nascitur, radice subrubra, oblonga, paulo crassiore quàm ueratri nigri. Quinquefolium Græci uocãt pentapetes, siue chamæzelon, siue pentaphyllon. Cum effoditur rubram habet radicem, inarescẽs nigrescit & angulosa fit. Nomen à numero foliorum habet, & ipsa herba incipit & desinit cum uite. Theophrastus est author, cũ quinquefolij radix recens effoditur rubet, inarescens nigrescit atq; quadratur, folio uitis pusillo, coloreq; uitigineo. Augetur desinitq; cum uite, coliculis prætenuibus, crebris internodiorum geniculis, nomen à numero foliorum. Pentaphyllon, ut Democritus scriptum reliquit, multos ex una radice profert ramulos palmares, festucaceos, quibus semẽ insidet, folia mentæ serrata, quina ex singulis pediculis, raro plura, circulo in serræ modum denticulato, flore luteo. Aquam subesse natalibus eius aquilegijs idoneam idem testatur author. Plinius quinquefolium nulli ignotum esse tradit, cum etiam fraga gignẽdo commendetur. Ego id quierum esse possit non intelligo. nam herba ea quæ fraga gignit, trifolia est, nec modo quouis quinq; folia, flore candido, nõ luteo, in mõtibus & syluis etiamnũ frequens secus uias. Herbarij quinquefolium, uulgus Gallicum *quintefeuillam* uocat. enimuero nascitur propter uias, in riguis et circa ductus aquarum, ramulis tenuibus, festucaceis, palmea longitudine, & in ijs semẽ, folia mentæ quina in singulis pediculis, raro plura in ambitu serrata, flore in luteum elanguescente, interdum aureo, radice subrubra, tereti, ueratro nigro crassiore: adde geniculatos quoq; surculos, folia simul iuncta uitigineæ comæ formam exprimere. Radix ubi inaruerit, nigricat, & angulosa fit: sed cum effoditur, rubet. Hippocrates duo uidetur nouisse quinquefolij genera. nigrum, quod humilius est: candidũ, quod & herbaceum & procerius est à terra, quod potest à nobis heptaphyllon, hoc est septẽfolia uocari. Est et quæ *tormentilla* uulgo dicitur, quinquefolio simillima, nisi q; septem nõ quinq; habet folia, utrinq; lanuginosa, flore luteo, radice punicea, qua contra uenena & aduersus pestilentiæ contagia hodie nimius fere increbuit usus, adeo ut cuius radice pastillos theriacos, si dijs placet, officinæ pro uiperarum carne substituant, quoniam uiperæ modo, ut existimant, nusq; uisantur. Quinquefolium adhibetur purgãdis domibus. Strumis medetur & pectoris uitijs. Idem ischiadicis bibitur & imponitur. Panos sanat. Impositũ articulis utilissimũ. Fistulis quæ in omni parte serpunt auxilio est, cum sale & melle. Phalangio aduersatur, lichenas emendat. Succus de quinquefolio potus cyathis tribus anginæ medetur. Idem ioineris et pulmonis uitijs, sanguinemq; reijcientibus, cuicunq; sanguinis uitio intus occurrit. Multi super omnia laudant ad deploratos dysentericos quinquefoliũ, decoctis in lacte radicibus & potis: item decoctũ ad tertias in uino ictericis dari atq; illini utilissimũ est. Folia quinq; folij ex aqua comitiales sanãt. Itẽ cõtrita folia ex uino sumpta triginta diebus in betonicę farinę põdo denariorũ tredecim cum aceti scyllitici cyatho, comitialibus morbis liberãt. Celerrime succus regio morbo medet, tribus cyathis potus cũ sale & melle. Quinquefolij folia quidã terna tertianis dedere, quaterna quartanis, plura cæteris, omnibus obolis tribus cũ pipere ex aqua mulsa. In multo radix usu est Dioscoridi. Succus ad tertias discoctæ, si ore cõtineatur, dentiũ dolorẽ finit. Idem ad putrescentia in ore colluit, ad arteriæ scabritiã gargarissatur. Ad alui profluuia, dysenterias, articularios, & coxendicũ cruciatus bibit. Tritũ & illitũ ex aceto ulcera serpere nõ patit. Discutit strumas, tumores, duritias, abscessus, collectiones, ignes sacros, reduuias, cõdylomata, psoraq; sanat. Tenerę radicis succus iocinerũ, pulmonũq; uitijs aduersat. Venenis resistit. Ad reduces febriũ ambitus

abigendos

abigendos folia bibuntur ex aqua mulsa,& temperato uino cum piperis exiguo,in quarta na quidem quaternûm ramulorum,in tertiana uero ternûm,in quotidiana unius. Tricena quoq; folia tricenis diebus pota comitialibus medentur. Succus per dies aliquot potus tribus cyathis celerrime regium sanat morbum. Illita cum melle & sale tam uulneribus q̃ fistulis remedio sunt. Quinquefolium inteſtini prolabentis hernias cohibet,eruptiones sanguinis sistit potu iuxtà & illitu. Adhibetur & lustrationis gratia expiandis purificandisq; domibus,& contra mala medicamenta,& carmina.

Phœnix herba. Idæa radix. Rhodia radix. Cap. XCVI

PHœnix Romanis lolium murinum dicitur, folium ei hordeaceũ,breuius & angustius, spica lolio similis, rami digitorum senûm circumdantes radicem, spicæ senæ octonæ'ue. nascitur in aruis tegulisq; recens illitis. Est herba phœnicea Plinio appellata à græcis,à latinis hordeũ murinum. hæc trita & in uino pota præclare ciet menses. *Auena ſterilis* à multis hodie dicitur. quãdoquidem ea sterilis auena folia habet hordei, sed breuiora & angustiora, spicam lolio similem, culmos digitorum senum radici in orbem obuolutos, septenas octonas'ue spicas. in suba ctis tectisq; recenter illitis inuenitur. In uino austero pota alui profluuium, erumpentem utero sanguinem coercet. Vrinę impetus refrenat. Traditur à quibusdã uulnerum sanguinem ea cohiberi in uellere puniceo inclusa alligataq;. Idæa radix folia ruſci mittit, adhærent ijs clauiculæ ueluti pampini, è quibus flos. Idæa herba Plinio dicitur, ei folia sunt oxymyrsinæ. Adhærẽt ijs ueluti pampini, in quibus flos. Radix Idæa acerba gustu, misceri solita luctantiũ in palæstra, ad ea quæ repercutere tantum oporteat, ut Paulus Aegineta scribit. Aluum menses q; & omnem abundantiã sanguinis sistit. Spissandi cohibendiq; naturã habet. Pota citam aluũ firmat. Menstrua supprimit, ad omnia cõueniens quibus astrictione sit opus. Rhodia radix nascit in Macedonia nõ absimilis costo, minoris modo ponderis, inæquali cute, odorem rosæ cum teritur reddens. Vtilissima capitis doloribus si mala defacta fronti & temporibus imponatur. Ex illo nouo repertarũ insularũ orbe, liburnicarum remigatu, lustrato, delatum nuper ad nos lignũ, crasso cortice & hiulco, multis tuberibus et nodis inequale, põderis eximij, ita ut immersum aquis pessum eat, nec sidẽs rursum emergat, tãta pollet grauitate: buxiq; colorẽ, crassitudinẽ & duritiã imitatur. Hoc tritum uel in scobem derasum rosas odoris suauitate prouocat, quin potius de paritate certãs, iucunditate uincit. Hoc *roſaceum lignum* appellamus, cum barbarum regionis nomen audire non potuerimus. In pensiles orbiculos pilulas'ue, quæ à mulieribus gestantur, aspalathi, aut agallochi more tornatur, quibus filo immissis mulieres supplicationes suas numerant. Habetur & radicis Cinthiæ mentio Hippocrati foendis fœminarum malis. Galenus rhizam, hoc est radicem ab eo dici quoddam genus sati scribit, sine flore, sine semine, tribus duntaxat folijs, sed proceris & in terra stratis, duorum digitorum magnitudine, similibus anchusæ, radice purgãdi uiribus sed exiliter. Alia etiã uidetur ab herba quæ à Plinio oxys uocat, si folia æquè terna habet: quippe quæ non purget, sed contra potius astringat, nam datur ad stomachum dissolutum. Edunt & qui enterocelen habẽt. Proinde sunt qui oxyn putent esse quam uulgus *trinitatem* appellat, folio triplici uel uno potius in terna dispositio, radice capillamentis multiplici, flore in quibusdam maculis candidis cæruleo. Oxyn esse potius crediderim quæ uulgo *panis cuculi*, aut *alleluia* dicitur, folia terna habens, & dissolutum stomachũ mirè recreans, de qua in trifolij mentione dictum à nobis est. Rhodion uocatur Democrito coloris genus Italicũ præferente, in uellerum tinctura: fortasse id est, uel quippiam simile, quod uulgari nomine *roſaceum* uocamus.

Hippuris, equisetum. Cap. XCVII

HIppuris, alij ephydron, alij anabasin, Romani equinalẽ uel salicem equinam nominant, prouenit humidis locis secundum scrobes, caulículos habens inanes, leniter rubentes, præterea scabriusculos, ualentes frequentibus genicu lis in se farctis, folio circà iunceo, denso, prætenui. In altitudinem adsurgit, scandendóque proximos caudices dependet comis circumfusa multis, nigris ut equorum cauda, radice nigra, lignosa. Hippuris à Græcis dicta, Latinis equisetũ, in pratis nascens. Est aũt pilus terræ equinę setæ similis. Græcorũ, ut Plinius tradit, circa hãc opinio

opinio. Alij pini foliis similem, nigricantem, eodem nomine appellant, alij hippurin, alij ephedron, alij anabasin uocant: traduntq; iuxta arbores nasci, & scandentem eas dependere comis iunceis, multis, nigris, ut ex equorum cauda, geniculatis ramis: folia habere pauca, tenuia, exilia: semen rotundum simile coriandro, radice lignosa: nasci in arbustis maxime. Alibi Plinius uentoso tractu nasci tradit, scandentem arbores & propendetem ramis, folio nullo, cirris numerosam, qui sunt iunci geniculati, radice pallida: caucũ quæ & ephedra ab alijs anabasis uocata. Nec mirũ sit alicui, q̃ folia modo pauca, modo nulla tribuantur: facit hoc authorum quos secutus est, locorum & temporum diuersitas. Græci à scandendi more, anabasin: ephedron, ab insidendi natura uocitant. ascendit enim arbores, & insidens coma propendet iuncea. Salicem à Romanis dici Dioscorides testatur, de qua fortasse Verrius homo doctus apud Festum intellexerit, cum diceret uirgulti genus esse salicem, non ridicule, ut idẽ Festus carpit, interpretatus, q̃ ea celerrime crescat, ut salire uideatur: quando Græci quoq; hanc iteam dendron nominarunt. Recentiores uerbum reddentes uerbo caudam equinam dixerunt. Quæ hic à Dioscoride pingitur uulgo Gallico *prela* dicitur, non ignota materiarijs fabris, qui ligneam pectinum & aliorum minutorum operum ruditatem huius herbæ scabritia in nitorẽ expoliunt. Nanq; ea prela in sublime scandit, et uicinos arborũ fruticumq; caudices improbo cirrorum reptatu complectitur, proxima quæq; uinciens. ab ramisq; dependens instar equinæ caudæ, calamis geniculatis pyxidatim coeuntibus, capillamento potius q̃ foliis articulato, iuncea cuspide. in riguis & fossis inuenitur. Alterum hippuris uel equiseti genus, quod equition cognominãt, recto cale, æquali, cubitum excedente, uacuo, breuioribus per interualla & candidioribus comis mollioribusq;. Hippuris, ut Democritus scriptum reliquit, ex rei natura nomẽ adinuenit, capillamentis quibusdam comata, caule ab radice ad uerticem paulatim in tenuitatem fastigiato, & uelut in mucronem turbinato, in arundinis modũ inani, geniculato, interstringentibus internodijs. Cirri foliacei dependent ab articulis, inter sese modo tubarũ farctis, inde salpingion, quasi tubulam dixeris, Democrito cognominatur. Locis quibus emicat aquam subesse testantur aquilegi. Faciunt & aliam Græci hippurin breuioribus & mollioribus comis, & candidioribus. Inuenitur hæc in pratis, nec ferè frequentius occurrit inuisa fœnisecis. uulgus hãc peculiariter *caudam equi* nominat, caule recto, cubitali, aut maiusculo, inani, comis per interualla propendentibus, breuiusculis, mollioribus & cãdidioribus. Equisetum uituperatur à Plinio. Lienem cursorũ extinguit decocta fictili nouo ad tertias, quantum uas capiat, & per triduum heminis pota: unctis esculentis ante diem unũ interdicitur. Vim eius ammirabilem tradunt, q̃ sanguinis profluuia uel tacto eo tantum homine sistat. Vis eius spissare corpora. Succus sanguinem è naribus fluentem incluſus supprimit, item aluum. Medetur dysentericis in uino dulci potus cyathis tribus: urinam cit: tussim, orthopnœam sanat: item rupta, & quæ serpunt. Intestinis & uesicę folia bibuntur. Enterocelen cohibet. Vis eius Dioscoridi spissare, quare sanguinem naribus erumpentẽ succus ipse sistit. Medetur dysentericis in uino potus, urinas ciet. Cruenta uulnera glutinantur tritis foliis & illitis. Tussim, orthopnœã emendat, item rupta. Foliis in aqua potis præcisiones uesicæ & intestinorum, enterocelęq; in unum coalescere cogiq; narrantur. Altera hippuris ischiadicis perq̃ utilis, & uulneribus imposita propter sanguinem sistendũ: nam uulneribus remedio est, eiusdem ut superior effectus.

Coccos, granum tinctorium. Cap. XCVIII

Coccos baphice, hoc est coccum siue granum tinctorium surculoso nascitur frutice, cui grana lenticulæ adhærent. leguntur hæc ad usus, reponunturq;. Optimum è Galatia & Armenia, sequens ex Asia Ciliciaq;, pessimum ex Hispania. Frutex qui tinctoriũ granum gignit, aut priuatim coccus dicitur, ut Dioscoridi placere uideo, aut ilex est aquifolia. Granum hoc rubens est, primumq; ceu spectes frutices paruos aquifoliæ ilicis, ut inquit Plinius: quisquilium uocant, pensionem alterã tributi pauperibus Hispanię donati. Omnes roboris dotes ilex solo prouocat cocco. Granum hoc rubens Galatiæ aut circa Emeritam Lusitaniæ in maxima laude habebatur. Gignitur & in Africa et Pisidia, Cilicia, pessimum in Sardinia. Est autem genus ex eo in Attica ferè & Asia nascens, celerrimè in uermiculũ se mutans. quod ideo sco-

lecion uo-

lecion uocabant, improbabantq; limaci paruæ ſimilem. Dioſcorides adfirmat in Ciliciа è roboribus prouenire, limaci paruo ſimile, quod loci eius mulieres ore legunt, & coccum ſpecialiter appellant. Pauſanias fruticem hunc copioſum in Locride tradit, rhamni amplitudine: præterea lentiſco ſimilem, nigriore tantum & molliore folio, fructu ſolani quidem ſpecie, ſed erui magnitudine. Colligendum præcipiunt anteq; uermiculus is naſcatur. Animiculo itaq; grano ſuccus ad pigmẽta languidus, quadrimo euanidus, ita nec ſenefcenti ui res nec recenti. Colos inter principales, Imperatorijs tantũ paludamentis dicatus, qualis in roſa micat, & quo nihil aſpectu gratius. Fruticẽ Iones & Græcia tota coccon nominãt, Gallia *ſcarlatum*, ruſtici in Narbonenſi prouincia, ubi frequens eſt, *uermilonum* dicunt, offi-
10 cinæ *grana tinctorum*. Granum rubens naſcitur è frutice ilici aquifolię non diſſimili, nempe exilibus ramis & aculeato folio. Coccũ autem forma lenticulæ aſſeruatur, quo diuites lanæ pretioſo illuminentur ſucco, aſpectu coloris gratiſſimo in roſis nitente. Cæterum ilex, ut Columella placet, gemina, minor apibus quæſita, prolixior ab oĩnibus improbata mellificio. Atqui ne luxuriæ tãtum id natum exiſtimes, in medicos etiam uenit uſus. Coccum uulneribus ex aceto recentibus imponitur. Epiphoris ex aqua, & oculis ſuffuſis ſanguine inſtillatur. Vis huic aſtringendi, uulneribus neruiſq; præciſis ex aceto conuenienter illini tur. Porro coix Theophraſto folio arũdinis, angulari, ad nexus utilis, à quo fiſcellæ genus Atticæ coix, ut inquit Pollux, quod lingua Dorica cois dicitur: quare qui coicina texta à frutice coice textili dicta, rubra uerterunt apud Strabonem, quàm feliciter haud ſcio, niſi
20 coccina legerint, fallente nominis uicinitate.

Tragion. Tragos herba. Cap. xcix

TRagon fruticem ſola Creta inſula gignit, folio ramis & ſemine lentiſco ſimilem, ſed minore omnium amplitudine, ſuccum ferentem qui gummi modo coeat. Tragonis ſiue tragion naſcitur in Creta tantũ inſula in maritimis. Plinio iunipero ſimilis, & ſemine, & folio, & ramis. Succus eius lacteus in gummi ſpiſſatus, uel ſemen impoſitione ſpicula è corpore eĩcit. Tunditur recens & cum uino illinitur, aut ſiccæ farina cum melle. Eadem lactis abundantiã facit, mãmiſq; unicè medetur ſemen. Folia lachryma illitu ſpicula extrahunt, omniaq; hærentia corpori euocant: potu ſtrangurias finiunt, ueſicæ calculos frangunt, menſes pellunt, ad quæ præ-
30 ſtanda põdus drachmæ requiritur. Capræ ſylueſtres percuſſæ huius herbæ paſtu ſagittas eĩjcere perhibentur. Eſt & alia herba cognominis ſupradictæ, quam Romani olim cornulacum appellarunt, foliis ſcolopendrij, radice tenui, candida, armoraciæ ſimili. Autumno folia hircinum uirus olent, indeq; appellatio. naſcitur in montoſis præcipitijs. Radix cruda coctaq; dyſentericis manditur. Profecto huic nonnulla conſentirent quæ uulgo *burſa paſtoris* appellatur, quòd & folia fere ſcolopendrij ferat, radicem ſylueſtri raphano non diſſimilem, candidam, qua in dyſenterijs utantur, niſi natales reclamarent. nanq; hæc naſcitur propter uias & in parietinis, illa mõtibus & præcipitijs. hæc in folliculis in exiguæ uulgæ ſimilitudinem compreſſis, turbinata cordis effigie, ſemen gerit minutum, quod nõ fuiſſet à Dioſcoride prætermiſſum. Item autumno uirus hircinũ fœtere non deprehenditur, qua-
40 re dijudicent peritiores. Tragos in maritimis maxime gignitur. frutex puſillus in terra, oblongus, ſemipedalis, aut altior paulo, ſine foliis, ramos habens in quibus uelut racemi ſunt puſilli, grano tritici, acuto capite copioſoq;, guſtu uehemẽter ſpiſſante. Eſt alia herba tragos apud Plinium quam aliqui ſcorpion uocant, ſemipede alta, fruticoſa, ſine foliis, puſillis racemis, rubentibus, grano tritici, acuto cacumine, & ita in maritimis naſcens. Tragon Aſia fert ueprem, ut idem ait, ſine foliis, racemis rubentibus, ad medicinæ duntaxat uſum. Hanc in litoribus maris inueniri hodie noſtri perhibent herbarij, iunco marino ſimilem, à quo & multi *iuncum marinum* appellãt eam. Huius ramorum decem aut duodecim cacumina trita, ex uino pota cœliacis, dyſentericis, ſanguinem excreantibus, menſium abundantiæ auxiliantur. Racemorum grana decem in uino pota aluinis, & mulieribus fluxio-
50 ni uuluæ opportunis remedio ſunt. Quidam tundunt acinos, coactiſq; paſtillis in uaſa reponunt, atque ita cum opus eſt utuntur.

Iunci paluſtris genera. Cap. C

DVo iunci ſumma genera, alterum læue, quod ſchœnos ἰδία Græcis, alterum acuto cacumine quod oxyſchœnos uocaſ. Rurſuſq; hoc poſterius in duas ſpecies conciditur, unam ſterilis, alteram ſemen nigrum & orbiculatum ferentis, cuius calami craſſiores carnoſioresq; ſunt. Inuenitur et tertiũ genus utroq; aſperius, & calloſius, appellatum holoſchœnos, ſemine ſimili. Iuncus Theophraſto in multa faſtigia digeritur. Sterilem maſculum exiſtimant, fœcundum fœminam. Is qui ſemen nigrum habet melancranis, quaſi iuncus atriceps appellatur. Hic ſine alijs generibus ex ſuo naſcitur ſemine, ſicut is quem marem nominamus ex ſemetipſo, cacumine in terrã defixo: nam oxyſchœnon & holoſchœnon eodem ceſpite contemplatũ ſe Theophraſtus & admiratum ſcribit. Omnium radices ſingulis annis intermoriuntur. Holoſchœnon *mariſcam* à magnitudine, ut puto, noſtri appellant: ut *mariſcas ficus*, quæ buffyca, hoc eſt grandiores & fatuas ficos, authore Feſto. Hic ad tegetes & omnino uitilia utiliſſimus, quoniam mollis carnoſusq; ſit. Omnino iunci uterum turgentem quodam cacuminis callo præferunt; mox cohærentia quædam uelut oua pariunt, pediculis circà ſpicaceis, in quibus uaſcula rotunda, leuiterq; hiſcentia, & in ijs ſemen nigrum cuſpidis effigie, non diſſimile aſteriſco, duntaxat exilius, radice longa, quæ craſſior multo ſit quàm maribus cognominatis. Caput cepis & gethyo ſimile, in tegumentis modice rubentibus. Tria genera iunci Plinio, acuti, ſterilis, quem oxyn Græci uocant: reliqua fœminini, ferentis ſemen nigrum, quem melancranin uocant. craſſior hic & fruticoſior. Magis etiamnum tertius, qui uocatur holoſchœnos. Ex ijs melancranis ſine alijs generibus naſcitur: oxys & holoſchœnos eodem ceſpite. Vtiliſſimus ad uitilia holoſchœnos, quia mollis et carnoſus eſt. Fert fructum uuarum cohærentium modo. Naſcitur is, quem marem appellauimus, ex ſemetipſo, cacumine in terram defixo: melancranis ſuo ſemine. alioqui omnium radices omnibus annis emoriuntur. Vſus ad naſſas marinas, uitilium nexus, elegantium lucernarum lumina, præcipua medullæ amplitudine, iuxta maritimas Alpes tanta, ut inciſo uentre impleãt penè unciarum latitudinem: in Aegypto uero cribrorum longitudinem, nõ alias utiliorem. Ob id cribrum ſignificaturi, iuncũ, ut tradit Horus Niliacus, effigiant. Idem author in Aegypto ſcribi iuncis, nec aliter, adfirmat. De iunco, quem mariſcon appellant, præcipit Mago ad texendas tegetes Iunio menſe eximi ante medium Iulium. Videtur autem paluſtris iuncus idem cum ſcirpo eſſe. Nec in frutícum, inquit Plinius, nec in ueprium cauliũmue, neq; in herbarũ, aliõue ullo quam ſuo genere numerentur iure, læui ac enodi ſtylo, in exile cacumen faſtigato, fungoſa medulla, qua ad lucernarum utuntur lumen, ut planta tota ad operiendas tegetes, neq; non contextus naſſarum, quallorum, aliorum uitilium nexus. E quibus detracto cortice candelæ luminibus ſeruiunt. Firmior etiam quibuſdam in locis rigor, namq; ijs uelificant nautæ. Piſcator in mari Africo uela intra malos ſuſpendit, & mapalia ſua Mauri tegunt. Iunco etiam paluſtri Græcos ad funes uſos, nomini credamus, quo herbam eam appellant, unde funambuli ſchœnobatæ ab ijs dicantur. Qui nauigauere in Indos Alexandri milites, ut Theophraſtus refert, iuncos lapideos uiderunt: quos nemo uiſu à ueris potuit diſcernere, enodes & ſine fronde ſcirpi, læues, proceri, ut Feſtus ait: unde prouerbiũ quoq; natum ſit, Nodum in ſcirpo quæri. Tria genera iunci apud nos inueniuntur, unus in aquis craſſitudine & magnitudine, fungoſaq; medulla inſignis, Latinis mariſcus, Græcis holoſchœnos dicitur. hic ut molliſſimus, ita ad uitilia præfertur. Alter acutus à noſtris, Græcis oxyſchœnos nominatur, ſterilis. idem & mas, qui regenerat ſe quotannis cacumine in terram defixo, ex quo cepitia radix denuo pullulat. Tertius melancranis, quaſi atriceps dicitur, fructum gerit uuarum cohærenttium modo, in quibus cuſpidatũ ſemen clauditur. hoc nihil in uliginoſis occurrit frequentius. Democritus ubi reperiatur iuncus ſubeſſe ſcaturígines aquarum, ibiq; aquilegia ſtrui poſſe teſtatur. Iunci radix in tribus heminis aquæ decocta ad tertias tuſſi medetur. Semen toſtum, & in aqua potũ ſiſtit aluum, & fœminarum menſes, capitiſq; dolores facit. At qui uocatur holoſchœnos, eius quæ proxima ſunt radicis commanducantur aduerſus araneorum morſus. Semen utriuſq; toſtum, ex diluto potum, fluentem aluum cohibet, & rubra fœminarum profluuia, capitiſq; dolores molitur. Teneri proxime radicem iuncorum partus illinuntur aduerſus phalangiorum morſus. Inuenio

uenio etiamnum unum iunci genus, quod euripicen uocant. huius semine somnum allici, sed modum seruandum ne sopor fiat.

Lichen in petris. Paronychia. Chrysocome. Chrysogonum. Cap. CI

Lichen, qui super saxa nascitur, bryon aliquibus appellatur, rorulentis petris adhæresci. Lichen nomen inuenit ab eo, cui peculiariter medetur impetigi/nis morbo: aut etiam ut puto à re ipsa nomen ducit, quoniã saxa quibus hæ/ret linguæ modo lambat. Ea est quæ omnibus tum officinis, tũ herbarijs ho/die dicitur *hepatica*, q iocinerum fibris similis cõspiciatur. siquidem ea hepa/tica asperginosis hæret saxis ut muscus, folio singulari, semper petris familiariter incũben/te. Lichen Plinio contra impetigines omnibus præfertur, inde nomine inuento. Nascitur in saxosis, folio uno ad radicem lato, caule uno, paruo, longis folijs dependentibus. hæc de let stigmata. ¶ Teritur cum melle. Hanc quoq; recẽtiores herbarij hepaticam appellant. Est & aliud genus petris tantum adhærens ut muscus. Hic sanguinem sistit uulneribus instilla tus, & collectiones illitus. Morbum quoque regium cum melle sanat ore illito & lingua. Qui ita curantur aqua salsa lauari iubentur, ungi oleo amygdalino, hortensibus abstinere. Dioscoridi lichen sanguinis profluuia sistit, inflãmationes arcet, impetigini medetur, emẽ/dat regio morbo tentatos cum melle illitus, oris & linguæ defluxiones inhibet. Nomine ut uolunt utrique inuento, quòd contra lichenas remedijs omnibus anteponitur. Herbam Apuli, cuius unum ad radicem folium haberi diximus, *iecorariam* siue *ficatellam* cognomi/nant, folio succi pleno & crassitita nominatam, quia iocineris fibræ similis aspicitur. Alia nomine eodem ostenditur, sed ab his longè diuersa, in litoribus passim nascens, & olitorio foro ieiuniorum tempore ubi nascitur uænalis, hederaceo fere folio, flore purpureo, lilij pusilli effigie. Conuoluit herba se quibus appropinquat. Ciet aluum cocta & cruda ole/ris modo accepta. Paronychia frutex est in petris pusillus, similis peplo sed breuior, quanq; folio maiore. Teritur uniuersa herba, & ad paronychia & duritias illinitur. Neu/rada & phrynion cognominari docent authores. Quid autem sit neuras muliebribus ma/lis quæsita Hippocrati non liquet. Plinius phrynion aliquibus neurada nominari tradit, quod aduersus rubetarũ ranarum uenena auxilietur, floribus paruis, in radicibus multis, neruosis, bene olentibus. Chrysocome alijs chrysanthemon, & amaranton, Romanis olim Iouis barba. palmi altitudine fruticat, comantibus corymbis, figura hyssopi, radice ueratri nigri pilosa, tenui, gustu non iniucundo, uerum dulci ex austero, cyperi magnitudi/ne, in opacis petrosisq; nascens. Chrysocome siue chrysitis Plinio latinam non habet ap/pellationem. Palmi altitudine est, comantibus fulgore auri corymbis, radice nigra, ex au/stero dulci, in petrosis opacisq; nascens. Proxime ad eam accedit quam herbarij nostri *pu/legium montanum* uocitant. siquidem ea herba palmi altitudine consurgit, comantibus hysso/pi forma corymbis, radice hirsuta, ueratri nigri modo tenui, cyperi magnitudine, gustu nõ iniucundo, ex austero dulci. in petrosis opacisq; emicat. Chrysocomes radix excalfacit & stringit. Datur in potu ad iocinerum uitia, item pulmonum. Vuluæ dolores compescit in aqua mulsa decocta. Ciet menstrua, & si cruda detur hydropicorum aquam sistit. Radix calfacit & astringit, ijs conueniens quos iecur aut pulmonis inflammatio male habet. De/cocta in aqua mulsa uuluas purgat fumentium. Chrysogonon folium habet quernum, denso frutice, florem coronarij uerbasci, radicem rapi, uehemẽter rubentem intus, foris ni/gram, quæ trita & imposita cum aceto muris aranei morsibus auxiliatur. Aliquibus chry/sogonõ ramulis albicat erectis, folio quercus diuisura, muscario uerbasci coronarij, radice tenui. nascitur in incultis. Coma eius in uino pota urinæ difficultati & uenenatorum mor/sibus subuenit, coxendicibus ruptis præsidio est, menses sistit, sanguinem in uentre aut ue/sica concretum discutit. Ea ex oxymelite pota cerebri destillationes cohibet.

Helichrysos. Chrysanthemon. Ageraton. Cap. CII

Helichrysos & chrysanthemon dicitur, quidã & amaranton uocãt, quo & deo/rum simulacra coronant, cauliculum habet tenuem, uirentem, erectum & du/rum, folia uero angusta, ex interuallis abrotono similia, comas aureæ lucis in orbem, umbella rotunda, aridis corymbis dependentibus, radicem exilem. na/scitur gracili solo conuallibus. Heliochrysos, quod aliqui chrysanthemon uo/

cant,ut Plinio placet,ramulos habet cãdidos,folia ſubalbida,abrotono ſimilia,ad ſolis repercuſſum aureæ lucis in orbem ueluti corymbis dependentibus, qui nunc̃ marceſcant. qua de cauſa deos coronãt illo. Quod diligentiſſime obſeruauit Ptolemæus rex Aegypti. Naſcitur in frutetis.Heliochryſos florem habet auro ſimilem,folium tenue,cauliculũ gracilem, ſed durum. Hoc coronare ſe magi, ſi & unguenta ſumantur ex auro, quod apyron hoc eſt ignem non expertum uocant,ad gratiam quoc̃ & gloriam arbitrantur.Floret uere cum uiola nigra,ferè comãtibus in orbem fulgore auri foliis ad ſolis repercuſſum,à quo nomẽ.Alij à uirgine Epheſia,quæ hoc flore prima coronauit Dianam. Veſtes odore commendat non ineleganti. Exiſtimationem & gloriam parere coronatis flore credidit Theophraſtus, ſi unguento ſe profundãt ex auro quod ignẽ non ſit expertum, apyron uocant. Flos auri modo fulget.Radix ſummo terræ corio innixa, folio candido, caule tenui & duro.Hanc amaranti nomine Galenus intelligit, nec aliter uocauit.Corymbos eius nunquã marceſcere Plinius ſcriptum reliquit,inde Græcis tracta putatur amaranti appellatio.Philoſtratus ex amarãto ſepulturas quoc̃ coronari ſolitas adfirmat, idc̃ Theſſalos inſtituiſſe primos ad tumulũ Achillis. Tam ſimilis eſt,ut doctiſſimis placere uideo, buphthalmo, ut nihil ab eo differre exiſtiment. Proxime mihi accedere uidetur ad eam quam officinæ *cotulam maiorem* ſimplici ratione uocant, non illam fœtentem minuſculam intelligentes, de qua ſuprà dictum eſt. Rura noſtra *chaneſum maius*. nanc̃ ea gracili ſolo conuallibus inuenitur,foliis abrotono ſimilibus, ex interuallo anguſtis, cauliculo uirente, ramulis tenuibus, aureo & immortali flore cacuminatis,umbella in orbem radiata,uelut aridis corymbis dependentibus,radice per ſumma ceſpitum exili. Ruſtici apud nos corymbos,ut qui non facile marceſcant,ad hybernas reſeruant coronas.Ii ſiquidem ſertis intexti ſplendentes auri fulgore extuberãtesc̃ bullulas imitantur.Magnũ decorem uenuſtatemc̃ corollis puellaribus per hyemẽ immortali floris corymbo præbent,cæterisc̃ temporibus anni in eiſdem magnam ſuis tuberibus ampulloſis,aurea luce ad ſolis repercuſſum micantibus,adferunt gratiam.Ciet urinas è uino pota & mẽſes. Duritias & inflammationes diſcutit.Ambuſtis cum melle imponitur.Contra ſerpentium ictus & lumborum uitia bibitur. Sanguinẽ concretum uentris ac ueſicæ abſumit cum mulſo. Folia eius trium obolorum pondere ſiſtunt profluuia mulierũ in uino albo. Veſtes tuetur odore non ineleganti.Difficiles urinas ciet, ut teſtatur Dioſcorides, coma in uino ſumpta: ſic & cõtra ſerpentium ictus & coxẽdicum uitia bibitur,item ad rupta.Menſes eadem trahit.Sanguinem in ueſica & uentre concretũ digerit in mulſo. Deſtillationes trium obolorum pondere cum uino diluto ſumentibus ieiunis arcet. Inſerta ueſtibus ab animaliũ noxis tuetur. Chryſanthemon,ſiue chalcas, chalcanthemon,& buphthalmos,quaſi oculus bouis dicitur.Herba eſt teneritudinis fruticoſæ,læuibus cauliculis,folio conſecto,floribus luteis,multum ſplendẽtibus, oculi modo in orbem circumactis, inde inuento buphthalmi nomine. naſcitur circa oppida. Chryſanthemos multis nec forma, nec uiribus à buphthalmo ſuperius indicata differre creditur, uerba tantum eſſe mutata manẽte eodem ſenſu, ſic ut ne Dioſcoridis quidem exiſtimetur caput ſaltem à buphthalmo diſcretum. Cæterum chryſanthemon tenera traditur hic herba,læues ferens cauliculos,& multifida folia,flores ſupra modum ſplendentes luteos, orbem imitãtes oculi,unde traxit nomen.Buphthalmo cauliculi teneri mollesc̃ tribuunt,folia fœniculi,flos luteus anthemide maior,oculi ſimilitudine,inde buphthalmi,quaſi grandis oculi nomen retulit. Nomenclaturæ item euariant. Inciſura tantum foliorum, florum inſtar oculi in orbem circinatio, chryſanthemo diſcrimen adferunt. Folia fœniculi buphthalmo redduntur,quæ conciſa non ſunt,ſed in capillamenti ſpeciem extenuata. Vtrique flos oculari ſpecie luteus tradit, buphthalmo maior anthemide, huic chryſanthemo multo ſplendore nitens. Quæ hactenus in muris horti noſtri creuit hac facie cernitur:folio digitum lato,altis ſinuato crenis,læuibus cauliculis, flore oculum imitante,cingentibus orbem luteis foliis elegãti nitore lucentibus. Democritus chryſanthemon batrachion, id eſt ranunculum appellari ſcripſit iſs uerbis: Chryſanthemon fert folia apij,maiora,florem auri colore ſplendentem.Herbæ totius proceritas ſeſquipedem non excedit. Vbi naſcitur aquam ſubeſſe ſignum habent aquileges. Chryſanthemon ex uino ſumptum calculos eijcit. Flores cum cerato triti ſteatomata diſcutere dicuntur. Arquatis coloris hilaritatem

reddunt

reddunt utique ad tempus, si à balnearum egressu post longiorem moram ebibantur.

Ageraton in palmeam altitudinẽ adolescit, humilis alioqui herba, & omnino simplex, nõ dissimilis origano, umbellas gerens, in quibus flos colore aureo, ampullaceus, minorq; helichryso. Tulitq; id nominis ex eo, quòd flores suos diu cõseruet incolumes. Heliochryso minor est, humilis, simplex, umbellam sustinẽs, in qua flos bullis aureis emicat, qui non senescat diutissime in sua coloris specie conseruatus, à quo agerati nomen deductum est. Reliqua facie origanum æmulatur. Vis decocti feruens. Herba uel suffitu etiam urinas elicit. Vuluarum quoq; duritias emollit.

Peristereon, uerbenaca recta. Cap. CIII

Peristereon Romani cristam gallinaceam uocãt, alij trixalidem et exuperam. nascitur in aquosis. Nomẽ inditum à columbis, qui in ea uersari plurimum gaudeant. Herba est altitudinis palmi, aliquando etiam maioris, folia incisa, subalbida, erumpẽtia è caule, qui ei unus parte plurima est, quemadmodum & radix una. Dioscorides duo facit genera, rectum & supinum. Plinius marem & fœminam. foliosa, quam fœminã putant: mas rarioribus foliis. ramuli utriusq; plures, tenues, cubitales, anguloſi, folia minora quàm quercus, angustioraq;, diuisuris maiori bus, flos glaucus, radix longa, tenuis. nascitur ubiq; in planis aquosis. Quidam non distinguunt, sed unum omnino genus faciũt, quoniam utraq; eosdem effectus habeat. Vtraq; sortiuntur Galli, & præcinũt responsa. Hac peruncto magi putãt impetrare quæ uelint, amicitias conciliare, nulli nõ morbo mederi: colligi circa Canis ortum debere, ita ne luna aut sol conspiciatur, fauis ante & melle terræ ad piamentum datis: circumscriptam ferro effodi sinistra manu, & in sublime tolli: siccari in umbra folia, caulem & radicẽ. Aiunt, si aqua conspergatur triclinium qua maduerit, lætiores conuictus fieri. Diuisurę foliorum utriusque, similes quidem omnino quernis, sed maiores. Rectum erui præcipitur sole Arietis signum meante. Peristereon Græcis uocata, quòd columbæ in ea mansitent, unde columbaris quoq; uocatur, Latinis uerbena & uerbenaca. Nulla tamen plus Romanæ nobilitatis habet, quàm hierobotane, aliqui peristereon, nostri uerbenacam uocãt. Verbenam porro & sagmina Romani, hoc est gramen ex loco sacro, præsertim ex arce Capitolij, cum sua terra euulsum, in publicis remedijs, & in sacris legationibus, cum ad hostem clarigatumq; mitterentur, ferebant, coronatis ita fecialibus, et patre patrato, uel fœdera facturis, uel bella indicturis. Sed omnes quoq; frondes sacratas purasq; uerbenas per abusionem uocabant. Hac & Iouis mẽsa uerrebatur, domus purgabatur lustrabaturq;. Gallis hodie nostris *ueruena* nominatur, multis statim ab radice tripedaneis anguloſisque coliculis, coma subtus incana, nec folio querno dissimili, nisi quòd minor est & angustior, profundioribusq; diuisuris, flosculo ex albore & purpura uersicolore, stirpe alta, exili. prouenit in campestribus aquosis ubique. Sed duo genera traduntur, unum semper humi supine procumbens: alterum erectis ramulis assurgens. Peristereon supinus Romanis olim cincinnalis diceba tur. rami eius cubitales maioresq;, anguloſi, circa quos folia sunt minora quàm quercus an gustioraq;, diuisuris per oram similibus, colore subglauco, radice longiuscula, tenui, flore purpureo, exili. Peristereon hyptios, id est supina uerbenaca frequentior est quàm recta, quo fit ut latissimus sit quorundam error, existimantium uerbenacam priorem esse quam olitores *orualam*, uel *totam bonam* modo uocant, folio marrubij multo maiore, serratoq; in modum cristæ, flos spicaceus, è cæruleo purpureus, odorata tota & uulgaris: de qua ueteres alioqui nihil scripsisse uehementer mirantur, nisi quis alectorolophon, id est cristã gallinaceam interpretetur. Alectorolophos, inquit Plinius, folia habet similia cristæ gallinaceæ, caulem tenuem, & semen nigrum in siliquis: uerum *orualæ* semen non in siliquis, sed in capitulatis et hiãtibus folliculis: caulis itẽ ei tenuis nõ est, sed crassus & quadratus. quã quam semen adhuc hodie ad eadem usurpetur quę Plinius ipse refert. Solidũ semẽ in oculum conijcitur, nec turbat, sed in se caliginem cõtrahit. mutat enim colorem, ex nigro albicare incipit & intumescit ac exit. Sed iam suprà docuimus horminum esse, nõ cerale illud de quo inter segetes meminit Plinius, sed olitorium & hortense, cuius Plinius nullam fecit mentionem, sed tantum sylueſtris. Potius esset dicendũ, alectorolophon Plinij semine, siliqua, folio, & effectu respõdere hortensi horminо Dioscoridis. Verbenaca aduersus ser

pentes conteritur ex uino. Omnibus uiſceribus medetur, lateribus, pulmonibus, iocinerib⁹, thoraci: peculiariter aũt & quos ab ijs phthiſis tentat. Dyſenterias emendat ex aqua data carentibus febre, aut ex uino Aminæo cochlearibus quinq;, additis in cyathis tribus uini. Folijs decocta ad tertias, uel radix eius è mulſo calido, calculos eijcit. Ad calculos quidam uerbenacã, millefoliũ, betonicã æquis portionibus pro ſingulari remedio bibere ſuadent. Cum plantagine digitorũ uitijs omnibus & priuatim pterigijs medetur. Comitiales ex uino pota ſanat. Ex axungia trita pernionibus prodeſt. Clauos pedũ extrahit ex uino. Podagrę rubenti, hoc eſt calidę medet illita, aut ſi pedes macerent in eius decocto. Faſciculo manus plenæ decocta in aqua ad dimidias hydropicos ſanat. Regius morbus impugnatur uerbenacæ folio obolis tribus in uini calidi hemina quatriduo. Iumentorũ febribus in uino medetur. Vetera explet ulcera. Vulneribus et priuatim ijs quæ calciamẽto facta ſunt utiliſſima. Radix pota ex aqua ad omnia in partu, uel ex partu mala, præſtãtiſſima eſt. Rectæ uerbenacæ folijs Dioſcoridi cũ cera roſacea uel ſuillo adipe recenti impoſitis uuluę dolores ſiniuntur: ignes ſacri cũ aceto illitis placãtur. Putreſcentia cohibentur ulcera. Solidescunt & ad cicatricẽ perducuntur uetera ex melle. Supina uero regium morbum folio drachmæ pondere cũ thuris polline obolis tribus ex uini ueteris hemina quadragenis diebus impugnat ieiunis dato. Veteres tumores collectionesq; folia mitigant, ſordida purgant ulcera. Tota herba uino incocta tonſillarũ cruſtas rũpit, nomas oris gargariſſatu emẽdat. Sparſo aqua triclinio qua maduerit, lætiores cõuictus fieri traduntur. Febribus medetur tertianis tertiũ cum circũſtantibus folijs geniculũ: quartanis, quartum datur bibendũ. Hieran botanen, hoc eſt ſacram herbã uocãt. Authoritasq; ei nominis addita, quoniam multum ad domorũ expiationes, & luſtrationes commendetur ſuſpenſa uel adalligata.

Aſtragalus. Hyacinthus. Cap. CIIII

Astragalus, Romanis talus, glãdula, ficus terræ dicitur, frutex humilis, ramo & folio ciceris, flore paruo, purpureo, radice rotũda, raphani modo prælonga, nigris alijs adnaſcẽtibus præduris, & implicatis ut cornua, guſtu ſpiſſante. naſcitur in apricis uentoſis, niualibus, ad Pheneum Arcadiæ plurima. Aſtragalus aliter à Plinio deſcribitur, folio longo, inciſuris multis, obliquis circa radicem. caules terni aut quaterni foliorũ pleni, flores hyacinthi, radices uilloſæ, implicatæ, rubentes, præduræ. naſcitur in petroſis, apricis & ijſdem niualibus, ſicut in Phæneo Arcadiæ. Colligitur exitu autumni cum folia amiſerit, ſiccatur in umbra. Quæ uero à Dioſcoride depingitur, folia non habet crebris inciſuris laciniоſa, nec radices hirſutas perplexasq;, natalibus tamen conueniunt. Galenus & Paulus in Pheneo Arcadiæ plurimam naſci teſtãtur. Aſtragalus qui à Dioſcoride deſcribitur, frequẽs eſt apud nos. Rura noſtra *montanum* uel *ruſticum cicer* nominãt, fruticem folio & ramis ciceri ſimilem, flore purpureo, paruo, tereti radice, raphani modo grandi, quæ uelut adnatas habet appẽdices præduras, ueluti cornua inter ſeſe implicatas, guſtu aſtringentes. Inuenitur in petroſis & locis uento perflatis, cicerculam eſſe diceres, niſi radix tãta ſubeſſet. Vulgus nõnuſquam *ſylueſtres cerras* uocat, hoc eſt cicerculas. Vis aſtragalo ad ſpiſſanda corpora. Aluũ ſiſtit radix in uino pota, quo fit ut moueat urinam repercuſſo liquore, ſicut pleraq; quæ aluum ſiſtunt. Sanat dyſentericos in uino rubro tuſa, difficile autem tunditur. Eadem gingiuarum ſuppurationi utiliſſima eſt fotu. Radix ſanguinẽ ſiſtit, in nares ſi inde fluat indita. Eadem in puluerem trita humidis ulceribus prodeſt. Recentia uulnera & uetera quoq; purgat. Radix in uino pota fluxiones aluí compeſcit, urinam ciet. Arida uetuſtis ulceribus illinitur, ſanguinẽ cohibet. Aegrè propter duritiam tũditur. Hyacinthus, Romani uaccinium, folium habet bulbi, caulem palmeum, læuem tenuioremq; digito minimo, coloris herbacei, comam iacentem, incuruam, plenam floris purpurei, radice bulbacea. Hyacinthi cum uiola nigra erumpunt uere, ſed ante roſam, ut fere omnia quæ in coronas à montibus petũtur. Exeunt cum gladiolo, cæterũ hyacinthus maxime durat. In Gallia eximie prouenit. Hoc inibi pro cocco hyſginum tingitur. Nec hyacinthinus colos ex hoc tantum hyacintho, ut fere creditur, ſed è uiola quoq; quæ ſylueſtris dicitur hyacinthus, traxiſſe nomen Plinio uidetur: niſi quis in eo ianthinum malit quàm hyacinthum legere, ut Martialis,

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ.

Hyacinthi

Hyacinthi & albi & ferruginei, hoc est cęrulei uisuntur. Florem hunc comitatur fabula du plex, luctum præferens eius quem Apollo dilexerat: aut ex Aiacis cruore æditum, ita dis/ currentibus uenis, ut græcarum literarum figura AI legatur inscripta. Pausanias florem, qui natus est extincto Aiace, apud Salamina credi refert æditum primo, nec hyacinthum, sed literis hyacintho similem, ex candido rubentem, ac lilio minorem. Idem author cosmo sandalon dici florem apud Hermionenses, quem ipse hyacinthum interpretari uidetur: eo flore coronatos festa, quę Chthonia uocant, agere. Hyacinthum à Romanis appellari uac cinio testis est Dioscorides, nec ab eo longè discedit Plinius. Vaccinia, inquit, aucupijs Ita liæ seruntur, Galliæ purpurea tingendis seruorũ uestibus. Nam Galli herbis tyrium atq; conchylio tingebãt olim omesq; alios colores: sed hyacinthus in Gallia eximie prouenit. hoc ibi pro cocco hysginũ tingitur. Sed qui uolũt sil Atticũ imitari, si Vitruuio credimus, uiolam aridã in uas cum aqua cõferuescere faciunt ad ignem, deinde manibus exprimen/ tes aquam ex uiolis coloratã recipiunt in mortariũ, & eretriam infusam terentes efficiunt silis Attici colorem. Eadem ratione uaccinio temperantes, & hac miscentes, purpuram fa/ ciunt elegantẽ. Est autem hysginus color, à quo uestes hysginobaphes, hoc tinctas colore nominãt. Falso, ut arbitror, Seruio accusant, qui uaccinio pro hyacintho Maroni acceptũ in carmine adfirmarit. Nec obstat q nigra dicat poeta, quando purpureã quoq; uiolam, ni gram uocare soleant authores. Frequens apud nos hyacinthus, quẽ florem rura hodie *uacietum* appellãt, in quo pristini uocabuli quædam rudimenta relucent, quasi uaccinũ & uac cinium innuant, herbam ipsam *nemoralem* uel *agrestem cepam*. nam folia habet bulbi, palma/ rem cauliculũ, minimo digito tenuiorem, herbaceũ, comam procumbentẽ, florum purpu/ reorum plenã, incuruã, radicem bulbaceã. Radix mãgonicis uænalitijs pulchre nota, quæ in uino dulci illita pubertatẽ coercet, & nõ patitur erumpere. Torminibus & araneorum morsibus resistit, urinã impellit. Contra serpẽtes & scorpiones, morbũq; regiũ semen eius cũ abrotono datur. Pueris, ut Dioscoridi creditur, illita eos mãgonizat, ita ut silens puber tas nõ erumpat. Sistit aluũ, pota urinã impellit, phalangiorũ morsibus aduersatur. Semen magis astringit, theriacis quæsitum. Regium morbũ emendat in uino potum.

Papauer rhœas. Papauer satiuum. Cap. CV

PApauer rhœas nomen accepit à flore, qui protinus ei deciduus est. In aruis cum hordeo maxime nascitur uere, cum & decerpitur. Folium ei origano si/ mile, aut erucæ, aut intybo erratico, aut thymo, incisum, sed longius & sca/ brius, caule iunceo, aspero, cubitali, recto, flore rubro, interdũ candido, simi/ li anemonæ. Caput oblongũ, sed q; anemones minus. semẽ rufum, radix lon ga, subcandida, minoris digiti crassitudine, amara. Papauer rhœam, Latini uocant errati/ cum, sponte quidem sed in aruis, ut ait Plinius, cum hordeo nascitur, erucæ simile, cubitali altitudine, flore rufo, protinus deciduo, unde nomẽ à græcis accepit. Inter satiua est & syl/ uestria mediũ genus, quod nisi in aruis esset, sponte nasceretur, rhœam id uocamus & er/ raticum. Non absimile, ut Theophrastus scribit, intubo erratico, ideo uenit in ciborum u/ sum. In aruis inter hordeum nascitur flore rufo, capite pollicaris unguis magnitudine. Le gitur ante hordei messem uiridiusculum. Admonendi tamen sumus, rhœadis cognomen to & alia quoque genera uenire solita, quoniam breui flores decidant. Hoc genus offici/ næ *papauer rubrum*, rura *cocolurdas* appellant. folio erucæ, laciniato, scabro, iunceo caule, recto, cubitali, aspero, flore syluestris anemones, puniceo, nonnunquam albo, oblongo capite, semine rufo, radice longa, subalbida, minoris digiti crassitudine, gustu amara. Qui dam id decerptum cum toto calyce mandunt. Aluum inaniunt capita quinque decocta: in uini tribus heminis pota somnum faciunt. Quina senáue in tribus uini cyathis bibun/ tur contra uigilias ut somnos accersant. Semen acetabuli mensura potum aluum modice mollit: ad quẽ usum placentis libisq; interponitur. Folia cũ calycibus illita inflãmationes sanant. Ipsa quoq; aqua in qua maduerint ora fouentur, ad alliciendum somnũ. Papauer satiuũ. huius semẽ inspargitur panibus sanitatis usu, editurq; pro sesama cum melle, thyla/ citin appellãt, capite oblongo, semine cãdido. Alterũ genus syluestre calycem sustinet insi dentẽ, nigro semine, quod pithitin cognominãt, aliqui etiã rhœada, quoniã succus ex eo in ciso defluat. Est & tertiũ genus syluestrius, medicatius, & ceteris procerius, calycib: lõgis.

Satiui tria obseruant genera. Vnum cuius semen tostū in secunda mensa bellarij loco edebatur. Hoc & panis rustici crustæ inspargitur infuso ouo inhærēs, ubi inferiorem crustam apio aut gith cereali sapore condiunt. Alterum genus papaueris nigrum, cuius scapo incisō lacteus exprimitur succus. Tertium genus rhœam, de quo diximus paulo ante: quanq; nisi matureſceret, edomitum existimari nullo modo posset. Satiuum omne magis rotūdat capita. Id sylueſtri longum ac pusillum, ad effectus omnes ualentius. Optimū in siccis, ubi raro pluit. Vere, ut linum, papauer seritur. Vnū hoc erit idem tempus lino & papaueri serendo. Cato de papauere ita tradit, Sarmenta quæ in satione tibi superant cōburito, ibi papauer sylueſtre serito, quod miro usu est melle decoctum ad faucium remedia: uisq; somnifera etiam satiuo. Seritur autumno & uere. Papauer & anethū eandem habēt cōditionem sationis, quam atriplex. Februario sicuti Nouembri seritur, Septembri etiam locis calidis & siccis, cum alijs oleribus. Fertur utilius prouenire ubi uirgæ & sarmenta combusta sunt. Papauer uulgus Gallicum *pauotum* uocitat, aliàs *olietam*, foliis pallidis, rotundis, per ambitum corrugatis, nulloq; pediculo adhærētibus, flore ex cādido leniter puniceo, alabastris serrato operculo clausis, in quibus atrum semen. Alterum etiam maius, foliis lōgis sinuosisq;, seminis candore à priore distans. Satiui papaueris semen, ut Galenus scriptum reliquit, panibus utiliter ut sesamum inspergitur, ad quem usum candidum prefertur. Refrigerandi naturā habet, quapropter somnum cōciliat: si tamen plus iusto sumeretur, soporem pareret. Aegre coquitur. Tussim pulmonum ac thoracis uitio concitatā cōpescit. Acutas à capite defluxiones arcet, sed nullū effatu dignū corpori ministrat alimentū. Satiui calyx è uino bibitur somni causa. Semen elephātiasi medetur. E nigro papauere sopor gignitur. Cum turgescit hora diei sereni, hoc est cū ros in eo exaruit, inciditur sub capite & calyce, nec alio in genere ipsum inciditur caput. Succus lana excipitur, uel ungue pollicis, si exiguus est, ut lactucis. Et postero die magis quod inaruit, largus densat, & in pastillos in umbra siccatur, non ui soporifera modo, uerūetiam si copiosior hauriatur, mortifera per somnum, opion uocant. Audiuimus quosdam, cum ualetudo impatibilis, odium uitæ fecisset, hoc succo sibi mortem cōsciuisse. Erasistratus in totum usum damnauit, ut lethiferū infundi uetans, præterea quoniā uisui noceret. Verum postea usus non improbatus est medicamento nobili quod diacodion uocant. Semine eius trito in pastillos è lacte utuntur ad somnum, item ad capitis dolores cū rosaceo. Cum hoc auriū dolori instillatur. Podagris illinitur cum lacte mulierū. Sic & foliis ipsis utuntur, item ad ignes sacros, & uulnera cū aceto. Nigrū cœliacis in uino datur. Satiuū decoquitur, & bibitur cōtra uigilias, eadēq; aqua fouent ora. Cū capita ipsa & folia decoquūtur, succus meconiū uocatur, multo opio ignauior. Experimentū opij primum in odore, syncerū perpeti nō est: mox in lucernis, ut pura luceat flāma, ut extinctū demum oleat, quæ in fucato nō eueniunt. Accendit quoq; difficilius, & crebro extinguitur. Est syncerī experimentū & in aqua, quia nebula innatat. Aestiuo sole sudat, & se diluit donec simile recenti succo fiat, fictum in pustulas coit. Mnesicles optimè seruari putat hyoscyami semine adiecto, alij in faba. Adulterat hoc Alexādriæ. Refrigerādi omnibus uis ut Dioscorides perhibet: proinde folia et calyces decoquunt in aqua, ut fotu somnū accersant. Bibit decoctū contra peruigilia. Calyces triti et illiti cum polenta ignes sacros restingūt, collectiones refrigerāt. Tunduntur aūt uirētes, mox in pastillos coguntur, qui siccati reponunt ad usum. Capita quoq; in aqua coquunt ad dimidias, iterūq; adiecto melle, quoad in eclegmatis lentore spissescat. Id medicamentū tussibus, fluxionib. faucīū, cœliacis affectibus opitulat, dolores sopiens. Efficacius tamen reddit addito hypocisthidis succo & acacię. Semen uero papaueris nigri tritū bibitur ad citam aluū, & profluuia mulierū. Cōtra uigilias ex aqua tēporibus & fronti illitū prodest. Succus eius maiore ui refrigerat, inspissat et siccat. Is erui magnitudine haustus somnifica ui dolores finit, concoquit, & somnū allicit, tussi & aluinis auxiliatur: largior nocet, lethargū em facit & iugulat. Idem cū rosaceo ad dolores capitis infunditur. Auriū uero doloribus cū amygdalino, croco & myrrha instillatur. Ad epiphoras oculorum cum luteo ouī tosto utuntur, item ad ignes sacros, & uulnera cum aceto. Podagras refrigerat cum lacte mulierum & croco. Additus in sedem pro balano somnum conciliat. Optimus intelligitur densus & grauis, & qui soporem odore mox pariat, gustu amarus, & aqua facile liquescens. Probatur in eo

læuor &

læuor & candor, ſcabritia damnatur & coloſtratio, & qui ſubinde cum percolatur coit ut cera. Experimentum & illud ſynceri habetur, ut ſole poſitus diluat ſeſe: utq; in lucernis accenſo pura luceat flamma, extinctusq; demum oleat. Adulterant glaucio & gummi, & lactucæ ſylueſtris ſucco. Fucatus glaucio cum diſſoluitur, croci reddit colorẽ. Quem uitiauit lactuca, exiliter & euanidum ſpirat, & maiorem præfert aſperitatem. Cui dolus à gummi contractus eſt, elanguidus translucensq; ſpectatur. Nonnulli tam impudenti ſunt ingenio, ut ſeuum quoq; permiſceant. Fictili nouo torretur medicamentis oculorum, donec emolleſcat & ruſior uideatur. Magna inter authores concertatio extitit. Diagoras, ut Eraſiſtratus memoriæ prodidit, uſum eius damnauit, oculorũ lippitudinibus, & aurium uitijs infundi uetãs: quoniã uiſui noceret oculorũ aciem hebetans, & ſoporem crearet. Addidit Andreas illitos eo protinus excæcari, ſi non adulteraretẽ. Mneſidemus olfactu tenus uſum conceſſit, ad ſomnũ odore illo querendũ, cętero uelut noxio nobis interdixit. Quibus ſententijs reclamat experientia, multis euentis utilitatem huius rei teſtantibus: proinde non fuerit alienum modum ſubſcribere, quo ſuccum excipiant. Is duplex eſt, quidam calyces & folia tundunt, exprimuntq; prelo: mox in mortariũ terentes digerũt in paſtillos. hoc genus ſuccí meconium uocatur, opio longè ignauius. Porrò opij colligendi ratio hæc eſt, Simul ac rores exaruerunt, circũſcribi cultello caput ipſum debet eo manus libramento, ne plaga intus penetret. Cæterũ calyces ſumma cute decuſſatim incidendi, ita ut lachrymam erumpentẽ ſubiectus unguis in mytulũ corriuet. Digreſſis alioqui non multo poſt redeundum, ut quod è uulnere profluxit concretum denſatumq; reperiatur. poſtero die ſimiliter agendum. Tritum hoc ueteri pila, & in orbiculos diuiſum reconditur. Cum ſcapus incidítur retrocedendũ hinc eſt, ne legulorum ueſtes manans inde lac detergeant.

Papauer ceratitis, corniculatum. Papauer aphrodes. Hypecoon. Cap. CVI

PApauer ceratitis folia habet candida, tenuia, hirſuta, uerbaſco ſimilia, ſerrato ambitu papaueris modo ſylueſtris, cui nec caulem quoq; obtinet diſſimilẽ, flore pallido, calyce puſillo, inflexo ut cornicula, effigie fœnigræci, à quo nomen habuit. ſemen exile, nigrũ quale papaueris, radice per ſumma ceſpitum ſublimi, craſſa. naſcitur in afflatu maris ſolo gracili. Sylueſtrium genus unum ceratitin uocant nigrum, ut ait Plinius, cubitali altitudine, radice craſſa & corticoſa, calyculo inflexo ut cornicula, folia minora & tenuiora cęteris ſylueſtribus, ſemen exile. tempeſtiuum eſt meſſibus. Theophraſtus ceratitin, hoc ex cornicularium papauer ſylueſtre tradit eſſe, cubitali altitudine, folio uerbaſci nigri, minus atro, radice breui, per ſumma ceſpitum corticoſa, calyce inflexo ut cornicula. legitur circa meſſes. Aluum deijcit, albugines cuibus delet. naſcit iuxta mare ſaxoſis locis. Hoc genus officinæ *cornutum papauer*, herbarij quidam haud proprie *memitham* nominant: folio nigri uerbaſci ſed minore, & ſylueſtrium more ſerrato, caule ſeſquipedali, flore cęſio, inflexo cauliculo ut ſiliquæ fœnigræci, in quo ſemen exile, luteum: radice craſſa, breui, corticoſa, per ſumma ceſpitum ſparſa. naſcitur in maris afflatu, aut nitroſo loco. Quidam hoc genus glaucion uocant, alij paralion, ſed perperam. Aluum purgat dimidio acetabulo in mulſo. Folia trita cum oleo argemas iumentorum ſanant. Radix acetabuli menſura cocta in duobus aquæ ſextarijs ad dimidias, datur ad lumborum uitia & iocineris. Carbunculis medentur ex melle folia. Radix Dioſcoridi ad dimidias cocta datur ad lumborum uitia & iocineris: item ad eos qui craſſas, araneoſas & aſperas urinas faciunt. Aluum leniter purgat ſemine acetabulo in aqua mulſa poto. Vlcera emarginant folia & flores ex oleo impoſiti: iumentorum argemas emendant, & nubeculas. Non differendo eorũ errore, qui glaucion putarunt ex hoc naſci papauere, foliorum ſimilitudine decepti. Eſt & papauer quod aphrodes, quaſi ſpumeũ cognominãt, uocatur ab alijs heraclion, caulem habens palmi altitudine, folijs uehemẽter exiguis, & ſtruthio, hoc eſt radiculæ ſimilibus, fructu iuxta ea candido. Tota herba colore cãdido ſpectatur & ſpumea. Radix quoq; alba in ſumma terræ cute. Theophraſtus papauer ꝗd heracleon nuncupat, foliũ inquit habet quale ſtruthos, quo candorẽ linis tribuũt, radice in ſummo terrę ceſpite. Radix ſupne purgationẽ ciet. Cõtra comitialẽ morbum ea cũ uino mulſo utunt. Plinius alterũ è ſylueſtribus generibus heracleon uocari tradit, alijs aphrodes, folijs ſi procul intuearis ſpeciẽ paſſerũ repſentantibus, radice in ſumma

terræ cu-

terræ cute,ſemine ſpumeo.ex hoc lina ſplendorem contrahunt æſtate.Cęterum folia Dioſcoridi ſimilia ſunt herbæ radiculæ quam ſtruthion Græci uocãt:Theophraſtoq; ſtrutho, quo lina candefaciunt, quam eſſe radiculã nemini dubium eſt. nam lanis lauandis aptiſſima eſt,curans eas & cõferens candore mollitiaq;. Plinius q; ſtruthion paſſerem ſignificat, folia ſpeciem paſſerũ repræſentare tradit: quare non de radicula ſed paſſeribus intellexit, quamuis ex eo papauere lina inquit ſplendorem trahunt æſtate. Si tamen quis oculis exacte cõtempletur,inuenit papauer hoc ſpumeum radiculæ ſpeciem nõ paſſerũ præbere.Siquidẽ ſpumoſum, ſiue herculeũ papauer herba cernitur candicãs, folio lanariæ,caule palmeo,ſemine albo, radice ſummo terræ corio nixa. Tunditur in pila comitialibus morbis acetabuli menſura in uino albo, uomitiones enim facit,medicamento quod diacodion & aſteriace uocatur utiliſſimũ. Fit autem huius papaueris,aut cuiuſcũq; ſylueſtris capitibus centum & uiginti in aquæ cæleſtis ſextarijs tribus biduo maceratis, in eademq; decoctis, deinde ſiccatis,iterumq; cũ melle decoctis ad dimidias partes uapore tenui.Addidere poſtea drachmas ſenas croci,hypociſthidis,thuris,acaciæ,& paſſi Cretici ſextarium.Aetius papauer hoc,ut arbitror,intelligit,cum mecaphroditon commendat,herbam contra uiperas in potu præbens,fortaſſe quia uomitionibus probetur. Semen huius ſpumoſi papaueris, prius q; perfecte adoleuerit æſtatibus, inareſcensq; deciderit,colligunt. Hoc acetabuli mẽſura cum aqua mulſa uomitiones elicit,quod genus priuatim ualet ad morbos comitiales. Quartũ genus tithymalon mecona uocant, alij paralion,folio læui,albo capite,magnitudine fabæ.Colligitur uua florente,ſiccatur in umbra. Semen potum trahit aluum dimidio acetabulo in mulſo.Cuiuſcũq; aũt papaueris caput uiride uel ſiccum illitum oculorum epiphoras lenit.Opion ſi ex uino meracuto protinus detur ſcorpionũ ictibus reſiſtit. Aliqui hoc tantũ nigro tribuunt, ſi capita eius uel folia terantur. Hypecoon,alijs hypopheon in ſegetibus aruiſq; naſcitur,folijs rutæ,ramis exiguis. Natura eius eadem quæ papaueris lacti.

Hyoſcyamos,apollinaris. Cap. CVII

Yoſcyamos Romanis apollinaris dicta, frutex caulibus craſſis, folijs latis, oblongis,cõciſis,nigris.ſecundum uero caulem ordine prodeunt flores ſpecie cytinorũ mali punici clypeolis ſemine plenis. Tria huius genera, unum floribus ferè purpureis,folio ſmilacis,nigro ſemine,cytinis duriuſculis et ſpinoſis. Alterum floribus effigie mali, folijs & folliculis ſimplicioribus,ſemine irionis ſubflauo,utrunque inſaniam pariens, capitisq; uertigines ac ſoporẽ,proinde abdicantur uſu.Recepere tertium medici placidiſſimum, pinguius cæteris,molle,lanuginoſum,floris & ſeminis cãdidi,naſcens in maritimis & ruderibus. Quòd ſi occaſio huius nõ ſit,utendum erit flauo: nigrum cauetur ut deterrimũ.Herculi eam herbam aſcribunt,quę apollinaris,apud Arabas altercum ſiue altercangenum,apud græcos hyoſcyamos appellatur.Plura eius genera Plinio, unũ nigro ſemine,folijs penè purpureis,ſpinoſum.tale naſcitur in Galatia. Vulgare autem candidius eſt, fruticoſius,altius papauere. Tertij ſemen irionis ſemini ſimile,omnia inſaniam gignẽtia,capitisq; uertigines. Quartum genus molle,lanuginoſum,pinguius cæteris,candidi ſeminis, in maritimis naſcens.hoc recepere medici,item rufi ſeminis.Nonnunquam ante candidum rufeſcit, ſi non ematuruit, improbaturq;:alioqui nullum niſi quum inaruerit,legitur. Natura uini,ideo mentem caputq; infeſtans.Hyoſcyamon Græci uidentur appellare quaſi fabam ſuillam,propterea quòd,ut Helianus inquit, paſtu huius herbæ reſoluantur & conuellantur apri:ſed remedium nouere, aquas enim ſtatim adeunt,& cancros uenantur,atq; ita protinus ſaluti reſtituũtur.Scribonius Largus altercũ Græcis hyoſcyamon uocari ſcribit, qui biberint caput graue ueniſq; diſtentũ habẽt, mentemq; abalienãtur cum quadam uerborũ altercatione. inde hoc nomen herba trahit altercum.Sic latinam reddit originem,quanquam altercum apud Arabas uocari Plinius teſtetur.Officinę *iuſquiamum* hodie nominãt in Gallia,permulti *hanebanam*. Hanebana frutex eſt herbaceus, triſti aſpectu, folio longo,lato, pingui,hirſuto, uenoſo, laciniato,caulibus craſſis,è quorũ latere flores ordine prodeũt tanq; punicorum cytini,muricatis calycibus,ramos continua ſerie ueſtientibus,ſemine intus papaueris refertis.Genus illud lanuginoſum,molle,pinguius, ſubluteo colore,ſucculentum, flore lacteo, concolori ſemine, *album* nominant.in maritimis inuenitur. Cætera paſſim ut genus hoc flore purpureo,atro

reo,atro ſemine,calyculis durioribus,aculeatis.hoc *nigrum* herbarij dicunt. Tertium flore luteo,ſubrufo ſemine,ſimilitudine irionis, *flauum* dicunt. Vtrunq; Xenophonti ſtuporem gignit,atq; adeo inſaniam. Vſus ſeminis & per ſe,& ſemine expreſſo. Exprimitur ſeparatim,et caulibus foliijſq; utunt̃,& radice temeraria ut Plinius putat medicina.quippe etiam conſtat (ut inquit) foliijs mentem corrumpi ſi plura quàm quatuor bibãtur.Etiam antiqui in uino febrem depelli arbitrantur.Et oleum addit ex ſemine fieri,quod ipſum auribus infuſum tentat mentem.Mireq; cõtra uenenum remedia prodidere ijs qui id bibiſſent,adeo nullo omnia experiendi fine, ut cogerentur etiam uenena prodeſſe. Excipitur Dioſcoridi ſuccus ex ſemine tenero,item caulibus foliijſq; tuſis in ſole. Vſus anniculo à carptu.Præterea putrilaginem teredinesq; ſentit. Exprimitur & ſeparatim ſemen cum obaruerit, aqua calida affuſa. Quo in genere ſuccus præfertur ſuperiori, qui ex inciſo colligitur,innocentiorq; ad ſomnum elicièdum.Herba quoq; uirens tunditur,& in farina trimeſtri digeritur in paſtillos. Sic ad uſum ſeruatur prior ſuccus, & qui ſeorſum ex ſemine capitur,miſcetur in collyria,quæ ſucceſſione ſomni dolorem amoliuntur. Adhibetur & fluxionibus oculorum calidis,& eiſdem acribus,reclinandis aurium dolori,uitijs uuluæ. Inflãmationes oculorum, pedum, cæterarũq; partium ex polẽta uel farina reſtinguit.Idem uſus ſemini,tuſſi, deſtillationibus,oculorum fluxioni, doloribusq; efficax.Contra menſium abundantiam, cæterasq; ſanguinis eruptiones oboli pondere cum ſemine papaueris & aqua mulſa bibitur.Podagris uero,tumoribus teſtium,mammis à partu turgentibus ex uino tritum illinitur,omninoq; cataplaſmatis quę accerſione ſomni dolorem leuant,anodyna uocãtur. Vtiliſſime permiſcentur folia in paſtillos confecta omnibus medicamentis dolorem ſedantibus,per ſeſe,& ex polenta commode imponuntur. Recentia ad mitigandos omne genus dolores oblinuntur. Eadem ſi ter quaterq; hauriantur, ex uino algores febriũ,quas uocãt epialos,finiunt. Cocta olerũ modo et catilli heminarij menſura deuorata,mentem quadãtenus in inſaniã præcipitant.Delirium quoq; fieri adfirmant, ſi colum inteſtinũ ulcus ſentiens eiſdem ſubter perluatur.Radix cum aceto decocta in dentium dolore colluitur.

Pſyllion. Cap. CVIII

PSyllíũ Romanis herba pulicaris dicitur, folio coronopi, piloſo, proceriore,ramulis palmi altitudine,fœni modo ſarmẽtoſum:coma eius à medio incipit caule, capitula bina aut terna cacumínibus cõpreſſa, ſemine autem pulicis, nigro præduroq;. in aruis terrenisque cõperitur. Pſyllium,ut Plinius eſt author,alij cynoides,alij cryſtallion,alij ſicelion, alij cynomyiam appellant, radice tenui,ſuperuacua, ſarmentoſum, fabæ granis in cacumínibus, floribus canino capiti non diſſimilibus, ſemine autem pulici,unde nomen. hoc in baccis, ipſa herba in uineis inuenitur. Flores canino capiti non diſſimiles, ob id cynocephalion & cynoides uocatur,pulicoſæ in cacumínibus baccæ, inde nomen prouenit in uitiarijs. Nomen in officinis retinet, aliqui *pulicarem* uocant, ramulis ſemipedalibus, lanuginoſis, à medio foliatis, coma coronopodis, ſarmentoſa in totum herbula, duobus tribus ue conuolutis in cacumine capitellis, ſemine nigro, duro, pulicum ſimili. Dioſcorides hoc uno genere contentus eſt.Recentiores duo alia ſtatuerunt faſtigia. Vnũ calamo exili & longo, in cuius ſpica cõtinetur ſemen pulicis colore & magnitudine.Alterum ſarmentoſum,floribus canino capiti ſimilibus,fabaceis capitellis,ſemine pulicis effigie, radice tenui & ſuperuacua. Vis pſyllio ad refrigerandum & diſcutiendum ingens. Semen in uſu fronti imponitur in dolore & temporibus,ex aceto & roſaceo aut poſca. Ad cætera illinitur acetabuli menſura ſextario aquæ. Denſat & contrahit, tunc terere oportet & craſſitudinem illinere cuicunque dolori, collectioni,inflammationique. Pſyllion ardoribus illinitur. Idem in aqua cum radicibus coctum teneſmo imponitur: item umbilicis prominentibus, & infantium ramici, uetuſtis ulceribus prodeſt. Menſes aluosque præcipuè drachma in cyathis aquæ mulſæ tribus trahit. Hydropicos duabus linguis in uino ſanat. Omnibus articulorum morbis ſalutare eſt ſemen huius herbæ,quam pſyllion appellant,madefactũ in aqua, admiſtis in heminã ſeminis duobus reſinæ colophoniæ cochlearibus,thuris uno. Podagras idem refrigerat,dolorẽ & tumores luxatorũ tollit.Feruefactũ in aqua cũ intepuerit,epiphoras oẽs uteri lenit. Vis ei,ut Dioſcorides perhibet,ad refrigerandũ cõueniens.Illinit̃ articulorũ morbis,parotidibus,uomicis,

tumoribus

tumoribus,luxatis. Imponitur in dolore capitis cum rosaceo, aqua,aut aceto. Enterocelis infantium & umbilicis prominentibus illitum ex aceto medetur. Teritur acetabuli mensura,& in aquæ sextario madefactum, ubi concreuit & contrahitur aqua, crassitudo linitur: insignis enim refrigeratio sequitur, quãdo in feruentem aquam demissum ardorem protinus restinguit. Prodest,& sacris ignibus. In quam domum uiridis inferatur herba, pulices arceri perhibentur. Tusum sordida purgat ulcera, & quæ uocantur cacoethe, cum axungia. Succus uermiosis auribus, aut fluxione tentatis instillatur.

Solanum satiuum. Strychnos halicacabos. Cap. CIX

STrychnon quod & hortensium & urbanum appellant, quod esculentum est haud magno exit frutice,sed alis frequẽtibus,nigro folio,maiore & ocimi,latioreq;,acinis rotundis, herbaceis primum,qui cum ematuruerint nigricant, aut rufescunt. Latinis solanũ dicitur, familiare cibis,in Aegypto maxime. Nihil mali corporibus esse prædicat Xenocrates, cui hoc salutare non sit. Crudum coctumq; Theophrasto estur. Flos huic cãdicat. Acini per maturitatem nigrescunt, inde uulgus *morellam* nominauit: officinæ *solatrum*. in hortis & satis omnibus prouenit,ramosum, foliis ocymo latioribus, acinis racematim coeũtibus, rotundis,primũ uiridibus, à maturitate nigellis, aut rufis: flore purpureo, speciosо, ex cuius umbilico luteus emicat apex. A multis nationibus estur in olere. Stillatitius eius liquor in Gallis nullam nõ incandescentem ardoribus inflammationem restinguit. Herba ipsa innocens gustu, refrigerat. Ignem sacrum, & mala quæ serpũt emendat cum polenta illitis foliis. Aegilopia, capitisq; dolores trita et imposita sanant. Ardoribus stomachi auxiliantur. Parotidas trita cum sale discutiunt. Pollet succus eius aduersus ignes sacros,ulcera quæ serpunt,cũ cerussa,argenti spuma & rosaceo, cum pane ad ægilopas. Cum rosaceo infusus ardorem infantiũ in capite,quem syriasin uocant,compescit. Collyriis contra fluxiones acutas suffusionesq;,uice out aut aquæ miscetur. Aurium doloribus instillatur. Mensium abundantiam in uellere subditus coercet. Succus fimo gallinarum cortis rubro subactus et linteo appositus ægilopijs præsenti est remedio. Solanum Græci strychnon uocãt,ut tradit Cornelius Celsus. Huic uis reprimendi refrigerandiq;. Est strychnos quem priuatim halicacabon uocant, foliis supradicto similibus, tantum latioribus, caules habens cum increuere pronos & inclinatos in terram, semen in folliculis rotũdis ad speciem uesicarum, orbiculatum, rubens & læue, acinorum uuæ figura, quo coronarij utuntur in sertulas addentes. Alterum strychni genus Plinius tradit cui acini coccinei, granosi folliculi, halicacabũ uocãt, alij callion, nostri, ut inquit, uesicariam, quoniam uesicę calculis prodest. Frutex est furculosus uerius & herba, folliculis magnis latisq;, turbinatis, grãdi intus acino, qui matureſcit Nouembri mense. Vtinam, idem ait, nec coronarij in Aegypto uterẽtur, quos inuitat florum hederæ similitudo. In duobus generibus cõmendatum aliquibus halicacabum cibis, licet hortense præferatur. Radicem eius bibunt qui sunt uaticinandi callentes, qui furere ad cõfirmandam superstitionem aspici se uolunt. Sunt qui uesicariam dici putent, q; folliculi speciẽ uesicarum imitẽtur, uel q; uesicæ calculis medeatur. Officinæ Mauritanos secutæ *alcaquengi*, rura nostra *cocretum* uocant. frutex nempe furculosus est uerius & herba, foliis antedicto solano latioribus, cauliculis postq; adoleuerunt humi prostratis, folliculis puniceis actur binatis, pilæ minoris magnitudine, singulari intus acino, quale cerasium, flore hederaceo, sanguineo, radice cum siccescit albicante. nascitur in uinetis et parietinis. Coronarij sertis apud nos acinos & uesiculas intorquent, ut pulchritudine coccinei grani, & folliculi puniceí uenustate corollas commẽdent. Calculosi cum uuis maturis acinos miscent, ut uinum habeant acinaticiũ contra renum & uesicæ mala, uocantq; *cocretinum uinum*. Hoc propinatum magnam arenularum uim deturbat. Vsus ad omnia quæ superius solanum, excepto esu. Morbum regium discutit. Semine poto urinam pellit. Vtrunq; genus exprimitur, & in umbra siccatum reponitur ad eosdem effectus. Nec illud prætereũdum, aspidum naturæ halicacabum in tantum aduersam, ut radice eius propius admota soporetur illa sopore enecans uis earum. ergo trita ex oleo percussis auxiliatur. Vesicariæ pomum ex musto dilutum imponitur efficaciter incipientibus oculorum carbunculis.

Soporiferum

Soporiferum ſolanum. Strychnon manicon. Cap. CX.

TAbetur & ſtrychnon, quod ab effectu ſomni hypnoticon, hoc eſt ſoporiferum cognominant. Frutex eſt ramoſus, caudicoſuſq́, fructu cõtumax, folijs pinguibus, multis, ſimilitudine mali cotonei, rubro flore ampliuſculo, ſemẽ in folliculis croceum, radice corticis leniter rubentis & grãdi, naſcens in petris, nec procul ab afflatu maris. Theophraſto radix ſomnifici ſolani ſanguinis modo rubra, candida cum inareſcit, granum coccineum, folia mali cotonei, lactucæ uel caprinæ, ſed hirſuta, magno ceſpite, in rupibus, ſepulchris, faucibusq́ naſcitur. Tuſam radicem in uino meracuto præbẽt ut ſomnum inire faciant. Coronarijs in Aegypto expetitur inuitante ſimilitudine florum hederæ. Inuenio & ſtrychnon & eubepaton, & callion uocari. Sunt qui ueſicariam à folliculis, uel quia ueſicæ profit & calculis, appellent. Dioſcorides genus hoc in primi libri calce halicacabum uocauit, eademq́ ad uerbum ſcripſit, quæ nunc in ſoporifero leguntur. Sed halicacabus & ueſicaria uera eſt quæ proximo capite ſuperius eſt deſcripta ut Galenus inquit. Hoc ſoporiferum eſt, atq́ etiam opio uelocius, ut Plinio placet, ad mortem. Laudatum uerò à Diocle & Euenore, à Timariſto quidem etiam in carmine, mira obliuione innocentiæ, quippe præſentaneum remedium, ad dentium mobiles firmandos ſi colluerentur. Halicacabo uni exceptionẽ addidere, ne diutius id fieret, delirationem enim gigni eo. Nec demonſtranda, inquit, remedia, quorũ medicina maioris mali periculum adfert. Commendatur etiam in cibis tertium, licet præferatur hortenſis ſaporibus. Hoc genus *ſolatrum* uocant herbarij *dormitorium*, uel *marinum*, quòd rupibus non longius à mari inueniatur, ubi fruticat multis ramis, denſis, lignoſis, frangi cõtumacibus, folio pingui, cotonei mali ſimilitudine, denſe comatis, flore grandi, rubro fructu in folliculis crocato: radice lõga, ſubrubro cortice ueſtita. Quæ ab herbarijs oſtenditur, folio eſt iuglandis, caule ſcipionis craſſitudine, procero, grãdibus ramis brachiato, flore inferius herbaceo, labris ſuperne purpureis, bacca primum uiridi loculoſa, per maturitatẽ nigra, quæ dehiſcens, uel ſpõte diſſiliens oſtẽdit acinoſum ſemen, uuæ modo aceruatim collectum, quinis myrti foliolis ſtellatim decuſſatis, baccã fulciẽtibus. Cortex radicis in uino potus drachma ſomnificam uim obtinet ut papaueris lac, ſed blandiorẽ & miti orem. Semine lotium uehementer impellitur. Dantur hydropicis duodecim corymbi. ſi quid adijcitur numero, mentis alienationem faciunt. Occurritur periculo aqua copioſa mulſa potui data. Cortex medicamentis quæ dolorẽ, quæſita quiete, ſuſpendunt, adiungitur, & paſtillis decoctus in uino tenetur in ore doloribus dentium mitigãdis. Radicis ſucco cum melle retuſus uiſus oblinitur. Quartum genus ſtrychni peculiariter manicon, hoc eſt inſanum uocant. Folium habet erucæ maius aliquanto, ſatis ad ſpinam quam pæderota uocant accedens, caules à radicibus ſpecioſos ac proceros numero decẽ, aut duodecim, altitudine ulnarum quatuor, capitula effigie oliuarũ inſident, ſed hirſuta ut pilulæ platani, maiora tantum latioraq́, florem in uuis rotundum nigrumq́, corymbis hederæ, acinis decem, aut duodecim, mollibus ut uitium, radice craſſa, caua, candida, ſeſquipedali, montibus uento perflatis & ubi platani naſcuntur prouenit. Alterum ſtrychni genus Theophraſtus reddit quod inſanire facit. id alij thryoron, alij periſſon, radice candida, lõga cubitali, cauaq́, folio erucæ maiuſculo, caule ferè quadricubitali, capite gethyi maiore piloſioreq́, pilulæ platani non abſimili. Radix drachmæ pondere datur, ut inquit, ut ſibi quis illudat placeatq́, ac ſe pulcherrimũ exiſtimet: duplicato pondere magis inſanit, ſpectris uanis animo obuerſantibus: triplicato, legitimæ perpetuæq́ ſubeũt furiæ: ſi quid adijcitur, præſentanea mors rapit. Manicon inſanioſa dicitur herba, doryon, ſiue potius dorycnion uocabant, quoniã cuſpides in prælijs eo tingerentur, paſſim naſcente. Id putatur eſſe quod ab officinis *ſolatrum mortale* nominatur, folijs erucæ maioribus, caulibus proceris, ulnarum quatuor lõgitudine, capitulo in cacumine oliua maiore, ut platani pilula, hirto flore, nigro, quo excuſſo racemus emicat rotundus, denis duodenis ue acinis cõſtans, ſimilibus hederæ corymbis, ut uuæ mollibus, radice candida, craſſa, caua, cubitali. Inuenitur in montibus uento perflatis, maritimis foueis & uagis. Radicis drachma in uino ſpecies uanas imaginesq́ non iniucundas bibentibus facit obuerſari: duplicatus hic modus mentis exceſſum, & abalienationem in triduum adfert: triplicatus, enecat. In reme-

dium aqua mulsa copiosa datur potanda, uomitione rursus eijcienda. Insaniam ut ait Plinius, facit paruo quoq; succo: quanquã Græci authores in iocum uertere: drachmæ enim pondere luxum pudoris gigni dixerunt, species uanas imagineſq; conspicuas obuersari demonstrantes: duplicatum hunc modum, legitimam insaniam facere: quicquid uerò adijcitur ponderi, repræsentari mortem. Hoc est uenenum, quod innocentissimi authores simpliciter dorycnion appellauere, ab eo quòd cuspides in prælijs tingerentur illo passim nascente. Qui parcius spectauerant, manicon cognominauere: qui nequiter occultabant, erythron aut neurita: ut nõnulli, perisson. Cauendi quidem causa curiosius dicendum.

Dorycnion. Mandragoras. Cap. CXI.

Crateas dorycnion aut caleam uocauit fruticem oleæ recens enatæ, quæ modo surrexit in uimen proximum, ramos habentem cubitalibus minores in saxis non procul à mari prouenientem, folijs oliuæ minoribus, concoloribus, minusculis, præter modum scabris, flore candido, folliculis in cacuminibus ciceris, densis, quinis intus aut senis granis, erui magnitudine, rotundis, læuibus, robustis, uersicoloribus. radici crassitudo quæ digiti, longitudo quæ cubiti. Somnifera huic natura, largioriq; mortifera. Quidam adfirmant semen ad amatoria expeti. Dorycnion pro strychno manico acceptum à quibusdam ueteribus inuenio. Dioscorides ex Crateiæ scriptis, item Galenus uidentur aliud genus existimasse. dictum fortasse ita, quòd cuspides telorum inficere mos esset illo. Dorycnio gustus lactis est, & confracto emanat. Mandragoras, alij antimelon, Pythagoras antropomorphon, Romanis canina malus aut terrestris. Circææ uocari arbitrantur à Circe, quoniam radix amatorijs quęratur. Duo eius genera. nigricans qui & fœmina, thridacias appellatum, angustioribus & minoribus folijs quàm lactucę. odor eius uirosus & grauis. Funduntur in terram, iuxtaq; gerit mala uitellis oui similia, pallida, odorata, & in ijs semen pyrorum, radicibus magnis, binis ternis'ue, implicatis, extrà nigris, intus albis, crassi corticis. caulem non habet. Album. hoc marem existimant, morion uocant, ingentibus folijs, latis, albentibus, læuibus. Mala huius duplo maiora quàm fœminæ, croci colore, odorata non sine quadam offensione. Pastoribus qui ea mandunt grauedinem capitis creant. Radix supradictæ similis, amplior & candidior. Theophrasto mandragoræ fructus niger, sapore quodam uini, effigie oui, non, ut Theodorus putat, racemi. Fœminæ folia hirsuta, radices carnosæ, teneræ, cubitales fere. Mala hæc fert auellanarum nucum magnitudine. Mas dictus folio latiore ut lapathi satiuę. Duo Plinio genera, candidus qui & mas, niger quę fœmina existimatur, angustioribus folijs quàm lactucæ, hirsutis & caulibus, radicibus binis ternis'ue, nigris foris, intus albis, carnosis, teneriſq;, penè cubitalibus. Ferunt mala auellanarum nucum magnitudine, & in ijs semen ceu pyrorum. Album hoc alij arsen, alij morion, alij hypoplomõ uocant. Huius folia alba, quàm alterius latiora, ut lapathi satiuę. Cauent effossuri contrarium uentum, postea fodiunt ad occasum spectantes. Mandragoram, ut Theophrastus refert, priusquam legatur tribus circulis gladio circunscribi iubent, eumq; qui effodiat ad occasum spectare, alterum circunsultare, plurimáque de re uenería dicere. Caulem habere Plinius non dubitat, & si Dioscorides id negat. Mandragoras nomen uulgo retinet, maris & fœminæ differentia. Hæc nigra est, angustioribus quàm lactucæ folijs, humi procumbentibus, hirsutis, fructu mespili amplitudine, in luteum languido, sorbi effigie, uinoso sapore, in quo semen ceu pyri, radicibus binis ternis'ue inter se conuolutis, extrà nigris, intus albis, carnosis, ingentibus. Mas candidus est, folijs Siculæ betæ, mollibus, albis, quàm fœminæ latioribus, pomo duplo maiore, grauis odoris, alioqui non ingrati, radice alba, quam imperita uulgi multitudo hominis effigiem repræsentare falso credit. Id enim magorum commentum est, rem suam insigni aliqua uanitate ostentantium. Succus fit è malis, & è caule, deciso cacumine, & radice punctis aperta, aut decocta. utilis hæc uel surculo. Concisa quoque in orbiculos seruatur in uino. Succus non ubique inuenitur, sed ubi potest, circa uindemias quæritur. Odor grauis eius, sed radicis & mali grauior. Mala matura in umbra siccantur. Succus ex ijs sole densatur: item radicis tusæ, uel in uino nigro ad tertias decoctæ. Folia seruantur in murijs efficacius, aliàs recentium succus pestis est: sic quoque noxiæ uires. Grauedinem adferunt etiam olfactu: quanquam

mala

mala in aliquibus terris mandantur, nimio tamẽ odore obmutescunt ignari, potu quidem largiore etiam moriuntur. Dioscoridi cortex radicis recens tusus & prelo subiectus exprimitur, insolatus ita succus densatur, & custoditur in fictili. Succus è malis fit ratione consimili, uerum dilutus hic est. Delibratur radix, & ad usus cortex filo suspenditur. Quidam ad tertias radices in uino decoquunt, & percolatum succum reponunt. Cyathum unum dedisse satis est in peruigilijs & doloribus, & ante sectiones inustionesq́, ne sentiantur. Succus duobus obolis ex mulso potus ut ueratrum, bilem atram, pituitamq́ uomitionibus extrahit: potu largiore mors etiam contrahitur. Additur in medicamenta oculorum, & quæ somno dolores finiunt: item in pessos, qui molliendis fœminarum locis induntur. Per se uero appositus, semioboli pondere, menses & partus trahit. Sedi quoq́ pro balano subditus somnum aduocat. Ebur ipsum radice cum eo senis horis decocta remollescit, lẽtumq́ ad cuiuscunq́ imaginis obsequia redditur. Folia recentia inflammationibus oculorum & ulcerum imponuntur cum polẽta. Duritias omnes, suppurationes, uomicas, strumas illitu discutiunt. Stigmata delent citra ulcus diebus quinq́ uel sex modice confricatis partibus. Ad easdem curationes seruantur in murijs. Radix trita cum aceto ignibus sacris medetur. Trita radix ignibus sacris cum aceto, & serpentium ictibus cum melle aut oleo succurrit. Strumas & tubercula cum aqua dissipat: articulorum dolores cum polenta compescit. Vinum fit è cortice radicis crudo, ternis uncijs in uini dulcis cadum conijctis. Dantur ijs qui secandi urendi ue sunt, ut sensum sopiant, ne dolores sentiantur. Tum enim ueterno quodam pressi torpescunt. Mala ipsa, & succus olfactu, quanto magis esu, soporem cient. qui copiosius deuorant obmutescunt. Semen malorum uuluas expurgat in potu, appositumq́ cum sulphure ignem nõ experto rubra fœminarum profluuia cohibet. Succus è radice punctis aperta circunscarificataq́ quærẽdus, ut quod in cauernas defluit tollatur. Valentior ad omnia quàm qui tusis exprimitur. Est autem lachryma lacteo succo efficacior, sed non ubiq́ radices, ut experientia docet, lac collachrymant. Mandragoræ folia ulceribus cum farina Theophrastus imponi iubet: radicem ad ignes sacros rasam, & ex aceto subactam. Podagras mulcet & somnum conciliat. Ad amores ex uino & aceto datur. Confectos eius orbiculos in fumo suspendunt. uis ei somnifica. Pro uiribus bibentium media potio cyathi unius. Bibitur contra serpentes & ante sectiones punctionesq́ ne sentiantur, ob id satis est aliquibus odore somnum quæsijsse. Bibitur & pro elleboro duobus obolis in mulso: efficacius elleborum ad uomitiones, & ad bilem nigram extrahendam. Aduersus serpentes laudantur mandragorę folia cum polenta tusa. Eadem articulis cum polenta, uel radix recens tusa cum cucumere syluestri, uel decocta in aqua auxilio sunt. Igni sacro medetur radix. Siccatur in asses ut cucumis, primoq́ supra mustum suspenditur, mox in fumo: dein tunditur in uino aut aceto. Strumis eadem ex aqua remedio est. Panis medetur radix ex aqua. Concaua apostemata & ulcera tetra folia recẽtia sanant: radix uulnera cum melle aut oleo. Omnia corpori infixa extrahuntur folijs cum polenta. Semen mandragoræ uuluam purgat. Menses cit succus appositus, & emortuos partus. Nimia rursus profluuia sistit semen cum uino & sulphure. Alius quoq́ traditur mandragoras, quem morion cognominãt, in opacis & circum specus nascentem. Folia huius albi mandragorę sed minora, palmiq́ amplitudine, candida, & radici suæ circundata. Hęc tenera albaq́ est, paulo maior semipede, pollicari crassitudine. Huius drachma in potu aut cum polenta in panis offa uel obsonio data stoliditatem adferre creditur: dormituros enim protinus homines illo habitu quo hauserunt, ereptis omnibus sensibus, in ternas quaternas ue, ex quo potionati sunt, horas, adfirmant. Vtuntur & hoc medici cum scindendi aut urendi negotium urget. Ferunt præterea radicem huius antidotum esse cum insano solano potam.

Aconitum pardalianches. Cap. CXII.

AConitum pardalianches folia habet tria uel quatuor cyclamini aut cucumeris specie, minora tamen leniterq́ hirsuta, caulem palmi altitudine, radicem incuruam, scorpionum similem caudæ, alabastri modo resplendescentem. Theophrastus simpliciter aconitum repræsentauit herba breui nec tamen superfluente, sed ut in frumẽto, quanuis semen in spica nõ est, folio in-

tybaceo, radice tum ſpecie tum colore gammaro ſimili, & cui ſoli lethalis illa uis inſit, folio fructuq; innocentibus. naſcitur ubiq;, & non Aconis ſolum, à quibus traxit appellationem. Is autē uicus eſt Mariādynorum. Prouenit & in Creta, & Zacyntho copioſum, idq; optimum in Heraclea Pontica, amat ſaxoſa. Nullum pecus, nullū animal eo paſcitur, natum ad noxam: fructum tamen & folium nihil nocere prædicant, uim mortiferam in radice haberi, ad erodendū ea uti medicos. Præparari uero poſſe ut tollat biennio, anno, mēſibus ſex, tribus, duobus, uno, ratiōe etiā peritioribus occulta. Miſerius perire qui poto eo diutius uitam protrahant: differri, celerari ſumentibus exitium, prout ſero aut ocius fuerit collectum. Debellari peſtem ea non alia radice ut quidā expromiſere, ſed ex uino uel melle ſucceſſu raro: alioqui reperto in uiſceribus ueneno nō perimit, ſed colluctatur cum eo: ita duo uenena commoriuntur, ut animal ſuperſit. Fugitiuos eo in uinculis uti ſolitos deſponſo animo. Aconitum ſeruantibus inſtituta capitis pœna. Porrò omnium uenenorum ocyſſimum eſſe aconitum conſtat, ut tactis quoq; genitalibus fœminini ſexus animalium eodem die mortē inferat, quomodo interemptas à Calphurnio Beſtia dormientes uxores Marcus Cæcilius obiecit. Ortum è ſpumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, fabulæ narrant: ideo apud Heracleam Ponticam, ubi monſtratur eius aditus ad inferos, gigni. Folia, ut Plinius tradit, habet cyclamini aut cucumeris, nō plura quatuor, ab radice leniter hirſuta, radicē modicam, cammaro ſimilē marino, quare quidam cammarō appellauere: alij lycoctonon, quòd lupos enecet. Arida radix incuruatur paulum ſcorpionum modo, quare & ſcorpion aliqui uocauere. Nec defuere, qui myoctonō appellare mallent, quoniā procul & è longinquo odore mures necat. Naſcitur in nudis cautibus quas Aconas uocant, & ideo aconitū aliqui dixere, nullo iuxta ne puluere quidē nutriente. hanc aliqui rationē nominis attulere. Alij, quoniam uis eadem in mortem eſſet, quæ cotibus ad ferri aciem detrahēdam, ſtatimq; admota uelocitas ſentiretur. Alij à pago, ſiue oppidulo, ſiue portu Mariādynorum ad Heracleam ita nominato. Aconitum tamē hoc in uſus humanæ ſalutis uertere, ſcorpionū ictibus aduerſari experiendo. Aconitum datum in uino calido, ea eſt natura, ut hominem occidat, niſi inuenerit quod in homine perimat. ſola hęc pugna eſt, cum uenenū in uiſceribus reperit. Mirumq;, exitialia per ſe ambo cum fuerint, duo uenena in homine commoriuntur, ut homo ſuperſit. Torpeſcunt ſcorpiones aconiti tactu, ſtupentq; pallentes, & uinci ſe confitētur. Auxiliatur eis elleborum album, tactu reſoluēte. Tangunt carnes aconito, necantq; guſtatu earum pantheras, ob id pardalianches quidam appellauere: at illas ſtatim liberari morte, excrementorum hominis guſtu, demōſtratū. Dioſcorides retulit, huius admotu torpeſcere ſcorpiones: auxiliari eis elleborum, tactu recreante ſtuporemq; reſoluente. Oculorum quoq; medicamentis, & quæ uocant anodyna miſceri aconitum ſalubriter ſolet. Necātur eo pantheræ, mures, lupi, omnesq; ferę, fricatis quas deuorent carnibus. Theophraſtus hoc genus pardalianches thelyphonō, ſiue potius theriphonon, ſimpliciter, & ſine aconiti mentione, & ſcorpion à radicis ſimilitudine uocauit, geniculatum tradens gramínis modo in umbroſis naſci, folio cyclamini, radice ſcorpionis effigie. Cuius tactu ſcorpiones moriuntur, & ſi quis mortuum elleboro linat, reuiuiſcere aiunt. Boues, oues, iumenta, omnemq; quadrupedem necat, impoſita uerendis fœminei ſexus radice, folio quidem intra eundem diem. Itaque ſcorpionum ictibus aduerſatur. Habetur et aconitum, quod à quibuſdam lycoctonon uocatur. Huius tria ſunt genera, uno ferarum uenatores utūtur, duobus relíquis medici. Ex iis tertium, quod Ponticum dicitur, plurimum in Italia Iuſtinis in montibus naſcens, præſtantius ſupradicto: folia ei ſunt platani diuiſuris maioribus, longiora multo, nigrioraq;. caulem habet pediculo filicis ſimilem, nudum cubiti amplitudine, ultra'ue, ſemen in ſiliquis, aliquatenus lōgis. Radices nigras cirris marinæ ſquillæ ſimiles, quibus ad luporum capturas utuntur: inſertæ ſiquidem crudis carnibus & deuoratæ confeſtim lupos enecant. Aconitum inuenīſſe prima dicitur Hecate, uenenorum inſigni crudelitate fœmina, quæ Perſam patrem Solis filium perinde crudeliſſimum ueneno ſuſtulit, author Diodorus. Proinde Ouidius in Metamorphoſi, cum herbam nominat hecateida, creditur aconitum intellexiſſe. Lycoctonos dicta eſt, quòd lupos enecet. Etenim habent & ruſtici *lupariam* uulgo nominatam, ad eundem uſum, folio uitis, multas habente diuiſuras, & maculas candidas, flore

oblongo

oblongo, luteo: quare recentiores herbarij lycoctonon arbitrantur esse.

Cicuta. Apocynon. Cap. CXIII.

Cicuta græcis conion, caulis ei geniculatus ut fœniculo, magnusq; est, folia ferulæ angustiora, graueolentia, cacumine ramoso, & umbellas sustinente, flore subcandido, semen albidius aniso, radice cõcaua nec profunda. Cicuta uenenum est, publica Athenienſium pœna inuisa, ad multa tamen usus non omittendi. Semen habet noxiũ. Caulis eius, ut Plinius scribit, uiridis estur, plerunq; & in patinis. Læuis hic & geniculatus ut calami, nigricans, altior sæpe binis cubitis, in cacuminibus ramosus, folia coriandri tenuiora, grauí odoratu, semen aniso crassius, radice concaua, nullius usus. Gallis hodie *cigua* nominatur, passim nascitur ferulacei generis, tricubitalem sæpius excedẽs proceritatem, caule geniculato, crasso, cauis internodijs, umbella syluestris pastinacæ, grauí odoratu, semine aniso crassiore, candidioreq; & angulatim striato, radice cõcaua. Dum pubescit apium fere dixeris, & pro eo nonnunquã fallit lethali edentium periculo. Semini & folio refrigeratoria uis, quæ si enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. remedium est priusquam perueniat ad uitalia, uini natura excalfactoria: sed in uino pota irremediabilis existimatur. Succus exprimitur folijs floribusq;, tunc enim maxime tempestiuus est, & melior: semine trito expressus & sole densatus in pastillos, necat, sanguinem expissando. Hæc altera uis, & ideo sic necatorum macule in corporibus apparent. Ad dissoluenda medicamenta utuntur illo pro aqua. Thrasias Mantinensis, ut Theophrastus scriptũ reliquit, & eius discipulus Alexias, cicutam, et alia uenena ita tẽperabant, ut sine aliqua offensione aut tabe è uita tollerent, in quantumuis tempus dilata morte. In cicuta præcipiebãt ut esus is, aut prægelidis opacisq; locis ad hũc usum reponeretur. Chij, eodẽ authore, nõ sic utebãtur antea, sed terebãt eã ut cęteri: & tegmine detracto, tusam & tenui cribro emissam, ex aqua propinabant, facili præsentaneaq; morte. In Ceo insula mos fuit, ut sexagenarij senes conuocatis necessarijs, solenni sacrificio, cicutam epulati & coronati biberent. Strabo author. Cui consuetudini Valerius Maximus interfuisse tradit, in eius insulæ oppido Iulide. Sunt qui cicutam ab interitus celeritate ephemeron, ut Phocion author est, appellarint. à multis ea creditur herba, cuius gustatu exercitus Marci Antonij, cum fame laboraret, in Parthia penè sit extinctus. figura tamen herbæ non traditur. Alioqui remedium, ut Plutarchus ait, in uino tantum erat. Maxima, inquit Plinius, cicutæ uis terræ Parthorum, mox Laconicæ, Creticæ, Asiaticæ, in Græcia uero Megaricæ, deinde Atticæ. Aliqui cicutam præsumpserunt, ut bibere mors cogeret. Androcides sapientia clarus, intemperantiam Alexandri cohibens epistola, scripsit, sicuti homini uenenum est cicuta, ita & uinum. nanq; temulentorũ eadem quæ cicutę epotæ incõmoda. Omnia tamẽ, ut Plutarchus tradit, algẽtis ingenij. Ebrij fiunt pallidi, tremuli, graues, & saltu tumultuãtis spiritus, artus & membra quatiuntur, corporis torpor, linguæ titubatio, neruorum cõuulsio: cicuta potionatis mens labat, oculis caligo offundi-tur, & obuersatur uertigo, algent extremi artus, & quasi frigore rigent, deniq; conuellun-tur. Dioscorides, Theophrastus, & Plinius uno cicutæ fastigio sunt contenti. Recentiores faciunt duo genera, aquaticæ frigentis naturæ, terrestris calidæ: uerũ quoniam nullũ idoneũ præferunt authorẽ, uereor ne, ut fere solent, hallucinentur. Cicutæ uis est, si Celso crẽdimus, exedendi corpora, ut forsitan seminibus & folijs frigida sit potestas, cauli feruida: cæterum semini, & folijs refrigeratoria uis. Fit ex succo ad refrigerandum stomachum malagma: præcipuus tamen usus est ad cohibendas epiphoras æstiuas, oculorumq; dolores sedandos circumlitu. Miscetur collyrijs, & omnes alios rheumatismos cohibet. Folia quoque tumorem omnem doloremq;, & epiphoras sedant, igni sacro medentur. Podagras refrigerat cituta cum lithargirio & axungia. Cum eadem tumorem doloremq; luxatorum tollit. Sanguinem claudit cicutæ semen in nares, si inde fluat, ex aqua inditum. Vlcera tetra emendat cicuta consiligini mista mero. Sanguini per nares fluenti semẽ tritum ex aqua inditumq; efficax habetur. Tradũt mammas à uirginitate illitas semper esse staturas. Lac puerperarũ imposita mammis extinguit. Venerẽ testibus circa pubertatem illita coercet. Remedia liberationi, quibus bibenda censetur, sparsim inter herbas præcipiuntur. Inter enecãtia frigoris ui cicutã Dioscorides collocat. Remediũ est ut bibatur uinum meracum.

Succus excipitur cacuminibus, antequam coma uel ſemen obareſcat, è qua etiam tuſa expreſſus cõcreſcit in ſole. Vſus ſiccato ad multa ualetudinis: ſed præcipuo effectu collyrijs, quæ ad dolores ſedandos per ſomnum quæruntur. Impoſitus mala quæ ſerpunt, & ignes ſacros extinguit. Herba ipſa & coma per ſe illita teſtibus cõtra libidines nocturnas auxilio eſt. Genitalibus torporẽ adfert fricatis. Lac puerperarum mãmis impoſita reſtinguit. Mammas quidẽ uirginibus fœminis illita prohibet creſcere. Pueris teſtes ali nõ patitur. Maxima uis in Creta naſcenti, deinde Megaricæ & Atticæ, item Chiæ Cilicumq; terris.

Apocynon frutex eſt longis uiticulis, male olentibus, lentis, folio hederæ, molliore tamen pinnatioreq;, graui odore, glutinoſo, & ſucco madente luteo. Valuulæ ſiliquis fabarum perſimiles, longitudine digiti, folliculoſæ, in quibus ſemẽ durum, exiguum, nigricãs. Canes, lupos, uulpes, & pantheras enecat, cum ſeuo panibus datum in cibo, coxẽdicibus illico deficientibus reſolutisq;. Plinio frutex apocynon folio hederæ, molliore tamen, & minus lõgis uiticulis, ſemine acuto, diuiſo, lanuginoſo, graui odore. Canes, et omnes quadrupedes necat in cibo datum. Pleuriticos & omnes lateris dolores ſemen ex aqua ſanat. Dicitur & cynocrambe Galeno, ab aliquibus hippomanes: nec quadrupedibus tantum lethalis, ſed hominibus uenenum ſi ueſcantur. Hippomanes certe apud Heſiodum, herba eſt, quam edentes equi aguntur in furorem: quanquam & uirus quoq; defluens ab equarum inguinibus, quo tempore amoris inſania feruntur, dici ſolet.

Fungi. Cap. CXIIII.

FVngi cortice, medulla, neruo, uena carent. Origo boletorum talis, Voluam terra prius gignit, ipſum poſtea in uolua ceu in ouo luteum. Nec tunicæ minor gratia infantis boleti. Rumpitur hæc primo naſcente, mox creſcente in pediculo corpus abſumitur, raroq; unquàm geminis ex uno pede. Origo prima è limo & aceſcente fucco madentis terrę aut radicis fermè glandiferæ. Initio ſpuma lentior, dein corpus membranæ ſimile, mox partus. Inter eos qui temere manduntur, boletos merito poſuerim. Optimus quidem eſt is cibus, ſed in diſcrimen adductus. Quorundam ex ijs facile cognoſcuntur uenena, diluto rubore, rancido aſpectu, liuido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro. Non ſunt hæc in quibuſdam, ſiccicq; & nitri ſimiles ueluti guttas in uertice albas ex tunica ſua gerunt. Pernicialia prorſus improbanda. ſi enim caligaris clauus, ſi ferri uel chalybis aliqua rubigo, aut panni marcor adfuerit, omnem illico ſuccum alienumq; ſaporem in uenenum decoquit. Deprehendiſséque non niſi agreſtes poſſunt, atque qui colligunt ipſi alia uitia. Si iuxta fuerit ſerpentis cauerna, ſi pateſcentes primum adhalauerit, capaci uenenorum cognatione ad uirus accipiendum. Boletis ortus occaſusq; ſeptem diebus includitur. Paulus boletos cognouit, bolitas appellando, quibus & principatum inter fungos dedit, ſicut ſecundum locum ijs qui Amanitæ nominantur. Fungos Græci mycetas uocant, nec diſtinguunt. Sunt & ægiritæ ſed induſtriæ, fermento in ipſis populi nigræ truncis diluto aqua protinus coaleſcentes. Tarentinus eſt author, ſi caudice populi nigræ iuxta terram conciſo fermentum aqua reſolutum infundatur, illico proſilient ægiritæ fungi. Addit, ſi montanum aruum multis calamis, ſtipulis, & fruticibus ſcatens, cum cælum imbres parturit, incendatur, permulti ſponte naturæ prorumpent fungi. Si tamen aruo iam ignem experto forte fortuna non ſubſequatur, quanuis impenderet, aqua linteo raro ſtillatim imbris imitatione conſpergenda. Iis incenſis locis naſcentur fungi quidem, ſed aliquanto deteriores: ſiquidem meliores in hoc genere ſunt, qui imbre aluntur. Fungorum lentior et numeroſa natura, nec niſi ferè ex arborum pituita. Tutiſſimi qui rubent callo, minus diluto quàm boletis rubore: mox candidi, uelut apice flaminis, inſignibus pediculis. Tertium genus ſuillis accõmodatum uenenis. Quidam diſcreuere arborum generibus, fico, ferula, & gummiferis: nos itẽ fago, aut robore, aut cupreſſo. Omniũ colos liuidus. Sed ijs aberit argumentum ueneni, quo ſimiliores arbori fico fuerint. Innocẽtiſſimi erunt ſi pyra ſylueſtria cũ fungis incoquantur. nanq; uirus eorũ exitiale, ancepſq; detrahunt. Imbribus proueniunt hæc omnia. Siccantur pendentes ſuilli, iunco transfixi, quales à Bithynia ueniebãt. Succineis nouaculis & argẽteo apparatu ipſæ ſuis manibus delitiæ coquebãt, unde Græci hos deorũ cibo naſci dictitant. Porphyrius deorũ filios fungos & tubera uocat, quia

quia prouenire uidentur ſine ſemine. Poetæ Græci gegenes cognominant, hoc eſt natos terrę. Eos, quorũ pater ignotus, filios terræ uocare ſolemus, quod Cicero in quadã ad Atticũ epiſtola confirmat. Recentiores alia quoque nomina uel genera dedere fungis; ouatos ab ouí ſimilitudine, ſpongiolos à ſpongia, digitellos à digito, porriginoſos à porrigine, pezicas quaſi ſeſſiles, & pediculis carentes. Laciniæ priuatim dicuntur è caſtanea, magnitudine ſpectabiles, ut ſinguli ſufficiant. Innocentiſſimi ſunt è rubis, & carduis uere nati, rotunditate cluſili, quos *ſpinulos* inde & *prunulos* appellant & *cardeolos*. Oritur & è ſaxo, id eſt lapide lyncurio ſiue lynceo uulgari uoce dicto, fungus admirabili natura. Præciditur hic in eſum, & alius ſubnaſcitur anno toto. Pediculi pars relicta duratur in ſilicem, atq; ita crescit ſemper lapis reſtibili fœcunditate. Nouum hoc genus ſibi uita comperit, in uicemq; multa perdit. Theophraſtus tradit in mari circa Herculis columnas, cum undæ ſuccreuerint, in litoribus fungos enaſci qui in lapides inſolati dureſcant. Hoc idem Athenæus affirmat Theophraſti teſtimonio fretus. Sunt & igniarij quidam fungi, quibus diutius laturi condunt ignem. ijs ſtrigilium aut deletilium ſpongiarum uice tonſtrinæ utuntur. Sunt qui tradunt (ut apud Dioſcoridem legitur) utriuſq; populi, albæ dico & nigræ, corticem in minutias conciſum, & ſegetibus ſtercoratis inſperſum, fungos utiles, innocentesq; parere, anno toto reſtibiles. Galli fungos *campiniones*, quòd in campis tepido imbre proueniunt, nominant. Præferunt è mõtibus inter iuniperos & in locis apricis enatos, quam quam ſcribat Horatius:

Pratenſibus optima fungis
Natura eſt, aliis male creditur.

Nanq; qui riguis prodeunt longo pediculo, callo corporis in turbinem mucronato, *merulios*, à metæ figura, quaſi metulios nominant. Aliqui à neto fuſorum glomere, *fuſios* malunt appellare. Ii moroſo diuitum palato magis placẽt. Alij lætiore natura breui nituntur petiolo, cluſili rotunditate inſignes, diluto intus rubore, exterius cãdidi; qui cibo non improbantur, *campeſtres* nominantur. Alij in nemoribus ex radicum pituita, calyce patulo, nigris intus aut liuentibus membranulis horrentes, qui ut noxij cibis abdicantur. Alij terræ cohærent nullo fulti pede, in globum circinati, nec ulla ſui parte patentes deniſcunt. qui cum rumpuntur, atram fuliginẽ eructant, toto callo in fumum abeunte. hos *crepitus lupi* noſtrum uulgus appellat. ij nullo pacto mandũtur. Alij uelut ſuccremẽta quædam magnæ molis in caudicibus arborum, aut ramis tam pertinaciter hęrent, ut uix auelli poſſint. hos appellamus *arboreos*. Nicander in Georgicis eos ait lethales eſſe, qui in olea, punico, ilice & quercu naſcantur. Diphilus medicus ſcriptũ de fungis ita reliquit, Fungi ſtomacho placent, aluum cient, alunt corpus ſed ægrè coquuntur, flatus creant. tales ex Ceo inſula petuntur. Permulti tamen iugulant, qua ſorte putantur minutiſſimi. Familiares & innoxij creduntur recentes, minutiſſimi, molles, friabiles, & qui in ulmis & piceis proueniunt. Aduerſantur nigri, liuentes rigidi. Iis qui hoc ancipiti cibo ſtrãgulantur remedio eſt, aquæ mulſæ, nitri, & aceti potus, ita ut in uomitione reddantur. Itaq; parari debent ex aceto, aqua mulſa, uel melle & ſale, ita iugulãdi tollitur periculum. Inter fungos, ut Galenus ſcribit, boleti innocentiſſimi, ſi ritè coquantur, proximi Amanitæ, reliquos uitare nos ſuadet, quod multis mortem attulerint. Pituitam gelidã noxio ſucco inuictam pariũt, argumento eorum qui uomitu reijciunt, non niſi concretã algentemq; cum inconfectis emittunt. Porrò coquendi communes eorũ dantur obſeruationes. noxij erunt fungi, qui in coquendo duriores fiunt: innocentiores, qui nitro addito coquentur, ſi utiq; percoquantur: tutiores fiẽt cũ carne cocti, aut cũ pediculo pyri. Proſunt & pyra cõfeſtim ſumpta. Debellat eos acetí natura ijs cõtraria. Aliqua tamẽ in fungis ſunt auxilia. Fluxionibus aluí, quas rheumatiſmos uocãt, medẽtur: excreſcẽtib. in ſede carnibus, minuũt emũ eas & tẽpore abſumũt. Itẽ lentigines & mulierũ uitia in facie leuãt. Lauant aũt ut plumbũ ad oculorũ medicamẽta. Sordidis ulceribus & capitis eruptionibus, canũ morſibus ex aqua illinũtur. Fungorum diſcrimen duplex Dioſcoridi, aut enim eſu teneri ſunt, aut perniciales. Ii multis modis uirus contrahunt, modo clauis iuxta defixis, modo panni marcore, modo ſerpentum afflatu proximè cauernas earum naſcentes, modo arborum pituita quæ ſponte naturæ nocẽtes fructus ferũt. Omnibus ijs ſpuma quædã & colluuies inſidet. Non inſunt

hæc utilibus, proinde iuribus gratiam habent, cibis non iniucundi: largius tamen sumpti periculum adferunt & ægrius concocti strangulant, aut choleram mouent. Remedio sunt nitri potus, aut lixiuia cum acida muria, aut feruefactæ satureiæ, aut origani iusculum. Expugnantur gallinacei fimi potu cum aceto, aut eiusdem delinctu cum melle multo. Omni no carnes alunt, à natura tamen inuicti, integri cum alui recrementis eiiciuntur.

Colchicon, Ephemeron. Lens paluſtris. Cap. CXV.

COlchicon, alij ephemeron, Romani bulbum agreſtem, exitu autumni florem fundit croceo ſimilem, ſubcandidum, poſterius folia pinguiora quàm bulbi, caule ſemipedem alto, ſemine rufo, radice foris è nigra rufeſcẽte, quæ deſquamata intus albicet, teneraq; ac lacte ſuccoſa, guſtatu dulcis inueniitur. Medio bulbo dehiſcit rimula, unde flos erumpit, magno eius in Meſſenia, & apud Colchos prouentu. Venenum hoc fungorum modo iugulat edentes, alioqui non demonſtrandum niſi ut caueretur, bulbi ſimilitudine inuitante: mirum eſt enim quantum ſpecies ignaros allíciat. Auxiliantur edentibus quæcũq; fungos debellant, peculiariter bubulũ lac, ut quoties habeatur hoc, nullũ præterea quærendũ præſidiũ ſit. Colchicon & ephemeron, de quo mox proditur, hermodactyli genera à neotericis uocantur. Galenus & Paulus ephemeron duplex faciunt Dioſcoridem ſequuti, unum delibutorij ueneni, de quo nunc agitur: alterum quod irim ſylueſtrem cognominant, de quo proximè dicetur. Colchicon ſane haberi paſſim prædicant. Hodie rura apud nos *caninecam* ephemeron appellant, quòd canes deuoratum necet. exitu enim autumni in pratis florem ædit albicantem, ab eò tempore folia bulbi, pinguiora, caulem palmeum, rufum ſemen, radicem è nigra foris rufam, quæ delibrata candicat, & mollis ſpectatur. Lacteo madet ſucco, atque guſtatu dulcis ſentitur. Bulbo medio rima dehiſcit, qua flos erumpit. Officinæ *hermodactylon* uocant, è quo catapotia ad podagras tantopere commendantur. Hoc item bulbi foliis emicat pinguiuſculis, caule ſemipedali, flore croci, candido, qui autumni exitu erumpat, radice bulbacea, forinſecus nigra, intus alba, lacteo dulciq; ſucco plena. hæc lethifera, pruritum exterius ciens, interius uellicans, cum graui ſtomachi exæſtuatione, miſtum cruorem ſtrigmentis in aluum depellens. Antidotum huic lac bubulum. Habet & in medicina ſuos uſus, anxia nimis quorundam uenenis pro remedijs abutendo, quorum medicina maioris mali periculum adfert. Hermodactylos porrò, ex quibus catapotia tantopere commendantur ab Aetio & Paulo, ephemeron non eſſe ſatis mihi conſtat, etſi recentiores pro ephemero uſurpent, cum Paulus ſeparatim tanquam diuerſorum mentionem fecit, tradens hermodactyli radicem alui deiectionem moliri, priuatim in articularijs doloribus, in defluxione decoctum eius dari, uerũ ſtomacho aduerſari. Præterea Dioſcorides quinquefolium hermodactylon quoque dici, & morbis articularibus & coxendici conuenire prodit, ephemeron tumoribus. Ephemeron quidam irim ſylueſtrem appellauere, folia fert lilij, tenuiuſcula, caulem quoque parem, florem candidum, amarum, ſemen uero molle, radicem unam, digitali craſſitudine, longam, ſaporis aſtricti, odoris nõ iniucundi. naſcitur in lucis opacis. Ephemeron Plinio folia habet lilij ſed minora, caulem parem, florem cæruleum, ſemen ſuperuacuum, radicem unã digiti craſſitudine, dentibus præcipuam conciſam in aceto, decoctamq; ut tepido colluantur. Et ipſa etiã radix mobiles ſiſtit, cauis & exeſis imprimitur. Folia ephemeri tuberibus atq; tumoribus illinũtur. Dioſcoridi radix in dentium dolore colluitur. Folia in uino decocta tumoribus & tuberculis imponũtur, quæ ſi nondũ exaniarint, diſcutiunt. Ephemeron dictum, quòd intra diẽ iugulet, Theophraſtus putat: ſed illud aliud eſt genus, & colchicõ proprie crediderim, folio ellebori, radicula omnib. nota, ſeruorũ in deſperatiõe cõfugiũ. Hoc & ipſum colchicõ ephemeri appellatiõe Plinius intellígit, quoties medicinas cõtra impactũ ephemeron cõmemorat. Verba Theophraſti ſubdidimus, quòd ad rẽ faciant. Aliud inuenitur ueneni genus quod die eodẽ iugulãdi uim obtineat, eſſeq; radiculã prędicat, quę eodem die necet, inde ductũ putat nomẽ ephemeri, omnib. notã, folio ellebori, ſeruorũ in deſperatione refugium: uim tamen radicis mortiferam præparari poſſe, ut celerius uel tardius hominem rapiat, ita ut difficili uel leni tollat interitu: acceleret, differatq; ſumentibus exitium

exitium, debellari tamen facile potest. Dioscorides nullam ephemero uim lethiferam assignauit, sed radicem longam, non ut in Colchico, rotundam. Plinius quoq; uim salutarem, nec exitiosam ephemero tribuit: quare non desunt qui herbam uulgo *lilium conuallium* dictam esse existiment, sua sponte nascentem in opacis & lucis, unde nomen lilij conuallensis, caule multo, tenuiore, flore candido, suauiter olente, unde rura *muschetum* appellant, gustu subamaro, semine molli, radice digiti minimi crassitudine, singulari, longa, astringẽte, odorata. Plinius ei cæruleum florem tribuit, quo colore rarissime cõspicitur. Plurimæ profecto, quin potius omnes ephemeri, à Dioscoride descripti, ferè huic *lilio conuallium*, uel *granadiori*, ut uulgi utar uocabulo, *muschato* respondere cognoscuntur: quapropter à Dioscoride ephemeron appellari putandum est, non quòd eadem die iugulet, nullã enim ei uim mortiferam assignauit: sed quòd flos confestim deciduus, non longius uno & altero die commoretur, uel decerpto lõgior ei uita dies, tam fugaci nascitur sorte. Lens palustris inuenitur in aqua non fluente, muscus assimilis lenti, refrigeratoriæ naturæ, propterea ignibus sacris, inflammationibus, & podagris illinitur, & per se & cum polenta. Glutinat interanea puerorum procidentia. Est & palustris lens Plinio, per se nascitur in aqua non fluente, refrigeratoriæ naturæ, propter quod collectionibus illinitur & maxime podagris, & per se & cum polenta. Glutinat & interanea procidentia. Lens palustris sine radice conspicitur, sine foliis, etiam si id quod in ea fructificat, sit simile folio, minus habili humore quàm ut in eo folium conflari possit. Quidam aliud genus, non in aqua, sed uliginosis, dilutisq; nascens, maius eo tradunt, carens folio, agriam phaceam, hoc est syluaticam lentem uocantes. Priorem uulgus *aquæ lenticulam* nominat. ea stagnantibus aquis & residibus innatat, herbaceo colore, & quasi muscus, forma tereti, foliis semperuiui, sed longe minoribus, sine radice.

Aizoon maius. Cap. CXVI.

AIzoon maius Romani Iouis oculum & sedum nominant, ideo Græci sic appellant, quoniam sempiternum sit fronde. Maiori caules cubiti altitudinem excedunt, crassitudine pollicari, pingues, fruticosi, incisuris characiæ tithymali præcincti, folia pinguia latitudine pollicis, in cacumine linguæ similia, alia in terram conuexa, alia in capite stantia, ita ut prædenso cinctu effigiem imitentur oculi. Nascitur in montanis & in fictilibus. A quibusdam autem in tectis domorum seritur. Aizoo, ut Plinius tradit, duo genera, maius in fictilibus uasculis seritur. Sunt qui ambrosiam potius nominent, aliqui amerimnon, alij stergethron quòd amatorijs conueniat, alij hypogeson quoniam in subgrundijs ferè nascitur: Itali sedum magnum aut oculum, aut digitellum. Alterum minusculum quod erithales uocant, alij trithales, quia ter floreat, alij chysothales, alij isoetes, Itali sedum, alij aizoon, utrunque quoniam uireat semper, aliqui semperuiuum. Maius cubiti altitudinem excedit, crassitudine plusquam pollicari: folium aliud in cacumine linguæ simile, carnosum, pingue, largo succo, latitudine pollicari, alia in terram conuexa, alia stantia, ita ut ambitu effigiem imitentur oculi. Quod minus est in muris parietinisq; nascitur, & tegulis, fruticosum à radice, & sursum usque ad cacumen, foliis angustis, mucronatis, succosis, palmum alto caule, radix inutilis. Sedum maius seu semperuiuum, Galli hodie *iombarbam*, quasi Iouis barbam appellant, foliis ternum digitorum longitudine, duum latitudine, carnosis, læuibus, oblongis, mucronatis, succulentis, circa radicem densis ac semper uirentibus, caule sesquipedali proceritate, crassitudine plusquam pollicari, simplici radice. Haud alibi ferè quàm in subgrundijs & fastigijs domorum inuenitur. Sunt qui aithales à uiroris ęternitate, ut trithales à terno flore, & amerimnon à solicitudinis depulsu, & erothales à uernantis comę consequio nominent. Sedũ herbam putant fuisse eã quę Glauco marino deo immortalitatẽ dederit. Fuit et alter Glaucus in fabulis, qui Dracone medico mõstrante, cõtactu herbę, cuius nõ redditur nomẽ, reuixerit, sub Minoe. Aizoon minus siue semperuiuũ, in muris, & petris, & sepibus, oppidorũq; fossis nascitur, situ umbroso, caulículis pluribus ab una radice, folio denso, minuto, pingui, longo, mucronato, in medio caulis altus palmo, umbellam & florem herbaceum sustinens, tenuemq;. Huius foliis eadem quæ sedo maiori natura. Hoc in muris, parietinis prouenit

& tegulis

& tegulis,fruticosum à radice sursum ad cacumen,foliis angustis, & item succosis, radice inutili. *Vermicularis & cauda muris* uulgo dicitur, frequẽtibus à radice caulículis palmaribus, coma quidem innumera,sed minutissima foliatis.Ea tamẽ teres est,succosa,indiuidua,flosculis luteolis,radice inutili,cãdido interdum etiam flore spectatur. Sũt qui sisotheon aut gessitin,quasi grundiariam,nominant.Huic similis est quam Græci andrachnam agriam, Itali illecebram,pusillis,latioribus foliis,& breuiori cacumine. nascitur in petris, & colligitur cibi causa. Vtimur ea & nos in acetariis.Huic leptophyllo cognomentũ dant,alij petrophyes,alij sylueſtre aizoon, alij portulacam sylueſtrem, alij illecebram, pinguioribus foliis,portulacæ similibus,hirsutis.emicat in petris excalfactoria & acri natura & exulcerante. Cũ axungia strumas impositũ discutit.Primarũ duarũ uis eadẽ,refrigerare et astrin 10
gere.Medentur ephiphoris folia impositа uel succus inunctus: purgant em̃ ulcera oculorum,explentq́,& ad cicatricem perducunt,palpebras reglutinant. Eadem capitis doloribus medentur succo uel folio temporibus illitis.Aduersantur phalangiorum ictibus.Aconito uero maius aizoon præcipuè.A scorpione quoq́ ferri id habentem negant.Medentur & aurium dolori.Aizoon foliis contritis ex uino torminibus resistit.Ardoribus imponitur cum polenta tritum.Idem in primo impetu podagræ rubentis,hoc est calidæ conuenit.Ambustis cum radice cyclamini linitur.Duritias omnes & collectiones discutit. Sanguinem sistit in nares inditum si inde fluat.Cõtusis & euersis,etiã si febris sit, aizoon omne subuenit, sed è maiori succus efficacissime. Herpetas,& nomas, & putrescentia sanat. Mammarum uitijs aizoon, quod digitellum appellauimus, unice medetur. Succus eius 20
aluum sistit,& dysenterias,& tineas rotundas pellit. Vigiliarum remedio monstratur aizoon,siue sedum, si inuolutum panno nigro ignorantis puluino subijciatur. Iis quæ serpunt,& igni sacro medetur, eiq́ qui medium hominẽ cingit: zoster appellatur, enecat cũ cinxerit.Democritus succo herbæ,quæ aizoon appellatur,in tegulis nascẽs,latine sedum aut digitellum,medicata seri iubet omnia semina. Succus sedi insperſus arcet erucas. Natura,ut Dioscorides perhibet,maiori refrigerare,astringere.Medentur igni sacro, nomis, ulceribus quæ serpũt,oculorum inflammationibus,ambustis igni,podagris per se & cum polenta illita folia.Succus cum rosaceo infunditur ad capitis dolores. Datur in potu contra phalangiorum ictus,dysenteriam,aluiq́ profluuia. Teretes tineas pellit in uino.Subditus in uellere fœminarum abundantiam sistit.Oculis lippientibus sanguinis uitio perun- 30
gitur.Eisdem pollet uiribus aizoon minus.

Vmbilicus Veneris. Cap. CXVII

Otyledon Græcis,Romanis umbilicus Veneris, folium habet acetabuli figura,orbiculatũ,imperspicuoq́ concauũ,caulículo breui, qui è medio prosilit,& in eo semẽ,radice oliuę modo rotũda.Plinio herbula est caulículo tenero,pusillo,pingui folio,& cõcauo ut coxẽdices.nascitur in maritimis petrosisq́ uiridis,radice oliuę modo rotũda.Officinis hodie dicit *Veneris umbelicus*, herba nõ adeo magna,caulículo pusillo,tenero,sistuloso,foliis acetabuli forma,unde Græcis nomen.inuenitur in maritimis petrosisq́.Non est hæc,ut quidam rentur, ea quæ *cymbalaris* uulgo dicitur,etiam si cymbalion à Dioscoride uocetur.Est autẽ *cymbalaris herba*, fo- 40
lio tenui,anguloso,hederaceo,flore paruo,purpureo,in muris terræ nascens. Eadẽ tamen ab omnibus probatur esse cymbalaris cum umbilico Veneris, cum & similitudo confluat,& folium hederæ habuerit: nam ei tribuitur orbiculatum, ineuidenter concauũ, quod non longe abest ab hederaceo: reliqua paria ferè comperiuntur, nec natales dissentiunt. Quare potius hac in parte herbariorum iudicio subscribo.Est & aliud genus eiusdẽ cymbalion cognomine,sordidis foliis,latioribus specie ligularum, densioribus circa radicem, ita ut ambitu effigiem imitentur oculi, quemadmodum in sedo maiore, gustus asperi, caulículo tenui, & in eo flos & semen hyperici, radix grandiuscula. Vsus eius ad eadem quæ sedi.Est & alterum genus quoq́ eiusdem Plinio, sordidis foliis,latioribus densioribusq́ circa radicẽ uelut oculũ cingẽtibus,asperrimi gustus, lõgiore caule,sed pergracili. à 50
multis genus aizoi reputatur.Huius usu Hippocrates in cibo fœminiũ sexũ cõcipi,sicut priore masculinũ prodidit.Cotyledon oculis medetur succo. Infunditur etiã auribus purulentis cũ medulla ceruina calfacta, Omnia ueſicæ uitia sanat,& calculos herba & radix

cotyle-

cotyledonis: item genitalium inflammationem pari pondere & caulis, & seminis, & myrrhæ. Malis quæ serpunt radix cum mulso medetur. Ardoribus imponitur cotyledon trita cum polenta. Cum medulla ceruina calfacta fistulis omni in parte dehiscentibus auxilio est. Pernunculos curat cum axungia. Cõdylomata & hæmorrhoidas mire sanat. Hydropicos emendat radix ex mulso. Prioris succus præclusis genitalibus, ut Dioscoridi placet, circumlitus infususq; prodest. Inflãmationibus, ignibus sacris, pernionibus auxiliatur illitu. Stomachi feruores refrigerat. Folia cum radice commanducata calculos comminuũt. urinas cient, hydropicis ex melle dãtur, amatorijs adhibentur. Secundæ cotyledonis uis eadem quæ semperuiui.

Vrtica. Cap. CXVIII.

ACalyphen, alij cniden, Romani urticam uocant. Binæ igitur differẽtiæ sunt, altera syluestrior & asperior, latior, nigrior folijs, semine lini sed minore: altera tenui semine, minor. Vrtica ex aculeatis generibus maximè nascitur, acetabulis in flore purpuream lanuginẽ fundentibus, sæpe altior binis cubitis. Plures eius differentiæ. syluestris, quam fœminam uocant, mitior. Inter syluestres, quæ dicitur cania acrior, caule quoq; mordaci, fimbriatis folijs: quæ uero odorem fundit, herculana uocatur. Semẽ omnibus copiosum, nigrum. Mirum, sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam noxiam, & tactu tantum leui, pruritum pustulasq; confestim adusto similes existere. Notum est remedium olei. Sed mordacitas non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata: incipiens quidẽ ipsa nasci uere nõ ingrato, multis etiam religioso in cibo est ad pellendos totius anni morbos. Syluestrium quoq; radix omnem carnem teneriorem facit simul cocta. Quæ innoxia est, morsu carens, anonium uocatur. *Vrtiam* Galli nominant. Adeo nobilis est improba foliorum mordacitate, caule quoque lanugine noxio, cubitali, acetabulis in flore purpuream fundentibus lanuginem, semine copioso, nigro. Quæ uero ex ijs mitissima, folijs non mordentibus lamium siue anonium uocatur, à quibusdam urtica iners & mortua, folijs mordacis minoribus, candidioribus, tactu innocentibus, flore albo caulículos coronante. unde uulgus nostrum *urticam albam* appellant, & *mortuam*: ut inuisam illam, quæ leui tactu uredinem ac pustulas protinus excitet, *uiuam* appellant *urticam* & *griacam*, quasi agriam & syluestriorem. Ea longius irritata solibus adultior, multo magis prurigine lacessit. Si quadrupedes initum non admittunt, urtica naturalia earum fricanda monstrant. In Oeta monte sterilium, nec iniri se patientium caprarum ubera terentes ea lac eliciunt. Apud Atticos, ut testatur Athenæus, herba dicitur pruritus mouens, à quo effectu reliqui Græci cnidam, quasi prurigínosam uocant. Semen colligi messibus oportet. Alexandrinum maximè laudatur ad omnia. Ex urtica in Aegypto fit oleum. Plurimis ea scatet remedijs. Semen eius cicutæ contrarium esse Nicander adfirmat: item fungis, & argento uiuo. Apollodorus & salamandris cum iure decoctæ testudinis: item aduersari hyoscyamo, & serpentibus & scorpionibus. Quin illa ipsa amaritudo mordax uuas in ore, procidentesq; uuluas & infantium sedes tactu resilire cogit: lethargicos expergisci tactis cruribus magisq; fronte. Eadem canis morsibus addito sale medetur. Sanguinẽ trita naribus indita sistit, & magis radice: carcinomata & ulcera sordida sale admisto: itẽ luxata. Sanat & panos, parotidas carnesq; ab ossib. recedẽtes. Semen potũ cũ sapa uuluas strãgulantes aperit, et profluuia nariũ sistit impositũ. Vomitiones in aqua mulsa sumptum à cœna faciles præstat duobus obolis: uno aũt in uino poto, lassitudines recreat. Vuluę uitijs tostũ aceta buli mẽsura medetur. Potũ in sapa resistit inflationibus stomachi. Orthopnoicis prodest cum melle, & thoracẽ purgat eodẽ eclegmate. Lateri medetur cũ semine lini, addũt hyssopum & piperis aliquid. Illinitur lieni. Difficilem uentrẽ tostum cibo emollit. Hippocrates uuluam purgari poto eo pronunciat: dolore leuari tosto acetabuli mensura dulci poto, & impositio cũ succo maluæ: intestinorũ animalia repelli cum hydromelite & sale: defluuia capitis semine illito cohonestari. Cõdidit laudes eius Phanias physicus, utilissimã cibis coctã conditam'ue professus arteriæ, tussi, uẽtris destillationi, stomacho, panis, parotidi, pernionibus: cũ oleo sudorẽ, coctam cũ cõchulis ciere aluũ: cũ ptisana pectus purgare, mulierumq; menses: cũ sale ulcera quæ serpũt prohibere. Articularijs morbis & podagricis plurimi

rimi cum oleo uetere imponunt. Ad eadem radix tusa cum aceto non minus utilis: item lieni. Cocta in uino discutit panos cum axungia uetere salsa: eadem psilothrũ & sicca. Succus quoq; in usu est. Expressus illitusq; fronti sanguinem narium sistit. Potus urinam ciet. calculos rumpit. Vuam gargarissatus reprimit. Et mitiores quidem tenereq; efficaces, sed præcipuè syluestris illa lepras in facie tollit in uino pota. Vtriusq; folia, ut testatur Dioscorides, canis morsibus addito sale aduersantur, emendant gangrænas, & quæ uocantur caeoethe, carcinomata, sordida ulcera, itẽ luxata. Sanat & panos, parotidas, tubercula, suppurationes. Illinuntur lieni cum cerato. Profluuia narium cum succo sistunt trita & imposita. Mulierum menses admotis cum myrrha ciuntur: recẽtibus illitis procidentes uuluæ resiliunt. Semen potum ex passo uenerem stimulat, uuluas aperit. Orthopnoicis, & laterũ dolori, pulmonum inflammationibus prodest illinctum. Thoracem expurgat. Exedentibus medicamentis admiscetur. Aluum folia cum cõchulis decocta molliũt, urinas ciẽt, inflationes discutiũt, pectoris excreationes adiuuãt, menses eliciũt si myrrhę paulũ adijciat. Succus uuã gargarissatus reprimit. Ea uero quę lamium appellatur, mitissima est, & folijs non mordentibus. Medetur cũ mica salis cõtusis, incussisq;, & strumis, tumoribus, podagris, uulneribus. Albũ habet in medio folio quod ignibus sacris medetur. Quidã tempore discreuere genera. Autumnalis urticæ alligatam in tertianis liberari morbo tradiderũt. Hoc idem contra quartanas pollere. Idem urticæ radice addito sale infixa corpori extrahi, folijs cum axungia strumas discuti, uel si suppurauerint erodi, compleriq;.

Galeopsis, Galion, Erigeron, seneci, Thalictrum. Cap. CXIX.

GAleopsis, alij galeobdolon, Romani s urtica labeo, caulis & folia urticæ læuiora, & quæ pergrauẽ odorem trita reddũt, flore purpureo, tenui. nascitur circa sepes & semitas, & in ruderibus passim. Plinio galeopsis, aut ut alij galeobdolon, uel galeon, folia habet urticæ, læuiora, & quæ grauem odorem trita reddant, flore purpureo. nascitur circa sepes & semitas ubiq;. Ea putatur à multis esse, quæ uulgo & officinis *agripalma* dicitur, optimè mulieribus cognita, quas sæpe strangulans uterus opprimit. nãq; suo graui odore reuocat, & uelut exanimes recollígit. Nõ carent ea matronæ uuluæ uitio opportunæ. nanq; frutex est thyrso ac fronde urtica læuioribus, quę detrita grauem fundant odorẽ, flore purpureo, cacumine caulis aspero. nascitur propter uias in sepibus & ruderatis. Folia caulesq; duritias & carcinomata sanant ex aceto trita & imposita: item strumas, panos & parotidas discutiũt. Ex usu est & de cocto succo fouere. Putrescentia & gangrænas emendant ex sale. Folia, succus, caules, semina duritias, carcinomata, parotidas, panos discutiũt: sed bis die tepidis lini debẽt, & de cocto foueri. Nomas, putrescentia, gangrænas sanat cũ sale. Galion, alijs galerion, alijs galation, dictum à lacte, cui additum pro coagulo est. folium habet & ramulum stantem, utrinq; simillimum aparinæ, florem in cacumine luteum, exilem, densum, frequentẽ, odore grato. Nostris rusticis *minus muscheum* uocatur, quòd flos iucundo placeat odore. Nanq; ramulum foliumq; profert aparinę simillimum, rectum, florem in cacumine luteum, alias candidum, tenuem, copiosum, odoratum. in aruis & humidis prouenit, folijs circum cau les aparinę modo stellatim radiatis, sed aliquanto maioribus. Nomen inuenit ex eo quòd flos eius ui spissandi lac coagulet. Flos ambustis illitus medetur, sanguinis profluuia cohibet. Idem cũ cerato rosaceo insolatur donec albescat, ita inũctus lassitudines recreat. Radix uenerem stimulat. Nascitur in palustribus. Erigeron Latinis senecio dicitur, herba est caulículo cubitali, subrubro, folijs pusillis & crebris, per extremitates erucæ modo laciniatis, sed minoribus multo: flos luteus, qui breui digestus abit in pappos, uanescitq; in lanugines. Et ideo nomẽ herbę datũ, quia flores capillitij modo uere canescãt. radix inutilis. nascitur in septis, & circum oppida. Erigeron Græcis, Latinis senecio, herba est Plinio trixaginis specie & mollitia, caulículis subrubicundis. nascitur in tegulis & muris. Nomen hoc Græci dederunt, quia uere canescit. Caput eius numerosa diuiditur lanugine, qualis est spinæ, inter diuisuras exeunte, quare Callimachus acanthida appellat: alij pappũ, nec deinde Græcis de ea constat. Alij erucæ folijs esse dixerũt, alij roboris sed minoribus multo: radice alij superuacua, alij neruis utili, alij potu strãgulante. Nec defuere, qui alterũ genus facerent, nec quale esset demonstrarent, dantes cõtra serpentes bibendũ, edendum ue

comitia

comitialibus. Cæterum senecio apud Gallos nomen retinuit, cauliculo molli, subrubro, dodrantali, folio carnoso, laciniato, profundis anfractibus sinuoso, melanthij siue githi effigie, floribus luteis, qui in lanuginem euanescunt pappum dictam. Sunt qui senecionem in tellexisse putant Nicandrum cum geraon pogona dixit, quasi senis barbam: cum uerissimi lius sit herbam hirci barbulæ similem notari, quæ uulgo *barba senis* dicitur, de qua in geropogone suprà diximus. Plinius eã Romanis experimentis per usus digessit. Lanugo eius cum croco ex exiguo aquæ frigidę trita illinitur epiphoris: tosta cũ mica salis strumis. Quidam herbã regio morbo cum uino dederunt, & cõtra omnia uesicæ uitia, itẽ cordis & iocineris. Renibus extrahere arenã dixere. Ischiadicis drachmã cum oxymelite ab ambulatione propinauere. Torminibus quoq; in passo utilissimã, præcordijs etiã cibo ex aceto præ dicãtes, ferentesq; in hortis. Dioscoridi folijs & floribus natura refrigerandi: quapropter cum exiguo uini lita, siue per se, testiũ inflãmationibus sedisq; medetur. Cum omnia, tum neruorũ quoq; uulnera cũ manna thuris persanat. Lanugo eius per se tantũdem præstat ex aceto inducta, uerũ recens in potu strãgulat. Caulis totus in aqua decoquitur ad sanandos stomachi dolores, quos bilis creauit, cũ musto bibẽdus. Thalictron folia coriandri habet, pinguiuscula, cauliculũ rutæ crassitudine, in quo summo folia, quæ trita illitu ulcera uetera ad cicatricem perducunt. nascitur præcipuè in campestribus. Thalictron, ut Plinius tradit, folia coriandri habet, pinguiora paulo, caulem papaueris. Nascitur ubique, præcipuè in cãpestribus. Dioscorides & Galenus rutæ caulẽ ei tribuunt non papaueris, librarijs similitudine uocabulorũ deceptis, in quos Plinius inciderat. Multa certe, et omnia fere paria, comperio in herba, quam herbarij huius ætatis *argentinam* appellant. nam folijs conspicitur coriandri paulo pinguioribus, caule rutæ crassamento, superne densius folia to. inuenitur ubiq;, sæpe in campestribus & macerijs. Herba argẽteo micat coloratu, inde nomen nascitur ei inditum. Medentur ulceribus folia cum melle.

Bryon marinum, Phycos marinum. Cap. cxx.

BRyon thalassion nascitur in lapidibus testaceisq;, lactucæ folijs, gracile, citra caulem. Bryon marina herba sine dubitatione, lactucæ folijs rugosa, ueluti contracta, sine caule, ab ima radice exeũtibus folijs. Nascitur in scopulis maxime, testisq; terra comprehensis. Foliũ ei herbidum, latũ, uel in rugas contractũ: principio alio atq; alio, sine caule, plusculis ab ima radice prodeuntibus lactucæ folijs. Præcipua ei siccandi spissandiq; uis, collectiones omnes inflammationesq; cohibendi, præcipuè podagrę, & quicquid refrigerare opus sit. Phycos thalassion. plura eius genera, latiore folio, quadam tenus lõgo & rubente: alterũ cãdido, in Creta insula iuxta terrã florentissimum incorruptumq;. Phycos thalassion, id est fucus marinus, lactucæ similis, qui cõchylijs substernitur. Tria eius genera, latum, & alterum lõgius, quadantenus rubens: tertiũ crispis folijs, quo in Creta uestes tinguntur. Phycos nõ habet alia lingua nomen, etiã si fucus apud nos dictus esse uideatur. Hic autẽ frutex est lactucæ similis. Genus ei triplex, unũ folio lato, uiridi, ob id prasson uocatũ, ab aliquibus zoster, radice foris pilosa, intus squamatim cõpacta, prælõga, & crassa, ut cepis & gethyo. Alterum similе fœniculo nec uiride, sed pallidum, sine caule, rigens tantũ atq; stãs, & eo copten à duritia uocatũ. In testis fractis saxisq; nascitur terra, ut mari tamen alatur. nam superius inuadit haud procul litore, extra Herculis columnas magnitudine mirabili. Latitudo quæ manu comprehendi nequeat. Fertur hoc fluctu extrinsecus in nostrum mare, prasson etiã uocatum, quia pari fronde sit. Annuum esse traditur, utrunq; præcipiti uerno enasci, per æstatem uigere, autumno flaccescere, hyeme emori. Tertiũ gramini simile est, radice longa, obliqua, geniculata, caule arũdinis, lõgè minus quàm cætera. Alij breuius genera distingunt primum lato, secundum longo, quod & rubens, ultimum crispo quod pelagion & Cretense nominatur, quia spongiarij urinatores ex alto id petant. Circa Cretam in petris copiosissimum & præstantissimum, quo & tænias, & lanas, & uestes inficiant, prouocante purpuras quandiu recens tinctura est, ita colorem alligans, ut postea non possit eluí. Laudatissimum, idemq; copiosissimum à parte Aquilonis, quemadmodum & spõgia. Fucus cognomento marinus, ut à metallico distet, marinarum fruticumq; multa complectitur genera. Est nanq; uulgaris, quæ & rufa, in saxis repens, bullata, lubrica, geniculata, rauo co-

lore, folio carnoso, ex parte supernatãs. Est & alia folio lato, colore herbido, à quo & prasson & zoster appellatur, radice crassa, hirta, squamata, crassaq; gethyo nõ absimilis. Est & quædã folio piloso, magnitudine tãta ut uix manu cõprehendi possit, sed huic anniuersaria uita. Nascitur uere, uiget æstate, minuitur autumno, hyeme interit. Est alia folio gramineo, caule calamaceo, radice geniculata. Est deniq; pelagica, folio crispo, qua Cretenses lanas tingunt purpureo colore, ob id pseudoconchylion à Democrito uocatur, & flos, siue coccus marinus, & à Strabone in Arabico sinu. Rustici apud nos *feulum* uocant herbulam quasi fucum, in altis rupibus & editis silicibus enatam, folio lactucæ, crispo, quod nõ sine magno quæstu eruunt, inde & dominis tributa pendunt, summopere quæsitum inficiendis lanis colore cum purpura de primatu certante. Fucus marinus nõ podagrę modo malo, sed omnibus articulorum morbis liberat impositus priusquã exarefiat. Nicander eam aduersus serpentes dedit. Rufa scorpionum ictibus medetur. Refrigerandi uim habent Dioscoridi fuci genera, perunctionibus podagrarum & inflammationibus utilem, priusquam exarescant. Nicander puniceum aduersus serpentes dedit. Hoc fuco quidam putãt mulieres suum colorem mentiri, errore perspicuo, quòd radicula sit eiusdem nominis, qua sese fucant, & uitia faciei occultant.

Potamogeton, Stratiotes aquaticus, Stratiotes terrestris. Cap. CXXI

POtamogeton, Romani fontalem uocãt, betæ similis, hirsutior tantum & minutior, paulum exerens caput extra aquã. Potamogeton, ut Plinius scribit, similis est betę, foliis minoribus tantum hirsutioribusq;, paululum superemines extra aquam. Castor hãc aliter nouerat, tenui folio uelut equinis setis, thyrso longo, læui, in aquosis nascentem, radice sanabat strumas & duritias. Potamogeton ea creditur esse herba quæ in uadis fluminum frequens emicat, betæ foliis, sed minoribus, super aquam expansis. Dysentericis, & etiam cœliacis medetur. Peculiariter refrigerat. Spissant usus in foliis. Cruribus uitiosis utilia, & contra ulcerũ nomas cum melle. Aduersatur crocodilis, itaq; secum habent eam qui uenantur illos. Spissandi & refrigerandi natura efficax contra ueterum ulcerum nomas. Nomen à loco ubi nasci amat inditum est. Castoris potamogeton eadem cum equiseto, de qua supra locuti sumus, esse creditur. Stratiotes in aquis nascens, aliis potamios stratiotes, hoc est fluuiatilis militaria, nominatus ita quòd aquis supernatet, radice nulla, similis aizoo ni maiora haberet folia. Celebratur & à Græcis stratiotes. Et ea, ut Plinius author est, in Aegypto tantum & in undatione Nili nascitur, aizoo similis ni maiora haberet folia. Refrigerat mirè, & uulnera sanat ex aceto illita, item ignes sacros, ac suppurationes. Sanguinem quoq;, qui à renibus defluit, pota cum thure masculo mirifice sistit. Folia refrigerant, sanguinem à renibus ruentem cohibent: uulnera quæ inflammationem minantur intumescere non sinunt: ignibus sacris & tumoribus ex aceto linuntur. Diuersam ab hac militarẽ aliã existimo, quam alij eandem quę & lactoris, aliqui similem dicunt. Est autem lactoris nota uulgo, ut inquit Plinius, plena lactis, quod degustatum uomitiones concitat. Hæc & *lactaria* & *anabula* nunc dicitur, oleæ folio, sed minore, flore luteo. Eandem aut similem aliqui uolunt illi, quam militarem uocant, quoniam uulnus ferro factum nullum non intra dies quinque sanat ex oleo imposita. Stratiotes qui chiliophyllos, hoc est millefolium uocatur, frutex est pusillus, palmum altus, uel eo maiusculus, foliis pinnæ auium pulli similibus, & cum erumpunt admodũ breuibus & incisis, planeq; cumini syluestris folia crederẽtur exilitate asperitateq;, nisi breuiora etiamnum & contractiora spectarentur. Vmbella quoq; huius densior atq; adultior quàm illius. Minutis hæc cirris, qui in cacuminibus sunt, anethi modo insidet, flore albo exiguo. Nascitur in agris solo macriusculo, & circa semitas maxime. *Cuminum syluaticum* aliqui nominãt, alij *anethum syluestre*, alij *asininum daucum*. fruticat altitudine paulo maiore palmo, foliis auicularũ pennas imitãtibus, breui admodũ dissectoq; foliorũ exortu. Folia syluestre cuminũ simulant, præsertim breuitate atq; scabritia, breuiora paulo, densiore umbella, & pleniore. Surculos in cacumine gerit exiguos, et capitula in modũ anethi, flores paruos, cãdidos, nascitur in asperis agris, & præcipuè circa semitas. Celebratur ad sanguinem qui erumpat arcendum, & ad ulcera uetera & recentia, item ad fistulas.

Verbascum

Verbascum, Aethiopis. Cap. CXXII.

PHlomos, Romanis uerbascum dicitur, genera habet summa duo, alterum folio candido, alterum nigro. Candidum rursus in marem & fœminam digeritur. Fœminæ folia brassicæ, multo hirsutiora, latiora & candida, caulis eius cubitalis & amplior, candidus ac leniter pilosus, flore albo & subpallido, semen nigrum, radix longa, acerba, crassitudine digitali. nascitur in campestribus. Mari folia candicant, sed longiuscula sunt & angustiora quàm fœminæ, caulis quoq; tenuior. Verbascum nigrum paria omnia supradicto habet, foliis latioribus minusq; candidis. Habetur & syluestre uerbascum, altum uirgis arboreis, folio saluiæ, orbibus uirgas cingentibus ut marrubium, floris lutei, fulgore auri. Sũt & phlomides duæ hirsutæ, foliis rotundis, & tertia quæ lychnitis uocatur, ab aliis thryallis, foliis ternis, aut quaternis, aut etiam plusculis, crassis, pinguibus, plumosis, ad lumina lucernarum utilibus. Verbascum Græci phlomon uocant, authore Plinio: genera habet prima duo, album in quo mas intelligitur: alterum nigrum, in quo fœmina: tertium genus non nisi in syluis inuenitur. sunt folia brassicæ latiora, pilosa, caulis erectus, cubitali amplior, semen nigrum, inutile, radix una crassitudine digiti. nascũtur in campestribus. Syluestri folia elelisphaci alta, ramis ligno sis. Sunt & phlomides duæ hirsutæ, rotundis foliis, humiles: tertia lychnitis uocatur, ab aliis autẽ thryallis, foliis ternis, aut cum plurimũ quaternis, crassis, pinguibus, ad lucernarũ lumina aptis. Aiunt in foliis eius, quam fœminam diximus, ficus omnino non putrescere. Distingui genera hæc pene superuacuũ est, cum sint omnia eiusdẽ effectus. Est similis uerbasco herba quæ sæpe fallit pro ea capta. Hæc abiecta blattas in se contrahit, ideoq; Romæ blattariam uocant, foliis minus cãdidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Verbascum Galli *boulioncm*, officinæ *taxum barbatum*. Duo habet fastigia, album & nigrũ: hoc fœmina, illo mas intelligitur, candido flore, qui in fœmina luteus est. sic *boulionem album & nigrum* lingua Gallica uocamus. cætero pares, nempe singulari caule, trium & amplius cubitorum, florũ congerie spicato, foliis brassicæ latioribus, mollibus, lanuginosis, nigro semine, radice solitaria, digitali crassitudine. caulibus adipe uel aliquo pingui illitis rustici apud nos ad lumina utuntur. Traduntur & duæ phlomides hirsutæ, rotundioribus foliis, humiles. Hæ uulgo, ut doctis etiã placet, *brachæ cuculi*, officinis *primulæ ueris* quòd primo statim uere emicãt, folio uerbasci multo minore, rotundiore stilo, palmi altitudine prodeũte, incano, in cuius uertice dependent terni quaterni'ue flores lutei, aliquantum odorati, quibus uernæ texuntur coronæ, quæ in hortis seritur, spontaneæ omnino similis. flos ex albo in luteũ langescit. Omnia uerbasci genera eiusdem sunt effectus. Contra scorpiones bibitur radix cũ ruta ex aqua. Sistit aluum ex aqua pota duorum digitorum magnitudine. Verbascum priuatim medetur tonsillis. Ad lateris & pectoris dolores ex aqua cum ruta bibitur. Panos sanat cum sua radice tusum, uino aspersum, & ita cinere calfactum, ut imponatur calidum. Adfirmauere plurimum esse remediũ si uirgo imponat ieiuna ieiuno. Omnibus pectoris uitijs, tussi, & purulenta excreantibus tribus obolis bibitur uerbascũ cui flos aureus. Tanta uis huic est, ut iumentis nõ tussientibus modo, sed ilia trahentibus auxilietur potu. Semen ex uino decoctum & contritum luxatis medetur, dolorem & tumores tollens. Radicis medulla collyrij tenuitate in fistulam additur. Contusis, euersis, & si febris sit potatur in aqua uerbascum, cuius flos auro similis est. Folia ex aceto imponuntur in struma. Semine ac foliis in uino decoctis ac tritis omnia corpori infixa extrahuntur. Radix priorũ duarum Dioscoridi astringit, unde in aluo cita, astragali magnitudine, datur ex uino: decoctum ad rupta, incussa, conuulsa, ueteres tusses. Dentium dolorem collutione mitigat. Capillum tingit cui flos aureus, & quocunq; abijciatur blattas in se contrahit. Folia si decoquantur in aqua tumores, epiphoras oculorum illita sanant. Syderatis ulceribus cũ melle aut uino medentur, cum aceto quoq; uulneribus. Cõtra scorpionum ictus præsidio est. Syluestris folia ambustis igni subueniunt. Aiunt, in foliis eius, quam fœminam diximus, aridas ficus omnino nõ putrescere. Aethiopis folia habet uerbasco similia, perquã hirsuta, densaq;, in orbem circa radicem imam sparsa, caulem quadrangulum, scabrum, adultum, arctio aut apiastro similem, alarum cauis multis, semen eruí magnitudine, in singulis uasculis geminũ, radices ab eodem cespite numerosas, longas, crassas, glutinosasq; gustu.

Siccæ nigrescunt, duranturq; ut cornua possint uideri. nascitur in Messenia, & Ida monte Troadis plurima. Aethiopis, ut Plinius refert, folia habet phlomo similia, magna, & multa, & hirsuta, ab radice caulem quadrangulum, scabrum, similem arctio, multis concauum alis, semen eruo simile, geminum, radices numerosas longas, plenas, molles, glutinosas gustu, siccæ nigrescunt duranturq; ut cornua uideri possint. Præterea in Aethiopia nascuntur, & in Ida monte Troadis, & in Messenia. Colliguntur autumno, siccanturq; in sole aliquot diebus, ne situm sentiant. Ostendit æthiopidem terra ab exusto syderis axe. Credidit magica uanitas æthiopide amnes & stagna siccari coniectu, tactu clausa omnia aperiri, eò euecta ut abrogare herbis fidem cunctis posset. Aethiopida in Meroe nasci tradũt, folio lactucæ, hydropicis utilissimam è mulso potam. Medentur radices uuluis potæ in uino albo. Ischiadicis, pleuriticis, faucibus scabris decoctæ potui dãtur. Sed quæ Aethiopia uenit, eximia est, atq; illico prodest. Auxiliat purulentis excreationibus, ischiadicis, pleuriticis, arteriæ scabritijs. Decocta radix & pota, quin & cũ melle, eclegmatis usum præbet.

Arction, Arction personata. Cap. CXXIII.

ARction, aliqui potius arcturum uocant, similis est uerbasco foljs, nisi quòd hirsutiora, rotundioraq; sunt, radice tenera, dulci aibaq;, caule molli, longo, semine cumini paruo. Arction ab urso nomen obtinet. Plinio arction, aliqui potius arcturum uocãt, similis est uerbasco foljs, nisi quòd hirsutiora sunt, caule lõgo, molli, semine cymini. nascitur in petrosis, radice tenera, alba, dulciq;. *Lappam minorem* herbarij uocant, foljs herbasci, hirsutioribus, rotundioribus, caule longo, molli, semine cumini, paruo, radice tenera, alba, dulciq;. Hallucinantur qui *ungulam caballinam* uulgo dictam arction esse sentiant, cum ut suprà demonstrauimus, bechion sit & tussilago, quæ ungula uocatur caballina. Decoquitur arction in uino ad dentiũ dolorem, ita ut in ore contineatur decoctum. Bibitur propter ischiada & stranguriam è uino. Ambustis imponitur & pernionibus. Fouentur eadem cum radice semine trito in uino. Decocta radix in uino dentium dolorem mulcet, si cõtineatur ore decoctum. Ambusta pernionesq; fouentur eodem. Bibitur aduersus coxendicum dolores, & stranguriam è uino.

Arction, alij prosopida, siue prosopion uocant, folia habet cucurbitis maiora, duriora, nigriora, & hirsuta, caulem subcandidum, sæpe nullum, radice grandi, alba intus, foris nigra. Personatam, quam nemo ignorat, Græci uero arction uocant, folia habet etiam maiora cucurbitis, & hirsutiora nigrioraq; & crassiora, radicem albam & grandẽ. Arction prosopites personatiam in latino sonat, uulgus nostrum *gleteronem*, uel *bardanam*, & *lappam maiorem* officinæ uocant, folio constat omnium lapparum maximo, parte auersa herbido, aduersa cano, caule oblongo, molli, grandibus lappis, quæ transeuntium uestibus adhærescunt, in queis flos purpureus nascitur, non euidens sed occultus intra se germinans, uelut animalia quæ intra se pariunt, radice grandi, candida intus, foris atra. Non desunt tamẽ qui personatiam pro pestate capiant, Plinio dicente folio personatiæ nullum est latius, grandes lappas ferentis, quæ non in personata uel arctio, sed in petasite cernuntur: cæterũ arctio prosopitæ maiora traduntur cucurbitis, in caule subcandido. Petasites pediculum fundit longo cubito proceriorem, pollicis crassitudine, cui grande folium galeri specie, tãquam fungus, annectitur. Nec caulis ei nec lappæ à Dioscoride tribuuntur, ut mox liquebit: quapropter multum à uero deficere uidentur, qui *bardanam* uulgo dictam, petasiten esse statuant. siquidem petasites prægrandis est, pediculus sæpe bicubitalis, folium pileaceum, idq; singulare sustinens. Nominatur & personata siue personyton à Plinio, herbæ genus Aegyptię. in hortis seritur coronarum gratia. Duo genera eius, mas ac fœmina. Vtra que subdita uenerem inhiberi, maximè uirorum, tradunt. Personatæ radix longa non fasti diendi odoris, flore in lappacea spica purpureo. Lucius Columella uenena uiperæ depellere commemorat super scarificationem ferro factam, herbam quam uocant personatam tritam & cum sale impositam. Plus etiam eiusdem radix contusa prodest contra serpentes. Ex uino bibitur duũm denariorum pondere. Strumis radix personatæ medetur, itẽ cũ axungia, operitur folio suo imposita. Contra purulentas, contraq; crũentas excreationes radix drachmæ ponderis cũ pineis nucleis undecim sumitur. Panos sanat eadẽ ut in strumis apposita, igni sacro medetur. Ad erraticum sanguinem illita cum axungia prodest. Radices

dices perfolatæ uulneribus ferro illatis recentibus imponũtur, folia ueteribus, cum axungia utraq;, & fuo folio operitur. Et ut teſtatur Dioſcorides radix drachmæ pondere cum pineis nucleis pota, purulenta cruentaq; extuſſientibus auxilio eſt. Articulorum doloribus, qui ex euerſionibus atq; colliſionibus cõtrahuntur, trita imponitur. Folia quoq; uetuſtis ulceribus utiliter illinuntur.

Petaſites, Epipactis, Capnos, fumaria. Cap. CXXIIII

Petaſites pediculus cubito maior, craſſitudine pollicis, à quo prægrande folium galeri modo amplum ut fungus dependet. Petaſites à petaſo, pileum ſignificante, nomen traxit apud Græcos, apud quos petaſati Caſtor & Pollux dicuntur: nec aliud in Mercurio petaſus eſt, quàm galerus. Rura noſtra *maiorem* uocant *bardanam*, cuius tantæ amplitudinis eſt folium, ut & caput ab inſolatu & pluuijs uindicare poſſit. Seſquicubitalem ſæpe pediculum uidimus, pollicari craſſitudine, in cuius uertice annexum fungi modo folium, figura pileaceũ. Lappas ferre proximè radicem uidimus, minores perſolata, in quibus floſculus emicat. Singuli pediculi ſingula folia ſuſtinẽt uice caulis. De quo nõ aliud prodidit Dioſcorides, niſi petaſitẽ pediculum eſſe, cubito proceriorẽ, pollice craſſiorẽ, in eo galericulatum foliũ, prægrande ut fungus, cacumen opacãs, quali ſpecie uiſitur apud nos. Cõtra phagedænas, & ulcera quæ cacoethe uocant efficaciter illinitur. Epipactis ab alijs elleborine, ab alijs borion uocat, frutex eſt puſillus & minimis folijs. in Aſia & Græcia ut Plinius cõmemorat naſcitur. Frutex epipactis, quẽ alij elleborinen uocant, paruis folijs. Alibi epipactis, ab alijs elleborine uocat, parua herba, exiguis folijs. Iocineris uitijs utiliſſima, et cõtra uenena pota. Folia cõtra uenena proſunt, itẽ iocinerũ uitijs. Capnos, Romanis fumaria, herba eſt fruticoſa, coriãdro ſimilis, prętenera, folio albiore, cineracei coloris, ũdiq; numeroſo, flore purpureo. Succus claritatẽ facit inunctis oculis, delachrymationẽq; ceu fumus, inde nomen accepit. Capnos Plinio fruticoſa eſt, prætenera, folijs coriandri, cineracei coloris, flore purpureo. naſcitur in hortis, & ſegetibus hordeaceis. Claritatẽ facit inunctis oculis, delachrymationemq; ceu fumus, unde nomẽ accepit. Gallis hæc *fumus terræ* uocatur, herba mollis, fruticoſa, coriani folio, cineracei coloris, flore copioſo, purpureo, albicãte radice, ſucco acri & amaro, quo oculorũ caliginem diſcutiũt, lachrymas in fumi modũ eliciendo, unde herbæ nomen. Eſt & alia capnos Plinio, quã pedes gallinaceos uocãt. naſcens in parietinis & ſepibus, ramis tenuiſſimis ſparſisq;, flore purpureo, uiridis, ſucco caliginem diſcutit: itaq; in medicamenta oculorum additur. Similis & nomine & effectu alia, quã paulo antè diximus. Pes gallinaceus folio eſt agreſtis paſtinacæ tenuiſſimis ramulis ſparſisq;, flore ex purpura candicante. Hæc in parietinis & ſepibus naſcitur, illa in hortis & ſegetibus. Dioſcorides uno fumariæ genere cõtentus eſt. Pes gallinaceus ei cauliculo eſt dodrantali aut maiore, folijs apio ſimilibus, fœniculi modo per extrema multifidis hiſpidisq;, candida in cacumine umbella, ſuauiter olente, de quo in caucalide diximus. Fumaria euulſas palpebras renaſci prohibet, Capnion herbam qui edere bilem per urinam trahunt. Strumas diſcutit. Succus claritatem facit oculis, delachrymationemq;: euulſus cum gumi euulſas palpebras renaſci non patitur. Commanducata herba bilioſam urinam pellit.

Lotus ſatiua, Lotus ſylueſtris, Cytiſus, Lotus Aegyptia. Cap. CXXV.

Lotus, quam alij triphyllon, alij tribolion, aut tripodion uocãt, naſcitur in uiridarijs, caule tantum foliata. Mirum, lotum herbã non niſi poſt annum è ſemine ſuo naſci. Apud Heſperios Aethiopas naſci tradit herbã lotum uocatam Artemidorus, qua ueſcentes quãlibet ſiticuloſo & ſqualẽti tractu ſitim arceãt: ob id & Aethiopes, ut inquit Strabo, lotophagi nominati ſunt. Scio in pratis & cultis campeſtribus herbã enaſci quã officinę *andachocham*, et *coronam* uocant *regiam*, quoniam luteis floribus ſupernè coronetur, humilem, palmi altitudine, folio pratenſis trifolij, flore piſi multo minore, lutei coloris, cauliculum coronante: ſed an lotus ſit urbana non auſim aſſerere, quòd à Dioſcoride non deſcribatur. Sunt tamen qui uerum melilotum eſſe defendant. Succus urbanæ loti cum melle argema, nubeculas, albugines q;, & quæcunq; luminibus obſcuritatem adferunt, diſcutit. Lotus ſylueſtris, triphyllon, alij libyon, Romani trifolium minus uocant, naſcitur Libyæ prouentu magno, caule cubi-

torũ bínûm,aut etiã altiore,alís pluribus cõcauo,folijs loti trifoliæ,quæ gignitur in fœnili bus pratis,ſemine fœnigræci, minutiore multo, medicati guſtus. Natura ei excalfactoria & leniter aſtrictoria. Cum melle uitia cutis in facie & maculas emendat. Ad dolores ueſicæ bibitur per ſe,aut cũ ſemine maluæ,uel paſſo. Cytiſus,alij telinen,alij triphyllon, alij lotũ magnũ,Romani trifoliũ maius. Frutex eſt incanus totus ut rhamnus,cubitalibus ramis,ſæpe maioribus,circa quos folia fœnigræci,aut loti trifoliæ, ſed minora, dorſo in medijs tumẽte. Odor erucæ ſi digitis terãtur,cõmanducatis guſtus ciceris recẽtis. Frutex eſt cytiſus ab Ariſtomacho Atheniẽſi miris laudibus prædicatus pabulo ouium,aridus uero etiam ſuũ,ſpõdetq; iugero eius annos perplures uel mediocri ſolo reditus. Vtilitas herboſa,eoq; lętior ſatietas. Perq; modice pingueſcũt et quadrupedia,ita ut iumẽta hordeũ ſpernant. Nõ ex alio pabulo lactis maior copia, ſuper omnia pecorũ medicina à morbis omni uſu præſtãte. Quin & nutricibus in defectu lactis aridũ,atq; in aqua decoctũ potui cum uino dari iubet: firmiores,celſiores infantes fore: uiridẽ etiã Galenus, aut ſi aruerit madefactũ,nec aliud minoris impẽdij. Seritur cũ hordeo,aut uere ſemine ut porrũ, caule autumno ante brumã. Si ſemine,madidũ: & ſi deſint imbres,ſatũ ſpargitur. Plãtæ cubitales præferuntur ſcrobe pedali. Seritur poſt æquinoctia tenero frutice,perficitur triennio, demeti tur uerno æquinoctio cũ florere deſinit,uel pueri uel anus uiliſſima opera. Canus aſpectu, & ſi quis exprimere uelit ſimilitudinẽ, anguſtioris trifolij. Frutex datur animalibus poſt biduũ ſemper,hyeme quod inaruit,madidũ. Satiãt equos denæ libræ,& proportione minora animalia. Inuentus hic frutex in Cythno inſula,inde translatus in omnes Cycladas, mox in urbes græcas,magno caſei prouentu. Nõ æſtus,nõ frigorũ, non grandinũ, aut niuis iniuriã expaueſcit. Addit Hyginus,ne hoſtiũ,propter nullam gratiã ligni. Cytiſum in agro eſſe quàmplurimũ maxime refert, q; gallinis,apibus, capris, bubus, & omni generi pecudũ utiliſſimus eſt,q; ex eo cito pingueſcit,et lactis plurimũ prębet ouibus. Pręterea in quolibet agro q̃uis macerrimo celeriter cõprehendit,omnẽ iniuriã ſine noxa patiẽ. Mulieres q̃dẽ ſi lactis inopia premũtur,cytiſum aridũ in aqua macerari oportet,& cũ tota nocte permaduerit,poſtero die expreſſi ſucci ternas heminas permiſceri modico uino,atque ita potandũ dari. Sic & ipſæ ualebũt,& pueri abundãtia lactis cõfirmabuntur. Satio autumno uel uere fieri poteſt,ſemine ſubacto ſolo,& in areas digeſto: ſi deſit, cacumina diſponũtur,ita ut quoquouerſus quatuor pedũ ſpatia diſtẽt. Terrã ſtercoratã deſiderat. Si pluuia nõ inceſſerit,rigãdũ erit. Cytiſus duplex Columellę,eſt aũt ſatiua,& altera ſuæ ſpõtis. Cytiſus agreſtis caprinũ pecus optime paſcit,eoq; plurimum gaudet. Cytiſus hederæ modo uincit & ſtrãgulat. Contrà,cytiſo peſtis alimon. Denſa cytiſo medulla, hebenumq; prouocans. Huic principatus in pabulis datur,non alio maior lactis copia, aut melior, incõmodum tamen tantiſper dũ floret,ut inquit Ariſtoteles. Apiũ examina eliciuntur,quãq; Democritus prædicet,nunq; de flore cytiſi pabulũ contingere. Inuenitur in ſegetibus præcipuè hordeaceis,frutex albicãs, ſurculis cubitalibus, folijs ramuloſis, trifolij ſimilitudine, dorſulo in medijs prominẽte,flore piſi luteo. Folia ſi terantur erucã ſubolẽt, cõmanducata cicer reſipiũt. Hic procul dubio cytiſus ſuæ ſpontis eſt, qui (ut exiſtimo) ſi modo quo nunc eſt dictũ pangeretur,cultu miteſceret in ſatiuũ. Eo apes delectãtur. Vſus folijs refrigerare,incipientes collectiones cũ pane tritis diſcutere,urinas decoctũ bibentibus mouere. Quidã hoc inter ordines alueorũ ſeri fertile ducũt, & quo apes cõtrahi & allici putent.

Lotus Aegyptia, quæ in cãpis inundatis flumine prouenit, caule fabæ,flore paruo & candido,ſimili hordeo,qui ſole oriẽte patefieri traditur,ad occaſum uero ſyderis cõprimi. Ipſum quoq; calycẽ cõdi ueſpera,totũq; abire in lacũ narrant: deinde ad exortũ ſolis emergere denuo extra aquã. Is papaueris capiti ſimilis fertur,ſed grandiſſimo. intus grana ceu milij,ex quibus ſiccatis fiũt in Aegypto panes. Radicẽ quoq; lotus hęc habet cotoneo malo ſimilẽ,uenientẽ in cibos crudam & coctam,effectu coctæ qui luteorum ouí. Lotus herba Aegypto uernacula,caule,ut Theophraſtus tradit,fabaceo & petaſato,folijs denſa cõgerie ſtipatis, breuioribus tantũ,gracilioribuſq;. Flores ei ſimiles lilio,copioſi,in ſe farcti, comprimẽtes ſe ad occaſum ſolis,aperientesq; ad ortũ per uices, donec perficiantur capita,& flos ipſe decidat. Fructus in capite papaueris inciſuris,omniq; modo alio, niſi quòd crebriora intus grana,milio non abſimilia. In Euphrate ſcapus & flos in medias uſq; nocłes à

ctes à ueſpera mergitur, ut ne demiſſa quidē manu cōprehendi poſſit: uertitur deinde paulatimq; ſubrigitur, diluculo redit, dehiſcente flore ad ſolis ortum, ut plane à terra abſit alte & extra undas emergat. Incolæ capita loti aceruata putrefaciunt, mox ſeparant à putaminibus lauando, & ſiccata tundunt, eoq; pane utuntur. Radicem corſion uocant, opertam nigro cortice, qualis & caſtaneas tegit, interius candidū corpus, quod decoctū, ſiue aqua, ſiue pruna, gratius eſt quàm crudum. Illud ſciendum, eodem authore, genera loti plura inueniri diſtincta flore, fructu, folio, ut ferè tantum nomen commune habeant, ratio naturæ tota diſſentiat. Eſt & lotometra, quæ fit ex loto ſatiua, ex cuius ſemine ſimillimo porri atque milio panibus in Aegypto paſtoralibus maxima aqua lacte'ue ſubactis, negatur quicquam eſſe ſalubrius, aut leuius dū caleant: refrigeratus maiore negotio concoquitur, ſitq; ponderoſus. Eos qui uiuāt pane illo, nec dyſenteria, nec teneſmo, nec aliis in uentre morbis infeſtari prædicant. Loti nomine herbam in Aegypto tradit Plinius, caulem in paluſtriū genere: recedētibus em aquis nili riguis prouenit, ſimilis caule, & foliis fabæ, dēſa congerie ſtipatis, breuioribus gracilioribusq;, cui fructus in capite papaueri ſimilis, inciſuris, omniq; alio modo: intus grana, ceu miliū. Incolæ capita in aceruis putrefaciunt, mox ſeparant lauando, & ſiccata tundūt, eoq; pane utuntur. Mirum eſt quod prætēr hæc traditur: ſole occidente papauera ea comprimi, & integi foliis: ad ortum autem aperiri, donec matureſcant, floſq; qui eſt candidus decidat. Hoc amplius in ea parte tradunt, ſcapum ipſum & florē ueſpera mergi uſq; in medias noctes, totumq; abire in lacum, ut ne demiſſa quidem manu poſſit inueniri: uerti deinde, paulatimq; ſubrigi, & ad exortum ſolis emergere extra aquā, ac florem patefacere, atq; etiamnū exurgere, ut plane ab aqua abſit alte. Radicem lotos hæc habet mali cotonei magnitudine, opertam nigro cortice, qualis & caſtaneas tegit: interius candidum corpus gratum cibis, ſed crudo gratius decoctum ſiue aqua ſiue pruna. Nec aliūde magis quàm purgamentis eius ſues craſſeſcunt. Flores Theophraſtus ſimiles lilio fecit, Dioſcorides hordeo, librariorum in alterutro labili culpa, κρίνου pro κρίθες, uel contra ſcribentium. Magis ueri fuerit ſimile florem ei lilij dandum, quòd eo ex cuſſo caput papauerís extuberet, in quod tanta magnitudine nō poſſet ex hordei floſculo prodire. Adde, hūc in coronas Aegyptias uenire, quapropter Cratinus ſtephanonia eam appellauit. Sciamus tamen lotum, non quæ cæruleum, ſed quæ ſimilem roſæ florem ędat, inuentu rarum, antinoium proprie uocatum, in aſſentationem Adriani principis, poeta Alexandrino: qui finxiſſet è leonis cruore, quem Adrianus graſſantē in Lybia necaſſet, æditum, & antinoion dicendum, alimentis annuis ex muſæo conſtitutis. Antinoias uero dicta ab Antinoo, qui è Bithynia fuiſſe traditur, per diui ferè Adriani tempora, qui & memoriam uiri coluit in Aegypto, ab eius nomine uocata, delubris etiam in honorem eius dicatis. Huius rei partim Athenæum, partim Pauſaniam authores habemus.

Myriophyllon, Myrrhis, Myagron, Onagra, Cirſion, bugloſſum magnum, Aſter, inguinalis, Iſopyron. Cap. CXXVI

MYriophyllon Romani mille folium, aut ſupercilium Veneris. caulis eſt tener ſingularisq;, ac radice una, foliis fœniculi, læuibus, plurimis, unde & nomen accepit: præterea ſubrubicundus, perinde quaſi de induſtria deliniatus, expolitusq; arte. naſcitur in paluſtribus. Myriophyllon, quanquam ferè mille foliam ſignificet, alia tamen uidetur eſſe ab ea quæ inter ſiderites, achilleon & millefolia cognominat, itē ab ea quæ militaris: alioqui Græci hanc myriophyllon, illā uero chiliophyllon appellare conſueuerunt, caule tenero, ſingulari, unica radice fulto, plurimis foliis, fœniculo ſimilibus, unde nomen traxit. caulis rubeſcit uarius, & uelut ex induſtria politus. Vulnera recentia ab inflammationis periculo uindicat, ſi uel recens, uel ſiccum ex aceto oblinatur. Bibitur cum aqua & ſale. Cum aceto, ut Plinio placet, bibitur ad difficultates urinæ & ueſicæ, & ſuſpiria, præcipitatisq; ex alto. Efficaciſſima eadem ad dentium dolores. Hetruria hoc nomine appellat herbam in pratis tenuem, à lateribus capillamenti modo folioſam, eximij uſus ad uulnera: boum neruos abſciſſos uomere ſolidari ea: rurſusq; iungi, addita axūgia, affirmās. Myrrhis, aliis myrrha, ſimillima eſt cicutæ caulibus & foliis, radicē habet modice oblōgā, tenerā, rotūdā, odoratā, cibo

non insuauem. Myrrhis Plinio, quam aliqui smyrrhizam, alij myrrham uocant, simillima est cicutę caule, foliisq́, flore, minor tantum, & exilior, cibo nō insuauis. Nostris herbarijs & officinis hodie *cicutaria* dicitur. nanq́ simillima est cicutę caule & foliis, radice oblonga, molli, rotunda, cibo iucunda. Falluntur qui chęrephyllon modo nominatū passim in hortis natum, intelligant, cum suprà demonstrauerimus esse gingidion. Hallucinantur itē qui herbam *Robertinam* uulgo dictam, smyrrhin esse rentur, cum & si folio similis possit uideri, non tamē caule. Itē radix ei rotunda nō est, sed exilis & longa, foliis cicutæ, breui caule, ac tereti, lanuginoso, rubicundo, geniculato, saporis & odoris iniucundi, flosculis purpureis, capitellis rostratis gruini capitis modo: quare potius ad geranion releganda est, nec magnopere à prima Plinij specie dissidet, nisi eadē sit. Myrrhis cit menstrua & partus cum ui no. Aiunt quoq́ eandē potam in pestilentia salutarē esse. Subuenit & phthisicis in sorbitione, auiditatem cibi facit. Phalangiorum morsus restringit. Vlcera quoq́ in facie aut capite succus eius in aqua triduo maceratæ sanat. Dioscoridi phalangiorum percussus debellat, auxiliatur phthisicis in sorbitione. Eandem si quis quotidie bis ter'ue bibat in pestilentia, resistere ne morbi cōtagia sentiantur. Myagron siue melampyron, herba est surculosa, tripedanea, foliis rubiæ pallidis, semen fœnigręci figura, oleosum. Tostum hoc tūdunt, & oblito uirgulis ad lumina lucernarum utuntur. Myagron herba Plinio ferulacea est foliis similis rubiæ, tripedanea, semen oleosum, quod & fit ex eo. Hanc rustici in Gallia serunt, quanuis & suæ spontis inter segetes inueniatur: melampyron ideo græcis, quasi nigrum triticum dici crediderim. Nostri uocant *camelinam* aut *camaminam*, surculosam, foliis rubię pallidis, tripedaneam, semen oleosum, fœnogręco simile, in utriculis conceptum. Hoc in areis pauitis rura flagris decutiunt, & uannis in auram uento silentem iactant, dum sili quarum recremēta uanescant: tum trusatilibus molis subijciunt, uersandoq́ subinde oleū exprimūt, quo nō ad lumina tantū lucernarum, sed & ciborū quoq́ cōdimentis pauperes utātur, magno huius olei prouētu. Agros bene subactos stercoratosq́ hoc semine, perinde quasi napis serūt. In tanta est apud nos nobilitate, ut ruri nemo nō conspiciat: sed fateri cogit oculata fides, semē πηλίδος, hoc est fœnigræci, nō τραχήλου, id est colli (ut in quibusdā legitur exēplaribus) similitudinē referre. nam in utriculis orbicularibus minuta fœnigręci grana cōtinet, rusticis nostris oleo distringēdo quāoptime cognita. Myagron medetur ulceribus oris suo succo. Oleosa seminis pinguitudine corporis scabritię lęuigantur, colleuat enim eas & deterit. Onagra siue onuris, siue œnothera, fruticat arboris instar, magnitudo quoq́ ei iusta, amygdalaceo folio, latiore, lilino nō dissimili, flore roseo grādi, radice cādida, longa, & cum siccata est uinū olente. nascitur in mōtanis. Oenothera Theophrasto appellat, folio amygdalæ maiori, rosaceo flore, radice lōga, & cū siccata est gustu uinosa, unde princeps appellatio. mōtes amat. Oenotheræ radix ex uino pota mitiores hilariores q́ mores reddit, quæ uinosa facultate ferocitatē recreet. Oenothera siue onuris, ut Plinio placet, hilaritatē adferunt in uino. amygdalino est folio, flore rosaceo, fruticosa, lōga radice, & cum siccata est uinum olente. Hæc in potu data feras mitigat, efferantia sese uulnera per se sanat. Aspersu radicis poto feritas omnium animalium mitigatur. Eadem illita feris ulceribus mansuetudinē adfert. Crateuas author est, hac uino cōsperſa omniū animaliū feritatē, nedū hominem, cicurari, quod Theophrastus radici tribuit. Sit hæc quę dicitur œnutta, qua cerui & canes inebriātur, ut Helianus tradit, nō adfirmarim. Cirsiō alij buglosson magnum, Romani spinam mollem nominant, caulículus est tener, duum cubitorum, triangulo similis, ab imo foliis rosæ pusillis, spinosos habentibus angulos per interstitia, sed molles innoxios q́ morsu: folia bouis linguæ similia, modice hirsuta, minora, subcādida, extremitatibus spinosa: cacumen in caule orbiculatū, pilosum, & in eo capitula in summo purpurea, quæ in lanugines euanescunt. Cirsion, ut Plinius refert, caulículus est tener, duum cubitorū, triāgulo similis, foliis spinosis circūdatus: spinę molles sunt, folia bouis linguæ similia, minora, subcandida, & in cacumine capitula purpurea quæ soluuntur in lanugines. Hanc herbam radicem'ue eius adalligatam uaricum dolores sanare tradunt, inde ductū nomen existimo: nam cirsion à uaricibus dicta est, quibus utilis creditur. ita enim uarices ab Hippocrate dicuntur, quas Aristoteles ixias. Cirsion herba est quam rustici, simul & officinæ, nec non herbarij uocant *linguam bouis* uel *buglōssam*,

cum

cum ei deliniationes totæ, nulla reclamante nota, subscribant. siquidem caulis ei tener, bicubitalis, triquetro fere similis, spinosis per interualla angulis, sed mollibus & innoxijs aculeis, folia bugloſſo similia, longiora tamẽ, subcandida, leniter hirsuta, in partibus extremis aculeata, cacumen caulis circinatum, hirsutum, in quo capitula purpurea, quæ fatiscunt in lanugines. quæ oculata fide in herba dicta nobis bugloſſa uel lingua bouis deprehenduntur. Quare nõ audiendi sunt, qui esse putẽt cirsion herbã quam boraginẽ olitores, nostri uocant, cum in ea capitula cærulea non purpurea spectentur quotidie in hortis, nec flaccentia cacumina abeunt in lanugines: itẽ figura herbæ uerbasci potius, foliis in terram iacentibus, asperis, boum linguæ simillimis, quæ bugloſſi propria sunt. Longè magis hallucinantur, qui *herbam* uel *linguam hircinam* uulgo dictã, cirsion arbitrentur esse, quadam forsitan foliorum similitudine decepti? uerum caulis eius rotundus est, non angulosus, folia pungentibus, non mollibus spinulis horridula, anchusæ similia, nõ linguæ boum. Iam supra *linguam hircinam* uel *herbam*, echion esse docuimus. Radicẽ cirsij loco laboranti adalligatam dolores uaricum sedare Andreas scripsit. Aster Atticus aliqui buboníon, Italia inguinalẽ uocat, cauliculus lignosus, florẽ purpureum aut luteũ sustinens, cacumine uelut anthemis, capitula uero per ambitũ diuisa foliis pusillis, stellæ modo radiata. Ipsum caulẽ folia oblõga et hirsuta circũdant. nascitur inter petras solo aspero. Aster, uti tradit Plinius, aliquibus bubonium appellatur, quoniã inguinum præsentaneum est remedium. cauliculus foliis oblongis, duobus aut tribus, cacumina stellæ modo radiata. *Aspergula minor* uulgo dici multis censetur, ꝙ lignoso sit cauliculo, foliis pusillis, oblõgis, hirsutis, circa ipsum stellę modo radiatis, flore in fastigio luteo, purpureo ue, ambitu anthemidis modo diuiso. Est & alius aster nunc uulgo *stella* dictus, folio ferè uitis, seu maluæ potius erraticæ, ad radicem maiore, pluribus sed minoribus incisuris. Florem fert in modum stellæ, in luteo uiridem pusillum, & herbæ suæ similem. Ad herniam puerorum cõmendant hãc. Eius decocto quæ uirgines uideri uolunt insident. Quæ fuerit ueteribus haud scio. Bibitur aster aduersus serpentes, sed ad inguinum medicinam sinistra manu decerpi iubent, & iuxta cinctus alligari. Prodest & coxendicis dolori admota. Qualis autem Pausaniæ sit herba, quæ in Mycenensi agro ad Iunonis fanum, asterion uocatur, à flumine terrã illam rigante, quia in ripis nascitur, cuius folia Iunoni sacra in coronas nectunt accolæ, non comperi. Dioscoridi aster ardenti stomacho, & epiphoris oculorum, inguinibus, sedi prociduæ illitus cõfert. Tradunt, partem in flore purpuream, si bibatur ex aqua, coxendicum dolori, infantibusq; comitiale malum sentientibus opitulari. Inguinum inflammationi recentem illinire prodest. Si arescat flos sinistra manu dolentis decerpatur, adalligeturq;, sic dolores auertens malo liberabit. Inuenitur inter petras solo aspero. Huius stellæ (ut ferunt) noctibus collucent: quare qui naturam stirpis ignorant, inane simulacrum se uidere putant. Reperitur à pastoribus pecudum. Crateuas herbarius contundebat recentem cum axungię senio, & rabiosi canis morsibus imponebat. Turgentia guttura discutit. Incensa serpentes fugat. Isopyron uocant aliqui phasiolon, quoniam folium cacuminibus in phasioli pãpinos torquetur. Capitula sunt in summo caule tenuia, plena seminis melanthij gustum imitantis, folio anisi. Isopyron, ut ait Plinius, uocãt aliqui phasiolon, quoniam foliũ, quod est aniso simile, in pampinos torquetur: capitula sunt in summo caule tenuia, plena seminis melanthij. Hanc herbam & phasiolon nonnulli dixere. Verum in eius fastigio calyces sunt pleni seminis melanthij. Idææ herbæ folia sunt oxymyrsinæ, adhęrent ijs uelut pampini, in quibus flos. Aluum, menses, & omnem abundantiam sanguinis sistit. Spissandi cohibendiq; naturam habet. Isopyron contra tussim, & cætera pectoris ex melle & aqua mulsa, item iocineri utilissima. Semen ex mulsa bibitur contra tussim, & uitia pectoris. Sanguinem excreantibus prodest.

Viola purpurea. Cap. CXXVII.

IOn porphyreon, Romani uiolam purpureã uocãt, folio est minore tenuioreq; & hedera, nigriore itẽ neq; dissimili. cauliculus à radice medius prosilit, & in eo flosculus odoris præcipui, colore purpureo, in opacis & macris locis gignitur. Nicander in georgicis ion Græcis uocatam credit, ꝙ nymphæ quędã Ioniæ florem eũ Ioui primum dedere muneri. Violã dictã ion Græci putant

putant, quòd cum Io in uaccam à Ioue cõuersa esset, terra florem illum pabulo bouis eius fuderit. Nostri quoque uiolam quasi uitulam imitatione græca uideri possunt appellasse. Tarentinus uiolam purpuream post Idus Martias, item Calendas Maias seri iubet: sed uiolam qui facturus est, terram stercoratam & repastinatam minimum alte pedem in puluinos redigat, atq; ita plantas hornotinas, scrobiculis pedalibus factis ante Calendas Martias, dispositas habeat. Semen autem uiolæ, sicut olerum, duobus temporibus in areis seritur, uere uel autumno. Colitur eodem modo quo & cætera olera, ut runcetur, ut sarriatur, ut interdum etiam rigetur. Nascitur uitis modo è supernis, quasi è puppi dicas non prora. Viret hæc perpetuo, & ut quidam ferunt, si certo genere colatur, anno toto. Seritur plãtis ut olus. Vere floret post leucoion, & ante flammeam. Cum ion Græci dicunt, nigram siue purpuream ferè intelligunt: solæ ia appellatæ Græcis, ut ab his ianthina uestis, & uiolacea diceretur. Humilis est hæc, latiore folio, statim ab radice multa exeunte sine ramis, ob id *sessilem*, & *loripedem*, & *claudam* uulgo nominari audimus, Gallis *uiola martia*. Ea ramulis caret, sed statim à numerosa radice, orbiculata coma foliatur, perpetuaq; uiret frõde hederæ minore, tenuiore & nigriore. Stylus ab radice statim medius emicat, in quo flos purpureus odoris suauissimi. Purpureæ uiolæ latiore folio, statim ab radice carnoso exeunt. sponte etiam in apricis & macris locis proueniunt, latiores in opacis. Folium, ut Tarentinus est author, refrigerat, inflammationibus auxiliatur. Oleum uiolaceum illitu febricitantium ardores restinguit. Purpureę uiolę refrigerant, contra inflammationes illinuntur stomacho ardenti. Imponuntur & capiti in fronte, oculorum priuatim epiphoris, & sede procidente, uulua'ue: contra suppurationes. Crapulam & grauedines capitis impositis coronis, olfactu'ue discutiunt, anginas ex aqua potæ. Id quod purpureum est ex ijs, comitialibus medetur maxime pueris in aqua potum. Semẽ scorpionibus aduersatur. Refrigerat teste Dioscoride. Folia stomacho ardenti per se & cum polenta imponuntur, & oculorum inflammationibus, & sedi quæ procidat. Id quod & flore purpureum est in aqua potum anginis & comitialibus pueris mederi adfirmant. Tinctores cum uolunt sil Atticum imitari, uiolam aridam conijcientes in uas, cum aqua conferuescere faciunt ad ignem: deinde cum est temperatum conijciunt in linteum, & inde manibus exprimentes recipiunt in mortarium aquam ex uiolis coloratam, & ex ea erethriam infundentes, & eam terentes efficiunt, ut Vitruuio placet, silis Attici colorem.

Cacalia. Pseudobunion. Chamæcissos. Chamæpuce. Cap. CXXVIII

Cacalia siue leontice foliis candidis, grandibus caule medio eorum albo, erecto, flore querno oleagino'ue, in montibus genita. Cacalia siue leontice Plinio uocatur. Semen margaritis minutis simile depẽdens inter folia grandia, in montibus fere. Recentioribus, ut adfirmant, dicitur *agreste carui*. fruticosa est, semine minutis margaritis simili, inter folia magna pẽdulo, quæ ad oleagina uel querna satis accedunt. Hanc Galenus cancanon uocauit. Paulus cacaliã non cãcanon, sed cãcano similem esse tradit. Grana quindecim in oleo macerãtur, atq; ita aduerso capillo caput ungitur, ad tollendã porriginẽ. Radicem dant in uino madefactam, ecleg ma tussibus & faucibus scabris utile. quod & præstat cõmanducata per se. Grana quę flore impulso nascuntur, cum cerato trita, rigores neruorũ perunctis molliunt, faciem erugãt & cutẽ extendunt. Pseudobuniõ fruticat in Creta palmi altitudine, foliis napi acribus, Cõtra tormina, stranguriã, laterum dolores bibũtur rami eius quaterni ex aqua. Strumas cũ sale & uino discutiũt tepidis. Chamæcissos, aliis cissos acarpos, hoc est hedera terrestris, Romanis hedera pluuiatica, similitudinem hederæ habet, lõgioribus & tenuioribus foliis, dodrãtalibus ramulis multis, foliosis, ab radice quinis seni's'ue. flores albę uiolæ existimari possent, nisi minores essent, admodũq; amari gustus, radice cãdida, tenui, superua cua. exit in cultis. Chamæcissos Plinio spicata est tritici modo, ramulis quinis fere foliosa. Cũ floret existimari potest alba uiola, radice tenui. Cuius bibũt ischiadici folia tribus obolis in uini cyathis duobus, admodũ amara potiõe. Chamæcissos uocãt hederã quę nõ attollit se à terra. Spicata est tritici modo, & cissos epigeos, id est hedera terrestris appellat. ita Gallis hodie dicitur, uel humilis hedera, nunq; nisi humi repẽs, spicata frumẽti modo, ramulis quinis seni's'ue foliosis, uiolę cãdidę flosculo, exili radice. Malacocissi, quasi dicas mollis

mollis hederę, meminit Democritus, ei similitudinẽ assignans hederę, foliis & caule mollibus. Inuoluitur propinquis fruticibus, ꝙ sua fessili caduca'ue mollitie, nisi fultus adminiculo, sustẽtare se nequeat. Amat arundineta & culta. Subesse aquã ubi nascitur aquilegi prædicãt. Chamæcissos cõtusa in uino acetabuli mẽsura lieni medetur: folia ambustis, cũ axũgia. Bibunt ischiadici folia tribus obolis, in aquę cyathis tribus, quadragenis aut quinquagenis diebus. Ad morbũ quoq; regiũ in senos septenos'ue dies similis potio repetenda est. Chamæpeuce trita in aquã doloribus lumborum potu propitia est. herba est coloris per totũ herbacei, folio pusillo, inflexo, inflexis & ramulis, flore roseo. Chamæpeuce laricis foliis similis, lumborum & spinæ doloribus propitia est, inquit Plinius.

Bugloſſon, Cynogloſſon. Phyteuma. Cap. CXXIX.

BVgloſſon Romani linguam bouis appellant. nascitur in planis & sabulosis, carpitur mense Iulio. Bugloſſos boum linguæ similis, cui præcipuum, quòd in uinum conjecta animi uoluptates auget, & uocatur euphrosinum. Aiunt quæ tres thyrsos seminis emittat, eius radicem potam ex aqua ad tertianas prodesse: quæ quatuor, ad quartanas. Figura herbæ uerbasci, foliis in terra iacentibus, nigrioribus ac minoribus, boum linguæ simillimis. Ea est quæ hodie officinis *borago* dicitur, Gallis *borache*, aliquibus *porrago*. nanque herba est similis uerbasco, foliis in terra sparsis, nigrioribus, asperis, bubulas imitantibus linguas, flore cæruleo, speciosо, caule pedali, aut ampliusculo, ramoso. Hæc olitoribus optime cognita, quæ nunc hortis seritur, uulgatissima, & cibo gratissima. Flos acetarijs inspergitur. Folia quotidianis obsoniorum iuribus innatant, peculiarem habentia gratiam: radix hyeme, uice folij, cum id anni tempus negat. Folia iucunde subolent, ferè peponem, quæ odore suaui uires recreent, & animi uoluptates in uino augeant: quare euphrosynon uocant. Bugloſſo inarescente siquis medullam è caule eximat, alligetq; septem folia ante accessionem, aiunt à febre liberari. Tradunt utilem esse aduersus horrores febrium: & quæ thyrsos tres emittat, eius radicem cum seminibus in uino decoctam ad tertias tertianis prodesse: quæ quatuor, quartanis, utique si decoctio fiat in uino. Eandem conferre abscessibus corporis prædicant. Officinæ aliam euphrosynon obseruauere quã euphrasiam dicunt, hyssopo similem, cauliculis purpureis, folio paruo, per ambitum serrato, flosculo albicante. nascitur in opacis collibus. Vtuntur ea ad oculorum caligines & suffusiones uel per se impositа, uel ex uino cocta. Cynogloſſon Romani linguam caninam uocant, plantaginis latifoliæ similis est, angustioribus & minoribus foliis, lanuginosisq;, sine caule, humi strata sabulonibus. Cynogloſſos caninas imitans linguas topiarijs operibus gratissima. Cynogloſſam non esse eam canis linguam quam officinæ circunferunt, euidentius est quàm ut probari desideret, cum uidua caule proditur à Dioscoride, humi strata, folio latifoliæ plantaginis. Nã officinarum canis lingua, nec plantaginis effigie, sed angusta, prælõga, subtus lanuginosa gerit folia, nec uenosa, molliaq;, caule cubitali, furculoso, flore purpureo, semine in lappaceis umbilicis rufo & exili: nisi quis putet Plinium caulem ei tribuisse, cum statim à cynogloſſo subiungat, Aiunt quæ tres seminis thyrsos emittat eius radicem potam ex aqua ad tertianas prodesse: quæ quatuor, ad quartanas. sed ea de bugloſſo intelliguntur ut testatur Dioscorides, & Plinius alibi confirmat. Est tamen ei similis alia, ut idem ait, quæ ferat lappas minutas. Inuenitur in sabuletis quædam folio uenosiore, latiusculo, & lanugine molli canescens, sine caule, quam ueram esse cynogloſſon putauerim. Alia tantum cynogloſſi similitudine repræsentatur, caulem ferens asperum, & in eo lappas umbilicares, ut paulo antè notauimus. Folia trita cum adipe suillo ueteri morsibus canum utiliter imponuntur, medentur alopecijs & ambustis. Emollit aluum decoctum herbæ ex uino potum. Rustici longiusculа alterius folia febricitãtium collis obuoluunt, sperantes inde faucium scabritiam & fuligino sam asperitatem abactum iri. Phyteuma folium struthio similе habet, sed minus, semine copioso, perforatoq;: radix exigua, tenuis, & summa tellu-
ris cutæ cohærens, cuius usum ad amatoria esse quidam scripserunt. Phyteuma describere Plinius superuacuum habuit, cum sit usus eius tantum ad amatoria.

Leontopo

Leontopodion. Hippogloſſon. Cap. CXXX.

LEontopodion herbula eſt digitorum binum, folio paruo, anguſto, digitorum quatuor trium'ue lõgitudine, hirſuto, lanoſioreq; ad radicem, & ſubcandido, in cacumine caulium capitula tanquàm perforata, floribus nigris erumpentibus, ſemen ut oculis uix poſſit deprehendi propter circundatam lanuginem, radix ſubeſt exigua. Et hanc amatoriam eſſe adalligatam inuenio. Diſcutit & tubercula. Diuerſum uidetur à leontopontio, quod alijs liceron, alijs doripetron, alijs toriuentoron uocari ſcribit, cuius radix aluum ſiſtit. Purgat bilem in aqua mulſa addito põdere denariorum duum. Naſcitur in campeſtri & gracili ſolo. Semen eius lymphatica ſomnia facere dicitur, & tela omnia infixa corpori extrahere tritum cum polenta, & cum eadem ſpicula ſagittariorum elicere: niſi de hac loquutus intelligatur. Silebitur & cemos cum ſit uſus eius ad amatoria duntaxat, quandoquidem leontopodion & cemon uocari hoc loco teſtis eſt Dioſcorides. Cemos autem uidetur appellata, ex floris ſiue calycis figura: quoniam pyxidicula Athenis ita nominabatur, per quam ſuffragia in ſubiectum uaſculum, quod cadiſcum uocabant, demitti conſueuerant. A uera leontopodij finitione mihi profecto deſciſcere uidentur, qui herbam quam uulgus ex noſtra conſuetudine *calendulam*, quòd omnibus menſium Calendis fruticare comperiatur, appellat. nanq; nec duum digitorum herbula eſt, nec anguſto folio, nec ſpiſſa caneſcit lanugine, nec ſemen uſq; adeo denſo flocco occulitur ut ſæpe fallat: ſed alte fruticat, craſſo caule, ramoſo, foliis latis, longiſq;, flore luteo, ſemine in ſcorpionis effigiem inflexo, apparente, nec ulla tecto lanugine. Quæ tamen mihi uideatur eſſe leontopodiõ, paucis aperiam. Ea eſt, ni fallor, quæ *cruciata* dicitur herbarijs. humi ferè ſerpit, digitali longitudine, folio anguſto, lõgo ternos ferè digitos, hirſuto, ab radice lanoſo, & caneſcente. In cauliculorum cacuminibus capitula tanquàm pertuſa, in quibus floſculi dehiſcunt, nigricantes: ſemen ſpiſſa occulitur lanugine, ut uix queat conſpici, radice exili. Nec me fugit quandam frutícis ſpeciẽ *patam leonis* uulgo nominari, foliis quícuncialibus, anguſtis, herbaceis, lentè fimbriatis, grauí odoratu, leonini pedis effigie, ramulorum cacumen ueſtientibus, de qua in conſiligine diſſeruimus. Hippogloſſon frutex eſt paruus folia habens figura myrti ſylueſtris, & gracilioris, coma ſpinoſa, & in ijs ceu ligulas, folio paruo de foliis exeunte. Capitis dolorem corona ex comis eius impoſita comminuit. Malagmatis miſcetur. Hippogloſſon hodie uulgus Italicum *bonifaciam* uocat, multi *paganam linguam*. Frutex eſt foliis oxymyrſinæ cõcauis, ſpinoſis, è quibus folium exit minutum linguæ forma. Tradunt ex uino potam ſtrangulatibus uteri ſuccurrere: hernijs ab prolapſu interaneorum extuberãtibus mira celeritate mederi. ſiquidem diſſilientia iungit protinus, ſed infibulandus eſt æger aut faſciãdus primis diebus, ne rurſum foras inteſtina prorumpant.

Antirrhinon. Catanance. Cap. CXXXI.

ANtirrhinon, ſiue anarrhinon, à quibuſdam lychnis agria inuenitur nominari, herba eſt anagallidi foliis & caulibus ſimilis, flore purpureo, ad effigiẽ uiolæ albæ, propter quod ſylueſtrem lychnim appellauerunt, ſemine uituli naribus ſimili conſpectu. Theophraſtus antirrhinon aparinæ ſimilem facit, fructu uitulinas æmulante nares, radice nulla, ſiue minima. Hac perunctos uenuſtiores fieri, uitæq; gloriam conſequi magica uanitas prodidit: quare ijs, qui ſibi cõmendatiorem famam uolunt aucupari, utilem commemorant. Antirrhinon, ſiue anarrhinon, ſiue lychnis agria Plinio ſimilis lino traditur, radice nulla, flore hyacinthi, ſemine uituli narium. Hoc perunctos uenuſtiores fieri, nec ullo malo medicamento lædi poſſe aut ueneno, ſi quis brachiali habeat, arbitrantur magi. Similem lino fecit Plinius, corrupta ut ſuſpicor lectione, pro aparina. Galenus hanc & bucranion, hoc eſt bubulum uel uitulinũ caput dici meminit. Florem uiolæ albæ ei contribuit Dioſcorides, Plinius hyacinthi: neſcio an ianthino, hoc eſt uiolaceo potius eſſet legẽdum: nam & rura noſtra ferè *oculum catti* uocant hodie, uel *moronem uioletum*, quòd uiolaceum flos præſeferat colorem. herbula nãque eſt caule & foliis anagallidis, flore purpureo, paruo, ſemine uituli narium, nã fructus excuſſo flore uitulinarum narium rudimenta quædam exprimunt. Si quis adalligatam geſtet nullo malo medicamento lædi poſſe putatur. Ex eodẽ perunctos cum oleo Suſino

aut

aut Cyprino uenustiores commendatioresq; fieri tradunt. Strangulatum à uuluis mensiumq; difficultatem cum rosaceo & melle singulariter emendat. Brachiali appensum amuletum esse uolunt. Herba scorpionibus adeo contraria, ut omnino ea uisa torpescant. Radicem eius Asiani bolitem uocant, qua adalligata oculorum albugines tolli dicũtur. Paulus ei eandem uim attribuit quam bubonio, inefficaciorem tantum. Catanance differentias habet duas, altera folio longo ut coronopus, radice tenui, iuncea, capitulis senis septenisq;, in quibus semen eruo simile. Flectitur exaresces in terram, & ad speciem unguium milui exanimati se contrahit. Altera mali exigui magnitudine conspicitur, radice parua ceu oliuæ, foliis quoque oleæ figura & colore, mollibus, inclinatis in terram, diuisis: semen in uirgulis foraminibus peruium, minutum, ciceris effigie. Quidã utriusq; naturam conuenire ad amatoria, mulieresq; in Thessalia uti eis asserunt. Catanancen Thessalam herbam, qualis sit, à se describi Plinius superuacuum duxit, cum sit usus eius ad amatoria tantum. Illud non ab re est dixisse, ad detegendas magicas uanitates, electã ad hunc usum coniectura, quoniam arescens contraheret se ad speciem unguium milui exanimati. Eadẽ & causa tiletur ab eodem cemos. Huius tamen secunda specie inuenitur ab herbarijs nostris *bistorta* nomine. nam mali paruæ magnitudinem refert, radice parua ceu oliuæ, foliis quoque figura & colore oleaginis, mollibus, humi iacentibus. Semen ut cicer in uirgulis dependet. multis peruium foraminibus. Profecto gentilis aut germana ei uidetur nonnullis *bistorta*, folio oleagino, à terra cæsio, superne uiridi, flore rubro concoloriq;, radice conuoluta & in se contorta, inde nomen bistortæ traxit, semine in surculis canaliculaceo ciceris figura.

Tripolion. Cap. CXXXII

TRipolion nascitur in maritimis ubi allidit unda, iterumq; retro commeat, neque in mari neq; in sicco plane. Folia isatis habet arida, sed crassiora, caulem palmo altum, in mucrone diuisum. Huius flores tradũt ter in die mutari, candidos mane, purpureos meridie, puniceos sole occidente conspici, radice alba, odorata, calidi gustus. Plinio in maritimis nascitur saxis, ubi allidit unda, neque in mari, neque in sicco, folio isatis, crassiore, caule palmeo, in mucrone diuiso, radice alba, odorata, crassa, calidi gustus. Datur hepaticis in farre cocta. Hæc, inquit, herba eadem uidetur quibusdam quæ polium, cuius foliis idem contribuit quod Dioscorides tripolij floribus. Folia polij, ut tradunt, mane candida, meridie purpurea, sole occidẽte cærulea aspiciuntur: quæ floribus tripolij peculiariter ab authoribus tribuuntur, manifesto errore eorum, qui tripolion & polion eandem esse herbam existimant, descriptionibus earum longe dissidentibus. Quid ueteribus fuerit tripolium, non facile fuerit explicare, tam controuersæ sunt etiam authorum sententiæ. Mauritanis fuisse *turbit* nemo inficias ibit, qui Dioscoridem citantes in testem, eadem uerbotenus de suo *turbit*, quæ de tripolio Dioscorides, pronunciarunt. Aliter sentit Actuarius, uir magnæ apud Græcos authoritatis, longe tamen Galeno ac Paulo posterior, qui interdum medicinas barbarorum nominibus exprimere solet, in medicamenti mentione quo luteæ aquæ deiectionem molitur, turpeton pityusam alias dici meminit. Nec multo pòst, subiungit, Si pituitam uelis per aluũ inanire, addes alypiam, hoc est turpet album: quasi duplex apud eum sit turpeton siue turbit, unum pityusæ radix, quę dicitur officinis *esula*, alterum quòd alypi radix intelligatur, sed hoc candidum tourpeton cognominat. Alypon idem uocat fruticosam herbam, subrubentem, exilibus festucis, minuto folio, flore nigro, copioso, læui: radice betæ, succo acri madida, semine epithymi, gignitur in maritimis. Hoc, ut arbitror, est quod omnibus ferè officinis inter legitimi probationes & experimẽta quæritur, ut sit album, gummosum. Minus candicat quòd è pityusæ radicibus eruitur. Neutrum tamen constat esse Dioscoridis aut Plinij tripolion, cum radices, si nares consulantur, non sentientur odoratæ, quales in tripolio notantur. Subscribunt partim Actuarij iudicio nonnulli recentiores Græci, qui radicem pityusæ apud Dioscoridem turbet appellari subdiderunt, id tamen adiectitiũ esse putamus. quapropter turbit album recentioribus Græcis radix est alypiæ: alterum pityusæ, siue nunc nominatæ esulæ. Qui familiæ Arabicæ authores, etiã Actuario posteriores, turbit radicem herbæ folia ferulæ minora ferentis, & lacte turgentis, radicem uel alypiæ

uel pityusæ intellexerũt, quarum utraq; succo madet acri: quos omnes fere sequuntur no-
strates officinæ. Radix tripolij in uino duum denariorum instar, aquas per aluum trahit
& urinas. Conciditur in medicamenta quæ uocantur alexipharmaca.

Adiantum, Trichomanes, Xanthion. Cap. CXXXIII

ADiantum Romani cincinnalem, alij terræ capillum, alij superciliũ terræ uo-
cant. folia sunt parua ut coriandri, diuisa cacuminibus, cauliculi quibus erũ-
punt prætenues, palmum alti, nigro colore nitẽt. folia filicis exigua, sine cau
le, sine flore, sine semine, radice inutili. Adianto miraculum est, æstate uiret,
bruma non marcescit, aquas respuit. Perfusum, & ut est author Theophra
stus, mersum aqua folium nõ madescit, sicco semper simile: tantaq; deprehenditur disso-
ciatio, ut nihil aquæ uideatur adhæsisse, ut unde & nomen à Græcis, alioqui frutici to-
piario. Quidã polytrichon uocãt, alij callitrichon, utrunq; ab effectu. Tingit enim capillũ,
& ad hoc decoquitur in uino cum semine apij, adiecto oleo copiose, ut crispum densumq;
faciat. Duo genera eius, candidius & nigrum breuiusq;, Theophrastus assignauit. Vtriq;
ramuli nigro colore nitent, foliis filicis, ex quibus inferiora aspera ac fusca sunt, omnia au-
tem cõtrarijs pediculis densa inter se ex aduerso: radix nulla fere. Vmbrosas petras parie
tũq; aspergines ac fontiũ, maxime specus sequitur, & saxa manantia: quod miremur, cum
aquas nõ sentiat. Perpetuo uiret adianton, eiq; æterna, ut multis arborum, sunt folia. No-
men ab euentu duxit, quòd folium eius perfusum aqua non madescat, radice tam parua
ut possit nulla existimari. Locorum opacitate gaudet. Perdices in bellum armantur huius
herbæ cibo. Adiantum capillus Veneris à Theodoro dicitur. Hallucinãtur officinæ, quæ
diuersum longè ab adianto capillum Veneris ostendant, cum idem esse bonarum litera-
rum studiosis euidentius sit, quàm ut debeat demonstrari. Adiantum, quæ etiam uulgo ca
pillus Veneris dicitur, pedali consurgit proceritate, folio mollissimo, paruo, coriandri di-
uisura, filicis effigie, aduersis pediculis capillaceum ramulum utrinq; circundantibus, co-
lore ex uiridi nigricante, sterilis & flore semineq; uidua: sed neq; dignam commentatione
fundit radicem. Horus Apollo scribit upupam auem uuæ morbo tentatam adiantum ori
inditum obuersare: quapropter Aegyptij hominem sese sanantem hoc figurarum inuolu-
cro designant, upupam et adiantum herbam appingentes. Calculos è corpore mire pellit,
frangitq; utiq; nigrum: qua de causa, potius quàm quòd in saxis nasceretur, à Latinis saxi-
fragum appellari credidit Plinius. Bibitur è uino quãtum terni decerpsere digiti. Vrinam
cient, serpentium & araneorum uenenis resistunt. In uino decocti aluũ sistunt. Capitis do
lores corona ex his sedat. Contra scolopendræ morsus illinuntur, crebro auferendi ne pe
reant. hoc & in alopecijs. Strumas discutiunt, furfuresq; in facie, & manantia capitis ulce-
ra. Decoctum ex ijs prodest suspirijosis, & iocineri, & lieni, & felle suffusis, & hydropicis.
Stranguriæ illinuntur, & renibus cum absinthio. Secundas ciẽt & menstrua. Sanguinem
sistunt ex aceto aut rubi succo poti. Infantes quoque exulcerati perunguntur ex ijs cum
rosaceo & uino prius. Folium in urina pueri impubis, tritum quidem cum aphronitro, &
illitum uentri mulierum, ne rugosus fiat præstare dicitur. Perdices & gallinaceos pugna-
ciores fieri putãt, in cibũ eorum additis, pecoriq; esse utilissimos. Decoctũ ex herba, ut Di-
oscoridi placet, suspirijosis & anhelantibus prodest. Datur & felle suffusis, lieni, urinæ diffi
cili. Calculos frangit, aluũ cohibet, serpẽtibus resistit. Pota in uino stomachi fluxionibus
medetur. Menses ciet & secundas, sanguinis reiectiones sistit. Illinitur cruda ad serpentiũ
morsus. Alopecias pilo restituit, strumas discutit, furfures in facie, & manantia capitis ul-
cera cum lixiuio emendat. Capillum defluentem continet, & densat cum ladano, myrtino
Susino & hyssopo uinoq;. Furfures exterit omnium generum in corpore & capite. Galli-
naceos, & coturnices pugnaciores fieri putãt in cibis eorum addita: pecori quoq; utilissi-
mam prædicant in ouilibus satam. Vmbrosa, palustria, parietumq; aspergines persequi-
tur, circa fontes & speluncas proueniens. Trichomanes Romanis capillaris, aliqui pin
nulam, alij filiculã, aliqui adianton & hanc uocarũt. nascitur eisdẽ in locis filici simillis, ad-
modum parua, folio à lateribus in uersum & ordinem quendã cõdito, tenui, & figura len
ticulæ, contrarijs ex aduerso pediculis. Ramuli, ex quibus emicant folia, exsplendescunt,
graciles, colore subnigro, acerbo gustu. Cum priore effectu pari. Trichomanes multis

alterum

alterum genus adianti, cognomine callitrichi, breuius & nigrius, tenuissimis iuncis, radice minima, gustatu feruens. Primum genus adianton iuncos habet candidiores, & folia plura, maiori frutice. Trichomanes hodie nostræ uocant officinæ cum suis herbarijs, *polytrichon*, uulgo herba nota uel græca nomenclatura, cauliculis iunceis, quincuncialibus, statim penè à radice foliatis, fronde rotunda, lenticulæ forma, aduersis inter se pedieulis, subfusca, sine flore, sine semine. Nascitur in parietinis, umbrosos fontium specus, & murorum aspergines sequẽs. Polytricha, ut Plinius est author, distat à callitricha, quòd iuncos albos habet & folia plura, maioraq;, frutice quoq; maior est. Defluentem capillum cõfirmat & densat. Callitrichon hodie uocant herbarij *saluiam transmarinam*, indigniore errato quàm quòd explodi mereatur, quando inter capillacea, quæ uocant, genera, herbam collocent, folio elelisphaci, maiore, odorato, sesquipedali caule, leniter hirsuto, in quadrangulum striato, flore subcæsio, in aquilini rostri effigiẽ falcato, calyculis gallinaceæ cristæ forma. Quid ea cum trichomane commune habet, aut cũ callitricho, aut polytricho? nempe non uideo. Nã illud trichomanes, à luxuria capillitij nomẽ adipiscitur: polytrichon, quod capillorum multitudinẽ creet: callitrichon, quòd crines denset, crispet, pulchriores q; reddat. Xanthion aliqui aparinen appellauere, lappam Romani. nascitur pinguibus locis & ubi lacus obaruerũt, caule cubitali, anguloso, pingui, alas plures fundente, folio atriplicis incisuras habente, odore nasturtij, semine rotundo ceu grandiore oliua, spinoso, platani pilula, uestium cum tangitur tenaci. Nomen ei putauerim ab effectu inditũ, quòd rufet capillum. Non creditur à quibusdam xanthion ab aparina superius descripta differre. Sed cur, obsecro, Dioscorides & Galenus, & cęteri diuersas habuere, duobus seorsum locis de ijs prodentes? Quid quòd in omnibus græcis exemplaribus, aparina ex interuallo stellata pingitur quasi rubia: xanthion multo aliter, folio atriplicis? A Galeno & Paulo xanthion uocatur, philanthropos ab Aetio, ab herbarijs hodie *lappa minor* & *lappa inuersa* nominatur. siquidẽ ea folia habet atriplicis diuisa, nasturtium olentia, fructum grandis oliuæ modo rotundum, ut pilula platani spinosum, qui contactu uestibus adhęrescit, caule cubitali, anguloso, pingui, crebras spargente alas. inuenitur læto & pingui solo, & lacubus exiccatis. Nucleus qui in echinata pilula claditur à pueris estur dulci et grato cibo. Semen antè quàm inarescat collectum, & tusum in fictile, capillum reddit flauũ, si cum usus exigit, heminæ unius instar in aqua tepida capiti collinatur, utiq; si præparatũ antè nitro sit caput. Alij in uino tundunt, & ita seruant. Semen aptissime tumoribus imponitur.

Aegilops, Bromos, Glaux, Polygala, Osyris. Cap. CXXXIIII

AEgilops Romanis auena, festuca est folio tritici molliore, summo in capite semina bina uel terna quæ rubent, in quibus aristulæ capillamẽti modo præ tenues uisuntur. Hæc morbũ eiusdem nominis oculorum sanat, illita discutit durities. Exprimitur succus ex ea, quem in eosdem effectus permista farina siccant. Aegilops necat hordeum, in quo maxime nasci amat. Plinius auenam græcam uocauit. Hæc non nisi post annum semine suo gignitur. Vere pilosum ei folium ut lolio, nõ tamen ut illi pingue, immitis aspectu. Solũ emaciat, radice culmoq; multiplici. Melius in culto prorumpit. Remediũ est ut arua biennium quiescant, tum plane luxuriantem eam immissum pecus obterat consumatq;. De hac inter frumenta diximus.

Bromos Italia uocat auenam. Similis est ægilopi bromos, & hæc est auena syluestri fere habitu, inter uitia segetis spicã ferens, radice copiosa, & multiplici culmo sparsa, de qua inter legumina diximus. Naturam habet siccandi, proinde in aqua decoquitur, donec se succus ad tertias contrahat. Hic colo effusus miscetur melli æquis portionibus, deinde iterum coquitur dum crassitudo liquidi mellis euadat. Facit ad ozænas, si linteolum eo imbutum naribus adigatur. Prodest & per se appositus. Quidam aloen subigẽtes admiscẽt, utuntur q; ita quibus anima fœtet. Decoquitur cũ rosa sicca in uino. Glaux folia cytisi aut lenticulæ habet, auersa candidiora, supernè uirentia: rami à terra quini seni ue, palmei, tenues ab radice, flores albæ uiolę, sed minores & purpurei exeunt. inuenitur iuxta mare. Glaux, quemadmodum narrat Plinius, eugalacton antiquitus uocabatur, cytiso & lenticulæ foliis similis, auersa candidiora. rami in terram serpunt quini seni ue, admodũ tenues

ab radice,floſculi purpurei exeunt.inuenitur iuxta mare.Eugalacton ex facto nominabatur, & à quibuſdam non glaux,ſed glax, & galax à lacte pronunciatur. Hac deſcriptione inuenitur apud nos herba cytiſi ſimilitudine uel lenticulæ, foliis in ordinem utrinq; digeſtis,ſubter cæſijs,ſuperne uiridibus,ramulis quinis ſenisue nihil à ſolo ſe attollẽtibus,flore purpureo,paruo,ſiliqua terete non in aduncum ut fœnigræci corniculata. Frequens apud nos iuxta ſpecus aquoſos & in ueteribus foueis:ſed nullum apud nos inuenit nomẽ. Coquitur in ſorbitione ſimilaginis ad excitandam ubertatem lactis, eamq; qui hauſerint balneis uti conuenit. Vtuntur cum hordeacea farina in ſorbitione,ad reuocandam extincti lactis fœcunditatem. Polygalon palmi altitudinem petit,lenticulæ foliis, guſtu ſubacerbo.Hæc pota lactis abundantiam molitur.In caule ſummo folia lenticulæ, aſtricto guſtu.Plinio palmi petit altitudinem,quæ pota lactis abundantiam facit,inde nomen ab effectu. Oſyris ſurculus niger,ramulos tenues, lẽtosq; fert,& in iſs folia terna & quaterna, modo quina,interim & ſena,ceu lini nigra initio,dein colore mutato ſubrubra. Oſyris,ut Plinius ſcriptum reliquit,ramulos fert nigros,tenues,lentos,& in iſs folia nigra ceu lini. ſemenq; in ramulis nigrum initio,deinde colore mutato rubeſcens.Ea officinis omnibus incognita oſyris nomine,nanque à ſimilitudine nouum emendicarunt uocabulum, *linariam* appellantes,quo nemini non noſcitur.ſiquidem *linaria* cauliculis fruticat nigricantibus, lentis,tenuibus,atris quoque foliis,lini facie, concolori ſemine tantiſper dum matureſcit, poſtquam ematuruit rubeſcente. ſeneſcentes quoque ramuli nigritiam in ruborem uertunt. Nulla igitur deliniationis nota oſyridi tradita,in linaria deeſſe reperietur. Oſyrias aliquibus etiam dicitur,non ignota mulieribus: quæ cutem emaculari flagitant, ſmegmata faciunt ex iſs.Radicum decoctum potu ſanat arquatos.Eædem,priuſquam matureſcat ſemen,conciſæ & ſole ſiccatæ aluum ſiſtunt. Poſt maturitatẽ uero collectæ,& in ſorbitione decoctæ rheumatiſmis uentris medentur,& per ſe tritæ ex aqua cæleſti bibuntur. Decoctum herbæ potum regium morbum diſcutit.

Smilax aſpera,Smilax læuis, Cap. CXXXV

Smilax aſpera folio periclymeni,ramulis exilibus,multis, paliuri modo aculeatis.Repit per arbores ambiendo eas ab imis ad ſummas uſq;.Semen in racemis labruſcæ modo cohæret,rubro colore cũ ematuruit,guſtu leniter mordaci,radice craſſa, prædura. locis paluſtribus & aſperis enaſcitur. Sequitur Theophraſti de ſmilace ſententia:Smilax hederæ genus eſt Cilicia cognomine,importata eſt ex ea terra in Græciam,folio in cacumen pinnato quidem, ſed in angulũ depreſſo,nec tamẽ anguloſo,hederaceo,paruo, & ubi pediculo adalligatur ferè madido, medium callum ſpinæ modo tenuem habente, ſtaminaq; non porrecta ex eo ut in cæteris foliis,ſed circa eum coacta in orbem ab annexu pediculi, ex quo & iulus quidem gracilis, & conuolutus pampini modo emittitur,flore candido lilium olente,fructu ſolani aut melothri,etiamnum labruſcæ,racemis ut hederæ pendẽtibus,aut uuæ labruſcæ potius, quoniam ab eodem pediculi acinorum exeant.Acinis color ruber,complexis nucleos binos, maioribus ternos,minimis ſingulos.Nigri ſunt nuclei atque duri. Peculiare habent racemi quòd latera caulium ſepiunt, quodq; unus omnium grandiſſimus propendet ſummo caule, ut in rhamno atq; rubo.Flore huius coronarij utũtur quanquam ſyluestri,ut & ſpinæ acutæ.Similis,authore Plinio,hederæ,è Cilicia primũ profecta,ſed in Græcia frequentior,quam uocant ſmilacem,denſis geniculata caulibus,ſpinoſa,fruticoſa ramis, folio hederaceo,paruo,nõ anguloſo,à pediculo emittẽte pampinos,flore candido, olente lilium. Fert racemos labruſcæ modo,non hederæ,colore rubro, complexa acinis maioribus nucleos ternos,minoribus ſingulos,nigros duroſq;.Infauſta omnibus ſacris,et coronis,quoniam ſit lugubris,uirgine huius nominis,propter amorem iuuenis Croci,mutata in hunc fruticem.Id uulgus ignorans,plerunq; ſua polluit feſta hederam exiſtimando.Ex ſmilace fiunt codicilli,propriumq; materiæ eſt,ut auribus admota leuem ſonum reddat.Duo ſmilacis genera,ut idem inquit,fecere.alterum immortalitati proximum,in conuallibus opacis ſcandentem arbores,comantibus acinorum corymbis, contra uenenata omnia efficaciſſimis.Alterum genus culta amare,& in iſs gigni,nullius effectus.Smilacis folia in coronamenta ſe dedere,quam & autophoron & aſperam apud eum uideo cognominari:coro

nam

nam ex ea factam impari foliorum numero capitis doloribus mederi. Smilacis semen & folium antè & pòst sumentibus contra uenenata omnia efficax est. Traditur & succo acinorum infantibus recēs natis instillato, nulla in posterū uenena ijs esse nocitura. Smilax læuis folio est hederaceo, molliore, læuigatioreq;, palmitibus præter spinas, quibus carent, omni alio modo similibus supradictæ. Conuoluit se arboribus, quemadmodum & illa. Semen ut lupini habet nigrū, & exiguum, super quod circunquaq; flores exiliunt candidi, copiosi, orbiculati, topiario frutice per æstates, folijs per autumnum cadentibus. Læuem Plinius amare culta, & in ijs gigni scribit. Smilax læuis proxima quæq; uincit palmitibus sine spinis, tenuibus, longis, folio hederaceo, molliore, læuiore, fructu lupini modo nigro, exiguo, floribus in cacumine perpetuis, multis, rotundis. Huius sarmēta nullis horrent spinis, ex quibus per æstatem topiario opere contra æstus iniuriam attegiæ confinguntur. Folia per autumnum decidua. plurima hæc circa ipsa Tempe uiret, saxa operiēs, conspicuo nitore oculos tenens ut Helianus scribit: quanquam etiam de smilace hortensi, quæ dolichos sit, uideri potest idem dixisse. Est autem ut arbitror dolichos, quam Plinius siliquam uocauit syluestrem, locis aliquot authoris eius in se collatis. Siliqua, inquit, omnis dira adhærēdo: &, circa Tempe Thessalica quæ dolichos. Addit, circa Thessalica Tempe mirum siliqua syluestris amplecti radicibus fontem eum dicitur, semper florens purpura. Vitruuius tamen hanc, quæ circa Thessalica Tempe nascitur, non herbam sed arborem intelligit. In Thessalia, inquit, fons est profluens, ex quo nec pecus ullum gustat, nec beluarum genus ullum propius accedit, ad quem fontem proxime est arbor florens purpureo colore. Læuem smilacem nullius esse effectus Plinius refert. Galenus similes eam uires habere prædicat quas aspera. Huius semen Dioscorides cum dorycnio, ut tribus obolis utrunq; capiatur, somnia multa, & turbulenta facere credidit.

Myrtus sylueſtris, ruscum. Laurus Alexandrina. Cap. CXXXVI

Oxymyrsine, siue sylueſtris myrtus, Romanis ruscum dicitur, folijs myrti latioribus, cuspidis specie, mncronato cacumine, baccæ per maturitatem rubescunt à mediis folijs depēdentes, duritia nucleo ossea, radice graminis gustus astricti, subsalsi, à qua ramuli uiticis, frequētes, lenti. Oxymyrsine, ut ait Plinius, myrtus est sylueſtris, quam alij chamæmyrsinem, alij acoron à similitudine. hæc est enim breuis, fruticosa. Baccis rubentibus, & breuitate à satiua distat. Castor oxymyrsinen myrti folijs acutis, ex qua fiunt ruri scopæ, ruscum uocauit: inter spōte nascentes idoneam cibis numerat, qua plereq; gentium utantur. *Bruscum* hodie, addita litera, licet corrupte, uocant officinæ, humilem herbam, fruticosam, folijs acutis, & mucrone rigentibus, dependentibus à medio baccis quæ per maturitatem rubescūt, osseo intus nucleo, ramulis cubitalibus, uitilium modo lentis, folioſis, fractu contumacibus, radice graminis acerba, subamara. Alterum genus nonnulli faciunt, quod proceritatem arborum æquet, folio lato, duro, & per angulos aculeato, immortali quoq; uirore, baccis rubentibus & racematim collectis. hanc Galli *houſſum* uocant. Fiunt ex ambabus, ad detergendā infumibulorum fuliginem, scopæ. Gaudent opacis, neq; alibi temere nascuntur. Cæterum eam supra genus esse aquifoliæ ilicis docuimus. Scio ruſci fructum, *cubebas* Mauricè uocatas credi. Sed ab ijs dissentio qui hoc adfirmant, in testimonium citans Actuarīū & Aetium, qui in multis recentiorū compositionibus à se traditis, *cubebas* & *combebas* à Græcis dici carpesiō adfirmāt. Galenus certe, id quod medici cubebas uocāt, ipse carpesiō appellauit. Duorum generum, Ponticum & Laertium, à montibus Pāphyliæ, ubi frequens est, ita dictum. Inueniri & in Sida copiosum tradit, oppido Pamphyliæ, & effectum ei tribuit qualem ipsi phu, gustum quoque similem, tenuioris etiamnum hoc, subtilioris substātiæ, propterea plus uirium in eo esse purgandis & exterendis intestinis quæ sunt occlusa: non tamen par uirtute penetrandi casiæ, nedum cinamomo, etiam si Quinto, inquit, ita uideatur. Vrinam cit, renes calculis laborantes liberat. Est autem odoratum semen carpesium, hoc est cubeba. Fœtēt sylueſtris myrti baccæ dum recentes sunt, ossea in ijs duritia: in carpesio nihil tale reperitur. Illud obiter dixerim, superuacuum existimo in re confessa lōgio rem moram ducere, præsertim cum plura de carpesio suprà narrauerimus. Tradunt claram uocem facere pronunciantibus, si contineatur ore, ideo aliqui eloquentes nunquam

ſine hoc ſemine concionabantur: ſed multam cit pituitam, quæ dicentes aut orantes turpi proluuie ſputi conturbat. Sed & aliam quoque dotem prædicant, maiorẽ in uenereo concubitu uoluptatẽ ſentiri qui habeant id in ore: quaſi nõ ſatis ſit in ea titillatione mẽs cõmota, niſi doceamur, quemadmodũ nos Venus adminiculatior & uiolentior tranſuerſos auferat. Sed iam ad ruſcum redeamus. Radix in honore eſt, decocta uino ad renum dolores pota, & difficili urinæ, præcipuè craſſæ & grauiter olenti: morbo regio & uuluarum purgationi trita cum uino: cauliculi quoque incipientes aſparagorum modo in cibo ſumpti, & in cinere decocti. Semen in uino potum, aut oleo, aut aceto, calculos frangit: item in aceto & roſaceo tritum capitis dolores ſedat, & potum regium morbum. Radix decocta bibitur alternis diebus in calculorum ualetudine, & tortuoſiore urina, uel cruenta. Radicem pridie erui oportet, & poſtero mane coqui, ex eo ſextario uini cyathis duobus miſceri. Sunt qui crudam radicem ex aqua bibant. Et in totum, ad uirilia cauliculis eius in uino & aceto tritis, nihil utilius putant. Folia & baccæ Dioſcoridi in uino potæ urinas cient, menſes pellunt, ueſicæ calculos rumpunt, ſtillicidia urinæ ſanant & capitis dolores, regio morbo medentur. Naſcitur in aſperis præcipitijs. Decoctum radicis in uino potum eoſdem præbet uſus. Cauliculi recentes aſparagorum loco in cibos recipiuntur, eſu quidem amaro, ſed urinas pellente. Laurus Alexandrina, aliqui Idæam, alij hippogloſſion appellare malunt, folio myrti ſylueſtris, molliore, candidiore, maiore, ſeminis inter folia magnitudine ciceris rubri, ramos ſpargit à terra dodrãtales, eoq; ampliores, radice myrti ſylueſtris, maiore, odorata, teneriore. inuenitur in montoſis Eſt &, ut Plinius ſcribit, Alexandrina laurus, quam aliqui Idæam, alij hippoglottion, alij daphnen, alij carpophyllon, alij hypelaten uocant, ramos ſpargit à radice dodrantales, topiarij ac coronarij generis, folio acutiore quàm myrti, molliore & candidiore, maiore, ſemine inter folia rubro. plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti. Nec niſi in montoſis uidimus hac effigie, folio paulo ruſci maiore, molli, nec rigido, ſemine inter folia rubro, ramulis in terram ſparſis, dodrantalibus, radice myrto ſylueſtri proxima, molli. Laurus Alexandrina, ſiue Idæa partus celeres facit, radice pota trium denariorũ pondere, in uini dulcis cyathis tribus. Secundas etiã pellit, menſesq; eodem modo pota. Difficiles partus accelerat pota ſenũm denariorũ pondere in uino dulci. Strãguriæ prodeſt. Menſes elicit, fœminasq; purgat.

Daphnoides, Chamædaphne. Cap. CXXXVII

DAphnoides alij eupetalon, alij chamædaphnen, alij peplion dixerunt, frutice ſeſquipedem alto, ramoſo, ramis flexilibus, ſurſum uerſus folioſis, cortice uirgas ueſtiente glutinoſiſſimo atq; inextricabili. Folia uero lauri molliora, ualida nec fragilia, quorum guſtatu os & fauces accendantur: flores candidi, bacca cum ematuruit nigra, radix ſuperuacua. naſcitur in montibus. Id, etiam Plinio authore, quod daphnoides uocatur, genus in nominum ambitu eſt. alij enim pelaſgum, alij eupetalon, alij ſtephanon Alexãdri uocãt. Et hic frutex eſt ramoſus, craſſiore ac molliore q̃ laurus folio, & cuius guſtatu accendaẽ os, baccis è nigro rufis. Nec illud præteribo, Plinij daphnoidi craſſiora quàm laurus folia contribuiſſe, Dioſcoridem graciliora. Adijcio Dioſcoridis mihi uerba non uideri, quibus dicitur alypo ſimilem hanc herbam eſſe, floribus nymphææ, quanquam inueniam qui alypoides hanc uocent. Herbarij noſtri hanc appellant *laureolam*. ſiquidem laureola frutex noſcitur ramoſus, cubitalis, molliori anguſtioriq; quàm laurus folio, triſti aſpectu, flexilibus uirgis, ſupra modum uiſcoſis, uerſus cacumen folioſis, flore candido, bacca cum percoxit atri coloris, fronde fractu contumaci, cuius guſtatu mordeatur os, incenſumq; guttur uellicetur, radice inutili. Daphnoides, ſiue ſylueſtris laurus, aluum ſoluit recenti folio uel arido, drachmis tribus cum ſale & hydromelite mãducata. Pituitas extrahit folium & uomitus, ſtomacho inutile. Sic & baccæ quinæ denæue purgationis cauſa ſumuntur. Pituitoſa folio recenti uel arido exigit per aluum. Vomitiones menſesq; cit. Commanducata capitis elicit pituitam, ſternutamenta mouet. Baccæ quindecim potæ aluum reſoluunt. Chamædaphne. quidam & hanc daphnen, alij laurum Alexandrinam uocant, alij daphniten, alij hydragogon, Romani laureolam ſiue lauraginem, unico ramulo, cubitali, recto, tenui, atq; læui, folio lauri

ſimilitu-

similitudine, multo læuiore, & magis herbaceo. Semen rotundũ, rubens admistumq; foliis quibus supernascitur. Chamędaphne Plinio unico ramulo est, cubitali ferè, folio tenui lauri similitudine. semen rubens admistum foliis. Hanc ut priorem herbarij uocant. nanq; unico ramulo & cubitali, erecto, folio laureo, tenui, multo læuiore, acini rubentes, rotundi, foliis annexi quibus agnascantur. Eadem Plinio uincaperuinca esse uidetur. Profecto chamædaphne longe diuersa est ab ea quæ uincaperuinca dicitur, quòd in cubitalẽ assurgat altitudinem, ut Dioscorides tradit, & Plinius ipse confirmat, acinis rubris, qui foliis promiscui pendent. Vinca uero peruinca topiaria est herba, uirens in modum lineæ, foliis geniculatim circundata, ueteribus inopiam florum supplere solita, quæ non attollitur sed humi serpit, & se in modum funiculi porrigit uicina quæq; uinciens, unde nomen, flore in purpuram cæruleo. Vincam peruincam tamen dici Plinio chamædaphnen placuit, quòd humilis uideatur laurus, ut nomen sonat. Verum, ut testatum relinquitur aliud non idem genus esse. Alioquin & medicinæ quoque prorsus uariãt. Hydropicis & auribus & aluinis prodesse uincaperuinca dicitur: chamædaphne uero illinitur capitis doloribus recens, ardores refrigerat. Ad tormina cum uino bibitur. Menses succus eius & urinam cit potu, partusq; difficiles in lana appositus. Illinuntur capitis doloribus folia, ut testatur Dioscorides. Stomachi mulcent ardores, tormina potu mitigant. Potus cũ uino succus menses & urinas ciet. Idem appositus pessõ præstat.

Elleborus candidus. Cap. CXXXVIII

ELleborum candidum Itali ueratrum album appellant, folia ei plantaginis atque betæ syluestris, hæc quoque breuiora nigrioraq;, & canalium dorso rubentia, caule palmi, concauo, multis conuoluto tunicis, quas abdicat cum incipit arescere, radix capillamentis multis fibrata, oblongo capite, ceparum modo coeuntibus. nascitur in montanis & macris. Tempestiuum messibus uellere. Nigrum à candido radice tantum differre tradiderunt, alij foliis quæ candidum continuo radici annexa & humi sparsa habeat, caule ferulaceo, breuiore quàm albuci. Idẽ folia betæ incipientis, nigriora, & canalium dorso rubescentia, caule bulborũ tunicis conuoluto, radice fibrata ceparum modo. Frigidis gaudet. In Anticyra cõmodissime purgari eius quod sesamæ similitudinẽ habet Theophrastus adfirmat, sed hoc sesamoides uocat. Coturnicibus semen elleborí gratissimum scribit Aristoteles, quam ob causam antiqui damnauere mensis, nunc magnopere quæruntur. Candidum multis apud nos locis rustici *uerarum* uocant, officinæ *elleborum album*, foliis plantaginis sed paulo atrioribus, & canalium dorso rubescentibus, caule quincunciali, ferulaceo, bulborum tunicis obuoluto, radice cepæ modo multis fibris capillata. Plurimum nascitur in Oeta monte, & optimum uno eius loco circa Pyram: secundus locus Pontico: tertius Eleatico, quod in uitibus gigni ferunt: quartus Parnasio, quod adulterant Aetolico ex uicino. Sunt qui inter hæc Massileoticum laudent. Album cum succiditur caput, ut Theophrastus ait, aggrauat: ideoq; celeriter effodi præcipitur, & allium præsumi, & uinum sorberi. quod Dioscorides in nigro seruat. Leguntur tenuissimæ radices breuesq;, ac uelut decurtatæ etiam eæ. nam summa, quæ est crassissima, cepis similis, canibus tantum datur purgationis causa. Veteres radicem cortice quàm carnosissimo seligebant, quo tenuior eximeretur medulla. Hanc humidis spongijs opertam, turgescentemq; in longitudinem findebant, deinde fila in umbra siccabant ijs utentes. nũc ramulos à radice quàm grauissimi cortícis, ita dantes. Incidítur & forficulis nunc elleborum, & cribratur, cortex remanet, hoc summoto medulla cadit. Album optimum quod celerrime mouet sternutamenta, sed multo terribilius nigro. Durare uim utriusque trigínta annis putant. Necantur albo muscæ trito & cum lacte sparso. Galli sagittas in uenatu tingebant elleboro, circuncisisq; uulneribus teneriorem sentiri carnem prædicabant. Herophilus elleborum fortissimo duci æquabat, concitatis enim intus omnibus, ipsum in primis exire: ideo errauisse antiquos parcius id præbendo, cum celerius erumperet quod largius daretur. Reddi post quatuor quoque horas incipit, totum opus septenis peragitur horis. Nigrum equi, boues, suesq; cauent, cum impune uescantur candido. Optimum Dioscorides esse scribit rigidum, album, fragile, car-

noſum,nec exacutum aut iunceum, & in frangendo puluerem emittens, medulla tenui, guſtu feruens, nec tamen uehementer, neq; ſaliuam ſubinde ciens. quod talem nanciſcitur conditionem,ſtrangulat. Laudatur maximè Cyrenaicum, Galaticum,& Cappadox, & Italicum albius:puluerosum periculoſius & ſtrangulatum concitans. Purgat uomitione uariorum colorum humores. Additur oculorum collyrijs quæ caligínem diſcutiunt. Menſtruum ſanguinem trahit, partus enecat uel appoſitu, ſternutamenta ciet, mures in polenta cũ melle admiſtu iugulat. Carnes ſi una coquantur abſumit. Datur ieiuno per ſe, aut cũ ſeſamo, aut ſucco ptiſanæ,aut alicæ,aut lentis cremore,aut aqua mulſa,aut pulticula,aut alia quauis ſorbitione. In panibus quoq; ſubigitur ac torretur. Cęterũ apparatus & obſeruatio poturis elleborũ apud antiquos legatur,qui de ratione et modo dãdi eius dicto priuatim opere ſcripſerũt. Potiſſimũ Dioſcorides accedendũ cẽſet Philonidi ab Enna Siciliæ medico,alioqui longũ eſſet ei, qui de medicinali materia diſſerit, curationũ quoq; modos & rationẽ uictus perſequi. Porrò alij ſorbendũ in pulte præcipiunt, aut in alica copioſa:quidã cibo tenui præſumpto elleborũ obiter miniſtrãt. Quod genus uſu uenit,cũ poturi ſunt, quibus præfocatio timetur, aut quibus infirmũ exileq; corpus eſt:ita eñ tutiſſime ſumitur,quia minus importunũ infeſtũq; munitis cibo alio corporibus accedat. Balani ex eo admotæ ſedi uomitiones eliciũt. Cæterum, ut & ueterum etiam placita breuiter perſtringamus,candidum uomitione magis purgat,cauſasq; morborum extrahit. Quondam terribile, poſtea tam promiſcuum, ut plericq; ſtudiorum gratia ad peruidenda acrius quæ commentabantur,ſæpius ſumptitauerint. Carneadem reſponſurum Zenonis libris, Druſum tribunorum popularium clariſſimum, hoc medicamento liberatum conſtat comitiali morbo in Anticyra inſula:tibi enim tutiſſime ſumitur, quoniam ſeſamoides admiſcent. Italia ueratrum uocat. Farina eius admiſta radicula,qua lanę lauantur,ſternutamentum facit & ſomnum:ſed optimum habetur album, quod celerrime mouet ſternutamẽta: ſed multo terribilius nigro, præcipue ſi quis apparatum poturorum apud antiquos legat, contra horrores,ſtrangulatus,intẽpeſtiuas ſomni uires,ſingultus infinitos, ſternutamenta,ſtomachi diſſolutiões,tardiores uomitus aut lõginquiores,exiguos aut nimios. Quippe alia dare ſoliti quæ cõcitarent uomitiones, ipſumq; elleborum extraherẽt medicamentis,aut clyſteribus,ſæpe ſanguinem uenis eruiſſe. Iam uero cum proſpere cedat, terribilius uiſu in uarijs coloribus uomitionum,& poſt eas obſeruatione alui,balnearum diſpenſatione,totius corporis cura, antecedente omnia hæc magno terrore & fama. Nanq; tradunt abſumi carnem ſi coquatur unà. Propter hos metus parcius dabant, quod antiquorum erat uitium,cum celerius erumpat quo largius ſumitur. Themiſon binas nõ amplius drachmas donauit,ſequentes quaternas dedere. Cauendum felici quoque cura, ne nubilo detur die,quippe impatibiles cruciatus exiſtunt: nam æſtate potius quàm hyeme dandum non eſt in dubio. Corpus ſeptem diebus præparandum cibis acribus, abſtinẽtia uini,quarto & tertio die uomitionibus,pridie cœnæ abſtinentia. Album è dulci datur, aptiſſime in pulte aut lacte. Inuenere etiam raphanis diſſectis inſerere elleborum, rurſusq; comprimere raphanos,ut tranſeat uis,atque eo lenimento dare. Vetant dari ſenibus, pueris:item mollibus ac fœminei corporis, animi ue exilibus aut terrenis, ac fœminis minus quàm uiris:item timidis,aut ſi exulcerata ſint præcordia,uel tumeant, miniméue ſanguinem excreantibus,cauſarijs uel latere,uel faucibus. Medetur intra comitialibus, uertigini,melancholicis,inſanientibus,lymphaticis,elephantiæ albæ,lepris,tetano, tremulis,podagricis,hydropicis incipientibus,tympanicis,ſtomachicis,ſpaſticis, clinicis, iſchiadicis, quartanis quæ aliter non deſinant, tuſſi ueteri, torminibus redeuntibus. Medetur extrà corporis eruptionibus, pituitæ cum axungia ſalſa illitum, item ſuppurationi ueteri. Eodem & phthiriaſis emendatur.

Elleborum nigrum,Seſamoides. Cap. CXXXIX

Elleborum nigrum aliqui melampodion uocant,Romani ueratrum nigrum. Melampodium à Melampode nominatum uidetur ouium paſtore, qui primus ueratro purgauerit ſanauerit q; furentes Prœtidas. Folia ei herbacea platani, ſed minora & ſphondylio proxima, pluribus inciſuris, nigrioraq; & ſubaſpera,caulis ſcaber, flos ex purpureo candicans, & uuæ modo racemoſus

mosus, semenq; in eo ut cnici, quod ab Anticyrensibus sesamoides uocatur, in purgationesq; adhibetur. Radices nigræ, prætenues ab uno fastigio pendentes ceparum more, in quibus tantum usus consistit. nascitur asperis collibus siccaneisq; locis. Folia nigri, nam duo prima sunt huius genera, platani similia, sed minora, nigrioraq;, pluribus diuisuris scissa, utraq; caule palmi ferulaceo bulborum tunicis conuoluto, radice fibrata cepa rum modo. Melampodis fama diuinationis artibus nota est, à quo tanquam huius inuentore, melampodion appellatur. Alij pastorem eodem nomine reperisse tradunt, capras purgari animaduertente illo, furentesq; Prœti filias Elegen & Celænen, dato caprarum lacte, sanasse, cum in Arcadia prope fontem Clitorium elleboro purgatas deprehēdisset. Hippocrates certe haud aliter ferè quàm ectomon appellat ueratrum ipsum, præcipueq; nigrum. Caulis ei similis candido. Folia quodam loco ei reddidit laurinis similia. Vbique prouenit. Nigro domos suffiunt, purgantq; aspergentes se & pecora. Cum precatione solenni & religiosius colligitur. Primum enim gladio circunscribit, & ad ortum spectat qui eruit, precatur ut liceat sibi concedentibus dijs facere. Obseruantq; aquilæ uolatus, fere enim secantibus interest: si prope aduolauerit, moriturum eo anno qui succidit auguri um est. Nigrum fere nusquam non nascitur, melius tamen in Helicone, qui mōs & alijs laudatur herbis. Purgat per inferna. Veratrum tam nigrum quàm candidum ex Anticyra commendant scriptores. Anticyra uero hæc in Locride siue Phocide sita est, ut scribunt Pausanias & Strabo: nam & aliubi legitur Anticyra, hoc est sinu Maliaco prope montem Oetam, ubi elleborum quidem præstantissimum: sed in Phocidis Anticyra melius paratur admistione, ut inquit Strabo, sesamoidis, propterea in Phocidis Anticyram, non in Oetam elleborū poturi secedebant. Nigrum equos, sues, & boues necat, itaque cauent id cum candido uescantur. Medetur nigrum paralyticis, insanientibus, hydropicis dummodo citra febrim, podagris ueteribus, articularijs morbis: trahit aluum & bilem pituitasq;. Ex aqua datur ad leniter molliendam aluum plurimum drachma: modice, quatuor obolis. Miscuere aliqui & scammoniam, sed tutius salem. In dulcibus datum copiosius periculum infert. Oculorum caliginem fotu discutit, ob id quidam & inunxere. Tritum strumas, suppurata, duritias concoquit & purgat, item fistulas tertio die exemptum. Verrucas tollit cum squamis eris. Hydropicorum uētri imponitur cum farina hordeacea & uino. Pecorum & iumentorum pituitas sanat surculo per aurem traiecto, & postero die eadem hora exempto: scabiem quadrupedum cum thure & cera, pice uel pisselæo. Præstantissimum esse Dioscorides perhibet quod ex Anticyra petitur, maximeq; probatur nigrum quod in ea prouenit. Eligitur carnosissimum habitissimumq;, medulla tenui, gustu acre, feruensq;, cuiusmodi Heliconium, Parnasium, Aetolicumq; habentur, quanquam bonitas prima in Helicone genito tribuatur. Purgat per inferna pituitam, bilemq; datum per se uel cum scammonia & salis drachma, siue tribus obolis. Coquitur & cum lenticula & cum iusculentis, alijsq; quæ gratia purgationis sumuntur. Medetur morbis comitialibus, melancholicis, insanientibus, articularijs doloribus & defectis. Appositu mēses euocat, partus extinguit. Fistulas purgat demissum, & tertio die ablatum. Auribus in grauitate inditur, eximendum post tertium diem. Scabiem cum thure, aut cera, & pice, atq; oleo cedrino perunctis sanat. Per se uero ex aceto uitiligines, lichenas, atque lepras tollit. Dentium dolorem in aceto decoctum, si colluatur os, mitigat. Eroditibus admiscetur. Hydropicis imponitur cum farina hordeacea & uino. Cum uitibus sato eo iuxta radices, medicatum nascitur uinum purgationibus quærendis efficax. Huius aspersu domos expiari credūt. Proinde qui sunt effossuri, stātes Apollini Aesculapioq; apprecātur: obseruātq; aquilæ uolatus, ut quæ nō sine periculo succidentiū interueniat nā si effosionē ellebori cōspexerit ales, eodē anno qui eruet moriturū portendūt. Celeriter effodiendū est, quoniā aura, quę subinde attollitur, caput aggrauat: quod quidem qui secturi sunt cauentes, allium præsumunt, ita muniti ad opus pergunt, nulli iam patentes noxę. Emedullat hoc perinde uti cādidum. Sesamoides alij sesamida, alij elleboron Anticyrēse appellāt, quoniā albo ueratro in purgationib. misceat, rutę aut senecionis similitudinē habet, folio paruo, flore cādido, radice gracili, nullius effectus, granū sesamæ, gustu amarum. Sesamoides maius à similitudine nomen accepit. Hoc nascitur in Anticyra,

nec alibi quod inuenerim. Hoc & elleborum à Theophrasto dicitur ut in candido notauimus. Ventrem purgat. Datur tritum ad pituitæ bilisq; deiectiones quantum tres digiti comprehenderint, addito ueratri albi sesquiobolo cum aqua mulsa. Aliud sesamoides, quod minus cognominant, cauliculis palmi, folio coronopodis, minore, pilosiore, à cacuminibus capitula, floribus ferè purpureis, medio candidis, semenq; cõtinentibus sesamæ, amarum & rufum, exili radice. Granũ dimidio acetabuli ex aqua mulsa potũ bilem & pituitam deijcit: illitum uero ex aqua panos, tumoresq; discutit. Galenus hoc sesamoides candidum appellat. Sesamoides Plinio à similitudine nomen accepit, grano amaro, folio minore. nascitur in glareosis. Detrahit bilem in aqua potum. Semen illinitur igni sacro, discutit panos. Est etiamnum aliud sesamoides Anticyrę nascens, quod Anticyricon uocant, cætera simile erigeronti herbæ. Granum sesamoidis datur in uino dulci ad detractiones quantum trinis digitis capitur. Miscent ellebori albi unum & dimidium obolum, purgationem eam adhibentes insanæ melancholiæ, comitialibus, podagris: & per se drachmæ pondere exinaniunt.

Cucumis anguinus, Elaterium. Cap. CXL.

Sicys agrios, alij elaterium, Romani cucumerem anguinum, alij cucumim syluestrem, fructu tantum à satiuo distat, multo minorem habens & glandibus longiusculis similem, ramis & folijs paribus, radice alba, grãdi. ruderibus sabulosisq; nascitur, toto frutice amara. Cucumim syluestrem Plinius tradit esse infra magnitudinem satiui. Cucumim qui magnificant, nasci præcipuum in Arabia, mox Cyrenis, alij in Arcadia tradunt similem heliotropio, cuius inter folia & ramos prouenire similitudine iuglandis semen: esse autem ad speciem scorpionis cauda reflexa sed candida. Aliqui ab eo scorpionum cucumim uocant, efficacissimum contra scorpionum ictus & semine, & elaterio, ad purgandos uteros aluosq;. Modus proportione uirium à dimidio obolo ad solidum, copiosius necat. Sic contra phthiriasin bibitur & hydropises. Illitum anginas & arterias cum melle & oleo uetere sanat. Multi hunc esse apud nos qui *anguinus* uocatur, ab alijs *erraticus*, arbitrantur, quo decocto sparsa mures de eius medicina non attingũt. Idem podagris cum articulorum morbis decoctum in aceto illinunt præsentaneo remedio: lumborum uero dolori semine sole siccato, deinde trito in triginta denariorum põdere in hemina dato aquæ. Sanat & humores subitos cum lacte mulierum. Foliorum succus, ut placet Dioscoridi, auribus instillatur in dolore. Radix cum polenta ueteres omnes digerit tumores, cum resina uero terebinthina rumpit tubercula. Ex aceto cocta podagris illinitur. Ad coxendices subter in aluum datur, succoq; dentium medetur doloribus. Arida teritur ad uitiligines, lepras, lichenas. Cicatricibus nigris colorem reddit, & in facie maculas emendat. E succo radicis sesquiobolum dant proportione minima: è cortice uero acetabuli quadrantem, ad pituitam bilemq; deijciendam, idq; ad hydropises maxime. Purgationem sine stomachi iniuria molitur hac ratione, Radicis selibra in uini Libyci sextarios teritur. Ex eo ternos cyathos diebus tribus dedisse satis est, usque tumor alui abũde subsidat. Ex cucumere syluestri seu anguino medicamentum fit quod uocatur elaterium, hac ratione, Cucumeres eligis, qui simul atque tanguntur exiliunt, & à pediculo recedunt. Seruantur autem decerpti nocte una, postero die super craterem, rarum componis cribrum, & cultellum supinum collocas, ita ut aciem supernè contineat, deinde utraque manu adnixus singulatim decussas, mox humorem exprimis cribro, in subiectum craterem: carnosas quoque partes, quæ offensa cribri pexitate prohibentur effluere, identidem apprimis, opere peracto succum eum pateris considere. Reliqua uero in peluim abiecta, mox in aceruum composita super cribrum aqua dulci perfundis, subindeq; comprimis. Deinde ijs abiectis, quod in peluim transfusum inuenitur, conturbas, adopertumq; linteo profers ad solẽ: & ubi coierit, aqua omnis, quæ innatat, effunditur cum spuma, idq; sæpius, donec procumbat: tum exprimitur, ut ne stillicidia restent humoris, sedimẽtumq; teritur, & in orbiculos cogitur. Quidam ad coercendam protinus succi abundantiam constrata humo cinere per incerniculum emisso caueolam infodiunt, & elaterium cum aspergine tota superinfundunt, linteo prius triplici expanso per quod effluat, siccatumq; mortario, ut dictum est, conterunt. Aliqui marina perfundunt,

perfundunt, nonnulli ad extremum aquam mulsam inspergunt. Experimentum optimi est, ut in candido modice exudet, sine pondere, sine scabritia, gustu amarissimo: quodq; lucernis admotum facile accendatur. Improbatur asperum, turbulentum, herbaceum, aspectu medio inter eruum & cinerem, quod & ponderosum est. Admiscetur ab aliquibus amylum candoris mentiendi gratia, & ad fallendum pōdus. Elaterium usu purgationum à bimatu incipit esse tempestiuum, duratq; decennio. Maxima potio solidus obolus, minima semiobolus, pueris chalci duo sufficiunt. Copiosius sumitur periculo. Vtraq; parte bilem pituitamq; trahit, præcipua in difficultatibus spirādi purgatione. Cum ex infernis deiectio petenda est, duplum salis est adijciundum, & stibij quantum colore suo inficiat. Modus dandi magnitudo erui per aquam, ita ut subinde cyathus egelidæ sorbeatur. Ad uomitum ciendum aqua diluitur, & locis sub linguam penna subinde intrò adacta collinitur. Aut si quis etiam difficile uomitionem eliciat, subactum cum oleo aut irino unguēto pectuincet. Vetandi sunt dormire qui potant. In purgatione autem immodica uinum cū oleo sæpius præbendum, ut inanitio finem capiat. Quòd si uomitio non deponit, occurrent ei aqua frigida, & polenta, & posca, & poma quęcunq; stomachum densant atq; contrahūt. Elaterium fœminas purgat, abortum grauidis facit. Prodest regio morbo cum lacte mulierum naribus infusum, & ueteribus capitis doloribus. Anginis efficacissime sublinitur cū melle, aut oleo, aut felle taurino. Nullum ex medicamentis longiore æuo durat, ducentos enim annos uim eius pollere Theophrastus asserit. melius quo uetustius. usque ad quinquagesimum lucernas adhibitum extinguit. Hoc enim ueri experimentum est, si admotum priusquam extingat scintillare sursum ad deorsum cogat. Pallidum ac læue herbaceo ac scabro melius. Elaterium tempestiuum est autumno, incipit à trimatu. Si quis recentiore uti uelit, pastillos in nouo fictili domet. Purgat mulieres elateriū, sed grauidis abortum facit. Suspiriosis prodest, morbo uero regio in nares coniectum. Lentigines & maculas è facie tollit in sole illitum. Elaterium fit ex succo expresso è semine cucumeris syluestris. Huius causa maturius secatur, alioqui semen exilit oculorum periculo. Arundine ueteres incidebant. Seruatur autem decerptus una nocte, postero die scinditur. Semen cinere conspergitur ad coercendā succi abundantiam: qui expressus excipitur aqua cælesti atq; subsidet, dein in sole cogitur in pastillos ad magnos mortaliū usus. Obscuritates & uitia oculorum sanat, genarumq; ulcera. Tradunt hoc succo tactis radicibus uitiū, nō attingi uuas ab auibus. Radix huius ex aceto cocta podagris illinitur, succoq; dentiū dolori medetur. Arida cum resina impetiginem & scabiem, quæ psoram, & lichenas uocant, parotidas & panos sanat, & cicatricibus colorem reddit. Foliorum succus auribus surdis cum aceto instillatur. Ad hunc succum cucumis anguinus autumno carpitur. Satiui cucumeris trita radix, & drachmæ unius pondere pota in hydromelite uomitus ciet. Si quis facile secūdum cœnam uomiturìat binis obolis sit contentus.

Staphis agria, Thapsia. Cap. CXLI

Staphis agria Romanis herba pedicularis dicitur, folium habet labruscæ, diuisuriscq; scissum, cauliculis rectis, nigris, flore isatis. fert folliculos uerius quàm acinos, uirides, similes ciceri, & in ijs semen triangulum, scabrū, in nigro subrubrum, intus album includitur, gustu acri. Plinius astaphin agriam uel staphin uuā taminiā ab aliquibus, ut Celso, uocari falsò existimat, suum eē genus habet cauliculis nigris rectis, foliis labruscę. fert folliculos uerius q̄ acinos, uirides, similes ciceri, in ijs nucleū triāgulū. Matureſcit cū uindemia, nigreſcitq; cū taminię rubētes nouerit Plinius acinos: sciuerit illā in apricis nasci, hāc nō nisi opacis. Pituitaria quoque dicit, officinis hodie *staphisagria*. fruticat ea cauliculis nigris, rectis, labruscę foliis, flore subcęsio, folliculis uerius q̄ acinis, herbaceis, ciceris magnitudine, in quibus nucleus triāgulus cum uindemia nigreſcens, inuenitur in opacis. Nucleis huius ad purgationes uti non censet Plinius, propter ancipitem strangulationem: nec pituitam oris siccandam, fauces enim lædunt. Phthiriasi caput & reliquum corpus liberant triti, facilius admista sandaracha: item pruritu & psoris. Ad dentium dolores decoquuntur in aceto, ad aurium uitia, rheumatismum, cicatricum, ulcerum manantia. Flos tritus in uino bibitur contra serpentes. Semen idem albicat propter nimiam uim ardoris. Quidam & pituitariam

uocant

uocant, & plagis ſerpentium utiq; illinunt. Ex eo nucleos quinos ſenos ue Dioſcorides tribuit in aqua mulſa bibendos, ut craſſi humores uomitionibus expurgarentur: ſed qui ſumpſerit, poſtea inambulet: præſto ei debet eſſe aqua mulſa cõtinuo, propter anceps ſtrãgulationis periculum & nimiam ardoris uim, qua fauces infeſtant. Phthiriaſin triti & inuncti cum oleo nuclei, item prurítum & pſoras emendant. Plurimam pituitam commanducati cient decocti in aceto. Dentium dolores mitigant, gingiuarũ quoq; rheumatiſmos compeſcunt. Medentur oris ulceribus admiſto melle. Adduntur in aduretia malagmata.

Thapſiam, alij hypopion, Romani ferulaginem, aliqui ferulam ſylueſtrem uocant, in Thapſo eiuſdem nominis inſula primum inuenta eſt, indeq; appellatio quæſita. In totum porro natura ferulæ thapſia eſt, caule tamen graciliore, fœniculi foliis, in cacumine ſingulis ramulis umbellas anetho ſimiles ferens, et ſuper eas luteos flores, ſemen latiuſculũ qualeín ferula, duntaxat exilius, radice magna, interius candida, nigro cortice. Semen ferulæ thapſiam quidam uocauerunt. Nulli fruticum leuitas maior eſt, ob id geſtata facilius baculorum uſum ſenectuti præbet. Ferula ſine dubio, ut Plinius exiſtimat, eſt, ſed ſui generis, foliis fœniculi, inani caule, nec excedente baculi longitudinem, ſemen quale ferulæ, radix candida, inciſa lacte manat, & contuſa ſucco, nec corticẽ abdicant, omnia uenenata: quippe etiam fodientibus nocet, ſi nimia aſpirat aura, intumeſcunt corpora, faciem inuadunt ignes ſacri, ob id cerato prius illinunt. Quibuſdam tamen morbis auxiliari tradunt medici, permiſtam alijs: item in alopecijs, ſugillatisq;, ac liuentibus. Thapſia in Africa uehemẽtiſſima. Quidam caules incidunt per meſſes, & in ipſa excauant radice, quo ſuccus cõfluat, arefactumq; tollunt. Alij folium, radicem in pila tundunt, & ſuccum in ſole coactum diuidunt in paſtillos. Nero Cæſar claritatem ei dedit, nocturnis graſſationibus conuerberatam faciem illinens cum thure ceraq;, ſequenti die contra famam cutem ſynceram circunferens. Dioſcorides rationem legendi ſucci ſic expoſuit: Radix circunfoſſa, laxato plaga cortice, lacte manat. Sunt qui fornicem in ipſa excauẽt radice, mox operiant, ut purior ſucci ſynceritas confluat: poſtridie accedentes ſuccidunt eam, & tollunt: tum contuſa & organis atq; fiſco expreſſa reddit ſuccum, quem fictili craſſo exceptum ſiccant in ſole. Alij folium quoq; unà tundunt, quod genus infirmum uiribus eſt. Diſcernitur qui è radice ſit ſuccus, uirulentior ſentitur, duratq; madidus: contra ſicceſcit qui foliis exprimitur, & teredines facile noſcit. Excepturi lachrymam cauent contrarium uentum, magisq; ut tranquillo ab omni flatu cælo id fiat quærẽdum, alioqui facies intumeſcit, & puſtulæ aduſtis ſimiles inuadunt nuda corporis, tã uehemens eſt ſpiritus qui ab ea proficiſcitur: ob id prius liquidiore cerato & aſtringente nudas illinunt partes, deinde ita muniti manus admoliuntur operi. Vſus eius in medicina purgandi, cortice radicis & ſucco: item lac, quod ex inciſa legitur, ita ut bibatur ex aqua mulſa. Hæc omnia utrinq; detrahunt bilem. Radix obolis quatuor cum anethi ſemine tribus drachmis, ſuccus obolis tribus, lac ſingulis obolis datur: largiore potu periculum adferunt. Purgatio hæc priuatim ſuſpirioſis, doloribus laterum ueteribus, pituitis gulæ adhæreſcentibus conuenit. Iis qui eas difficile reijciunt, in cibos & obſonia conditur. Radici & liquori uis extractoria ex alto ad cutem, interq; prima pollet ubi facilitas meatuum quæritur: quapropter ſuccus illitu, radix adfrictu alopecias explent. Sugillata liuoresq; radix cum æquis thuris & ceræ portionibus tollunt, ſed nõ plus binis horis adhærere patiantur. ſubinde marina aqua calida ſe foueant. Vitia cutis in facie cum melle illitus emendat, lepras rapit, tubercula diſcutit perunctus cum ſulfure. Veteribus malis laterum, pulmonum, pedum, articulorũ efficaciter illinitur. Ad uerpos decurtatos alia quàm præciſionis cauſa pollet, tumorẽ enim ijs partibus attollit, qui pinguium fotu remollitus cutem penis extendit, ita ut contecta colis glande, iactura reſarciatur. Ad lichenas utuntur radice trita cum melle. Apud Theophraſtum thapſia illuſtrat ſugillata & liuentia, quoniam ut ait Ariſtoteles, ſuo calore ſanguinem refrigeſcere prohibeat, cuius concretu cutis liuet, ut non ſit mirum Neronem hoc remedio conuerberatam faciem emendaſſe. Thapſia ob humoris abundantiam opus ſuum, ut Galenus author eſt, ſero perficit & facile corrumpitur. Thapſos in Theocrito poeta legitur herbæ genus tingendis lanis utile, qua & capillus flaueſcat: diuerſum tamen an idem ſit thapſos & thapſia ceteris iudicandum relinquo.

Spartion

Spartion, Silybon. Cap. CXLII

SPartion, alij lobon, alij ligon, frutex est uirgas longas habens, sine folijs ualidas atq; lentas, uinculorum usu præcipuas uitibus festucandis alligandisq;: folliculos phasiolorum modo ferens, & in ijs semen lenticulæ: florem luteũ, similem albæ uiolæ. Sparton, siue spartion, genistam nonnulli uocant, fortasse quia genibus medeatur dolentibus, uel quia genu modo flexilis sit ad nexus, multiplici tunicarum cortice sponte nascens, & quæ seri nequeat. Propriè aridi soli iuncus, aut terræ uitium, quia nihil ibi seri, nec nasci possit. Noxium animalibus, præter quàm cacuminum teneritate. Cæterum duo sunt sparti genera, unum quod genistam uocamus, de quo suprà dictum est: alterum quod in Hispania & Africa funibus nascatur, leucea uel lygea potius dictũ ab Athenæo. Dubitauit ante nos Plinius. Dioscorides certe cum sparton dixit, genistam uidetur intelligere, cuius florem in coronas addebant, apibus gratissimum. Semen quoq; ipsum Græci sparton eodem nomine appellant. Asia è genista facit lina piscatoria, egregiè durantia, frutice madefacto decẽ diebus. Hac & uites alligat, ut Galenus inquit. Sparti usus quidem multis post Homerum seculis institutus uidetur, quoniam cum sparta dissoluta dixit, significauerit potius sata, in agro Thebano copiosa, ut Varroni & Plinio placere uideo: nec ante Pœnorum arma, quæ primum Hispaniæ intulerunt. In Africa exiguum & inutile gignitur. Hinc strata rusticis eorum, hinc ignes facesq;, hinc calceamina et pastorum uestis. Ad reliquos usus laboriose uellitur, in hyemem uix, facillimè tamen ab Idibus Majis in Iunias. Hoc maturitatis tempus. Ager, unde colligitur, minus triginta M. passuũ in latitudinem patet à litore Carthaginis nouę, minusq; in longitudinem: longius enim uehi prohibent impendia: ideo spartũ aliter etiam diuulsum natura interpollatur, rursusq; quàm libeat uetustum nouo miscetur. Sparto ferè utilius nihil nauium armamentis, machinis ædificationum, alijsq; desiderijs uitæ, inuictũ in aquis & mari, sicut in sicco funis è canabe. Sparti semen & flores egregiè purgãt obolis quinq; in aqua mulsa potis ellebori uice, citra periculum. Semen ipsum exinanit aluum trahendo. Ramis in aqua madefactis succum dant ischiadicis, anginis utilem cyathi unius potu ieiunis. Quidam salsilagine uel marina aqua macerare malunt, & subter ischiadicis in aluum dare. Detrahit cruenta strigmentaq; intestinorũ. Silybon spina est lata, folijs chamæleonti candidæ similibus, quæ recens nata coquitur, & cum oleo & sale manditur. Succus è radice drachma potus ex aqua mulsa uomitiones cit. Plinius chamæleonti albo simile fecit, spinosam, ne in Cilicia quidẽ, aut Phœnice ubi nascitur, coquere tanti est: ita operosa eius culina traditur. In medicina nullum usum habet.

Narcissus. Cap. CXLIII

NArcissus, quidam & hanc tanquam lilium, appellauere lirion, folijs porri minoribus angustioribusq;, caule inani, libero folijs, supra semipedem alto, flos cãdidus, croceo intus medio, in quibusdam purpureus, radice alba interius, rotunda, bulbacea, semen uelut in membrana nigrũ, prælongum. Optimus in montanis odoratusq; nascitur, reliquum genus herbaceũ colore odoreq; est. Caulis, ut est Theophrastus author, & cum eo flos erumpit, ut in croco antequam folium, quod non antè quàm reflorescat cernitur. Caulis cũ flore suo emoritur. Radix bulbo assimilis, nisi quòd non est squamata. Narcisso folium albuci, terræ proximum, sed latius, ut lilio pingue, frequens, angustum, caule sine folijs herbaceo. Flos in cacumine & post Arcturum, & circa æquinoctium, ac uere: item post lilium, ac uiolam flammeam uocatam, membrana incluſus ceu uasculo, ampliusculus, nigricans, oblongus, qui defluens sponte germinet, præsertimq; defixus in terram manu. Seritur & radice ampla, carnosa, rotunda. Narcissus ter florendo tria sationum tempora demonstrat, in coronamenta flore ueniẽs. Sciendũ porrò cũ ex Theophrasti sententia florẽ eius nigrũ dici legimus, nõ de flore ipso, quẽ candidũ esse cõuenit, sed de semine intelligi, quod & mẽbrana cõtegi, & nigrũ & prælongũ esse constat, quo in terram cadẽte propagat se, atq; serit narcissum. Theophrasti morẽ fuisse lirion pro narcisso dicere Iulius Pollux est author, Homerum uero lirij appellatione complecti florum omne genus. Narcissum ab adolescente suimet amore capto, & in eum florem conuerso, natum in Bœotia Thespienses garriunt, fontem Donaca monstran-

monſtrãtes,ubi ſe ſpecularetur puer ſtultiſſimus, qui umbram ſuam neſciret diſtinguere. Coarguit hanc fabulã uetuſtiſſimus poeta Pamphilus,qui Proſerpinã multis annis,antequam Narciſſus eſſet,captam à Plutone cecinit carpentem narciſſos. A narce,hoc eſt torpore dictum cenſet Plinius,quoniã caput grauet,non à fabuloſo puero. Duo hæc,inquit, genera in uſu medici recipiunt.unum flore purpureo,alterum herbaceum.Omnes ſerotini,poſt arcturum enim florent ac per æquinoctium autumni. Faciem alij aliter referunt. Theophraſtus demõſtrat foliis ſtatim ab radice anguſtis, frequentibus, pinguibus, inſtar lilij,caule humili,nudo,herbacei flore nigro,oblongo,incluſo mẽbrana ueluti uaſculo,radice ampla,carnoſa,& in bulbi modum rotunda.Dioſcorides porri foliis repræſentat,anguſtioribus,caule palmari,concauo,neque foliato, flore candido, calyce purpureo, ſemine atro,longiuſculo,quod folliculis cõtinetur,radice candida,rotunda. Ouidius flore croceo nitere,& candido ambiri cecinit hoc carmine,

Nuſquam corpus erat, croceum pro corpore florem
Inueniunt, foliis medium cingentibus albis.

Deſcriptione Dioſcoridis frequens apud nos reperitur in mõtibus, ſed nomine uacat ruſtico.Radix mulſei eſt ſaporis, ambuſtis prodeſt cum melle exiguo, ſic & uulneribus, & luxatis,panis uero cum melle & farina auenæ. Sic infixa corpori extrahit, in polẽta tritus oleoq; contuſus.Medetur & lapide percuſſis.Purgat uulnera permiſtus farinæ.Nigras uitiligines emaculat.Stomacho inutilis,ideo uomitorius,aluos quoq; ſoluens,neruis inimicus,caput aggrauans.Ex hoc flore fit oleum ad emolliendas duritias, calfacienda quę alſe rint.Auribus utiliſſimus habetur,ſed capitis dolores facit. Radix,ut ſcribit Dioſcorides, ſiue eſtur,ſiue bibitur uomitoria eſt.Ambuſtis igni prodeſt cum exiguo melle trita.Præciſos neruos illita glutinat.Talis luxatis, doloribus articulorũ uetuſtis cum melle trita collinitur.Moleſtias cutis in facie,uitiligines q; cum ſemine urticæ acetoq; obliterat. Vlcerum colluuiem cum eruo & melle detergit. Abſceſſus rumpit concoctioni repugnãtes. Infixa corporibus extrahit cum melle illita & lolij farina.

Hippophaes,Hippophæſton, Ricinus. Cap. CXLIIII

Hippophaes ſiue hippophyes, quidã hippophanes, Romani lappaginem, & lappulã uocarũt. Vtuntur eo fullones concinnãdis ueſtibus. In maritimis ſabuloſisq; naſcitur,opaco frutice,ſurculoſo, denſo, foliis oleæ anguſtioribus, mollioribus,& inter ea ſpinis arẽtibus,candidis,anguloſis,geniculatim inter ſe diſtantibus, floribus hederæ corymbis ſimilibus, racematim congeſtis, & inuicem imminentibus acinis,minoribus tamen & mollioribus,albidis,ex parte rubẽtibus. Radix craſſa, mollis, amara, lacte madẽs, quod thapſiæ modo ſuſcipitur. Hoc autẽ per ſe conditur,aut in eruina farina digeritur in paſtillos. Hippophyes in ſabuloſis maritimisq; naſcitur ſpinis albis,hederæ modo racemoſa eſt, cãdidis, & ex parte rubẽtibus acinis.Radix ſucco madet,qui aut per ſe cõditur,aut paſtillis farinæ.Hæc bilem detrahit obolo ponderis ſaluberrime cum mulſo.Eſt altera hippophyes ſine caule,ſine flore,foliis tantum minutis.huius quoq; ſuccus hydropicis mire prodeſt. Debẽt accõmodatæ eſſe equorum naturæ,neq; ex alijs cauſis nomen accepiſſe: quippe quædam animaliũ remedijs naſcuntur locupleti diuinitate ad gerẽda præſidia. Lappaginẽ Italia appellat. Similis,inquit Plinius,auagallidi lappago uideretur,niſi eſſet ramoſior,odore grauí.quæ talis eſt,mollugo dicitur:quæ uero aſperioribus foliis, aſperugo. Prior ſuccus hippophais,qui ſyncerus eſt,bilẽ,aquã,pituitas detrahit oboli põdere per inferna:poſterior quatuor obolis in aqua mulſa.Superficies cum radice arefacta tunditur, & cum melle miſto datur farina eius ad eundem effectũ,cum aquæ mulſæ dimidia hemina.Exprimunt & radicem & foliũ quemadmodum thapſiæ. Hippophæſton,aliqui & hippophaes appellant,naſcitur & eiſdem locis,fullonibus & ipſa utilis,ſerpens humi,foliis tantũ minutis,aculeatisq;, ſpinoſis item capitulis,ſine flore,ſine cauliculo,craſſa & molli radice. Hac folio & capite ſuccus exprimitur.Hippophæſton,ut Plinius inquit,naſcitur in ſpinis,quibus fiũt æneæ fulloniæ,ſine cauliculo,ſine flore,capitulis tantũ inanibus & foliis paruis,multis, herbacei coloris,radiculas habẽs albas,molles. Succus earũ exprimitur æſtate ad ſoluendã aluũ, tribus obolis, maxime in comitialibus morbis et tremulis,hydropicis,cõtra uertigines,orthopnœas,& paralyſes

paralyſes incipientes. Inter herbas quæ fruticibus circunuoluũtur notatur ſpiña fullonia, ut Plinius tradit, hippophæſton, cauliculis inanibus, folijs paruis, radice alba, cuius ſuccus ad detractiones in comitiali morbo utiliſſimus habetur. Sed hippophæſton aliquibus uidetur hæc quam Plinius quoq; hippophyes nominauit Theophraſtum ſecutus, qui ex tithymalo hippophaes optimum confici apud Tegeam nouerat, haberiq; in pretio. Sicuti ex cucumere ſylueſtri factitatur elateriũ, ita ex tithymalo hippophaes Theophraſto. Alíqui ea ratione colligunt eandẽ eſſe hippophæſton & molluginem, quæ dicatur lappago, quòd neruorũ cauſis utilem affirmet Dioſcorides, ut Plinius molluginẽ. Cæterũ hac ſpecie uidimus hippophæſton, humilẽ herbam ſine cauliculo, ſine flore, capitulis tantũ ſpinoſis, folijs exiguis; radiculis mollibus, albis: eſtq; ſpinæ fulloniæ genus, concinnãdis ueſtibus quæſitæ. Hac folio & capite ſuccus exprimitur, qui ſiccatus tribus obolis cum aqua mulſa aquã, pituitasq; detrahit, priuatim comitialibus, neruorum ualetudinibus, & orthopnœis cõueniẽti purgatione. Cici ſiue croton, Romanis ricium, alij lupã, alij crotonem; & ricinũ à ſimilitudine animalis fœdi, cũ ſemina fruticis huius appellãt ricinos. Paruæ ficus magnitudine conſurgit, folio platani, læuiore, nigriore, maiore, ramis & caudice arundinum modo cõcauis, ſemine uuarũ aſpero, quod purgatũ effigiem ricini animalis repræſentat. Ex hoc cicinum oleum premitur cibis quidẽ fœdum, ſed lucernis emplaſtriſq; utile. Fit oleum, ut Plinio placet, ex cici arbore in Aegypto copioſe, alij crotonem, alij ricinum, alij ſeſamum ſylueſtre appellant: ibiq; non pridem, ſed in Hiſpania repente prouenit altitudine oleæ, caule ferulaceo, folio uitium, ſemine uuarum gracilium pallidarumq;. Latini uocant eam ricinum à ſimilitudine ſeminis. Coquitur id in aqua, innatansq; oleum tollitur. At in Aegypto, ubi abundat, ſine igni & aqua ſale aſperſum exprimitur, cibis fœdum, lucernis utile. Ricino folia in iuuenta circinatæ ſunt rotunditatis, uetuſtiora in angulos exeunt. Foliorum unitas in ſuo cuiq; genere permanet, præter quàm populo, hederæ, crotoni, quam ricinũ diximus appellari. Cici arbor Herodoto ſillocyprium uocatur, à Latinis ricinus, ut & ipſum quoque animal canibus præcipuè infeſtum. Sed ouibus quoque moleſtos eſſe ricinos teſtis eſt Cato. Vulgus Italicum *tica*, quaſi cica, græca imitatione, uocat. Frutícẽ recentiores herbarij *cataputiam maiorem*, uulgus Gallicũ, itẽ officinæ *palmam Chriſti* appellant, quòd folium in humanæ manus effigiem articuletur; catapotiã, quòd in pilulis maioribus ſemina claudantur. Nuſquam non ſeritur apud nos in ortis ad arcendam effodientium talparum, ut uolunt, iniuriam, inſtar arboris paruę proſilit, folio platani maiore, uel uitium, ramis caudicibusq; cauis, & in arundinis modum fiſtuloſis, ſemine in uuis aſperis, quod corticibus exutum ricinum animalis effigiem repræſentat tam proxime, ut ſi uita adeſſet, plane ricinus uideretur. Triginta huius grana putaminibus purgata potu pituitam, bilem, & aquas per aluum deijciunt. Vrinas etiam mouent admodum iniucunda faſtidiendaq; potione, præterea uehemens redundatio ſtomachi ſubuerſioq; ſequitur. Tuſa & impoſita uaros, maculasq; ſole contractas emendant. Folia trita cum polenta oculorũ tumores & epiphoras ſedant, turgentium mãmarum inflãmationes coercẽt. Eadem cum aceto illita ſacros ignes reſtingunt. Cicinũ oleum bibitur ad purgationes uentris cum pari caldæ menſura. Priuatim dicitur purgare præcordia. Prodeſt articulorum morbis, durítijs omnibus, uuluis, auríbus, ambuſtis: cum cinere uero muricum, ſedis inflãmationibus, item pſoræ. Colorem cutis commẽdat, capillumq; fertili natura euocat. Semen ex quo fit, nulla animans attingit. Ellychnia ex uua fiunt claritatis præcipuæ, ſed ex eo lumen obſcurum propter nimiam pinguitudinem. Folia igni ſacro illinuntur ex aceto: per ſe autem recentia mammis & epiphoris. Eadem decocta in uino inflammationibus cum polenta & croco, per ſe autem triduo impoſita faciem purgant.

Tithymali ſeptem. Cap. CXLV

Tithymalus herbæ nomen. Genera ſeptẽ. characías qui & maſculus exiſtimatur, ab aliquibus cometes, amygdaloides, atq; cobios uocatus: ſecundũ fœminam putant, myrtiten appellant, alij caryiten, myrſiniten: tertio cognomentum paralius ſiue tithymalis: quartum helioſcopion: quintum cyparíſſiam: ſextum dendroides: ſeptimum platyphyllon tithymalon, Latini herbam lactariam uocant, alij lactucam caprinam. Narrant lacte eius inſcripto corpore, cum

inaruerit,

inaruerit, si cinis inspergatur, apparere literas, & ita quidam adulteras alloqui maluere, quàm codicillis. Appellatur Græcis primũ genus tithymali characias. caules habet longitudine cubitali & supra, rubros, lacteo succo atq; acri medẽtes, foliis oleæ angustioribus, longioribusq;, radice crassa, lignosa. Pendent in cacuminibus caulium comæ iunci, sub quibus caueolæ soliolis balnearum similes, in quibus semen. nascitur in asperis, montosis. Primus, ut Plinius refert, characias, qui & masculus existimatur, ramis digitali crassitudine, rubris, rugosis, quinq; aut sex, cubitali lõgitudine, à radice foliis pendulis, in cacumine coma iunci. nascitur in asperis & mõtanis. Legitur semen autũno cum coma, siccatũ sole tunditur, & reponitur. Succus incipiẽte pomorũ lanugine defractis ramulis excipitur farina eruí, aut ficis, ut cũ ijs arescat: quinas aũt guttas singulis excipi satis est, tradũtq; toties hydropicos purgari fico sumpta quot guttas lactis exceperint. Succus cũ colligitur, ne attingat oculos cauendũ est. Fit & foliis tusis priore minus efficax. Fit & decoctũ è ramis. Est & semen in usu cũ melle decoctũ ad catapotia soluẽdæ aluí gratia. Semẽ & dentiũ cauis cera includitur, colluũtur & radicis decoctæ uino & oleo. Illinũt & lichenas succo, bibuntq; eũ ut purgẽt uomitiõe, & aluo soluta, aliàs stomacho inutilẽ. Trahit pituitã sale adiecto in potu, bilẽ aphronitro. Si per aluum purgari libeat, in posca: si uomitiõe, in passo aut aqua mulsa. Media potio tribus obolis cõstat. Ficos à cibo sumpsisse melius est. Fauces urit leniter, est enim tam feruẽtis naturæ, ut per se extrà corpori impositũ pustulas igniũ modo faciat, & pro caustico sit in usu. Linguã excalfacit bulbi more tithymalus. Ad lichenas laudatur cũ resina decoctus. Phagedęnis, quod nomẽ sine modo esuriẽtiũ est, & aliis ulcerũ ti thymali medẽtur cum sesamis. Spicula sagittariorũ extrahũt. Gãgrænas, putria, phagedænas emarginat, priuatim characias succo, uel ramorũ decocto, cũ polẽta & oleo. Sanat itẽ hydropicos, platyphyllon etiã cognomine. Tithymali ramorũ medullã habẽtes ad uenerẽ proniores fieri dicũtur. Characias Gallis nũc magna ex parte *expurgia* nominatur, rusticis *euigiliũ matutinũ*, aut quia repurget, aut antelucano molies deiectionẽ expergiscere sumentẽ cogat: siquidẽ sesquipedali proceritate digitalicq; crassitudine prouenit, quinis senisue caulibus, foliis oleæ sed longioribus, leniter punicantibus, circa radicem duntaxat angustiori bus, nam in cacumine iunceam comã gerit, radice aspera, crassa. inuenitur in asperis. Succus, ut est Dioscorides testis, alui deiectionem ciet: trahit pituitam bilemq; binis obolis in posca sumptis, & cum aqua mulsa uomitiones mouet. Hic circa uindemias congestis in fasce ramulis, mox decisis excipitur, qui concludi debent in uasa. Quidam succũ excipiunt, farina eruina in pastillos cogunt, eruí magnitudinem implentes. Sunt qui ternas quaternásue eius guttas stillent in ficus, ut cum ijs inarescant, deinde reponunt. Per se etiam in mortario tusus, & in orbiculos digestus recõditur, dum urgeat necessitas in usum promẽdus. Cauendum præterea cum lac extrahitur, ne quò uentus aspiret leguli adsistant, item ne manus quoque oculis admoliantur: quin potius oblinant corpus, faciemq; : præsertim collum & inguina seuo aut oleo cum uino perungentes muniant. Fauces etiam exasperat, propterea cera aut melle decocto debet includi, sic sine iniuria transmittitur. Bínas ternásue ficos purgationis gratia sumpsisse satis est. Lac eius recens perunctos in sole pilos extrahit, renascentes flauos & graciles efficit, tãdem glabros ac depiles omnino reddens absumit. Cauis dentium indítur ad mulcendos dolores, obsepiendus cera ne defluat, suoq; delapsu fauces & linguam uitiet. Formicas uerrucasq; tollit. Thymos, pterigia, gangrænas, phagedænas, carbunculos, lichenas illitu rapit. Legitur semen autumno, siccatum sole leniter tunditur, purumq; reponitur. Folia quoque non abdicantur usu similiter siccata. Semini & folio natura quæ lacti, sed modus uariat. Dimidium acetabuli ex ijs iusta potio est. Quidam inueterant sale folia miscentes lepidio lacte macerato, item caseo tuso. Radix in pastillos subacta drachmæ unius pondere ad aluum trahendam in aqua mulsa bibitur. Eadem in dolore dentium aceto decocta colluitur. Secũdi generis est tithymalus fœmina, quam myrsiniten, aut caryiten uocant. naturam habet daphnoidis, foliis myrti maioribus, firmis, cacumine acuto pungẽtibus, rami ab radice exeunt semipedales. Fructum fert alternis annis iunci símilẽ, gustu mordaci, nascitur in asperis. Vis huic quæ priori, succo, radice, folio, semine, ad uomitiones tãtum eliciendas inualidior. Alterũ genus tithymali, Plinio authore, myrsiniten uocant, alij caryiten, foliis myrti, acutis, pungẽtibus, & ipsum

etiam

etiam in asperis nascens. Colliguntur eius comæ hordeo turgescente, siccatæq; in umbra diebus nouem, in sole inarescunt. Fructus non pariter matureſcit, sed pars anno sequente, & nux uocatur, inde cognomen Græci dedere. Demetitur cum messium maturitate, lauatum deinde siccatur, & datur cum papaueris nigri duabus partibus, ita ut sit totum acetabuli modus. Minus hic uomitionibus quàm superior, cæteri ijdem. Aliqui sic & foliũ eius dedere, nucem uero ipsam in mulso aut passo, uel cum sesama. Trahit bilem & pituitã per aluum, oris ulcera sanat. Ad nomas oris folium cum melle estur. Hac specie in nemoribus sępe uidimus, folio multo maiore quàm myrti, acuto, pungẽte, grauis odoris, ramulis palmeis, alternatis annis fruticantib. fructu nucis similitudine, sed pauciori madet lacte. Nullum nomen ruri adhuc inuenit. Tertium genus tithymali paralius uocatur, siue tithymalis, in maritimis nascitur, ramis palmũ altis, subrubentibus, quinis senisue ab radice, folio circa eos in ordinem condito, paruo, contractiusculo ac prælongo ut lini uideri possit, capite in summis ijs rotundo, semen complexo, ut eruum colore uario, flore albo. Frutex totus & radix lacte scatet, eodem in usu quo superiora, pariq; seruandi ratione. Tertium genus Plinio paralius uocatur siue tithymalis, folio rotundo, caule palmũ alto, ramis rubentibus, semine albo, quod colligitur incipiente uua, & siccatum teritur, sumiturq; acetabuli mensura ad purgationes. Paralios à Theophrasto coccos appellatur, peculiariter uulgus *euigilem matutinum* appellat, furculis rubentibus, palmũ altis, quinis senisue à radice exeuntibus, foliis lini, angustis, paruis, oblongis, in ordinem digestis, capite in cacuminibus orbiculato, in quo semẽ ut eruum emicat uario colore. Quartum genus helioscopon appellant, foliis portulacæ tenuioribus atq; rotundioribus, furculis à radice prodeuntibus quatuor aut quinq;, tenuibus, altitudine palmi, rubentibus, albi succi plenis, capite anethi, semine ceu in capitulis. gignitur maxime in ædificiorum ruinis & circa oppida. Lactis & seminis colligendi præceptio eadem seruanda. Plinius quartum genus helioscopon appellat, foliis portulacæ, ramulis stantibus à radice, quatuor aut quinque, rubentibus, semipedali altitudine, succi plenis. Hoc circa oppida nascitur semine albo, columbis gratissimo, quod colligitur incipiente uua. Nomen accepit, quoniam capita cum sole circunagit. Trahit bilem per inferna in hydromelite dimidio acetabulo, cæteri usus qui characiæ. Quintum cyparissiam uocant, caule palmeo aut etiam proceriusculo, subrubente, foliis pinus tenerioribus exilioribusq;, omnino ut nouella pinus possit existimari, de quo & nomen accepit. Hic succo lacteo manat, cui eadem uis quæ superioribus. Cyparissiam uocant propter foliorum similitudinem, caule gemino aut triplici nascentem in campestribus, cui eadem uis quæ superioribus tradita. Hic in campestribus frequentissimus occurrit, & in totum nascentem pinum æmulatur, folio consimili, molliore tantum & tenuiore. Sextũ dendroides & petrophyes cognominant, nascens in petris, opacans superne in orbem atq; comosissimum, succi plenum, ramis subrubentibus, circa quos folia myrti tenuioris, semen characię. Eodem reponitur modo, eiusdẽ naturæ cuius cæteri. Septimũ, ut inquit Plinius, dendroides cognominant, alij gobion, alij leptophyllon, in petris nascens copiosissimum, ex omnibus maximè cauliculis rubentibus, et semine numerosum, eiusdem effectus cuius characia. Septimum platyphyllon uocant, similem uerbasco. Aquas radice uel foliis detrahit per aluum. Tusus & resolutus aqua pisces necat, quod cũ supradictis generibus commune habet. Sextum Plinio platyphyllon uocant, alij corymbiten, alij amygdaliten à similitudine, nec ullius sunt latiora folia. Pisces necat, aluum soluit radice, uel foliis, uel succo, in mulso aut aqua mulsa drachmis quatuor.

Pityusa. Lathyris. Cap. CXLVI

Pityusam alij clema, alij crambion, alij canopicon uocant. Separatur sola specie à tithymalo cyparissia, ob id eam in tithymali generibus enumerant. Caulem habet maiusculum cubito, geniculisq; dẽsum, foliis minutis, exactisq; comprehensum, tenuibus & similibus piceæ, flore paruo, purpureo, semen latum forma lenticulari, radicem, quam appellant turbet, crassam, madidam succo. Quibusdã in locis amplitudo frutici eximia est. Pityusam quidam in tithymalorum genere numerant, frutex est similis piceæ, flore paruo, purpureo. Pityusa omnibus herbarijs officinisq; ac recentioribus medicis *esula* nominatur, siquidem *esula* fruticosa est, caule

ſupra cubiti altitudinem aſſurgente, geniculato, foliis piceæ acutis, exilibus, flore paruo, purpureo, ſemine inſtar lenticulæ lato, radice craſſa, candida, lacteo ſucco turgente, quam recentiores Græci, Barbarorũ freti nomenclatura, *torpeton* uel *turbet* appellauerunt, ut ſupra in tripolij mentione docuimus, ex Actuarij ſententia. Id tamen quod ſuprà ſcribitur radicem turbet appellari, crediderim additamentum poſteritatis Græcæ huic accreuiſſe deſcriptioni: non tamen omnino, quoniam faciat rei cognitionem, explodendum eſſe putauimus, ſimul quòd diſceptationi, quæ de turbit exiſtit, quædam faciat fundamenta. Pituſa bilem & pituitã per aluum detrahit radix decocti hemina, aut ſeminis ligula in balanis. Folia in aceto decocta furfures cutis emendãt. Mammas quoq; miſto rutæ decocto, & tormina & ſerpentium ictus, & in totum collectiones incipientes. Alui deiectionem molitur radice duobus denarijs in uino pota, ſemine uno, lacte ligula collecto in catapotiũ farina, folio tribus. Lathyris, aliqui & tithymali uocabulo norunt, caule cubitali, uacuo, craſſitudine digiti, in ſummo eo ſunt alæ, folio in caule oblongo, amygdalę ſimili, cæterum latione leuioréque. quod autem ramulorum cacuminibus exijt proceriuſculum, ariſtolochiæ, aut oblongę hederæ figura cernitur. In cacuminibus ſurculorum fructus extuberat loculamentis tribus diſtinctus ut capparis, rotundis, in quo grana tria tunicalis diſcreta cõtinentur. Plinius lathyri folia multa reddidit lactucæ ſimilia (in reliquis inter ipſum & Dioſcoridem conuenit) minora, tenuiora, germina multa, in quibus ſemen tunicalis continetur ut capparis: quæ cum exaruere, eximuntur grana piperis magnitudine, candida, dulcia, purgatu facilia. Herba officinis omnibus hodie *cataputia minor* dicitur, quòd, ut arbitror, in pilulis quibuſdam, ſeu potius catapotijs, ſemen ferat: aut quòd granis ſoluendæ aluo pro catapotijs utantur. Vulgus Gallicum ruraq; uocant *eſpurgiam*, quòd uentrem inaniat, & ſi ſingula comparare libet, inueniés cataputiæ minori reſpondere. nanque cataputia caulem emittit cubitali longitudine, & digitali craſſitudine. Gignũtur in faſtigio alæ, & folia in caule oblonga, amygdalinis proxima, latiora & læuiora. Quæ autem in ſummis emicãt ramulis, minora ijs quæ caulem ambiunt, conſpiciuntur, ariſtolochiæ aut longioris hederę figura. In cacuminibus pilulas gerit triplici cellula cõceptaculóue diſtinctas, ceu capparin rotundas, in quarum uentriculis grana intercurſantibus membranis diſcreta continentur, eruis maiora, rotunda, quę corticibus exuta candida ſpectantur, guſtatu dulcia. Nullus radicis uſus. Nos uetuſtiſſimorũ teſtimonio freti, qui Dioſcoridẽ citant in autorem, id quod in græcis exemplaribus lubrico lapſu legebatur, ex oculata rei fide correximus, addentes μιλρόπερα pro μακρόπερα, ſubſcribente nobis ueterũ iudicio, ſed multo magis natiua rerum imagine. Lathyris grana uicena in aqua pura, aut mulſa pota, hydropicos ſanant: trahunt & bilem. Qui uehemẽtius purgari uolunt, cum folliculis ipſis ſumunt ea, nam ſtomachum lędunt: itaq; inuentum eſt, ut cum piſce aut iure gallinacei ſumerentur. Nullus Dioſcoridi radicis uſus. Totus frutex copia lactis turget. Granis huius ſeptenis aut octonis ad catapotia, ſoluendæ aluo utuntur. Hæc mãdi ſolent & deuorari cum ſicca ficu uel palmulis, ut ſubinde hauriatur frigida. Trahunt aquam, bilem & pituitam. Succus, modo quo de tithymalo, ſtringitur ad eoſdẽ effectus. Folia cum gallinaceo aut oleribus decoquuntur, ad effectus eoſdem.

Peplos. Peplis. Chamæſyce. Cap. CXLVII

PEplos, quam aliqui ſycen, alij mecona aphroden uocant, frutex eſt lacte manans, foliis paruis ut rutæ, paulo latioribus, coma palmi longitudine in orbem circumacta, humi fuſa, ſemine ſub foliis paruo, rotundo, minore quàm cãdidi papaueris. In hortis atq; inter uites colligitur meſſibus, ſiccaturq; in umbra, ſed ut identidem uerſetur. Semen quoq; reponitur perfuſum aqua. Peplos, ut Plinius inquit, quam aliqui ſycen, alij meconion aphrodes uocãt ex una radice tenui frutícat foliis rutæ, paulo latioribus, ſemine ſub foliis rotundo, minore cãdidi quàm papaueris. Inter uites fere colligitur meſſibus, ſiccaturq; cum fructu ſuo ſubiectis aquis in quas incidant. Officinæ *eſulam rotundam*, rura noſtra *uineale reuelium*, quòd ſumentes antelucanis excitet in uineis inuentum, nominant. nanq; inter uites et in hortis inuenitur, frutex lactei plenus ſucci, foliis rutæ paulo latioribus, circinata coma, palmari, humi procumbente, fructu ſub foliis rotundo, tribus loculis diſcreto, in quibus ſemen nigrum, papauerini magnitudine cõtinetur. Semine poto aluus ſoluitur, bilis ac pituita detrahitur. Media potio eſt

tio eſt acetabuli mẽſura in aquæ heminis tribus, & cibis inſpergitur obſonijs'que ad molliendam aluum. Bilis & pituita detrahitur acetabulo eius in aquę mulſæ cyatho poto. Obſonijs inſperſa conturbat aluum. Seruatur in muria. Peplis, alij andrachnen agriam, Hippocrates peplion appellat, naſcitur iuxta mare, largo frutice, folijs ſatiuæ portulacæ, rotundis, inferne rubentibus, ſemine pepli modo ſub folijs orbiculato, guſtu feruenti, radice alba, unica, ſine uſu aliquo. Collecta reponitur. Præbetur ſale inueterata ut peplos, pari potentia. Peplis non multum diſſidens à ſuperiore, ſolum natalibus & aliquantum folio. Maritimis hæc gaudet, illa uitibus, folio portulacæ ſatiuæ, illa rutæ. Folia huius auerſa rubent, ſemen utrique rotundum ſub folijs. Peplio Plinius uim eandem quam portulacæ tribuit. Portulacas ſylueſtres uocari herbas treis inuenio, unã quæ ſit aizoi ſpecies, alteram cognomine telephion, tertiam peplim ſiue peplion. Sunt qui etiam apud Græcos peplion pro *ſenna* modo appellata intelligãt: ego longè diuerſum puto genus, cum ſenna ſiliquas, & in ijs ſemen gerat, peplis non ferat. item peplis folio eſt portulacæ, ſenna fœni græci.

Chamæſyce ramos habet digitorum quaternũm in terram ſparſos, orbiculatos, ſuccu-lentos, folia lentis effigie, peplo ſimilia, parua, tenuia, ſe nihil attollentia, ſemen ſub folijs ut pepli, rotundum, nunquam florens, caule nullo, radice tenui, ſuperuacua. Chamæſyce Plinio folia lentis habet, nihil ſe attollentia, in aridis petroſiſq; naſcens. Claritati oculorum et cõtra ſuffuſiones utiliſſima, & cicatrices, caligines, nubeculas, in uino cocta inuncta. Vuluæ dolores ſedat appoſita in linteolo. Tollit uerrucas omnium generum illita. Prodeſt orthopnoicis. Ramis huius in uinum comminutis dolores uuluæ in peſſo appoſitis ſedantur. Tollunt ijdem tumores, uerrucas, formicasq; illiti. Succus ex ijs eadem præbet. Priuatim ictibus ſcorpionum inunctus reſiſtit. Ad ſuffuſiones incipientes, nubeculas, cicatrices litus cum melle prodeſt. In petroſis & aridis naſcitur.

Scammonium. Cap. CXLVIII

Scammoniam, alij colophoniam, alij dactylion uocant, ramos habet multos ab una radice, tricubitos, pingues, & quadantenus craſſos: folia quoq; hirſuta helxinæ aut hederę, molliora, triangula: florem candidum, male olentem, rotundum, & cauum ceu calathus: radicem grauiter olentem, liquoris plenam, oblongam, craſſitudine brachiali, candidam. Colligitur ſuccus capite radicis detracto, & in modũ teſtudinis inuerſæ inciſa cauernula ut in ipſam lachryma confluat: quæ deinde in mytulũ excipitur. Quidam in terra fornicem fodiunt, & ſubiectis nucis iuglandis, in quæ decidat, folijs ſuccum effundi patiuntur, quem inibi reſiccatum demum tollunt. Scammonium Plinio ſuccus eſt herbæ ab radice ramoſæ, pinguibus folijs, triãgulis, albis, radice alba, madida, nauſeoſa, naſcitur pingui & albo ſolo. Radix circa Canis ortum excauatur, ut in ipſa confluat ſuccus, qui ſole ſiccatus digeritur in paſtillos. Siccatur & ipſa uel cortex. Laudatur natione Colophonium, Myuſium, Prienenſe, ſpecie nitidum, & quàm ſimillimũ taurino glutini, fungoſum, tenuiſſimis fiſtulis, cito liqueſcens, uirus redolens gummoſum, linguæ tactu lacteſcens, quàm læuiſſimum, cum diluitur albeſcens. Hoc euenit adulterino, quod fit erui farina & tithymali marini ſucco in Iudæa fere, quod etiam ſtrangulat ſumptum. deprehenditur guſtu, tithymalus enim linguam excalfacit bulbi more, nec antè, nec poſtea utilis. Dedere per ſe quaternis obolis ex aqua mulſa et ſale, ſed utiliſſime cum aloe, ita ut incipiente purgatione mulſum bibatur. Fit & decoctum radicis in aceto ad craſſitudinẽ mellis, quo lepræ illinuntur, & caput in dolore perungitur cum oleo. Scammonion ſtomachi diſſolutionem facit, bilem detrahit, aluum ſoluit, prętèr quàm ſi adijciantur aloes drachmæ duę obolis eius duobus. Comitiales ſanat ſcãmonium duobus obolis, cũ caſtorij drachmis quatuor. Emortua pellit utero potũ uel appoſitum. Iſchiadicis bibitur uel imponitur ſcammonia decocta cum hordei farina. Panis medetur, etiam peſtilentibus decoctum radicis cum melle. Scammoniũ Cicero & Plinius propriè ſuccum intelligunt. Scammonia frigida amat loca, pingui tamen & arido ſolo naſcens. Lachrymam è radice ſua fundit, quam in cotoneo malo coctam, quo minus ſtomachũ offendat, recentior Græcia dacrydion, quaſi lachrymulam uocat, corrupto nunc uocabulo medici *diagredion*. Circa Canis ortũ excipitur. Vis bimę, nec antè, nec poſtea. Laudatur Dioſcoridi ſcammonium nitidum, ſine pondere, ſolutum taurini glutinis colore, prætenuibus

fistulis,fungosum,quale est quod ex Mysia, quæ in Asia est,defertur.Nec solũ hoc experimento niti conuenit, ut linguæ tactu albescat, hoc enim euenit adulterino, quod ammisto fit tithymali lacte: sed fidelior probatio fit à gustu,ne ualde linguam accendat,id quod permisti tithymali est argumentum. Deterrimum natione Syriacum & Iudaicum ponderе densitateq; præcipua,erui farina & tithymalo uitiata. Succus drachmæ unius aut oborum quatuor ponduſculo hauſtus ex aqua pura uel mulsa,per inferna bilem et pituitam extrahit. Ad resoluendam aluum binos obolos cum sesamo alióue semine sumpsisse satis est. Dantur efficacioris purgationis causa succi quaterni oboli, cum duobus ueratri nigri, & aloes drachma una.Fiũt sales purgatorij, uiginti drachmis lactei succi in senos salis cyathos adiectis.ij pro portione uirium sumuntur, ut maxima potio ligulis tribus,media duabus,minima cõstet singulis.Detrahit & radix,cum quibus dictum est rebus,drachma una uel altera pota.Decoctum radicis aliqui dant bibẽdum. Decoquitur hæc in aceto, & cum farina hordeacea teritur cataplasmate ischiadicis utili.Partus enecat succus in uellere subditus uuluæ.Tubercula discutit cum melle aut oleo illitus. Decocto in aceto perunctæ lepræ tolluntur.Longi capitis dolores ex aceto & rosaceo perfunduntur.

Chamelæa.Thymelæa. Cap.CXLIX

Hamelæam Romani cilibracam, alij oleaginem uel oleastellum uocãt. rami eius palmi altitudinem non excedunt.Ipse frutex surculosus est,folia oleæ similitudinem habent,tenuiora,gustanti amara & mordacia,ita ut linguã uellicent,& arteriam obulcerent.Chamelæa similitudinẽ foliorum oleæ habet. sunt autem ei amara,odorata,in petrosis nascẽs, nec palmi,ut Plinius refert, altitudinem excedens.Simillimumq; oleum huic ineſt ut oleastro ex chamelæa frutice,saxoso,non altiore palmo,foliis oleastri baccisq;.ob id à quibusdam oleastellum, & olea cilibraca uocatur authore Columella,sirapam inde condi solitam scribente,sed calabricam legendum puto.Recentiores *oliuellam* appellant.Officinæ, quę barbarorum uocabulis sunt addictæ, *mezereon*, quasi lethalem & uiduificam malunt nominare. siquidem oliuella surculosa frutícat, ramis palmaribus,foliis oleæ similibus, tenuibus,amaris, quæ gustata linguam acriter mordẽt,faucesq; ac guttur uellicatu lacessunt.Lacte manat copioso, animalibus cunctis intacta. Baccas fert,si bene memini,uirides, per maturitatem ex parte rubescentes.Ex hac granum cocci plerique falso nasci existimauere.Recentiores,ut pleraq; omnia,chamelæam cum thymelæa,& utranq; cum daphnoide turpiter confundunt. Aluum purgat chamelæa. Detrahit pituitam bilemq; foliis in duabus partibus absinthij decoctis, succoq; eo cum melle poto. Foliis impositis ulcera purgantur. Aiunt,si quis ante solis ortum ad albugines oculorum capiat,adalligata,discuti id uitium:quoquomodo collectam iumentorum pecorumq; oculis salutarẽ esse.Foliis, ut author est Dioscorides,potis pituita bilisq; per aluum exigitur, præsertim si in duabus partibus absinthij, cum aqua mulsa, in catapotio deuorentur.Herba omnino in uentre nõ uincitur,sed redditur eadem forma, qua fuerit ingesta.Foliis cum melle tritis sordida ulcerum crustosæq; margines expurgantur. E chamelææ foliis cum floret decem drachmarum pondere in musti congium additis fit uinum quod non ante duos menses transfertur.Id suffusos aqua,iocineroſos,lassitudinem sentiẽtes,purgationem à partu difficilẽ corrigit. Thymelæam,aliqui chamelęam, aliqui cnestron & cneorum uocant.frutex est in quo nascitur granum gnidium,quod Euboes ætolium, aliqui linon appellant, à similitudine naturæ quam cum lino sparto habet. Rami tenues,specioſi,cubitorum binũm adsurgunt.Ipsa similis chamelęæ,foliis angustioribus,pinguioribus, gummosis si mordeãtur, glutinosisq;.Flores albi,& inter eos semen quale myrti,exiguum,rotundum, initio uiresces, postmodũ rubens,foris durum nigrũq;, intus albet,& ut Plinius tradit,in quo nascitur granũ gnidion quod aliqui linum uocant: fruticem thymelæam, alij chamelæam,alij pyrosachnen, alij cnestron,alij cneorũ,similem oleastro,foliis angustioribus,gummosis si mordeantur, myrti magnitudine,semine,colore,& specie foris,ad medicinæ tantum usum.Latini & hanc,& chamelæam præcipuè, casiam uidẽtur appellasse,Theophrastus cneoron,Hygino id apud latinos casiam interpretante.Cuius duo genera feruntur,candidę,cui folium cutis modo quadantenus oleaginũ: nigræ,carnosum,myrto similius.Candida humi se magis spargit & odorata est,nigra sine odore

odore. Radix ambobus alba, prægrādis: rami copiosi, surculosi, crassi, à terra protinus aut paulo suprà emicant, admodum lenti, ut quibus ad uinciendum pro iunco utantur. Vene re in coronamenta folio. Post æquinoctium autumni germinant, atq; florem mittunt qui diutinus est. Hæc de cneoro siue casia Theophrasti sententia est, apud quem aliqui tamari ci similius folium non myrto legunt, quos minus probo. Plinius duo cneori genera facit, candidi & nigri. hoc & odoratum. Ramosa ambo florent post æquinoctium autumni. In coronamenta uenit cneorum, quod casiam Hyginus uocat. Herbarij thymelæam nunc *oli uellam* ut superiorem, nunc *leonem terræ*, aut *linum syluestre* uocitant, quoniam satiui lini simi litudinē referat. frutex ramos emittens speciosos, tenues, tripedaneos, foliis chamelææ an gustioribus, glutinosis, tactuq; gummosis, flore candido, bacca myrti rotunda, quæ inter initia uiret, & tandem rubescit, quam *granum* uocant *cnidium*, uel *coccon*, nucleo baccæ du ro, foris nigro, intus albo. Detrahunt per aluum bilem, aquas, pituitam uiginti granorum nuclei, uerū fauces adurunt: quare cum farina polentáue, aut in acino uuæ inclusi aut mel le cocto obducti dantur deuorādi. In difficili sudore cum nitro & aceto triti perunguntur. Folia eius, quæ priuatim cneorum appellatur, messibus lecta & siccata in umbra recōdun tur. In usu tunduntur uenis exemptis. Detrahuntur aquæ pastillis acetabuli modo cum di luto datis. Si mitior placeat deiectio, cū lenticula cocta, aut oleribus contritis insumuntur. Trita in farinam uuæ acore collecta in offulas digeruntur. Herba ipsa stomacho est inimi ca. Partus impositа necat. Nascitur in mōtibus & asperis. Falluntur qui gnidium granum è chamelæa nasci autumant, foliorum similitudine decepti. Theophrastus granū cnidium tradit figura rotūdum, colore rubrum, maiusq; pipere haberi, sed hoc longè ualidius, qua de causa deuorandum datur. præberi enim detractionis alui gratia solet, in pane aut adipe sepultum insumitur, alioqui gulam & fauces accendit. Oleum ex gnidio grano strictum eandem uim habere quam cicinum Plinius adfirmat. Dioscorides ramos thymelææ cum suis foliis & baccis leni igne coquebat triginta drachmis, in musti tribus congijs, donec duo superessent, ad deijcienda aquosa corporis recrementa, ad extenuandum quoque lienem incrementi uitio laborantem. Idem cneorum uocari thymelæam prodit et cestron, sed cnestron arbitror legendum, Hippocratis & Galeni, & codicum uetustorum fretus au thoritate. Liparonis herbæ meminit Aetius, Alexandria sic uocante, quanquam aliqui, in quit, cnestron nominant, ad ulcera capitis manantia uehementer utilis. Nec indicat is au thor qualis ea sit, utrum eandem cum thymelæa cneoróue, ad diuersam putarit.

Pygnocomon. Apios. Cap. CL

PYgnocomon cōstat erucæ foliis acrioribus, scabris et crassis, caule quadran gulo, flore ocimi, semine marrubij, radice nigra, rotunda, lutei coloris, parui mali effigie, terrā olentis. inuenitur in saxosis locis. Plinio pygnocomon eru cæ foliis crassioribus & acrioribus, radice rotunda lutei coloris, terram olen te, caule quadrāgulo, modico, tenui, flore ocimi. inuenitur in saxosis. Radix eius in aqua mulsa duodecim pondere denariorum, & aluum & bilem & pituitam exina nit. Semen tumultuosa somnia facit una drachma in uino potum. Furūculis remedio sunt folia trita cum polenta, si nondum caput fecerint. Suppurationibus imponuntur cum po lenta detrita, uel semen. Spicula sagittariorū extrahit pygnocomi semen. Dioscoridis opi nione grauia efficit & tumultuosa insomnia semen instar drachmæ potū. Tumores cū po lenta discutit. Sagittas & infixa corporibus extrahit. Foliis panos digerit & furūculos. Ra dix in aqua mulsa duūm drachmarū pondere aluū & bilem detrahit. Apios, alijs ischas, alijs chamæbalanon, Romanis radix syluestris ramulos duos siue tres iunceos spargit, te nues, rubentes, qui paulū se attollunt, foliis rutæ longioribus, angustioribusq;, semine par uo, radice hastulæ regiæ, pyrorum specie turbinata, tantū rotundiore, succosa. Habet hæc extrà cortices nigros, intra candidum corpus. Apios, ischas, siue raphanos agria, ut Plinio placet, iuncos duos siue tres spargit in terra, rubentes, foliis rutæ, radice cepæ, sed amplio re, quare quidam raphanon syluestrem uocant. Intus habet mammā candidam, extra cor tices nigros. nascitur in montuosis & asperis & herbosis. Apion ischada aut chamæbala non appellari arbitror, quòd radicis extremum in pyri, uel ficus, uel glandis effigiem turbi netur. Theophrasto apios folio constat rutaceo, breui, caulibus ternis aut quaternis humi

ſparſis,radice albuci ſquamoſa.legitur uere. Radicem inter paucas Theophraſtus admira tur,q̃ bilem per ſuperna et inferna trahat.Nihil frequentius in herboſis occurrit,duos uel tres ſpargens iuncos,rubros,tenues,qui à terra parum attollantur,exili ſemine,radice Plí nio cepitia: Theophraſto & Dioſcoridi albuci uel haſtulæ regiæ,in formam pyri turbina ta.cui intus medulla candida,extrà ſquaroſus cortex,nigricãs. Nullũ nomen inuenit Gal licum,uidimus tamen per inopiam frugum ruri pauperes hac radice ueſci. Illud tamen ad diderim,apion tenues habere capriolos,qui ceſpiti decumbit herboſo,florẽ piſo ſimilem, longe minorem,in radicula extrema perq̃ alte pyrum illud dependere.Effoditur uere,tu ſaq̃ in fictili mergitur,deiecto quod ſupernatat: reliquus ſuccus purgat utraque parte ſeſ quiobolo in aqua mulſa. Sic & hydropicis datur acetabuli menſura. Inſpargitur & aridæ farina potioni:aiuntq̃ ſuperiorem partem eius uomitione biles extrahere, inferiorem per aluum.Radicis,ut inquit Dioſcorides,pars ſuperior uomitione bilem,pituitasq̃ detrahit, inferior per aluum. Tota utrinq̃ purgationes mouet. Succum ſi libet eximere, tuſa radix fictili mergitur,& obiter miſcetur,deiecto penna quod ſupernatat.reliquus excipitur ſuc cus & ſiccatur.Purgat utraq̃ parte ſuccus is ſeſquiobolo potus.

Colocynthis.Epithymum.Alypon. • Cap. CLI

Colocynthis,Romanis cucurbita ſyluatica,palmites et folia per humum ſtra ta repunt cucumeri ſatiuo ſimilia,diuiſurisq̃ ſciſſa,fructu in orbem circum acto,& in mediocris globi ſpeciem glomerato,ingenti amaritudine. Legen da eſt cum cœperit in luteum colorẽ demutari.Colocynthis cucurbita ſylue ſtris eſt,plena ipſa nec inanis,minor quàm ſatiua,primũ herbacea,mox palli da.Hippocrates ſylueſtrem cucurbitam ſicyonem, quæ fundo careat, & ſpecie globoſa & uniformi ſit,ſicyam atmeton,hoc eſt inſectilem appellat: interiorẽ uero partem eius,ſpon giam.Hodie officinis omnibus *coloquintida* dicitur,ſylueſtris cucurbitæ ſpecies,ſarmentis, foliis per terram reptantibus, inſectis, fructu pilæ forma in orbem coacto, fungoſa candi daq̃ intus medulla,ſapore uehementer amaro,cætera ſatiuæ non abſimilis. Vtilior,ut Pli nius ſcribit,pallida quando eius ſunt medicinæ.Herbacea arefacta per ſe inanit aluum.In fuſa quoq̃ clyſteribus inteſtinorum omnium uitijs medetur,& renum & lumborũ, & pa ralyſi eiecto ſemine. Aqua mulſa in ea decoquitur ad dimidias,ſic tuſſienti infunditur obo lis quatuor. Prodeſt ſtomacho farinæ aridæ pilulis cum decocto melle ſumptis. In morbo quoq̃ regio utiliter ſemina eius ſumũtur,& protinus aqua mulſa. Carnes eius cum abſin thio & ſale dentium dolorem tollũt:ſuccus uero,cum aceto calefactus,mobiles ſiſtit: item ſpinæ & lumborum ac coxẽdicum dolores cum oleo,ſi infricetur. Præterea mirum dictu, ſemina eius,ſi fuerint pari numero adalligata,febres ſanare dicuntur,quas Græci periodi cas uocãt. Medulla fructus, ut perhibet Dioſcorides, quatuor obolis purgat melle cocto, myrrha,nitro excepta,& in catapotium coacta.Ipſæ pilæ aridæ conteruntur,& infuſæ cly ſteribus proſunt neruorum reſolutioni,coxendicum doloribus,& coli uitijs. Trahunt bi lem,pituitam,ſtrigmenta,interim ſanguinẽ.Partus enecat appoſitu, repurgata & luto cir cumlita, ut in aceto nitroq̃ ſufferueſcat. Dentium dolorem colluit.Decoctum eiuſdem in aqua mulſa uel paſſo refrigeratum ſub diuo craſſos humores & ramenta detrahit. Stoma cho admodum inimica eſt. Subditur ſedi pro balano ad euocãda recrementa. Virenti ſuc co utiliſſimè iſchiadici perfricantur. Epithymum,flos è thymo eſt duriore,ac ſatureiæ ſi mili,capitula ſunt tenuia & leuia,caulículos habẽtia quaſi crines.Epithymũ flos eſt è thy mo ſatureiæ ſimili Plinio authore.differẽtia,quòd hic herbaceus eſt, alterius thymi albus. Quidam hippopheon uocant. Quidã aliter epithymum tradũt, ſine radice naſci,tenuius, ſimilitudine pallioli, rubens:potius mihi uidetur legendũ caprioli, uel capilli,cum caprio lorum modo comas thymi ſuccreſcens conuoluat. Gignitur nonnihil tale in ſatureia ſpe cie rubẽtium cincinorũ,q̃ cacumina thymbrę ueluti capillitio quodam illiget,Paulus epi thymbrum,ut arbitror,uocat,q̃ epithymi modo ſupra thymbram increſcat. Sic parum in ter authores de epithymo conuenit. Alij thymi florem eſſe dicunt è capitulis leuibus qua ſi crines dependentẽ, quibus & Dioſcorides & Plinius aſtipulantur. Florem tamen puta uerim appellare,q̃ crinium uel cincinorũ modo capitula thymi comat, quadã florum ima gine. Alij in thymo ſine radice ſuccreſcens naſci produnt quadã capillamentorum ſpeciẽ.

Epithymum

Epithymum ſtomacho minus utile,uomitiones mouet,ſedat tormina,& inflationes diſcutit. Sumitur ex eo in eclegmate ad pectoris uitia cũ melle & aliquando iride. Aluũ ſoluit à quatuor drachmis ad ſex cũ mellis exiguo,ſaliſq;,& aceti q dẽ,ut refert Plinius. Aliter epithymũ tradũt ſine radice naſci tenui,ſimilitudine pallioli rubens, ſiccari in umbra, bibi ex aqua acetabuli mẽſura,aluũ dimidia trahere,pituitã bilemq;. Hoc poto, ut teſtat Dioſcorides,cũ melle,pituita & bilis atra deijcit:priuatimq; melãcholicis datur,& inflationes ſentientibus,ab acetabulo ad quatuor drachmas cũ melle ac ſale & aceti exiguo. Prouenit copioſiſſimũ in Pãphylia Cappadociaq;. Quod ſupercreſcẽs ſatureię diximus innaſci, eiſdẽ pollet uiribus,debilius tamẽ purgare noſcitur. Alypon ſurculoſa eſt herbula ſubrubẽs, latis feſtucis,foliis minutis,plena floris nigri q̃ læuiſſimi, radix nõ diſſimilis betæ, prætenuis,ſucco acri madida,ſemẽ epithymi. naſcitur in maritimis Africæ q̃ largiſſima,quanq̃ alibi quoq; plurima. Alypon cauliculus eſt molli capite, nõ diſſimilis betæ ut inquit Plinius,acre guſtatu,ac lentũ,mordensq; uehemẽter,& accẽdens. caput,id eſt radicem eius,betæ ſimilem intelligo,nõ folia quæ minuta ſunt ut Dioſcorides adfirmat. Paulus alypiã uocat. Actuarius alypiã, turbit candidũ uocat iis uerbis: Si pituitã deijcere tibi ſit in animo, alypiam,hoc eſt turpet candidũ adijciendũ: quã paulopoſt ita depingit, Surculoſa alypias herba eſt,ſubrubra,tenuibus ramulis foliiſq;,flore molli,læui,radice betę, referta ſucco acri,ſemine epithymi. naſcitur in maritimis. Semen atrã deijcit bilẽ. Aluũ ſoluit alypon in aqua mulſa,addito ſale modico. Miníma potio duarum drachmarum,media quatuor,maxima ſex,ea purgatione quibus datur è gallinaceo iure. Depellitur atra bilis ſemine, ſi mẽſura epithymo pari ſumatur ex aceto & ſale, ſed interanea leniter exulcerat.

Ampelos agria. Cap. CLII

AMpelos agria,hoc eſt ſylueſtris uitis uocatur, palmitibus longis ut uitium, lignoſis,aſperis,rimoſo cortice,foliis ſolani hortenſis,latioribus, prælõgis, flore crinito,muſcoſo, ſemine uuulis paruis ſimili, poſt maturitatem rubente,rotunda acinorum facie. Quæ à Græcis ampelos agria appellatur, ſi Plinio credimus,ſpiſſis & candicantibus foliis,geniculata,rimoſo cortice. Fert uuas rubentes cocci modo. Sylueſtris uitis cæditur horis omnibus, ſed præcipue autumno,radice acri ut Theophraſtus ſcribit. Radix & acini coria perficiunt, gelidiſſimaq; eorum natura. Pars acinorum æſtu moritur,prius quàm reliqua,qui & ſolſtitiales. Vniuerſi nunquam matureſcunt, etſi prius quàm tota uua maturuit detur cibo, generi gallinaceo faſtidium gignit uuas appetendi. Flos huius in racemis candidus depẽndet, folium ſolani per initia: poſt diuiditur ferè in uitis imaginem,ſed oblongum. Vitis ſylueſtris annum durat,ſi in umbra,& ſine ictu ſeruetur,alioqui putret,& inanis fungoſaq; contabeſcit. Radici uis calfactoria acriſq;, quamobrem ad uſum pſilothri uenit. Vitia cutis emendat in facie. Fructu corium depſant & ſubigunt. Eſt ei ſimilis ſed in ſalictis naſcens,ideo diſtinguitur nomine cum uſus eoſdem habeat,& ſalicaſtrum uocatur. Scabiem & prurigínem hominum & quadrupedum aceto mulſo trita efficacius tollit. Hanc Plinius folio duro,cineracei coloris,uiticulis calloſis,rubentibus, qualiter flos quem Iouis flammam appellamus in uiolis,ferens ſemen punici mali in acinis ad eoſdem effectus. Propterea ſunt è recentioribus,qui hãc & *flammulam* & *Iouis flammam* appellarint. Sylueſtris uitis ea mihi uidetur, quã rura modo *uiornam*,modo *hardeam* uocãt,quòd ramorũ faſces ea perinde quaſi uinculo ligãtes diſtringãt. nãq; uiticulis prælõgis aſperisq; cernit & lignoſis,rimoſo cortice,foliis hortenſij ſolani lõgioribus ac latioribus,flore muſcoſo & capillaceo,fructu exiguis ſimili,poſt maturitatem rubeſcẽte,acinis fere punici mali,quadãtenus rotũdis. Vuæ cutẽ in facie mulierum purgant,& uarijs coxendicũ & lumborum uitijs tuſæ cum foliis, & ſucco proſunt. Radix decocta in aqua in uini Coi cyathis duobus humorẽ aluí ciet, ideo hydropicis datur. Hanc Plinius credit eſſe potius,quã uuam taminiã uocant. Vtuntur ea pro amuleto, & ad ſcreationẽ ſanguinis quoq; adhibẽt nõ ultra gargariſſationes, & ne quid deuoretur addito ſale,thymo,aceto,mulſo: ideo purgationibus ancipitẽ putant. Salicaſtrum eoſdem habet uſus. Radix,ut Dioſcoridi placet,in uino marina condito cyathis duobus humores alui ciet. ideo datur hydropicis. Vuæ eius uitia cutis in facie & maculas omnes emendãt. Viticulæ eius incipientes muria in cibos ſeruantur.

Vitis alba, Vitis nigra. Cap. CLIII.

AMpelos leuce, hoc est uitis candida, quam aliqui bryoniam uocant, folia, sarmenta, pampini satiuæ uiti similia erant ni hirsutiora noscerẽtur. innectit se fruticibus, qui sunt in proximo, capreolis conprehendentibus. Fructus rubens in racemis dependet, quo qui depsant coria solẽt uti. Vitis alba, quam Græci ampeloleucen, alij cedrostim, alij psilothron, alij archezostim, alij madon authore Plinio uocant. Huius sarmẽta longis & exilibus internodijs geniculata scandunt, folia pampinosa ad magnitudinem hederæ diuiduntur, ut uitium. Radix alba, grandis, raphano similis, initio ex ea caules asparagi similitudine exeunt. Semen in uua raris acinis dependet, succo rubente, postea croci. Nouere id qui coria perficiunt, eo enim utuntur. Melothron, ut putant, à Theophrasto uocatur, in coronas folio admissa, bryonias & bryonia à Columella. Officinis omnibus & herbarijs *bryonia* & *uitis alba* dicitur: uulgus, quòd per dumos serpat, *colubrinam* uocat. quandoquidem sarmentis, palmitibus, pampinis, folijsq; satiuam uitem imitatur, uerum hirsutiora sunt omnia. Ea quos prope se nacta sit frutices scandit, suisq; complectitur clauiculis: fructus rubens in uuis dependet, quo coria pilis spoliãt, radice prægrãdi, raphani similitudine. Recentes cauliculi decocti in cibo aluũ & urinã cient. Folia & caules exulcerãt corpus. Vticq; ulcerũ phagedænis, & gangræna, tibiarũq; tędio illinũtur. Semen psoris & lepris imponitur. Lactis abundantiã facit coctum cũ tritico potũq;. Radix numerosis utilitatibus nobilis, contra serpentiũ ictus trita drachmis duabus bibitur. Vitia cutis in facie, uaroscq;, & lẽtigines, & fugillata, & cicatrices emendat: eadẽq; præstat decocta in oleo. Datur in comitialibus potus, itẽ mente commotis, & uertigine laborãtibus drachmæ põdere quotidie anno toto, largior aliquãto turbat sensus. Illa uis præclara, quòd ossa infracta extrahit in aqua imposita ut bryonia, quare quidam hanc albam bryoniam uocant. Suppurationes recentes discutit, ueteres maturat, & purgat. Cit menses & urinam. Eclegma ex ea fit suspiriosis, & contra lateris dolores, uulsis, ruptis. Lienem ternis obolis pota triginta diebus consumit. Illinitur eadem cum fico pterygijs digitorum. Ex uino secundas fœminarum apposita trahit, & pituitam drachma ex aqua mulsa. Succus radicis colligi debet ante maturitatem seminis, qui illitus per se, & cum eruo, lætiore quodã colore et cutis teneritate mangonizat corpora. Serpentes fugat. Tusa radix cũ pingui fico erugat corpus si statim bina stadia ambulent: alias urit, nisi frigida statim abluatur. Huius caules, ut Dioscorides est author, qui initio è radice similitudine asparagorum exeunt madũtur, urinę aluoq; commouendæ. Folia, fructus, radix acrẽ uim sortiuntur, itaq; ulcerũ phagedænis, gangrænis, chironijs, putrentiũ tibiarum tædijs ex sale salubriter illinũtur. Radix corpus deterget & faciẽ erugat & tendit. Vitia cutis in facie uaroscq; & cicatrices nigras emaculat cũ eruo, creta Chia, & fœnogræco. Eodẽ effectu prodest decocta in oleo usq; dũ fatiscat. Sugillata rapit, digitorũ reduuias cõmittit iungitq;. Collectiones illita cũ uino discutit. Suppurationes maturat, & rumpit. Fracta ossa extrahit trita. Permiscetur apte medicamento quod carnem exest. Datur in potu comitialibus drachmæ pondere quot diebus anno toto: item attonitis, & uertigine laborantibus eodem modo. Contra serpentium uulnera denarijs duobus bibitur. Partus in utero necat. Mentem interim subturbat. Partus morantes secundasq; fœminarũ extrahit. Vrinam ciet. Eclegma ex ea fit cum melle suspiriosis, anhelatoribus, tussientibus, ruptis, uulsis, & laterum doloribus. Lienem ternis obolis ex aceto pota triginta diebus consumit. Illinitur ad eadem cum fico. Ad muliebres infessus decoquitur. siquidem purgat uuluas, sed abortum facit. Succus è radice uere stringitur, quo pituitæ detractionem molliuntur. Semen psoris, lepris efficaciter illinitur. Lactis abundantiã facit succus eius, si cum tritico decoctus sorbeatur. Ampelos melæna, & hanc alij bryoniã uocãt & chironiam uitem, Romani uuã taminiã, & uitem nigrã. Folia eius & caules similitudinem habent hederæ, quanquam uerius smilacis, maiora tamen. Et hæc arbores clauiculis scandit. Semen acinis in uua dependet, initio herbaceum, postea nigricans, radice foris atra, intus buxei coloris. Nigra Plinio proprie est quã aliqui bryoniam uocant, alij chironiam, alij gynecanthen, aut aproniam, similem priori præter quàm colore, quem nigrum esse dicimus. In fruticetis & arundinetis maxime nascitur. Radix foris nigra, intus buxeo colore. Hãc tamnum

siue

siue tamum quidam uocari putant, & uulgo tamarum. Quintus Columella,

Lubrica iam lapathos, iam tami sponte uirescunt.

Inuenitur in frutetis & arundinetis, foliis hederæ maioribus, smilaci proximis, caulibus quoq; cognatis. Capreolis suis arbores perinde quasi admincula comprehendit, semen asparago simile racematim cohæret, inter principia uirens, post maturitatem nigrescens. Radix foris nigra, intus buxeo colore nitet. Huius similes asparagos Diocles prætulit uetis in cibo, urinæ ciendæ, lienisq; minuendo. Hæc in usu ualidior. Ossa infracta uel efficaci us extrahit quàm supradicta. Cæterum eidem peculiare est, quòd iumẽtorum ceruicibus unice medetur. Aiunt, siquis uillam ea cinxerit, fugare accipitres, tutasq; fieri aues uillatícas. Aliter eadem in iumento hominęq; pituitam aut sanguinem, qui se ad talos deiecerit, circunligata sanat. Caules huius, ut tradit Dioscorides, primo germinum partu erumpentes olerum uice manduntur mensibus pellendis, urinæ ciundæ, lienibus minuendis. In comitialibus, uertigine, neruorum resolutione, cibo conueniunt. Radix eadẽ præstat quæ uitis albæ, minus efficax. Folia cum uino exulceratis iumentorum ceruicibus medentur. Eadem luxatis pari modo circumligantur.

Filix, Filix fœmina. Cap. CLIIII

PTeris aut pterion, Romani filicem uocant, neq; caulẽ neq; florem habet nec semẽ, folia mera sunt, ex uno pediculo amplitudine cubitali, oris incisis modo alarum expansa, odore subgrauia, radice in summa cute terræ nigra, oblonga, filices fundente cõplures, astrictiusculas gustu. in montibus ex saxis prouenit. Filicis duo genera Plinio, nec florẽ habent nec semen, pterin Græci uocant, alij blechnon, cuius ex una radice complures exeunt filices, bina etiã cubita excedentes, non graues odore. hanc marem existimant. Alterum genus thelypterin Græci uocãt, alij nymphęam pterin. Vtriusq; radice sues pinguescũt. Folia utriusq; lateribus pinnata, unde Græci nomen imposuere. Radices utriq; longæ in obliquũ, nigræ, præcipue cũ inaruere, siccari autẽ eas sole oportet. Nascũtur ubiq;, sed maxime frigido solo. Effodi debent Vergilijs occidentibus. Vsus radicis in trimatu tantũ, neq; antè, neq; postea. Nullus incisæ filici succus, marcescit fimo iniecto, ob id pecoris incubitu, quod in medica herba nonnulli tradũt. Radicis gustus è dulci astringens. Folia longitudine cubitali prodeũt. A longitudine hanc marem existimant. Filix feliconibus nomen dedit, quos ueteres pro malis & inutilibus accipi putant. Felicati calices à filice dici credũtur, & filecta, ut à caricibus carecta. Carex, è qua mollissimæ texuntur cathedræ, folio ferè arundinis, uliginoso & palustri loco plurima. Filicem marem nostri Galli *osmundam regalem* uocãt, sine flore, sine semine, foliis tantũ cubitalibus, ex uno artu porrectis, & utroq; latere pinnatis, subgraui odore, radice per summa cespitum nigra, oblonga, multis capillamentis fibrata, subastringente gustu. nascitur in montibus & saxosis. Filix biennio moritur, si frondem agere nõ patiaris. Id efficacissime contingit, germinantis ramis baculo decussis. succus enim ex ipsa defluens necat radices. Theophrastus filici nec semen nec succum ineſſe tradit, effodi tempestiue autumno, radicẽ in usum duntaxat uenire, gustum è dulci substringere, latas uentris tineas abigere, cęteras ex uino dulci triduo potam. Vtraq; stomacho inutilissima. Aluum soluit, primo bilem trahens, mox aquam. Radix eius duũm obolorũ pondere ex aqua, post unius diei abstinentiam bibitur, melle prægustato, cõtra rheumatismos. Neutra danda fœminis, quoniam grauidis abortum, cæteris sterilitatem facit. Farina earũ ulceribus tetris inspargitur, iumentorum quoq; ceruicibus. Folia cimicem necant. Serpentem non recipiũt, ideo substerni suspectis locis utile est, usta etiam fugant nidore. Fecere medici huius quoq; herbæ discrimen. Optima Macedonica est, secunda Cassiopica. Radice pota, ut testis est Dioscorides, quatuor drachmis in aqua mulsa latas tineas pellit: melius, si cũ scãmoniæ aut ueratri nigri totidẽ obolis deẽ, sed qui sumũt allia prægustẽt. Laborantes incremento lienis recreat. Radix cũ axũgia uulneribus sagitta arundinea factis est auxilio. Cuius rei probatio fertur talis, Peribit filix quam per ambitum sata copiosior arundo coronet: & contra euanescens abibit arundo, quam obsepiens multa filix in orbem cinxerit. arundo contrita & imposita, corpore filicis stirpem extrahit: item arundinẽ filicis radix.

Thelypteris alijs nymphæa pteris, folio filicis. est autem non singulari pediculo ut illa,

ſed ramis pluribus altioribusq; fruticans, radices lõgæ, in obliquũ multæ, in flauo nigrantes, aliquæ & rubẽtes. Eſt autẽ, ut Plinio uidetur, ſingularis atq; nõ fruticoſa, breuior molliorq; & denſior foliis, ad radicẽ canaliculata, folia lateribus pinnata, radix lõga, obliqua, nigricans, præcipue cũ inaruit. Ea ſues pinguescunt. Siccant eam ſole. Occaſu Vergiliarũ effoditur. Vſus radicis in trimatu, nec ultrà nec citrà. Laudant in utroq; ſexu Macedonicam, deinde Caſſiopicam. Aiunt filices circa ſolſtitium auulſas non renaſci, nec arundine ſectas, aut exaratas uomeri arundine impoſita: ſimiliter & arundinem exarari filice uomeri impoſita præcipiunt. Biennio moritur, ſi frondem agere non patiaris. Recte Iulio & Auguſto extirpatur. Filix ſatu & facilius ſtercoratione interimitur. Si ſubinde naſcens falce decidatur, uiuacitas eius abſumitur. Filix ſine iniuria uicini etiam cum officio decidítur, uim ſtercoris, ruſtici cum ſimo deficiuntur, præbens. Cimices utroq; ſexu necantur. Serpentem non recipiunt, ſed uſtæ ſuo nidore fugant. Galli filicem fœminã *fugeram* appellãt. ea ſiquidem pluribus ramulis fruticat, foliis pinnatis, quæ non ſingulari, ut ſuperior, pedi culo nitantur, radicibus longis, obliquis, quæ ex nigro in luteum flaueſcant. Aliquæ etiãnum rubentes inueniuntur. Commenti tium non dubitauerim quicquid neoterici de filicis ſemine fabulantur, tum quia incredibilia ſunt, tum quòd Theophraſtus, Galenus, Dioſcorides, Plinius hanc ſterilitatis arguũt: neq; medici, uel Arabes, uel Perſæ, ad magicas uanitates nati, ſeminis huius meminere. Radices huius pellunt lata interaneorum animalia, cum melle in eclegmate ſumpto. In uino drachmis tribus potæ teretes tineas eiſciunt. Datæ ſterilitatem fœminis faciunt: grauidis, quæ eas ſupergrediuntur, abortum. Farina humidis ulceribus & cicatrici repugnantibus inſpergitur. Medetur iumentorum ceruicibus. Primi foliorum partus coquuntur cibo, ut aluum emolliant.

Polypodion, Dryopteris, Cnecon. Cap. CLV

POlypodion Romani filiculam appellant. naſcitur in muſcoſis petris & uetuſtis roborum caudicibus, palmi altitudine, filici ſimilis, ſubhirſuta, minus tenuibus inciſuris. Radix piloſa, et acetabulis caua ceu polyporum cirris, craſſitudine digiti minimi, coloris intus herbacei, ex acerbo ſubdulcis. Polypodion, quam Latini filiculam uocant, ut Plinius ait, ſimilis eſt filici, radix in uſu, piloſa, coloris intus herbacei, craſſitudine digiti minimi, acetabulis cauernoſa ceu polyporum cirri, in petris naſcens aut ſub arboribus uetuſtis. Filiculam ex filicis ſimilitudine nominant Latini, feliculam Cato uocauit, ad deijciendam aluum præberi iubens eam. Eodem modo Columella nominauit: Theophraſtus polypodion, cui hirſuta ſit radix, & acetabulis cauernoſa ceu polyporum cirri. Vbi quis eam contigerit innaſci polypum adfirmat. Foliũ, ut idẽ tradit, filicis magnæ proximũ eſt. Naſcitur in petris. Poſt imbres ſemper emicat hæc herba. Floret Plinio & ſemen nõ fert. Per inferna purgat. Officinæ uocãt *polypodion*, ſed querno tantum utuntur. Inuenitur in muſcoſis petris, & ueteribus quercũ trũcis filicis ſimilis, nec fere ſemipede altior, nõ perinde tenui foliorũ diuiſura, parte auerſa fuluis maculis notata, ſine ſemine, radice hirſuta, minimi craſſitudine digiti, & acetabulis caua ceu polyporũ cirris, guſtu ex auſtero ſubdulci, coloris intus herbacei. Radix ſola in uſu. Cubitorũ ac pedum rimis mire prodeſt. Illita luxatis medetur. Exprimitur ſuccus aqua madefacta, & ipſa minutim cõciſa inſpargitur oleri, & betæ, uel maluæ, uel ſalſamento, uel cũ pultícula coquitur ad aluũ leniter ſoluendã, uel in febri. Detrahit bilem & pituitam. Stomachũ offendit. Aridæ farina naribus indita polypũ conſumit. Purgãdi naturam habet. Coquit in gallinaceo iure, uel beta, aut piſcibus, ad ciendã aluũ. Aridę farina aquæ mulſæ inſparſa detrahit bilẽ & pituitam. Trita luxatis efficaciter illinitur, & rimis quæ inter digitos hiant. Vinum polypodites ad eundem uſum fit, præcipuum in Phœnice, oppido eius Byblo, ut inquit Aetius. Dryopteris in muſcoſis roborum uetuſtorum partibus naſcitur, filici ſimilis, minoribus inciſuris, radicibus inuicem implicitis, hirſutis, aſtricto guſtu, ſubdulcibus. Dryopteris filici ſimilis in arboribus naſcitur, tenui foliorum ſubdulciũ inciſura, radice hirſuta, Vulgus *arboream ofmundulam* uocat. hæc inuenit in annoſarũ quercuum muſco, filicis ſimilitudine, multo minore foliorum inciſura, radicibus inuicem implexis, hirſutis, guſtu acerbo in dulcedinẽ uergente. Vis ei cauſtica, ideo pſilothron eſt radix tuſa: illinitur enim uſq; dum ſudores euocet, iterũq; & tertio, ita ne ſudor abluatur.

Pſilothron

Psilothron est, ut uerbis utar Dioscoridis, cum radicibus trita: illinitur enim usque dum sudorem eliciat, quo erumpente sudor abluitur, in uicem alia recens imponitur. Cnecon folio exit procero, scabro, diuiso, aculeato, cubitalibus caulículis, quibus in summis capitula oliuæ magnitudine, flos croci, semen album, alioquí rufum, longum, angulosum. Cnecon olim Italiæ ignotam Aegyptus maxime celebrat, ipsi autem oleo non cibo gratam. hoc faciunt ex semine eius. Differētia prima sylueſtris & satiuæ. Sylueſtrium duæ ſpecies, una mitior est, símili caule, tantum rigido, itaque colu antiquí utebantur: exilis, quam quídam atractylida uocant. semen eius candidum, grande, amarum. Altera hirsutior, torosiore caule, & quí pene humí serpat, minuto semine. Aculeatarum generis est. Atractylis sanguineum succum fundit, qua de causa phonos uocatur à quibusdã, odore etiam grauis, sero matureſcẽte semine, nec ante autumnum. De sylueſtri cneco diximus in atractylide. In cneco peculiare illud à Theophraſto redditur, quòd sylueſtre tenerius, læuius, & semine copiosius habetur: satiuum durius, spinosius. Sylueſtrem cnecon, cuius caule pro colu priscę mulieres utebantur, cartamum sylueſtrem oſtendimus appellari, qui hirsutior, torosiore caule serpit humí, *carduus benedictus* nunc nominatur. Satiuus, de quo nunc agitur, *cartamus* uocatur. Omnes diuulsis ramulis cruentum fundunt liquorem, præsertim messibus. Semine cneci satiuí psitaci nunc aluntur. Cnecon melius quàm cnicon dicitur. nam cnacon, à seminis colore, Theocritus pro candido uel flauo usurpat. Democritus & omnino chymici, florem cneci echumenion appellãt. Cnecon officinæ norunt *cartami* aut *croci hortensis* nomine. Italia Vespasiani principatu hũc ignorauit, in sola Aegypto tum celebrem. Hodie Francis promiscua est, caulibus binûm cubitorum proceritate, foliis seridis aculeatis, capitulis quoq; foliatis & spinosis, è quibus crocea coma emicat, semine intus candido, angulosо. Fastigium grandis oliuæ magnitudinem implet. Theophraſtus cneci facit duo genera. unum recto caule, quo & colu antiquí utebantur, fructu nigro, grandí, amaro. Hunc officinæ *sylueſtrem cartamum* dicunt, capite acanaceo, oliuaris craſſamenti, luteis crínibus capillato. Alterum hirsutius, torosiorí caule, foliorum'que mollitia, humí penè serpens, radice fulua, tenui, superuacua. Hunc *benedictum carduum* officinæ appellant, tubere acanaceo, in quo lutea stamina prominent, mollí intus lanugine semen operiente. Quod ut spontaneum satiuo antiſtat, & semine, flore & folio commendatur. Cneci flore in obsoníjs utuntur. Seminis tusi succus, adiectis amygdalis, nitro, anetho, & melle decocto cogitur in placentulas, quæ aluum emolliant. Hæ in globulos quatuor finduntur, quí nucis iuglandis magnitudinem impleant, è quibus duos uel tres ante cœnam sumpsiſſe satis est. Ratio temperandi ea est, Cnici candidí sextarius, amygdalarum repurgatarum cyathí tres, aniſi tãtundem, aphronitrí drachma una: cum carnibus triginta ficuum siccarum hoc componitur medicamen. Seminis succus lac cogit, quod efficacius habetur uolentibus astrictam aluum reſoluere.

Mercurialis. Cynia. Cynocrambe. CLVI

Inozoſtis arrhen, è Grecis aliquí argyron, alij chryſitin, Latini mercurialem masculam uocant, folium habet ocimí, helxinæ cognatum, sed minus, ramulos duplicí geniculorum nodo cinctos, multis concauos alis. Semen in fœmina copiosum uuæ modo acinis dependens: mari iuxta folia exiguum, rotundum, semper geminum, testiculorum modo connexum. Frutex latus, palmi altitudine, nonnunq; etiam maiore creſcit. Linozoſtis à Mercurio inuenta est. ideo apud græcos hermupoan multí uocant eam, omnes apud latinos mercurialem. Duo eius genera, masculus & fœmina, quæ efficacior. caule utríuſq; sexus cubitalí interdũ, ramoso in cacumine, ocimo anguſtioribus foliis, geniculis denſis, alarum cauis multis, semine in geniculis dependente: fœminę copioso, mari iuxta genicula ſtante, rariore ac breui cõtortoq;, fœminæ soluto et cãdido. Folia maribus nigriora, fœminis candidiora, radix superuacua, prætenuis. nascuntur in campeſtribus cultis. *Mercurialem* Galli ut Latini uocitãt, caule sesquipedali, geniculato, in cacumine ramoso, muralis herbæ uel ocimí foliis, sed in ambitu crenatis, semine in articulis pendulo, sine flore, tenui radice & superuacua. inuenit in campeſtribus cultis. Duo eius fastigia, mas humilior, folio nigriore conſtat, fœtu propter geniculа rariore, breui, cõtorto, in binos ueluti teſticulos coeũte: fœminæ coma albicat, fructu

copioso

copioſo,ſoluto & cãdido,quandam racemulorum imaginem præbente. Mirum eſt quod de utroque eorum genere proditur, ut mares gignãtur hunc facere, ut fœminę illam.Hoc contingere,ſi à conceptu ſuccus ſtatim bibatur in paſſo,edantq; folia decocta ex oleo & ſale,uel cruda ex aceto.Quidam decoquunt eam in nouo fictili cum heliotropio, & duabus aut tribus ſpicis, donec decoquatur. Decoctum dari iubent & herbam ipſam in cibo,altero die purgationis mulieribus per triduum,quarto die à balneo coire eas.Hippocrates miris laudibus in mulierũ uſu prædicauit, ille eas uuluę cũ melle uel roſaceo uel lilino uel iri no admouit,item ad ciendos menſes ſecundasq;.Hoc idem præſtare potu fotuq; dixit.Inſtillauit auribus ſurdis ſuccum,inũxitq; cum uino uetere. Aluo folia impoſuit,epiphoris, ſtranguriæ & ueſicæ.Decoctum eius dedit cum myrrha & thure.Aluo quidem ſoluendę, uel in febri decoquatur quantum manus capiat in duobus ſextarijs aquæ ad dimidias.Bibitur ſale & melle admiſto, nec non cum ungula ſuis, aut gallinaceo decoctum ſalubrius. Purgationis cauſa putauere aliqui utrãq; dandam, ſiue cum malua decoctum. Thoracem pũrgant,bilem detrahunt,ſed ſtomachum lędunt.Reliqui uſus quoq; nunc dicentur. Verrucas omnium generum tollunt utriuſque folia, uel ſuccus illitus. Semen utriuſq; inſparſum potioni,uel cum abſinthio aut cicere decoctum regium expugnat morbũ.Malis quæ ſerpunt ſuccus ex aceto medetur. Ventri ſoluendo Dioſcorides in olere coquit:epoto iure decoctæ bilem,aquamq; detrahit. Conſtat ut mares gignantur hunc facere,ut fœminæ illam,ſi à purgatione bibantur,& trita folia genitalibus locis adhibeãtur. Cynia ſiue cynocrambe aliquibus ſylueſtris linozoſtis,caulículum habet duũm palmorum,folia herbæ mercurialis aut hederæ,ſubcandida ex interuallis,ſemine apud folia paruo,rotundo.Officinis noſtris nota *ſylueſtris atriplicis* nomine.ea ſiquidem caulículum binũm palmorum altitudine fundit,mollem,ſubalbidũ,folia mercuriali aut hederæ ſimilia,certis interſtitijs ſubalbida,ſemen prope folia paruum,rotundum. Folia cum caulículis cocta potu cient aluũ, oleribus commendantur.Ius decocti & pituitam,bilem, aquamq; detrahit.Pauperes ruſtici interdum ea ut olere ueſcuntur,cum melioris copia non ſuppetit.inuenitur in uitibus & cultis.Aliqui exiſtimãt ſylueſtris eſſe bliti genus,cum more illius ſeminoſum ſit,cæterum crenatum huic folium ut mercuriali, aut hederæ modo in angulos exit, quod non in blito ſylueſtri reperitur.

Heliotropion maius & minus. Scorpioides. Cap. CLVII

HEliotropion maius alij ſcorpiuron,alij helioſtrophon,alij heliopoda,alij ſeſamon agrion appellant. Scorpiuri nomen habet ab effigie ſcorpionis caudæ, quæ in floribus inuenitur:heliotropij, ab eo quòd folia cum ſole circũagunt̃ur.Folia ei tribuunt̃ ocimi piloſiora & nigriora,ramulis à radice ternis, qua ternis, ſæpe quinis, è quibus alæ complures exeunt, floribus in capite candidis au ſubrubẽtibus,ceu caudæ ſcorpionum inflexis,radice tenui,ſuperuacua.Naſcitur craſſo ſolo.Heliotropij miraculum dicatur,cum ſole ſe circũagentis etiam nubilo die:tantum ſyderis amor eſt, noctu uelut eius deſiderio contrahit florem. Duo genera Plinio,tricoccon & helioſtrophion.hoc altius, quanquam utrunq; ſemipedalem altitudinẽ non excedat,ab ima radice ramoſum.Semen in folliculo meſſibus colligitur. Naſcitur nõ niſi pingui ſolo,cultoq; maxime:tricoccon ubique.Aeterno folio particulatim ut ocimum floret, ideoq; perquam diu,incipiens ab imo per ſolſtitium:circumagit ſe cum ſole,ut ortum eius mane ſpectet,& eius iter ad occaſum uſq; perſequat̃.Sed & nubilo die,ita ut horarũ index circumagatur cum ſole ita,ut ne ruſtici quidem oculos à terra cum incumbunt operi reuocare debeant.Colos heliotropij unus eſt e tribus faſtigijs.Floret,ſi Theophraſto creditur, cum ſolſtitiũ agitur. Heliotropion Celſo ſolaris herba dicitur,à paucis hodie ne medicis quidem, pace ſemper eruditorũ dixerim, cognoſcitur, nouo ab herbarijs indito nomine. uocant enim *herbam cancri*, q̃ flores in caudæ cancri ſimilitudinem inflectantur. nanq; ſcorpionem noſtri rarius uident, à re potius nota,cãcro ſcilicet, potius q̃ ſcorpione ignota,traxerunt appellationem.Nanq; *herba cancri*, ut ſingulas proſequar notas,pingui ſolo cultoq; maxime naſcitur. Florere incipit circa ſolſtitiũ. Folia ab ortu in occaſum ſolem ſequũtur, ita ut quacunq; cæli parte ſedem teneat ſydus, in eam õcuerſa ſpectent,eoq; nubilo etiã cælo dirigantur. Folia ocimo ſimilia,hirſutiora,maiuſcula, candidiora, ramuli à radice terni

aut qua-

aut quaterni sæpius exiliunt, multis alis concaui, flores in cacumine candidi, aut fulueſcentes instar caudæ scorpionis incuruãtur. Radix tenuis & superuacua. Floret apud nos medio Augusto in exitum autumni: qua depicta nunc effigie nusquã non in agris per id tempus conspicitur. Quare mihi plurimum errare uidentur, qui *solsiam* uulgo dictam, aut officinis *calendulam*, aliquibus *solis sponsam*, heliotropion esse censeant. nanque etsi flos ortu solis aperiatur, & occasu claudatur, ideoq; solsequia, uel solis sponsa, quòd expergiscatur & occubet crepusculis sopita, desiderio quodam redeuntis syderis excita, item perdius atq; fœdere quodam amoris intueatur solem, ob id amica solis aliquibus dicatur: nihilominus flos qui ei luteus est, prorsus reclamare cognoscitur. nam heliotropio candidus tribuitur. Nec de flore sed folio circumactus ille traditur. siquidem lutei flores omnes fere, splendore solis illecti, solem sequũtur. Folia quàm paucissima uides solis cursum imitari, nisi maluæ & perquam paucarũ, quarum ratio superius nobis est reddita. Nec folia solsequiæ ocimi foliis respondent, aut aliqua germanitate iunguntur. Repugnant item floris natales dies, singulis ferè mensium Calendis florere deprehenditur, inde uulgò *calendula* dici multis putatur. Heliotropium solstitio tantum florere Theophrastus adfirmat, & experimentum tempori huic suffragatur. Item flores huius calendulæ patentem in amplitudinem dehiscunt, heliotropij ueri in caudæ scorpionis speciem contorti curuantur. Sed de his hactenus. Formicæ obturatis earum foraminibus efficacissimè heliotropio herba necantur. Si terram surculo huius circumscribat aliquis, negant scorpionem egredi: impositа uero herba, aut inde omnino respersum, protinus emori. Succum huius accipiunt æstate hora sexta, miscentq; cum uino ut sit firmior. Multa magi de hac pollicentur, quæ propositi nostri non sunt. Si decoquatur in cibis, inuenio placere, & in lacte iucundius aluum molliri. & si decocti succus bibatur, efficacissimè exinaniri. Capitis dolores sedat rosaceo admisto. Verrucas cum sale tollit idem succus, unde uerrucariam herbam appellauere, aliis cognominari effectibus digniorem. nanque serpentibus & scorpionibus ex uino & aqua mulsa resistit, ut tradunt. Folia infantium destillationibus, quas syriasin uocãt, illita medentur: item cõtractionibus, etiam si comitialiter id accidat. Decocto uero foueri os saluberrimum est. Potum id pellit tineas & renum arenas. Si cuminum adijciatur, calculos frangit. Decoqui cum radice oportet, quæ cum foliis & hircino seuo podagris illinitur. Huius fasciculo manus plenæ, ut Dioscorides prodidit, decocta bilem, pituitamq; per aluum extrahit. Contra scorpionum ictus & potu & illitu prodest. Alligatur ad conceptus arcendos. Seminis grana quatuor ante accessionẽ per horam pota quartanas, & tria tertianas finire tradũtur. Semen illitum uerrucas formicasq; adimit. Thymos & epinyctidas siccat. Folia podagris, luxatis, infantium destillationibus, quas syriasin uocant, efficaciter illinuntur. Menses eadem cient. Partus trita & imposita pellunt. Heliotropion minus, quod alio nomine scorpiuron appellatur, euenit in palustribus secundum lacus, foliis supradicti, rotundioribus, semine quoq; orbiculato, dependente ut uerruca. Hæc omnino priori similis, foliis tantum minoribus: in palustribus & circa lacus inuenitur, nec alio nomine donata est. Herba cum suo semine pota adiecto nitro, hyssopo, & nasturtio, tineas rotundas et latas eijcit. Cũ sale imposita uerrucas extrahit. Scorpioides herbula est breuibus foliis, semine caudæ scorpionis effigie. Illita scorpionũ ictibus pẽsenti est auxilio. Genus hoc scorpiuron & alio nomin tricoccon, foliis non solum minoribus, sed in terram uergentibus. Semen ei est effigie scorpionis caudæ, quare ei nomen. Nec ea ítẽ dici potest, quę *calendula* uel *solsequia* uulgò dicitur, cum folio exiguo sit & breui scorpioides: illa uero longo & arcto. nec semẽ caudæ scorpionis illi simile, sed scorpioni toto. Vis ad omnia uenenata, & phalangia, & contra scorpiones præcipuè illita, non feriuntur habentes. Seminis grana quatuor pota quartanis prodesse dicuntur, tria tertianis, quod superiori Dioscorides contribuit. Item si herba ter circũlata subijciatur capiti. Semen uenerem stimulat, panos cum melle discutit. Verrucas hoc helioſtrophion radicibus extrahit, & excrescentia in sedibus. Spinæ quoque & lumborum sanguinem corruptum trahit illitum semen & potum, in iure gallinacei decoctum, aut cũ beta & lente. Cortex liuentibus colorem reddit. Magi helioſtrophion quartanis quater, tertianis ter ab ipso ægro alligari iubent. Cæterum heliotropia Græci uocant plãtas sese cum sole circũagentes, qualis est malua, lupinus, cichorium, lotos, scorpiuron.

Certè

1262,3,88

Certè illa quæ Gallis *solsia* nominatur, quasi solsequiã dixeris, fruticosa est, cauliculo dodrantali, ligneso, folio angusto, lõgiusculo, flore speciosso, crocato, nec ingrati odoris, qua dote in coronamenta uenit. Semen haud dubie scorpionem, sed magis, qua continetur, uagina, potius quàm caudam imitatur, radice simplici, multo capillitio fibrata. Herba ipsa in cultis potissimum prouenit, adhibeturq; & condimentis & acetarijs. Flos ex uino potus ciet menses, sed efficacius herbæ succus. quo in dentium dolore os præsentaneo remedio colluitur. Quare merito ab ijs dissentiam, qui hãc scorpiuron minusq; heliotropion, quin etiam scorpioides appellãt. nam & Ouidius de Clitye in heliotropion mutata, florem ait,

rubicundum esse, uiolę formam: is plane calathi specie luteus undiq; conspicitur,

quem interdum subrubescere Dioscorides prodidit. De ea in calathianæ mentione & calthæ diximus.

TERTII ET VLTIMI DE NATVRA STIRPIVM LIBRI, FINIS

BASILEAE, IN OFFICINA FROBENIANA PER HIERONYMVM FROBENIVM ET NICOLAVM EPISCOPIVM, MENSE MARTIO, ANNO M. D. XXXVII

ant 34 31